Theologia Dogmatica
Vol. 3. et 4um
Auctore
Alberto Knoll

[illegible]

INSTITUTIONES
THEOLOGIAE THEORETICAE
SEU
DOGMATICO-POLEMICAE

CONCINNATAE

A REVERENDISSIMO

P. ALBERTO A BULSANO

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCCINORUM EX-DEFINITORE GENERALI
PROVINCIAE TIROLENSIS DEFINITORE AC LECTORE ETC. EMERITO

PARS TERTIA
DE DEO LAPSI HUMANI GENERIS REDEMPTORE

VOLUMEN III.



Editio Sexta.

AUGUSTAE TAURINORUM
Eq. PETRUS MARIETTI
TYPOGR. PONTIF. ET ARCHIEP.
MDCCCLXXVIII

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

208.9
K75b
v. 3-4

Editor sibi vindicat jus proprietatis.

FATHERS LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
JOSE
CAL.
208.9
LIBRARY
K75b

THEOLOGIAE

DOGMATICO-POLEMICAE SPECIALIS

PARS III.

DE DEO LAPSI HUMANI GENERIS REDEMPTORE

Nexus et momentum doctrinae.

§ 272. 1. Providentia divina in toto Universo conspicua est; *Attingit* enim *a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (1). Praecipue autem divinae providentiae largitas in homine relucet, ob quam Propheta regius, Deum laudans, exclamat: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis, gloria, et honore coronasti eum; et constituisti eum super opera manuum tuarum* (2). Ast luculentissimum, et omni admiratione dignissimum divinae providentiae opus est Redemptio lapsi generis humani. Homines enim, per peccatum amicitia Dei et donis supernaturalibus privati, in maximas calamitates prolapsi, filii irae et poenarum aeternarum rei constituti sunt, a quo miserrimo statu semetipsos nulla ratione liberare potuissent. Deus autem, qui *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* (3), hominum, ab ipso daemone seductorum, misertus est, ipsisque Messiam, seu Redemptorem, iam Protoparentibus et Patriarchis promissum (Th. gen., § 105) atque a Prophetis praenuntiatum (ib. § 106-118), in plenitudine temporis misit, nempe *Iesum Christum* (ib. § 141 - 148), Filium suum unigenitum, qui semetipsum exinaniens, homo factus, et *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (4), peccatum mundi tolleret, hominesque Deo reconciliatos aeternae beatitudinis participes redderet. Immensam hanc Dei erga homines ingratos, et perditos charitatem S. Scriptura ubique depraedicat, et pie considerandam nobis proponit. Io. III, 16 legitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Paulus dicit: *Proprio Filio suo non pepercit* Deus, *sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* (5)? -Ioannes ita loquitur: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis no-*

(1) Sap. 8, 1. (2) Ps. 8, 6 etc. (3) 2 Petr. 2, 4. (4) Phil 2, 8 (5) Rom. 8, 32.

suris (1). — Aequissimum igitur est ut, postquam de providentia divina in genere disseruimus, nunc ad praestantissimum eiusdem providentiae opus, per quod reparati sumus, considerandum totam mentis aciem convertamus.

2. Redemptio, de qua hic agitur, est opus divinae providentiae, qua Deus hominum in peccata lapsorum misertus, Filium suum unigenitum misit, Iesum Christum, qui naturam humanam assumpsit, et sanguine effuso ac morte tolerata pro peccatis hominum satisfecit, ipsos Deo reconciliavit, eisque aeternae beatitudinis aditum reseravit. Ex hac definitione patet, hunc tractatum praecipue circa Iesum Christum, secundam Trinitatis personam, Verbum incarnatum, Deum et hominem versari. Et quale excellentius obiectum nobis considerandum proponi posset? — Ipse est *Verbum* Patris (2): *Splendor gloriae, et figura substantiae eius* (3): *Lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (4): *Via, Veritas, et Vita* (5): *Ecclesiae* Auctor, Rector, et *Caput* (6): *Princeps Pastorum* (7), et maximus hominum benefactor, sine quo nihil (8) et in quo omnia possunt (9). — Idcirco Apostolus rectam Iesu Christi cognitionem cuilibet alii scientiae praeferendam esse duxit, dicens: *Non iudicavi me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum* (10), et *S. Bernardus* pleno iure asserit, scire Iesum maxime sublimem philosophiam esse (11). Imo et in Evangelio legitur: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum* (12). Summi igitur momenti est, ut quantum fieri potest, perfectam Iesu Christi cognitionem consequi, et in hac perpetuo crescere satagamus (13).

3. Iesus Christus omni honore et gloria, omni amore et obsequio dignissimus, iuxta verba a Simeone prolata, positus etiam est *in signum cui contradicetur* (14); quod vaticinium continuo verificatum videmus. Christus enim crucifixus Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia fuit (15). — Successu temporis innumeri insurrexerunt inter se discordes *haeretici*, qui Christum ita misere lacerarunt et discerpserunt, ut nullam in eo partem intactam et integram reliquerint. — Solidae carnis substantiam Christo denegarunt *Docetae*, veram matrem sustulit *Valentinus*, matrem perpetua virginitate decoram *Helvidius*, divinitatem *Arius*, animam et mentem *Apollinaris*, unitatem personae *Nestorius*, naturarum distinctionem *Eutyches; Monothelitae* duas in Christo voluntates admittere recusarunt; *Sociniani* Arianorum errores resuscitantes totam redemptionis oeconomiam subverterunt; inter recentiores *Rationalistas* multi in Christo nonnisi hominem eruditum, ethnicis philosophis aequiparandum agnoscunt; nonnulli ipsam eius existentiam inficiantur, nonnisi idealem Christum asserentes; alii eundem pantheismi praeconem constituunt, quasi absolutam identitatem hominis ac Dei tradiderit: imo extiterunt quoque procaces *increduli*, qui per horrendam blasphemiam Christum non secus ac Mahometem deceptoribus adnumerare non erubuerint. — Quanta ergo adversariorum undequaque tumultuantium debellanda est

(1) 1 Ep. 4, 9 etc. (2) Io. 1, 1 etc. (3) Hebr. 1, 3. (4) Io. 1, 9. (5) Io. 14, 6. (6) Col. 1, 18. (7) 1 Petr. 5 4. (8) Io. 15 5. (9) Phil. 3, 13. (10) 1 Cor. 2, 2. (11) Serm. 43, in Cant. (12) Io. 17, 3. (13) 2 Petr. 3, 18. (14) Luc. 2, 34. (15) 1 Cor 1, 23.

multitudo? quanta controversiarum seges, ac varietas hic discutienda occurrit? — Certe quo acrius fundamentalis haec Religionis christianae doctrina ab adversariis impetitur, eo magis vires in illa vindicanda impendendae sunt.

4. Quemadmodum in prioribus Theologiae theoreticae partibus Deum primum in se, deinde in relatione ad universum consideravimus, ita etiam in hac parte, quae *Christologiam* pertractat, Christum tum in se, tum in relatione ad homines, quibus subvenit, seu in relatione ad regnum divinum morale, cuius restaurator et gubernator est, considerare oportet. Ideo haec pars in duas sectiones abit, quarum *prima* Christum in se, seu ipsam Christi personam considerans, agit *de mysterio Incarnationis: altera*, Christum considerans in relatione ad homines, quibus subvenit, tractat *de mysterio Redemptionis*.

Nota. Iam alibi (§ 119) dictum est, operationes divinas externas totius esse Ss. Trinitatis, seu omnium trium divinarum personarum. Quare creatio, licet primae personae, seu Patri approprietur, etiam Filio (1), imo et Spiritui sancto adscribitur (2). Idem de mundi conservatione et gubernatione dicendum est. — Dum autem de Incarnatione et Redemptione sermo est, distinguere oportet divinum homines redimendi decretum et huius executionem. Decretum istud absque dubio toti SS. Trinitati attribuendum est, cum una sit trium divinarum personarum voluntas; imo etiam ad decreti executionem omnes tres divinae personae concurrerunt; nam activa naturae divinae et humanae unitio, cum sit opus ad extra, et effectus omnipotentiae divinae, communis fuit toti Trinitati, et in specie Pater misit Filium (3), qui conceptus est de Spiritu sancto (4). Sed tamen neque Pater, neque Spiritus sanctus, sed sola secunda persona, seu Filius naturam humanam assumpsit; quapropter Incarnatio cum peracta Redemptione est opus proprium solius secundae personae, seu Filii Dei. Nam quoties S. Scriptura de hoc mysterio loquitur, semper de sola secunda persona, de Verbo, de Filio loquitur: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (5); *Misit Deus Filium suum... ut eos qui sub lege erant redimeret* (6). Ideo Christus ait: *Pater maior me est* (7), quod non de divinitate (8), sed de humanitate intelligitur, quam Filius, non autem Pater assumpsit. — Haec fuit constans Ecclesiae catholicae fides, et contrarium sentientes, *Patripassiani* dicti, condemnati sunt. Sic haereticis adnumeratus est *Praxeas*, qui, ut ait *Tertullianus* (9), « Paracletum fugavit, et Patrem crucifixit ». Quem errorem solide refellit *Tertullianus*, et (10) egregie ostendit, personam, quae incarnata et passa est, non esse personam Patris; « nam, ait, habemus ipsam exclamantem in passione. Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? — Ergo aut Filius patiebatur a Patre derelictus, et Pater passus non est, qui Filium dereliquit; aut si Pater patiebatur, ad quem Deum exclamabat? » — Eandem haeresin *S. Dionysius Alex.* confutavit, et in Concilio *Alexandrino* anno 319 habito confixit. — *S. Augustinus* (11) inquit: « Quidam haeretici, qui vocantur et Patripassiani, dicunt ipsum Patrem passum fuisse, » sed « Pater non est incarna-

(1) Ioc. 1, 3. (2) Ps. 32. 6. (3) Io. 4, 29. (4) Luc. 1, 35. (5) Io. 1, 14. (6) Gal. 4, 4. — Io. 3, 16. Rom. 8, 32; 1 Io. 4, 9. (7) Io. 14, 28. (8) Io. 10, 30.

(9) Adv. Prax. c. 1. (10) Ibid. c. 30. (11) Tract. 36 in Ioan.

tus ». *Ruffinus* (1) dicit: « Constat Filium, non Patrem, incarnatum, et ex carne natum esse: » idem refert, contra haereticos in nonnullis Ecclesiis ad articulum: Credo in Deum Patrem omnipotentem, additum fuisse « invisibilem et impassibilem. » *S. Fulgentius* (2) ait: « Non tota Trinitas carnem assumpsit, nec tota Trinitas passionum iniurias sensit... et si quae sunt alia, quae convincantur in sacramento illo Incarnationis, ad solius Filii pertinere personam. » Concilium *Toletanum XI* anno 675 in fidei declaratione articulo 4° profitetur: *De tribus Personis solam Filii Personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato de sancta, et immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse.* Concilium *Toletanum XVI* anno 693 ita praeclare doctrinam catholicam proponit: *Incarnationem Filii Dei tota SS. Trinitas operata esse credenda est: solus autem Filius formam servi accepit in singularitate personae, non in unitate naturae, in id, quod proprium est Filio, non quod commune Trinitati.* Ideo in symbolis de solo Filio dicitur: *qui conceptus est* etc., *incarnatus* etc. Quamvis enim Pater et Spiritus sanctus ad incarnationem perficiendam concurrerint, tamen solus Filius naturam humanam assumpsit; quemadmodum is, qui vestem induit, solus illam dicitur assumere, quamvis alii cum ipso concurrant ad illam aptandam, et circumponendam.

SECTIO I.

DE INCARNATIONE

§ 273. 1. Incarnatio considerari potest vel ut operatio divina, per quam illa perficitur, vel ut status, qui ex ista prodit. Sub priori respectu Incarnatio recte definitur: assumptio naturae humanae a Verbo divino facta in unitate personae ad humanum genus redimendum. Sub posteriori respectu recte dicitur: unio hypostatica naturae divinae simul et humanae in una Verbi persona. — Naturam humanam, ut iam dictum est, assumpsit secunda Trinitatis persona, unigenitus Filius Dei, qui ratione humanitatis assumptae dicitur *Verbum incarnatum*(3); *Emmanuel*, seu *Deus nobiscum* (4); *Iesus*, id est *Salvator* (5); *Christus*, id est per excellentiam *Unctus* (6), de quo nomine *S. Augustinus* (7) scribit: « *Messias* hebraice, *Christus* graece est, latine *Unctus*; ab unctione enim dicitur unctus... ille singulariter unctus, praecipue unctus, unde omnes Christiani unguntur. »

2. Ut doctrina catholica de Incarnatione debito modo pertractetur, 1° *de Christi divinitate, et humanitate*, 2° *de divinitatis, et humanitatis coniunctione, seu unione in Christo*, 3° *de praecipuis huius unionis consectariis*, nempe *de communicatione idiomatum*, et *de adoratione Christi*, 4° *de eximiis Christi hominis praerogativis*, 5° *de Incarnationis motivo et necessitate*, ac demum 6° *de eiusdem possibilitate et convenientia* disserendum est.

Nota 1. Incarnatio variis nominibus denotari solet. Respectu Dei Patris appellatur *Missio Filii* (8); *Dilectio Dei erga homines* (9); *Visitatio* (10); *Oeconomia*, seu *dispensatio*, quae vox apud veteres, praesertim Graecos usitatissima, denotat provi-

(1) In symb. exposit.
(2) Lib. contra serm. Fastid. c. 11.
(3) Io. 1, 14. (4) Is. 7, 14.
(5) Matth. 1, 21; Luc. 1, 31, etc.
(6) Dan. 9, 26; Io. 1, 41.
(7) Tract. 7 in Io. n. 13. (8) Io. 10, 36.
(9) Io. 3, 16. (10) Luc. 1, 58.

dam ac sapientem Dei erga genus humanum administrationem, seu clementissimam iudulgentiam hominibus ob Verbi incarnati merita concessam. — Respectu Filii dicitur *Exitus a Patre* (1); *Descensus de coelo* (2); *Apparitio* (3); *Manifestatio* (4); *Exinanitio* (5); *Inhumanatio* a S. Ambrosio (6); *Incorporatio* a Tertulliano (7). Respectu nostri nuncupatur *Habitatio in nobis* (8); *Conversatio nobiscum* (9); *Instauratio* (10); *Redemptio* (11).

Nota 2. Multi Theologi, dum tractatum de Incarnatione exordiuntur, primo de huius possibilitate, convenientia et necessitate agunt, ac dein ad eiusdem existentiam probandam, et ad reliqua dogmata de Verbo incarnato declaranda procedunt. Sed cum Incarnatio sit dogma purum et veri nominis mysterium, consultius esse videtur, ut primo doctrina revelata ex S. Scriptura et Traditione, Ecclesia duce, eruatur, explicetur et probetur, ac postea demum functiones rationales et tractationes speculativae subiungantur. Commendatur sane hic ordo per satis notum *S. Augustini* et *S. Anselmi* principium: « crede, ut intelligas: » ergo dogmata revelata de Incarnatione primum credere debemus, ut ad eorundem intelligentiam, quantum in hac vita fieri licet, evehi possimus. Imo si tota revelata de Incarnatione doctrina iam probe perspecta sit, etiam difficultates, quae contra illam ab adversariis moventur, et planius cognoscuntur, et facilius feliciusque confutantur.

CAPUT I.

DE DIVINITATE ET HUMANITATE CHRISTI

§ 274. Fundamenta totius de Incarnatione doctrinae constituunt duo dogmata catholica, quibus certi reddimur, Iesum Christum esse verum Deum, secundam Trinitatis personam, Filium Dei unigenitum, consubstantialem Patri; et eundem Iesum Christum esse simul verum hominem consubstantialem nobis. Qui unum, aut alterum ex his duobus dogmatibus inficiatur, totam Incarnationis theoriam evertit. Maximi itaque momenti est, ut ante omnia praefata duo dogmata solide probentur, quibus tanquam firmis basibus omnis doctrina de Incarnatione insistit.

(1) Io. 16, 28. (2) Io. 6, 38. (3) Tit. 2, 12.

PROPOSITIO I.

Iesus Christus est verus Deus.

§ 275. Propositio ista iam in Parte I, Sectione II, in qua de sacrosanto Trinitatis mysterio sermo fuit, inconcussis argumentis probata est, quae hic breviter indigitasse sufficit. Ex V. T. probatum fuit, illum, qui est verus Messias, iuxta clarissima Prophetarum effata, esse etiam verum Deum: sed Iesus Christus est verus Messias; ergo est etiam verus Deus (§ 79). — Ex N. T. sequens argumentatio deducta est: Ille est verus Deus, cui in S. Scriptura nomina Dei, attributa divina, opera divina et cultus divinus adscribuntur; sed haec omnia in divinis N. T. libris Iesu Christo adscribuntur: hic ergo est verus Deus (§ 80-84). Praeterea ostensum fuit, iam in tribus primis saeculis ubique et ab omnibus orthodoxis creditum fuisse, Iesum Christum esse verum Deum, quod Ecclesia in *Concilio Nicaeno I* solemniter definivit, et immobili fide semper professa est (§ 88-90). Ex utroque ergo Revelationis fonte divinitas Iesu Christi invicte demonstrata est, atque ulterius probatum fuit, Ie-

(4) I Tim. (5) Phil. 2, 7.
(6) L. 5 de fide c. 5. (7) L. de car. Chr.
(8) Io. 1, 14. (9) Baruch 3, 38.
(10) Eph. 1, 10. (11) Eph. 1, 7.

sum Christum esse secundam Trinitatis personam, quae *Filius Dei unigenitus*, *primogenitus*, et *proprius* in S. Scriptura, et *unicus* in Symbolo Apostolico dicitur, quia a prima persona, seu a Patre per generationem procedit (§ 100). Cum haec omnia iam sat fuse pertractata sint, non opus est, ut hic nova pro divinitate Christi argumenta afferantur. — Caeterum etiam in praesenti tractatu de Incarnatione complura tum S. Scripturae, tum Ss. Patrum et Conciliorum testimonia proponenda erunt, per quae prima haec propositio egregie confirmatur. Absonae quoque et impiae adversariorum cavillationes, quibus ostendere conantur, de Christo in Ss. Litteris nomina et attributa ob moralem duntaxat ipsius cum Deo unionem praedicari, optime per ea confutantur, quae contra haeresin Nestorii, et contra alios aberrantes dicenda erunt.

PROPOSITIO II.

Iesus Christus est verus homo.

§ 276. Iesum Christum verum hominem, nobis consubstantialem esse, sequentia argumenta invicte probant.

1. *Iuxta V. T. oracula*, ille, qui est verus Messias, est etiam verus homo. Saepissime enim Messias sub nomine *seminis* praenuntiatur, quod per synecdochen nonnisi verum hominem significare, indubium est. Iam enim prima Messiae promissio his verbis concepta fuit: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius; ipsa conteret caput tuum* (1). Similiter Messiae promissiones *Abrahamo* (2), *Isaaco* (3) et *Iacobo* (4) factae ita exprimuntur: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* Messias ergo vere a Patriarchis descendere, et unus ex horum posteris esse debuit, per quos nonnisi veri homines intelligi possunt. Ideo Messias etiam dicitur Moysi *similis* (5), *vir dolorum* (6), multaque alia de ipso praedicantur, quae nonnisi in vero homine adimpleri possunt (v. Th. gen., § 114-117). Quamobrem ipsi Iudaei nunquam dubitarunt, promissum Messiam verum hominem futurum esse. Atqui, uti ex probatis (Th. gen., § 141-148) constat, Iesus Christus est verus Messias, in lege veteri promissus et praenuntiatus: ergo est etiam verus homo.

2. *In N. T.* Iesus Christus talibus nominibus insignitur, quae ipsummet verum hominem esse manifeste probant. Frequenter enim semetipsum Christus *Filium hominis* nominat: *Venit Filius hominis quaerere, et salvum facere, quod perierat* (7). *Quem dicunt homines, esse Filium hominis* (8)? Filius hominis autem dici non potest, nisi qui perfectam naturam humanam participat. — Christus etiam appellatur *Filius Davidis* (9); imo et *fructus lumborum eius* (10). - *Homo* Christus expresse vocatur a seipso: *Quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum* (11); a Petro de Christo dicente: *Non novi hominem* (12); a Paulo: *Per unum hominem mors, et per unum hominem (Christum) resurrectio mortuorum* (13). *Unus mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus* (14). — Denique Christus nuncupatur *puer: Convenerunt..... adversus sanctum puerum tuum Iesum* (15); et *vir: Iu-*

(1) Gen. 3, 15. (2) Gen. 22, 18.
(3) Ib. 26, 3. (4) Ib. 28, 14.
(5) Deut. 18, 18. (6) Is. 53, 3. (7) Luc. 19, 10.
(8) Matth. 16, 13. — Cf. Matth. 8, 20, et 12, 32; Marc. 2, 10, et 8, 31; Luc. 5, 24, et 6, 5; Io. 1, 51, et 3, 13, etc.
(9) Matth. 1, 1; Luc. 1, 32.
(10) Act. 2, 30. (11) Io. 8, 40.
(12) Matth. 26, 72.
(13) 1 Cor. 15, 21. — Cf. v. 22.
(14) 1 Tim. 2, 5. — Item Rom. 5, 15.
(15) Act. 4, 27.

aicaturus est orbem terrarum in aequitate, in viro (1), nempe Iesu Christo.—Istae denominationes in sacris N. T. libris Iesu Christo tributae sat luculenta de vera ipsius humanitate testimonia ferunt.

3. *Ss. Patres* Christum sicut verum Deum, ita etiam verum hominem semper professi sunt. *S. Iustinus M.* (2) de Iesu Christo scribit: « Prius quidem Moysi et caeteris Prophetis in specie ignis et imagine incorporea visus est, nunc autem Augusti temporibus ex Virgine homo factus est secundum Patris voluntatem pro salute eorum, qui illi credunt. » *S. Ignatius M.* (3) ait: « In nomine Iesu Christi omnia haec sustineo, ut illi compatiar; ipse praebet mihi virtutem, qui in veritate homo factus est. » *Clemens Alex.* (4) dicit: « Nunc apparuit hominibus hic ipse (Λόγος, Christus), qui solus est ambo, Deus et homo. » *S. Cyprianus* (5) ait: «Iesus Christus igitur et est Filius Dei et filius hominis, Deus simul et homo. » *Eusebius Caesar.* (6) ita de Christo loquitur: « Servator sic ad hominis naturam accessit, ut neque suam ipse naturam exuerit, neque videntibus errorem ullum obtulerit, sed ambo illa, hoc est, tam quod cerni oculis non poterat, quam quod sub aspectum cadebat, vere retinuerit: idem enim et verus homo cernebatur et verum simul Dei Verbum erat. » *S. Athanasius* (7) inquit: « Filius Dei homo factus est, non in hominem venit, ne forte impii aliqui existiment quemadmodum olim Verbum in unumquemque Sanctorum descendit, ita etiam in hominem venisse, ut eum Sanctum redderet, quod in aliis contigit. Sed Dei verbum et Filius hominis fieri non renuit... et cum in fine saeculorum ad destruendum peccatum ex Maria prodiit... tunc dictum est, ipsum, carne assumpta, hominem factum esse. » *S. Gregorius Naz.* (8) ita loquitur: « Crede Dei Filium, Verbum illud omnibus saeculis antiquius... extremis diebus hominis quoque filium tua causa factum esse..... totum hominem eundem, et Deum, pro toto homine laeso, ut tota peccati damnatione rescissa tibi salutem afferat. » *S. Basilius* (9) ait: « Ne igitur fratrem in redemptionem quaeras, sed aliquem, qui tuam excedat naturam, neque hominem nudum, sed hominem Deum Iesum Christum. » *S. Ambrosius* (10) ita disserit: « Servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur, quae sunt divina; quasi homo dicit, quae sunt humana, quia in mea substantia loquebatur. » *S. Augustinus* (11) dicit: « Christus Iesus Dei Filius est et Deus et homo: Deus ante omnia saecula, homo in nostro saeculo: Deus, quia Dei Verbum, *Deus* enim erat *Verbum* (12); homo autem, quia in unitatem personae accessit Verbo anima rationalis et caro. » *Vincentius Lirin.* (13) ait: « Idem Christus est Deus et homo... idem ex Patre ante saecula genitus, idem in saeculo ex matre generatus, perfectus Deus, perfectus homo: in Deo summa divinitas, in homine plena humanitas. »

4. *Ecclesia* sicut divinitatem, ita et humanitatem Christi tum in Symbo-

(1) Act. 17, 31. (2) Apol. 1, n. 63.
(3) Ep. ad Smyrn. n. 4.
(4) Cohort. ad gent. 1, 10.
(5) De idolorum vanit.
(6) Lib. 13 Praep. Evang.
(7) Orat. 3, c. Arian. n. 30 etc.
(8) Orat. 40, n. 46 (9) In Ps. 48, n. 4.
(10) L. 2 de fide c. 9, n. 77.
(11) In Enchir. cap. 13 (al. 35).
(12) Io. 1. (13) Commonit. n. 13.

lis, tum in Conciliis credendam proponit. In Symbolo *Nicaeno-CPtano* professio fidei exhibetur in Filium Dei unigenitum, Patri consubstantialem, *qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelo, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.* In Symb. *Athanasiano* dicitur: *Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius Deus, et homo est... perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.* Oecumenicum Concilium *Chalcedonense*, Act. 5, fidem catholicam de Iesu Christo his verbis enunciat: *Sequentes igitur Ss. Patres..... constanter omnes docemus eumdem perfectum in Deitate, et eundem perfectum in humanitate, Deum vere, et hominem vere, eundem ex anima rationali, et corpore, consubstantialem Patri secundum Divinitatem, et consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato* (1).

5. *Ratio theologica* allatis argumentis addi, ac ita proponi potest. Iesus Christus est verus homo, si omnia substantialia hominis, scilicet corpus humanum et anima humana in ipso inveniuntur. Sed in Iesu Christo substantialia hominis, corpus humanum et anima humana vere inveniuntur: ergo est verus homo. — Propositio maior probatione non indiget; ubi enim essentialia, seu substantialia rei adsunt, ibi ipsam quoque rem adesse, manifestum est. Propositio minor ex ipsa Revelatione probanda est, ut novum inde argumentum exurgat. Idcirco 1° *de corpore Christi humano*, et 2° *de anima Christi humana* disserendum est, quibus 3° recte adiicitur tractatus de modo, quo Christus conceptus et genitus fuit, seu tractatus *de Virginitate Mariae Matris Christi.*

Nota. Supervacaneum profecto non est, ut sacrosanctam humanitatem Christi, quamvis ex iam adductis argumentis satis probata sit, etiam per partes suas essentiales attente consideremus. Hoc ipsum enim ad perfectam Christi cognitionem maxime requiritur. Nullatenus igitur in tanti mysterii consideratione unquam torpeamus, quod omnem nostram attentionem et exigit et meretur. Nam ait Apostolus: *Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (2).

ARTICULUS I.
De Corpore Christi.

§ 277. Multi iam in primis saeculis extiterunt haeretici, qui Iesu Christo verum et solidum corpus abiudicarunt, et fictum duntaxat, umbratile, seu phantasticum attribuerunt. Aberrantes isti communi nomine *Docetae*, seu *Phantasiastae* dicti sunt. Horum antesignanus a multis creditur *Simon Magus*, quod innuere videntur *S. Irenaeus* (3), *S. Cyrillus Hier.* (4) et *S. Augustinus* (5), cuius autem verba huc spectantia a Criticis recentioribus ut suppositicia habentur (6). Certum autem est, praefatum errorem propugnasse *Saturninum*, de quo *S. Epiphanius* (7) scribit: « Quod ad Christum attinet, eiusdem impostoris esse dogma, cum sola illum hominis figura atque effigie venisse, omniaque ab eo specie tenus peracta fuisse, cuiusmodi sunt nasci, ambulare, vi-

(1) Hebr. 4, 15. (2) 1 Tim. 3, 16.
(3) L. 1 adv. haer. c. 24 (al. 20).
(4) Catech. 6. (5) L. de haer. c. 1.
(6) V. Gazzan. Prael. theol. t. 5, p. 69 in nota.
(7) L. 1 de haer. 23.

deri, pati.» Eandem impiam doctrinam *S. Epiphanius* (1) tribuit *Basilidi*. De *Marcione* eiusque gregalibus *Tertullianus* (2) testatur, quod dixerint, « Christum in substantia corporis non fuisse, et phantasmate tantum quasi passum fuisse. » *Manichaei*, teste *S. Augustino* (3), asseruerunt, « Christum novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora, liberandas; nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus praebuisse, ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem mentiretur. » Eundem errorem tenuerunt *Priscillianistae*, de quibus ita loquitur *S. Leo* (4): « Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quamdam illusionem ostentata videri volunt, quae vera non fuerint, sequentes dogma Cerdonis atque Marcionis, et cognatis suis Manichaeis per omnia concordantes. » — Alii haeretici, ut *Valentinus, Apelles, Secundus, Bardesanes* etc., Christo corpus quoddam attribuerunt; ast non humanum, sed aethereum; non de substantia matris sumptum, sed de coelo allatum. De *Valentino* scribit *Tertullianus* (5): « Christum dicit in substantia corporis nostri non fuisse, sed spirituale nescio quod corpus de coelo deferentem, quasi aqua per fistulam, sic per Mariam transmeasse, inde nihil vel accipientem, vel mutuantem: » idem de *Valentino* testatur *S. Epiphanius* (6). - De *Apelle Tertullianus* (7) scribit: « Christum neque in phantasmate dicit fuisse sicut Marcio, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet; sed in eo, quod e superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem et aëream contexuisse. Hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quae in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse. » — Denique extiterunt etiam haeretici, qui negarunt, Christi corpus pati et dolores sentire potuisse. Sic *Iulianus Halicarnensis*, Eutychianorum haeresi addictus asseruit, carnem Christi fuisse incorruptibilem et impassibilem: unde eius sectatores *Incorrupticulae* dicti sunt. — Contra enumeratos haereticos iam probandum est, Christum habuisse *corpus humanum verum et solidum, ex substantia Matris susceptum, passioni et doloribus obnoxium.*

(1) Haer. 24. (2) L. de praescript. c. 46.
(3) L. de haer. c 46.
(4) Ep. 93 ad Turrib. c. 4.
(5) L. de praescript. c. 49.
(6) Haeres. 31, n. 7. (7) Ib. c 51.

I. *Christus verum corpus assumpsit, nobis consubstantiale.*

§ 278. Longe a veritate aberrant, qui Christo apparens duntaxat, umbratile, aut phantasticum corpus adscribunt. Nam ex utroque Revelationis fonte invicte probatur, Christum non solam speciem seu apparentiam, sed veram substantiam corporis humani assumpsisse, et carnem veram, solidam, expressam ac palpabilem induisse.

1. *S. Scriptura* id clare testatur. Io. I, 14 legitur: *Verbum caro factum est; si factum*, ergo non umbratilis, nec phantastica caro fuit, sed vera, et realis. Rom. I, 3 de Christo Filio Dei dicitur: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem;* et Rom. IX, 5: *ex quibus* patribus *est Christus secundum carnem;* ast non posset Christus factus ex semine David et ex patribus descendens *secundum carnem* dici, si haec apparens tantum, et non vera et realis fuisset. Ubique Iesu Christo verum corpus humanum tribuitur. Ipse-

met de Magdalena dicit: *Praevenit ungere corpus meum in sepulturåm* (1): *Ille autem dicebat de templo corporis sui* (2). Matth. XXVII, 58 etc. legitur de Iosepho ab Arimathaea: *Petiit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et, accepto corpore, involuit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento.* Petrus de Christo ait: *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum* (3). Paulus de Christo inquit: *Reconciliavit* (vos) *in corpore carnis eius per mortem* (4). Idem Christo applicat verba Ps. XXXIX, 7, dicens: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi* (5) etc. Hostiae porro et oblationes legis veteris non fictae erant, non umbratiles; tametsi figurae verae hostiae, quam Christus in ara crucis oblaturus erat: ergo ut veritas umbris ac figuris responderet, necesse fuit verum ac solidum in Christo corpus fuisse. — Praeterea singillatim quoque humani corporis partes Christo attribuuntur, ut caput: *Unguentum effudit super caput ipsius recumbentis* (6); facies: *Procidit in faciem suam* (7); os: *Aperiens os suum docebat eos* (8); oculi: *Et ipse elevatis oculis in discipulos suos dicebat* (9) etc; manus: *Extendens Iesus manum, tetigit eum* (10); digiti: *Misit digitos suos in auriculas eius* (11); pedes: Iesus Simoni de Magdalena dicit: *Intravi domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: haec autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit* (12); pectus: *Recubuit super pectus eius* (Iesu) (13); latus: *Unus militum lancea latus eius aperuit* (14); sanguis: *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur* (15); *Quia ergo pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse* Christus *similiter participavit eisdem* (16). Denique inter haec testimonia locus plane decretorius est Luc. XXIV, 39, ubi Christus post suam resurrectionem apparens discipulis, et ipsum phantasma esse credentibus reposuit: *Videte manus meas, et pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Recte igitur S. Ioannes eum, qui Iesu Christo verum et reale corpus denegat, huius adversarium et extorrem salutis declarat; ait enim: *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: et omnis spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est; et hic est Antichristus* (17); et scribit: *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur, Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, et Antichristus* (18).

2. *Ss. Patres* Christo verum et reale corpus humanum adscribunt, eosque, qui illi corpus duntaxat apparens et phantasticum tribuunt, ut hæreticos condemnant. *S. Ignatius M.* (19) scribit: « Cognovi vos perfectos in fide immota... plene persuasos in Dominum nostrum vere existentem de genere Davidis secundum carnem »... et (20) qui « vere passus est, sicut et vere semetipsum resuscitavit, non ut quidam infideles dicunt, secundum apparentiam ipsum passum esse etc. » *Tertullianus* (21), illos qui phantasticum et apparens corpus Christo adscribunt, reprehen-

(1) Marc. 14, 8. (2) Io. 2, 21
(3) 1 Ep. 2, 24. (4) Col. 1, 22.
(5) Hebr. 10, 5. (6) Matth. 26, 7.
(7) Ib. c. 39. (8) Matth. 5, 2.
(9) Luc. 6, 20. (10) Matth. 8, 3.
(11) Marc. 7, 33. (12) Luc. 7 44.
(13) Io. 21, 20. (14) Io. 19, 34.
(15) Matth. 26, 28. (16) Hebr. 2, 14.
(17) 1 Ep. 4. 2 etc. (18) 2 Ep. v. 7.
(19) Ep ad Smyrn. n. 1.
(20) N. 2. (21) L. de carne Christi c. 5

dit, quod Christum mendacem inducerent, et addit: « Maluit, crede, nasci, quam ex aliqua parte mentiri, et quidem in semetipsum, ut carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica vestitam, sine fame esurientem, sine dentibus edentem, sine lingua loquentem, etc. » (1). *S. Irenaeus* (2) scribit: « Vani sunt, qui putative dicunt Christum apparuisse: non enim putative haec, sed in substantia veritatis fiebant. Si autem cum homo non esset, apparebat homo, — neque veritas quaedam erat in eo; non enim illud erat, quod videbatur. » *Origenes* (3) ita loquitur: « Christus corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solum differens, quod natum ex Virgine de Spiritu sancto est. Et quoniam Iesus Christus natus et passus est in veritate, communi hac morte vere mortuus est, vere etiam a mortuis resurrexit, et post resurrectionem cum discipulis conversatus, assumptus est. » *S. Cyrillus Hier.* (4) dicit: « Crede, quod hic unigenitus Dei Filius propter peccata nostra de coelo descendit in terram, et earundem affectionum cum nobis assumpsit humanitatem — non opinione, non phantasia humanitatem assumpsit, sed in veritate. » *S. Hieronymus* (5) ita praeclare disserit: « Si iuxta Marcionem et Manichaeum Dominus noster non est natus ex Virgine, sed visus in phantasmate, quomodo nunc Apostoli timent, ne phantasma videant?... Qui putant, Domini corpus non ideo esse verum, quia super molles aquas molle et aëreum incesserit, respondeant, quomodo ambulaverit Petrus, quem utique verum hominem non negabunt. » *S. Augustinus* (6) ita recte argumentatur: « Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus; et si fefellit veritas non est. Est autem veritas Christus, non ergo phantasma fuit corpus eius. » Christum non phantasticum, sed verum et reale corpus humanum assumpsisse, satis clare definivit Concilium Chalcedonense in citato decreto fidei, in quo vocat Christum *consubstantialem nobis secundum humanitatem.*

Nota. Obiectiones Docetarum facile est confutare.

Obi. I. Christus dicitur: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (7); et Rom. VIII, 3 legitur: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati;* ergo Christus veram carnem non assumpsit, sed externa tantum specie nostrae similem.

Resp. Nomen similitudinis in S. Scriptura frequentius ipsam veritatem significat, quam externam tantum speciem. Sic dum Adam dicitur genuisse filium *ad imaginem, et similitudinem suam* (8), Setho vera et realis natura humana non negatur, sed asseritur, et cum Christus dicitur *imago Patris* (9), illius consubstantialitas cum Patre non tollitur, sed affirmatur. Eodem modo nomen similitudinis Phil. II, 7 naturae veritatem significat, ut ex adiunctis patet; subiungitur enim v. 8: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;* ast summam illam humilitatem, et obedientiam non exercuisset, neque mortem subiisset crucis, si solum specie tenus fuisset homo. Certe nobis dicitur similis, quomodo dicitur aequalis Patri; v. 6: *Non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semeti-*

(1) Cf. lib. 3 c. Marcio.
(2) L. 5 adv. haer., c. 1.
(3) L. 1 de princip. c. 2, n. 1.
(4) Catech. 4 n. 9.
(5) Comm. in Matth. 14, 26.
(6) Lib. 83 qq., quaest. 14.
(7) Phil. 2, 7.
(8) Gen. 5, 3.
(9) Colos. 1, 15.

psum exinanivit formam servi accipiens (cum in forma Dei esset): atqui aequalitas illa significat eandem esse Filii, Patrisque substantiam: ergo et ista similitudo significat eandem esse Christi hominumque naturam, ut observat S. *Augustinus* (1). — Alterum textum Rom. VIII, quod attinet, similitudo illa non refertur ad carnem secundum se, sed ad carnem peccati, quia caro Christi vera quidem fuit caro, sed apparenter tantum caro peccati. Ita iam *Tertullianus* eandem obiectionem sustulit (2), dicens: « Non quod Apostolus *similitudinem carnis* acceperit, quasi imaginem corporis, non veritatem, sed similitudinem peccatricis carnis, vult intelligi, quod ipsa non peccatrix caro Christi eius fuit par, cuius erat peccatum.... et in Christo sine peccato habebatur, quae in homine sine peccato non habebatur. »

Obi. II. I Cor. XV, 50 dicitur: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt;* absonum ergo est, Christo, cuius est regnum Dei, carnem et sanguinem tribuere. Quae hac de re in S. Scriptura leguntur, in sensu improprio intelligenda sunt; *Verbum* enim eo sensu *caro factum est*, quo Christus a Paulo pro nobis factus dicitur *peccatum* (3), et *maledictum* (4). Apostolus ipse fatetur, se aliquamdiu veram et realem carnem in Christo agnoscendam esse putasse, sed ab errore isto absurdo resipuisse; ait enim: *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem, et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus* (5). Ergo non vera, et realis, sed apparens tantum caro in Christo est agnoscenda.

Resp. Per carnem et sanguinem saepe in Ss. Litteris non substantia carnis, sed corruptio naturae, spiritui recto, seu verae sanctitati opposita, intelligitur (6). In isto sensu verba Apostoli I Cor. XV, 50 sunt intelligenda, quod patet ex contextu, quoniam v. praec. admonemur, ut non Adamum peccatorem, sed Christum innocentem imitemur. Non ergo ipsa carnis substantia, sed opera carnis ab Apostolo damnantur, quae nullum habebant in Christo locum. Si in sensu adversariorum citata verba exponerentur, Paulus sibi ipsi aperte contradixisset, cum in eodem capite carnis resurrectionem praedicet, et etiam iustorum hominum corpora in coelo glorificanda esse dicat v. 21, etc. Male itaque Phantasiastae verbis Pauli abutuntur, ut carnem et sanguinem Christo abiudicent. Falsum etiam est, eodem sensu *Verbum caro factum* dici, quo Christus dicitur factus *peccatum* et *maledictum*. Nam ipse Apostolus l. c. aperte explicat, quo sensu Christus dicatur factus esse peccatum; ait enim: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso;* quibus verbis declaratur Christum, qui fuit *sanctus, innocens, impollutus*, etc. (7), non in se peccatum fuisse, sed peccatum dici, quia Deus Pater poenas peccatis nostris debitas in ipsum transtulerat. Simuiter Christus dicitur *factus pro nobis maledictum* (8), non quoad se, sed quoad nos, quia dum passus est pro maledictis, factus est maledictum et execrabilis Iudaeis propter supplicium crucis. *Verbum* autem in vero et proprio sensu *caro factum est;* tantum enim abest, ut haec sententia alibi in

(1) Tract 51 in Ioann.
(2) L. de carne Christi c. 16
(3) 2 Cor. 5, 21. (4) Gal. 3, 13.
(5) 2 Cor. 5, 16.
(6) Matth. 16, 17; 26, 41; Gal. 1, 16, etc.
(7) Heb 7, 26, (8) Gal. 3, 13.

sensu improprio aut figurato exponatur, ut potius Christo ubique verum et reale corpus attribuatur, uti allata argumenta probant. — Locus II Cor. V, 16 equidem obscurus est, sed adversariis nullo modo favet. Recte enim *S. Augustinus* (1) mirari se dicit, Manichaeos caecos non videre, « quia si Christus ideo non habuit carnem, quia dixit Apostolus, nunc iam non se nosse Christum secundum carnem, nec illi habuerunt carnem, de quibus in eodem loco dicit: *itaque nos amodo neminem novimus secundum carnem.* » aliter ergo verba Pauli intelligenda sunt, quorum sensus est: *si Christum* nobis praesentem *cognovimus*, dileximus, eique adhaesimus secundum carnales, seu humanos cordis nostri affectus, sicut amicus amicum diligit; nunc iam talis affectus per Spiritum sanctum cessavit in nobis: « Hoc, ait *S. Thomas* (2): Apostolus in aliorum persona dicit discipulorum, qui carnales erant, et ipsi Christo apud eos praesenti secundum carnalem affectum adhaerebant. » Aliam vero eiusdem loci interpretationem affert *Estius*, et maxime probabile existimat, quod *S. Paulus* reprehendere voluerit quosdam pseudoapostolos Iudaeos, qui gloriabantur, quod Hebraei essent, et ex semine Abrahae secundum carnem, de quo uberius disserit cap. XI, v. 22; se autem dicit neminem noscere *secundum carnem*, seu minime gloriari, quod ex istis descenderit secundum carnem, imo se affectus quoque carnales erga Christum deposuisse, ac modo hunc revereri, et diligere, non quia Hebraeus, aut Rex terrenus, sed quia Filius Dei, et Redemptor mundi est. In utraque expositione vera eius caro non negatur.

(1) L. 7 c. Faustum c. 7. (2) In h. l.
(3) Io. 19, 41. (4) Io. 8, 56.

Obi. III. Verbum divinum saepius apparuit in veteri Testamento in specie humana, quin tamen humanam carnem haberet. Quod enim dicit Isaias VI, 1: *Vidi Dominum sedentem* etc.: a S. Ioanne explicatur de Iesu Christo(3); et de Abrahamo Christus ipse dicit: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit et gavisus est* (4). Cum ergo illae apparitiones fuerint figurae Incarnationis postea futurae, recte dicitur, etiam in ipsa Incarnatione Verbum apparuisse non secundum corporis veritatem, sed secundum solam imaginationem et apparentiam. Id confirmatur ex eo, quia etiam Angeli leguntur apparuisse sub specie humana, manducasse, bibisse, omniaque illa praestitisse, quae ab hominibus per carnem effici solent, quin tamen ullum inde mendacium, aut inconveniens consecutum fuerit, quod praecipue exemplo Angeli Raphaëlis Tobiae comitis probatur. Nihil ergo impedit quominus etiam Christus eodem modo inter homines conversatus esse dicatur.

Resp. Huic obiectioni respondet *S. Thomas* (5) dicendo: « quod figura debet respondere rei quantum ad similitudinem, non quantum ad rei veritatem: si enim secundum omnia esset similitudo, iam non esset signum, sed ipsa res, ut *Damascenus* dicit (6): Conveniens ergo fuit, ut apparitiones veteris Testamenti essent secundum apparentiam tantum quasi figurae; apparitio autem Filii Dei in mundo esset, secundum corporis veritatem, quasi res figurata per illas figuras. Unde dicit Apostolus: *Quae sunt umbra futurorum; Corpus autem Christi* (7). » Hinc *S. Irenaeus* (8) ex

(5) 3, q. 5, a. 1 ad 3
(6) Lib. 3, orth. fid. c. 26. (7) Coloss. 2, 17
(8) Lib. 5 adv. haer., c. 1.

veteribus apparitionibus futurae Incarnationis praenuntiis argumentum efficax trahebat, ut contra Phantasiastas veram Christi carnem probaret, dicens: « Si enim et nunc talis apparuit, non existens quod videbatur, quaedam prophetica visio facta est hominibus, et oportet alium expectare adventum eius, in quo talis est, qualis nunc visus est prophetice. » Inter Angelorum apparitiones et Christi incarnationem maxima dantur discrimina. Nullus enim Angelus dicitur caro factus, nec alicuius genealogia describitur: de Christo autem et illud legitur (1), et genealogia exhibetur (2). Angeli brevi tempore conversati sunt cum hominibus, neque unquam se veros homines esse professi sunt, imo clara dederunt indicia, se a Deo missos humanam tantisper figuram assumpsisse, ut Raphaël ad Tobiam dixit: *Videbar quidem vobiscum manducare, et bibere, sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor* (3). Ast Christus per 33 annos cum hominibus conversatus est, saepissime se filium hominis professus est, et nullibi in Ss. Litteris indigitatur, eius carnem phantasticam duntaxat et apparentem fuisse: ergo ex Angelorum apparitionibus nil contra veritatem Incarnationis inferri potest.

II. *Corpus Christi ex substantia Matris formatum fuit.*

§ 279. Falsum omnino est, quod nonnulli haeretici dixerunt, corpus Christi ex coelesti substantia formatum, per Mariam tanquam per fistulam transiisse, et nihil ex ea sumpsisse. Iuxta doctrinam catholicam, Corpus Christi in utero B. Mariae ex eius substantia formatum est; id enim *S. Scriptura* docet, et *constans Traditio* confirmat.

1. Veteribus Patriarchis promissus est Messias nasciturus ex eorum semine (Th. gen., § 105). Divinas porro has promissiones omnino fuisse completas Ss. Litterae N. T. testantur. Dicitur enim Christus *Filius David, filius Abraham* (4). *Qui* (Filius Dei) *factus est ei ex semine David secundum carnem* (5); *Ex quibus* (Patribus) *est Christus secundum carnem* (6). Atqui Christus nullatenus dici posset ex patribus et ex semine David secundum carnem factus, nisi ex Maria, quae erat de domo et familia David, originem traxisset. Ne ergo blasphemo modo dicatur, promissiones divinas impletas non fuisse, Christus dicendus est non ex materia coelesti, sed ex substantia Matris corpus suum suscepisse. Hoc ipsum ex historia evangelica elucet. Angelus enim Gabriel dixit ad Mariam Virginem: *Ecce concipies, et paries Filium* (7); foemina autem, quae dicitur concipere et parere filium, iuxta omnes Philosophos, huic materiam carnis subministrat; ergo hoc idem etiam de B. V. Maria dicendum est. Ideo Matthaeus, cum Patriarcharum generationes recensuisset, ultimo nominat *Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus* (8). Luc. II, 7 de Maria dicitur: *Peperit Filium suum primogenitum:* non posset autem Christus Filius Mariae dici si ex huius substantia carnem suam non suscepisset. Clarissime denique rem proponit S. Paulus dicens: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* (9); « neque audiendi sunt, ait *V. Beda* (10), qui legendum putant: natum ex muliere, factum sub lege: sed *factum ex muliere*, quia conceptus ex utero virgina-

(1) Io. 1, 14. (2) Matth. 1. (3) Tob. 12, 18. (4) Matth. 1, 1. (5) Rom. 1, 2. (6) Ib. 9, 5. (7) Luc. 1, 31. (8) Matth. 1, 16. (9) Gal. 4, 4. (10) L. 4 in Luc. c. 49

li carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne; alioquin nec vere filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. » Quoniam autem Christus vere ex Maria carnem suscepit, ideo recte appellatur *semen mulieris* (1); *semen Abrahae* (2); *filius Davidis* (3); *fructus lumborum eius* (4); *filius Mariae*, et *fructus ventris eius* (5).

2. *Ss. Patres* contra Valentinianos strenue defenderunt, corpus Christi in utero Mariae ex huius substantia formatum esse. *S. Irenaeus* (6) ait: « Si non accepit Christus ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis... Caeterum supervacua est in Mariam descensio eius. Quid enim in eam descendebat, si nihil moliebatur sumere ab ea? aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquam eas quae a terra erant, percepisset escas, per quas id, quod a terra sumptum est, corpus nutritur; nec quadraginta diebus, ut Moyses et Elias, ieiunans esuriisset corpus eius suam quaerens escam. » *Tertullianus* in Apologet. (7) scribit: « Iste igitur Deus... delapsus in Virginem quamdam et in utero eius caro figurata, nascitur homo Deo mixtus, etc. Et lib. de carn. Chr. (8) inquit: Si humana non fuit, nec ex homine (caro eius), non video ex qua substantia ipse se Christus hominem, et Filium hominis pronunciavit. Et alibi (9) ait: Quam debemus et possumus agnoscere in Christo carnis qualitatem? utique non aliam quam Abraham, siquidem semen Abraham Christus; nec aliam quam Iesse, siquidem ex radice Iesse flos Christus; nec aliam quam David, siquidem fructus ex lumbis David Christus; nec aliam quam e Maria, siquidem ex Mariae utero Christus. » *S. Athanasius* (10) dicit: « Verbum cum ad nos venit, ex Virgine sibi ipsi corpus formavit, ut omnibus non parvum suae divinitatis argumentum exhiberet, ut scilicet inde pateret eum qui corpus illud formaverat, aliorum quoque corporum opificem esse. » *S. Gregorius Naz.* (11) scribit: « Si quis Christum per Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem in ea divino simul et humano modo formatum esse dixerit, divino, quia absque viri opera, humano, quia humani conceptus lege, aeque atheus est. » *S. Ambrosius* (12) ait: « Adversus omnes (haereticos) generalis ista est fides, quia Christus est Dei Filius et sempiternus ex Patre, et natus ex Virgine. » *S. Hieronymus* (13) dicit: « Diligenter attendite, quod non dixerit *factum per mulierem*, quod Marcion et caeterae haereses volunt, quae putativam Christi carnem simulant, sed *factum ex muliere*, ut non per illam, sed ex illa natus esse credatur. » *S. Cyrillus Alex.*, in Epistola ad Nestorium quam adoptavit, et ratam habuit oecumenica Synodus Ephesina, scribit: « Non dubitarunt (Ss. Patres) sacram Virginem Deiparam appellare, non quod Verbi natura, ipsiusve Divinitas ortus sui principium ex S. Virgine sumpserit; sed quod sacrum illud corpus, anima intelligente perfectum, ex ea traxerit, cui et Dei Verbum secundum hypostasin unitum secundum carnem natum est. » Hanc veritatem etiam Symbola et Concilia confirmant. Nam in Symbolo Apostolico dicitur de Christo: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine:* in Nicaeno: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex*

(1) Gen. 3, 15. (2) Gen. 12, 3.
(3) Matth. 1, 1. (4) Act. 2, 30.
(5) Luc. 1, 42. (6) L. 3 adv. haer. c. 32.
(7) C. 21. (8) C. 15. (9) C. 22.
(10) L. de Incarn. Verbi n. 18.
(11) Ep. 101 ad Cledon. n. 4.
(12) Lib. de Incarn. dom. cap. 5.
(13) Comment. in Gal. 4, 4.

Maria Virgine, et homo factus est: in Athanasiano: *Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia Matris in saeculo natus.* Concilium *Toletanum I* anno 400 habitum, cap. 21 in professione fidei dicit: *Credimus... Filium Dei Deum natum a Patre ante omne omnino principium sanctificasse uterum Virginis Mariae, atque ex ea verum hominem sine virili generatum semine suscepisse.* In Concilio Florentino *Eugenius IV* in decreto pro unione Iacobit. dicit: *Sacrosancta Ecclesia anathematizat Valentinum asserentem, Dei Filium nihil de Virgine matre cepisse, atque ita transiisse per uterum Virginis, sicut per aquaeductum defluens aqua transcurrit.*

Nota. Saeculo XVI Valentini errorem iamdiu in inferis consepultum excitarunt *Anabaptistae* dicentes, Christum de corpore Virginis nihil accepisse, sed tantum per illius uterum transiisse sicut lux per vitrum, ideoque de Christo dici: *Erat lux vera* (1). Quin *Mennon* quidam Frisius gente ex secta Anabaptistarum stulte asseruit, corpus Christi ex ipsa Dei Patris substantia delatum fuisse in uterum Mariae. - Iam quae a veteribus et recentibus adversariis doctrinae catholicae opponuntur, breviter indicare et confutare oportet.

Obi. I. Christus Nicodemo plura dixit, quibus eum docuit, se non terrenam et materialem, sed coelestem et spiritualem carnem habere, quia non ex carne, sed ex spiritu natus erat; ait enim: *Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est* (2): repugnat ergo dicere, Christum ex carne Matris esse, sicut repugnat asserere, Christum carnem esse. Ideo Christus ipse frequenter affirmat, se a coelo descendisse, ut: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo Filius hominis qui est in coelo* (3); et alib.: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi* (4). Ast Iesus Christus non descendit de coelo secundum divinam naturam, quia semper est in sinu Patris, immensus et omnipraesens: ergo descendit secundum humanam naturam, secundum quam etiam ascendit in coelum. Nullo autem modo de coelo descendisse dicendus esset, si corpus suum ex Matre suscepisset.

Resp. Verba Christi doctrinae catholicae nullatenus adversantur. Priora enim verba (5) manifeste respiciunt spiritualem generationem, qua homines carnaliter nati iterum debent spiritualiter nasci ex aqua et Spiritu Sancto: prima nativitate habemus vitam carnalem, secunda spiritualem, unde dicitur: *Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Non ergo repugnat, Christum ex Maria carnem sumpsisse, sicut non repugnat, quod idem Evangelista scripsit. *Verbum caro factum est.* — Quamvis porro Christus vere ex Matre carnem suscepit, tamen tum quoad naturam divinam, tum quoad naturam humanam recte dicitur de coelo descendisse: Deus enim, licet immensus sit, tamen *descendere* dicitur, dum in quodam loco speciali modo operatur, seu praesentiam suam manifestat (Cf. § 24 ad obi. 2), quod utrumque per Verbum incarnatum specialissimo modo factum est. Ipsa quoque humanitas Christi recte dicitur aliquo sensu descendisse de coelo, quatenus non virili commercio, sed coelesti virtute in utero Virginis formata est. Ita contra allatam obiectionem argumenta-

(1) Io. 1. (2) Io. 3, 6. (3) Ib. v. 13. (4) Io. 6, 41. (5) Io. 3, 6.

tur *S. Thomas* (1) dicens: «Christus dicitur de coelo descendisse dupliciter. Uno modo ratione divinae naturae, non ita, quod natura divina in coelo desierit, sed quia in infimis novo modo esse coepit, scilicet secundum naturam assumptam, secundum illud Io III, 13. Alio modo ratione corporis, non quia ipsum corpus secundum suam substantiam de coelo descenderit, sed quia virtute coelesti, id est Spiritu sancto est eius corpus formatum. »

Obi. II. Corpus Christi dicitur natum *in Maria*, non *ex Maria*. Angelus, referens Iosepho hoc arcanum incarnationis mysterium, ait: *Quod in ea* (Virgine Maria) *natum est de Spiritu sancto est* (2); ergo corpus Christi non fuit formatum ex substantia matris.

Resp. S. Scriptura sicut in Maria, ita etiam de Maria et ex Maria Christum natum dicit. Nam legitur: *De qua* (Maria) *natus est Iesus* (3), et Angelus dixit Mariae: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (4). Isti ergo loquendi modi sibi non contradicunt, sed idem enuntiant. Merito igitur *Tertullianus* (5) hanc adversariorum obiectionem vanam appellat «tortuositatem», eamque confutat, dicens: « In ea enim erat, quod erat ex ea. »

Obi. III. Christus ipse, cum in terris nobiscum versaretur, satis indicavit, se corporis sui originem Mariae non debere. Ideo Mariam nunquam appellavit Matrem suam, sed in Cana Galilaeae ad eam dicit: *Quid mihi, et tibi est mulier* (6)? et in cruce pendens: *Mulier, ecce filius tuus* (7); imo Matrem et consanguineos aperte abnegavit, dicens: *Quae est Mater mea, et qui sunt fratres mei? — Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et Mater est* (8). Non ita Christus loqui potuisset, si Maria ipsi carnem dedisset, et vera eius Mater extitisset.

Resp. Quotiescunque Christus se Filium hominis professus est, Mariam implicite vocavit Matrem suam. An vero conceptis verbis eam vocaverit Matrem suam, Evangelia id quidem non produnt, sed neque inficiantur: ipso facto Christus Mariam ut Matrem veneratus est, quia erat subditus illi (9). Praeterea omnino certum est, Mariam a S. Ioanne diserte appellari Matrem Christi; ait enim: *Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius* (10) etc.; et: *Cum vidisset ergo Iesus Matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae* (11) etc. Ex locis autem, quae nobis obiiciuntur, nihil contra Matris dignitatem inferri potest. Cum enim Christus (12) dixit ad Matrem: *Quid mihi* etc., non negavit, Mariam esse suam Matrem, sed apposite ad circumstantias temporis et miraculi, quod mox operaturus erat convertendo scilicet aquam in vinum in nuptiis Canae Galilaeae (quod miraculum postulaverat B. Virgo) Christus reponit, nihil sibi et Matri ea in re commune esse, virtutem enim et potentiam tanti miraculi patrandi non a Matre per temporalem, sed a Patre per aeternam generationem accepit: ita *S. Augustinus* (13) inquit: « Nec nos ad negandam Christi Matrem cogit, quod ab eo dictum est: *Quid mihi, et tibi est mulier?* - sed admonet potius ut intelligamus, secundum Deum non habere eum Matrem, cuius maiestatis personam pa-

(1) 3, q. 5, art. 2 ad 1. (2) Matth. 1, 20.
(3) Matth. 1, 16. (4) Luc. 1, 35.
(5) L. de carne Chr. c. 20.
(6) Io. 2, 4. (7) Io. 19, 26.
(8) Matth. 12, 48. (9) Luc. 2, 51.
(10) Io. 19. v. 25. (11) Ib. v. 26.
(12) Io. 2, 4.
(13) L. de fide et symb. c. 4.

rabat ostendere, aquam in vinum vertendo.» Caeterum magnum Matri suae honorem exhibuit, cum ad eius intercessionem primum istud miraculum patravit, etsi nondum advenit hora eius. - Quoad verba in cruce prolata, nonnulli dicunt, Christum abstinuisse a dulci nomine Matris, ne Mariae dolores augeret; alii putant, Christum indicare voluisse, Mariam esse illam *mulierem*, iam in primordiis mundi praedictam (1), quae contritura erat caput serpentis; alii demum contendunt, Christum Mariam non appellasse Matrem suam, quoniam eam in hora mortis suae Ioanni, et in Ioanne fidelibus cunctis ut Matrem tradere constituit. - Denique (2) non negat sibi et matrem et fratres, seu consanguineos revera esse, sed citatis verbis innuit, matrem et fratres spirituales, qui legem Dei religiose observant, carnalibus longe anteponendos, et ex horum inordinato amore Religionis officia haud negligenda esse. Unde S. *Augustinus* (3) dicit: « Nec illud nos moveat, quod cum ei nuntiaretur mater eius, et fratres, respondit: *Quae est mater mea* etc.; sed potius doceat... parentes cum impediunt, non eos debere cognosci: » et (4): « Exemplum in se ipso praebuit, ut terreni generis necessitudinem propter regnum coelorum contemnerent. » Eodem modo, cum Christus mulieri exclamanti: *Beatus venter, qui te portavit* etc. reposuit *quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (5), Matris dignitatem non negavit, sed, ut observat S. *Augustinus* (6), implicite ideo eam beatissimam praedicavit, « quia Verbum Dei custodit. »

Obi. IV. Paulus I Cor. XV, 47 ait: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis:* ergo iuxta Apostolum sicut primus homo Adam de terra terrenus dicitur, quia corpus habuit de terra plasmatum, ita secundus homo Christus dicitur de coelo et coelestis, quia corpus coeleste de coelo attulit.

Resp. Apostolus non opponit primum hominem secundo homini secundum conditionem carnis, sed secundum conditionem vitae, quae in Christo tota fuit coelestis et divina, in Adamo autem magna ex parte terrena: ideoque Corinthios suos hortatur Apostolus, ut coelestem Christi vitam imitentur, dicens v. 49: *Igitur sicut portavimus* (ante baptismum) *imaginem terreni, portemus* (post baptisma susceptum) *et imaginem coelestis.* Atqui portare imaginem coelestis non possumus aptando nobis coeleste corpus, sed vitam Christi coelestem imitando: ergo certum est, secundum hominem *coelestem* a Paulo vocari non ratione corporis, sed ratione vitae coelestis. - Nonnulli autem putant, quod Apostolus vere inter corpus et corpus antithesim instituat; ast etiam haec interpretatio Valentinianis nullatenus favet. Nam antithesis instituitur non inter corpus, quod habuere Adam et Christus, sed inter corpus, quod habent in hoc saeculo homines prout sunt a primo homine geniti, nempe ab Adamo, et corpus quod in altero saeculo habebunt, cum mortui resurgent incorrupti, et imaginem Christi, a quo sunt regenerati, portabunt, aitque homines in hoc saeculo corpus habere *terrenum*, mortale et corruptibile, post resurrectionem vero habituros esse corpus *coeleste*, hoc est immortale et incorruptibile. Id patet ex contextu, quoniam de resurrectione in isto capite sermo est; ideo

(1) Gen. 3, 15. (2) Matth. 12, 48.
(3) Lib de fide et symb. c. 4.
(4) Lib. 7, c. Faustum. (5) Luc. 11, 27.
(6) Tract. 10, in Io.

Apostolus v. 44 dixerat: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale;* et v. 46: *Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale,* idest, prius habemus animale corpus, quale habuit Adam, imo et ipse Christus suae vitae mortalis tempore; postea vero, in resurrectione scilicet, spiritale corpus habebimus, quale nunc Christus habet. Etiam ita intellecta Pauli verba adversariis non favere manifestum est.

III. *Corpus Christi passioni, doloribus et corruptioni obnoxium fuit.*

§ 280. Ut haec propositio rite intelligatur, duplicis generis defectus corporales distinguere oportet: alii enim sunt communes omnibus hominibus, ut sitis, fames, dolor, corruptibilitas, mors etc.; alii sunt particulares aliquibus tantum hominibus, quia ex particularibus causis oriuntur, ut caecitas, claudicatio, lepra, febris, caeterique morbi. Conveniunt Theologi cum *S. Thoma* (1) docentes, Christi corpus his defectibus particularibus obnoxium non fuisse. Isti enim oriuntur vel ex defectu virtutis formatricis, vel ex aëris intemperie, vel ex culpa, puta intemperantiae: atqui ex nulla harum causarum in Christo evenire poterant; - non ex defectu virtutis formatricis, quia corpus eius formatum est a Spiritu sancto cuius virtus deficere nequit; - non ex aëris intemperie, quia optimi fuit temperamenti, unde aëris inclementiae facillime resistere potuit; - non ex culpa, quia fuit temperatissimus et impeccabilis, ut inferius ostendetur. — Dantur autem etiam defectus omnibus hominibus communes, omnes enim esuriunt, si non manducant; sitiunt, si non bibunt; fatigantur ex longo itinere, dolorem sentiunt graviter percussi, moriuntur occisi etc., hos et similes defectus, qui ex ipsa naturali corporis humani conditione in praesenti statu sequuntur, Verbum incarnatum assumpsit, atque ideo Christi corpus passioni, doloribus, morti et corruptioni obnoxium fuit. Hoc est dogma catholicum, quod contra Incorrupticulas *ex S. Scriptura, ex Traditione, et ex rationibus theologicis probatur.*

1. Iam in V. T. praedictum fuit, Messiam passioni et doloribus obnoxium fore. Isaias cap. LIII eundem appellat v. 3: *Virum dolorum, et scientem infirmitatem;* et v. 4 addit: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Christus ergo tanquam verus Messias, ut haec divina oracula impleret, passioni et doloribus obnoxius esse debuit. Hoc idem sacrae N. T. litterae de Christo contestantur, naturales et communes corporis humani defectus ipsi attribuentes. Dicitur enim subiectus fami: *Cum ieiunasset - postea esuriit* (2), et: *Mane autem revertens in civitatem esuriit* (3); siti: in cruce pendens *Iesus dixit: sitio* (4); lassitudini: *Fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem* (5); somno: *Ipse vero dormiebat* (6); crucifixioni: *Crucifixerunt eum* (7); *Crucifixus est ex infirmitate* (8); occisioni, et morti: *Occidetur Christus* (9). Petrus ad Iudaeos dixit: *Iesum Nazarenum ..... per manus iniquorum affligentes interemistis* (10); et (11): *Auctorem vitae*

(1) 3, q. 14, art. 4. (2) Matth. 4, 2.
(3) Ib. 21, 18 (4) Io. 19, 28.
(5) Io. 4, 6. (6) Matth. 8, 24.
(7) Matth. 27, 35. (8) 2 Cor. 13, 4. (9) Dan. 9, 26. (10) Act. 2, 22 etc. (11) Ib. 3, v. 15.

interfecistis. Haec omnia satis ostendunt, Christum corpus habuisse communibus defectibus, passioni et doloribus obnoxium. Unde Apostolus Hebr. II, 17, dicit: *Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari:* et ib. IV, 15 scribit: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Quae verba satis clare probant, Christum, excepto peccato, omnes communes humani corporis defectus assumpsisse, eiusque corpus passioni, ac doloribus obnoxium fuisse. Hinc etiam dicitur: *Christus passus est pro nobis* (1), non autem vere passus pro nobis dici posset, si nullum doloris sensum habuisset. Nec obstat, quod Ps. XV, 10 dicatur: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; nam S. Petrus (2) ostendit, hoc Psalmistae vaticinium adimpletum fuisse, quando Christus resurrexit; quamvis enim mortuus et sepultus fuerit, non tamen eius caro in sepulcro corrupta est. Quoniam autem hoc ipsum virtuti divinae et miraculo (3) adscribitur, ex citato loco potius recte infertur, corpus Christi iuxta naturalem suam conditionem corruptioni obnoxium fuisse.

2. *Ss. Patres* eandem doctrinam propugnant contra Docetas, qui Christo phantasticum corpus adscribentes eundem apparenter tantum passum et mortuum esse dictitabant. *S. Ignatius M.* (4) scripsit, contra praefatum errorem Christianos admonens: « Obturate igitur aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Iesu Christo, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui vere natus est, edit et bibit, vere persecutionem passus est sub Pontio Pilato, vere crucifixus et mortuus est, - et vere resurrexit a mortuis, » *Tertullianus* (5) ita argumentatur: « Si Deus - tanta humilitate fastigium maiestatis suae stravit, ut etiam morti subiiceret, et morti crucis, cur non putetis nostro quoque Deo aliquas pusillitates (i. e. infirmitates et passiones corporeas) congruisse, tolerabiliores tamen iudaicis contumeliis, et patibulis, et sepulcris. » *Origenes* (6) ad illa verba, *passus est pro nobis* etc., scribit: « Si, ut ait Celsus, nil doloris et moestitiae Iesus sensit per illud tempus, quonam pacto qui postea secuti sunt Iesum adhibere potuerunt in exemplum patiendi laboriosa quaelibet ac molesta? etc. » *S. Athanasius* (7) inquit: « Corpus Christi communem habens cum caeteris substantiam: quippe corpus erat humanum, tametsi novo et inusitato miraculo ex sola Virgine conflatum; nihilominus mortale cum esset, itidem ut alia similia mortem obiit. » *S. Ambrosius* (8) ait: « Qui corpus suscepit, omnia debuit subire, quae corporis sunt, ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur. » *S. Hieronymus* (9) in illa verba: *Vere languores* etc. ait: « Qui vere languores nostros et peccata portavit, et pro nobis dolet, non putative, ut nova et vetus haeresis suspicatur, sed vere crucifixus est, vere doluit. » *S. Basilius* (10) scribit: « Quemadmodum famem suscepit Dominus exhausta per expiationem solidiore alimonia, et sitim admisit humore in corpore consumpto, et lassatus est musculis ac

(1) 1 Petr. 2, 21. (2) Act. 2, 17.
(3) Act. 2, 24-26. (4) Ep. ad Trall. n. 9.
(5) L. 4, c. Marcion. c. 27.
(6) L. 2, c. Cels.
(7) L. de Incarn. (p. 52 D. ed. Comel.)
(8) Lib. 7, in Luc.
(9) Comm. in Is. 53.
(10) Hom. de grat. actione.

nervis nimium ex ambulatione distentis, non divinitate ipsa labore fracta, sed corpore ex natura consequentes affectiones admittente, sic etiam lacrymas suscepit, naturalem affectum ad carnem accidere permittens. » *S. Leo M.* (1) dicit: « Salva proprietate utriusque substantiae, et in unam coëunte persona, suscipitur a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas, et ad rependendum nostrae conditionis debitum natura inviolabilis est unita passibili. » *S. Fulgentius* (2) inquit: « Quia divinitas verum hominem suscepit, ideo cunctas naturae humanae infirmitates, veras quidem, sed voluntarias, in eadem veritate naturae duntaxat humanae sustinuit. » *S. Augustinus* quoque (3) dicit: « Utique vulnerabile, atque mortale corpus habuit Christus. » *Concilium Ephesinum*, cap. 12, haec decernit: *Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et mortem carne gustasse... anathema sit:* et cap. 13, dogma catholicum per antithesin proponit docens, naturam divinam Verbi passam non esse (*Deus namque extra passionem est*) *sed corpus illud, quod ipsius proprium factum est, hoc sustinuit.* In constitutione Concilii Florentini pro unione Iacobit. *Eugenius IV* inquit: *Sacrosancta Rom. Ecclesia firmiter credit, profitetur et praedicat, quod unus et idem Dei Filius est immortalis et aeternus ex natura divinitatis: passibilis et temporalis ex conditione assumptae humanitatis: ipsum in assumpta humanitate ex Virgine vere passum, vere mortuum.*

3. *S. Thomas* rationes theologicas affert ad statutam propositionem confirmandam. Ait enim (4): « Respondeo dicendum, conveniens fuisse corpus assumptum a Filio Dei humanis infirmitatibus et defectibus subiacere, et praecipue propter tria. *Primo* quidem, quia ad hoc Filius Dei carne assumpta venit in mundum, ut pro peccato humani generis satisfaceret. Unus autem pro peccato alterius satisfacit, dum poenam pro peccato alterius debitam in se suscipit. Huiusmodi autem defectus corporales scilicet mors, fames, sitis, et huiusmodi sunt poena peccati, quod est in mundum per Adamum introductum (5). Unde conveniens fuit quantum ad finem incarnationis, quod huiusmodi poenalitates in nostra natura susciperet vice nostra secundum illud: *Vere languores nostros ipse tulit* (6). — *Secundo* propter fidem incarnationis adstruendam. Cum enim natura humana non aliter esset nota hominibus nisi prout huiusmodi naturalibus defectibus subiacet; si sine his defectibus Filius Dei naturam humanam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, ut Manichaei posuerunt. Et ideo, ut dicitur: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (7). Unde et B. Thomas per aspectum vulnerum est ad fidem revocatus, ut dicitur Io. XX. *Tertio* propter exemplum patientiae, quod nobis exhibet passiones, et defectus humanos fortiter tolerando: unde dicitur: *Sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes* (8). »

Nota 1. Contra expositam doctrinam tum a Phantasiastis, tum a Rationalistis variae difficultates moven-

(1) Serm. 1 de Nativ.
(2) Lib. 3 ad Trasim. n. 27.
(3) L. 14, c. Faust. cap. 2.
(4) 3, q. 14, art. 1.
(5) Rom. 5, 12.
(6) Is. 53, 4.
(7) Philip. 2, 7.
(8) Hebr. 12, 3.

tur, quae autem aptius alibi, et praecipue in ultimo capite solventur. Hic illas tantum obiectiones refellere oportet, quae in dubium pertrahere videntur, an propositio nostra vere revelata et ab Ecclesia semper credita fuerit.

Obi. I. Indigitati defectus corporis, passiones, dolores, mors etc. sunt poenae peccati: atqui in Christo nullum fuit, nec esse potuit peccatum, quia dicitur: *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato* (1); ergo Christo innocenti, impolluto, segregato a peccatoribus illi defectus inesse non poterant, sed eius corpus sicut corpus Adami innocentis, passionibus, doloribus et morti subiectum non fuit, quapropter etiam *secundus Adam* dici solet.

Resp. Ultro fatemur, enumeratos defectus corporis esse poenas peccati et in Christo nullum proprium peccatum nec adfuisse, nec adesse potuisse. At Verbum incarnatum hominum peccata in se suscepit, ut pro his aeterni Patris iustitiae satisfaceret (2). Itaque in nobis praedicti defectus et infirmitates sunt poenae peccati *proprii* originalis, vel actualis, in Christo autem fuerunt poenae peccatorum alienorum, nempe hominum pro quibus se vadem, et sponsorem dedit. Recte tamen monet *S. Thomas* (3), Christum non esse dicendum hos defectus corporis *contraxisse*, sed *voluntariae assumpsisse*. Nam, ait: « In verbo contrahendi intelligitur ordo effectus ad causam, ut scilicet illud dicatur contrahi, quod simul cum sua causa, ex necessitate trahitur. Causa autem mortis, et horum defectuum in humana natura est peccatum, quia *per peccatum mors introivit in hunc mundum* (4). Et ideo illi proprie dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. Christus autem hos defectus non habuit ex debito peccati... Accepit enim naturam humanam absque peccato in illa puritate, in qua erat in statu innocentiae; et simili modo potuisset assumere humanam naturam absque defectibus. Sic igitur patet, quod Christus non contraxit hos defectus. quasi ex debito peccati eos suscipiens, sed ex propria voluntate. » Si Christus secundus Adam dicitur, non huic aequiparatur quoad statum a passionibus, et a morte immunem, sed quia Christus hominibus auctor est vitae spiritualis, sicut Adam auctor est vitae corporalis et mortalis.

Obi. II. Ss. Patres passim docent, Christi corpus corruptioni, doloribus et infirmitatibus nullatenus subiectum fuisse. *Clemens Alex.* (5) ait de Christo: « Comedebat, non propter corpus, quod sancta virtute continebatur, sed ne eis, qui una cum eo versabantur, in mentem veniret, aliter de eo sentire... Ipse autem passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, nec dolor. » *Dionysius Alex.* (6) docet, Christum tristatum fuisse metaphorice tantum, sicut de Spiritu sancto dicitur: *Nolite contristari Spiritum sanctum* (7). — *S. Maximus Taurin.* (8) inquit: « quod Christus nutrimenta perferebat infantiae, quodque esuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeae, sed coelestis gratiae sacramentum. » *S. Cyrillus Alex.* (9) ait: « Incorruptibile namque est Christi corpus, et divinam in se ipso naturam habet.» *S. Augustinus* (10) dicit: « E-

(1) Hebr. 4, 15. (2) Is. 53, 6.
(3) 3, q. 14, art. 3. (4) Rom. 5, 12.
(5) Lib. 6 Strom.
(6) In Ep. c. Paulum Samosat.
(7) Eph. 4.
(8) Hom. 1, de Ieiun. quadrag.
(9) Lib. 9 de ador. in spir. et verit.
(10) Tract. 49 in Ioan.

surivit Iesus, verum est, sed quia voluit; dormivit Iesus, verum est, sed quia voluit; contristatus est Iesus, verum est, sed quia voluit..... In illius potestate erat, sic vel sic affici, vel non affici. » Ex his Patrum testimoniis patet, corpus Christi ne communibus quidem humani corporis defectibus obnoxium fuisse.

Resp. Citatis locis opponimus Ss. Patrum et Conciliorum testimonia n. 2 allata, ex quibus perpetua Ecclesiae fides satis probatur. Unius, aut alterius Patris dissensus traditionis argumentum non enervat. At omnino negandum est, citatos Patres a doctrina catholica dissensisse. Nam Patres in Christo divinam et humanam naturam distinguebant, et prorsus negabant, divinam Christi naturam defectibus et passionibus subiectam fuisse. Sic *S. Dionysius Alex.* aperte loquitur de Christo ut Deo, non ut homine. Paulus enim Samosatenus ex eo, quod Christus tristatus esset, perperam inferebat, Christum non esse Deum: cui respondet Dionysius, Christum ut Deum ea tantum ratione tristatum fuisse, qua Spiritus sanctus tristari in Scripturis dicitur. Patres autem, dum de humana Christi natura asserere videntur, eam ne communibus quidem humani corporis defectibus obnoxiam fuisse, intelligendi sunt, non quod negaverint omnino in Christo humani corporis affectiones et passiones, sed quod eas non putaverint fuisse in Christo necessarias, aut ipsius voluntati contrarias, vel saltem quod sine rationis consensu insurgerent, ut saepe in nobis contingit. Esuriebat igitur Christus, sitiebat, dolebat, patiebatur, quia volebat, cum potuisset divina sua virtute non esurire, non sitire, nec aliis passionibus obnoxius esse. Patres ita sentientes a doctrina catholica non discesserunt. Haec enim solum id credendum proponit, quod Christus vere passus et mortuus sit, ac famis, sitis et dolorum sensum habuerit; non autem eadem fide divina credendum est, quod Christus haec omnia ex necessaria humanae naturae conditione perpessus sit, sed hac de re duae inter Catholicos sententiae dantur. Prima est eorum, qui existimant, vi unionis hypostaticae carnem Christi de Spiritu sancto conceptam natura sua corruptioni, doloribus caeterisque infirmitatibus obnoxiam non fuisse, sed opus fuisse miraculo, ut naturalis eius impassibilitas et immortalitas suspenderetur, ac locum daret doloribus, quibus affligi propter nos voluit Laudantur huius sententiae patroni, praeter Patres in obiectione nominatos, *Leo M.* (1), *S. Fulgentius* (2), *S. Io. Damascenus* (3), *Hugo Victorin.* (4), *Philippus* Abbas Bonae Spei Ord. Praemonstr., et inter recentiores in eandem sententiam inclinant *Tournely* (5) et *Car. Sardagna* (6). — Secunda sententia contendit, Christum non tantum ex voluntate, sed etiam ex necessitate naturae quam assumpsit, doloribus subditum fuisse, quia nempe carnem assumpsit per omnia nostrae similem, absque peccato, et eam ipsam, quam liberaturus erat; sed caro huiuscemodi ipsa sua nativa conditione doloribus, caeterisque hominis infirmitatibus subiacet: hanc sententiam propugnarunt *S. Augustinus* (7), *Boëthius* (8), *Leontius* (9), *S. Bernardus* (10), *Ioannes* Praepositus contra Philippum Abba-

(1) Hom. in Dom. 1. Quadr.
(2) Ed. ad Regin. cap. 4.
(3) L. 3 de fide orth. c. 20.
(4) L. 2 de Sacr. P. 1, c. 7.
(5) T. V. de incarn. q. 10, art. 6
(6) T. 1 art. 3, Controv. 4, n. 172 et 179.
(7) L. 2, de peccat. merit. c. 29.
(8) L. de duabus naturis. (9) L. 2.
(10) Serm. 1, de Epiph.

tem et *Hunaldus* ab utroque illius controversiae delectus arbiter. « Haec posterior sententia, ait Cl. *Perrone* (1), communis evasit, cui adstipulantur satis aperte Scripturae atque Ecclesiae Patres. » Eandem sententiam defendit *S. Thomas* (2), eamque cum sequentibus distinctionibus proponit, dicens: « Duplex est necessitas. Una quidem coactionis, quae fit ab agente extrinseco: et haec quidem necessitas contrariatur et naturae et voluntati, quorum utrumque est principium intrinsecum. Alia autem est necessitas naturalis, quae consequitur principia naturalia, puta formam, sicut necessarium est, ignem calefacere, vel materiam, sicut necessarium est corpus ex necessariis compositum dissolvi. — Secundum igitur hanc necessitatem, quae consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati mortis, et aliorum huiusmodi defectuum, quia sicut dictum est (3) *beneplacito divinae voluntatis carni Christi permittebatur agere, et pati, quae propria.* Haec autem necessitas causatur ex principiis carnis humanae, ut dictum est. — Si autem loquamur de necessitate coactionis, secundum quidem quod repugnat naturae corporali, sic iterum corpus Christi secundum conditionem propriae naturae necessitati subiacuit et clavi perforantis et flagelli percutientis. Secundum vero quod necessitas talis repugnat voluntati, manifestum est, quod in Christo non fuit necessitas horum defectuum neque per respectum ad divinam voluntatem, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, prout sequitur rationem deliberantem, sed solum secundum naturalem motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem, et etiam corporis nocumenta. » Iuxta hanc sententiam non contigit miraculum, quoties Christus defectum, aut dolorem corporalem sustinuit, sed potius miraculum contigisset, si clavi manus pedesque eius non perforassent, vel si flagella corpus ipsius dolore non affecissent. — Distinctionibus S. Thomae rite perpensis etiam varia Patrum effata facile conciliantur, qui, ut e. g. *S. Augustinus*, Christi dolores et passiones modo naturae corporalis necessitati, modo liberae illius voluntati adscribunt.

Obi. III. *S. Hilarius* penitus negat, quidpiam poenae, aut doloris Christi corpus pertulisse, ait enim (4): « In quo (Christo) quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem haec impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent: ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans, omnes quidem has passiones naturae suae infert, ut perforet, ut compungat, ut vulneret: sed naturam suam in haec passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aërem vulnerari, quamvis naturae teli sit et perforare, et compungere, et vulnerare. — Ita passus quidem est Dominus Iesus Christus, dum caeditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur, sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exeruit; dum et poenali ministerio illa desaevit, et virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit. » — Eadem fere habet Comment. in Matth. cap. 31, et alibi omnem tristitiae sen-

(1) De incarn. P. 2, c. 2, Coroll. 4, n. 285.
(2) 3, q. 14, a. 2.
(3) Art. 1, ad 2.
(4) L. 10, de Trinit. n. 23.

sum, et mortis metum a Christo excludit.

Resp. Nonnulli S. Hilarium hac in re aberrasse putarunt: imo *Erasmus Rot.* eo usque progressus est, ut eundem Phantasiastis temere adnumeraret. Sed absit, ut erroris in fide tam praeclarum fidei defensorem insimulemus, cuius doctrinam tanquam purissimam S. Hieronymus, S. Augustinus et alii Patres commendant, et qui nuperrime oraculo pontificio inter Doctores relatus est. — S. Hilarius doctrinam catholicam de defectibus et doloribus, quos Christi corpus vere sensit et sustinuit, pluribus in locis clare professus est. In Ps. LIII, n. 7 ita loquitur de Christo: « Ut absolutissimum nobis humanae humilitatis esset exemplum omnia quae hominum sunt et oravit, et passus est..... Hinc illud est, quod esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, - moestus fuit, et flevit, et passus, et mortuus est. » In Ps. LXVIII, n. 1 scribit: « Universarum itaque humanarum passionum sorte perfunctus, secundum susceptas infirmitates nostras loquitur, et dolet ipse quidem extra necessitatem et timoris positus et doloris, sed his se tamen quae suscepit accommodans. » Neque, ut putat *Petavius*, S. Doctor sententiam suam mutavit, aut retractavit, nam eandem doctrinam proponit l. 10 de Trin. n. 62, dicens: « Habes in conquerente ad mortem se relictum esse quia homo est: habes eum qui moritur, profitentem se in Paradiso regnare quia Deus est: et n. 67: Passus est unigenitus Deus, quae homines pati possunt: et cap. 31 in Matth. n. 10 de Christo dicit: Omnes in se corporis nostri infirmitates assumpsit... Ideo peccata nostra portat, et pro nobis dolet. » — Quod autem verba attinet in obiectione allegata, S. Doctor in his solum negat, passam esse Christi divinitatem, non autem passionem humanitatis inficiatur. Nam iam (1) profitetur se contra Arianos scribere, qui Christi divinitatem negabant, et ex ipsius passione sententiam suam probare tentabant: hos confutat dicens, divinitatem passam non esse, quod praeclare docet (2) dicens: « Cum Christus secundum hominem aut flet, aut dormit, aut tristis est, Deus non est obnoxius aut lacrymis, aut timori, aut somno. Sed salva Unigeniti in se veritate, secundum carnis infirmitatem, fletum, somnum, inediam, sitim, lassitudinem, metum passus est. » Eodem sensu verba obiecta intelligenda sunt, familiare enim est huic S. Doctori virtutis corporis Christi nomine intelligere divinitatem: sic (3) dicit: « Fragilitatem corporis virtus assumpsit » (4). Ergo de divinitate loquitur, dum ait: « Virtus corporis sine sensu poenae etc. » Caeterum S. *Hilarius* docet, Christi infirmitates a nostris quadruplici ratione differre. Nostrae enim sunt coactae, promeritae, in nos dominantur, nec quidquam in nobis est, quod non eis subiaceat; contra vero ex S. Hilario infirmitates in Christo fuerunt voluntariae, propter nos susceptae, ad nutum voluntatis illius temperatae, nec naturam divinam, sed solum humanam attingentes (5).

Nota 2. Si Christus verum et perfectum corpus humanum assumpsit, sequitur, ipsum etiam sanguinem, venas, arterias, nervos, ossa aliasque partes integrales naturae humanae immediate suscepisse. Et sane, S.

(1) L. 1 Trin. n. 32.
(2) L. 9, de Trin. in fine.
(3) Cap. 9, in Matth. n. 7.
(4) Cf. in Ps. 2, n. 25, in Ps. 53, n. 12.
(5) Cf. Tournely l. c. Obi. 3, Mich. Marcell. Inst. theol. T. 4, l. 23, c. 12.

Scriptura eodem modo tribuit Verbo sanguinem, quo carnem : *Quia ergo pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse* (Filius Dei) *similiter participavit iisdem* (1). Imo sanguini Christi salus nostra adscribitur : *Habemus redemptionem per sanguinem eius* (2); *Sanguis Iesu Christi Filii eius emundat nos ab omni peccato* (3). — Etiam Ss. Patres Christo sanguinem, ossa et reliquas partes integrales naturae humanae attribuunt. *S. Gregorius Naz.* (4) de Christo inquit : « Humana omnia, excepto peccato, suscepit; » et (5) Apollinaristis exprobrat, quod « ossa solum et nervos Salvatori attribuant. » *S. Cyrillus Alex.* in Epistola, quam Concilia Ephesinum et Chalcedonense, Act. I approbarunt, verba illa Io. I: *Verbum caro factum est* ita interpretatur : « Id est, carnem et sanguinem assumpsit. » *S. Io. Damascenus* (6) dicit : « Neque enim Deus Verbum quidquam eorum, quae cum initio fingeret, naturae nostrae inseruit, praetermisit, sed omnia assumpsit, hoc est corpus, animam intelligentem, et ratione praeditam, eorumque proprietates. » Praeterea Patres frequentissime sanguinis Iesu Christi virtutem collaudant, eiusque effusioni salutem nostram adscribunt. Ita etiam *Clemens VI* (7) docet, unam guttam Christi sanguinis propter unionem cum divino Verbo suffecisse ad redemptionem generis humani. Imo Verbum divinum immediate etiam assumpsit dentes, ungues, capillos et substantiales corporis humani humores. Nam Verbum divinum proxime ac immediate assumpsit naturam humanam, non mutilam et mancam, sed integram et perfectam, ac proinde omnes partes, quae ad naturae humanae integritatem et perfectionem pertinent : atqui, tales sunt dentes, ungues, capilli et substantiales corporis humani humores; homines enim his, vel illis carentes magno defectu laborare dicuntur. Quamvis igitur recensitae partes non ita requirantur ad integritatem corporis sicut partes organicae, sunt tamen necessariae ad meliorem corporis constitutionem, ornamentum et utilitatem; dentes enim deserviunt ad edendum, capilli ad caput fovendum, ungues ad extremitates membrorum protegendas, et una cum sanguine alii quoque humores ad vitales corporis operationes concurrunt. Dubitari ergo non potest, integrales has corporis humani partes a Christo vere assumptas fuisse. — Neque obstat, quod Verbum immediate non assumpserit lacrymas, sudorem, sputum etc., dispar enim est ratio; nam lacrymae, sudores, sputum etc., sunt pura excrementa, nec per se requiruntur ad naturae humanae constitutionem et integritatem, cum non sint quid permanens in homine, sicque non habeant locum in Beatis; at vero dentes, ungues, capilli et humores ad perfectam corporis humani constitutionem et naturae humanae integritatem requiruntur, ac sunt quid in homine permanens, sicque locum habent in Beatorum corporibus gloriosis, unde etiam a Christo una cum carne immediate suscepti sunt (8).

Nota 3. Quaestio moveri solet, an Christus specie, seu forma decorus fuerit? — Nonnulli negative respondent, quoniam de Messia legitur : *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius* (9); et : *Non est species ei, neque*

(1) Hebr. 2, 14. (2) Eph. 1, 7.
(3) 1 Io. 1, 7. — 1 Petr. 1, 19.
(4) Orat. 38, n. 13.
(5) Ep. ad Cledon. 101, n. 7 (ol. Or. 50).
(6) L. 3 de orth. fide cap. 2.
(7) In Ex. Unigenitus de poenit. et remiss.
(8) V. Billuart de Incarn. Diss. 7, a. 2, Th. Charm. T. 3 Diss. 6, c. 2, o. 1. (9) Is. 52. 14

decor: vidimus eum, et non erat aspectus (1). Ideo *Clemens Alex.* (2) ait: « Ipsum autem Dominum fuisse aspectu deformem, testatur Spiritus per Isaiam: Et vidimus ipsum, et non habebat speciem, nec pulcritudinem, sed species eius vilis, deficiens prae hominibus. Et (3) istam rationem reddit: Dominus non frustra voluit uti vili, et humili forma corporis, ne quis speciem laudans et admirans pulcritudinem, absistat ab iis, quae dicuntur. » Addunt alii elegantem corporis formam convenientem non fuisse statui exinanitionis et humilitatis, quem Christus ad opus redemptionis perficiendum elegit. Sed notandum est, Isaiam loqui de tempore passionis quo Christum penitus deformatum fuisse, omnes concedunt. Et si Christum mundi Doctorem ac Redemptorem mollis, seu muliebris venustas, compta elegantia, vel forma corporis studiosa et affectata non decebat, non ideo tamen ipsi talis pulcritudo denegari potest, quae maiestate, gravitate atque suavitate plena ad oculos animosque hominum demulcendos idonea fuerit. Imo tali pulcritudine Christum vere exornatum fuisse, gravia argumenta ostendunt. Primo id ratione theologica probari potest. Nam pulcritudo corporis oritur ex tribus, nimirum ex membrorum integritate, eorundem debita proportione, et colore convenienti orto ex bono temperamento; atqui corpus Christi, utpote virtute Spiritus sancti formatum, iis qualitatibus haud dubie fuit donatum; ergo conveniens pulcritudo ipsi deesse non potuit. Porro ad Messiam dicitur: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis* (4). *Specie tua et pulcritudine tua intende, prospere procede et regna* (5); quae verba quamvis praecipue ad internam, et spiritualem Messiae pulcritudinem referantur, recte tamen etiam ad decoram corporis formam extenduntur. Etiam Ss. Patres non pauci magnam Christo corporis pulcritudinem adscribunt. Ipse *Clemens Alex.* (6) dicit: « Verum non ille carnis pulcritudinem, quae specie quadam illudit, sed veram animae, corporisque pulcritudinem ostendit. » *Origenes* (7) Celsum ex verbis Isaiae 53 Christi deformitatem infereńtem confutat dicens: « Haec audivit Celsus, quia sibi ad calumniandum Iesum utilia esse videbantur, nequaquam autem attendit ad ista Ps. XLIV, *Specie tua et pulcritudine tua* etc. » ac demum concludit, corpus Iesu Christi « hoc caeteris antecelluisse, quod pro cuiusque captu, et prout utile erat, tale videretur, quale singulis videri oportebat. » *S. Hieronymus* (8) declarans cur multi Iesum vocantem statim secuti sunt: « Certe, inquit, fulgor ipse et maiestas divinitatis occultae quae etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Et (9) scribit: « Nisi habuisset et in vultu quiddam, oculisque sidereum, nunquam eum statim secuti fuissent Apostoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent. » *S. Chrysostomus* (10) ait: « Neque ex prodigiis tantum (Christus) admirandus, sed ipsius solum conspectus gratia multa plenus erat: id quod indicans Propheta dicebat: *Speciosus forma prae filiis hominum.* Quod si Isaias dicat: *Non habet speciem, nec decorem,* aut illud de divinitatis glo-

(1) Ib. 53, 2. (2) L. 3 Paedag. c. 1.
(3) L. 6 Strom. (4) Ps. 44. 3. (5) Ib. v. 5.
(6) L. 3 Paedag. c. 1.
(7) L. 6 c. Cels. n. 75
(8) Comm. in Matth. 9, 9.
(9) Ep. 140 ad Principiam.
(10) Hom. 27 in Matth.

ria ineffabili intelligit, aut ea, quae in passione gesta sunt, narrat, ignominiamque iliam, quam crucis tempore sustinuit, aut tenuitatem illam, quam toto vitae tempore in omnibus exhibuit. » Eadem ratione utrumque locum (1) conciliat *S. Augustinus* (2). *S. Io. Damascenus* (3) hanc historiam refert: « Cum Abgarus Edessennorum rex pictorem misisset, qui Domini exprimeret effigiem, neque id pictor *ob splendorem ex eius vultu emicantem* assequi potuisset, Dominum ipsum, admoto divinae vivificaeque faciei suae pallio imaginem suam in eo depinxisse, quam ad Abgarum misit, ut hoc pacto desiderio eius fieret satis. » *S. Bernardus* (4) dicit: « Praedicantem Dominum de civitatibus et castellis populi sequebantur... et adhaerebant ei, affatu pariter et aspectu illius delectati, cuius nimirum vox suavis et facies eius decora, sicut scriptum est: *Speciosus forma* etc. » — Si hactenus dicta rite conferantur, omnino subscribendum est praeclare sententiae *S. Thomae*, qui in expositione Psalmi 44 inquirit an Christus, secundum pulcritudinem corporis dictus sit *Speciosus forma prae filiis hominum*, et respondet, pulcritudinem consistere in proportione membrorum et colorum, atque ait: « Hanc pulcritudinem Christus, secundum quod competebat ad statum et reverentiam suae conditionis habuit. Non est ergo intelligendum, quod Christus habuerit capillos flavos, vel fuerit rubeus, quia hoc non decuisset eum; sed illam pulcritudinem corporalem habuit summe, quae pertinebat ad statum, et reverentiam, et gratiositatem in aspectu, ita quoddam divinum radiabat in vultu eius, quod omnes eum reverebantur, ut *Augustinus* ait. » Prophetiam vero Isaiae (5) S. Doctor angelicus explicat, quod « voluerit exprimere contemptum Christi in passione, in qua deformata fuit corporis forma prae multitudine afflictionum. » Plura hac de re disserunt *P. Franc. Vavassor* S. I. (6), *Calmet* (7).

Nota 4. Nunquam satis admirari possumus charitatem Filii Dei, qui homo factus est, et verum corpus humanum, huiusque infirmitates suscepit. « Venit siquidem, ait *S. Bernardus* (8), universitatis Creator et Dominus: venit ad homines, venit propter homines, venit homo. » — Quam amandus negotiator, qui tradit sublimia, ut accipiat infima, suamque deiicit maiestatem, ut nostram promoveat vilitatem! — Hoc divini amoris fortunatum cambium pulcre extollit *S. Petrus Chrys.* (9) dicens: « Christus venit suscipere infirmitates nostras, et suas nobis conferre virtutes, humana quaerere, praestare divina; accipere iniurias, reddere dignitates; ferre taedia, referre sanitates. » Quis haec considerans non agnoscet, iustissimam esse sententiam Apostoli: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema* (10). — Per Verbi incarnationem ipsum corpus nostrum ad magnam dignitatem elevatum est, quod in magno honore habendum, et ab impudicitiis et voluptatibus obscoenis purum conservandum est. Ideo exclamat *Leo M.* (11): « Agnosce, o christiane! dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in

(1) Ps. 44, 3 et Is. 53, 2.
(2) Tract. 9 in Epist. S. Ioann. n. 9.
(3) L. 4 de orth. fide c. 17.
(4) Serm. 1 in festo OO. SS. n. 4.
(5) 53, 2. (6) De forma Christi
(7) Dissert. in Isaiam.
(8) Serm. 3 de Adventu.
(9) Serm. 50.
(10) 1 Cor. 16, 22.
(11) Serm. 1 de Nat Dom.

veterem vilitatem degeneri conversatione redire. »

ARTICULUS II.

De anima Christi.

§ 281. Circa animam Christi errarunt *Ariani;* aiebant enim, Verbum in utero Virginis solam carnem sine anima assumpsisse, ipsumque Verbum in Christo vices animae obivisse. Id testatur S. *Athanasius* (1) dicens: « Frustra Ariani argutiis utuntur, dum Salvatorem carnem solam assumpsisse statuunt, ac passionis sensum ad impassibilem Deitatem impie referunt. » Hoc idem de Arianis tradunt S. *Gregorius Naz.* (2), S. *Gregorius Nyss.* (3), S. *Augustinus* (4), S. *Epiphanius* (5) et alii. — Apertius autem, et sine ulla ambiguitate animam humanam Christo denegarunt *Apollinaristae*, ita dicti ab *Apollinari* Episcopo Laodiceno, qui saeculo quarto iam inclinante suos errores spargere coepit. De istis hereticis scribit *Socrates* (6): « Initio quidem dicebant, hominem absque anima a Deo Verbo assumptum esse in dispensatione incarnationis. Postea vero tanquam poenitentia ducti, ac pristinum emendantes errorem adiecerunt animam quidem assumptam esse, sed quae mentem non haberet: Deum autem Verbum mentis loco esse in homine assumpto. » Clarius hunc errorem explicat *Theodoretus* (7), inquiens de Apollinari: « Incarnatum dixit esse Deum Verbum, quod corpus et animam assumpsit; non rationalem, sed rationis expertem, quam naturalem, sive vitalem aliqui nominant: mentem porro diversum quiddam ab anima esse dicens, negavit assumptam, sed naturam suffecisse divinam ad usum mentis explendum. » — Sicuti autem Apollinaristae animae Christi humanae mentem, seu rationem, ita alii haeretici eidem humanam, liberam et activam voluntatem denegarunt, qui propterea *Monothelitae* seu *Univoluntarii* appellati sunt. — Exorta est haec haeresis ineunte saeculo VII, eiusque auctores et fautores praecipui erant *Sergius* Patr. CPtanus, huiusque successores *Pyrrhus*, *Paulus* et *Petrus*, *Cyrus* Patr. Alex., *Macarius* Patr. Antioch., et *Theodorus* in Arabia Petraea Episcopus. Hanc haeresin plurimum promovit *Heraclius* Imperator, qui Monothelitarum doctrinam anno 630 publico edicto, *Ecthesi* nuncupato, confirmavit, idemque praestitit *Constans* Imp. in suo *Typo* anno 648 vulgato. — Circa naturam huius haeresis non omnes Theologi consentiunt. Nonnulli cum *Gabr. Vasquez* et *Io. De Lugo* putant, Monothelitas duas voluntates in Christo agnovisse, sed illam *unam* dixisse ob unitatem moralem, seu perfectum utriusque voluntatis consensum, ex quo sequeretur, ipsos orthodoxe sensisse, totamque illorum cum Catholicis controversiam ad logomachiam revocandam esse. — Alii arbitrantur Monothelitas voluntatis nomine non intellexisse potentiam, seu virtutem volendi, sed ipsum actum volendi; eosque non existimasse, voluntatem humanam Christi penitus extinctam esse, sed tantum eam esse quasi sopitam, otiosam et inertem, nec active ad operationem concurrere, sed passive tantum se habere tanquam instrumentum divinitatis. — Plerique tamen cum *Petavio* (8) sentiunt, Monothelitas, cum ener-

(1) L. 1 c. Appollinarium, n. 6.
(2) Ep. 1 ad Cledon. (3) L. 1 c. Eunom.
(4) L. de haeres. c. 49. (5) Haeres. 69.
(6) L. 2, Hist. c. 46.
(7) L. 4 haer. fabu. cap. 8.
(8) De incarn. lib. 8, cap. 6.

giam omnem funditus amputarent in humana Christi natura, non solas facultatum actiones et motiones, sed ipsas quoque facultates, id est, ipsam potentiam, ac virtutem volendi negasse. Ita absque dubio sensit *Macarius* Patr. Antioch. qui rogatus Actione 8, Synodi VI, ut suam aperiret fidem ac sententiam, respondit : « Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in Incarnationis dispensatione D. N. I. Christi, nec si membratim incidar, et mittar in mare. » Imo eundem errorem etiam reliquos Monothelitarum Antesignanos, qui Eutychianae haeresis veneno infecti erant, vere tenuisse, ex actis concilii generalis sexti satis constat, quamvis concedendum esse videatur, extitisse etiam Monothelitas simpliciores, qui occultum sectae virus nondum cognoscentes mitius aberraverunt, ipsum tantummodo actum volendi ab humana Christi natura excludentes. — Denique inter aberrantes recensendi sunt etiam illi, qui dicunt, animam Christi nullis omnino humanis affectionibus et passionibus obnoxiam fuisse. Adversus indicatos errores iam doctrina catholica probanda est, quae dicit, Christum *animam humanam mentis seu rationis participem assumpsisse;* et in ipso : *praeter divinam, humanam quoque esse voluntatem liberam, et activam :* demum declarandum est, *quibusnam affectionibus, et passionibus humanis anima Christi obnoxia fuerit.*

I. *Verbum divinum animam mentis, seu rationis participem assumpsit.*

§ 282. Quaecumque probant, Christum verum hominem esse (§ 277), eundem etiam animam humanam, et quidem rationis participem assumpsisse ostendunt. Partes enim naturae humanae essentiales sunt corpus organicum et anima rationalis, ita ut homo dici non possit, qui una vel altera parte destituitur (v. § 196). Christus autem verus, et perfectus homo factus est; ergo sicut corpus humanum, ita etiam animam humanam rationalem assumpsit. Hoc autem etiam specialibus argumentis ex S. Scriptura et Traditione petitis contra Arianos et Apollinaristas confirmari potest.

1. *S. Scriptura* de anima Christi humana rationis participe clara testimonia exhibet. Christus ipse animam sibi humanam tribuit dicens (1): *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed Ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam:* quibus verbis Christus mortem suam praenuntiat, quae in ipsa animae humanae a corpore humano separatione consistit. Nullatenus igitur argumenti vis infringitur dicendo, animam ponere idem esse ac vitam tradere; nam ideo tantum haec idem significant, quia dum vita profunditur, anima a corpore separatur. Ideo Christus vere mortuus dicitur, et quidem his verbis : *Inclinato capite tradidit spiritum* (2); et ipse ante mortem ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (3); hic autem per *spiritum* non iam halitus, qui cessaturus erat, nec anima mere sensitiva et vitalis, quae est in brutis et in morte extinguitur, sed solum vera anima humana, naturae spiritualis, et rationalis intelligi potest. Imo iam in V. T. clare praedictum fuit, Messiae animam rationis participem futuram esse; de ipso enim legitur; *Requiescet super eum spiritus Domini - spi-*

(1) Io. cap. 10, v. 17. (2) Io. 19, 20. (3) Luc. 23. 46.

ritus consilii (1); sed spiritus consilii nonnisi in anima rationali requiescere potest: et de eodem Messia dicitur: *Ecce intelliget puer meus*, seu, ut legit Vulgata, *servus meus* (2); ex quo patet, de Christo homine sermonem esse, cui intellectus aperte adscribitur. In N. T. legitur: *Iesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum, et homines* (3); proficit autem aetate quidem corpus, sapientia vero anima humana, mente praedita: divinitas quippe neutrum recipit incrementum. Christus ad discipulos ait: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* (4); ergo Christus hanc ultimam coenam, quam ut homo desideravit, etiam ut homo praevidit, et quid in ea facturus sit per intellectum cognovit; « caro enim, ait *S. Leo M.* (5), sine anima nihil desiderat, et inde accipit sensus, unde sumit motus. » Luculentissimum porro argumentum inferri potest ex verbis Christi: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (6); tristitia autem nec in divinitatem, nec in corpus, sed solum in animam rerum spiritualium apprehensivam et praesciam futurorum cadere potest: ergo Christus talem animam vere habuit. Hinc *S. Ambrosius* citata verba exponens (7) inquit: « Tristis est non ipse (Deus) sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima. Suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum, non me fefellit, ut alius esset, et alius videretur. » Denique Paulus Christo homini non simpliciter intellectum, sed summam scientiam adiudicat scribens: *In quo* (Iesu) *sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae abscondili* (8).

(1) Is. 11, 2. (2) Is. 52, 13. (3) Luc. 2, 52.
(4) Luc. 22, 15. (5) Serm. 8 de ieiunio.
(6) Matth. 26, 38.
(7) Comment. in Luc. lib. 10, n. 61.

2. *Ss. Patres* constanti consensu Iesu Christo animam humanam, et quidem rationis participem, adscribunt. *Tertullianus* (9) de Verbo incarnato scribit: « Nascitur homo Deo mixtus: caro spiritu instructa nutritur, adolescit, afflatur, docet, operatur, et Christus est. » *S. Athanasius* (10) ait, Verbum incarnatum veram animam assumpsisse, « in ipsa morte Christi commonstrari, quando corpus quidem usque ad sepulcrum tantum pervenit, anima vero usque ad infernum transmeavit; et (11) ita disserit: Si vice interioris nostri hominis coelestem mentem in Christo fuisse dicatur; quo pacto igitur dolebat, anxius erat, perturbabatur? — Haec autem neque carnis mente carentis neque immutabilis Deitatis fuerunt, sed animae intelligentia praeditae, dolentis, conturbatae, anxiae, quae intra proprium corpus esse testatus est ipse Christus, cum dixit: *Pono animam meam* etc. — *S. Hilarius* (12) inquit: « Christus ut per se sibi assumpsit corpus, ita ex se sibi animam assumpsit, quae utique nunquam ab hominum gignentium originibus habetur. » *S. Gregorius Naz.* Ep. 101 ad Cledon. I. dicit n. 7; « Si quis in hominem mente carentem sperat, amens profecto est, nec dignus cui omni ex parte salus afferatur. Et n. 8: At inquit (haereticus) divinitas mentis loco sufficiebat. Quid autem hoc ad me? Divinitas enim cum sola carne homo non est, imo nec cum sola anima, nec cum utraque si mens absit, quae etiam magis homo censeri debet. Quamobrem totum hominem retine, ac divinitatem adiunge, ut me plene et perfecte beneficio afficias: et n. 11 ita de Christo loquitur: Ut

(8) Col. 2, 3. (9) In Apolog. c. 21.
(10) L. 1 adv. Apollinarem, n. 13.
(11) N. 15 (12) L. 10 de Trin. n. 22.

simili per simile sanctificato peccati damnationem solvat, profecto quemadmodum carne propter carnem damnatam, et anima propter animam opus habuit, ita etiam mente propter mentem, utpote quae in Adamo non solum peccaverit, sed et prima affecta fuerit. » Similia habent *S. Basilius* (1) et *S. Gregorius Nyss.* (2), *S. Ambrosius* (3) ait: «Cum esset in plenitudine divinitatis, exinanivit se, et accepit plenitudinem naturae et perfectionis humanae. Sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma. » *S. Augustinus* (4) ita Apollinaristas perstringit: « Videte absurditatem et insaniam non ferendam! Animam irrationalem eum (Christum) habere voluerunt, rationalem negaverunt: dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt animam hominis. » Idem (5) dicit: « Fuerunt qui hinc haeresin facerent, et dicerent, quia anima Christi non habuit mentem, non habuit intellectum, non habuit rationem, sed Verbum Dei fuit illi pro mente, pro intellectu, pro ratione. Nolo sic credas. Totum redemit, qui totum creavit: totum suscepit, totum liberavit Verbum. Ibi mens hominis, et intellectus, ibi anima vivificans carnem; ibi caro vera, et integra, peccatum solum non ibi. » *Theodoretus* (6) scribit: « Voluit eandem naturam, quae victa fuerat, adversarium debellare, et victoriam referre: ob eamque causam, et corpus et animam ratione praeditam assumpsit. » *S. Fulgentius* (7) ait: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, Christum Filium Dei habere veram nostri generis carnem et animam rationalem. » Eadem doctrina definita est in Conciliis, nempe in *Alexandrino* anno 362, in *Romano* anno 373, in *Antiocheno* anno 378, et in *CPtano I* anno 381, quod in Epistola Synodica ait: *Nos praeterea doctrinam Dominicae Incarnationis integram et perfectam tenemus: neque dispensationem carnis Christi, vel animae, vel mentis expertem, vel imperfectam esse asserimus, sed agnoscimus Verbum Dei ante saecula, omnino perfectum hominem in novissimis diebus pro nostra salute factum esse.* Concilium *Chalcedonense* citatum est § 277, n. 4. *CPtanum II*, generale V, can. 4, anathematizat eos, *qui non confitentur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali, et intellectuali secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse.*

Nota. Difficultates, quas Apollinaristae contra doctrinam catholicam moverunt, facile e medio tolluntur.

Obi. I. Ioannes I, 14, Incarnationis mysterium describens dicit: *Verbum caro factum est*, sine ulla animae mentione: ergo Verbum corpus quidem humanum assumpsit, non autem animam.

Resp. Si vocabulo, quo utitur S. Ioannes, stricte insistendum esset, Christus ne integrum quidem corpus humanum, non sanguinem, non ossa, etc., sed solam carnem assumpsisset, quod ipsi Apollinaristae non admittunt sub nomine carnis integrum corpus intelligentes. Eadem ratione rectissime dicimus sub nomine carnis integram naturam humanam intelligendam esse. — Plurima enim sunt in Ss. Litteris loca, in quibus *caro* ponitur pro integro homine, seu pro anima et corpore: sic e. g. *Omnis caro corruperat viam suam* (8): *Ad te omnis caro veniet* (9); *Benedicat omnis caro nomini sancto eius* (10);

(1) In libris c. Eunom. (2) L. 1 c. Eunom. (3) Epist. 8. (4) Tract. 47 in Ioan. n. 9. (5) Serm. 237, c. 4. (6) L. 5 c. haer. c. 11. (7) De fide ad Petr. c. 24. (8) Gen. 6, 12. (9) Ps. 64, 3 (10) Ps. 144, 21

Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est (1); *Effundam spiritum meum in omnem carnem* (2); *Videbit omnis caro salutare Dei* (3). Ex his locis patet, S. Scripturae satis commune esse, ut nomine carnis totum hominem, seu integram naturam humanam ex anima et corpore constantem intelligat. Atque hoc sensu verba S. Ioannis sumenda esse, eaque significare, Verbum hominem factum esse, patet tum ex aliis Scripturae locis, in quibus Verbo incarnato sicut integrum corpus, ita et vera anima attribuitur, tum ex perpetuo Ecclesiae sensu. Atque hac etiam de causa hoc mysterium communiter appellari solet *Incarnatio*, non quasi sola caro assumpta fuerit, sed ut per hanc integra natura humana intelligatur. Qui secus sentiunt, ait *S. Gregorius Naz.* (4), « ignorant - res hasce per synecdochen enuntiari, toto nempe per partem indicato : et (5) addit : Huc accedit, quod non aliter Dei erga nos amor testatus esse poterat, quam ex eo quod caro in memoria fuerit, et quia nostri causa ipse etiam usque ad deteriorem partem se demisit. » Eandem rationem affert *S. Augustinus* (6) dicens : « Volens Evangelista commendare pro nobis dilectionem humilitatis Dei, Verbum et carnem nominavit, praetermittens animam, quae est Verbo inferior, carne superior. »

Obi. II. Anima necessaria est corpori, ut illud vivificet, atque ad operandum moveat : sed hoc totum praestabatur a Verbo divino, de quo intelligitur illud Ps. XXXV, 10 : *Domine, apud te est fons vitae :* superflua igitur erat in Christo anima, adeoque a Deo minime assumpta, qui nihil frustra operatur. — Eodem modo Christo necessarius non erat intellectus, cum in illo esset sapientia divina, quae est *lux vera* illuminans omnem hominem (7).

Resp. Nullus Catholicorum negat, Deum esse fontem vitae, seu primam causam vitae effectivam ; omnes enim *in ipso vivimus, movemur, et sumus* (8). Admittimus igitur, Deum per omnipotentiam suam etiam sine anima corpus Christi vivificare, et ad operandum movere potuisse : ast anima humana, et quidem mente et intellectu praedita necessaria fuit ad integram naturam humanam constituendam, quam Filius Dei assumere voluit et vere assumpsit. Non ergo, ut observat *S. Gregorius Naz.* (9), Deus supervacaneum quid operatus est animam humanam assumendo, sed id peregit, quod ad aeterna divinitatis consilia adimplenda requirebatur. Et sane anima Christi fuit principium et subiectum quarundam passionum, v. gr. metus, tristitiae etc. : atqui Verbum non potuit esse principium, et subiectum huiusmodi passionum : ergo necessaria fuit in Christo anima humana, ut Divinitatis consilia adimplerentur.

Obi. III. Lux maior evacuat lucem minorem ; ergo mens divina mentem humanam in Christo evacuat.

Resp. Concedi potest, lucem maiorem evacuare lucem minorem corporis illuminantis, ita ut huius vis illuminans per lucem maiorem sublata videatur ; sed tamen admittendum est, lucem minorem coram luce maiori, ex. gr. accensam candelam in conspectu solis consistere posse : quapropter mens humana in Christo cum mente divina consistere potest. Praeterea omnino negandum est, lu-

(1) Is. 40, 5. (2) Ioël 2, 2. (3) Luc. 3, 6. (4) Ep. 101 ad Cledon. n. 13. (5) N. 14. (6) L. de divers. quaest. 83, quaest. 80.

(7) Io. 1, 9. (8) Act. 17, 28 (9) In citata Ep. ad Cledon.

cem maiorem evacuare lucem minorem corporis illuminati; neque enim, praesente sole, adamantis splendor evanescit, sed potius augetur: porro mens humana in Christo est quasi lux illuminata a luce Verbi divini: ergo per hanc illa non evacuatur, sed perficitur.

Obi. IV. Homo dicitur factus ad imaginem Dei praecipue propter animam et rationem (§. 203, n. 1): sed ubi est praesentia rei, non requiritur eius imago, imo haec penitus evanescit; ergo in carne a Verbo Dei assumpta necessaria non erat anima, vel eius ratio: imo haec nullo modo admitti potest.

Resp. Quatenus imago ad memoriam rei absentis excitandam ordinatur recte dicitur, ipsa re praesente, imaginem non requiri, sed tamen haec cum re praesente consistere potest; aut quis, si Imperator coram sua imagine stet, vel sedeat, dicet, hanc penitus evanescere? — Recte etiam S. *Thomas* (1) observat, hinc inde ipsam rei praesentiam requiri ad imaginem perficiendam, « sicut imago in cera perficitur per impressionem sigilli, et imago hominis resultat in speculo per eius praesentiam. » In anima iusti non solum imago Dei naturalis, sed et supernaturalis adest (§ 203, n. 2), et haec praesentiam Dei non solum non excludit, sed supponit, et per istam perficitur (2). Ita etiam in Christo anima rationalis, quae est imago Dei, ob praesentiam Verbi non evanescit; sed per unionem cum isto maxime perficitur, perfectissimam obtinens scientiam, et sanctitatem, ut inferius ostendetur.

(1) 3, q. 5, art. 4 ad 1.
(2) Io. 14, 13; 1 Cor. 3, 16.
(3) Io. 5, 30. (4) Io. 6, 38.
(5) Io. 10, 30.

II. *Verbum assumpsit voluntatem humanam, proindeque in Christo non una, sed duplex est voluntas divina et humana.*

§ 203. Monothelitae, qui unican in Christo voluntatem esse assereb nt, non divinam negabant, sed human m, liberam et activam excludebant. De hac igitur agendum, eamque a Verbo vere assumptam esse probandum est. Equidem propositio nostra ex hactenus demonstratis rectissime infertur. Christus enim, ut probatum fuit, factus est verus homo, et integram ac perfectam naturam humanam assumpsit: ad hanc autem essentialiter pertinet anima, et quidem sicut intellectu, ita et voluntate libera et activa praedita: ergo Christus etiam voluntatem liberam et activam assumpsit. Sed pro hoc dogmate etiam specialia argumenta ex S. Scriptura et Traditione afferri possunt.

1. *In S. Scriptura* pro dogmate catholico luculentissima argumenta inveniuntur. Christus ipse clarissimis verbis sibi voluntatem humanam adscribit; ait enim: *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me* (3); et: *Descendi de coelo: non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me* (4). In utroque textu Christus distinguit suam voluntatem, quam non quaerit, et non pro actionum suarum regula, seu motivo sumit, a voluntate Patris, quam quaerit et adimplet. Ast per suam voluntatem Christus hic non potuit intelligere divinam; haec enim cum sit ipsa essentia Dei, una est Patris et Filii, ita ut inter voluntatem Patris et voluntatem divinam Filii nulla prorsus distinctio locum habeat, quod Christus ipse innuit, dicens: *Ego et Pater unum sumus* (5). Si autem inter voluntatem Patris et voluntatem divinam Filii nulla prorsus distinctio locum

habet, et Christus tamen suam voluntatem a voluntate Patris distinguit: certe in Christo alia voluntas praeter divinam admittenda est, nempe humana, et quidem libera, quae quaerit, et activa, quae facit voluntatem Patris. — Porro, instante passione, ita Christus oravit: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (1); vel ut legitur Luc. XXII, 42: *Non mea voluntas, sed tua fiat:* his quoque in verbis Christus suam voluntatem manifestissime a voluntate Patris distinguit; imo suam voluntatem voluntati Patris perfectissime subiicit: ast voluntas divina Filii neque a voluntate Patris distingui, neque sibimetipsi subiici potest: ergo necessario in Christo agnoscenda est voluntas humana, quae se libere voluntati Patris subiecit. — Ideo Christus etiam dicitur *obediens* fuisse: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (2). Obedire autem nullus dici potest, nisi qui suam voluntatem libere voluntati alterius subiicit. Quod si Christus solam divinam voluntatem habuisset, nullo modo obediens esse potuisset, quia divina voluntas subiectionis capax non est: obedientiam ergo Christus praestitit per voluntatem humanam, quam in subeunda passione et toleranda morte Patri libere subiecit. — Huc spectant etiam verba Ps. XXXIX, 8 etc., ubi Messias, ita loquens, exhibetur: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei;* quae verba (3) Christo applicantur, et aperte eius voluntatem humanam voluntati Patris perfecte subiectam ostendunt. — Huc accedunt illa Scripturarum effata quae de Christo referunt, quae hominis sunt et humanae naturae consentanea; ex. gr.: *Ingressus domum neminem voluit scire, et non potuit latere* (4); ex quibus verbis ita argumentatus est *S. Maximus M.:* voluit Christus latere, et non potuit: sed de divina eius voluntate, cui omnia possibilia sunt, istud intelligi non potest; ergo intelligi debet de humana voluntate: erat ergo in Christo humana voluntas a divina distincta; ac latere voluit quatenus homo, non quatenus Deus erat. Idem argumentum proponit *S. Io. Damascenus* (5). Similia loca multa habentur, in quibus volitiones Christi humanae commemorantur; uti: *In crastinum voluit exire in Galilaeam* (6), in qua ut Deus non autem ut homo aderat. *Venit ad eos* (Apostolos) *ambulans super mare, et volebat praeterire eos* (7). *Non volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere* (8). *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum gustasset, noluit bibere* (9); haec et multa alia similia loca aperte ostendunt, Christum actus elicuisse humanae voluntati proprios.

2. *Ss. Patres* constanti consensu duas in Christo voluntates professi sunt. *S. Athanasius* (10) in illa verba: *Pater, si fieri potest* etc., ita disserit: « Duas hic voluntates ostendit (Christus), unam videlicet humanam, quae est carnis propria, alteram divinam. Nam humana propter carnis imbecillitatem, deprecatur passionem; divina vero ipsius prompta est. » Ex iisdem verbis idipsum infert *S. Gregorius Nyss.*, dicens: « Quoniam igitur alia est voluntas humana, alia divina, loquitur

(1) Matth. 26, 39. (2) Phil. 2, 8.
(3) Hebr. 10, 7. (4) Marc. 7, 24.
(5) In l. de duabus Christi voluntatibus. (6) Io. 1, 43. (7) Marc. 6, 48.
(8) Io. 7, 1. (9) Matth. 27, 34.
(10) L. de incarn. et contra Arian. n. 21.

quidem ut homo, quod infirmitati carnis congruit, qui nostras passiones suscepit » (1); et *S. Chrysostomus* in eadem verba ita disserit: « Propriam quidem habere se voluntatem manifeste demonstrat, sed ubique paternam voluntatem anteponit suae » (2). *S. Basilius* (3) scribit: «Neque enim fieri potest, ut quae naturae ratione discrepant, in forma operationum inter se consentiant; » et (4): « Quorum enim diversa substantia est, horum non est similis operatio: » ergo sicut in Christo duas naturas, ita et duas operationes et duas voluntates agnoscit. *S. Gregorius Naz.* (5) de Christo dicit: « Humana omnia, excepto peccato, suscepit » — si humana omnia, ergo etiam voluntatem humanam. *S. Cyrillus Alex.* (6) inquit: « Quocirca quae divinitati convenienter dicta, vel facta sunt, Salvatorem indicant Deum: et rursus quae humanitus dicta sunt et facta, verum hominem ostendunt; » et ibid. (7) ait: « Non enim unam utique esse dabimus operationem Dei, et opificii: ne aut creaturam ad divinam provehamus substantiam, aut divinae naturae praestantiam in eum, qui rebus factis convenit, redigamus locum. Nam quibus operatio et virtus citra ullum discrimen est una, iis speciei quoque constare necesse est unitatem. » S. Pater ergo aperte in Christo duplicem operationem, divinam et humanam, distinguit, atque ideo etiam duplicem voluntatem profitetur. Cum Patribus graecis consonant latini. *S. Hilarius* (8) scribit: « Nostri igitur causa haec omnia Iesus Christus manens, et corporis nostri homo natus, secundum consuetudinem naturae nostrae locutus est; non tamen omittens naturae suae esse, quod Deus est. » *S. Ambrosius* (9) inquit: « Quod autem (Christus) ait: *Non mea voluntas, sed tua fiat;* suam ad hominem retulit, Patris ad divinitatem; voluntas enim hominis temporalis, voluntas divinitatis aeterna. » Idem (10) ita loquitur: « Sed alia voluntas hominis, alia Dei... Suscepit ergo voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, quia crucem praedico. Mea est voluntas, quam suam dixit, quia ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo locutus est, et ideo ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* » — *S. Augustinus* (11) ita disserit: « Ubi autem dixit Filius Patri: *Verum non quod ego volo, sed quod tu vis:* Quid te adiuvat, quod tua verba subiungis, et dicis: ostendit vere suam voluntatem subiectam suo genitori. Quasi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subiectam. Nam ex natura hominis hoc dixisse Dominum cito videt, qui locum ipsum Evangelii paulo attentius intuetur... Homine quippe non assumpto, nullo modo Patri diceret unicum Verbum: *Non quod ego volo.* Nunquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quam Pater. » *S. Hieronymus* (12) ait: « Dominus noster unus atque idem filius Dei et filius hominis, iuxta utramque naturam divinitatis et carnis, nunc magnitudinis suae, nunc humilitatis signa demonstrat. » *S. Leo M.* (13) dicit: « Ut suscipientis susceptaeque naturae esset manifesta distinctio,

(1) Relat. in Syn. 6, actione 4, v. Labb. t. 6, col. 652.
(2) Cit. in Syn. 6, act. 10, ib. col. 792.
(3) Epist. 189, ad Eustach. n. 6.
(4) L. 4, c. Eunom. (5) Or. 38, n. 13.
(6) L. 24 Thesauri. (7) Lib. 32.
(8) L. 9 de Trinitate.
(9) L. 10, in Luc. n. 59.
(10) Lib. 2, de fide, c. 7, n. 52 etc.
(11) L. 2, c. Maximin. c. 20, n. 2.
(12) Comment. in c. 28. Matthaei.
(13) Serm. 5 de Passione c. 2.

quod erat hominis, divinam desideravit potentiam: quod erat Dei, ad causam respexit humanam. Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior, et cito demonstratum est, quid possit a trepidante orari, et quid non debeat a medente concedi. » Idem (1) ad Leonem Augustum scribit de Christo: « Secundum quidem formam servi non venit facere voluntatem suam, sed eius, qui misit eum: propriam dixit, quam temporaliter accepit de Virgine: voluntatem autem eius, qui misit eum, utique hanc ostendit, quam sine tempore habuit cum Patre communem. » Ita Ss. Patres doctrinam catholicam de duabus in Christo voluntatibus et operationibus iam ante exortam haeresin Monothelitarum clare tradiderunt. Cum autem haec haeresis graves tumultus excitaret, eidem fortiter se opposuerunt *S. Sophronius* Patr. Hierosol., *S. Maximus* Abbas Martyr, et *Anastasius* Abbas, et *S. Martinus* I Rom. Pontifex, qui in *Concilio Lateranensi* anno 649 habito Monothelitas condemnavit: in hoc Concilio, cui 105 Episcopi interfuerunt, can. 10 dicitur: *Si quis non confitetur proprie, et vere duas eiusdem, et unius Christi voluntates, similiter et operationes cohaerenter unitas divinam, et humanam, — sit condemnatus.* Quoniam autem post hoc concilium tumultus non cessarunt; denique *Concilium CPtanum III*, generale VI, anno 680 inchoatum, et 681 absolutum est. In hoc concilio *Macarius Antioch.* cum suis sociis errorem suum defendere nisus est, sed cum idonea pro se testimonia non inveniret, Ss. Patrum et Conciliorum codices corrumpere et interpolare tentavit, de qua temeritate in actione 6 et 8 convictus et depositus est. Concilium autem doctrinam catholicam in actione 18 his verbis definivit: *Duas naturales voluntates in eo* (Christo) *et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum Ss. Patrum doctrinam aeque praedicamus, non contrarias, absit, iuxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem eius humanam voluntatem; et non resistentem, vel reluctantem, sed potius et subiectam divinae eius, atque omnipotenti voluntati.*

3. Theologi etiam *rationes theologicas* afferre solent, ut duas in Christo voluntates et operationes probent. Huiusmodi autem argumenta theologica quasi in nucleo proponit *S. Io. Damascenus* (2) dicens: « Si non assumpsit humanam voluntatem Christus, qua voluntate factus est Patri obediens? Si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate factus est sub lege (3)? — Si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate implevit omnem iustitiam (4)? - Si non assumpsit humanam voluntatem, non attulit ei remedium; quod enim non assumptum fuit, non est curatum, ait *Gregorius Theologus* etc. » — Idipsum alia ratione confirmat, quod scilicet voluntas non ad personam pertineat, sed ad naturam, si enim ad personam pertineret, cum alia sit persona Patris, alia Filii, etiam divina Christi voluntas a voluntate Patris diversa esset, quod plane absurdissimum est. Sicut ergo divina voluntas pertinet ad naturam divinam, ita humana voluntas pertinet ad naturam humanam, et hanc Christus integram non assumpsisset, si voluntate humana caruisset. Ideo etiam *S. Thomas* (5) ita argumentatur: « Manifestum est, quod Filius Dei assumpsit humanam natu-

(1) Ep. 97.
(2) Lib. de duabus Christi voluntatibus.
(3) Gal. 4, 4.
(4) Matth. 3, 15.
(5) 3 q. 28 art. 2.

ram perfectam. Ad perfectionem autem humanae naturae pertinet voluntas, quae est naturalis eius potentia, sicut et intellectus.... Unde necesse est dicere, quod in Christo sint duae voluntates, una scilicet divina et alia humana. »

Nota. Cum in isto capite de humanitate Christi, et in praesenti articulo de anima Christi agamus; necessario id probandum erat, quod Monothelitae negabant, nempe Christum voluntatem quoque humanam, liberam et activam assumpsisse. Caeterum de duabus in Christo operationibus specialis sermo in sequenti capite instituetur, quoniam ad hanc theoriam rite intelligendam necesse est, ut dogmata catholica de unitate personae et de duabus naturis in Christo cognoscantur: ibi etiam obiectiones solventur, quae praecipue contra duplicem in Christo operationem a Monothelitis proferuntur. Hic illas tantum solvemus, quae propius contra dogma catholicum de duabus in Christo voluntatibus diriguntur.

Obi. I. Nulla est, nec esse potest in Christo voluntatum pugna, quod omnes admittunt: ast si allata S. Scripturae loca litterali sensu intelligerentur, talis pugna insurgeret; sequeretur enim, Luc. XXII, 42, voluntatem humanam Christi mortem refugisse, quam divina imperabat, et Io. VI, 38 satis manifeste ostenderentur duae contrariae sibi voluntates, quarum unam Christus non exequi, alteram vero adimplere debuisset: ne igitur tale absurdum sequatur, dicendum est, allata S. Scripturae testimonia metaphorice esse intelligenda, prout metaphorice illa loca biblica intelliguntur, in quibus ipsi divinitati oculi, aures, manus, pedes etc. adscribuntur.

Resp. Negandum est omnino, ex allatis Scripturae testimoniis in Christo voluntatum pugnam, seu conflictum sequi. Etenim illis verbis, quibus postulat Christus, ut si fieri posset, transiret a se passionis imminentis calix; non exprimit nisi naturalem affectionem carnis, seu, ut dicitur, partis inferioris mortem recusantis; quae quidem affectio insita nostrae naturae est, atque a Deo ipso eiusdem auctore illi ingesta. Quare, cum Christus eius vocem expressit, ut nobis consubstantialem naturam se habere ostenderet, maxime obsecutus est auctori ipsi naturae. Haec autem naturalis affectio non est proprie dicta voluntas; dici propterea nequit, inde patefieri voluntatum contrarietatem; eo magis, quod non absolute, sed sub conditione, *Si fieri potest*, eiusmodi affectionem sibi congenitam, et secundum hominem patefecerit. Vera et proprie dicta voluntas humana Christi ex subsequentibus verbis ostenditur. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* vel: *non mea voluntas, sed tua fiat;* quibus vincens naturalem affectionem infirmae naturae, se paratum exhibet ad Patris voluntati obsequendum, ac plenam ostendit voluntatis suae humanae cum voluntate divina consensionem et conformitatem. In his porro postremis verbis Catholicorum argumenti vis sita est, duae enim consentientes exhibentur voluntates, et ideo duae, quia consentientes, nam nonnisi inepte una eademque voluntas secumetipsa consentiens diceretur. Quod spectat ad alium textum, quem pariter obiiciebant haeretici ad evincendum voluntatum conflictum ex Io. VI, 38: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me;* ostenditur quidem ex eo duplex voluntas in Christo, non autem earundem pugna.

nullo enim pacto Christus his verbis innuit, voluntatem suam voluntati Patris contrariam esse, sed solum declarat, primariam suarum actionum regulam ac motivum esse divinam, seu Patris voluntatem, et huic voluntatem suam humanam penitus submissam ac plane conformem esse. Ideo ait: *Ego quae placita sunt ei facio semper* (1); imo profitetur: *Meus cibus*, i. e. maximum meum studium, et totum meum desiderium, *est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius* (2); ex quo patet, voluntatem humanam nullo modo divinae contrariam fuisse. Nulla ergo ratio poscit, ut allata testimonia biblica metaphorice intelligamus, sed insistendum est sensui litterali, et duae in Christo voluntates agnoscendae sunt. Inepte etiam paritas petitur ex iis, quae de divinitate metaphorice dicta sunt. Nam Dei naturam mere spiritualem esse, ipsa Scriptura testatur: Verbum autem carnem factum esse, seu naturam humanam assumpsisse, eadem Scriptura docet et ipsi Monothelitae fatentur.

Obi. II. Eximii Ecclesiae Doctores in Christo unicam voluntatem, nempe divinam agnoverunt. *S. Athanasius* (3) scribit: « Iste vir natus est ex muliere, qui ex prima creatione sibi formam hominis erexit, et excitavit in ostensione carnis, sed sine voluntatibus carnalibus, et sine humanis cogitationibus, in imagine novitatis: voluntas enim erat solius divinitatis. » *S. Gregorius Naz.* (4) de Filio Dei dicit: « Velle enim illius in nulla re erat Deo contrarium, totum deificatum. » Imo *S. Athanasius, S. Cyrillus Alex.*, et alii humanitatem Christi appellant « organum et instrumentum divinitatis: » sed instrumentum non movetur propria voluntate, sed voluntate causae principalis moventis, ergo et humanitas Christi propriam voluntatem non habuit, sed a sola Divinitate mota fuit.

Resp. Ss. Patres duas in Christo voluntates professos esse iam n. 2 probatum est. Testimonia autem hic allata, si rite expendantur, doctrinae catholicae non adversantur. Nam *S. Athanasius* loquitur de carnalibus voluntatibus et humanis cogitationibus culpabilibus, quas certe Verbum divinum non assumpsit, nec assumere potuit. Hinc iam in Synodo VI, act. 8, Macario Antioch. haec Athanasii verba obiicienti, *Theophanes* Abbas respondit: « Si testimonium, quod detruncastis, in integro posuissetis, inveniebatur, quod carnales voluntates, et humanas cogitationes culpabiles, et voluptuosas accepit S. Pater, quae ex seminatione diabolica illatae sunt humanae naturae. » Quando autem *S. Athanasius* dicit, voluntatem Christi fuisse solius divinitatis, iuxta nonnullos id dicit solum quantum ad regimen et directionem, quae competebat divinitati, et cui humana voluntas perfectissime obsequens erat: iuxta alios non loquitur hic S. Doctor de natura humana, quae fuerit suae voluntatis expers, sed de ipso opere Incarnationis, quod a sola voluntate divina effectum fuit: in hoc sensu etiam *Clemens Alex.* (5) dicit: « Voluntas erat solius divinitatis, » ut nempe Verbum fieret caro, neque enim incarnatio a voluntate humana pendebat. — Verba *S. Gregorii Naz.* doctrinae catholicae non adversantur; ex iis potius colligitur, duplicem esse in Christo voluntatem, non unam; voluntas enim deificata certe non est voluntas divina, quae nulla prorsus ratione vocari potest deificata: est i-

(1) Io. 8, 29. (2) Io. 4, 34.
(3) Lib. de salutari adventu Christi.
(4) Or. 38, seu 2 (5) L. 6 Strom.

gitur voluntas humana, quae deificata dicitur, quia a Verbo assumpta et voluntati divinae penitus subiecta, et plane conformis est. Etiam *S. Agatho* Epist. I ad Imp. (1) ita respondet, dicens: « Quod natura divinum est, non indiget deificari; quod vero deificatur, non est profecto natura divinum. » Eadem igitur ratione dixerunt nonnulli Patres deificatum Christi *velle*, qua deificatam dixerunt humanam ipsius naturam, quae tamen, ipsis Monothelitis fatentibus, integra permansit. — Denique falsa est adversariorum argumentatio, dum ex eo, quod natura Christi humana divinitatis instrumentum appelletur, inferunt, eam voluntate expertem fuisse, quia instrumentum non movetur propria voluntate, sed voluntate causae principalis moventis. Hoc enim verum est, si sermo sit de instrumento inanimi, ut est securis, vel serra, quae ab artifice movetur solo motu corporali: falsum vero est de instrumento animato, intellectu et voluntate praedito; hoc enim movetur a causa principali per eiusdem voluntatem, sicut per imperium Domini movetur servus-utique per propriam voluntatem. Et sic etiam natura humana Christi movebatur a Verbi persona per propriam ipsius naturae humanae voluntatem. - Nemo profecto dubitat, *S. Io. Damascenum* duas in Christo voluntates agnovisse, quoniam hoc dogma strenue contra haereticos defendit: et tamen ipse quoque naturam humanam in Christo (2), « instrumentum divinitatis » vocat: ergo ex hac appellatione nullatenus inferri potest, humanam Christi voluntatem negari (3).

Obi. III. Monothelitae duas in Christo naturas profitebantur, et tamen duas voluntates negabant: ut autem ab hac contradictione se expedirent et errorem suum tuerentur, ita argumentabantur: Ex eo, quod duae sint in Christo naturae, non sequitur duas etiam in eo esse voluntates. Voluntas enim non pertinet ad naturam: nam quae pertinent ad naturam sunt necessaria, sed voluntas est libera, atque ideo a natura aliena: ulterius si voluntas ad naturam pertinet, tot erunt in nobis naturae, quot volitiones, et quotiescumque voluntas mutatur, mutabitur etiam natura, quod a ratione absonum est: demum valere debet exemplum de homine, in quo sunt duae naturae, corpus et anima; et tamen nonnisi una est voluntas: ergo et in Christo quamvis duae sint naturae, nonnisi una tamen est voluntas.

Resp. Ad naturam humanam pertinent corpus et anima: ad animam vero humanam pertinet sicut intellectus, ita et voluntas: ergo haec pertinet ad naturam humanam. Rationes adversariorum frivolae sunt. Ad primam recte respondetur, ipsam potentiam voluntatis esse naturalem, adeoque necessariam, seu necessario in humana natura inveniri; sed motum, seu actum huius potentiae esse liberum. Ad secundam similiter respondetur, voluntatis actus diversos esse, et infinities mutari; non autem ipsam potentiam, quae eadem semper manet: etiam oculus, qui ad corpus pertinet, varia obiecta aspicere, vel etiam ab iis aspiciendis abstinere potest, et tamen ideo nec natura oculi, nec natura corporis mutatur. Tertia denique, ex paritate hominis deducta, maxime claudicat; nam in homine est quidem natura spiritualis, et natura materialis, sed in hac voluntas, quae est potentia

(1) In Syn. 6, Act. 4.
(2) L. 3 de orth. fide c. 2, et 9.
(3) Cf. S. Thom. 3 q. 18. a. 1 ad 2.

spiritualis, adesse nullatenus potest; atque ideo una manet in homine voluntas. Sed in Christo duae sunt naturae rationales, divina et humana, et in utraque voluntas necessario continetur: ergo duae sunt in Christo voluntates.

Obi. IV. Doctrina Monothelitarum oraculo pontificio confirmata fuit. Nam *Honorius* Rom. Pontifex in Epistolis ad Sergium non solum huius agendi rationem et consilium laudavit, sed etiam expresse docuit, unam esse in Christo voluntatem, et unam operationem. Nec dubitare licet, *Honorium* eandem cum *Sergio*, *Cyro*, *Macario* etc. doctrinam tenuisse, quoniam illi non minus quam his in Concilio gener. sexto anathema dictum fuit, uti ex actis huius Concilii constat.

Resp. Falsum omnino est, Honorium in Monothelitarum haeresin lapsum esse. Ipse enim omnino catholice sensit, duas in Christo voluntates, divinam et humanam, ac duas operationes agnoscens et docens. Quodsi unam Christo adscribit voluntatem, et alteram excludit, id de sola humana Christi natura dictum est. In nobis enim hominibus per peccatum originale corruptis duae voluntates distingui solent, superior, quae legi Dei condelectatur, et inferior, quae legi mentis repugnat, a bono retrahit et ad malum inclinat. Hanc inferiorem voluntatem *Honorius* Christo denegavit, humanam autem voluntatem rectam et divinae voluntati conformem ipse quoque asseruit. Istam fuisse Honorii mentem ex ipsius verbis manifestum est. Nam in Epist. I ad Sergium (1) ita loquitur: « Unde et unam voluntatem fatemur D. N. I. Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata... Non est itaque assumpta, sicut praefati sumus, a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi mentis eius; nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia supra legem natus est humanae conditionis. » — Quod attinet ad operationes, *Sergii* fraude deceptus approbavit *Honorius* ad novas praecavendas quaestiones, ne in posterum una, vel gemina diceretur in Christo operatio; quia scilicet spectabat hanc denominationem ut discordiarum segetem, quaeque potius ad grammaticam quam ad ecclesiastica dogmata pertineret. En rursus eius verba: « Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant derivatae dici, vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare. » Caeterum catholicam doctrinam quoad duas Christi operationes *Honorium* tenuisse, evidenter ostendunt, quae in Epist. II ad Sergium (2) scripsit: « Utrasque naturas, inquit, in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et humanam quae hominis sunt exequentem, non divise, neque confuse, aut convertibiliter... Sed naturarum differentias integras confitentes. » Ex his Honorii verbis clare patet, ipsum catholice sensisse, et a Monothelitarum errore alienum fuisse. Hoc idem etiam gravissima testimonia confirmant. Nam *Ioannes IV*, Honorii post Severinum successor, in Epist. ad Constantinum Imp. Apologiam pro Honorio exaravit (3), in qua inter alia dicit: « Decessor meus, do-

(1) V. Syn. 6. Act. 12. (2) Ibid.

(3) V. Labb. Concil. T. 5. Coll. 1760 etc.

cens de mysterio Incarnationis Christi, dicebat non fuisse in eo sicut in nobis peccatoribus mentis et carnis contrarias voluntates. Quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium.» Hortatu eiusdem *Ioannis IV*, alius *Ioannes* Abbas romanus, et Honorii amanuensis, qui eius nomine litteras ad Sergium exaravit, ad Imperatorem epistolam scripsit (quae inter op. S. *Maximi* extat), in qua sequentia profitetur: « Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis eius et humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis inquam et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter humanitatem signabat. » S. *Maximus* Martyr Honorium contra Monothelitas constanter defendit, contenditque, in disputatione cum *Pyrrho* habita, legitimum epistolae Honorii sensum resciendum esse a Ioanne Honorii amanuensi et epistolae auctore, qui genuinam huius expositionem ad Imperatorem misit: quam cum *Pyrrhus* audivisset, victas dedit manus. — Denique S. *Agatho* R. P. in epistola ad Constantinum Pogonatum Imp. citat verba Christi: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (1); et dein ita prosequitur: « Hic Dominus fidem Petri non defuturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum. » Haec Agathonis epistola in Synodo VI, act. 18 lecta approbataque fuit. — Ast vix intelligi posset, quomodo Agatho tam fidenter pronuntiare potuisset, praedecessores suos semper fratres suos in orthodoxa fide confirmasse, si illo tempore persuasio viguisset, Honorium in epistolis ad Sergium haereticam sententiam proposuisse: et multo minus intelligi posset, quomodo Agathonis epistola a Concilii Patribus, nullo reclamante, approbata fuisset. Ex hac ergo epistola recte infertur, neque Agathonem, neque Patres Concilii arbitratos esse, Honorium in Monothelitarum haeresin prolapsum esse. — Ast cur *Honorius* cum reliquis Monothelitarum coryphaeis in Concilio generali sexto anathemate perculsus est? — Nonnulli cum *Bellarmino*, *Baronio*, etc. id factum fuisse negant, et contendunt, epistolas Honorii a Monothelitis depravatas, acta autem sextae Synodi a Graecis interpolata fuisse: sed talem interpolationem difficile est admittere, difficilius probare. — Alii cum *Car. Sardagna* (2), Honorium a Concilio damnatum fuisse admittunt, sed hanc damnationem nonnisi iniquissime factam, ac ideo nunquam a Rom. Pontificibus ratihabitam esse: sed haec sententia, quae auctoritati Concilii sexti generalis nimium derogat, admitti nequit; imprimis, quia eadem quae in sexta Synodo pronuntiata sunt anathemata, subsequentes Synodi septima et octava confirmant. — Plerique cum *Petro de Marca*, *Natal. Alex.*, *Pagio*, *Gravesonio* etc. dicunt, Honorium damnatum fuisse non quod haereticus fuerit, aut haeresin docuerit, sed quod Sergio rescribens eius iudicium et sententiam laudaverit, quamvis a S. *Sophronio* de nova haeresi et cal-

(1) Luc. 22, 32.

(2) T. 1, in Append. ad Art. 3, Controv. 10.

lidis haereticorum effugiis admonitus, sicque fautor factus fuerit haeresis, et quam in ortu suo comprimere sua auctoritate debuisset, eam crescere et dilatare se permiserit intempestivo pacis studio, et ratione agendi timida nimis et ancipiti. — Hanc fuisse causam, ob quam *Honorio* anathema dictum est, confirmatur auctoritate *Leonis II* R. P., qui in epistola ad Constantinum Pogonatum Imp., qua Concilium generale sextum confirmavit, anathema dicit Monothelitis a Concilio damnatis, et dein addit: « Nec non: damnamus et Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit. » Idem in Epist. ad Hispaniae Episcopos commemorat condemnationem Honorii, « qui flammam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit. » Idem eruitur ex Constantini Pogonati edicto, quo Concilii acta sua imperiali potestate communivit; dicit enim: « Super haec omnia anathematizamus eos, qui supervacuorum et novorum dogmatum haeretici auctores atque *fautores* sunt. Dicimus autem *Theodorum* etc... Ad haec et *Honorium*, qui fuit antiquae Romae Papa horum haereseos in omnibus fautorem, concursorem et confirmatorem; » quibus verbis Honorius aperte distinguitur ab haeresis auctoribus, et unius in Christo voluntatis adsertoribus, et id tantum in ipso reprehenditur, quod conniventia sua haeresis fautor factus sit, imo et visus fuerit ad eandem concurrere eamque confirmare. Id saltem haeretici, quamvis falso, asserebant, et de Honorii auctoritate gloriabantur. Non ergo reprehendi potest Concilium quod etiam in Honorium anathema tulerit, quod ob eius culpabilem agendi rationem iuste ferre poterat: hac enim ratione praecavit, ne haeretici ipsius auctoritate ad pravam suam doctrinam defendendam abuterentur. Caeterum, ut constat ex libro diurno Rom. Pontificum, quilibet novus electus Pontifex in professione fidei anathema dicere debuit Monothelitarum antesignanis « una cum *Honorio*, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit. »

III. *De humanis affectionibus et passionibus, quibus anima Christi obnoxia fuit.*

§ 284. Defectus animae humanae praecipui sunt peccatum, et ea, quae ex peccato proveniunt et ad peccatum inclinant, ut ignorantia et concupiscentia, seu fomes peccati. Christus autem, ut iam probatum est § 225, sicuti a peccato originali, ita etiam ab ignorantia et a concupiscentia penitus immunis fuit. Imo Christus etiam ab omni vel minimo peccato actuali immunis, et etiam prout homo omnino impeccabilis fuit, quod capite quarto probabitur, ubi de scientia et sanctitate Christi sermo instituetur. — Sed dantur etiam affectiones et passiones, quae in anima humana sine omni peccato et absque ulla inordinatione existere possunt. Tales animae passiones sunt duplicis generis: aliae sunt *corporales*, quibus anima patitur ad corporis laesionem; cum enim illa sit corporis forma, consequens est, quod unum sit esse animae et corporis, et ideo corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necesse est quod anima per accidens perturbetur, seu dolorem sentiat; aliae sunt *animales*, quae vel solam animam, vel saltem principalius animam, quam corpus afficiunt, ut affectiones appetitus sensitivi, quae in sensu maxime proprio passiones animae dicuntur, ut tristitia, metus,

ira etc. His praenotatis dicimus cum *S. Thoma* (1), animam Christi tum corporalibus, tum animalibus passionibus obnoxiam fuisse, quia non solum laesiones corporis vere sensit, et inde dolorem percepit, sed etiam tristitia, metu, ira aliisque huiusmodi passionibus affici potuit. Probe autem notandum est, quod istae animae Christi passiones quoad substantiam quidem nostris similes, quoad modum vero dissimiles fuerint. Haec discrimina egregie exponit *S. Thomas* (2), dicens: « Sciendum tamen est, quod huiusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quam in nobis, quantum ad tria. Primo quidem quantum ad obiectum: quia in nobis plerumque huiusmodi passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. Secundo quantum ad principium: quia huiusmodi passiones frequenter in nobis praeveniunt iudicium rationis; sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis... Tertio quantum ad effectum: quia in nobis quandoque huiusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo; sed trahunt rationem, quod in Christo non fuit, quia motus naturaliter humanae carni convenientes sic ex eius dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere, quae conveniebant. » Veritas doctrinae a Doctore angelico propositae *ex S. Scriptura, ex Traditione*, et *ex rationibus theologicis* probari potest.

1. *S. Scriptura* passiones tum corporales, tum animales de Christi anima praedicat. Non enim Isaias cap. LIII Messiam, v. 3, *virum dolorum, et scientem infirmitatem* appellare, neque v. 4 addere posset: *vere dolores nostros ipse portavit*, si anima Christi flagella, vulnera et caeteras laesiones corporis non sensisset, neque dolorem inde percepisset. Hoc enim supposito, nullus in Christo dolor extitisset, quia non corpus, sed anima in corpore sentit, quapropter corpus defuncti insensibile manet. In eadem hypothesi Christus ne passus quidem pro nobis dici posset, quia passio doloris sensum supponit. Ast clarissimis verbis Christus pro nobis passus dicitur; nam legitur: *In eo, in quo passus est ipse* (Christus) *et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari* (3); et Petrus dicit: *Christus passus est pro nobis* (4); certum ergo est, animam Christi laesiones corporis vere sensisse, et dolores inde percepisse. Praeterea anima Christi etiam passionibus, quas animales dicunt, obnoxia fuit. Memoratur enim in Ss. Litteris Iesu Christi *tristitia*, cum Matth. XXVI, 37 etc. dicitur: *Coepit contristari, et moestus esse;* et postea dixit discipulis: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* quibus verbis voluit significare Salvator noster, talem et adeo intensam fuisse tristitiam, quam patiebatur, ut nulla maior esse posset, cuius etiam indicium apertissimum fuit sudor ille prodigiosus. Signa etiam tristitiae et tenerrimae *commiserationis* Christus exhibuit, quando Lazarum mortuum invenit; legitur enim Io. XI, 33 etc.: *Iesus ergo, ut vidit eam* (Mariam) *plorantem, et Iudaeos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum... et lacrymatus est Iesus.* Aliud exemplum occurrit Luc. XIX, 41, ubi de Christo urbi Hierosolymae appropinquante dicitur: *Videns civitatem, flevit super illam,* quoniam incolarum huius urbis impoenitentiam cognovit, et futuras calamitates praevidit. — Porro Chri-

(1) 3, q. 15, a. 4. (2) Loco cit. (3) Hebr. 2, 17. (4) 1 Ep. 2, 21.

stus aliquando *timore* et *taedio* correptus fuit: *Coepit Iesus pavere, et taedere* (1), unde etiam illius oratio ad Patrem: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me*, et apparitio Angeli confortantis eum (2). Talem passionem iam David de Messia praedixit, quem ita loquentem inducit: *Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris... Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me. Timor, et tremor venerunt super me* (3) etc. — *Ira* quoque Iesu Christo adscribitur, sed talis ira, quae ex iusta causa orta, debitum modum servans, et ad rectum finem tendens, non solum a vitio plane immunis est, sed etiam omni iure inter virtutes recensetur, et merito ira sancta, seu zelus appellatur. Talem iram sanctam habuit Christus, et ideo legitur Marc. III, 5 de ipso: *Et circumspiciens eos* (Pharisaeos) *cum ira, contristatus super caecitate cordis eorum*, etc.; et Io. II, 15 etc., Christus nolens tolerare irreverentias maximas in templo commissas, *cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo... Recordati sunt vero discipuli eius, quia scriptum est: zelus domus tuae comedit me* (4). — Denique dantur etiam aliae affectiones et passiones, quae sine doloris sensu in anima humana existere possunt: et istae quoque Iesu Christo in Ss. Litteris attribuuntur, ut *admiratio: Audiens Iesus miratus est* (5), et laudavit fidem Centurionis; *amor seu dilectio:* sorores Lazari dixerunt: *Domine, ecce quem amas, infirmatur... Diligebat autem Iesus Martham, et sororem eius Mariam, et Lazarum* (6); *gaudium: Gaudeo propter vos, ut credatis* (7); *desiderium: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar* (8). — Ipsa autem S. Scriptura clare docet, tales affectiones et passiones in anima Christi sine ullo peccato, imo sine omni vel minima inordinatione, aut imperfectione adfuisse: nam Paulus dicit quod Christus fuerit *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato* (9), et testatur, quod fuerit *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* (10).

2. *Ss. Patres* eandem doctrinam proponunt. Et primo quidem Christum passiones corporales vere sensisse, et dolores inde percepisse, recte infertur ex eorum testimoniis § 281, n. 2 allatis. Imo et caeteras animae humanae affectiones et passiones naturales, seu animales Christo adscribebant, omnem autem inordinationem, aut imperfectionem caute ab ipso removentes. *S. Ambrosius*, lib. 2 de fide (11), ita de Christo loquitur: « Ut homo ergo dubitat, ut homo turbatur; non turbatur eius divinitas, sed turbatur anima, turbatur secundum humanae fragilitatis assumptionem, et ideo quia suscepit animam, suscepit et animae passiones; » et ibid. (12) inquit: « Mea est tristitia, quam meo suscepit affectu... ergo pro me, et in me doluit, qui pro se nihil habebat, quod doleret. » Eandem Christi tristitiam explicat lib. 10, in Luc. (13), dicens: « Tristis videbatur, et tristis erat non pro sua passione, sed pro nostra dispersione... tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. — Tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii poenas daturos, et ideo di-

(1) Marc. 14, 33.
(2) Luc. 22, 42 etc.
(3) Ps. 54, 3 etc.
(4) Ps. 68, 10.
(5) Matth. 8, 10.
(6) Io 9, 3 et 5.
(7) Io. 11, 15.
(8) Luc. 22, 15.
(9) Hebr. 4, 15.
(10) Ibid. 7, 26.
(11) C. 7.
(12) N. 53.
(13) N. 61 etc

xit: *Transfer hunc calicem a me*, non quia Filius Dei mortem timebat, sed quia vel malos perire nolebat... ut passio sua esset omnibus salutaris.» Et in Ps. LXI (1), loquens in genere de Christi passionibus, ait: «Infirmatus est... sed quasi victor infirmitatum, non infirmitatibus victus pro nobis, non pro se dolebat, et infirmatus est non propter sua, sed propter nostra peccata, ut nos suo livore sanaret.» — *S. Gregorius Nyss.* (2) de Christo scribit: « Neque Lazarum humana natura vivificat, neque iacentem plorat pati nescia potestas: verum hominis quidem propria est lacryma: vita vero eius est, quae reipsa vita est.» — *S. Io. Chrysostomus* (3) in illa verba: *Nunc anima mea turbata est*, exponens qua ratione Christus turbatus fuerit, docet, id factum esse ex humana eius voluntate, ut nempe se verum hominem probaret, et occurreret illorum querimoniae, qui forte dicturi erant, non magnum quid illum facere, qui ad mortem perferendam alios hortaretur, cum ipse illam non timeret, quam sentire non posset; - quare, ait S. Doctor, ostendebat, se non esse ab humanis affectionibus et passionibus immunem, quod autem nullam inordinationem, aut imperfectionem involvit; «quemadmodum enim neque esurire, neque dormire crimini dandum est, ita neque vitam praesentem optare. Christus autem corpus ab omni peccati labe purum habebat, non tamen naturalibus non obnoxium necessitatibus; siquidem non fuisset corpus.» — *S. Hieronymus* (4) ad illa verba: *Coepit contristari et moestus esse*, haec adnotat: « Illud quod supra diximus de passione et propassione, etiam in praesenti capitulo ostenditur, quod Dominus, ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatus sit; sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem coeperit contristari:» intelligit autem S. Doctor per passionem animi motum rationem antevertentem et a rectitudine divellentem, per propassionem autem motum animi rationi subditum ab eaque directum: in hoc sensu passionem a Christo excludit, propassionem vero in ipso admittit. — *S. Augustinus* (5) de Christo ait: « Ergo tristis fuit? - prorsus tristis, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem: quomodo voluntate carnem veram, sic voluntate tristitiam veram.» Et (6) cum dixisset, humanas affectiones et passiones, si rectam rationem sequantur, a vitio esse immunes, ita prosequitur: « Quamobrem et ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas, ubi adhibendas eas iudicavit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cum ergo eius in Evangelio ista referuntur, quod super duritia cordis Iudaeorum cum ira contristatus sit, quod dixerit: *Gaudeo super vos, ut credatis;* quod Lazarum suscitaturus etiam lacrymas fuderit, quod concupierit cum discipulis manducare pascha: quod propinquante passione tristis fuerit anima eius usque ad mortem; non falso utique referuntur. Verum ille hos motus certae dispensationis gratia ita cum voluit, suscepit animo humano, ut cum voluit factus est homo.» Et (7) in illa verba: *Nunc anima mea turbata est*,

(1) N. 6. (2) L. 4, c. Eunom.
(3) Hom. 66 (al. 67) in Io
(4) Comment. in Matth
(5) En. in Ps. 93.
(6) L. 14, de Civ. Dei, c. 9
(7) Tract. 49, in Io

ita disserit: « Quis enim eum posset nisi se ipse turbare? — Turbaris tu nolens, turbatus est Christus, quia voluit. » *S. Fulgentius* (1) dicit: « Igitur quia totum hominem Deus ille suscepit, ideo totius hominis in se passiones in veritate monstravit: et animam quidem rationalem habens, quidquid fuit infirmitatis animae, sine peccato suscepit et pertulit; ut dum humanae animae passiones in anima, quam accepit, vinceret, nostras quoque animas ab infirmitatibus liberaret. Carnem quoque humanam suscipiens in eiusdem veritate carnis veritatem voluntariae habuit passionis.» *S. Io. Damascenus* (2) inquit: « Christum naturales omnes, minimeque reprehendendas hominis affectiones assumpsisse confitemur. Siquidem hominem totum atque omnia, quae hominis natura fert, suscepit, peccato duntaxat excepto... Sed naturales nostrae passiones in Christo et secundum naturam et supra naturam erant. Etenim secundum naturam in ipso movebantur, cum carnem ea, quae in ipsius naturam cadebant, pati sineret: supra naturam autem, quoniam ea, quae naturalia erant, in Domino voluntatem haudquaquam antevertebant. Neque enim in eo quidquam coactum consideratur, sed omnia voluntaria. Volens enim fame, volens siti, volens metu, volens morte affectus est » (3).

3. *Rationes Theologicae* eandem doctrinam confirmant. Christus integram naturam humanam sucepit: sed ad hanc pertinent etiam naturales affectiones, et passiones tum corporales, tum animales: ergo etiam istae « in Christo fuerunt, sicut et caetera quae ad naturam hominis pertinent, » ait *S. Thomas* (4). Istae affectiones et passiones in Adamo innocente bene ordinatae et rationi obsequentes erant, et solummodo per peccatum originale factum est, ut rectus ordo perturbaretur, et affectiones ac passiones appetitus sensitivi rationem anteverterent, et legi Dei repugnarent. Ast Iesus Christus peccato originali inquinatus non est. unde in ipso omnes affectiones et passiones naturales optime ordinatae erant, et bonum non impediebant, sed promovebant, quod praecipue ex unione hypostatica naturae humanae cum Verbo sequitur, ut inferius ostendetur. — Praeterea Christus voluit nos per diras passiones redimere, nobisque in tribulationibus corporalibus et spiritualibus exemplum patientiae praebere, ut Apostolorum Princeps omnibus Christianis scribere posset: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius* (5). Ast ad benignissimos istos fines obtinendos necesse fuit, ut anima Christi tum corporis laesiones vere sentiret, tum et affectionibus tristitiae, metus etc obnoxia esset.

Nota 1. Contra hanc doctrinam sequentes difficultates moventur.

Obi. I. Non possunt in Christo tristitia, metus, et similes passiones admitti. Nam legitur: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit* (6); et: *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit* (7). Christus ergo, qui iustus et sanctus erat, imo ipsa iustitia et sanctitas, tristitiae et timori subiectus esse non potuit, et ideo de ipso dicitur: *Non erit tristis, nec turbulentus* (8). Huic adserto ipsa ratio suffragatur. Indigitatae enim a-

(1) L. 1, ad Trasimund. c. 16.
(2) L. 3, orth. fid. c. 20.
(3) Cf. eiusdem libri c. 23.
(4) 3, q. 15, a. 4.
(5) 1 Petr. 2, 21
(6) Prov. 12, 21.
(7) Ib. 28, 1.
(8) Is. 42, 4.

nimi perturbationes in nobis oriuntur propter ea, quae contra nostram voluntatem nobis accidunt. Sic tristitia, ut ait S. *Augustinus* (1), « est de his, quae nobis nolentibus accidunt. » Timor non est nisi de malo, quod vitari non potest. Sed nihil potuit accidere Christo nolenti, tum quia ut homo Deus omnipotente virtute pollebat, tum etiam quia eius voluntas Dei voluntati plene et perfecte subiecta erat. — Recte ideo Ss. Patres tristitiam, metum, iram et similes passiones a Christo excludunt, ut *Clemens Alex.* (2) ait: « Ipse autem passionis erat expers, ut quem nullum subiret motus affectionis, neque voluptas, neque dolor. »

Resp. Allata Scripturarum testimonia intelligenda sunt de tristitia, vel trepidatione inordinata, quae hominem a recto tramite avertit, malosque effectus producit, non autem de ea tristitia, vel trepidatione, quae mentis rationem nec praevenit, nec turbat, atque perfectam erga Dei voluntatem subiectionem non tollit. Nisi ita allata testimonia exponerentur, ipsa S. Scriptura sibi contradiceret, dum etiam de hominibus iustis tristitiam, timorem similesque passiones commemorat. Sic *Moyses*, cum Israëlitae vitulum aureum adorassent, non solum *iratus valde* (3) dicitur, sed etiam magna tristitia et tanto imminentium poenarum timore repletus describitur, ut diceret: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti* (4). Similiter *Iob*, qui, ut iustitiae et patientiae exemplar commendatur, in maxima calamitate positus, de se fatetur: *Antequam comedam suspiro, et tanquam inundantes aquae, sic rugitus meus: quia timor, quem timebam, evenit mihi, et quod verebar accidit* (5). Generatim in Ss. Litteris non exigitur, ut iustus omnino insensibilis sit, sed solum praecipitur, ut sensus rationi, ratio autem voluntati divinae subiiciatur. Ergo etiam, dum de Christo dicitur: *Non erit tristis, nec turbulentus*, non omnis tristitiae, vel timoris sensus ab ipso excluditur, sed solum tristitia, et trepidatio inordinata, quae rationem praevenit, et malos effectus progignit. — *S. Thomas* (6) eandem difficultatem, ex Stoicorum placitis petitam solvit, dicens: Stoici « pro tristitia negaverunt aliquid posse esse in animo sapientis, quia tristitia de malo est, quod iam accidit: nullum autem malum existimant posse accidere sapienti, et hoc ideo quia non credebant aliquid esse bonum, nisi honestum, quod homines bonos facit; nec aliquid esse malum, nisi inhonestum, per quod homines mali fiunt. Quamvis autem honestum sit principale hominis bonum, et inhonestum principale hominis malum, quia haec pertinent ad rationem, quae est principalis in homine; sunt tamen quaedam secundaria hominis bona, quae pertinent ad ipsum corpus, vel ad exteriores res corpori deservientes. Et secundum hoc potest in animo sapientis esse tristitia quantum ad appetitum sensitivum secundum apprehensionem huiusmodi malorum, non tamen ita, quod ista tristitia perturbet rationem. Et secundum hoc intelligitur, quod *non contristabit iustum quidquid ei acciderit*, quia scilicet ex nullo accidente eius ratio perturbatur. Et secundum hoc tristitia fuit in Christo secundum propassionem, non autem secundum passionem. » — Neque ideo tristitia, et timor Chri

(1) L. 14 de Civ. D. c. 6.
(2) L. 6, Strom. (3) Ex. 32, 19.
(4) Ib. v. 32. (5) Iob 3, 24 etc.
(6) 3. q. 15 a. 6 ad 2

sto denegari possunt, quia hae animi perturbationes in nobis oriuntur propter ea, quae nobis *nolentibus* accidunt. Nam, ut observat S. *Thomas* (1), dupliciter potest aliquid nobis accidere *nolentibus*, scilicet vel quia absolute illud nolumus, et tamen inviti et coacti patimur, ut est mors: vel quia, quamquam absolute illud volumus ratione finis, est tamen in se nobis contrarium, et aliqua ratione malum, ut amara potio medicinae, vel incisio carnis, aut membri ad sanitatem procurandam. « Et hoc modo (ait Angelicus) mors Christi, et eius passio fuit secundum se considerata involuntaria et tristitiam causans, licet fuerit voluntaria in ordine ad finem, qui est redemptio generis humani. » Quantum ad timorem, observat idem Angelicus Doctor (2), potuisse quidem a Iesu Christo vitari mala futura secundum virtutem divinitatis, non potuisse autem ea vitari secundum infirmitatem carnis assumptae, in qua ideirco timor locum habere potuit. Nam ait (3): « Timor potest considerari quantum ad duo. Uno modo quantum ad hoc quod appetitus sensitivus naturaliter refugit corporis laesionem et per tristitiam, si sit praesens, et per timorem, si sit futura: et hoc modo timor fuit in Christo, sicut et tristitia. Alio modo potest considerari secundum incertitudinem futuri eventus; sicut quando nocte timemus ex aliquo sonitu quasi ignorantes quid hoc sit: et quantum ad hoc timor non fuit in Christo. » Citat *S. Thomas S. Io. Damascenum*, qui (4) eandem doctrinam tradit; docet enim, quemdam esse timorem naturalem, ut cum anima timet seiungi a corpore ob naturalem affectionem et necessitudinem, qua fit, ut pertimescat, angatur, mortem recuset: « metus hic, inquit *Damascenus*, et trepidatio, pavorque, naturalis, et inculpata, nec subiecta peccato affectio est, » atque hunc timorem fuisse in Christo Domino, credimus. « Aliud timoris genus est, prosequitur *Damascenus*, quod ex cogitationum defectione et diffidentia, atque ex eo oritur, quod quis mortis horam ignoret: ut cum noctu, oborto aliquo strepitu, timore afficimur... hunc porro timorem Dominus non assumpsit. » — Haec, quae dicta sunt, satis declarant, qua ratione Christus etiam respectu passionis et mortis suae tristitia et timore affectus fuerit: sed probe notandum est, tristitiae et moeroris in Christo alias quoque causas extitisse, uti ex adlegatis Patrum testimoniis patet. Praecipua tristitiae in Christo causa absque dubio fuerunt peccata hominum, quae noluit ac maxime abhorruit, atque perditio plurimarum animarum, quas per passionem et mortem suam salvare voluisset. — Quod *Clementem Alex.* attinet, *Tournely* (5) dicit, eum « paullo liberius ultra metam strictioris Theologiae processisse, » sed tamen plerique Theologi eundem ab errore excusant, contendentes, ipsum a Christo solum exclusisse passiones et motus affectionis rationem praevenientes, et inordinationes producentes. Eodem modo similia loca, quae in nonnullis Patribus inveniuntur, exponenda sunt.

Obi. II. Iuxta communem Theologorum sententiam, anima Christi ab ipsō primo suae conceptionis instanti beata fuit, utpote intuitiva Dei visione fruens, quae summum gaudium producit: ergo non potuit esse doloribus et aliis passionibus crucianti-

(1) L. c. ad 4 (2) Ibid. a. 7, ad 3.
(3) Ibid. in c. (4) Lib. 3, de orth. fide cap. 23.
(5) T. 10 art. 6

bus obnoxia. Sicut enim aqua non potest esse simul calida et frigida; ita etiam in anima sum num gaudium et crucians tristitia aliique dolores simul consistere nequeunt, cum sint affectiones contrariae, se invicem excludentes. Id Sanctorum exemplis confirmatur. Habemus enim in quibusdam actis sanctorum Martyrum, eos divinae contemplationis dulcedine abreptos acerbissimos cruciatus non persensisse; unde et hymnos Deo canebant, et suis tortoribus insultabant, qua de re plura disserit S *Bernardus* (1); ergo multo minus Iesus Christus perfectissima Dei contemplatione absorptus ullam potuit vim doloris, vel tristitiam, moerorem, aut timorem sentire.

Resp. Difficultas haec ad solvendum maxime ardua semper visa est Theologis, nec mirum. Incarnatio quippe Verbi *mysterium est a saeculo absconditum*, quod nulla humana mente, nullo ingenio hac in mortali vita pervadi unquam ac perfecte penetrari poterit. Certum est, quod inferius ostendetur, animam Christi in hac terra viventis intuitiva Dei visione gavisam esse; sed certum pariter est, quod allata iam argumenta probant, animam Christi tristitiae aliisque doloribus obnoxiam fuisse. Cum autem veritas veritati opponi non possit, ambas veritates certas admittere et credere debemus, quamvis intrinsecum earundem nexum non perspiciamus; nam ignorantia modi non tollit certitudinem facti. Falsum autem est, inter praefatas propositiones apertam contradictionem inveniri, seu absolute impossibile esse, ut in eadem anima summum gaudium et tristitia simul reperiantur. Contradictio enim adesset, si gaudium et tristitia circa idem obiectum et motivum versarentur; nulla autem contradictio adest, si diversa sunt obiecta et motiva, ex quibus dictae affectiones in anima oriuntur. Sic idem homo eodem tempore de recuperata sanitate summopere gaudere, et de ablata sibi pecunia maxime dolere potest. Simili modo dum animae Christi gaudium et tristitia adscribuntur, contrariae istae affectiones ex diversis obiectis et motivis repetuntur. Nam gaudium in Christo habuit pro obiecto et motivo summum bonum per visionem possessum; tristitia vero habuit pro motivo et obiecto supplicium et ignominiam crucis, Dei offensas, ruinam Iudaeorum, perditionem plurimorum hominum etc. Nil ergo contradictorii asseritur, dum animae Christi summum gaudium et maxima simul tristitia adscribuntur, quoniam istae affectiones ex diversis obiectis, et motivis repetuntur. — In nobis equidem contingere solet, quod motivum vehementissimi gaudii non relinquat naturaliter ullam efficaciam motivo tristitiae, cum actus vehementis gaudii ita rapiat voluntatem, ut non det locum tristitiae etiam respectu diversi obiecti, et vicissim vehementissima tristitia efficere solet, ut ne de grato quidem obiecto et motivo gaudium percipiamus. Ast haec ideo in nobis eveniunt, quia potentiae animae nostrae valde limitatae et imbecilles sunt, et quia per vehementes affectiones ratio nostra perturbatur, et voluntas penitus abripitur, ita ut aliis attente considerandis impares reddamur. Haec autem in Christo locum non habuerunt. Christus enim a peccato originali immunis, et praestantissimis animae dotibus exornatus, perfectissimam habuit rationem, quae nullo modo perturbari, et perfectissimam volun-

(1) Serm. 61 in Cantica.

tatem, quae nunquam inordinate moveri et abripi potuit. Ideo anima Christi et gaudii et tristitiae obiecta ac motiva simul attentissime considerare, et exinde tum summi gaudii tum maximae tristitiae sensus simul percipere potuit. — His accedit, quod iuxta Theologorum sententiam beatitudo Christi ante mortem suam non ita ex omni parte perfecta erat, uti post resurrectionem. Nam, ait *S. Thomas* (1): « Christus ante passionem secundum mentem plene videbat Deum, et sic habebat beatitudinem quantum ad id, quod est proprium animae; sed quantum ad alia deerat ei beatitudo, quia et anima eius erat passibilis, et corpus passibile et mortale, ut ex supradictis patet. Et ideo simul erat *comprehensor*, in quantum habebat beatitudinem propriam animae; et simul *viator*, in quantum tendebat in beatitudinem secundum id, quod ei de beatitudine deerat: » per ipsam enim passionem et mortem in gloriosa resurrectione obtinuit corporis et animae impassibilitatem, et perfectissimam ex omni parte beatitudinem; unde et ipsemet dixit: *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* (2)? — Haec, quae dicta sunt, satis ostendunt, doctrinam de anima Christi simul summo gaudio affecta et maxima tristitia repleta nullam contradictionem involvere. Quod si quis praefracte contendat, *naturaliter* non posse summum gaudium cum maxima tristitia in eodem subiecto consistere, respondemus cum Theologis, si id naturaliter fieri nequit, absque dubio tamen *supernaturaliter* illud fieri posse, nempe per omnipotentiam divinam, quae certe summum gaudium cum maxima tristitia in eodem subiecto coniungere valet, quoniam id essentialiter contradictorium, seu absolute impossibile non est. Ipse *S. Thomas* docet, non sine divinae operationis virtute factum esse, ut in Christo passiones cum beatitudine coniungerentur. Ait enim (3): « Virtute divinitatis Christi dispensative, sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabatur ad corpus, ne eius passibilitas et mortalitas tolleretur: et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quod non derivabatur ad vires sensibiles, ne per hoc dolor sensibilis excluderetur. » Hanc angelici Doctoris theoriam fusius exponit *Melchior Canus* (4), qui cum dixisset, animam Christi maximae tristitiae obnoxiam, et doloribus repletam (5) fuisse, ita prosequitur; « Nihil obstat cur non per potentiam supernaturalem et gaudium summum et summa tristitia in eodem subiecto fuerint: tum quia nec proprie contraria erant, cum oppositio debeat fieri circa idem, ut D. Thomas saepe sumit; tum quia quod praeter naturae ordinem a Deo fit, id in naturae leges referre velle stultum est. Miraculum fuit, quod idem homo esset et viator et comprehensor: miraculum quod a gloria animae nihil derivaretur ad corpus: miraculum, quod a superioris gaudio potentiae nihil solatii in inferiores redundaret: miraculum, quod inferioribus perturbatis, nec superiores turbarentur, nec a sua perpetua operatione cessarent, nec remitterent opus, nec quietem et delectationem vel ex minima parte resolverent. Inter haec miracula propter mysterium nostrae redemptionis explendum, quamquam voluntas Deo viso fruebatur, suscepit tamen sponte

(1) 3. q. 15, art. 10. (2) Luc. 24, 26.
(3) 3, q. 15, art. 5 ad 3.
(4) L. 12 de loc. theol. c. 13, Resp. ad 7.
(5) Ps. 87. 4.

tristitiam quantam maximam capere potuit: potuit autem capere tantam, quanta maxima esse in rerum natura poterat; ut dolor pro peccatis non minor esset, quam charitas. » Neque ex hac theoria sequitur, humanitatem Christi naturaliter impassibilem fuisse, et solum per miraculum dolores sensisse; nam per miraculum, quod statuitur, factum esse asseritur, ut, non obstante unione hypostatica et visione Dei beatifica, humanitas in naturali sua conditione relinqueretur, et ideo adinstar nostrae passionibus et doloribus obnoxia esset. — Quod obiectionem attinet, ex Ss. Martyrum exemplis petitam, observandum est, probabiliorem videri eorum sententiam, qui Dei singulari gratia ita confortatos fuisse Martyres credunt, non ut vim cruciatuum non sentirent, sed ut fortiter eos tolerarent. Unde *S. Bernardus* (1) postquam multa oratorio more de hoc argumento dixisset, quasi toto lacero corpore et rimante latera ferro, anima Martyris, « exul a corpore dolores non sentiret corporis, » subdit; « Neque hoc facit stupor, sed amor: submittitur enim sensus, non amittitur; nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. » Quodsi etiam admittatur, Deum aliquando minuisse vim cruciatuum, aut doloris sensum abstulisse, id factum est, ut facilius tormenta a Ss. Martyribus potuerint tolerari, et ut efficacia gratiae, omnipotentia Dei eiusque in servos fideles protectio evidenter patescant, et per talia miracula infideles ad fidem converterentur. Aliae autem prorsus rationes circa Christum militabant, quae potius exigebant, ut ipsius anima tristitiae doloribusque subiiceretur, quod praeclare ostendit *M. Canus* (2) dicens: « Quia enim in hostia pro peccato cordis contritio voluntatisque tristitia potissime desideratur; *sacrificium quippe Deo spiritus contribulatus* etc. (3), et tristitia spiritualis haec contraria est peccato medicina, quod sedem suam praecipue in voluntate habet: consentaneum profecto erat, ut Filius Dei hostiam se pro peccato exhibiturus non solum corporis et animae sensitivae dolores, sed angores quoque spiritus et voluntatis tristitiam susciperet, quo pro culpis nostris omnibus hostia illa Deo acceptissima omnibus omnino modis contereretur. Sic *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Sic non modo *vulneratus est propter iniquitates nostras*, sed *attritus est propter scelera nostra.* Sic *disciplina pacis nostrae super eum, et livore* atque dolore *eius sanati sumus.* Sic *Dominus eum voluit infirmitate conterere*, qui posuit *pro peccato animam suam* » (4).

Nota 2. Ex dictis patet, Christum corpus et animam, adeoque integram humanitatem assumpsisse, et verum hominem factum esse. Quaestio autem a Theologis moveri solet de ordine, quo humanitas a Verbo assumpta fuit. Hac in re aberrarunt *Origenes* et *Nestorius*. Iste docuit, Christum prius extitisse hominem perfectum, tum essentia, tum persona, quam a Verbo assumeretur: ille contendit, prius creatam fuisse eius animam, quae suis bonis operibus hypostaticam cum Verbo unionem meruit. Sed doctrina catholica est, quod Verbum, si ratio temporis habeatur, simul animam et corpus, seu integram humanitatem assumpserit, et quod haec secundum corpus et animam nullo temporis instanti prius extiterit, quam Verbo fuisset unita. Hanc doctrinam Ss. Patres clare proponunt. *S. Atha-*

(1) Serm. cit. (2) L. c. (3) Ps. 50, 19. (4) Is. 53, 4 etc.

nasius (1) ait: « Carnis cum Verbi divinitate coniunctio ex utero facta est: inde enim ipsi Verbum, cum e coelo advenisset, originem dedit; quippe non erat, antequam Verbum adveniret, aut ante Deiparam Mariam. » *S. Augustinus* in illa verba Io. I, *Verbum caro factum est*, « Ubi enim, ait, hoc factum est? nisi in utero virginali, ubi fuit initium hominis Christi: » et in Enchir. (2) negat, humanitatem Christi praeextitisse, et unionem hypostaticam promeritam esse, et inter alia dicit: « Nunquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium praestitum est, cum singulariter promeretur Deum? Nempe ex quo esse homo coepit, non aliud coepit esse homo, quam Dei Filius. » *S. Cyrillus Alex.* (3) inquit: « Non enim primo vulgaris quispiam homo ex Virgine ortus est, in quem Dei Verbum deinde sese demiserit; sed in ipso utero carni unitum, secundum carnem progenitum dicitur, utpote suae carnis generationem sibi ut propriam vindicans. » *Leo M.* (4), refellens errorem Origenis, scribit: « Arbitror, talia loquentem hoc habere persuasum, quod anima, quam Salvator assumpsit, prius in coelis sit commorata, quam de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet. Sed hoc catholicae mentes auresque non tolerant: quia nihil secum Dominus de *coelo veniens* nostrae conditionis exhibuit; nec animam enim, quae anterior extitisset, nec carnem, quae non materni corporis esset, accepit. Natura quippe nostra non sic assumpta est, ut, prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. » *Concilium generale V*, inter anathematismos contra doctrinam Origenis pronuntiatos, hunc quoque refert: *Si quis dicit, aut sentit animam Domini praeextitisse, unitamque esse Verbo ante incarnationem et nativitatem ex Virgine, anathema sit.* Et Concilium generale VI, act. 11, n. 3 docet, *quod in incarnatione Verbi non fuit Deitas copulata carni prius animatae, aut prius praefactae, vel animae praeexistenti coniuncta, sed tunc his (anima scilicet, et carne) ad subsistendum venientibus, quando eis ipsum Verbum, et Deus naturaliter copulatus est: sed cum ipso Verbo existentiam habuerunt, et nequaquam in ictu oculi hanc illam priorem habentia, sicut Paulus Samosatenus perstrepit, atque Nestorius. Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro; simul caro animata rationalis; simul Dei verbi caro animata rationalis.* — His autem non obstantibus Patres et Theologi unanimi consensu affirmant, a Verbo assumptam esse carnem mediante anima: id autem asserentes neutiquam contendunt, vera aliqua temporis prioritate animam fuisse Verbo unitam ante carnem, aut animam solam immediate ac proxime, carnem vero mediate ac remote esse unitam, in quantum scilicet caro uniebatur animae Verbo unitae: sed hoc loquendi modo Patres et Theologi denotare volunt, animam rationalem fuisse medium congruentiae, imo necessitatis, quo caro reddita est idonea ad unionem cum Verbo. *S. Gregorius Naz.* Orat. 29 (5) inquit: « Verbum per intermediam mentem cum carne coniunctum est: » et Epist. 101 ad Cledon. (6) scribit: « Mens menti ut propinquiori et coniunctiori iungitur, ac per eam carni, inter divinitatem, et carnis molem intervenientem. » Ipse *Origenes* (7) ita loquitur: « Hac ergo

(1) L. 1 de Incarn. c. Apollinar. n. 4.
(2) C. 36. (3) Epist 2 ad Nestor.
(4) Ep. 25 (al. 11) ad Iul. Eoisc. Coënsem.
(5) (Al. 35) n. 19. (6) (Al. or. 51) n. 10.
(7) L. 2 de princip. c. 6.

substantia animae inter Deum carnemque mediante: non enim possibile erat, naturam corpori sine mediatore misceri. » *S. Ambrosius*, vel alius Auctor (1), inquit: « Verbum, et substantia Dei, quae per omnia incorporea est, corpori humano inseri non poterat, nisi aliqua spiritali natura mediante, idest anima. » *S. Augustinus* (2) ad Volusian. scribit: « Ipsa (Deitas) sibi animam rationalem, et per eandem etiam corpus humanum, totumque omnino hominem cooptavit. » Et (3) ad Honoratum c. 4 inquit: « Verbum particeps carnis effectum est rationali anima mediante. » Et lib. de agone christ. (4) ita disserit: « Si visibilia munda visibilibus immundis contingi possunt, et non inquinari (sicut sol visibilis radios suos per omnes faeces corporum spargit, et eos mundos ubique servat), quanto magis invisibilis et incommutabilis veritas per spiritum animam, et per animam suscipiens corpus, toto homine assumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sua contaminatione liberavit? » *S. Gregorius M.* (5) ait: « Dominus per divinitatem lumen est, qui mediante anima in eius utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. » *S. Ioan. Damascenus* (6) dicit: « Dei Verbum carni unitum est per mediam mentem, interiectam videlicet inter Dei puritatem et carnis crassitiem. » *S. Thomas* (7) hac de re quaestionem movet, et ita respondet: « Est duplex ordo, unus quidem temporis, alius autem naturae. Secundum ordinem temporis non dicitur in mysterio incarnationis aliquid medium, quia totam humanam naturam simul sibi Verbum Dei univit. Ordo autem naturae inter aliqua potest attendi dupliciter: uno modo secundum gradum dignitatis, sicut dicimus, Angelos esse medios inter homines et Deum; alio modo secundum rationem causalitatis, sicut dicitur media causa existere inter primam causam et ultimum effectum... Sic ergo si attendamus gradum dignitatis, anima media invenitur inter Deum et carnem: et secundum hoc potest dici, quod Filius Dei univit sibi carnem mediante anima. Sed et secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliqualiter causa carnis uniendae Filio Dei. Non enim esset assumptibilis nisi per ordinem, quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet quod sit caro humana. » Imo *S. Thomas* ulterius progreditur, et (8) cum *S. Augustino* (9) docet, Dei Filium animam mediante spiritu, sive mente assumpsisse; « non enim, ait, est assumptibilis (anima) secundum congruitatem, nisi per hoc, quod est capax Dei, ad imaginem eius existens; quod est secundum mentem, quae spiritus dicitur, secundum illud: *Renovamini spiritu mentis vestrae* (10). Similiter etiam intellectus inter caeteras partes animae est superior, et dignior, et Deo similior, et ideo, ut *Damascenus* dicit (11), unitum est carni per medium intellectum Verbum Dei. Intellectus enim est quid animae purissimum; sed et Deus est purissimus intellectus. » Simili ratione theologica communiter Doctores utuntur ut ostendant, Verbum mediante anima corpus assumpsisse. Nam, aiunt, substantia corporea nonnisi animae interventu gratiae et sanctitatis capax est: ergo nec increatam ac substantialem divinae personae gratiam nonnisi anima mediante percipere potest (12).

(1) Tract. de Trin. seu in Symb. c. 13.
(2) Epist. 37 (al. 3). (3) Epist. 140 (al. 120).
(4) Cap. 17. (5) L. 18 Mor. c. 12.
(6) L. 3 de orth. fide c. 6.
(7) 3, q. 6, a. 1. (8) Ibid. a. 2.
(9) L. c. de agone chr. c. 17.
(10) Eph. 4, 23. (11) L. 3 orth. fid. c. 6.
(12) Cf. Tournely de Incarn. q. 8, a. 5.

Nota 3. Aequum omnino est, ut ex proposita tanti momenti doctrina salutaria quaedam documenta hauriantur. *a*) Adam in innocentia creatus animam consecutus est perspicaci intellectu, recta et integra voluntate praeditam, imagine divina ornatam, gratia sanctificante ditatam : ast nihilominus a muliere ad transgressionem legis illectus gravissime lapsus est, dona supernaturalia amisit, in naturalibus vulneratus est, quoad corpus et animam in deterius commutatus, et cum tota sua posteritate in maximam miseriam praecipitavit. Ad tristissimum hunc lapsum reparandum secundus Adam comparuit, Christus, Dei Filius, qui etiam animam praestantissimis dotibus exornatam assumpsit. Ast huius intellectus perfectissimus nunquam a veritate deflectens Deum continuo contemplabatur, et de summi tantum boni visione laetabatur: ipsiusque voluntas rectissima divinae semper voluntati apprime conformis nonnisi sanctitatem sectabatur. Idcirco Apostolus dicit: *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de coelo coelestis* (1); ac dein hoc grave monitum adiungit: *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis* (2). Maxime solliciti ergo esse debemus, ut anima nostra non ut anima Adami a Deo deficiat, sed ut anima Christi cum Deo semper unita maneat : ut intellectus noster non ut intellectus Adami terrena sapiat, sed ut intellectus Christi ad Deum continuo elevetur, et de summi tantum boni contemplatione delectetur, et ut voluntas nostra non ut voluntas Adami a lege divina recedat, sed ut voluntas Christi divinae voluntati semper penitus subiecta, et apprime conformis sit. Addit Apostolus: *Hoc autem dico, fratres, quia caro, et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit* (3)— *b*). Grato semper animo immensam charitatem Filii Dei considerare debemus, qui humanam naturam assumpsit, ut in hac pati et mori posset, et sic peccata nostra tolleret, nobisque aeternam beatitudinem promereretur. Maxima vero et omni admiratione dignissima charitas Dei ex eo elucet, quod ipsam suam omnipotentiam impendens per stupendum miraculum effecerit, ut anima Redemptoris, quamvis innocentissima, imo Verbo hypostatice unita, et intuitiva Dei visione fruens, tamen moerori, taedio, pavori aliisque doloribus obnoxia esset, et in ipsa cum summo gaudio summa quoque et immensa tristitia coniungeretur. Ita Christus nobis infirmis hominibus, dum internis animae afflictionibus cruciamur, et solatium factum est et exemplum. Quoniam autem Christus maximam tristitiam ob offensas Deo illatas concepit, et *attritus est propter scelera nostra;* oportet omnino, ut anima nostra ob propria peccata serio conteratur et offensas Deo illatas deflere non cesset. Nam: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies* (4).

(1) 1 Cor. 15, 47. (2) Ib. v. 49.

(3) Ib. v. 50. (4) Ps. 50 19

ARTICULUS III.

De perpetua Mariae Matris Christi Virginitate.

§ 285. Ecclesia catholica constanter credidit et docuit, Mariam Matrem Christi semper Virginem permansisse. Haec autem doctrina tria distincta dogmata complectitur. *Primo* enim dicitur, Mariam non ex carnali commercio, sed operante Spiritu sancto Christum concepisse, ita ut eius vir-

ginitas in Christi conceptione omnino illibata permaneret. *Secundo* adseveratur, Mariam ne in partu quidem virginalem corporis integritatem amisisse, sed ita Christum peperisse, ut ipsius virginitatis claustrum penitus intactum servaretur. *Tertio* demum propugnatur, Mariam etiam post partum Christi usque ad mortem intemeratam virginem permansisse. Haec tria dogmata, quae contra varii generis aberrantes probanda et defendenda sunt, ita breviter enuntiari solent: Maria, Mater Christi, fuit *Virgo ante partum*, *in partu*, et *post partum Christi*.

I. *Maria fuit Virgo ante partum Christi.*

§ 286. Praeter Iudaeos etiam veteres quidam haeretici, ut *Cerinthus*, *Ebion*, *Fotinus* et alii Christum communi caeterorum hominum more ex carnali Iosephi cum Maria commercio procreatum impie docuerunt, atque ideo Mariam nequidem ante partum Virginem agnoverunt, utpote cuius integritas per ipsam Christi conceptionem fuerit delibata. Recentiori aetate eandem sententiam propugnant *Sociniani*, qui Christum purum hominem esse docent; *Naturalistae*, qui cum impio auctore operis: *Christianismus patefactus*, nativitatem Christi ex virgine ad poëtarum fabulas referunt, et *Rationalistae biblici*, qui ut *Paulus Heidelbergensis*, *Ammon*, *Gabler* etc. evangelicam de Christi conceptione historiam nonnisi mythice intelligendam et exponendam esse contendunt(1). Contra istos solide probandum est, Christum nullatenus ex carnali commercio caeterorum hominum more, sed virtute supervenientis Spiritus sancti conceptum esse, atque ideo Mariam ante partum veram Virginem extitisse. Argumenta ex *S. Scriptura veteris et novi foederis*, *ex Ss. Patribus*, et *definitionibus Ecclesiae* depromuntur.

1. Iam *in S. Scriptura V. T.* praedictum fuit, Messiam concipiendum et pariendum esse a Virgine. Extat hac de re celebre vaticinium Is. VII, 14, ubi Propheta, cum Achaz Rex Iuda signum seu miraculum petere ausus non fuisset, haec reposuit: *Propter hoc Dominus ipse dabit vobis signum: Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel:* promittitur hic res extraordinaria, supra naturae vires posita, verum signum seu miraculum, quod nullatenus evenisset, si ea quae virgo fuit, postmodum ex carnali commercio filium conciperet et pareret; verba ergo Isaiae necessario intelligenda sunt de virgine sine consortio viri concipiente et pariente. — De Messia autem hic sermonem esse, patet tum ex nomine symbolico *Emmanuel*, id est Deus nobiscum, tum ex iis, quae in sequentibus capitibus de eo dicuntur. Nam cap. VIII, v. 8 exhibet propheta hunc Emmanuelem Dominum totius Iudaeae, loquens enim de Assyriorum rege, ait: *Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel;* et cap. IX, v. 6 et seq. de hoc ipso virginis parvulo agens, Deum simul, et hominem eum exhibet, dicens: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis - et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis*, ac postea regni ipsius magnificentia et perpetua duratio describitur. Quae si invicem conferantur, iuxta regulas hermeneuticas, verba Is. VII, 14 nonnisi de Messia a Virgine concipiendo et pariendo intelligi possunt (V. Theol. gen., § 114, n. 5). Christus autem est verus Messias: ergo

(1) V. Dobmayr. T. 6. § 48.

Maria eum ut Virgo concepit et peperit. — Haec conclusio in dubium vocari non potest a Christianis, qui libros N. T. tanquam divinos venerantur, nam *Matthaeus* (1) citatum Isaiae vaticinium in Iesu Christo, eius matre *adimpletum* esse testatur, et recte observat Cl. *Dobmayr* (2) « *Matthaeus* interpres certe magis authenticus est, quam moderni Theologi hypothesibus vel philosophicis, vel theologicis occupati. » — Quod S. Scripturam, ut rectissime iubet *Concilium Tridentinum* Sess. IV, iuxta lineam traditionis, et sensum matris Ecclesiae exponere oportet; omnino illicitum est, vaticinium Is. VII, 14 aliter quam de Christo et virginea eius matre interpretari; quoniam talis interpretatio, ut ex inferius dicendis apparebit, a communi Ss. Patrum et Ecclesiae sensu penitus recedit. Ideo, dum *I. Laur. Isenbiel*, Professor studii biblici Moguntiae, edito opere ostendere conatus esset, in vaticinio Is. VII, 14 de Christo, eiusque matre sermonem non esse; Summus Pontifex *Pius VI*, die 2 sept. an. 1779 hoc opus damnavit, et declaravit « doctrinam et propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, haeresi faventes et haereticas. »

2. *In S. Scriptura N. T.* clarissime revelatum est, Mariam non ex consortio viri, sed ex virtute supervenientis Spiritus sancti Christum concepisse. In primis Matthaeus, genealogiam Christi referens, utitur verbo, *genuit*, usquedum pervenit ad Iosephum; tunc autem non dicit: Ioseph genuit Christum, sed simpliciter ait (3): *Iacob genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus:* diversus hic modus loquendi iam satis perspicue indicat, Christum nequaquam a Iosepho genitum fuisse. Clarius rem eandem Matthaeus exponit (4), dicens: *Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent*, i. e. quin consortium maritale haberent, *inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est . . . Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus.* Denique de Iosepho (5) dicitur: *Accepit coniugem suam, et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum, et vocavit nomen eius Iesum.* Clarissime his verbis enuntiatur, Christum ex carnali cum Iosepho commercio conceptum non esse; sed haec conceptio in utero Mariae soli virtuti Spiritus sancti adscribitur, qui omnipotentia sua effecit, ut Maria sine virginitatis iactura Mater Christi fieret. Alter eiusdem veritatis testis est *S. Lucas*, qui plures mirae huius conceptionis circumstantias refert. Narrat enim Angelum Gabrielem a Deo missum esse *ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo David, et nomen virginis Maria* (6). Huic Angelus dixit: *Ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum* (7) etc. Cum autem Maria reposuisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* — *Resp.*-

(1) C. 1. v. 22 etc. (2) L. c. (3) V. 16. (4) V. 18 et seq. (5) V. 24 e (6) Luc. I, v. 26 et seq. (7) Ib. v 31.

dens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei (1) etc. His auditis, Maria dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (2), et Filium Dei per stupendum miraculum concepit. Ita S. Scriptura N. T. luculentissime virginitatem Mariae ante partum contestatur.

3. *Ss. Patres* unanimi consensu virginitatem Mariae ante partum contestantur. *S. Ignatius M.* (3) ait: « *Deus noster Iesus Christus* in utero gestatus est a Maria iuxta dispositionem Dei ex semine David, Spiritu autem sancto conceptus fuit... Principem huius mundi latuit Mariae virginitas et partus ipsius etc. » *S. Iustinus M.* (4) dicit: « Christus e Virgine de semine Iacob, qui fuit pater Iudae per virtutem Dei conceptus fuit. » Et (5) docet, id per Isaiam VII, 14 praedictum fuisse, et addit: « Verba, *Ecce virgo concipiet*, significant, quod Virgo sine carnali commercio conceptura sit, nam si illud admisisset, non esset amplius virgo. Sed Virtus Dei venit in virginem, obumbravit illam et effecit, ut tanquam Virgo gravida fieret. » *S. Irenaeus* (6) scribit: « Sicut Eva (ante lapsum) Adam ceu coniugem habuit, et tamen adhuc virgo fuit... ita etiam Maria desponsatum sibi virum habuit, sed tamen virgo mansit, obediens fuit, et sibi, totique generi humano redemptionem attulit... Quod virgo Eva per incredulitatem ligavit, hoc Virgo Maria per fidem solvit. » *Tertullianus* (7) haec habet: « Regula est autem fidei... qua creditur... Verbum, Filium Dei appellatum... delatum ex Spiritu Patris, et virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero eius, et ex ea natum hominem, et esse Iesum Christum. » *Origenes* (8) de Christo inquit: « Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex Virgine et Spiritu sancto est. » Idem (9) Iesum natum confitetur « ex muliere non virum passa, et more foeminarum gravida, sed ex pura et casta Virgine, et quidem Spiritus sancti virtute, et integra semper manente eiusdem virginitate. » *S. Cyprianus* (10) inquit: « Dei Filius... in Virginem illabitur, carne per Spiritum sanctum induitur, Deus cum homine miscetur. » *S. Athanasius* (11) dicit: « Verbum cum ad nos venit, ex Virgine sibi ipsi corpus formavit, ut omnibus non parvum suae divinitatis argumentum exhiberet, ut scilicet inde pateret, eum qui corpus illud formaverat, aliorum quoque corporum opificem esse. » *S. Gregorius Naz.* (12) ita praeclare canit: « Sua gloria aeterni Dei Patris Filius Matre carens ipse et sine patre novus mihi filius visus est: nec vero novus: propter me enim, cum immortalis esset, mortalis prodiit ex matre virgine, totum totus ut me salvaret..... Propterea more humano, et contra humanum morem venerandis in visceribus virginis mulieris incarnatus (o miraculum infirmis animis incredibile!) venit Deus, et mortalis etc. » *S. Hilarius* (13) scribit: « Corpus, quod Christus assumpsit, id ex Virgine conceptum, formam eum esse servi effecit. Virgo enim nonnisi ex sancto Spiritu genuit. » *S. Petrus Chrysol.* (14) ait: « Natus est in carne

(1) Luc. v. 34. (2) Ib. v. 38.
(3) Ep. ad Ephes. n. 18.
(4) Apol. 1, n. 32. (5) N. 33.
(6) L. 3 adv. haer. c. 22.
(7) L. de praescript. c. 13.
(8) L. 1 de princip. n. 4.
(9) L. 10 contra Celsum.
(10) L. de idol. vanit.
(11) De incarn. Verbi n. 18.
(12) Carm. 9 de Testam. et adventu Christi v. 40 etc. (13) L. 10 de Trin.
(14) Serm. 15.

Christus, sed natus de Spiritu sancto: accepit hospitium carnis, sed in aula virginis: ut et veritas esset corporis humani, et de pollutione humani corporis nil haberet. »

4. *Ecclesia catholica* semper credidit et docuit, Christum sine carnali viri consortio sola Spiritus sancti virtute a Maria Virgine conceptum esse. Hanc Ecclesiae fidem *Symbola* et *Concilia* contestantur. Nam in Symbolo *Apostolico* de Christo dicitur: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* In Symbolo *Nicaeno CPtano* dicitur: *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.* Concilium *Toletanum I* anno 400, cap. 21, regulam fidei stabiliens, profitetur, *Filium Dei... sanctificasse uterum Virginis Mariae, atque ex ea verum hominem sine virili generatum semine suscepisse.* Concilium *Ephesinum* cap. 1 dicit: *Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel., et propterea Dei genitricem sanctam Virginem... anathema sit;* et cap. 13 ita loquitur: *Nec enim primum natus est homo communis de sancta Virgine, et tunc demum inhabitavit in eo Verbum, sed in ipsa vulva, uteroque virginali secum carnem coniunxit.* Concilium generale V, cap. 2 haec pronuntiat: *Si quis non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante saecula, et sine tempore ex Patre incorporaliter; aliam vero eiusdem in ultimis diebus descendentis de coelo, et incarnati ex sancta gloriosa Dei genitrice, semperque virgine Maria... talis anathema sit.*

5. *Rationes theologicae* pro eodem dogmate a *S. Thoma* adducuntur, qui (1) ita disserit: « Quod Christus sit conceptus ex virgine, conveniens est propter quatuor. *Primo* propter mittentis Patris dignitatem conservandam. Cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens, quod alium patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. *Secundo* hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii, qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur; quin imo cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit a Verbo assumpta, ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit, quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur. *Tertio* hoc fuit conveniens dignitati humanitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur secundum illud Io. I, 29: *Ecce agnus Dei*, scilicet innocens, *qui tollit peccatum mundi...*» Ergo immaculatam Christi humanitatem, quae peccatum sublatura venerat, non decebat iis obnoxiam esse sordibus, quibus caro ex concubitu nata subiecta est. « *Quarto* propter ipsum finem incarnationis Christi, quae ad hoc fuit, ut homines renascerentur in filios Dei *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo*, id est, ex ipsa Dei virtute, cuius rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Unde *Augustinus* dicit (2): Oportebat caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura. » — *Quintam* rationem addit Cl. *Contensonius* (3) dicens: « Quia effectus incarnationis est sanctificatio nostra, qua mundamur ab omni corruptione peccati: » ergo non fuit conveniens, ut Verbum incarnatum

(1) In lib. 3, q 28, art. 1.

(2) In l. de s. virginitate c. 6.

(3) L. 10, dissert. 6, c. 2, specul 3.

virginitatem Mariae nascendo corrumperet. « Fas non erat, inquit *Augustinus*, ut per eius adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta. Nec congruebat ut matris honorem nascendo minueret, qui parentes praeceperat honorari. »

Nota. Adversarii tum veteres, tum recentiores contra allata argumenta varias difficultates movent, quas solvere oportet.

Obi. I. Ex vaticinio Is. VII, 14 male argumentum deducitur; nam in textu hebraico legitur: *Ecce halma concipiet*, etc., quae vox denotat adolescentulam sive dein virgo sit, sive virum cognoverit. Id confirmant loca parallela, ubi eadem vox occurrit, ut Ps. LXVII, 26: *Praevenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuvencularum tympanistriarum.* Cant. I, 2: *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulae dilexerunt te.* Ibid. VI, 7: *Adolescentularum non est numerus.* Prov. XXX, 19: *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro... viam viri in adolescentia* (in hebr. *in adolescentula*). His in locis, et praecipue in ultimo *per halma* nullatenus illibata virgo intelligitur. Ideo *Symmachus, Aquila* et *Theodotion* vertunt: *Ecce adolescentula concipiet, et pariet filium.* Nullatenus ergo verba Isaiae significant, eam, quae concipit et parit, virginem permanere. Si id Propheta indicare voluisset, non voce *Halma*, sed voce *Bethulah* usus fuisset, quoniam hanc Hebraei adhibent ad virginem illibatam significandam.

Resp. Vox *Halma* adolescentulam denotat non qualemcunque, sed virginem; derivatur enim a verbo *halam*, abscondere, eamque significat, quae nunquam virorum patuit consortio, et magna parentum diligentia custoditur. Maxime autem significatur virgo, quando vox *alma* scribitur cum praepositione litterae *he*, ut fit Is. VII, 14, *haalma*. Sane nonnisi tribus in locis haec vox invenitur, et semper significat virginem. Sic Gen. XXIV, 16 et 43, *Rebecca* virgo appellatur cum littera *he* praeposita *haalma*. Exod. II, 8, *Maria* soror Moysis, quae virgo erat, vocatur *haalma*. Nec ullibi in tota S. Scriptura legitur haec vox *haalma* ad designandam puellam, quae virgo non fuerit; adeo ut S. *Hieronymus* in sacro textu hebraico versatissimus ita fidenter potuerit asserere in Comment. in hunc locum: « Quantum cum mea pugno memoria, nunquam me arbitror *alma* in muliere nupta legisse, sed in ea, quae virgo est: ut non solum virgo sit, sed virgo iunioris aetatis et in annis adolescentiae. Ergo *alma* non solum puella, vel virgo, sed *virgo abscondita* dicitur, et secreta, quae nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita est. » Idem addit: « Lingua quoque punica, quae de Hebraeorum fontibus manare dicitur, proprie virgo *alma* appellatur. » Neque contrarium evincunt loca obiecta. Nam Ps. LXVII, 26 adolescentulae virgines Deum laudantes nominantur. Etiam in Canticis I, 2, illae adolescentulae, quae vocantur *Alamot*, virgines erant, utpote quae inferius c. VII, v. 7 distinguuntur a Reginis; seu uxoribus Salomonis, et a concubinis: *Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus*, nempe virginum, quae in gynecaeo asservabantur, ut quando opus esset, in coniuges assumerentur. Locus Prov. XXX, 19 valde obscurus est, et a nonnullis ad incomprehensibile Incarnationis mysterium refertur: alii autem putant, ibi vocem *alma* usur-

pari ad denotandam virginem, quae talis saltem est ex communi fama, iudicio et opinione aliorum, quamquam occulto et aliis ignoto modo corrupta fuerit. Quodsi etiam concedatur, hoc loco nomen *Alma* adhibitum fuisse ad significandam puellam non vere, sed simulate virginem, nihil inde inferri potest contra oraculum Isaiae, qui non de simulata, sed de vere Virgine loquitur, eamque *Haalma* appellat. — *Symmachum* Ebionitam, *Aquilam*, et *Theodotionem*, prius Christianos, dein Iudaeorum proselytos non moramur; constat enim, eos Scripturas interpretatos esse, ut Christianorum interpretationes subverterent, quorum castra deseruerunt. Praeferenda sane est versio LXX, in qua vox *haalma* vertitur per παρθένον *virginem*. Ita quoque verterunt Paraphrastes *Onkelosus*, et *Ionathan;* et ita etiam veteres aliquos Rabbinos hunc locum intellexisse, testantur *Tertullianus*(1) et *Eusebius* (2). Falsum etiam est, Hebraeos ad denotandam virginem usurpare vocem *Bethulah;* hac enim voce denotatur mulier absque marito, sive puella, sive anus virgo sit, sive adolescentula, marito, seu sponso orbata, quo sensu occurrit Ioël I, 8. Remanet ergo, ut solum nomen *Haalma* puellam significet virginem incontaminatam. — Neque verba Isaiae in sensu diviso intelligi possunt, quasi ea, quae modo virgo est, postea suscepto semine concipiat et pariat. Nam Propheta signum extraordinarium a Deo dandum promittit. Profecto autem risui omnium se exposuisset, si hoc signum nihil aliud esse voluisset, quam conceptum et partum puellae, quae ante virgo erat, et virginitatis iacturam in concipiendo fecerit. « Quid enim magnum, apposite inquit *S. Irenaeus* (3), aut quod signum fieret in eo, quod adolescentula concipiens ex viro peperisset quod evenit omnibus, quae pariunt, mulieribus? » eodem modo argumentatur *S. Hieronymus* in hunc locum, et clare ostendit, ex isto invictum pro virginitate Mariae ante partum argumentum deduci.

Obi. II. Vaticinium Isaiae non potest ad Christum referri. Propheta enim voluit aliquo signo persuadere Regi Achaz, destruendam esse potentiam duorum foederatorum Regum Assyriae et Samariae. At vero hoc signum debebat praecedere destructionem duorum regnorum, quae conspiraverant adversus Ierusalem: Christus ergo post sexcentos et amplius annos natus non potuit liberationis proxime speratae *signum* vocari. Necesse igitur est, ut vaticinium intelligatur de filio Prophetae, de quo cap. VIII, v. 2 etc. sermo est, et qui v. 18 dicitur datus *in signum et portentum in Israël a Domino exercituum.* Id clare patet ex eo quia v. 4 de filio Prophetae dicitur: *Antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariae coram rege Assyriorum:* ergo de eodem filio Prophetae exponendus est locus parallelus, cum c. VII, v. 16 dicitur: *Antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.* Vel si duo pueri distinguendi sint, per puerum, de quo sermo est cap. VII, v. 14-16, intelligendus est filius uxoris Achaz, nempe *Ezechias.* Ex isto ergo vaticinio, quod ad Christum non pertinet, etiam pro Mariae virginitate ante partum nullum argumentum desumi potest.

(1) Contra Iud. c. 9. (2) l. 7. Dem. ev. c. 7. (3) l. 3 adv. haer. c. 21.

Resp. Nonnulli recentiores Theologi putarunt, propositam difficultatem optime tolli dicendo, quod vaticinium Is. VII, 14 etc. in sensu litterali de filio Isaiae ex prophetissa nato, in sensu mystico autem de Christo, eiusque virginea matre exponendum sit. Ita sentiunt *Dan. Huetius*, *Bossuet*, *Lamy*, *Calmet*, et alii. Sed huic sententiae varia opponi possunt. Nam prophetae uxor non ut virgo concepit et peperit; filius prophetae neque nomine, neque re *Emmanuel* fuit; ac denique praedicta Syriae et Samariae eversio contigit anno sexto Ezechiae Regis (1), hoc est sexdecim circiter annis post vaticinium Isaiae: ergo non antequam puer nasciturus sciat reprobare malum et eligere bonum, aut vocare patrem et matrem. Eaedem rationes prohibent, quominus de Ezechia vaticinium exponatur. Praestat ergo, ut communi veterum christianorum interpretum sententiae adhaerentes dicamus, vaticinium in sensu litterali et proximo ad Christum, eiusque virgineam Matrem referri. Neque allatae difficultates nos ab hac sententia deterrere debent. Falsum enim est, Christum non posse signum a Deo datum appellari. Nam signum potest dupliciter sumi; aliud *prognosticon*, et tunc eventum rei quam significat, certe praecedere debet, ut quando idem Isaias Regi Ezechiae pro signo futurae sanitatis prodigiosam dedit retrogressionem umbrae in horologio decem lineis (2). Aliud signum est *rememorativum*, ut illud quod Moysi dedit Deus: *Hoc habebis signum, quod miserim te: cum eduxeris populum meum de Aegypto immolabis Deo super montem istum* (3). Hoc secundo sensu sumi potest signum ab Isaia praedictum. Hoc porro signum temporis circumstantiis maxime congruum fuit. Isaias enim ut ostenderet, Deum posse ac velle liberare urbem de manibus Regum obsidentium eam, argumentum ducit a maiori ad minus: Si Deus nobis aliquando daturus est quod maius, quod difficilius, quod stupendum prorsus, et inauditum est, ut Virgo concipiat, et pariat Emmanuelem, de cuius promissionis complemento nemo vestrum dubitat; quanto magis Deus vobis daturus est, quod facilius et minus est, nimirum ut liberemini e manibus duorum Regum, qui modo vos vexant? Quod quidem argumentum eo firmius erat, quod Messias e domo David nasciturus esset: haec igitur exscindenda non erat a duobus illis Regibus. Ne autem putarent, adveniente tantum Messia, liberationem secuturam esse, addit, iam ante adventum Messiae inimica regna evertenda esse, quod poëtico modo exprimit, dicens: *Antequam puer sciat* etc. — Neque contra hanc interpretationem aliquid inferri potest ex iis, quae sequuntur, et quae cap. VIII de filio Prophetae dicuntur. Non enim insolens est, imo frequentissimum apud Prophetas, ut repente de uno subiecto ad aliud transeant, propter quod maxime obscuri sunt, ut non semel notavit *S. Hieronymus* (4). Caeterum ad omnem difficultatem tollendam, provocamus ad argumenta iam allata, quae probant, vaticinium ad Christum referendum esse, et ad sensum Ecclesiae, quae in exponenda Scriptura infallibilis est. Qui plura hac de re legere cupit, consulat *Natal. Alex.* (5), *Gazzaniga* (6), *Perrone* (7).

(1) 4 Reg. 18, 10. (2) 4 Reg. 20, 9.
(3) Ex. 3, 13.
(4) Ad Isa. 3, ad Ier. 8, 15, et ad Nahum 2.

(5) In Hist. V. T. in 5.ta mundi aetate, diss. 10, a. 7, et Hist. Eccl. Saec. 1, diss. 28.
(6) T. 5, Sect. 2, diss. 2, c. 2, obj. 2
(7) De Incarn. P. 2, c. 2, Prob. 2.

Obi. III. Christus neque vocatus fuit Emmanuel, neque butyro et melle pastus legitur, neque ignorantiae capax erat, quae omnia Isaias VII, 14 etc. affirmat: *Et vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Ergo vaticinium istud nequit applicari Christo.

Resp. In S. Scriptura τὸ *vocari* non semper refertur ad appellationem externam nominis, sed interdum ad efficientiam, interdum ad applicationem rei per nomen designatae, quo sensu hoc vel illo nomine vocandus dicitur, cui hoc, vel illud nomen optimo iure competit, seu qui illius significatum implet. Sic de Eva dicitur: *Vocabitur virago* (1), quamvis hoc nomen non alibi in Scriptura occurrat. Idem Isaias IX, 6 de Messia dicit: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius* etc., per quae nomina nonnisi eius dignitatem, et beneficentiam denotat. Eodem modo nomen *Emmanuel* divinam Messiae dignitatem, eiusque incarnationem significat. Caeterum omnem scrupulum exemit Matthaeus cap. I, utrumque nomen simul coniungens *Iesus*, et *Emmanuel*, quorum unum ab Angelo impositum fuit, alterum a Propheta, primum officium Salvatoris explicat, secundum eiusdem Salvatoris personam divinam in duplici natura subsistentem. — Verba illa: *Butyrum et mel comedet*, nil aliud innuunt, nisi puerum illum, etsi admirabili ac supernaturali modo conceptum et natum, consueto tamen modo educandum cibisque communibus nutriendum, quales erant inter Iudaeos butyrum et mel, quae solebant infantibus exhibere praecipue in Iudaea, quae dicitur fluere lacte, et melle. Posteriora verba: *Ut sciat reprobare malum, et eligere bonum, et antequam sciat puer* etc., intelligenda sunt ut verba Evangelistae, *proficiebat sapientia*, de scientia experimentali, vel potius de scientia exterius manifestata. Quamvis enim Christus perfectissimam rerum omnium scientiam habuerit etiam qua homo a primo suae conceptionis momento, eam tamen a primis annis non demonstrabat; sed paullatim crescente aetate, ne verus homo non videretur. Caeterum Patres allata verba in sensu spirituali exponunt, ita ut per *butyrum et mel* suavitatem et dulcedinem Salvatoris, seu eius sapientiam et gratiam intelligant, qua malos reprobabit et bonos eligat, seu qua efficiet, ut homines malum reprobent et bonum eligant (2).

Obi. IV. Ex Evangeliis patet, Christum a Iosepho genitum fuisse. Haec enim erat communis Iudaeorum persuasio (3), quam ipse Christus approbat, dicens: *Et me scitis, et unde sim scitis* (4). Ideo Matthaeus, cap. I, Christum filium David ex eo probat, quia Ioseph ex David descendit: atqui hoc argumentum nullius roboris esset si Ioseph verus pater Christi non fuisset. — Imo Ioseph diserte dicitur pater Christi: *Erat pater eius, et mater mirantes* (5); ipsa quoque Maria Iosephum Patrem Christi profitetur, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te* (6). His accedit, quod neque Christus, neque Ioannes, neque Paulus de virgineo conceptu verbum referant, sed potius contrarium indigitent, Mariam *mulierem* vocando (7). At mulier dicitur illa, quae a viro est cognita.

(1) Gen. 2, 22. (2) Cf. Richardum a S. Victore l. de Emmanuele c. 18 et seq.

(3) Luc. 3, 23. (4) Io 7, 28. (5) Luc. 2, 33. (6) Ib. v. 48. (7) Io. 2, 4; Gal. 4, 4 et 29.

Resp. Iudaei Christum sicut filium Mariae, ita etiam filium Iosephi esse putabant, quoniam virginei conceptus mysterium ignorabant. Falsam hanc opinionem Christus nullatenus approbavit; dicendo enim: *Et me scitis, et unde sim scitis*, Iudaeorum iactantiam redarguit, qua cognitionem sibi adscribebant, quam non habuerunt, neque personam Christi, neque divinam eius originem cognoscentes; ideo addit: *Et a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.* Quodsi praedicta verba de temporali Christi origine intelligenda essent, dicendum foret, Christum Iudaeorum opinionem eatenus approbasse, quatenus eum filium esse Mariae, et ex patria sua Nazareth venisse credebant.—Matthaeus hoc ipso quod ostenderit S. Iosephum ex stirpe Davidis progenitum esse, ostendit etiam Mariam ex eadem stirpe descendere, quia lege divina cautum erat, ne ex alia tribu et stirpe uxores ducerentur (1), quam legem Ioseph *vir iustus* certe observavit: ergo ex commemorata genealogia Christus filius David ostenditur, quamvis non esset filius Iosephi. — *S. Ioseph pater* Christi appellatur, non quod vere pater illius fuerit, sed quod pater haberetur secundum communem persuasionem, vel etiam pater ipsius esset non quidem naturalis, sed tamen legalis, seu nutritius: et certe hoc tantum sensu Maria dixit: *Ecce pater tuus* etc. Christus certe ex sapientissimo consilio admirabilem suam conceptionem Iudaeis non patefecit, quia tanti mysterii manifestatio illis temporum adiunctis congrua non fuisset. Silentium porro Ioannis et Pauli argumentum duntaxat negativum efformat, quod argumenta positiva non infringit: si illud argumentum valeret, multa neganda essent, quae in caeteris Evangelistis dicta reperiuntur. Denique *mulier* Hebraeis erat quaecunque foemina, sive virgo, sive corrupta. Sic Eva, antequam cognosceretur ab Adamo, vocatur mulier: *Dixit autem serpens ad mulierem* (2); *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum* (3.; *Mulier, quam dedisti mihi sociam* (4) etc.: ergo ex hac appellatione nihil contra virginitatem Mariae argui potest.

Obi. V. Impossibile est, iuxta naturae leges a Creatore ipso statutas, foeminam, absque viri consortio matrem fieri. Ergo virginalis Mariae conceptus contradictionem involvit et admitti non potest. Quodsi Scriptura negat, Mariam ex Iosepho concepisse, non tamen inficiatur, quod ab alio, forte a Nicodemo, aut a Iosepho ab Arimathaea impraegnata fuerit. Haec blasphemis vocibus nonnulli Increduli et Rationalistae nostri temporis deblaterant.

Resp. Non negamus, naturaliter non posse foeminam absque viri consortio matrem fieri: sed quis negabit, id per omnipotentiam Dei fieri potuisse? Recte utique Angelus, annuncians hoc mysterium, dixit: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum* (5). Et certe virtuti Altissimi, seu omnipotentiae divinae virgineus Christi conceptus adscribitur: unde non minus impium quam insipiens est, aliam illius causam inquirere velle. Iam Gentiles et Iudaei eandem obiectionem protulerunt, quam confutans *S. Cyrillus Hier.* (6), ita praeclare loquitur: « Sed convincere nos student tam Graeci, quam Iudaei, et dicunt, quod erat impossibile, Christum de Virgine nasci. Graecis igitur primum ex ipsorum fabulis os obstruamus. Qui enim dicitis, proiectos

(1) Num. 36. (2) Gen. 3, 4.
(3) Ib. v. 6. (4) Ib. v 12
(5) Luc. 1, 37. (6) Catech. 12.

lapides in homines mutari, quomodo Virginem parere posse, negatis? qui ex Iovis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex utero virginali nasci aliquem impossibile esse dicitis? —Illis vero, qui sunt de circumcisione, sic occurrens perquire... Sterilis erat Sara et postquam muliebria desierant, praeter naturam peperit. Igitur si sterilem generare praeter naturam est, hoc quoque praeter naturam, Virginem matrem fieri: aut ergo utrumque nega, aut utrumque concede; idem enim Deus utrumque operatus est, neque audebis dicere, illud quidem possibile, hoc autem impossibile esse Deo... Eva ab initio de quo nata est?..... quae mater illam sine matre foeminam concepit? ait autem Scriptura, quod ex Adae costa effecta est. Ergone Eva ex viri latere sine matre nata fuerit, puer vero ex virginis utero absque opera viri nasci non poterit?..... Unde Adam factus est? nonne Deus, pulverem e terra sumens, admirabile illud figmentum construxit? quid ergo? lutum in oculum transformatur, et virgo filium non generabit? » Equidem Increduli omnia miracula negant, eorundemque possibilitatem impugnant, atque ideo non admittunt, Mariam, salva virginitate, Christum concepisse. Ast gravissimus illorum error iam satis refutatus est in Theol. gen., § 64. — Et sane miraculorum possibilitatem negare idem est ac omnipotentiam divinam limitare, et Deum ipsum e medio tollere. Deus utique legibus, quas non sibi, sed naturae praefixit, non subest, et vires naturae, quam condidit, superare potest. Posita ergo omnipotentis Dei operatione, quam Revelatio contestatur, nullam prorsus Christi in utero virginis conceptio contradictionem involvit. Rationi potius maxime contradicit, quod cum horrenda impietate blasphemant dicentes, Mariam, si non a Iosepho, consequenter ab alio viro impraegnatam fuisse. Tali enim adsertione factum historicum adstruunt, quod nullo testimonio authentico, imo ne minimo quidem monumento probare possunt, et de pessimo crimine illam accusant, cuius illibatam puritatem et sanctitatem tota antiquitas contestatur.

II. *Maria fuit Virgo in partu Christi.*

§ 287. Saeculo quarto *Iovinianus* monachus, ob laxiorem doctrinam a *S. Hieronymo* « Christianorum Epicurus » merito nuncupatus, ex monasterio Mediolanensi erumpens, praeter alios errores docuit, Matrem Dei, licet in conceptione Christi virgo permanserit, in partu tamen quando Christum in lucem edidit, integritatem amisisse. « Virgo concepit, inquiebat, non Virgo peperit. » Causam errori suo praetexuit, ne Christum cum Manichaeis phantasma crederemus, si matris incorrupta virginitate diceremus exortum. Virginitatem Mariae in partu negarunt etiam saeculo VII Pelagius quidam et Helladius in Hispania, et saeculo XIV alii haeretici, *Lolhardini* dicti. Contra istos, duce *verbo* scripto et tradito, probandum est, quod Maria etiam in partu Christi virgineam corporis integritatem conservaverit, seu quod, sicut tanquam virgo concepit, ita etiam ut Virgo peperit Christum.

1. *S. Scriptura* hac de veritate nos satis certos reddit. Nam Is. VII, 14 non solum dicitur, quod *Virgo concipiet*, sed etiam quod *pariet filium*: ergo mater Emmanuelis sicut in conceptione, ita etiam in partu Virgo praedicitur. Matthaeus autem totum Isaiae vaticinium in Maria matre Iesu adimpletum esse testatur, quoniam ex-

presse dicit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium* (1); ergo Maria ut Virgo in utero habuit, ac ut Virgo peperit Christum.

2. *Ss. Patres* in eodem dogmate consentiunt. *S. Iustinus M.* (2) totum Isaiae VII, 14 vaticinium Mariae applicat, et (3) inquit: « Christus se filium hominis nominavit, quia a Virgine stirpis davidicae genitus fuit. » *S. Irenaeus* quoque (4) strenue propugnat Isaiae vaticinium Christo et Mariae applicandum, et (5) dicit, « promissionem divinam per partum Virginis, nempe Mariae, adimpletam fuisse. » *S. Gregorius Nyss.* (6) ait: « Puer pannis involutus est, et in praesepio requiescens: et illa post partum Virgo incorrupta mater fovet filium. » *S. Ephrem* (7) inquit: « Non perdidit sigillum natura Virginis Christo concepto, et ob id neque eo genito reserata est, ut partum in lucem ederet. Neque vero rupta est, dum gigneret, nam neque rupta est dum conciperet... Spiritus erat, qui puerperam thori maritalis nesciam in partu adiuvabat: quapropter neque quod natum est, sigillum virginitatis commovit, neque Virgo laborem ac dolorem in partu sensit. » *S. Ambrosius* (8) de Maria scribit: « Haec est Virgo, quae in utero concepit, Virgoque peperit filium. Sic enim scriptum est: *Ecce Virgo in utero concipiet, et pariet filium.* Non enim concepturam tantummodo Virginem, sed et parituram Virginem dixit... Quid autem incredibile, si contra originis naturalis modum peperit Maria, et virgo permanet, quando contra usum naturae mare vidit et fugit, atque in fontem suum Iordanis fluenta remearunt?—Non ergo excedit fidem, quod Virgo peperit, quando legimus, quod petra vomit, in montis speciem maris unda solidata est. » Idem (9) haec habet: «Quae est haec porta(10) nisi Maria? Ideo clausa, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, et genitalia virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset.» *S. Hieronymus* (11) inquit: « Pulcre quidam portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israël ingreditur, et dux, cui porta clausa est, Mariam Virginem intelligunt, quae et ante partum, et post partum Virgo permansit. » — *S. Augustinus* (12) ita de Maria loquitur: « Virgo genuit, quia virgo concepit. Inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum: et sine corruptione gravida, et in partu virgo puerpera. » —*Isidorus Pelus.* (13) scribit: « Quemadmodum, Virgine manente, natura partus Domini contigit, nec incarnati Verbi progressus ullam castitati decessionem attulit, sic, obsignato sepulcro, facta resurrectio est, quippe Dei facti hominis utraque propria fuerunt. » *Proclus* Patr. CPtanus (14) ait: « Nisi enim mater virgo mansit, nudus homo extitit ille, qui natus est, nec admirabilis ille partus fuit. Quodsi post partum virgo per-

(1) Matth. 1, 22. (2) Apol. 1, n. 33.
(3) Dial. cum Tryph. n. 100.
(4) L. 3, adv. haer. cap. 21. (5) N. 5.
(6) In Oratione de Nat. Christi.
(7) In orat. de margarita pretiosa.
(8) In Epist. 7 ad Siricium.
(9) Lib. de institut. virginis c. 7
(10) Ezech. 44.
(11) Comment. in c. 44 Ezech.
(12) Serm. 21 de temp.
(13) L. 1 Epist. 184.
(14) Orat. 1 in Deiparam.

mansit, nonne et Deus erat, et mysterium in hoc ineffabile est? Quoniam ille ineffabiliter natus est, qui et clausis ianuis, nullo prohibente, ingressus est.» *S. Petrus Chrysol* (1) ita loquitur: « Qui egreditur et ingreditur, et introitus sui et exitus nulla vestigia relinquit, divinus habitator est, non humanus: et qui conceptu suo virginem servat, et ortu suo relinquit virginem, non terrenus homo est, sed coelestis. » *S. Leo M.* (2) dicit: « Nova autem nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis iniuria; quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanae substantiae naturam, et humanae carnis inquinamenta nesciret.» *S. Fulgentius* (3) ait: «Dominus namque verus veram ex Virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam non ademit. »*S. Hormisdas* R. P. (4) scribit: « Dignum plane Deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine. » *S. Io. Damascenus* (5) inquit: « Quemadmodum autem ille, qui conceptus fuit, eam, quae conceperat, Virginem servavit, sic nascendo virginitatem illius incolumem custodivit, solus per eam transiens, clausamque conservans. —Neque enim hoc ei impossibile erat, ut per portam transiret, sigillis eius nulla parte labefactis. »

3. Constans et universalis *Ecclesiae fides* de virginitate Mariae in partu ex *Symbolis* et *Conciliis* colligitur. In Symbolo Apostolico Christus non solum dicitur *conceptus de Spiritu sancto*, sed etiam *natus ex Maria Virgine*, quibus verbis Ecclesia profitetur, Mariam ut virginem Christum peperisse, et in partu virginem permansisse; nam, ait *S. Augustinus* (6), « si per nascentem corrumperetur eius integritas, non ille de Virgine nasceretur, eumque falso, quod absit, natum de Virgine tota confiteretur Ecclesia.» — *Siricius* Papa anno 390 Romae Cleri sui Synodum collegit, et *Iovinianum* eiusque sectatores, Mariae virginitatem in partu negantes damnavit, et hac de re Ecclesiam Mediolanensem certiorem reddidit. Accepta epistola Siricii, Mediolani sub *S. Ambrosio* concilium ab Italiae et Galliae Episcopis habitum est, in quo omnes damnationi a Siricio in Iovinianum latae subscripsere, et dogma catholicum de virginitate Mariae in partu professi sunt, ut patet ex epistola synodica, quae est inter Ambrosianas 42. In Concilio *Ephesino* Theodorus Ancyranus in oratione habita, et ab omnibus approbata, dixit: « Neque enim nostrum Verbum, cum paritur, corrumpit mentem; neque Deus Verbum substantiale, partum eligens, peremit virginitatem. » In Concilio *Chalcedonensi* approbata est epistola *S. Leonis* 24, in qua (7) dicitur: «Maria Christum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit. »

Nota 1. Difficultates, quae propositae doctrinae obiiciuntur, sunt sequentes.

Obi. I. Luc. II, 22 legitur de Christo: *Tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur*. Ergo Christus in templo praesentatus et Domino obla-

(1) Serm. 142 de Annunt.
(2) Serm. 2 de Nativ. c. 2.
(3) Lib. 1 de verit. Praedest. c. 2.
(4) Epist. 79 ad Iustinum Imp.
(5) L. 4 de orth. fide c. 14.
(6) In Enchir. c. 34 n. 10. (7) Can. 2

tus fuit, quia matris suae vulvam aperuit. Etiam Ss. Patres passim docent, in Nativitate Christi apertam fuisse vulvam Mariae. *S. Athanasius* (1), probat Christi carnem similem nostrae fuisse ex eo, quod «oblatum sit sacrificium propter apertum ab eo, qui natus est, uterum.» *S. Basilius* (2) *primogeniti* vocem explicans, quatenus Christo convenit, « appellari, ait, primogenitum, qui primus aperit vulvam, non qui post se alios fratres habeat. » *S. Ambrosius* (3) dicit: « Christus aperuit matris suae vulvam, ut immaculatus exiret. » Idem dicunt *S. Irenaeus* (4), *S. Epiphanius* (5), *S. Hieronymus* (6) et alii. Ergo Maria in partu virgo non permansit.

Resp. Christus legem de primogenitis Deo offerendis adimpleri voluit, ut, iuxta vaticinia Prophetarum, ad templum suum veniens, Patrem honoraret et se mundi Salvatorem ostenderet. Exinde autem non sequitur, Christum in sensu adversariorum matris vulvam aperuisse. Neque id S. Lucas dicit, sed solum generalem legem Israëlitis datam citat. In ferendis porro legibus id spectat Legislator, quod naturaliter accidit et ordinarium est, non quod extraordinem et per miraculum evenit.— Quodsi Ss. Patres dicunt, Christum matris suae vulvam aperuisse, nullatenus ideo docent, virginale Mariae claustrum per partum Christi violatum esse. Id manifeste constat ex eo, quia etiam *S. Ambrosius*, *S. Hieronymus* et *S. Epiphanius* hoc loquendi modo utuntur, qui tamen virginitatem Mariae in partu contra Iovinianum acerrime defendunt. Per aperitionem vulvae ergo nonnisi ipsum partum intelligunt, quia *aperire vulvam* et *parere* tanquam synonima habentur. Nam, ut scite observat *Petavius* (7), etiam in reliquis foeminis vulva, quamvis iam in conceptione aperta fuerit, tamen, cum pariunt aperiri dicitur, et « quoniam apertionis illius finis, et fructus, ac certissimum indicium est foetus emissio; ideo *aperire uterum* pro eo usurpatur, quod est simpliciter partu in lucem emitti. » Hoc idem post V. *Bedam* (8) asseruit *S. Thomas*, qui (9) dicit: « Illa adapertio non significat reserationem communem claustri pudoris virginei, sed solum exitum prolis de utero matris. » — Alii autem putant, Christum dici nascendo aperuisse vulvam matris, quia dedit ei foecunditatem. Sicuti enim in Ss. Scripturis (10) Deus dicitur vulvam concludere, dum mulieres steriles manent, ita dicitur vulvam aperire, cum foecunditatem tribuit, quocunque demum modo postmodum partus contingat. Nec improbabile est, Patres in hoc sensu dixisse, Christum matris uterum aperuisse.

Obi. II. Maria, Luc. II, 22, *postquam impleti sunt dies purgationis eius*, accessit iuxta legis praescriptum in templum, ut purificaretur. Ergo erat immunda, seu corrupta ex partu non minus, quam caeterae mulieres parturientes.

Resp. Hanc obiectionem solvit *S. Thomas* (11) dicens: « Licet B. Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis observantiam implere, non propter indigentiam, sed propter legis praeceptum; ipsa enim secundum se purgatione non indigebat. » Cuius rei rationem clarius ex-

(1) Epist. ad Epictetum.
(2) Orat. de Nat. Dom.
(3) Comment. in Luc. 2, 22.
(4) L. 4, c. 66. (5) Haer. 77.
(6) Lib. 2 adv. Iovin.
(7) De incarn. l. 14, c. 5, n. 6.
(8) Cap. 8, in Luc. (9) 3, q. 28, a. 2.
(10) Gen. 20, 18, 1 Reg. 1, 5.
(11) 3, q. 37, a. 4 ad 1.

ponit (1) dicens: « Sicut plenitudo gratiae a Christo derivatur in Matrem, ita decuit, ut Mater humilitati Filii conformaretur. Et ideo, sicut Christus, quamvis legi non esset obnoxius, voluit tamen circumcisionem et alia legis onera subire ad demonstrandum humilitatis et obedientiae exemplum, et ut approbaret legem, et ut calumniae occasionem Iudaeis tolleret: propter easdem rationes voluit et Matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia. » Eodem modo Patres passim docent, Mariam purificationis legi non fuisse subiectam, quia Virgo concepit, et peperit; lex autem dicit: *Mulier, si suscepto semine pepererit, immunda erit* (2) etc.

Obi. III. Nullo modo explicari potest, quomodo Christus ex utero Mariae nascendo prodire potuerit, quin eius claustrum virginitatis violaretur. Ipsi Theologi catholici in hoc modo explicando non conveniunt. Nonnulli dixerunt, Christum ex latere Mariae prodiisse, et sic veram eius nativitatem negant. Alii autumarunt, Christum in partu sigillum virginitatis fregisse, et illico postea per miraculum restituisse, qua sententia admissa, iam perpetua Mariae virginitas negatur. Alii quidem dixerunt, Christum ita ex Mariae utero egressum esse, prout clausis ianuis ad discipulos ingressus est. Sed etiam id admitti nequit; nam *S. Gregorius M.* (3) dicit: « Christus per hoc, quod ianuis clausis post resurrectionem intravit, Dominus ostendit corpus suum esse eiusdem naturae et alterius gloriae: » per clausas nempe ianuas transire, non ad naturam, sed ad gloriam corporis pertinet. Ast corpus Christi in sua conceptione non fuit gloriosum, sed passibile, *habens similitudinem carnis peccati* (4); ergo non potuit per uterum Virginis clausum exire. Omnino ergo dicendum est, Christum more caeterorum hominum aperto matris utero natum esse, ne cum Phantasiastis Christo corpus solum apparens et umbratile attribuendum sit.

Resp. Theologi catholici omnes admittunt, Christum vere ex Maria natum esse, et Mariam in eius partu virginem permansisse: qui hoc, vel illud negant, Catholici non sunt. Sententia eorum, qui Christum ex latere virginis prodiisse dicebant, iam reprehensa et confutata fuit a *S. Io Damasceno* (5). Contrarium ipsa Ecclesia docet; nam Concilium *Ephesinum* in Confessione fidei profitetur, quod *Filius Dei nativitatem nostram sustinuit, ex vulva homo de muliere procedens;* et in officio divino Ecclesia canit: « Beata coeli nuntio, foecunda sancto Spiritu, desideratus gentibus cuius per alvum fusus est. » Eodem modo Ecclesia nunquam admisit sententiam de sigillo virginitatis fracto et reparato, quoniam per illam virginitas Mariae in ipso partu negaretur. — Non negamus, difficile esse modum explicare, quo virgineus partus evenit, quoniam generatim, quae praeter naturae ordinem eveniunt, a nobis perfecte concipi et explicari non possunt; sed ignorantia modi non tollit certitudinem facti. Recte ideo *S. Augustinus* (6) hac de re scribit: « Ipsa virtus per inviolatae matris virginea viscera membra infantis eduxit, quae postea per clausa ostia membra iuvenis introduxit. Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse,

(1) Ibid. in O. (2) Lev. 12, 2.
(3) Hom. 26 in Evang. (4) Rom. 8.
(5) L. 4, orth. fid. cap. 15.
(6) Epist. 137 (al. 3) ad Volusianum.

quod nos fateamur investigare, non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. » Communis tamen Ss. Patrum et Theologorum sententia est, Christum cum vero et naturali suo corpore exivisse ex clauso Mariae utero, eum penetrando, quam sententiam iam proposuit Magister sentent., dicens: « Sol penetrat vitrum, nec frangitur, aut violatur; sic Virgo peperit, nec maculata fuit. » Naturaliter quidem corpus humanum non potest aliud penetrare; sed supernaturaliter, seu virtute divina id fieri posse, nemo negabit, nisi qui omnipotentiae Dei limites ponit. - Verum equidem est, quod status gloriae permanens, ut *S. Gregorius M.* innuit, in corpore Christi solum post eius resurrectionem inceperit: sed extraordinario modo, per virtutem divinam certe fieri potuit, ut etiam corpus passibile uterum maternum penetraret. Et ex hoc ipso, quod talis penetratio omnipotentis Dei virtuti adscribatur, patet, corpus Christi non mere phantasticum, seu apparens, sed verum, solidum et reale fuisse. Quantum autem tam admirabilis partus Christo conveniens fuerit, ostendit *S. Thomas* (1) dicens: « Ita voluit Christus veritatem sui corporis demonstrare, quod etiam eius divinitas declararetur: et ideo permiscuit mira humilibus. Unde ut corpus eius verum ostenderetur, nascitur ex foemina: sed ut ostenderetur eius divinitas, nascitur ex Virgine. Talis enim partus decet Deum, ut *Ambrosius* dicit in hymno Nativitatis. »

Nota 2. B. Virginem Christum absque ullo dolore peperisse, constans est Ss. Patrum doctrina. *S. Zeno* (2) dicit: « Parturit Maria non dolore, sed gaudio.... quae principaliter stupet, talem sibi filium provenisse, qui ex se natus non crederetur, nisi quia sicut fuit virgo incorrupta post conceptum, permaneret talis quoque post partum. » *S. Gregorius Nyss.* (3) ita de Christo loquitur: « Cuius conceptio duorum a coniunctione profecta non est, huius partus minime inquinatus et doloris expers fuit. » *S. Chrysostomus* (4), loquens de humana Christi generatione, inquit: « Ne quaeras naturae modum et ordinem, quando supra naturam sunt quae fiunt; ne spectes coniugii dolores, quando maior quam in nuptiis nativitatis modus erit. » *S. Io. Damascenus* (5) ait: « Quam nulla voluptas anteivit, nec dolor quidem in partu secutus est. » *S. Bernardus* (6) exclamat: « Cui poterit Christus asper, aut durus videri, qui nec ipsi Matri in nativitate quidquam asperitatis, quidquam intulit laesionis? O nova vere miracula! Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Evae; peperit enim filium sine dolore: mutata est, inquam, maledictio in benedictionem. » In Concilio *Trullano* Patres (can. 79) dicunt: *Absque ullo dolore Virginis partum fuisse confitemur, ut qui sine semine constitutus sit.* Ecclesia in sacris officiis dicit: « Nesciens mater Virgo virum peperit sine dolore Salvatorem saeculorum. » *S. Thomas* id sequenti ratione probat (7): « Dolor parientis causatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur. Christus autem egressus est ex clauso utero matris, et sic nulla violentia apertionis meatuum ibi fuit. Et propter hoc in illo partu nullus fuit dolor, sicut nec aliqua corruptio; sed fuit ibi

(1) L. 3, q. 28, art. 2 ad 2.
(2) Ep. Veron. Serm. 3 de Nativ. Christi.
(3) Hom. 13 in Cant. (4) Hom. 49 in Gen.
(5) L. 4 de fide c. 15.
(6) Serm. 4 in Vig. Nativ.
(7) 3. q. 35. art. 6

maximaiucunditas ex hoc, quod homo Deus natus est in mundum secundum illud Isaiae: *Germinans germinabit sicut lilium, et exultabit laetabunda, et laudans* (1). » — Ideo merito inter fabulas reiicitur, quidquid a nonnullis de obstetrice Mariae parturienti assistente narratum fuit. Nam, ait *S. Hieronymus* (2): « Nulla ibi obstetrix, nulla mulierularum sedulitas intercessit: ipsa pannis involvit infantem, ipsa et mater et obstetrix fuit: quae sententia apocryphorum deliramenta convincit. »

III. *Maria post partum Christi semper Virgo permansit.*

§ 288. Saeculo quarto *Helvidius*, Auxentii Ariani discipulus, sanctissimae Deiparae perpetuam virginitatem edito impiissimo libello impugnavit, temere effutiens, ipsam, postquam Christum ex Spiritu sancto concepit, et Virgo peperit, alios ex Iosepho coniuge liberos procreasse, qui fratres Domini in Evangelio vocarentur. Eundem errorem eodem saeculo docuit *Bonosus* Sardicensis Episcopus, cuius meminit *S. Ambrosius* (3). — *Apollinaristae* quoque a *S. Epiphanio* inter Antidicomarianitas, id est, inter virginitatis Mariae impugnatores numerantur (4), quibus accensendi sunt *Eunomius* et *Iovinianus*, ac saeculo septimo quidam Hispani a *S. Ildephonso* confutati. — Extinctum Helvidii errorem saeculo XVI a Novatoribus quibusdam suscitatum fuisse, testatur *V. Petr. Canisius* (5). Certum est, illum propugnasse *Anabaptistas*, et nonnullos etiam inter *Lutheranos* et *Calvinianos*, qui perpetuam Mariae virginitatem profiteri recusarunt, quoniam in S. Scriptura clare expressa non legitur. Denique eandem negant *Naturalistae*, *Rationalistae*, et generatim omnes, qui Christum merum hominem et more caeterorum hominum natum esse dicunt. Contra istos aberrantes iam probandum est, Mariam post partum Christi semper usque ad obitum intemeratam Virginem permansisse. Pro hac veritate catholica nonnulla equidem S. *Scripturae* loca citari solent, sed tamen praecipua argumenta ex altero Revelationis fonte, nimirum *ex Traditione* petenda sunt.

1. *S. Scriptura* perpetuam B. Mariae post partum Christi Virginitatem nullibi claris et conceptis verbis adseverat. Sed tamen ad hanc probandam nonnulli, quorundam Ss. Patrum auctoritati suffulti, citant verba Ezech.: *Porta haec clausa erit, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa principi* (6). Per portam hanc clausam plures Patres virgineum Mariae uterum intelligunt, quem Christus ingressus est, et qui alteri non patuit. Sic. *S. Ambrosius* (7) ait: « Quae est haec porta, nisi Maria? ideo clausa, quia virgo, porta, per quam Christus intravit in hunc mundum. » *S. Hieronymus* (8) scribit: « Pulcre quidam portam clausam Mariam Virginem intelligunt, quae et ante partum, et post partum virgo permansit.... virgo aeterna ad confundendos eos, qui arbitrantur, illam post nativitatem Salvatoris habuisse filios de Ioseph. » *Ruffinus* (9) in illa verba: *Natus ex Maria Virgine*, similiter explicat portam illam, dicens: « Quid tam evidens dici de conservatione Virginis potuit? — per ipsam intro-

(1) Cap. 35, 2. (2) L. contra Helvidium c. 4.
(3) Epist. 5 (4) Haeres. 77 et 78.
(5) L. 2 de B. Maria. (6) 44, 2.
(7) De instit. Virg. cap. 7.
(8) Comment. in Ezech. 44.
(9) In expos symb. apost.

ivit Dominus, et per ipsam in hunc mundum processit, et in aeternum porta Virginis clausa servata virginitate permansit. » *S. Augustinus* (aut alius antiquus auctor) Serm. 14 de Natali Domini interrogat: « Quid est *porta* in domo Domini *clausa*, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est; *vir non transibit per eam*, nisi quia Ioseph non cognoscet eam?.... et quid est; *clausa erit in aeternum*, nisi quod Maria Virgo est ante partum, Virgo in partu, et Virgo post partum? » Certius *S. Augustini* sunt verba, quae leguntur serm. 2 ibid. (1): « Porta clausa signaculum est pudoris, immaculata carnis integritas; non enim est violata partu, quae magis est sanctificata conceptu. » Concilium *Mediolanense* (2) inquit: « Quae est Sanctuarii illa porta, porta illa exterior ad orientem, quae manet clausa, et nemo transibit per eam, sed solus Deus Israël transibit per eam?.... Haec porta est Maria, de qua scriptum est: Dominus pertransibit per eam, et erit clausa post partum. » Ita eundem locum intelligit *S. Thomas* (3). Ex N. T. recte adlegantur verba, quae Maria reposuit Angelo sibi nuntianti, quod filium conceptura et paritura sit; ait enim: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* (4)? quibus verbis Virgo sanctissima significat, impedimentum se habere, quominus filium concipere et parere possit: impedimentum autem illud non aliud esse potuit, quam perpetuae virginitatis votum iam emissum. Illa enim verba: *virum non cognosco*, non significant: iam actu non cognosco, sed: non licet mihi cognoscere; alioquin ineptissima interrogatio fuisset, cum statim potuisset responderi: etsi nunc non cognoscis, tamen paullo post cognosces. Sicuti ergo abstemius dicit: non bibo vinum, id est, bibere non possum; et caecus: lumen coeli non video, id est, videre non possum; et in Quadragesima dicimus: carnibus non vescimur, id est, non licet nobis hoc tempore carnibus vesci; sic B. Virgo dixit: *Virum non cognosco*, id est, prohibeor virum cognoscere. Cur autem prohiberetur, nulla ratio reddi potest, nisi votum; nam et virum habebat et iuvenis erat; nec est credibile, sterilem, aut impotentem fuisse, vel certe id ipsa nondum scire poterat, cum ad virum non pervenisset. Nec denique prohibebatur virum cognoscere lege aliqua communi, ut notum est; igitur lege particulari, id est voto. Ideo *S. Augustinus* (5), in citata Mariae verba, dicit: « Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. » Imo praeter hunc S. Doctorem etiam alii Patres ex iisdem verbis inferunt, Mariam perpetuae virginitatis voto obstrictam fuisse. *S. Gregorius Nyss.* (6) ita Mariam loquentem inducit: « Interdixi mihi consuetudinem viri; quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco?.... Quia carnem Deo consecratam, tanquam sanctum aliquod oblatum munus, oportet intactam integramque praestare: idcirco licet Angelus sis, licet de coelo venias, licet id, quod ostenditur, naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. » V. *Beda* (7) scribit: « Propositum suae mentis reverenter exposuit (Maria), vitam videlicet virginalem se ducere decrevisse. » *S. Anselmus* (8) inquit: « Virgo et tenera et delicata, regali stirpe pro-

(1) Vel in append. de diversis.
(2) In citata epist. synod. ad Siric.
(3) Q. 28, art. 3. (4) Luc. 1, 34.
(5) L. de sancta virginitate c. 4.
(6) Or. in Natal. Christi.
(7) In cap. 1 Lucae.
(8) L. de excell. virg. c. 4.

genita, speciosissima, totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, ut corpus et animam suam Deo virginitate perpetua consecraret.» Idem testatur *S. Bernardus* serm. 4 super *Missus est;* et serm. de Virgine in illa verba Apocalypsis, *signum magnum apparuit in coelo*, dicit: «B. Virginem vovendo virginitatem legis mosaicae decreta transcendisse.» Etiam *S. Thomas* (1) votum virginitatis a Maria emissum defendit, sed putat, ipsam prius conditionatum, et solum cum desponsata esset, una cum S. Iosepho absolutum perpetuae virginitatis votum emisisse: sed hanc sententiam, ut ait *Billuart* (2), angelicus Doctor propugnavit delusus per supposititium S. Augustini textum a Magistro sententiarum, et a Gratiano relatum: ideo hac in re Theologi communiter a sententia S. Thomae recedunt, docentes, Mariam iam ante desponsationem absolutum perpetuae virginitatis votum emisisse. Si autem Maria hoc votum emisit, certe illud etiam semper observavit, cum de eius sanctitate dubitare non licet: et si matris divinae dignitatem cum virginitatis iactura acceptare noluisset, multo minus post obtentam illam dignitatem virginitatis decore privari se permisit.

2. *Ss. Patres* perpetuam Mariae post partum Christi virginitatem contestantur. *Origenes* (3) adseverat: «Mariam semper Virginem permansisse, nec alium habuisse filium, praeter Iesum.» Eos, qui contrarium sentiunt, insanire dicit; ait enim (4): «In tantam, nescio quis, prorupit insaniam, ut assereret, negatam fuisse Mariam a Salvatore, eo quod post nativitatem illius iuncta fuerit Ioseph.» *S. Basilius* (5) dicit: «Christi amantes audire non sustinent, quod Deipara aliquando esse desierit virgo.» *S. Hilarius* (6) illos reprehendit et vocat «pravissimos, qui praesumunt, quod, plures Dominum nostrum fratres habuisse, traditum sit.» *S. Gregorius Nyss.* (7) dicit, ex divino consilio factum esse, ut Maria cuipiam desponsaretur, «qui tamen dumtaxat ad custodiendam eius virginitatem idoneus esset»... «sacerdotum consilio Ioseph puellam sponsam accepit, quae tamen coniunctio sponsalia non est egressa.» Idem (8) protestatur, quod «Virginem sanctam nemo nostrum ausus est hominiparam dicere.» *S. Ambrosius* (9) inquit: «Non deficit Maria, non deficit virginitatis magistra: nec fieri potuit, ut quae Deum portaverat, portandum hominem arbitraretur. Nec Ioseph, vir iustus, in eam prorupisset insaniam, ut Matri Domini corporeo concubitu misceretur.» *S. Zeno* (10) exclamat: «O magnum sacramentum! Maria Virgo incorrupta concepit; post conceptum Virgo peperit; post partum Virgo permansit.» *S. Hieronymus* in lib. c. Helvidium totus in eo est, ut perpetuam Mariae virginitatem vindicet; et c. 19 de S. Iosepho scribit: «Mariae custos potius fuit, quam maritus; relinquitur, virginem eum mansisse cum Maria.» Idem (11) scribit, Christum in cruce Mariam Ioanni commendasse, «ut haereditatem virginis Domini, virginem matrem, filius virgo susciperet.» *S. Augustinus* (12) dicit: «Vi-

(1) L. 3 q. 28, art. 4.
(2) De mysteriis Christi Diss. 1 a. 4.
(3) Comment. in Matt. (p. 223 ed. Huet.).
(4) Hom. 7 in Lucam.
(5) Hom. 25 in Chr. gener. n. 5.
(6) In Matth. c. 1 n. 4.
(7) Or. in Natal. Christi.
(8) In Ep. ad Eustath. et Ambros.
(9) L. de Instit. Virg. c. 6, n. 45.
(10) Serm. 2 de Nativ. Christi.
(11) Epist. 16 ad Principiam (Marcellae vid. Epitaph.
(12) Serm. 23 de temp.

dete miraculum matris dominicae! Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo post partum permansit; » et alibi (1) ait: « Christus natus est de matre, quae a viro intacta concepit, semperque intacta permansit; Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo mortua est. » *S. Epiphanius* (2) de Antidicomarianitis dicit: « Eo temeritatis progressi sunt, ut sanctissimam Mariam post Christum in lucem editum cum viro suo Iosepho consuetudinem habuisse dicerent; » quos confutat dicendo: « Quis ullo tempore unquam extitit, qui S. Mariae nomen appellare auderet, et non rogatus subinde Virginis vocabulum adiiceret?... Sic sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur: haec enim perpetuo incorrupta permansit. » *S. Cyrillus Alex.* (3) ait: « Unum et solum peperit S. Virgo, nempe Emmanuelem... neque enim ulli alii post ipsum ex illa nati sunt. Perpetuo namque illa virginitatem conservavit. » *S. Petrus Chrys.* serm. 62 de Maria ita loquitur: « Virgo concipit, Virgo parit, permanet Virgo post partum: » idem repetit serm. 142 de annunt. et alibi. *S. Leo M.* (4) inquit: « Divina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, quod Virgo pepererit, et Virgo permanserit... Oportuit enim, ut, primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium divini Spiritus, virtus servaret. » *S. Fulgentius* (5) de Maria ait: « Sicut Virgo fuit ante conceptum, sic Virgo permansit inviolata post partum. » *Gennadius* (6) scribit: « Integra fide credendum est, B. Mariam Dei Christi matrem, et Virginem concepisse, et Virginem genuisse, et post partum Virginem permansisse » (7).

3. *Ecclesia* in Symbolis, libris symbolicis, et liturgicis passim Virginem appellat; non solet autem Ecclesia illas foeminas, quae aliquando virgines fuerant, sed postea corruptae sunt, verum eas tantum, quae usque ad obitum continentiam servarunt, glorioso virginum nomine honorare. In nonnullis Symbolis Ecclesiarum particularium, praesertim orientalium, Maria expresse *semper Virgo*, seu *Virgo perpetua* vocatur. — Fides Ecclesiae etiam patet ex condemnatione haereticorum. Sic *Bonosus*, perpetuam Mariae virginitatem negans, in Concilio *Capuano* anno 389, et in Concilio *Thessalonicensi* anno 390 damnatus est, et hanc damnationem *Siricius* R. P. ratam habuit, uti patet ex eius epistola ad Anysium Episc. Thessal. *Iovinianus* quoque, virginitatem Mariae in partu, et post partum impugnans, tanquam haereticus anno 390 in duobus Conciliis, *Romano* et *Mediolanensi*, damnatus fuit. Patres Concilii *Chalcedonensis* in sermone prosphonetico ad *Marcianum* Imp. laudant Mariam Dei Genitricem *propter eum, qui virginitatem ipsi etiam post conceptum largitus est, atque ut Deo dignum erat, uterum obsignavit, ut nullius iniuriae pateret.* Concilium *CPtanum II*, gener. V, Mariam nominat *semper Virginem immaculatam* (8). — Concilium *Lateranense* sub Martino I anno 649 habito can. 3 dicit: *Si quis non confitetur, proprie, et vere Dei Genitricem sanctam semper virginem immaculatam Mariam in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto, et incorruptibiliter enixam esse, in-*

(1) L. de catech. rudibus n. 4.
(2) Haer. 78, n. 1.
(3) L. 2 de recta fide ad Regin.
(4) Ser. 2 de Nativ.
(5) L. 1 de verit. praedest. c. 2.
(6) De eccles. dogm. c. 69.
(7) Cf. Petav. de incarn. l. 14, c. 6.
(8) Cap. 2.

dissolvibili permanente et ante, et post partum eiusdem virginitate, sit condemnatus. In Concilio *CPtano III*, generali VI, act. 11, laudatur *Mariae illibata virginitas, quae ante partum, in partu, et post partum est interminabilis.* Concilium *Nicaenum II* in professione fidei dicit: *qui incarnatus est propter nos ex intemerata Dei Genitrice semper Virgine Maria.* Huic fidei constanter insistens Ecclesia ita B. Virginem precari solet: *Post partum Virgo inviolata permansisti, Dei Genitrix, intercede pro nobis.*

Nota 1. Cum doctrina de perpetua B. Mariae virginitate post partum semper, ubique et ab omnibus Catholicis credita fuerit, et ipsa Ecclesia fidem suam tum in conciliis, tum extra concilia satis clare proponat, dubitari profecto non potest, illam ad fidei dogmata referendam esse. Id confirmatur ex variis iudiciis in sententiam eorum latis, qui adserere non verebantur, Mariam post partum Christi cum Iosepho consortium habuisse, et alios filios genuisse. Eam *Origenes* (1) vocat « insanam opinionem; » *S. Ambrosius* (2) « sacrilegium; » *S. Epiphanius* (3) « blasphemiam; » *S. Siricius* (4) « perfidiam iudaicam; » *S. Basilius* (5) « intolerabilem auribus amantium Christum; » *S. Hieronymus* (6) « impiam, et rabiosi hominis progeniem. » Quantum a tali sententia abhorrendum sit, praeclare ostendit *S. Thomas*, qui (7) ita disserit: « Absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere praesumpsit, matrem Christi post partum a Ioseph esse carnaliter cognitam et alios filios genuisse. Hoc enim *primo* derogat Christi perfectioni, qui sicut secundum naturam divinam Unigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia filius eius; ita decuit, ut esset Unigenitus Matris, tanquam perfectissimum germen eius. *Secundo* hic error iniuriam facit Spiritui sancto, cuius sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit: unde non decebat, quod de caetero violaretur per commixtionem virilem. *Tertio* derogat dignitati et sanctitati Matris Dei, quae ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. *Quarto* ipsi Ioseph esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam, quam, revelante Angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et ideo simpliciter est asserendum, quod Mater Dei, sicut Virgo concepit, et Virgo peperit, etiam et Virgo post partum in sempiternum permansit. »

Nota 2. Difficultates, quae contra dogma catholicum moveri solent, in libro S. Hieronymi contra Helvidium egregie solutae leguntur.

Obi. 1. Matth. I, 18 legitur: *Antequam* (Maria et Ioseph) *convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, ex quo necessario infertur, quod postea convenerint. Quemadmodum enim de eo, qui nunquam pransurus est, non dicitur: antequam pranderet; ita de iis, qui nunquam convenire debent, dici nequit: *antequam convenirent.*

Resp. Hanc obiectionem refellit *S. Hieronymus* (8) dicens: « Licet haec propositio *antequam* saepe consequentiam indicet, tamen nonnunquam ea tantum, quae prius cogitabantur ostendit; unde nec necesse est, ut cogitata fiant, quum aliud ideo interveniat

(1) Hom. 7 in Luc.
(2) L. de inst. Virg. c. 5. (3) Haer. 78.
(4) Epist. 5 ad Theophilum, et Anysium.
(5) Hom. 25 de Natal. (6) Lib. c. Helvid.
(7) 3, q. 28, art. 3. (8) N. 3.

rit, ne ea quae cogitata sunt fierent... ut si dixerimus: Helvidius, antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est, non sequitur, quod post mortem poenitentiam egerit, cum ibi non sit poenitentiae locus, dicente Scriptura: *In inferno autem quis confitebitur tibi* (1)? — Igitur cum Evangelista ait: *Antequam convenirent*, proximum nuptiarum tempus ostendit, ut quae prius sponsa erat esse uxor inciperet; non tamen sequitur, Iosephum cum Maria convenisse post partum. » Helvidii probationem S. Doctor conterit alio exemplo dicens: Si dicam antequam in portu pranderem in Africam navigavi, non sequitur me postea in portu prandisse. Sicuti ergo in hac propositione: antequam pranderem; idem est ac: quin pranderem; ita etiam: antequam convenirent, idem est ac: quin convenirent etc.; hunc enim sensum poscit scopus Evangelistae, qui non alius erat, quam ut ostendat, Mariam iuxta vaticinium Isaiae ut virginem Christum concepisse et peperisse.

Obi. II. Angelus ad Iosephum, Matth. I, 20, dixit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam:* ergo ipse Angelus Iosepho indicavit quod possit Mariam ut coniugem suam considerare, et iuribus coniugii uti; quod et factum esse ostendunt verba, v. 24: *Exurgens Ioseph... accepit coniugem suam.*

Resp. Quid Angelus per haec verba: *accipere Mariam coniugem* etc. intellexerit, ex immediate praecedentibus facile intelligitur. Ioseph enim, Mariam gravidam cernens et mysterium ignorans, *voluit occulte dimittere eam*, cui in sponsum, socium et custodem divinitus datus fuerat. Angelus, ut a tali proposito ipsum detineret, ait: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam* etc., ac si diceret: noli dimittere eam, quae tibi in coniugem data fuit, sed eam tecum retine, et custodi etc. Neque in alio sensu Ioseph *accepit coniugem suam;* nam statim subiungitur v. 25: *Et non cognoscebat eam.*

Obi. III. Quamvis admittendum sit, Iosephum ante partum Christi Mariam non cognovisse, tamen id postea factum esse, in Evangelio clare indicatur. Nam legitur: *Accepit coniugem suam, et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum* (2); haec autem vox *donec* determinatum tempus significat, quo impleto fiat id, quod usque ad illud tempus non fiebat: ergo Maria post Christi partum virgo non permansit.

Resp. Certum est, verbum *cognoscere* non semper coitum maritalem, sed multo frequentius rerum notitiam significare. Ideo nonnulli haec verba, *non cognoscebat eam, donec peperit* etc., intelligunt de cognitione excellentiae et meritorum B. Virginis, quam S. Ioseph non habuit plenam, nisi quando in eiusdem partu vidit Choros Angelorum canentium etc. Sic *S. Chrysostomus* (3) dicit: « Non cognovit eam Ioseph, antequam pareret, cuius fuerit dignitatis: sed postquam peperit, tunc cognovit eam, quia per ipsius prolem spatiosior et dignior facta fuerat, quam totus mundus; quia quem totus mundus capere non poterat, in angusto cubiculo uteri sui sola suscepit. » Ast *S. Hieronymus* admittit, per verbum *cognoscere* hic usum matrimonii intelligendum esse; ostendit autem nihilominus ex isto loco nihil contra perpetuam Mariae virginitatem inferri posse. Ait enim (4): « In Scripturis *donec* saepe certum tempus significat, saepe infi-

(1) Ps. 6. (2) Matth. 1. 25.

(3) Seu verius alius Auctor. op. imp. in Matth. Hom. 1. (4) L. c. n. 5

nitum, ut est illud, quod Deus ad quosdam loquitur: *Ego sum, et donec senescatis, ego sum* (1); numquid postquam illi senuerint, Deus esse desistet?—Et Salvator ad Apostolus ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (2); ergone post consummationem saeculi a discipulis suis Dominus abscedet? Item in prophetia David legimus: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (3); nunquid subiectis populis... ad dexteram Patris Filius sedere desinet? — Iterum David ait: *Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri* (4), ergo tamdiu Propheta oculos habebit ad Dominum, quamdiu misericordiam impetret, et post impetratam misericordiam oculos torquebit in terram?» His aliisque locis S. Doctor ostendit, particulam *donec* saepe tempus infinitum, et ea quae nunquam evenient, significare; unde concludit: «Iuxta quod et illud intelligitur de Ioseph, Evangelistam id indicasse, de quo scandalum poterat moveri, non eam cognitam esse a viro suo usque ad partum, ut multo magis intelligeremus, cognitam non fuisse post partum, a qua tunc se abstinuit, cum adhuc de visione poterat fluctuare... Nam Ioseph, qui Annam prophetissam, Magos, stellam, Herodem, Angelos viderat, qui, inquam, miracula tanta cognoverat, Dei templum, Spiritus sancti Sedem, Domini sui Matrem audebit attingere? » —

Obi. IV. Maria *peperit filium suum primogenitum* (5); atqui vox ista *primogenitus* indicat alios postea genitos; sicuti enim primus dies, et primus mensis alios inferunt dies, et menses, ita primogenitus alios genitos: ergo Maria plures filios habuit.

Resp. In Scripturis *primogenitus* dicitur ille, ante quem nullus est genitus, sive alter post ipsum natus fuerit, sive non. *S. Hieronymus* (6) id probat ex ipsa Scriptura (7); et addit: « Definivit sermo Domini, quid sit primogenitum: *omne*, inquit, *quod aperit vulvam*... Alioquin si non esset primogenitus, nisi is tantum, quem sequuntur fratres, tamdiu sacerdotibus primogenita non deberentur, quamdiu non alia fuerint procreata, ne forte partu postea non sequente unigenitus sit, et non primogenitus. » Paritas de prima die, aut primo mense nihil prorsus evincit; nam si dicam infantem primo die aut primo mense mortuum esse, non sequitur, alterum diem, aut alterum mensem vitae suae subsecutum esse; sed prima dies etiam unica dies vitae infantis esse potest. Eodem modo non implicat quod idem *primogenitus*, et simul *unigenitus* sit: imo id de Christo allata iam argumenta probant.

Obi. V. In Evangeliis commemorantur fratres et sorores Christi. Dicitur enim: *Nonne hic est fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus, et Ioseph, et Simon, et Iudas, et sorores eius nonne omnes apud nos sunt* (8)? — Si autem Christus habuit fratres, Maria alios habuit filios. Ipsa etiam expresse *mater Iacobi et Ioseph* nominatur, dum dicitur: *Erant ibi*, scilicet iuxta crucem Christi, *mulieres... inter quas Maria Magdalene, et Maria Iacobi et Ioseph mater, et mater filiorum Zebedaei* (9). Per secundam autem intelligenda est ipsa Christi mater, quam

(1) Isa. 46. (2) Matth. 28.
(3) Ps. 109. (4) Ps. 122.
(5) Matth. 1, 25. (6) L. c. n. 9 etc.
(7) Ex. 13, 2; Num. 18, 15.
(8) Matth. 13, 55. (9) Matth. 27, 55.

apud crucem stetisse, testatur Ioannes XIX, 25.

Resp. Ad hanc obiectionem *Eusebius* (1), *S. Gregorius Nyss.* (2), *S. Hilarius* (3), *S. Epiphanius* (4), et alii respondent, fratres Domini fuisse filios S. Iosephi, non ex Maria sed ex priori coniuge progenitos. Sed hanc sententiam, ex apocryphis tantum libris desumptam, reiicit *S. Hieronymus* (5), et S. Iosepho perpetuam virginitatem adiudicat; dicit enim (6): « Ioseph magis credendus est virgo permansisse, quia aliam uxorem habuisse non scribitur, et fornicatio in sanctum virum non cadit. » Facile tamen obiectio e medio tollitur. Nam, ut observat S. Doctor, per *fratres* in Scripturis non semper proprie tales, nempe ex utroque, vel alterutro parente nati, sed saepe consanguinei tantum, vel agnati intelliguntur. Sic Abraham Loth nepoti suo dixit: *Fratres enim sumus* (7). Et Laban ad Iacob filium sororis suae: *Quia frater meus es, gratis servies mihi* (8). Similia exempla complura ex libris V. et N. T. affert S. Doctor, et ostendit, nomine fratrum Domini nec Mariae, nec Iesephi filios, sed consanguineos duntaxat, vel agnatos intelligi. Id clare apparet ex eo, quia Iacobus frequenter frater Domini appellatur: duo autem tantum nomine Iacobi insigniti in Evangeliis occurrunt, quorum unus fuit filius *Zebedaei*, alter *Alphaei:* ergo neuter erat Mariae, et Iosephi filius (9). Ideo etiam *Theodoretus* Comment. in cap. 1, Ep. ad Galat. de Iacobo scribit: « Vocatur quidem frater Domini, sed non erat natura. Nec vero fuit Iosephi filius, ut quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus, sed *Cleophae* filius erat Domini consobrinus; matrem enim habuit matris Domini sororem. » Putant autem critici, huius Iacobi patrem duplex nomen gessisse, *Alphaei* et *Cleophae*, ergo etiam Maria, quae dicitur *Iacobi et Ioseph mater* (10), est uxor Alphaei, vel Cleophae, et non Maria, mater Iesu; nam, ut observat *S. Thomas* (11), haec: « In Evangelio non consuevit nominari nisi cum cognominatione huius dignitatis, quod sit mater Iesu. » Nec refert, quod haec a Matthaeo inter mulieres cruci adstantes non commemoretur, quamvis ibi fuerit. Non enim omnia adiuncta ab omnibus Evangelistis enarrantur: uti etiam in Matthaeo, Marco et Luca de Ioanne cruci adsistente nil legitur. Ideo Ioannes, varia adiuncta a caeteris Evangelistis praetermissa referens, scripsit: *Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius, Maria Cleophae, et Maria Magdalene;* quae verba omne dubium solvunt.

Obi. VI. Matrimonium institutum est ad prolem procreandam. Vel ergo negandum est inter Mariam et Iosephum verum matrimonium extitisse; vel, si hoc admittitur, dicendum est, illud ad prolem procreandam initum fuisse, atque idcirco Mariam post partum Christi virginem non permansisse: quod iam *Tertullianus* (12) et *Victorinus* asseruerunt, Mariae post Christum genitum alios filios attribuentes.

Resp. Cum Ioseph *vir Mariae* (13), et Maria eius *coniux* (14), et *desponsata uxor* (15) dicatur, manifestum est inter Mariam et Iosephum verum matrimonium intercessisse. Hac de re Iudaei persuasi erant, unde *Iesus*...

(1) Hist. Eccl. l. 2, c. 1.
(2) Or. 2 de Resur. Chr.
(3) Cap. 1 in Matth. (4) Haer. 78 et 79.
(5) Com. in c. 12 Matthaei.
(6) Lib. c. Helvid. n. 9.
(7) Gen. 13, 8. (8) Gen. 29, 15.
(9) V. Matth. 10, 3; Marc. 3, 18; Luc. 4, 15.
(10) Matth. 27, 55. (11) 3, q. 28, a. 3 ad 6.
(12) L. de monogamia. (13) Matth. 1, 16.
(14) Ib. v. 19 et 24 (15) Luc 2, 4.

putabatur filius Ioseph (1). — Ecclesia quoque christiana semper verum matrimonium inter Mariam et Iosephum agnovit. Nec refert, quod ambo virginitatem servaverint; nam matrimonium non solum ad procreandam prolem, sed etiam ad vitae duntaxat consortium, et ad mutuum sibi praestandum auxilium iniri, et sola animorum coniunctione perfici potest. « Non enim, ait *S. Ambrosius* (2), defloratio virginis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella coniugium est, non cum virili admixtione coniungitur. » Et *S. Augustinus* (3) dicit: « Quibus vero placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum abstinere, absit ut inter illos vinculum coniugale rumpatur: imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quae carius, concordiusque servanda sunt, non voluntariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum. » Si autem quaeratur, cur Maria, perpetua Virgo permansura, matrimonio cum S. Iosepho iuncta fuerit, sequentes rationes affert *S. Hieronymus* (4), scribens: « Non de simplice virgine, sed de desponsata (Christus) concipitur... *primo*, ut per generationem Ioseph origo Mariae demonstraretur; *secundo*, ne lapidaretur a Iudaeis ut adultera; *tertio*, ut in Aegyptum fugiens haberet solatium. M. Ignatius etiam *quartam* addidit causam... ut partus eius celaretur diabolo, dum eum putat, non de virgine, sed de uxorem generatum. » « Potest etiam, ait *S. Thomas* (5), et *quinta* ratio esse, quod mater Domini fuit desponsata, et virgo, quia in persona ipsius et virginitas, et matrimonium honoratur contra haereticos alteri horum detrahentes. » Denique de Tertulliano *S. Hieronymus* (6) respondet: « Nihil amplius dico, quam Ecclesiae hominem non fuisse (cum citatum librum scriberet)... de Victorino vero id assero, quod de Evangelistis, fratres eum dixisse Domini filios Mariae: fratres autem propinquitate non natura. » Tertulliano autem opponit S. Ignatium M., Polycarpum, Irenaeum, Iustinum et alios orthodoxe sentientes (7).

Nota 3. Ex dictis etiam consectaria practica deducere licet: *a*) Quam grata sit Deo virginitas, patet ex eo, quod Filius Dei nonnisi ex illibata Virgine nasci voluerit. Recte ideo *S. Chrysostomus* (8) dicit: « Bonum est matrimonium, propterea admiranda virginitas est quae bono melior sit, quo nautis gubernator, et militibus dux... imo ut fortius aliquid dicam, et amplius, quanto coelum terra, quanto hominibus Angeli. » Eodem modo *S. Cyprianus*, *S. Ambrosius*, *S. Augustinus*, *S. Bernardus* et alii Patres virginitatem maxime extollunt et summopere commendant. — *b*) Maria propria sponte mentem suam Deo corpusque sacravit, ut in carne praeter carnem vivens angelicam vitam duceret; ipsa, nulla urgente lege, nulla V. T. pagina vel praecipiente, vel consulente, vel hortante, ante omne consilium, vel exemplum, castitatem amavit, puritatem elegit, virginitatem vovit. Quis hanc Virginum vexilliferam et virginitatis magistram non admirabitur? — sed imitari non pigeat, quam celebrare delectat. Verus Mariae servus et genuinus filius, puritatis amans, et castitatis mentis, cordis et operis studiosus sit, oportet. Virgini enim purissimae placere nequa-

(1) Luc. 3, 23. (2) L. de instit. Virg. c. 6. (3) L. 1 de nupt. et concup. c. 11, n. 12. (4) Com. in c. 1 Matth. (5) 3, q. 29, a. 1 (6) L. c. Helv. n. 17. (7) Cf. F. Mazzola de B. Virgine P. 1, disput. 7. (8) Tract. de virginit. n. 10.

quam possunt obsequia a corde impuro et impoenitente oblata: neque Mariae servus sed hostis est homo, carnis illecebris inserviens, et per peccata luxuriae divinum ipsius Filium crucifigens. Quamobrem ad veram erga Mariam devotionem maxime requiritur firmum servandae castitatis, statui convenientis propositum: quod ut fideliter adimpleatur certe utilissimum est, preclarissima ipsius exempla sedulo meditari et imitari, atque efficacissimam eius intercessionem continuo implorare.

CAPUT II.

DE DIVINITATIS ET HUMANITATIS CONIUNCTIONE IN CHRISTO

§ 289. Christum verum Deum et verum hominem esse, ex iis, quae hactenus dicta sunt, certissime constat. His dogmatibus fundamentalibus pro tractatu de Incarnatione iam demonstratis, ulterius inquirendum est quomodo divinitas et humanitas in Christo coniunctae sint. Quaeri enim potest, an alius sit Christus Deus, et alius Christus homo, vel an unus idemque Christus, Deus simul sit et homo? — Et si una eademque persona Christi divinitas et humanitas coniungantur, iterum quaeri potest, utrum ambae naturae, divina et humana, vi istius unionis mutationem seu confusionem passae sint, utrum etiam post unionem integrae et inconfusae permanserint? — Quaestiones istae, cum versemur in dogmate puro atque mysterio, solummodo ex Revelatione per infallibile Ecclesiae magisterium exposita solvi possunt. Per hanc autem certi reddimur, quod in una divina Christi persona duae naturae, divina et humana, integrae, inconfusae et impermixtae sint. — Ast contra hanc Revelationis doctrinam saeculo V graves errores emerserunt. *Nestorius* enim duas in Christo personas asseruit; *Eutyches* autem unam tantum in Christo naturam admisit. Contra istos errores doctrina catholica explananda, probanda et defendenda est. Idcirco: 1° *de unica Christi persona*, 2° *de duabus in Christo naturis* agemus, ac 3° quaedam de *ipsa unione hypostatica* dicemus.

Nota. « Vis et ratio christiani totius ac theologici dogmatis, quod Incarnationis mysterium complectitur, - ait *Petavius* (1), ad hoc redigi videtur, ut in Christo duo quaedam inesse distincta, et ex duobus iis unum effici fateamur. Hoc quod est unum, Graeci vocant ὑπόστασιν, et πρόσωπον, Latini *personam*, et graeco item nomine *hypostasim*; raro veteres *suppositum*, recentiores de schola Theologi frequenter appellant: quae sunt duo ea φύσεις Graeci, nostri *naturas* nominant. Ut autem in confitenda persona seu hypostasi una, et duabus naturis, sita est fidei catholicae summa; sic haereses omnes, quae hanc fidem oppugnarunt, in amborum illorum constituendo perperam usu et interpretatione versatae sunt; adeoque, quod est consequens, in vocibus duabus, quibus illa significantur, contra quam fas erat, usurpandis. Itaque *Io. Damascenus* (2) recte istud observat: Id unum fraudi haereticis esse in hoc genere, quod naturam et hypostasim idem esse persuasum habeant. Et *Io. Maxentius* (3). Nimirum haec erroris, inquit, vestri, et non alia causa est. Nam dum non valetis discernere, quid et inter personam sit et naturam, idipsum intelligentes naturam esse, quod et personam; imo nullatenus credentes, naturam

(1) De Incarn. l. 2, cap. 3, n. 1.
(2) Lib. 3 de fide c. 3.
(3) Dial 1 adv. Nestorianos.

esse posse sine persona, vocabula personae naturarumque confunditis, et duas omnino personas, sicut duas naturas unius Filii Dei sine dubio praedicatis. » — Quae cum ita sint, ad errores facilius praecavendos, et ad ipsam doctrinam catholicam melius intelligendam, necesse est, ut non tam iuxta mentem Grammaticorum et Philosophorum, quam potius iuxta sensum et usum Ss. Patrum et Ecclesiae accurate determinetur, quid per naturam, per personam, et per alias synonimas voces, quibus haec dogmata de incarnatione enuntiari solent, intelligendum sit. — *Naturam*, ait idem *Petavius* (1), dicimus « idem esse atque οὐσίαν sive *substantiam*, aut essentiam, quae per se absoluteque spectatur, nullis particularibus, et individuorum propriis conditionibus affecta et restricta. Ut si in Petro humanitatem consideres per sese, non ut tali homini, i. e. Petro convenit, sed generatim et infinite, qua est substantia ex corpore animaque composita, et rationis particeps: quae quidem eadem prorsus inest in singulis hominibus et individuis, quae eadem continentur specie; etsi non una numero est in omnibus. — *Hypostasis* vero (seu *persona*) ex mente Veterum illa est ipsa natura, sive substantia, qua est singularis, perseque subsistit, certis definita proprietatibus, quae communitatem illam speciei determinant, et uni cuipiam accommodant... Propterea Graeci ad unum omnes οὐσίαν sive *naturam* dicunt ipsam esse speciem infimam, quae sola in definitione ponitur, tum hominis universe, tum cuiuslibet individui. Hypostasim vero esse individuum ipsum, vel naturam, qua singularis est, et una numero. Praeterea *personam* sive *hypostasim*, iisdem auctoribus, asseveravimus (2), nihil ad naturam absolute spectatam aliud addere, praeter id, quod nominant *modum existendi.* » In eodem sensu multi breviter dicunt, *naturam* esse id, quod est pluribus commune; *personam* vero esse illud, quod est individuo singulare. Persona enim iuxta *Boëthium* definitur « naturae rationalis individua substantia, » vel: natura rationalis in individuo subsistens. Ex hac definitione patet, ad personam humanam constituendam omnino requiri non solum, ut adsit natura rationalis, sed etiam ut haec in se, et non in alio subsistat. *Subsistere in se* dicitur res aliqua, quando ipsa non existit in alio tanquam pars, nec trahitur per unionem ad aliud tanquam ad totum dignius. *Subsistere in alio* dicitur aliqua res, quando existit in alio tanquam pars, et trahitur per unionem ad aliud tanquam ad totum dignius. Sic, ex. gr., natura humana Petri habet propriam subsistentiam, quia non existit in alio tanquam pars, nec per unionem physicam trahitur ad aliud tanquam ad totum dignius: contra vero, v. g., manus et pedes Petri non habent propriam subsistentiam, quia per unionem physicam trahuntur ad constituendum Petrum, cuius sunt partes. Ipsa igitur *subsistentia*, si substantive enuntietur, semper individuum in se subsistens denotat, et aequivalet nomini *personae*. Idem dicendum est de *hypostasi*; quae, iuxta communem Ss. Patrum et Ecclesiae usum, personam significat. Quamvis autem iam saeculo quarto ab Ecclesia definitum fuerit, *hypostasin*, et *personam*, dum de Trinitatis mysterio sermo est, voces synonimas esse, nihilominus, ut ostendit *Petavius* (3), adhuc saeculo quinto, dum controversiae de incarnatione agebantur,

(1) Ibid. n. 2. (2) L. 4 de Trinit. c. 7.

(3) De incarnat. l. c. n. 3, et seq.

nonnulli Patres, inter quos nominatur etiam *S. Cyrillus Alex.*, vocem *hypostasis* modo ad significandam personam, modo etiam ad denotandam naturam adhibuerunt: quod probe observandum, ne quis eorum sententias male intelligens offendatur. Denique *suppositum*, quo nomine, teste *Petavio*, Theologi scholastici frequenter usi sunt, definitur naturae completae individua subsistentia: ergo ad suppositum requiritur natura completa, et ut haec habeat propriam subsistentiam, seu ut res ista subsistens sit individua, hoc est singularis et determinata; sed ad suppositum non requiritur uti ad personam natura rationalis, et ideo bruta supposita quidem non autem personae vocantur. Natura ergo humana, si in se subsistat, potest et persona et suppositum nominari, quia per hunc terminum ratio personalitatis non negatur; sed natura humana, quae non in se, sed in alio subsistit, nec persona, nec suppositum dici potest. Haec de variis vocabulis observanda sunt, quibus in praesenti tractatu utendum erit.

ARTICULUS I.

De unica Christi persona.

§ 290. *Nestorius*, monachus et presbyter Antiochenus, facundia potius et dicendi promptitudine, quam doctrina, et affectata quadam morum gravitate magis, quam vera sanctitate, talem famam consecutus est, ut demortuo *Sisinnio*, CPtanae Ecclesiae praeficeretur. Initio statim sui Episcopatus Arianos, Macedonianos ac Quartadecimanos insectatus est, omnibusque haeresibus bellum indixit. Mox autem haereticus et ipse, imo architectus et princeps novae est haeresis factus, quam a *Theodoro* Mopsuestiae Episcopo hausisse creditur. Negabat nempe *Nestorius* veram, realem et hypostaticam unionem naturae divinae et humanae in Christo, et moralem tantum admittebat; hancipsam coniunctionem moralem Verbi cum homine Christo asserens factam fuisse non in ipso ortu vitae Christi, sed post intervallum temporis, postquam nimirum Christus homo eandem coniunctionem promeritus fuit. Porro unionem hanc moralem variis modis exponebat: voluit eam esse unionem *affectus* duntaxat et *concordiae*, qua duo amici inter se coniunguntur: *habitationis*, qua Verbum in homine Christo habitabat tanquam in templo; *operationis*, per quam Verbum utebatur homine Christo tanquam instrumento in patrandis miris illis operibus a Christo factis, et *participationis*, per quam Verbum homini Christo dignitatem suam impertivit, ut Filius Dei vocaretur. Quamobrem Incarnationis mysterium nihil aliud esse existimabat, quam habitationem Dei in homine velut in domicilio suo, vel in templo, sicuti in Moyse et in Prophetis reliquis habitasse dicitur. Hinc Christum *Deiferum* appellabat, non vere Deum, sed hominem speciali quodam modo, verum morali tantum, non hypostatice cum Deo coniunctum. — Ex hac autem unione morali tanquam ex fonte et capite impuri dogmatis sequebatur: 1° Duas esse in Christo personas, unam Dei, alteram hominis, quia unio moralis, qua, v. g., inter se duo amici coniunguntur, aut Deus per gratiam habitat in anima iusti, non facit unam ex ipsis personam: atque ideo Verbum aeternum, quod Christum inhabitat, esse personam divinam, Christum autem hominem, quem Verbum inhabitat, esse personam humanam. 2° B. Virginem Mariam non posse dici

Deiparam, sed solum *Christiparam* eoquod non Deum, non Verbum genuerit, sed purum hominem, cum quo postmodum Verbum moraliter unitum fuit. 3° Duos esse Filios Dei, unum naturalem, ab aeterno ex Patre natum; alium in tempore factum, filium Mariae, non autem natura, sed adoptione tantum filium Dei. — Hunc errorem saeculo octavo recoxerunt in Hispania *Felix* Urgellitanus, et *Elipandus* Toletanus Episcopus, qui docuerunt, Christum hominem non esse nisi Filium Dei adoptivum. Contra istos Nestorii eiusque gregalium errores probanda est doctrina catholica, quae dicit, 1° *Personam Christi unicam, eamque divinam esse*, 2° *B. V. Mariam recte appellari, et vere esse Deiparam, seu Dei Genitricem*, 3° *Christum nulla ex parte dici posse Filium Dei adoptivum;* quibus dogmatibus probatis per se ruit impia Nestorii sententia asserentis, inter Verbum et Christum hominem non hypostaticam, sed moralem tantum unionem adfuisse, et hanc non in ipsa conceptione, sed post intervallum temporis incepisse. Ultimo demum, seu 4° *nonnullae quaestiones* huc spectantes discutiendae sunt.

Nota. Inter Protestantes nonnulli extiterunt, qui Cyrillum arguerent, atque Nestorio patrocinentur. Praecipue ex Calvinianis plures causam Nestorii defendendam susceperunt, Cyrillo se maxime infensos ostendentes, quod mirum non est, quoniam sanctus hic praesul in epistola synodica Concilii Alexandriae habiti realem Christi in Eucharistia praesentiam clarissime proponit. Ast etiam inter Lutheranos quidam hac de re sinistre iudicarunt. Sic e. g. *Io. Laur. Mosheim* (1) scribit: « Sunt tam veterum quam recentiorum longe plurimi, qui Nestorium idem quam Ephesinos sensisse, alio vero modo locutum esse arbitrantur, omnemque culpam funestissimi huius dissidii in Cyrilli turbulentum ingenium et iniquam erga Nestorium voluntatem conliciunt... Aequis disceptari armis poterit, uter peius de re christiana promeritus sit, Cyrillus, an Nestorius. » Idem fere sensit et propugnare conatus est *Du-Pinius* famosus Iansenista. — Ast nonnisi homines malis passionibus obcaecati talia effutire valent. Verum equidem est, Nestorium haereticorum more hincinde ambiguis vocibus usum, et sub larva catholica haereticam pravitatem tegere conatum esse. Sed tamen errores suos tum in sermonibus habitis, tum in anathematismis Cyrillo oppositis clare manifestavit. Nam in anathematismo I Nestorius dicit: « Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, et non potius Nobiscum Deus, hoc est inhabitasse eam, quae secundum nos est, naturam etc. anathema sit: » in anath. II ait: «Si quis... Matrem etiam Dei Verbi, et non potius eius, qui Emmanuel est, nuncupaverit, anathema sit: » in anath. V, inquit: « Si quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei filium audet dicere, cum sit Emmanuel, anathema sit. » Hos anathematismos definitionibus Concilii Ephesini e diametro oppositos esse, manifestum est. Quam absurde ergo dicitur, Nestorium cum Patribus Ephesinis consensisse! — Perperam sane horum cum illo controversia ad meram logomachiam reducitur. Si enim recte et orthodoxe Nestorius sentiebat, nec nisi in verbis discrepantia inter ipsum, et Cyrillum ac reliquos catholicos erat; quare exortis tot commotionibus sententiam suam catholicam apertis verbis nun-

(1) T. 1 Instit. hist. christ p. 404.

quam patefecit? - Si Nestorius unam personam reapse fatebatur in Christo, eumque Deum simul et hominem admittebat, ac B. Virginem vere Deiparam esse censebat, quare eius discipuli, ab ipso Nestoriani dicti, utrumque inficiati sunt et adhuc inficiantur? - Nonnulli quidem Episcopi, quamvis non errori, personae tamen Nestorii addicti, hunc ab initio contra Cyrillum defendendum susceperunt: ast re serius examinata et penitius cognita, mox ad partes Cyrilli et Concilii transierunt. Inter hos praecipue nominandus est Ioannes Patr. Antiochenus cum Episcopis suis Orientalibus, qui aliquandiu mentem Nestorii benigne interpretatus est, sed, ut ipse fatetur in epistola ad *Sixtum III.* R. P., nunquam eius errores approbavit, et cognita ipsius haeretica pravitate, eidem anathema dixit, et pacem cum Cyrillo iniit. Id *Cyrillus* ipse testatur in epist. ad Valerianum Iconii Episcopum scribens: « Religiosissimi totius Orientis Episcopi una cum domino meo *Ioanne* religiosissimo Ecclesiae Antiochenae Episcopo scripta, dilucidaque confessione palam fecerunt, se profanas Nestorianarum vocum novitates aeque ac nos condemnasse, seque nullo unquam loco habuisse » (1). *Theodoretus* quidem non immerito de Nestorianismo suspectus fuit, quoniam a Concilio Ephesino se separavit, et contra Cyrillum scripsit: ast ipse quoque resipuit, et in Concilio Chalcedonensi Nestorio et impiae eius haeresi anathema dixit, Cyrillum non uno in loco ut virum apprime catholicum laudavit, et (2), post indicatas Nestorii blasphemias in Iesum Christum, et eius sanctissimam Matrem, ita concludit: « Unde quoniam horrenda morte periunt impii, Pontificatu per Sanctos Ephesi congregatos divino suffragio deiectus est, et ab Imperatore Oasim habitare iussus; futuri impiorum supplicii illic sumpsit exordium. » Constat denique Concilium Ephesinum Rom. Pontifice approbatum, et in Oriente atque Occidente tanquam oecumenicum receptum esse: qui ergo post tantum testimonium Nestorium excusant et Cyrillum accusant, non solum Ecclesiae auctoritati nefarie derogant, sed in temerario suo iudicio etiam omnes sanae criticae regulas conculcant. Fuse hanc de re agunt, et omnes, quae moventur, difficultates solvunt *Io. Garnerius* (3), *Ios. Simonius Assemanus* (4), *Petavius* (5), *Natalis Alex.* (6), *Tournely* (7), *Gazzaniga* (8).

(1) V. Acta Conc. Ephes. P. 3, in Tom. 3 Coll. Labbaei.
(2) L. 4, haer. fab. cap. 12.
(3) Dissert. de haeresi, et scriptis Nestorii.
(4) Biblioth. orient. t. 3, part. 2
(5) De incarn. l. 1, c. 7 et seq.
(6) Diss. 6, in saec. 5.
(7) De Incarn. q. 7, art. 1 etc.
(8) De incarn. sect. 2, diss. 3, cap. 1, art. 2 et 3.

I. *Unica est in Christo, eaque divina persona.*

§ 291. Ipse Nestorius fassus est, ex coniunctione morali, qua duo amici uniuntur, aut Deus per gratiam inhabitat animam iusti, nullatenus resultare unam personam, cui omnia coniunctorum attributa et operationes adscribi possint. Hinc Verbum aeternum, et Christum in tempore factum, Filium Dei, et Filium Mariae distinxit, et duos Christos seu duas in Christo personas, personam Christi divinam, et personam Christi humanam admisit. — Isti errori e diametro opponitur doctrina catholica; quae non moralem sed hypostaticam, seu personalem unionem inter naturam Christi divinam et humanam statuit, ita ut unica in Christo per-

sona sit admittenda. Verbum enim aeternum, Filius Patris, secunda Trinitatis persona in tempore naturam humanam assumpsit, eamque non morali, sed hypostatico nexu secum coniunxit, ita ut una eademque persona simul Deus sit et homo, unusque sit Christus. Iuxta hanc doctrinam, natura Christi humana nunquam per se substitit; sed semper coniuncta Verbo, quod illam in primo conceptionis momento assumpsit, et quoniam natura Christi humana nunquam propriam subsistentiam habuit, ideo etiam nunquam personam humanam constituit, quapropter in Christo unica persona eaque divina est agnoscenda. — Veritas huius doctrinae contra Nestorium *ex S. Scriptura*, *ex Traditione*, et *ex rationibus theologicis* probatur.

A. *Argumenta ex S. Scriptura deprompta.*

§ 292 1. Dogma catholicum aperte tradit S. Ioannes, dicens: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (1): quae verba non possunt intelligi de conversione Verbi in carnem, quia Deus est immutabilis, et ens infinitum non potest fieri finitum. Sensus ergo verborum est, quod ille idem, qui est Verbum, et Deus ab aeterno, in tempore assumpsit carnem, seu naturam humanam, et homo factus est, ut nobiscum conversaretur. Ita horum verborum sensum explicat *S. Leo* (2) dicens: « Quod *Verbum caro factum est,* non hoc significat, quod in carnem sit Dei natura mutata, sed quod a Verbo in unitatem personae sit caro suscepta, cuius utique nomine totus homo accipitur. » Acute *S. Thomas* (3) ex eodem loco argumentatur. « Omne quod factum est aliquid, est illud, quod factum est: sicut quod factum est homo, est homo, et quod factum est album, est album. Sed Verbum Dei factum est homo: igitur Verbum Dei est homo... Si igitur *Verbum caro factum est*, id est homo, ut Evangelista testatur, impossibile est, quod Verbi Dei, et illius hominis sint duae personae, vel duae hypostases, vel duo supposita. » Neque adversarii vim huius argumenti effugiunt dicendo, quod Verbum morali modo, seu per gratiam, carni, seu Christo homini unitum sit. Talis enim interpretatio omnino absurda est. Cum enim unio moralis, seu inhabitatio per gratiam in anima iusti fiat, quam absono modo Evangelista illam indicasset dicendo, Verbum *carnem* factum esse! Praeterea etiam Pater et Spiritus sanctus unione morali affectus et inhabitationis uniuntur homini iusto, iuxta illud: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (4); et: *Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis* (5)? ergo etiam de Patre, et Spiritu sancto dicendum foret, quod caro facti, seu incarnati sint, a qua tamen sententia semper abhorruit Ecclesia, soli secundae personae incarnationem adscribens. Verba ergo Io. I, 14 non de morali tantum, sed de naturali, substantiali, intima, et hypostatica Unione Verbi cum carne, seu cum natura humana intelligenda sunt, ideoque una est in Christo persona, eaque divina.

2. Idem probatur istis Pauli verbis, quibus Filii Dei incarnationem ita describit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in si-*

(1) Cap. 1, 14. (2) Serm. 7, de Nativ.
(3) L. 4, c. Gent. c. 34, n. 3.
(4) Io. 14, 23. (5) 1 Cor. 3, 16.

militudinem hominum factus (1)etc.; quo in loco manifeste asseritur, illum ipsum factum esse hominem, qui in forma Dei et Deo aequalis erat: atqui iste, qui in forma Dei et Deo aequalis erat, certe non est alius, quam Filius Dei unigenitus, secunda scilicet persona divina: ergo ipsa est persona divina, quae assumpsit formam servi, et facta est in similitudinem hominum: neque alius est in Christo filius Dei, alius filius hominis, ut blasphemat Nestorius. *S. Thomas* (2) praeclare observat, non posse citatum Apostoli textum intelligi de Christo, si illum dividamus in duos, scilicet in hominem illum, qui est filius Dei adoptivus, et in Filium Dei naturalem: « Ille enim homo, si purus homo sit, non prius fuit in forma Dei, ut postmodum in similitudinem hominum fieret; sed magis e converso homo existens divinitatis particeps factus est, in quo non fuit exinanitus, sed exaltatus. Oportet igitur, quod intelligatur de Verbo Dei, quod prius fuerit ab aeterno in forma Dei, idest in natura Dei, et postmodum exinanivit semetipsum in similitudinem hominum factum. Non potest autem intelligi ista exinanitio per solam inhabitationem Verbi Dei in homine Iesu Christo; nam Verbum Dei in omnibus Sanctis a principio mundi habitavit per gratiam, nec tamen dicitur exinanitum. » Ex quibus concludit Angelicus, non alia ratione Verbum Dei dici *exiñanitum*, id est « parvum factum » nisi quia « humanam parvitatem » assumpsit: sicut si anima praeexisteret corpori, et huic postea coniungeretur, tunc diceretur fieri substantia corporea, quae est homo « non mutatione propriae naturae, sed assumptione naturae corporeae. »

(1) Phil. 2, 6. (2) L. c. n. 19.

3. Una est in Christo persona, si ille idem, qui est filius hominis, est simul Filius Dei; si enim in Christo duae essent personae, divina et humana, alia persona esset Filius Dei et alia filius hominis, et una ab altera necessario distingueretur. — Sed in S. Scriptura ille idem Christus, qui est filius hominis, dicitur Filius Dei; nam Christus discipulos interrogavit: *Quem dicunt homines esse Filium hominis* (3)? cui Petrus respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* illum eundem ergo, quem vidit, qui locutus erat, et se *filium hominis* nominaverat, vocat Filium Dei: et Christus hoc responsum non solum approbavit, sed et aeterni Patris revelationi adscripsit. Similiter dicitur: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* (4); ergo non distinguitur Filius Dei a filio mulieris, sed ipse Filius Dei ab aeterno dicitur, in tempore ex muliere factus. Si ergo unus idemque est Filius Dei et filius hominis: ergo unica tantum est in Christo persona.

4. Passim in Ss. Litteris Christo homini tribuuntur, quae sunt divinitatis, et de Verbo seu filio Dei praedicantur, quae sunt humanitatis: haec autem nequaquam fieri possent, nisi una esset Dei et hominis simul persona. Quando enim duo supposita, vel personae distinguuntur, unum non dicitur alterum; sic ista propositio: Album est dulce, non est vera, nisi quando albedo et dulcedo uniuntur in eodem supposito, puta in lacte: falsa autem foret, si intelligeretur de albedine et dulcedine in diversis suppositis, puta in melle et pariete. Atqui Scriptura Christum hominem Deum nominat; nam dicitur: *ex quibus* (Patribus) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus*

(3) Matth. 16, 13.
(4) Gal. 4, 4.

in saecula (1). Christus ipse, in ea quam assumpserat carne, ad homines loquens, de se profitetur: *Ego sum, qui de coelo descendi* (2). *Antequam Abraham fieret, ego sum* (3). *Ego et Pater unum sumus* (4). Eodem modo de Deo, seu Filio Dei praedicantur humana: *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (5); in eodem sensu, *Dominus gloriae crucifixus* (6); *auctor vitae interfectus* (7) dicitur; et legitur: *Unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (8); id est doctrinam veritatis praedicavit. Una est ergo Christi Dei et hominis persona eaque divina; quoniam alias allatae biblicae sententiae falsae forent et reiiciendae.

5. Nestorius, duas in Christo personas asserens, Christum divisit in divinum, genitum a Patre, et humanum, natum ex Maria Virgine. Sed haec sententia aperte repugnat S. Scripturae, quae ubique unum dumtaxat Christum praedicat. Sic Paulus dicit: *Nobis est... unus Dominus Iesus Christus per quem omnia* (9). *Unus mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus* (10). Deo reconciliati dicimur *in gratia unius hominis Iesu Christi* (11); *per unum Iesum Christum* (12); *per unius iustitiam* (13); *per unius obeditionem* (14). Ergo, iuxta constantem S. Scripturae doctrinam, Christus, Deus et homo, est una et individua persona, et quidem divina; haec enim immutabilis, in se persistens, humanam naturam assumpsit, in qua ob defectum propriae subsistentiae ratio personalitatis nunquam adfuit. Recte idcirco cum S. Ioanne pronuntiamus: *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: et omnis spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est; et hic est Antichristus* (15).

Nota. Testimoniis ex S. Scriptura adductis, Nestoriani alia opposuerunt, quibus errorem suum defendere conati sunt, sed perperam, ut ex dicendis apparebit.

Obi. I. Unio, quae inter divinam humanamque naturam Christi intercedit, unio est mere moralis, similis illi, quae est inter templum illiusque habitatorem, inter indumentum et personam illud ferentem. Nam Christus ipse corpus suum templum nominat, quod a Verbo divino inhabitatur; ait enim: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud... Ille autem dicebat de templo corporis sui* (16). Eodem sensu Paulus humanitatem Christi tabernaculum vocat: *Christus, assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, et perfectius tabernaculum non manufactum... introivit semel in sancta* (17); et idem Apostolus humanitatem Christi quasi habitum, seu indumentum Filii Dei exhibet, de quo dicit, quod sit *in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo* (18). Igitur sicut inhabitans non hypostatice cum domo, et homo non hypostatice cum indumento, quod gerit, unitur, ita etiam Filius Dei non hypostatice, sed morali tantum modo cum natura coniunctus fuit humana, et ideo duas personas distinguere oportet.

Resp. S. Scriptura Christi humanitatem comparat templo, tabernaculo et indumento non ad exprimendam et declarandam duarum unionem naturarum, sed aliis de causis. Et imprimis observandum est, etiam rationalem animam in Scripturis dici ha-

(1) Rom. 9, 5. (2) Io. 6, 38. (3) Io. 8, 58.
(4) Io. 10, 30. (5) Rom. 8, 32.
(6) 1 Cor. 2, 8. (7) Act. 3, 15. (8) Io. 1, 18.
(9) 1 Cor. 8, 6. (10) 1 Tim. 2, 5.
(11) Rom. 5, 15. (12) Ib. v. 17.
(13) Ib. v. 18. (14) Ib. v. 19.
(15) 1 Ep. 4, 3. (16) Io. 2, 19.
(17) Hebr. 9, 11. (18) Phil. 2, 7.

bitare in corpore velut in domo et in tabernaculo, humanumque corpus appellari indumentum. Ait enim Paulus: *Si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur* (1) etc.; et: *Nam et qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati* (2); similiter Petrus vicinam sibi mortem significat, dicens: *velox est depositio tabernaculi mei* (3); et in Ep. Iudae I, 23 legitur: *odientes et eam, quae carnalis est, maculatam tunicam.* Quis iam dicet, S. Scripturam per has denominationes negare quod corpus et anima unam hominis personam constituant? Certe ipse Nestorius affirmare non audebit, inter rationalem animam et corpus unionem dumtaxat intercedere moralem; atque ideo ex iisdem humanitatis Christi denominationibus perperam infert, hypostaticam naturae divinae et humanae unionem esse negandam. — Deinde non ad unionem exprimendam et declarandam, sed aliis de causis allatas instituit Scriptura comparationes. Christus enim corpus suum appellat *templum*, propterea quod quemadmodum Salomonicum templum barbarorum manibus dirutum maiori fuit gloria excitatum, similiter et corpus Christi ad mortem per manus inimicorum tradendum erat, ac deinde a mortuis excitandum, gloriosum et incorruptibile. Comparatur etiam *tabernaculo*, quoniam sicuti in tabernaculo a Moyse constructo gloria Domini, antequam a Salomone templum aedificaretur, latebat, ita in corpore Christi omnis plenitudo divinitatis latebat, et a plurimis non agnoscebatur. Dicitur denique Christi corpus *habitus*, seu indumentum, quoniam ut indumentum humani corporis contegit membra, ita humanitas Christi Divinitatem contegebat; Verbum quippe divinum semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Denique istis locis, in quibus impropria, seu figurata locutio, vel similitudines occurrunt, quae nunquam ex omni parte urgeri possunt, opponimus loca iam citata, in quibus clare traditur, unam esse in Christo personam.

Obi. II. Verbum divinum per gratiam, seu coniunctionem moralem in Christo homine habitasse, S. Scriptura docet. Ioannes enim declarat, quomodo *Verbum caro factum* sit, dicens: *et habitavit in nobis* (4), primario quidem Christum, et dein etiam nos tanquam templa sua eligens. Idem indigitat Paulus de Christo scribens: *in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* (5); ergo non unione hypostatica sed morali tantum Verbum coniungitur Christo, et persona, quae inhabitat, differt a persona, quae inhabitatur.

Resp. Dictum Ioannis: *Verbum caro factum est*, de unione hypostatica Verbi cum natura humana intelligendum esse, iam probatum est. Male etiam Nestorius ex subsequentibus verbis contrarium inferre conatur; verba enim illa: *et habitavit in nobis*, idem significant ac *nobiscum* iuxta illud: *Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (6). Sensus ergo Apostoli est, quod Verbum hypostatice cum carne unitum nobiscum habitaverit, et Christus sit, cuius historiam enarrandam suscepit. — Verba Pauli sententiae Nestorii non favent, sed eam confutant. Apostolus enim, ut ostendat, non Philosophis Evangelio contrariis, sed Christo credendum esse, hanc rationem reddit, quia Christo omnis plenaque divinitas, et consequenter omnis sapientia, scientia et veritas inest, et

(1) 2 Cor. 5, 1. (2) Ib. v. 4.
(3) 2 Ep. 1. 13. (4) Io 1. 14.
(5) Col. 2, 9. (6) Baruch 3 38

addit: *corporaliter*, id est non umbratice sicut olim in propitiatorio, sed vere, realiter, et substantialiter. Neque huic interpretationi repugnat vox, *inhabitat*; nam etiam anima dicitur inhabitare corpus, cum quo est hypostatice unita. Ergo sensus citati textus est, quod divinitas habitet in Christo, sicut anima hominis in corpore, scilicet per coniunctionem hypostaticam et substantialem, non vero per coniunctionem tantum moralem, et habitationis, ut volebat Nestorius.

Obi. III. Christus ipse de se dixit: *Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia ego, quae placita sunt ei, facio semper* (1); quibus verbis Christus declaravit, Patrem sibi ideo unitum esse, quia eius voluntatem in omnibus adimplevit. Moralis igitur et externa est unio, quae inter Deum, et hominem in Christo intercessit, quae in voluntatum consensione et gratia consistit.

Resp. Christus, dum his verbis contestatur perfectissimam suam cum voluntate Patris consensionem et coniunctionem, non ideo negat suam cum Patre consubstantialitatem, neque excludit unionem hypostaticam cum natura humana. Haec ipsa potius perfectissima voluntatis humanae cum divina coniunctio erat unionis hypostaticae effectus et consectarium; neque particula illa *quia* debet hic sumi pro vera causa, sed potius pro signo, quo Iudaei intelligerent, se esse simul Deum et hominem; quod infra clarius expressit Christus dicens: *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quae ego loquor, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera* (2). Imo in ipso loco nobis obiecto cum Christus dixit: *Ego ex Deo processi, et veni* (3), luculenter declarat, se, qui loquebatur, esse illam personam divinam, quae a Patre per aeternam generationem procedit.

Obi. IV. Si Deus unione hypostatica et perenni naturae humanae coniunctus fuisset, non potuisset Christus in cruce exclamare: *Deus meus ut quid dereliquisti me* (4)? — Verba ergo haec clare ostendunt, Verbum divinum cum Christo homine morali tantum modo coniunctum fuisse, et tempore passionis ab ipso recessisse.

Resp. Ex verbis allatis nihil contra doctrinam catholicam inferri potest. Sicuti enim Deus, quamvis immensus, et totus ubique sit, tamen vario modo praesens esse dicatur per essentiam, per scientiam, per potentiam, et specialiter per gratiam, qua habitat in anima iusti, et per auxilium, quod praestat in tribulatione: ita Deus vario modo hominem relinquere dicitur, et praecipue dum gratiam iustificantem ob peccatum subtrahit, aut dum auxilium in angustiis seu liberationem e tribulationibus negat. Et in hoc posteriori sensu Christus moriens se a Deo relictum profitetur. Non ergo suam cum Patre consubstantialitatem, nec unionem hypostaticam et perennem negat, sed solum maximam afflictionem et calamitatem manifestat, in quam, iuxta decretum divinitatis, natura humana immersa fuit, omni auxilio et solatio destituta. Ita communiter haec verba exponuntur; quamobrem *Guil. Estius* in hunc locum dicit: « haec Christi exclamatio non aliud necessario includere videtur, quam Christum derelictum a Patre, ut talia pateretur. » Nonnulli tamen putant, Christum ut Ecclesiae caput illa verba protulisse in persona hominum peccatorum, qui propter scelera sua a Deo deseri merentur; ita docent *S. Athana-*

(1) Io. 8, 29 (2) Io. 9, 10. (3) Io. 8, 42. (4) Matth. 27, 46.

sius (1), *S. Gregorius Naz.* (2), *S. Cyrillus Alex.* (3), *S. Leo M.* (4), et *S. Augustinus,* qui in hunc locum ait: « Quid voluit dicere Dominus? Non enim illum dereliquerat Dominus, cum ipse esset Deus. Quare dicitur: Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? — quia nos ibi eramus, quia Corpus Christi Ecclesia. » Utraque haec interpretatio cum dogmate catholico de una Christi persona optime convenit; interpretatio autem Nestorii arbitraria, ex falsis tantum principiis deducta, traditioni, et scripturae contraria est, quae unam in Christo personam praedicat.

B. *Argumenta ex traditione hausta.*

§ 293. 1. *In Symbolis* Ecclesia clare profitetur dogma de una Christi Dei, et hominis persona. Nam in Symbolo Apostolico dicitur: *Credo.... in Iesum Christum, Filium eius unicum; qui conceptus est de Spiritu sancto; natus ex Maria Virgine* etc.; ergo ipse Filius Dei unicus dicitur conceptus, natus etc. Nullatenus ergo qui natus est ex Maria, qui passus et mortuus dicitur, diversus est a Filio Dei, sed est ipse Filius Dei. « Non enim, » ait *S. Thomas* (5), « ea, quae sunt hominis, de Filio Dei praedicarentur, nisi eadem esset persona Filii Dei, et hominis, quia quae uni personae conveniunt, non ex hoc ipso de altera praedicantur; sic quae conveniunt Paulo non ex hoc ipso praedicantur de Petro. » In Symbolo Nicaeno dicitur: *Credo.... in unum Dominum nostrum Iesum Christum.... Deum verum de Deo vero.... consubstantialem Patri.... qui.... incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est* etc. Quibus verbis Ecclesia profitetur unum et eundem, unam et eandem personam esse Filium Dei, et hominis. — Dogma catholicum clare, et distincte proponitur in *Symbolo Athanasiano* his verbis: *Christus, licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus.... unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae.*

2. *Ss. Patres* a primis saeculis crediderunt et docuerunt, unam esse Christi Dei, et hominis personam. *S. Ignatius M.* in Ep. ad Ephes., n. 18, scribit: « Deus noster Iesus Christus in utero gestatus est a Maria, secundum dispensationem Dei ex semine David, sed conceptus est de Spiritu sancto. » Ibid. n. 20 ait: « Convenite in una fide, et in uno Iesu Christo, secundum carnem ex genere David, Filio hominis, et Filio Dei. » *S. Irenaeus* lib. 3 adv. haer. capiti 16 hunc titulum praefigit: « Probatio, quod unus idemque Iesus Christus, Filius Dei unigenitus, verus Deus, et verus homo sit. » *Clemens Alex.* (6) dicit: « Hoc igitur Verbum Christus non solum, ut olim essemus, causa fuit (nam ille tum erat in Deo); sed idem etiam bene esse nobis dedit, et iam nuper hominibus apparuit, qui solus uterque, Deus et homo est, ut omnimodam nobis felicitatem daret. » *Tertullianus* (7), de Christo loquens, ait: « Videmus duplicem statum non confusum, sed coniunctum in una persona. » *Dionysius Alex.* (8) haec pronuntiat: « Qui ex Deo est ante saecula genitus, ipse extremis temporibus ex matre natus est. Idcirco Deicidae sunt Iudaei, qui Dominum gloriae crucifixerunt. Nisi enim fuisset Christus idem, qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus a potestate peccandi. »

(1) Or. 1 et 2, c. Arian.
(2) Or. 4 de Theolog.
(3) L. de fide ad Regin.
(4) Or. 17 de pass. Dom.
(5) Opusc. 2 c. 203. (6) Cohort. ad Gent. c. 1.
(7) Lib. c. Praxeam c. 27.
(8) In epist. adv. Paul. Samos. (ap. Mansi Coll. Conc. T. 1 c. 1046.)

S. Cyprianus (1) inquit: « Filius Dei mittitur.... hic in Virginem illabitur... Deus cum homine miscetur : hic Deus noster, hic Christus est. » *S. Athanasius* (2) scribit: « Quomodo christiani nominis appellationem usurpare non verentur, qui Verbum in hominem sanctum perinde, ac in aliquem Prophetarum descendisse asserunt, et non ipsum, sumpto ex Maria corpore, hominem factum; sed alium Christum, alium rursus esse Dei Verbum, quod ante Mariam, et saecula erat Filius Patris? » — « Nos vero, ait (3), Filium a Verbo non dividimus, sed agnoscimus ipsum Verbum esse Filium, cui Pater in Iordane et in monte dixit: *Hic est Filius meus dilectus* etc. » — Idem (4) inquit: « Christus est Deus homo. — Unus et idem est, qui ante saecula ex Patre, et in ultimis diebus ex Virgine exortus est. » — *S. Basilius* (5) in illud: *Dominus creavit me*, postquam ostendit, aliis Scripturae locis Christum a Patre genitum, aliis creatum significari, ne quis duos suspicetur, ita pergit: « Caeterum in his omnibus, non duos dicimus, Deum seorsim et hominem seorsim; unus enim erat, sed cogitatione naturam cuiusque consideramus. » *S. Gregorius Naz.* (6) dicit: «Si quis duos introducit Filios, alterum ex Deo, et Patre, alterum ex matre, non autem unum, atque eundem, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quae recte credentibus promissa est. Quamvis enim duae naturae sint, Deus et homo, non tamen duo filii. » Idem (7) ita de Verbo aeterno loquitur: « Id quod erat exinanivit, id quod non erat assumpsit: non duo factus, sed unum ex duplici natura fieri sustinens. Ambo enim Deus, nimirum quod assumpsit, et quod assumptum est: duae naturae in unum concurrentes, non duo Filii. » — *S. Chrysostomus* (8) de Christo scribit: « Etsi duplex sit in ipso natura, est tamen indivisibilis et indissipabilis unitio in una filiationis confitenda persona, et una subsistentia. » *S. Hilarius* (9) docet, quod Christus sit mediator inter Deum, et hominem « utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis naturae utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, et homo rursum Deus manendo non esset. » *S. Ambrosius* (10) ita de Christo disserit: « Incarnationis sacramenta suscepit non divisus, sed unus; quia utrumque unus, et unus in utroque, hoc est, vel divinitate, vel corpore. Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. » *S. Hieronymus* (11) scribit: « Haec dicimus, non quod alium Deum, alium hominem esse credamus, et duas personas faciamus in uno Filio Dei, sicut nova haeresis calumniatur, sed unus atque idem Filius Dei, et Filius hominis. » *S. Augustinus* in Enchir. (12) praeclare doctrinam catholicam exponit his verbis: « Christus Iesus, Dei Filius, est Deus et homo. Deus ante omnia saecula, homo in nostro saeculo. Deus enim erat Verbum. Homo autem quia in unitatem personae accesit Verbo anima rationalis, et caro. — Unus Dei Filius, idemque hominis Filius; non duo Filii Dei, Deus, et homo, sed unus Dei Filius · Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus

(1) L. de idol. vanit. n. 7.
(2) In Ep. ad Epictet. (3) Ibid. n. 12.
(4) Orat. 4 n. 36. (5) Contra Eunom. l. 4.
(6) Epist. 101 ad Cledon. n. 4.
(7) Orat. 37 (al. 31) n 9
(8) Ad Caesar. Monach.
(9) L. 9 de Trinit. n. 40.
(10) L. de incarn. c. 5, n 36.
(11) Ep. 150 ad Hedibiam. quaest. 9.
(12) C. 25.

noster Iesus Christus. » Exortam iam Nestorianam haeresin strenue impugnarunt *S. Cyrillus Alex.*, qui multos contra Nestorium tractatus exaravit, *Cassianus* (1), *Proclus* (2), *S. Prosper* (3), *S. Leo M.* (4), *Vigilius Taps.* (5), *Boëthius* (6), *S. Io. Damascenus* (7) et alii.

3. *In Conciliis* quoque dogma catholicum clare definitum est. Concilium *Romanum V*, anno 378 sub *Damaso* habitum, in professione fidei (8) inter alia dicit: *Anathematizamus eos, qui duos Filios asserunt, unum ante saecula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine.* Conc. *Toletanum I*, cap. 21, in professione fidei dicit: *Credimus.... Filium Dei.... verum hominem suscepisse, duabus dumtaxat naturis, id est Deitatis, et carnis in unam convenientibus omnino personam, id est Dominum nostrum Iesum Christum.* Solemni iudicio dogma catholicum definitum est in Conc. *Ephesino*, quod approbavit anathematismos Cyrilli, quorum secundus ita sonat: *Si quis non confitetur, Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim unitum, et unum una cum sua carne esse Christum, eundem nimirum Deum simul, et hominem, anathema sit.* Conc. *Chalcedonense* acta in Conc. Ephesino contra Nestorium confirmavit, et act. 5 Christum profitetur *non in duas personas partitum, aut divisum, sed unum eundemque Filium, et Unigenitum Deum Verbum, Dominum Iesum Christum.* Conc. *CPtanum II*, gener. V, ait: *Si quis dicit, secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum aequalitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, — sed non unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali, et intellectuali secundum compositionem, sive secundum subsistentiam unitionem Verbi ad carnem factam esse, anathema sit.*

Nota. Adversarii nonnullis Ss. Patrum dictis abusi sunt ad errores suos defendendos. Ad huiusmodi autem difficultates solvendas observandum est, ante exortam haeresin nestorianam Ss. Patres paullo liberius locutos esse, quoniam sciebant, se a Catholicis nonnisi catholice intelligi. Praeterea loca eorundem subobscura per clariora exponenda sunt; si enim de Patribus constat, quod alibi aperte unam Christi Dei, et hominis personam professi sint, omnino dicendum est, viros doctrina et pietate praestantes sibi in ambiguis quibusdam, quas protulerunt, dictionibus nequaquam contradixisse. His praenotatis, facile est, Nestorianorum obiectiones, ex Patribus petitas solvere.

Obi. I. Ss. Patres passim asserunt, Verbum Divinum assumpsisse hominem. *S. Ambrosius* (9) dicit, « hominem fuisse a Christo assumptum. » Illi consonat *S. Augustinus* (10) inquiens: « Deus Dei Filius homine assumpto etc.; » sed nomine *hominis* intelligitur non solum natura, sed et persona humana: hanc ergo iuxta Ss. Patres Verbum assumpsit, et ideo in Christo sunt duae personae.

Resp. Ss. Patres dicendo, Verbum assumpsisse hominem, locuti sunt improprie, sumendo hominem pro humanitate, seu pro natura humana sine subsistentia. Seipsum, et alios

(1) In libris 7 de incarn.
(2) In Orat. et Epist. 2 de Fide.
(3) Epit. Nestor.
(4) In Epist. ad Flavian. et alibi passim.
(5) In l. adv. Nest. et Eutych.
(6) L. de duab. nat. et una pers.
(7) Adv. Nest. haeres.
(8) Ut patet ex Ep. Damasi ad Paulin. Antioch.
(9) L. 5 de fide c. 3.
(10) L. 11 de Civ. Dei c. 2.

explicat *S. Augustinus* in Enchir. dicens (1): « Filius Dei non gratia, sed natura suscepit hominem tanta unitate, ut *idem* esset Filius hominis; » et in l. de praedest. Ss. (2) inquit: « Respondeatur quaeso: ille homo, ut a Verbo Patri coaeterno in *unitatem personae* assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? » in utroque loco personam humanam penitus excludi, manifestum est .Nec in alio sensu similes sententiae a Catholicis intelligebantur. Sed quia Nestoriani similibus phrasibus abutebantur, ut personam humanam a Verbo assumptam adstruerent; maiori cautela in loquendo opus erat; et hac de causa *S. Cyrillus* (3) illam Nestorianorum propositionem improbabat: « Deum et hominem simul convenientes, unum effecisse Christum; » quia his verbis significabant, « utriusque salvam esse hypostasim. »

Obi. II. *S. Augustinus* (4) dicit, Christum « esse aliud propter Verbum, et aliud propter hominem. » Item *S. Leo* (5) duo in Christo distinguit, quorum « unum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis, » sed *aliud*, et *aliud* non dicitur nisi de diversis suppositis; duo ergo erant in Christo supposita, seu duae personae.

Resp. Citati Patres in Christo *aliud*, et *aliud* praedicant, non propter diversitatem suppositi, seu personae, sed propter diversitatem naturarum, quae in eo erant. Si voluissent duas personas asserere, dixissent: *alius*, et *alius*, vel *unus* et *alius*; sed *aliud* in neutro genere ad solas naturas refertur, quae uni personae insunt: sic etiam de quolibet homine dici potest: aliud est propter corpus, aliud propter animam. Ideo *S. Gregorius Naz.* (6) inquit: « Aliud, et aliud sunt ea, ex quibus Salvator est, non autem alius, et alius:... Porro aliud, et aliud dico, contra quam in Trinitate res se habet. Hic enim alius, et alius dicimus, ne personas confundamus; non autem aliud et aliud, quoniam tres quoad divinitatem unum, et idem sunt. » Praeclara sunt etiam verba *Vincentii Lirin.* in Commonit., n. 13: « Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia scilicet alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; sed tamen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti non alia et alia, sed una, eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius? — Quia videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis, sed tamen Deitas, et humanitas non alter et alter, sed unus idemque Christus, unus idemque Dei Filius, et unius eiusdemque Christi, et Filii Dei una eademque persona; sicut in homine aliud caro, et aliud anima, sed unus idemque homo anima, et caro. »

Obi. III. Nonnulli Patres Christum dixere *hominem Deiferum*, ut *S. Basilius*, teste *Theodoreto;* alii eum vocarunt *hominem Deificatum*, seu *Dominicum*, ut *S. Athanasius* (7), *S. Epiphanius* (8), *S. Augustinus* (9). Alii humanitatem Christi vocant *Divinitatis templum*, ut *Cyrill. Al.* (10), alii *Divinitatis instrumentum*, ut *S. Io. Damascenus* (11). Atqui omnes istae loquendi formulae indicant unionem dumtaxat moralem inter Deum, et hominem Christum: remanent ergo duae hypostases, duae personae.

Resp. Adductae loquendi formulae

(1) Cap. 36. (2) C. 15.
(3) In Epist. ad Valerianum.
(4) Enchir. c. 35. (5) Ep. 28 ad Flavian.
(6) Ep. ad Cledon. (10) L. 4
(7) In expos. fidei.
(8) In Ancor. § 95.
(9) L. 83 QQ. q. 36. (10) L. 6 in Io.
(11) L. 3 de fide c. 15.

indifferentes sunt ad exprimendam unionem moralem tantum, vel physicam et substantialem; personarum ergo loquentium mens, scopus et circumstantiae accurate pensandae sunt, ut genuinus verborum illorum sensus habeatur. Id iam observavit *Leontius Byzantinus* (1), eidem obiectioni ita respondens: « Non de vocibus nobis est disceptatio, sed de ipsis rebus, et harum unione et naturali cohaesione, quam Patres secundum substantiam factam esse senserunt: vos autem secundum habitudinem et voluntatem eam introducitis. » Et sane Patres ante exortam Nestorii haeresin liberius loquentes nomine hominis non intelligebant personam, sed naturam humanam, quam recte Deiferam, Dominicam, Deificatam etc. appellabant, utpote a persona divina in consortium suae naturae assumptam; de quo dogmate adstruendo unice solliciti erant contra multiplices haereses, quae illud negabant. Perperam ergo Nestoriani de citatis Patrum locutionibus gloriantur, quae nonnisi in sensu catholico prolatae fuerunt. Christum nempe dixerunt *Deiferum*, hoc vero sensu, quod Deum hypostatice sibi unitum ferret; licet *S. Basilius* non ipsum hominem Christum, ut obiiciebat *Theodoretus* tunc Nestorio favens, sed eius carnem vocaverit *Deiferam*, Christum appellarunt *Deificum*, et *Dominicum*, hoc vero sensu, quod Christus propter unionem hypostaticam non sit purus homo, sed homo Deus; id enim Patres per illa verba significare voluerunt; et sic has voces explicant *S. Maximus M.* (2) et ipse *Theodoretus* (3): Humanitatem Christi vocarunt *templum Divinitatis*, sed sensu a Nestorianis omnino diverso, scilicet non negata, sed confessa unione substantiali et hypostatica cum divinitate. Denique eandem humanitatem nuncuparunt *instrumentum divinitatis* non autem separatum, sed hypostatice Verbo coniunctum, quo nempe una persona divina utebatur ad opera satisfactoria exercenda, uti homo corpore utitur ad operationes vitae sensitivas exercendas: ideo acerrimi unius Christi Dei hominis personae defensores *S. Cyrillus Al.* et *S. Io. Damascenus* istos terminos non repudiarunt.

Obi. IV. *S. Chrysostomus* (4), exponens verba Ps. XLIV, relata ab Apostolo: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus* etc., scribit: « Hic (Apostolus) et Iudaeos et Pauli Samosateni asseclas et Arianos, Marcellumque, et Sabellium feriit, et Marcionem. Quomodo? Iudaeos quidem ostendens unum esse duo, et Deum, et hominem... Adversus Marcellum, et alios, quod sint duae personae divisae per hypostasin. Adversus Marcionistas autem quod divinitas non ungatur, sed humanitas. » Nihil disertius dici potuit pro sententia Nestorii, qui duas personas in Christo asserens nonnisi tam celebris praedecessoris sui doctrinam secutus est.

Resp. Verba *S. Chrysostomi* Nestorianae haeresi nullatenus favent, sive dum asserit, «unum esse duo,» quod de duplici Christi natura apertissime usurpat, dicens « et Deum, et hominem; » sive dum ait, quod sint « duae personae divisae per hypostasin. » Loquitur enim hic de duabus personis, Patre nempe et Filio, qui distinguuntur per hypostasin, seu personalitatem uniuscuiusque propriam, prout eius scopus exigit. Sibi enim proposuerat evincere, illis verbis Sabellianos refelli, qui distinctio-

(1) L. 3 c. Eutych. et Nestor.
(2) In Schol. ad c. 7. Dionys. de coel. Hier.
(3) In Confut. anath. 5.ti.
(4) Hom. 3 in c. I. Ep. ad Hebr. n. 3.

nem personarum in Deo auferebant. Hunc autem finem haud assecutus esset, si de distinctione inter personam Christi divinam, et humanam eiusmodi dictum usurpasset. Admittendum igitur est, ipsum de distinctione duarum personarum divinarum, Patris et Filii, locutum esse, quod maxime confirmatur ex eo, quod S. Doctor eundem textum Ps. XLIV(1) de duabus SS. Trinitatis personis, Patre et Filio, interpretetur, dicens: « Visne discere, ubi Patrem et Filium simul positos Deum, et Deum docet? Audi prophetam David, et Apostolum Paulum hoc ipsum nobis declarantem: *propterea unxit te Deus, Deus tuus* etc. » Atque hinc factum est, ut neque Nestorius, neque Nestorianus aliquis unquam ad *Chrysostomi* patrocinium confugerit; imo huius orthodoxa fides a catholicis semper laudata fuerit. Sic *S. Cyrillus* (2) scripsit: « Numquid qui illum (Nestorium) antecesserunt, doctrinae fidei operam non dederunt? numquid eloquentior est Ioanne? » Et *S. Coelestinus* (3) inquit: « Ut a recentioribus inchoëmus, quid non animis vestris eruditio sanctae memoriae Episcopi Ioannis infudit, cuius sermo adstruens catholicam fidem toto orbe diffusus est? »

C. *Argumenta ex rationibus theologicis deducta.*

§ 294. 1. Ecclesia semper *Incarnationem* tanquam summum mysterium et singulare ac proprium secundae Trinitatis personae opus credidit, et professa est. Sed si cum Nestorio moralis tantum unio inter Verbum, et hominem Christum asseritur, ita ut duae personae distinguendae sint, praefata Incarnationis notio penitus evertitur. Inhabitatio enim divini Verbi per gratiam non sufficit, ut Verbum dicatur *incarnatum;* habitavit enim Verbum Dei, et Deus ipse Pater, ac Spiritus sanctus in omnibus Sanctis a constitutione mundi secundum illud Apostoli: *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus, quoniam inhabitabo in illis* (4); quae tamen inhabitatio nunquam dicta fuit, vel dici potest incarnatio. Neque etiam ad rationem incarnationis sufficit, si dicatur, Verbum Dei pleniore gratia in Christo Iesu inhabitasse, quia magis et minus speciem non faciunt diversam. Si igitur substantialis et hypostatica negetur unio duarum Christi naturarum, totum tollitur Incarnationis mysterium, quod fundamentum est Christianae Religionis.

2. Duae naturae formaliter ab invicem distinctae, de se invicem substantive et in concreto praedicari non possunt, nisi uniantur in persona (ideo enim non dicitur substantive: *homo est vestis*, sed tantum adiective: *homo est vestitus*, quia non est unum, idemque hominis, et vestis suppositum): atqui (ut mox ex Scriptura et Traditione ostendetur) natura divina et natura humana, formaliter ab invicem distinctae, de se invicem substantive, et in concreto praedicantur; recte enim dicitur: *Deus est homo* et *homo est Deus*, et recte de Filio Dei humana, et de Filio hominis divina praedicantur: ergo natura divina et natura humana in una persona uniuntur. Quaecumque ergo capite sequenti de communicatione idiomatum dicentur, unicam in Christo personam commonstrant, et haeresin Nestorii refellunt.

3. Si duae in Christo asseruntur personae, maximum inconveniens se-

(1) In Hom. 5 de incompr. Dei nat.
(2) Ep. ad Clerum CPtanum.
(3) Ep. 14 ad Clerum, et populum CPtanum.
(4) 2 Cor. 6, 16.

quitur, nempe quod nulla sit redemptio nostra. Neutra enim ex illis duabus personis potuit nos a peccato redimere; non divina, quia non potuit pati, nec pro nobis satisfacere; non humana, quia non potuit conferre operibus suis satisfactoriis valorem infinitum, qualis ad redemptionem nostram requirebatur. Ergo per impiam Nestorii doctrinam etiam tota oeconomia Redemptionis generis humani per Christum factae subvertitur. Sed ex S. Scriptura et ex Traditione, ut inferius ostendetur, certissime constat, nos vere et perfecte a Christo redemptos esse: ergo falsa est doctrina Nestorii. Etiam illa igitur, quae in Sectione secunda de Redemptione dicentur, dogma de unica eaque divina Christi persona confirmant.

Nota 1. Variis argutiis tum Nestoriani, tum alii increduli probatum iam dogma catholicum impugnant, quorum impios conatus elidere oportet.

Obi. I. Si natura humana, cum qua Verbum divinum unitum fuit, est integra, necessario in eadem agnoscenda est etiam persona humana. Nam anima unita corpori constituit personam humanam: ergo si Verbum assumpsit animam humanam et corpus humanum, eoipso assumpsit personam humanam. Et certe natura humana Christi non est minoris dignitatis ac nostra: atqui personalitas vel maxime pertinet ad naturae nostrae dignitatem: ergo multo magis erat in Christo persona hominis, alias eius natura proprio et ultimo caruisset complemento, ipseque perfectus homo dici non posset.

Resp. Omnes Catholici fatentur, Christum integram et perfectam naturam humanam assumpsisse; sed ideo nullatenus etiam personam humanam assumpsisse dicendus est. Nam ad personam constituendam duo requiruntur, nimirum primo natura rationalis, et secundo ut haec per se, seu in individuo subsistat. Idcirco homines, quorum anima et corpus per se subsistunt, et individua constituunt, personae dicuntur. Sed de Christo aliter loqui oportet. Nam Verbum divinum equidem integram et perfectam naturam humanam assumpsit, nempe animam humanam ratione et voluntate praeditam, et corpus simile nostro. At haec natura humana nunquam per se substitit, seu nunquam propriam et individuam subsistentiam habuit, sed semper substitit in Verbo, cui fuit in primo conceptionis momento hypostatice unita. Deest ergo secunda conditio ad rationem personalitatis requisita: atque ideo quamvis sit in Christo integra et perfecta natura humana, attamen non est persona humana. Neque inde inferri potest quod natura humana Christi sit minoris dignitatis, quam nostra, sed contrarium potius asserendum est. Subsistentia enim in suo conceptu nil aliud dicit, nisi existendi modum alicuius substantiae. Hic modus autem certe eo dignior, et nobilior est quo perfectius et intimius substantia cum Ente perfectissimo et infinito unitur, et ab hoc regitur et completur. « Et ideo, ait *S. Thomas* (1), ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo, quam in nobis, quod in nobis quasi per se existens propriam personalitatem habet, in Christo autem existit in persona Verbi. » Quis autem non videat longe perfectius esse, naturam humanam existere modo divinae personae proprio, quam suo, regi a persona Verbi, quam a sua, ab eaque dirigi et compleri? Quot inde decora, quot perfectiones, et quantam sublimitatem consecuta est, quam

(1) 3. q. 2 art. 2 ad 2.

admirari quidem, at assequi mente non possumus! — Ergo Christus non solum perfectus homo est ratione integrae naturae humanae, sed perfectissimus plane ratione personalitatis, seu subsistentiae divinae, qua existit, completur et regitur.

Obi. II. Naturam inter et personam vel nulla prorsus, vel metaphorica tantum distinctio intercedit, quae ex diversis, et in infinitum variantibus Philosophorum notionibus pendet. Quis autem notionibus tam ambiguis, tam inter se oppositis innixum dogma constituat? Ecclesia notiones istas a Philosophis mutuans, Christo applicans, et de ipso docens, quod naturam quidem, sed non personam humanam assumpserit, doctrinam Religionis non illustravit, sed obscuravit, et difficultatibus ac contradictionibus involvit. Recte enim quaeri potest, an ratio personae in natura humana sit essentialis, an accidentalis? si primum, hominis personam Christus homo debuit habere; si secundum, cum accidentalia a Deo modis pluribus suppleri possint, nemo sciet amplius an sit persona, nec ne: et ex defectu huius certitudinis multa inconvenientia sequi, manifestum est. Haec obiicit *Bayle* (1).

Resp. Hanc obiectionem egregie solvit Cl. *Perrone* (2), cuius verba notatu dignissima referri merentur: « Hallucinatur, inquit, Bayle, dum pro certo assumit, dogma catholicum ab eiusmodi philosophicis notionibus pendere, cum contra certum sit nonnisi serius accommodatas esse dogmati a Deo revelato eiusmodi notiones. Quemadmodum enim ex revelatione scimus, Deum unum et simplicissimum esse, ac simul in Deo esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ita ex eadem revelatione novimus, unum, eundemque esse Christum qui est Deus, et homo. Haec semper professa est Ecclesia catholica, a Deo edocta. Insurgentibus vero haereticis Sabellianis, qui realem Patris, et Filii, et Spiritus sancti distinctionem negarunt, coepit Patrem, Filium et Spiritum sanctum vocare hypostases, seu *personas;* quod vero iisdem commune est, seu quod unum de Deo praedicatur, vocavit *naturam*, analogia ducta ex iis, quae de natura et personis philosophi de rebus naturalibus, praesertim humanis, disserentes tradebant. Sic cum Novatores alii, quae in revelatione de uno eodemque Christo diversa praedicantur, dispescerent, ut Nestoriani, vel quae eidem tribuuntur, confunderent, ut Eutychiani, Ecclesia ipsis sese opponens, quod unum de Christo dicitur, vocavit *hypostasin*, *personam*, aut *suppositum;* quae distincte de eo enunciantur, vocavit *naturas*. Metaphysici postea in eiusmodi voces et notiones subtilius et accuratius inquirentes theorias suas de natura, substantia, subsistentia, persona et supposito tradiderunt iuxta id quod christiana religio ex revelatione divina de Trinitate et Incarnatione iam docebat. Quare non religio christiana a philosophia, sed a religione accuratiores suas theorias mutuata est philosophia. » Et in nota addit: « Ex his patet, tantum abesse, ut religio scientiis noceat, ut potius eas perficiat; certe veteres philosophi nec suspicati quidem sunt distinctionem inter subsistentiam et naturam. » Caeterum probe notandum est, Ecclesiam in docendo infallibilem esse, et etiam in adhibendis et explicandis vocabulis, quibus fidei dogmata enunciat, errare non posse. Rationalistae potius et Protestantes, infallibili ma-

(1) In Diction. hist. V. Pyrrhon.

(2) De Incarn. P. 2. c. 3. n. 362.

gisterio destituti, tum in adhibendis, tum in explicandis vocabulis facillime et saepissime aberrant, non lineam traditionis, sed placita philosophorum sequentes. Temere ergo et omnino falso Bayle Ecclesiam de obscurata, aut corrupta religionis doctrina accusat. Nullam enim in catholica de incarnatione doctrina contradictionem contineri, in capite sexto ostendetur: sed ex nestoriana doctrina magna inconvenientia sequi, et Religionis christianae fundamenta subverti, iam monstratum est. Captiosum autem Baelii dilemma facile solvitur: certe enim ratio personae in natura humana non ita essentialis est, ut haec sine illa cogitari et existere non possit, quia in Christo vere natura humana sine persona humana extitit. Fatemur autem, id sola natura divina factum esse, quoniam naturaliter fieri non potest, ut anima corpori unita in altero individuo subsistat. Quapropter in hominibus necessario rationem personalitatis agnoscimus; nullus enim hominum propriam subsistentiam in aliud individuum transferre valet. Quod autem homines non valent, virtute divina perfici posse, nemo negabit, nisi qui omnipotentiam Dei negat, aut restringit. Neque exinde sequitur, neminem de sua personalitate certum esse posse. Cum enim a facto extraordinario et summe prodigioso, qualis est Incarnatio Verbi, non valeat consequentia ad ea, quae secundum cursum ordinarium naturae fiunt; quilibet satis tuto concludere potest, se esse personam, conscientia intima cuivis attestante, quod sit persona peculiaris ab aliis distincta. Deus utique etiam aquam in vinum mutare potest, quod Christus in Cana Galileae fecit, et nemo tamen ex fonte hauriens dubitat, se aquam et non vinum bibere, — gustu testimonium ferente.

Nota 2. Gravissime errant nonnulli recentiores Rationalistae, qui cum *Wegscheider* (1) effutire non erubescunt, doctrinam de una Christi persona adiaphoram esse, et neque ad rectam fidem stabiliendam, neque ad salutares virtutes promovendas inservire. Contrarium ex iam dictis patet. Dogmati enim de una Christi Dei hominis persona duo summa mysteria Incarnationis et Redemptionis innituntur, et illo sublato ipsa fundamenta Religionis christianae subvertuntur. Idem dogma etiam ad salutares virtutes promovendas efficacissimum est, quoniam, ut caetera taceamus, humilitatem nobis inculcat, quae omnium virtutum fundamentum est. Quale enim praestantius humilitatis exemplum nobis proponi posset quam *Verbum caro factum?* - Apostolus idcirco incarnationem exinanitionem appellat, et pio stupore repletus de Filio Dei scribit: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (2) etc. Quid magis miserum et abiectum est, quam forma servi, si ad Deum referatur? aut quid iudicio hominum tam indignum Regi totius universitatis, quam habitu ut homo imbecillis et fragilis inveniri? Et tamen Rex Regum, et Dominus Dominantium volens libensque formam servi accepit, altissimus Deus in terram descendit, et nostrum limum in personae suae unitatem assumpsit. Quanta humilitas! At vero si teste homine gentili *Cicerone* « duo illa nos maxime movent, similitudo et exemplum, » quanto magis Filii Dei incomparabile nos moveat exemplum, ut ipsius imitatores fiamus! Praeclare *S. Bernardus* (3) exclamat: « Erubesce super-

(1) Christol. § 128. (2) Phil. 2. (3) Hom. 1. sup. Missus est.

be cinis! Deus se humiliat, et tu te exaltas?... Si hominis, o homo! dedignaris imitari exemplum, non erit tibi indignum sequi auctorem tuum.» Absit ergo, ut superbe de nobis sentiamus, nos temere aliis praeferamus, et ambitioso fastu honores aucupemur, sed infirmitates nostras considerantes, et nihilum nostrum agnoscentes, humiles sensus in corde geramus, et verbis ac operibus manifestemus; imo et humiliationes, quae nobis obtingunt, ferre non recusemus, ut Filio Dei pro nobis exinanito similes reddamur. Non enim ad excelsam, quae nobis promissa est, patriam pervenire valemus, nisi parvuli reddamur, per viam humilitatis incedentes, qua Christus ingressus est. Convenit igitur, ut unusquisque alte cordi imprimat grave monitum S. *Augustini* (1): « Dignare humilis esse propter Deum, quia Deus dignatus est humilis esse propter te, et erubescat superbire humana infirmitas cum ita se humiliaverit divina maiestas. »

II. *B. V. Maria recte appellatur, et vere ac proprie est Deipara.*

§ 295. Dogma hoc catholicum publice primum negarunt duo Nestorii amici et discipuli, nempe *Dorotheus* quidam Episcopus, et *Anastasius* presbyter. Hi dum Constantinopoli inter Sacra sermonem ad populum de more facerent, praesente Nestorio, consceleratam hanc vocem audacter protulerunt: « Deiparam Mariam nullus nominet. Nam Maria homo erat: impossibile est autem, ut homo Deum pariat. » Nova haec doctrina murmur et tumultum in audiente populi coetu excitavit, multique ex presbyteris et monachis contra impiam propositionem reclamarunt. At vero Nestorius temeritatem impietatemque Dorothei et Anastasii adeo non repressit, ut etiam laudaret, eique in suis ad populum concionibus suffragaretur. Callidis equidem tergiversationibus utens admisit, in lato et improprio sensu Mariam Θεοτόκον, Deiparam appellari posse, non autem in sensu vero et proprio, quo solummodo χριστοτόκον, Christipara, est dicenda, quia eum genuit, cum quo postea Verbum speciali modo unitum fuit. Ob heterodoxam hanc doctrinam mox a synaxibus abstinere coeperunt monachi, senatus et populi CPtani maxima pars, ne se Nestorii communione pollueret. Hic vero verbis, et scriptis errores suos defendere et disseminare non destitit. —Contra ipsum probanda est doctrina catholica, quae dicit, Mariam recte appellari, et vere ac proprie esse *Deiparam*, et *Matrem Dei*.

1. *In S. Scriptura* expresse quidem nullibi B. Virgo Deiparae nomine insignitur; sed, ut observat *S. Thomas* (2): « Licet non inveniatur expresse in Scriptura dictum, quod B. Virgo sit Mater Dei; invenitur tamen expresse in Scriptura, quod Iesus Christus est verus Deus (§ 80 - § 84), et quod B. Virgo est Mater Iesu Christi (§ 280): unde sequitur ex necessitate ex verbis Scripturae, quod sit Mater Dei. » Porro in Ss. Litteris talia continentur, quae Deiparae, seu Matris Dei denominationi aequivalent. Luc. I, 35, Angelus Mariae dixit: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei;* si ille, qui nascitur ex Maria, recte vocatur, et vere est *Sanctus* per excellentiam (3), *Filius Altissimi* (4), Filius Dei, ac proinde verus Deus: ergo illa, ex qua nascitur, recte dicitur, generare Sanctum, Filium Altissimi, Filium Dei, et consequenter vere et proprie est Deipara, ac

(1) Serm. 39 de Verb. Dom.

(2) 3, q. 35, art. 4 ad 1.
(3) Cf. Dan. 9, 24. (4) Luc. 1 32

Mater Dei. — Expresse etiam B. Virgo in S. Scriptura *Mater Domini* appellatur. Luc. I, 43: Elisabeth a Maria visitata exclamat: *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* — Iam alibi (P. 1, § 81, n. 5) probatum est, nomen *Domini* in S. Scriptura communiter sumi pro nomine *Dei*. Et in hoc sensu idem nomen in citata exclamatione sumi, patet tum ex subsequentibus Elisabethae verbis: *Beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino* (1); tum ex iis, quae reposuit Maria, dicens: *Magnificat anima mea Dominum* (2); in utroque enim loco per Dominum ipsum supremum Deum intelligi, nullum dubium esse potest. Imo cum Elisabeth, quae *Repleta est Spiritu sancto* (3), non sine divina inspiratione locuta sit; recte dicitur, Mariam ab ipso Spiritu sancto *matrem Domini*, seu quod idem est, matrem Dei appellari. — Rom. IX, 5: Paulus inquit, loquens de Iudaeorum Patribus: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula*, ergo ille idem, qui est Deus, dicitur esse ex Iudaeorum Patribus secundum carnem: sed Christus ex virili semine conceptus non est; ergo concludit *S. Thomas* (4): « non est ex Iudaeis nisi mediante Virgine. Unde ille, *qui est super omnia Deus benedictus in saecula*, est vere natus ex B. Virgine sicut ex sua matre. » Denique dicitur: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* (5), id est: Filius unigenitus, quem Deus Pater misit (6), non fuit creatus ut Adam, sed factus ex substantia B. Virginis per operationem Spiritus sancti et ex ipsa natus est, et consequenter Filius Dei unigenitus, verus Deus factus est et filius Virginis Mariae, et haec proinde vere, et proprie facta est eius Mater, Deipara, seu Dei genitrix.

2. *Ss. Patres* pro dogmate catholico egregia testimonia ferunt, *S. Ignatius M.* in Epist. ad Ephesios n. 18 ait: « Deus noster Iesus Christus a Maria in utero gestatus est: » ergo non postmodum Verbum cum Christo homine unitum fuit, sed « Deus in utero gestatus est » et ideo Deum Maria peperit; ibid. n. 7 dicit de Christo: « Medicus unus est - factus et non factus, in carne Deus, et ex Maria, et ex Deo » id est unus, idemque est filius Mariae secundum humanitatem, et Filius Dei secundum divinitatem: quodsi Deus est Filius Mariae, Maria est Mater Dei. *S. Iustinus M.* (7) eandem doctrinam proponit, et inter alia dicit: « Christum prius extitisse Filium Conditoris omnium ac Deum, qui genitus est homo per Virginem. » *S. Irenaeus* (8) scribit: « Verbum existens ex Maria, quae adhuc erat Virgo, recte accipiebat generationem Adae recapitulationis, » et prosequitur S. Pater explicans similitudinem primae formationis Adam e limo terrae, et generationis Verbi, quam vocat « recapitulationem Adae » ex utero V. Mariae: - quem locum Irenaei laudavit *Theodoretus* Dial. 5 ubi hic idem citat etiam *S. Hippolyti M.* verba: « Dic mihi, o B. Maria, quid erat, quod a te in utero conceptum est, et quid a te in virginea matrice gestabatur? Verbum enim erat primogenitum a coelo in te delapsum, et homo primogenitus in utero formatus, ut primogenitum Dei Verbum primogenito homini copulatum ostenderetur. » *S. Dionysius Alex.* in Epist. synod. contra Paulum Samos. ait: « Una sola

(1) Luc. 1, 45. (2) Ib. v. 47. (3) Ib. v. 41. (4) L. c. (5) Gal. 4, 4. (6) Io. 3, 16. (7) In Dial. c. Tryph. n. 100 et seq. (8) L. 3. adv. haer. c. 31.

Virgo, filia vitae genuit vivens Verbum, et subsistens... Quomodo ais tu hominem esse eximium Christum, et non revera Deum, et ab omni creatura cum Patre et Spiritu sancto adoratum, incarnatum ex S. V. et *Deipara* Maria? » — Et in Resp. ad quaest. 5 Samosateni inquit: « Ostendit (Isaias) Dei Genitricem Virginem quemdam concepisse, quem quidem nos agnovimus Deum nostrum, et Patri coaeternum Filium Verbum » (1). *Tertullianus* (2) in Regula fidei dicit, credendum proponi « Verbum delatum ex Spiritu Dei Patris in virtute in Virginem matrem, carnem factum in utero eius, et ex ea natum hominem, et esse Iesum Christum. » Et de carne Christi c. 17 inquit: « Ante omnia commendanda erit ratio, quae praefuit, ut Dei Filius de Virgine nasceretur.» *S. Athanasius* (3) dicit: « Hic igitur scopus et character ex S. Scriptura. — nempe ut duo de Salvatore demonstret, illum scilicet Deum semper fuisse, et Filium esse, quippe cum sit Patris Verbum, splendorque, et sapientia, ipsumque propter nos, carne ex V. *Deipara* Maria assumpta, hominem factum esse » (4). *S. Cyrillus Hier.* (5) ita loquitur: « Crede hunc unigenitum Dei Filium propter peccata nostra de coelo in terram descendisse, et assumpsisse iisdem nobiscum subiectam humanitatem, et ex S. Virgine et Spiritu sancto esse genitum. » *S. Basilius* Hom. 25 de humana Christi generat. n. 5 expresse Mariam *Deiparam* appellat (6). — *S. Gregorius Naz.* (7) inquit: « Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est. » — *S. Chrysostomus* (8) ita disserit: « Valde auditu mirum et inusitatum est, Deum inaccessum et ineffabilem, et qui mente comprehendi nequit, ac Patri aequalem, per uterum venisse virgineum et ex muliere gigni voluisse, et habere stirpis auctores Davidem et Abrahamum. » Et (9) de Filio Dei dicit: « Genitus est secundum carnem, ut tu spiritus gignaris: genitus est ex muliere, ut tu desinas mulieris esse filius. » *S. Ambrosius* (10) de Christo ait: «Idem ex Patre genitus, et ex Virgine natus; idem qui ante saecula ex Patre, et qui in tempore carnem assumpsit ex Virgine.» Et (11) Mariam encomiis effert, dicens: « Quid nobilius Dei Matre; quid splendidius ea, quam splendor elegit? » *S. Paulinus* (12) ita Gabrielem ad Mariam loquentem inducit: « Virginibus cunctis felicior orbe puella, magno lecta Deo, mater dicaris ut eius, cuius et ille Pater. felix age concipe pondus, impolluta viro, coituque immunis ab omni; Verbo foeta Dei: corpus tua viscera praestent illi, qui coelum, terras, mare, sidera fecit etc.» Et paullo inferius ita refert Elisabethae verba ad Mariam « Salve o Mater, ait, Domini, salve pia Virgo, immunis thalami, coitusque ignara virilis, sed paritura Deum.» *S. Hieronymus* (13) scribit: « Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus. » *S. Augustinus* (14) inquit: « Idem Iesus Christus, Filius Dei unigenitus, id est, unicus, Dominus noster, natus est de Spiritu sancto et Virgine Maria.» Veterum Patrum hac in re consensum testatur *S. Cyrillus Alex.* qui l. de re-

(1) Cf. Resp. ad quaest. 7 et 10.
(2) L. de praescript. c. 13.
(3) Orat. 3 (al. 4) c. Arian. n. 29.
(4) Cf. l. de Incarn. n. 8, l. 1, c. Apoll. n. et alibi. (5) Catech. 4.
(6) Cf. l. de Spir. S. c. 5, n. 12.
(7) Ep. 101 ad Cledon. l. n. 4.
(8) Hom. 2, in Matth. ver. 24
(9) Ibid. ver. 36.
(10) In Ps. 35, praef. n. 4.
(11) L. de instit. Virgin. c. 5, n. 35.
(12) Poëm. 5, de Io. Bapt.
(13) L. c. Helvid. n. 19.
(14) In Enchir. c. 27.

cta fidè ad Regin. c. 9 scribit: « Vocem hanc *Deipara*, veteribus Patribus, quorum sanctimoniam et fidei integritatem admiramur, nec non omnibus, qui eos deinceps hucusque sunt secuti per universum, ut ita dicam, terrarum orbem, perquam familiarem esse, ostendendum esse existimavi: » citat ideo multorum Patrum testimonia, qui aut Mariam Deiparam vocarunt, aut, quod idem est, genitum natumque ex Maria Deum affirmarunt. Idem (1) dicit: « Nemo, opinor, ex orthodoxorum numero illam Deiparam vocare dubitavit, quandoquidem verum est, Emmanuelem esse Deum. » Ipse *Ioannes* Patr. Antioch. Nestoriii fautor in epistola ad hunc data (2) scribit: « Nomen hoc: Θεοτόκος nullus unquam ecclesiasticorum doctorum repudiavit. Qui enim illo usi sunt, multi reperiuntur, et apprime celebres: qui vero illud non usurparunt, nunquam erroris alicuius eos insimularunt, qui illo usi sunt. » Atque alter Nestorii fautor, *Theodoretus* (3) testatur, antiquissimos fidei catholicae praecones ex apostolica Traditione docuisse, Matrem Domini memorandam colendamque esse ut *Dei Genitricem*.

3. *Ecclesia* nomen Deiparae Virgini Mariae attribuendum esse, clare docet dum in Symbolo Apostolico Filium Dei unicum — *natum ex Maria Virgine* profitetur: si enim Filius Dei, secunda Trinitatis persona, verus Deus natus est ex Maria, huius profecto filius est, et consequenter Maria recte appellatur, et vere ac proprie est ipsius Mater, seu Deipara. Ideo sane iam in primis saeculis Christiani Mariam nomine Deiparae decorare consueverunt. Hinc *Iulianus* Apostata, teste *Cyrillo* (4), contra Christianos hanc accusationem protulit: « Vos Mariam non cessatis vocare Deiparam. » — Ecclesia etiam solemniter definivit, Mariam recte appellari, et vere, ac proprie esse Deiparam, cum id ab impio Nestorio negaretur. Nam Concilium *Ephesinum* can. 1 pronuntiavit: *Si quis non confitetur, Emmanuelem vere Deum esse, et ob id S. Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem) anathema sit.* Hoc decretum synodale incredibili fidelium applausu et gratulatione exceptum est. Qui quidem ab ortu solis ad vesperam usque rei exitum praestolati, audientes manere B. Virgini Deiparae dignitatem, damnatumque, qui eam violare attentaverat, faustis acclamationibus, et cum taedis et facibus discedentes Episcopos ad diversorium prosecuti sunt. Tum per totam urbem accensa sunt lumina in signum laetitiae. Atque ab eo tempore multo magis per omnium ora ferebatur Deiparae nomen, nec aliter Virgo Maria vocata est, quam addito illo tam excelsae dignitatis titulo. — Concilium *CPtanum II*, gener. V, can. 6 dicit: *Si quis abusive, et non vere Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, vel secundum relationem, quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato, et nato ex ipsa — talis anathema sit.* Et Conc. *Nicaenum II*, action. 7 ait: *Confitemur autem et Dominam nostram sanctam Mariam proprie, et veraciter Dei Genitricem, quoniam peperit carne unum ex sancta Trinitate Christum Deum nostrum.*

Nota 1. Nestorius, et qui ipsum secuti sunt, contra nomen Deiparae

(1) In Ep. ad Acac. Ep. Beraens.
(2) Ap. Mansi Coll. Conc. T. 4, c. 1066.
(3) L. 4, haer. fab. cap. 12.
(4) L. 8. c. Iulian.

multas difficultates moverunt, quae solvendae supersunt.

Obi. I. B. Virgo divinitatem non genuit, nec divinitati originem dedit; quod tamen ad matrem constituendam requiritur: Maria ergo Dei Genitrix, seu Mater nec est, nec dici potest.

Resp. Negamus, quod Nestoriani falso supponunt, ad matrem nempe constituendam requiri, ut originem det omni substantiae, quae est in supposito, quod ex ea nascitur. Nam quaelibet foemina pariens recte dicitur, et vere est mater hominis, quamvis soli corpori originem det, non autem animae, quae a Deo creatur et infunditur: quoniam autem corpus edit animae unitum, ideo personam humanam, seu hominem parere dicitur. Eodem modo Maria divinitati equidem originem non dedit, sed substantiam dedit corpori Christi: sed corpus Christi animatum anima rationali hypostatice, seu in unitate personae unitum fuit Verbo: ergo ille, quem Maria peperit, fuit persona divina, verus Deus: atque ideo Maria recte dicitur et vere est Deipara seu Mater Dei. Iam *S. Cyrillus* hanc obiectionem, quam maxime urgebat Nestorius, eadem argumentatione confutavit. Ait enim (1). « Simile est humano partui incarnati Verbi mysterium. Etenim terrenorum hominum matres, naturae ad gignendum servientes, carnem habent in utero, quae paulatim compacta, et inexplicabilibus quibusdam efficientiis progressa in humanam speciem absolvitur. Deus porro spiritum animali, quibus scit modis, infundit... Verum etsi mulieres istae nonnisi sint terrenorum corporum matres, nihilominus cum totum animal pepererint ex anima et corpore compositum, non solam eius partem peperisse dicuntur. Nec aliquis dixerit, Elisabetham, matrem Ioannis carnis esse genitricem, non animae, peperit enim animatum Baptistam, ac sic tanquam unum aliquid ex ambobus, hominem videlicet anima, et corpore. Huiusmodi quidpiam actum esse fatebimur in Emmanuelis generatione; quippe natum est, ut dixi, ex Dei Patris substantia unigenitum ipsum Verbum. Cum autem carnem suscepit, et propriam sibi fecit, ut filius hominis esset, ac similis nostri fieret, tunc minime est absurdum dictu, imo necessario profitendum, illum ex muliere secundum carnem esse natum, quemadmodum anima una cum proprio corpore gignitur, et unum cum eo reputatur. »

Obi. II. Etsi anima intimo quoque nexu corpori uniatur, inepte tamen mulier vocaretur animae mater, sed hominis mater dici debet; et ratio est, quia mulier corporis causa existit, non autem animae, quae a Deo creatur. Ergo etsi in Christo natura divina hypostatico nexu cum humana iungatur, attamen B. Virgo non Dei, sed Christi mater est dicenda; etenim iuxta omnes Maria non est causa Dei, ergo nec mater Dei.

Resp. Secundum omnes Philosophos terminus generationis est suppositum, seu persona geniti: idcirco dum quaeritur, quem mulier pepererit, non dicitur quod corpus, aut quod animam pepererit, quia nec corpus solum, nec anima sola personam humanam constituit, sed respondetur, quod genuerit hominem, infantem, puerum, puellam etc., seu generatim reponitur nomen, quod personam humanam significat. Itaque etiam dum quaeritur, quem Maria peperit? in responsione nominanda est persona, quae ex ipsa prodiit. At

(1) In Epist. ad Monachos.

haec est persona divina, quae ex Maria naturam humanam assumpsit: recte ergo dicitur, Mariam peperisse personam divinam, seu verum Deum, atque ideo ipsa iure appellatur, et vere est Deipara, Mater Dei. Nec refert, quod Maria non sit causa Dei; nam terminus, *causa*, latius patet, quam nomen, *Mater:* ut enim quis causa alterius dicatur, requiritur, ut illud totum producat, cuius causa dicitur; sed ad notionem matris non requiritur, ut suppositum ex omni parte producatur, sed solum ut per generationem procedat. Ideo sane mulier pariens dicitur mater hominis, licet animae, seu nobilioris partis, causa non sit. Ergo etiam Maria, quamvis non sit causa Dei, vere tamen est Mater Dei, quia Christus, persona divina, Deus et homo ex ipsa per generationem processit. Egregie hanc in rem observat Cl. *Perrone* (1). « Si severius loqui velimus, B. Virgini potius competit titulus Deiparae, quam caeteris mulieribus titulus matris cuiusdam hominis, quia in caeterorum hominum conceptu, ex communi sententia, prius est corpus, quam anima, quae corpori non accedit, nisi organis vitae iam instructo; contra vero nec ullo temporis puncto Christi corpus sine anima in Virginis utero extitit, ac propterea quin subsisteret integra eius humanitas hypostatico nexu cum divini Verbi persona. »

Obi. III. Ad generationem requiritur, ut genitus procedat tum ex substantia, tum in similitudinem generantis (§ 106, n. 4). Maria igitur, si Deum genuit, dicenda etiam erit consubstantialis Deo, et pro vera Dea habenda et colenda. In gravissimum hunc errorem, quem iam aliqui in Ecclesia propugnarunt, omnes prolabi debent, qui Mariam vere et proprie Dei Genitricem esse contendunt.

Resp. Catholici omnes in Christo duplicem distinguunt generationem, unam aeternam secundum divinitatem ex Patre, et alteram temporalem secundum humanitatem ex Maria: ideo unus idemque Christus secundum naturam divinam est consubstantialis Patri, et secundum humanam naturam est consubstantialis Matri. Ex hac doctrina nullatenus sequitur, Mariam, ut sit Deipara, debere eiusdem esse cum Deo substantiae; sed cum B. Virgo filium generat duabus constantem naturis, divina et humana, filio consubstantialis esse debet ratione naturae humanae, non autem ratione naturae divinae: neque enim Verbum fuit Filius Mariae ratione divinitatis, sed ratione humanitatis Verbo personaliter unitae: atque ideo, quamvis Maria non sit consubstantialis Deo, est tamen vere et proprie Mater Dei, non quia divinitati originem dedit, sed quia eum genuit, qui ab aeterno est verus Deus. Ex doctrina catholica ergo nullatenus sequitur, Mariam, ut Deam esse habendam et colendam. Fuerunt equidem, qui stulte et impie hoc assererent, nempe *Collyridiani*; sed isti tanquam haeretici ab Ecclesia habiti et damnati sunt. Contra istos *S. Epiphanius* (2) scribit: « Honoretur sane Maria: Pater vero, Filius, et Spiritus sanctus adorentur. Mariam adorare nemo velit. » Et infra « Maria in honore sit, Dominus adoretur. » Haec fuit semper fides et praxis Ecclesiae quae constanter docuit et docet, solum Deum cultu latriae adorandum esse.

Obi. IV. Ex doctrina catholica varia absurda sequuntur. Maria enim

(1) De Incarn. p. 2, cap. 3, art. 1, prop. 2, ad Obi. 2, n. 391.

(2) Haer. 79.

dicitur genuisse Deum et hominem; sed implicat, duas substantias ex una substantia generari. Praeterea Maria dicitur Mater eius, quo posterior est tempore: absonum autem est, illum, qui aeternus est, ab ea generari, quae in tempore orta est. Denique, cum sub nomine Dei tota Trinitas intelligatur, si B. Virgo dicitur Mater Dei, dicenda etiam erit mater Patris et Spiritus sancti, quod tamen nemo asserit.

Resp. Ex doctrina catholica nil absurdi sequitur. Quod enim *primum* attinet, absurdum sequeretur, si diceretur, Mariam tum substantiae divinitatis, tum substantiae humanitatis originem dedisse. Sed nemo Catholicorum dicit, Mariam substantiae divinitatis originem dedisse, sed ipsa Dei Genitrix dicitur, quia genuit naturam humanam, non in se subsistentem, sed hypostatice Verbo Dei unitam. Iam *Ferrandus* diaconus (1) haeretico sibi obiicienti: « ex una substantia generari nullatenus potuisse substantias duas » ita respondit: « Veraciter dicit, si separatim generatas audierit. Nunc vero in magno illo et mirabili sacramento, quod manifestatum est in carne, divina substantia secundum humanam substantiam proprie nata est, quia non separatim nata est, nec humanitatem proprie natam sibi divinitas adunavit, sed adunando eam sibi proprie nata est... Proprie est nata de Patre divinitas pura, proprie nata est de matre eadem incarnata divinitas. Et hoc distat inter unius Filii Dei duas generationes, quod in divina generatione nulla fuit humanitas; in humana generatione adunata fuit humanitati proprie nascenti divinitas. Si enim dixero, vel dicere voluero: Maria semper Virgo proprie genuit humanitatem, non proprie genuit divinitatem, videbitur sub aliquo modo hominem purum genuisse, quem nullo modo ita genuit, quia Verbum caro factum proprie genuit. » — Quoad *secundum*, certum est, neminem posse aliquem se anteriorem gignere secundum id, quo est anterior. At B. Virgo Deum peperit non secundum divinitatem, qua erat anterior, sed secundum humanitatem, qua erat posterior: eadem enim divina persona, quae ab aeterno habuit Patrem ratione naturae divinae sibi communicatae, in tempore habuit Mariam tanquam matrem, a qua naturam humanam accepit: quod *Alcimus Avitus* (2) sic expressit, dicendo: « Ante aevum de Patre, ex matre in tempore natus, seminis hinc expers omnino et temporis illinc: sic Virgo foecunda fuit, quae pondere casto Factorem portare suum, Dominumque perennem edere promeruit, dignoque agnomine dici Virgo Dei Mater. » — Respectu *tertii* respondemus, Mariam dici matrem Dei, quia illum genuit, qui est persona divina, non autem persona Patris, nec persona Spiritus sancti, sed persona Filii; nam *Verbum caro factum est*, quapropter Maria, nec mater Patris, nec mater Spiritus sancti dici potest, sed solum mater Filii Dei. Cum autem hic sit verus Deus, Maria recte dicitur Mater Dei; nam, ut observat *S. Thomas* (3), « hoc nomen Deus, quamvis sit commune tribus personis, tamen supponit quandoque pro sola persona Patris, quandoque pro sola persona Filii, vel Spiritus sancti; ut supra habitum est (4). Et ita cum dicitur: Beata Virgo est Mater Dei, supponit pro sola persona Filii incarnata. » In ipsa S. Scriptura

(1) Ep. ad Anat. § 17, (Bibl. Galland. tom. II, p. 353). (2) Lib. 6 de laude castit.

(3) 3, q. 35, art. 4 ad 3.
(4) Q. 16, a. 1 et 2.

nomen *Dei* absolute positum tribuitur ei, qui mortuus est iuxta illud: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit* (1); et illud Pauli: *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (2). Ergo eadem vox absolute et simpliciter tribui etiam potest ei, qui de Virgine natus est, cum eiusdem sit nasci et mori: et si ex citatis Scripturae locis non sequitur, Patrem mortuum esse, aut Spiritum sanctum sanguinem fudisse; etiam ex eo, quod Maria Mater Dei appelletur, non sequitur, ipsam matrem dicendam fore Patris et Spiritus sancti, cum vox, *Deus*, per Revelationem et Ecclesiam iam satis determinata sit.

Obi. V. Si Patres hincinde Mariam Deiparam, seu matrem Dei appellarunt, non ideo sequitur, ipsam genuisse personam divinam. Nam etiam mulier, quae filium peperit, qui postea presbyter fit, episcopus, aut rex, dicitur mater presbyteri, episcopi, aut regis, quamvis non ipsum presbyterum, episcopum aut regem peperit. Eodem modo Maria dici potest Mater Dei, quia illum peperit, qui postea speciali quodam modo cum Verbo, seu Filio Dei coniunctus fuit.

Resp. Nulla mulier dicitur mater presbyteri, episcopi, aut regis, nisi ille, quem genuit, verus presbyter sit, verus episcopus, aut verus rex. Ergo etiam Maria non potest appellari Deipara, nisi ille, quem genuit, sit verus Deus. Neque ad hoc sufficit coniunctio moralis, quae fit per gratiam: alias etiam Elisabeth et omnes mulieres, filios gratia sanctificante ornatos habentes, dicendae essent matres Dei. — Ss. Patres, ut ex dictis constat, non solum Mariam matrem Dei appellant, sed et cum Apostolo dicunt, *Dei Filium factum ex muliere esse*, Verbum ex Maria carnem assumpsisse, in eius utero gestatum, ex ea natum esse etc., et sic satis ostendunt, quantum abhorreant a doctrina Nestorii, purum hominem ex Maria natum esse dicentis, cui postmodum Verbum moraliter unitum fuerit. Iuvat audire *Vincentium Lirin.*, qui postquam multa contra nefariam Nestorii haeresim dixisset, ita demum colligit (3): « Quae cum ita sint, absit ut quisquam S. Mariam divinae gratiae privilegiis et speciali gloria fraudare conetur. Est enim singulari quodam Domini ac Dei nostri, Filii autem sui munere verissime ac beatissime Theotocos confitenda; sed non eo modo, quo impia quaedam haeresis suspicatur, quae asserit eam Dei Matrem sola appellatione dicendam, quod eam scilicet pepererit hominem, qui postea, factus est Deus; sicut dicimus presbyteri matrem, aut episcopi matrem, non iam presbyterum, aut episcopum pariendo, sed eum generando hominem, qui postea presbyter, vel episcopus factus est. Non ita, inquam, S. Maria Theotocos, sed ideo potius, quoniam, ut supra dictum est, iam in eius sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quamdam, atque unicam personae unitatem sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est. »

Nota 2. Eximia sunt encomia, quibus S. Ecclesiae Doctores divinam Mariae maternitatem extollunt. *S. Anselmus* (4) ait: « Quid amplius, quid ultra in Virgine requiris? — sufficit tibi, quod Mater Dei est. Complexus est itaque Evangelista omnia excellentiae argumenta, dum de Virgine ait: *de qua natus est Iesus*: in hoc clauditur quidquid dici de illa potest,

(1) 1 Io. 3. 16. (2) Act. 20. (3) N. 15.

(4) Serm. de B. Virgine.

si mille libri scriberentur. » *S. Bernardus* (1) ita B. Virginem alloquitur: « Quam familiaris ei (Filio Dei) fieri meruisti? In te manet, et tu in eo: vestis eum, et vestiris ab eo: vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria maiestatis: vestis solem nube, et sole ipsa vestiris. » *S. Thomas* (2) inquit: « B. Virgo ex hoc, quod est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus; et ex hac parte nihil potest fieri melius, sicut non potest aliquid melius esse Deo. » *S. Bonaventura* (3) scribit: « Maiorem mundum facere posset Deus, maius coelum facere posset Deus, maiorem Matrem, quam Matrem Dei non posset facere Deus. » Quodsi ex ipsius rationis praecepto quodlibet ens iuxta dignitatem suae naturae aestimare et amare oportet, quantus honor, qualisque amor a nobis Mariae Matri Dei impendendus est? — Rectissime sane agunt Catholici, Mariam venerando, eam laudibus extollendo, et varia ipsi devotionis obsequia praestando. Neque timendum est, quod per haec cultui ipsi Deo exhibendo aliquid subtrahatur. Nam obsequia pia Matri Dei praestita in gloriam Filii redundant, qui illam tanta dignitate decoravit. Ipsum autem Filium Dei parum honorat, qui erga Matrem eius frigidus et indifferens est.

III. *Christus nec etiam quoad humanam naturam est, aut appellari potest Filius Dei adoptivus.*

§ 296. Saeculo octavo *Felix* Episcopus Urgellitanus, et *Elipandus* Archiepiscopus Toletanus, quamvis admitterent, Christum ut Deum esse Filium Dei naturalem, docuerunt tamen Christum ut hominem esse, et appellari debere Filium Dei adoptivum. Haec propositio duplici sensu intelligi potest; nimirum vel ponendo in Christo duas personas, unam divinam et alteram humanam, ratione cuius sit filius Dei adoptivus, et haec est haeresis Nestorii; vel servata unitate personae, asserendo, Christum spectata illius humana natura a divinitate praecisa, seu *in abstracto* sumpta, appellari posse Filium Dei adoptivum; et hanc sententiam tenuerunt *Durandus*, *Scotus*, et aliqui scholastici non attendentes, quod filiatio et adoptio non cadant in naturam, sed in personam, et quod tota subsistentia humanitatis Christi sit persona divina Verbi, qua subsistentia sublata, neque existeret in rerum natura eiusmodi humanitas, aut certe non esset humanitas Christi: ex quibus rationibus merito haec *Durandi* et *Scoti* sententia a Theologis reiicitur et nonnullis etiam a Concilio *Francofurtiensi* damnata esse videtur (4). — Quidam putarunt, Felicem et Elipandum in posteriori sensu Christum Filium Dei adoptivum dixisse, et ab haeresi nestoriana immunes fuisse: huius opinionis fuerunt *Vasquez*, *Iuenin* et alii inter Catholicos pauci, sed multi Protestantes eandem defenderunt, ut latam a Conciliis et a Papa damnationem criminarentur. Ast gravissimi Theologi, ut *Petavius* (5), *Natalis Alex.*, *Berti*, *Billuart* (6), *Gazzaniga* (7) et alii ex coaevorum testimoniis invicte probarunt, Felicem et Elipandum in sensu nestoriano Christum esse Filium Dei adoptivum docuisse. *Hon. Tournely* (8) utriusque opinionis argumenta proponit, ac demum con-

(1) Serm. in Signum magnum etc.
(2) 1, q. 25, art. 6 ad 4.
(3) In spec. c. 8.
(4) V. Billuart de Incarn. Diss. 21, a. 2 § 3.
(5) T. 4 l. 1 c. 22.
(6) L. c. § 2.
(7) Sect. 2, Diss. 2, cap 1 Pr. 1
(8) De Incarn. O. 12. § 1.

cludit, certum et exploratum esse « duos illos Episcopos, caeterorum Haereticorum more, ita mentem suam ambiguitate verborum et arte multiplici involvisse, ut vix liquido eorum sensus dignosci possit. » — Quidquid autem sit de istorum mente, fidei dogma est, Christum agnoscendum esse ut unicum Filium naturalem Dei, existentem in duabus naturis, divina nempe et humana, quae simul hypostatice iunctae non sunt nisi unus Christus: hic idcirco etiam secundum naturam humanam necest, nec appellari potest Filius Dei adoptivus, quia ipsius natura humana non subsistit nisi in unica persona Verbi. — Dogma istud a non paucis Theologis proponi solet, dicendo: Christus, qua homo, seu quatenus homo, non fuit Filius Dei adoptivus, sed naturalis: sed in hac propositione cavendum est, ne naturae humanae seorsim spectatae propria subsistentia, et naturalis filiatio divina attribuatur, et Christus dupliciter, - etiam ratione humanitatis - Filius Dei naturalis putetur; nam unica est in Christo persona, eaque divina, ac sensus propositionis est, quod Verbum subsistens in humanitate sit Filius Dei naturalis. Cl. *Billuart* (1), praefatam Theologorum propositionem explicans, dicit: « Certum est, Christum qua hominem in sensu materiali, et identico, seu per communicationem idiomatum esse Filium Dei naturalem, sicut certum est quod hoc sensu homo sit Deus: dicimus autem, Christum quatenus hominem etiam formaliter esse Filium Dei naturalem, sic tamen ut ly *quatenus* importet in recto, non naturam humanam, sed suppositum subsistens in natura humana, non reduplicative, alias sensus foret, quod esset Filius naturalis Dei, quia subsistit in natura humana, quod est falsum; sed specificative, ita ut sensus sit: Verbum subsistens in natura humana est Filius naturalis Dei, quod est verissimum, siquidem per assumptionem humanitatis non amiserit filiationem Dei naturalem. Et hoc sensu intelligendae sunt auctoritates S. Scripturae (2), Concilii Francofurtiensis et Patrum, quibus Christus qua homo Filius Dei naturalis dicitur; » Et Cl. *Perrone* (3) fidei dogma proponit et dicit: « Christus prout *hic homo* est in concreto, est Filius naturalis Dei, quia ob unionem hypostaticam eius humanitas subsistit in persona Verbi divini: » dein quaestionem scholasticam refert, utrum natura Christi humana *in abstracto* considerata possit adoptata dici nec ne; ac demum concludit: « Ex his colligimus, minus accurate a nonnullis auctoribus propositionem catholicam his verbis enunciari: *Christus qua homo, non fuit Filius Dei adoptivus, sed naturalis,* cum dici debuisset: *Christus qua hic homo, non est Filius Dei adoptivus, sed naturalis,* alioquin permiscetur dogma fidei cum quaestione mere scholastica. » — His praenotatis, *ex S. Scriptura, ex Traditione, et ex rationibus Theologicis* probatur, Christum esse Filium Dei naturalem, ipsumque etiam secundum naturam humanam nec esse, nec appellari posse Filium Dei adoptivum.

1. *Ex S. Scriptura* iam probatum est, Christum ut Deum esse *Filium Dei unigenitum, primogenitum, proprium,* seu naturalem (§ 100). Sed etiam secundum naturam humanam S. Scriptura nullibi Christum appellat Filium Dei adoptivum, quod iam observavit *S. Augustinus* l. c. Secundinum Manichaeum, c. 5, scribens:

(1) L. c. § 4 Sec. ratio. (2) Rom. 8. (3) L. c. Art. 2. n. 401

« Lege itaque Scripturas, nunquam inveniens de Christo dictum, quod adoptione sit Filius Dei. » Imo ille idem Christus, qui ut homo visibilis apparuit, in S. Scriptura Filius Dei unigenitus et proprius vocatur. Io. I, 18 dicitur: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, ergo ille idem, qui coelestem doctrinam ut homo in Iudaea et Galilaea praedicavit, dicitur *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*, id est, in ipsa essentia divina. Io. III, 16 legitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, nempe in mortem pro salute mundi (1); sed mortem Christus ut homo subiit; hic est ergo *unigenitus*, seu unicus naturalis Filius Dei in oppositione ad adoptivos, quorum multi sunt. Porro de Christo a Ioanne baptizato Deus Pater dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (2). — Petrus, ad Christum loquentem, et se filium hominis appellantem, dicit: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (3); itaque Filius hominis est Filius Dei vivi, id est Filius Dei naturalis, qualem Petrus solum per revelationem divinam cognoscere potuit. Io. XX, 17 Christus ait: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum;* quae Iesu Christi distinctio inter Patrem suum et Patrem nostrum, vana et otiosa dici non potest sed manifeste innuit, non eodem modo Deum esse Patrem suum et Patrem nostrum, quia Christi Pater est per naturam, noster autem Pater per adoptionem: ita iam *S. Augustinus* hunc locum exposuit (4), dicens: « Non ait: *Patrem nostrum:* aliter ergo meum, aliter vestrum: natura meum, gratia vestrum. » Haec verba Christi contra aberrantes Episcopos Hispanos urgebat *Hadrianus Papa*, quoniam Christus secundum humanitatem ascensurus in coelum Deum Patrem suum naturalem in oppositione ad Patrem adoptantem vocavit. Paulus de aeterno Patre dicit: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (5); ubi certe sermo est de Iesu Christo secundum humanam naturam, qui tamen *proprius*, idest naturalis Filius Dei nuncupatur. Ut enim observat *S. Thomas* in hunc locum (6): « Cum (Apostolus) supra de multis filiis mentionem fecisset, dicens: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum;* ab omnibus illis hunc filium separat, dicens: *proprio filio suo*, i. e. non adoptivo, ut haeretici mentiuntur, sed naturali, et coaeterno, *ut simus in vero Filio eius Iesu Christo* » (7). Ante Angelicum iam *S. Hilarius* (8), eadem Pauli verba allegans, ait: « Numquid, etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo [illegible] rietatis est nomen. » Quae quidem licet S. Doctor protulerit contra Arianos, una tamen simul Adoptianorum iugulum petunt.

2. *Ss. Patres* in eodem dogmate consentire, patet tum ex eorum dictis, quibus Christum verum Deum profitentur (§ 89), tum ex ipsorum testimoniis, quibus unam in Christo personam, eamque divinam agnoscunt (§ 294). His addi possunt etiam loca eorundem, quibus aperte adoptionem a Christo excludunt, eumque in duabus naturis subsistentem Filium Dei naturalem esse docent. *S. Irenaeus* (9) inquit: « Cum interrogasset, *quem dicunt homines esse filium hominis?* Petrus tum respondit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi:* et cum laudatus esset ab eo, quoniam *caro et sanguis non revelavit* ei, *sed Pa-*

(1) Io. v. 14, 15. (2) Matth. 3, 17.
(3) Matth. 16, 16. (4) Tract. 121 in Io.
(5) Rom 8, 32. (6) Lect. 6.
(7) I Io. 5, v. ult. (8) L. 6 de Trinit.
(9) L. 3, adv. haer. c. 20.

ter, qui est in coelis, manifestum fecit, quoniam Filius hominis hic est Christus Filius Dei vivi.» *S. Hilarius* l. 3 de Trin. n. 11 ait de Christo: «Non solum nomine contestatus est, esse se Filium, sed et proprietate, qua dicitur tuum. Multi enim nos Filii Dei; sed non talis hic Filius est: Hic enim et verus, et proprius est Filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione.» Ibid l. 6, n. 45 dicit: « Apostolus volens charitatem erga nos Dei ostendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere nosceretur, non pepercisse Deum proprio Filio suo docuit: non utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturae, sed pro alienis suo, pro nuncupandis proprio. » *S. Athanasius* (1) scribit: « Filius unus est. Quapropter errant, qui dicunt, alium esse, qui passus ut Filius, et alium, qui passus non est. » Idem (2) ait: « Propterea taceant, qui aliquando dixerunt eum, qui ex Maria processit, non esse ipsum Christum, et Dominum, et Deum. Nisi enim Deus esset, quinam statim, ac ex Maria prodiit, vocatus est Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus.» *S. Gregorius Naz.* (3) ita de Christo disserit: « Si quis divinitatem in eo, velut in propheta, per gratiam operatam fuisse, non autem secundum essentiam copulatam fuisse, atque copulari dixerit, a praestantiori afflatu vacuus sit, imo contrario impleatur. — Si quis eum ex operibus perfectum fuisse, aut post baptismum, vel resurrectionem ex mortuis in filium adoptatum dixerit, quemadmodum quos Graeci adscriptitios inducunt, anathema sit.» — *S. Gregorius Nyss.* (4) scribit: « Qui Apollinaris patrocinantur dogmatibus - obiiciunt, quosdam ex Ecclesia catholica duos in suo dogmate filios agnoscere, alterum naturalem, alterum, qui adoptione postmodum accessit. Quod nescio, a quonam audierint, aut cum qua persona luctentur. Nam hactenus neminem novi, qui talia perperam effutiret. » *S. Ambrosius* (5) ait: « Ecclesiastica fide et Dei Patris, et David idem atque unus est Filius.» *S. Damasus I* (6) inquit: « Anathematizamus etiam eos, qui duos filios esse profitentur, unum ante saecula, et alterum post carnis assumptionem ex Virgine.» *S. Hieronymus* (7), ad illa verba: *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos*, haec adnotat: « Hic locus adversus Ebionem et Photinum vel maxime facit... nec non et contra eos, qui duos filios insano errore confingunt, Filium videlicet Dei, et filium hominis. Ecce hic apertissime dicitur, quod ipse sit ascendens, atque descendens... Sic unum et Dei, et hominis Filium confitemur.» *S. Augustinus* Tract. 7 in Ioan. (8) ait: « Oportebat ergo, ut ille baptizaret, qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici. Unicus habet potestatem, adoptati ministerium.» Et in Enchir. (9) inquit: « Cum esset unicus Dei Filius non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est et hominis filius: idemque ipse utrumque ex utroque unus Christus.» *Leporius* in libello emendationis, cui Africani Episcopi subscripserunt, n. 6 (10) inter alia dicit: « In hoc maxime fides nostra consistit, ut credamus unicum Filium Dei, non adoptivum, sed proprium.» *Faustinus* (11)

(1) L. 1, c. Apollin. n. 12.
(2) In Epist. ad Epictetum.
(3) Ep. 101, ad Cledon. 1 n. 5.
(4) Lib. c. Apollinar. (5) L. 5, de fide c. 3.
(6) In Ep. ad Paulin. Antioch.
(7) In cap. 4 Ep. ad Ephes.
(8) N. 4. (9) C. 35, n. 10.
(10) In Bibl. Galland. t. 9. (11) In l. c. Aria-

dogma catholicum praeclare probat ex Matth. III, 17, dicens: « Certe Moyses, et Elias pariter videbantur cum eo loquentes, quos utique de adoptione factos esse filios Dei negare non potes. Et quomodo de solo Christo vox divina testatur, dicens: *Hic est filius meus dilectus* etc.? si enim et Christus de adoptione filius est, cum staret inter duos filios adoptivos, dixisset utique: et hic filius meus est, ne Christus solus filius esse crederetur. At cum dixit: *Hic est filius meus dilectus*, adoptionis filios separavit, ut proprietas verae nativitatis in Christo solo Filio crederetur. » *S. Gregorius M.* (1) de Christo dicit: « Omnes, qui in fide Deo nascuntur, superat, quia non ut caeteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat, qui etsi humanitate caeteris apparuit similis, divinitate tamen mansit super omnia singularis. » Eandem doctrinam proponunt *S. Cyrillus Alex.* (2), *Cassianus* (3), *Gennadius* (4), *S. Fulgentius* (5), *Vigilius Taps.* (6), ac alii apud *Petav.* (7). — Dogma autem catholicum a Felice et Elipando impugnatum strenue defenderunt *Beatus* Presbyter Astroganus, *Etherius* Ep. Uxamensis, *Paulinus* Patr. Aquileiensis, *Alcuinus*, *Agobardus* Ep. Lugdunensis, et *Hadrianus I. R. P.* — Adoptianorum errorem etiam condemnarunt *Concilia*, nempe *Narbonense* anno 788, *Foroiuliense* a. 791, *Ratisbonense* a. 792, et *Francofurtiense* anno 794 habitum, quod decretum fecit, ab *Hadriano* R. P. et universa Ecclesia approbatum: *Christum in utraque subsistentem natura Filium Dei proprium et naturalem esse, non adoptivum.* Idem confirmavit Concilium *Romanum* sub Leone III a. 799.

3. *Ratio theologica* petitur ex ipsa notione adoptionis, quae Christo ex nulla parte applicari potest. Adoptio enim iuxta definitionem non solum a Theologis, sed etiam a Iurisperitis communiter receptam, est personae extraneae in filium et haeredem gratuita assumptio. Ergo Christus neque secundum naturam divinam, neque secundum naturam humanam adoptari potuit: non secundum naturam divinam, quia secundum hanc est quidem persona, sed non persona extranea, verum Filius Dei naturalis, proprius, Patri consubstantialis, ab aeterno genitus, non secundum naturam humanam, quia haec a primo existentiae suae momento Verbo hypostatice unita propriam, seu individuam subsistentiam nunquam habuit, nec personam humanam constituit, quae ideo adoptari non potuit. Eandem rationem ita proponit *S. Thomas* (8) dicens: « Filiatio proprie convenit hypostasi, vel personae, non naturae... In Christo autem non est alia persona, vel hypostasis, quam increata, cui convenit esse filium per naturam. Dictum est autem (9), quod filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur, aliquid dici *participative*, quod *per se* dicitur. Et ideo Christus, qui est Filius Dei *naturalis*, nullo modo potest dici adoptivus. » Demum concludit, illos tantum Christum filium adoptivum dicere posse, qui duas in ipso admittunt personas.

Nota 1. Ad Theologiae polemicae munera adimplenda, difficultates, quae doctrinae catholicae opponi videntur, enodare, et Adoptianorum obiectiones diluere oportet.

(1) L. 1 Mor. c. 6.
(2) In Dialogo de uno Christo.
(3) L. 2, de incarn. c. 6.
(4) De eccl. dogm. c. 2.
(5) Lib. 3, ad Trasim. c. 6.
(6) L. 5, contra Eutych. et Nester.
(7) De incarn. lib. 7, cap. 6.
(8) 3, q. 23, art. 4. (9) Art. praec.

Obi. I. Apostolus docet, homines per adoptionem fieri filios Dei, et ideo conformes imaginis Christi, eius fratres, et cohaeredes. Ait enim: *Si autem filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi* (1); et: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui: ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (2). Necesse ergo est, ut Christus sit filius adoptivus, quoniam alias non posset dici primogenitus inter filios adoptivos, neque isti possent conformes ipsius imagini, eiusque fratres et cohaeredes appellari.

Resp. Verba Pauli nihil aliud significant, quam nos per gratiam assumptos ad adoptionem filiorum Dei factos esse *cohaeredes Christi*, seu participes illius haereditatis, quae Christo non per adoptionem, sed per naturalem filiationem convenit. Quemadmodum si Pater filium habens naturalem, assumat personam extraneam, eamque adoptet in filium, hic adoptivus filius erit filio naturali cohaeres. Dicitur porro Christus *primogenitus in multis fratribus* non quod sit adoptivus Dei filius per gratiam sicuti nos sumus, sed aliis de causis; nempe quia prior est omnibus hominibus tempore, utpote ab aeterno genitus, quia prior est omnibus creaturis honore ac dignitate, cum sit consubstantialis Patri, et quia sicut antiquitus primogenitus erat haeres bonorum paternorum, ac distributor, ita Christus est haeres universorum, et homines per ipsum capiunt haereditatem salutis. Ideo Paulus ipse Christum ab adoptivis filiis distinguit, quos non aequales Christo, sed conformes, seu similes dicit imagini ipsius.

Obi. II. Paulus de Christo scribit: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis* (3); per praedestinationem autem intelligit adoptionem, quae fit per gratiam iuxta illud: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum* (4); hoc sensu etiam Christus *praedestinatus* dicitur, quod patet ex additis verbis: *in virtute secundum spiritum sanctificationis.* Cum autem haec praedestinatio, quae non est nisi adoptio in filium, non possit de natura divina intelligi, intelligenda erit de natura humana, ut secundum hanc sit filius Dei adoptivus. Ideo *S. Augustinus* l. de praedest. Ss. (5) dicit: « Ipsum Dominum gloriae, in quantum homo factus est Dei Filius, praedestinatum esse didicimus: » et tract. 105 in Io. (6) ait: « Quisquis igitur filium Dei praedestinatum negat, hunc eundem filium hominis negat. »

Resp. Ad hanc obiectionem duplex datur responsio, quoniam duplici modo verba Pauli exponuntur. Plerique graeci Patres non immerito legunt: *qui pronunciatus, seu declaratus est Filius Dei* (7); nam vox: ὁρίζειν non solum significat definire et decernere, verum etiam certo pronunciare et declarare. Syriaca Versio habet: *et agnitus est Filius Dei.* Aetiopica: *quem declaravit esse Filium Dei. S. Chrysostomus* (8) ita hunc locum exponit: « Qui *declaratus est* miraculis, quae edidit, magnum potentiae argumentum praebens. » Eodem modo locum interpretantur *Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius*, et alii, quorum scholia in hunc locum citat *Erasmus.* Haec interpretatio etiam textus apostolici scopo congruit. Vult enim Apostolus hic demonstrare, eum, qui veram ex semine David progenitam carnem assumpsit, declara-

(1) Rom. 8, 17. (2) Ibid. v. 29.
(3) Rom. 1, 4 (4) Ephes. 1, 5.
(5) Cap. 15. (6) N. 8 (7) Rom. 1, 4.
(8) Hom. 1. in Ep. ad Rom

tum fuisse naturalem Filium Dei, tribus potissimum argumentis, nempe *in virtute*, seu per potentiam miraculorum; per *sanctificationis Spiritum*, peccata remittendo, Spiritum sanctum conferendo; et per *resurrectionem mortuorum*, qua se, et alios suscitavit a mortuis. Haec interpretatio Graecorum valde naturalis, et aptissima est, ad omnem difficultatem penitus removendam. — Ast Patres latini cum Vulgata legunt: *qui praedestinatus est Filius Dei*. Nam probabile est olim in textu graeco lectum fuisse non ὁρισθέντος, sed προορισθέντος quae vox idem est ac *praedestinati*: et revera ita legunt *S. Irenaeus* (1), *Origenes* (2), *S. Epiphanius* (3). Porro in S. Scriptura etiam verbum ὁρίζειν saepe sumitur pro praedestinare, ut videre est Luc. XXII, 22, Act. II, 23, et X, 42, et in eodem sensu sumitur etiam a profanis Scriptoribus, ut ostendit *Guil. Budaeus*. — Recte ideo ipse Christus *praedestinatus Filius Dei* dicitur. Ex hac autem propositione nullatenus sequitur, Christum esse filium Dei adoptivum, quod ex ipsa Christi praedestinatione rite intellecta patebit. Christus enim ut homo praedestinatus fuit, sed non ad gratiam adoptionis, verum ad gratiam unionis hypostaticae duarum naturarum, quae fieri debebat in tempore, et per quam Deus factus est homo, et homo Deus. Hoc sensu praedestinatio Christi non potest negari, quin et ipsum Incarnationis mysterium e medio tollatur. Quidquid enim in tempore completur, praesertim si beneficium Dei sit, et ad communem utilitatem praeordinatum, illud absque omni dubio fuit in aeterna Dei praescientia, ac praefinitione dispositum. Si ergo Christus Dominus non fuit praedestinatus Filius Dei, nec in tempore conceptus erit et natus, aut saltem non erit id singulare beneficium, et gratiae donum maximum ac praestantissimum. Et hoc docet *S. Augustinus*, cum Dominum gloriae praedestinatum dicit, et addit: « Quisquis igitur Filium Dei praedestinatum negat, hunc eundem filium hominis negat. » Idem docet *S. Thomas* (4), dicens: « Praedestinatio proprie accepta est quaedam divina praeordinatio ab aeterno de his, quae per gratiam Dei fienda sunt in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiam unionis a Deo, ut homo esset Deus, et Deus esset homo. Nec potest dici, quod Deus ab aeterno non praeordinaverit, hoc se facturum in tempore: quo sequeretur, quod divinae menti aliquid de novo accideret. Et ideo oportet dicere, quod ipsa unio naturarum in persona Christi cadat sub aeterna Dei praedestinatione, et ratione huius Christus dicitur esse praedestinatus. » — Quaeri autem potest, quale sit huius praedestinationis subiectum, cum in Christo unica persona sit, eaque divina, quae praedestinari non potest? — Nonnulli ex Scholasticis reposuerunt, subiectum illud esse naturam humanam, non personam Verbi; quia scilicet humanae naturae facta est haec gratia, ut uniretur Filio Dei in unitate personae. At *S. Thomas* (5) negat, praedestinationis subiectum dici posse naturam humanam: — « Primo quidem ratione communi; non enim dicimus, naturam alicuius praedestinari, sed suppositum, quia praedestinari est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinis finem. Secundo ratione speciali; quia esse Filium Dei non convenit humanae naturae: est enim haec falsa: *humana*

(1) L. 3, c. 18. (2) L. 2, Periarch. c. 4.
(3) In Haer. 16. (4) Q. 24, a. 1.
(5) L. c. ad 2.

natura est Filius Dei.... Relinquitur ergo, quod praedestinatio attribuatur personae Christi, non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in divina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura. Unde cum dixisset Apostolus : *qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, subiunxit: *qui praedestinatus est Filius Dei in virtute*, ut daret intelligere , quod , secundum hoc quod est factus ex semine David secundum carnem , est praedestinatus Filius Dei in virtute; quamvis enim sit naturale illi personae secundum se consideratae quod sit Filius Dei in virtute ; non tamen est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi convenit per gratiam unionis. » Iuxta hanc declarationem praedestinatio Christi non est nisi aeternum Dei decretum de Incarnatione Verbi in tempore perficienda, ob quam idem esset filius hominis, et filius unigenitus Dei. Et exinde patet, ex hac doctrina nullatenus sequi, Christum secundum humanam naturam esse Filium Dei adoptivum; iuxta aeternum enim Dei decretum natura humana hypostatice debuit Verbo uniri ita ut per se non subsistat, rationem personae in se non habeat, ac proinde non possit adoptari (1).

Obi. III. Iuxta omnes Theologos , homines per gratiam habitualem, seu sanctificantem fiunt filii Dei adoptivi, quapropter filiatio Dei adoptiva est effectus formalis gratiae habitualis ; atqui in Christo fuit gratia habitualis, quia dicitur *plenus gratiae* (2) : ergo ipse fuit etiam filius Dei adoptivus.

Resp. Certum omnino est, homines per gratiam sanctificantem constitui filios Dei adoptivos, quia per illam Deo fiunt cari , grati, atque ideo participes divinae naturae. Sed negandum est, quod filiatio Dei adoptiva sit effectus formalis primarius, seu essentialis et inseparabilis gratiae sanctificantis. Etenim gratia est qualitas absoluta , filiatio autem est relatio ; unde filiatio non potest esse effectus formalis, saltem primarius gratiae , sed eius effectus formalis primarius est reddere subiectum Deo gratum et carum; unde gratia sanctificans communiter dicitur charitas Dei diffusa in cordibus nostris , ex qua dein filiatio adoptiva sequitur. Potest autem forma esse sine ullo effectu formali secundario, maxime quando subiectum est illius incapax, ut contingit in praesenti; quia nempe ad adoptionem requiritur, quod persona adoptata sit extranea adoptanti, Verbum autem est *apud Deum*, *in sinu Patris* (3), et Filius eius naturalis ; unde non potest esse Filius adoptivus. Neque ideo Christo aliquid subtrahitur, sed recte dicitur *plenus gratiae*, nam gratia unionis hypostaticae multo maior et nobilior est, quam sola gratia adoptionis. Unde *S. Augustinus* (4) dicit : « Praedestinata est ista humanae naturae tanta, et tam excelsa subvectio , ut quo attolleretur altius non haberet. » Summam etiam charitatem erga Filium suum hominem factum Deus Pater manifestavit, dum de solo Christo, inter Moysen et Eliam filios adoptivos, stante, dixit: *Hic est Filius meus dilectus , in quo mihi complacui* (5).

Obi. IV. In Christo duae sunt generationes : una aeterna ex Patre , altera in tempore ex matre; ergo in ipso sunt etiam duae filiationes : per primam Christus est Filius natura-

(1) Cf. Berti de disc. theol. l. 27, c. 3.
(2) Io. 1, 14. (3) Io. 1.
(4) L. de Praedest. Ss. c. 15.
(5) Matth. 3. 17.

lis Patris aeterni, per secundam est Filius Mariae, imo et Filius naturalis Davidis, qui expresse *eius pater* (1) nominatur, ergo ut homo non est Filius naturalis Dei, sed adoptivus, quia unus homo duos patres naturales habere nequit. Id confirmatur ex eo, quia humanitas Christi non est genita ex substantia Dei, et in similitudinem naturae divinae, sed ex substantia matris, et in similitudinem hominum (2). Ergo Christus ut homo non est Filius naturalis Dei, sed adoptivus.

Resp. Ex eo, quod in Christo duae sunt generationes, non sequitur, etiam duas esse filiationes; nam utriusque generationis idem est terminus, nempe divina persona Verbi, quae procedit a Patre secundum naturam divinam per aeternam generationem, procedit vero a Matre per generationem carnis assumptae: utraque autem generatione unus existit Filius Dei. Ideo etiam Maria non mater personae humanae, sed mater personae divinae, seu unigeniti Filii Dei, seu *Deipara* dicitur, quo nomine in sententia adversariorum decorari non posset. — Christus autem filius Davidis, et hic eius pater ideo tantum dicitur, quia Christus carnem ex B. V. Maria, quae fuit ex stirpe Davidis, sumpsit, quamobrem David inter progenitores Christi numerari potest: at vero David naturalis pater Christi nequaquam dici potest, quia B. Virgo fructum ventris sui absque opera viri concepit et edidit. Ergo Christus etiam qua homo alium patrem naturalem non habuit, quam coelestem, cum una fuerit in Christo persona, eaque divina, quam Deus Pater genuit. Denique ut Christus, qua hic homo, seu qua Verbum incarnatum sit naturalis Dei Filius, necesse non est, ut humanitas Christi ex Dei substantia sit genita, sed satis est, quod tota Christi persona genita sit ex substantia Dei Patris: sicut homo naturalis dicitur patris sui filius, quamvis anima a patre non sit genita. Ipsi etiam Catholici admittunt et docent, non vi generationis aeternae, sed vi unionis hypostaticae factum esse, ut natura humana coniungeretur Verbo in unitate personae quae est, et semper manet naturalis Filius Dei.

Obi. V. Plures Ss. Patres, Iesum Christum Filium Dei *adoptivum* appellare non dubitarunt. *S. Irenaeus* (3) ait: « Qui Filius Dei est, filius hominis factus est, ut, adoptionem percipiens, fiat filius Dei. » *S. Hilarius* (4) de Christo dicit: « Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur. » *S. Cyrillus Alex.* (5) ita de Christo loquitur: « In Filium adscriptus est Dei, adoptatus nobiscum. » *S. Isidorus* (6) de Christo inquit: « Unigenitus autem vocatur secundum divinitatis excellentiam, quia sine fratribus; primogenitus secundum susceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiae fratres habere dignatus est, de quibus esset primogenitus. » Similia habent *Marius Victorinus*, *S. Augustinus*, *S. Ildephonsus* (7) etc.

Resp. Huic difficultati opponimus citata iam n. 2, Ss. Patrum etiam *S. Irenaei*, *S. Hilarii*, *S. Augustini*, et aliorum testimonia, in quibus Christum ut Filium Dei naturalem profitentur, et adoptionem excludunt. Quodsi nonnulli Patres *adoptionem* Christo attribuunt, hanc vocem in sensu latiori, seu improprio sumunt pro *susceptione*, seu *assumptione* naturae humanae in consortium divinae sub unitate personae. Latinis

(1) Luc. 1, 32. (2) Phil. 2. (3) L. 3, c. 21.
(4) L. 2 de Trin. n. 27. (5) Dial. 3.
(6) L. 7 Etymol. c. 2. (7) In Liturgia.

quippe scriptoribus idem saepe est adoptare ac *eligere*, *adsciscere*, *suscipere*, atque *assumere*, quidquid tamen illud sit, quod adsciscitur sive filius, sive quidvis aliud. Unde *Cicero* in Verrem : « Quem sibi illa in defensorem sui iuris..... adoptavit, » hoc est elegit, assumpsit, destinavit; et *Ovidius* canit : « Fac ramus ramum adoptet, » i. e. cum ramo iungatur. Si vero Patres, de adoptione proprie dicta loquentes, humanae Christi naturae eam vocem accommodarunt, ut *S. Augustinus* et *Facundus* Hermianensis, qui *gratia* hominem in Christo Filium Dei factum asseruerunt, de causa, seu ratione remota naturalis filiationis Christi hoc dixisse intelligendi sunt, quia gratia provecta est ad hoc humana natura, ut in personae cum Verbo consortium adhiberetur (1). Alterutra igitur admissa expositione huius vocis, apte omnium patrum dicta, quae difficultatem primo intuitu facessere videntur, explicantur. — Sed et ad singula loca obiecta singularis responsio dari potest. Et quantum ad *S. Irenaeum* evidens est ex iis, quae praecedunt, et quae subinde pertexit, quod ait : « ut adoptionem percipiens fiat filius Dei, » non ad Christum referendum esse, sed ad homines, quos redemit, et quibus potestatem dedit, filios Dei fieri: nec obscure Irenaei sensum demonstrat praesentis temporis verbum : *fiat ;* nam, si de Christo accipiendum esset, adhibuisset praeteritum : ideo idem locus Irenaei in textu graeco apud *Theodoretum* (2) ita legitur: « Ob eam causam Filius Dei filius hominis factus est, ut homo adoptionem consecutus Filius Dei efficeretur. » — Quod *S. Hilarium* attinet, graves auctores, ut *Vasquez*, *Germonius*, *Sardagna* (3) defendunt, textum Hilarii corruptum fuisse, et pro *adoptatur* legendum esse *adoratur :* et certe negari non potest, hanc posteriorem vocem in multis codicibus saeculo octavo lectam fuisse, quoniam alias, ut observat Cl. *Berti*, non potuisset *Felix* Urgellitanus, qui priorem vocem citaverat, tam audacter et publice de textus corruptione accusari. Ast tametsi, ut cum aliis criticis vult *Petavius*, legendum sit *adoptatur*, nil contra doctrinam catholicam inferri potest. *S. Hilarius* enim utitur verbo *adoptare* pro *assumere*, ita ut sensus sit : « Potestatis dignitas non amittitur, dum humilitas carnis *assumitur :* » ita ad textum obiectum iam respondit *S. Thomas* (4), dicens : « Sicut filiatio non proprie convenit naturae, ita nec adoptio. Et ideo cum dicitur, quod carnis humilitas adoptatur, impropria est locutio, et accipitur ibi adoptatio pro unione humanae naturae ad personam Filii. » — Cum *S. Cyrillus Alex.* Christum dicit « adoptatum nobiscum, » non intelligit adoptionem veram humanae naturae, quam contra Nestorium constanter negavit, sed *assumptionem* humanitatis in unitatem personae ; dicit enim : « Cum forma nostra assumpta velut unus ex nobis *in Filium adscriptus est Dei*, adoptatus nobiscum, et propter nos; *ille verus*, *et germanus*, ut et nos propter ipsum filii, supernaturalis gloriae simus participes. » Ubi statim magnum discrimen ostendit inter nostram et ipsius filiationem; sed et gratiae simul adscribere videtur hypostaticam naturae humanae unionem cum Verbo, ex qua pro nobis adoptionis gratia profluxit. — Etiam verba *S. Isidori* ita intelligenda sunt, ut non

(1) Cf. Petav. l. 7 de incarn. c. 4, n. 5 et 6.
(2) Dial. 1.
(3) T. 1, a. 3, contr. 8, n. 256 etc.
(4) 3, q. 23, a. 4 ad 1

alius eorum sensus sit, quam Filium Dei per susceptionem humanitatis nobis promeruisse gratiam adoptionis, qua sumus Filii Dei, haeredes et cohaeredes Christi, quam explicationem ipse indicat, dum dicit: « in qua susceptione scilicet hominis, per adoptionem gratiae, » quam nobis promeruit, « fratres habere dignatus est. » Caeterum in eodem loco *S. Isidorus* unam in Christo personam fatetur, inquiens: « Sic autem Dei Filio iuncta est humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona utique Filii Dei naturalis. » Liturgicae Ecclesiae Toletanae preces, in quibus « adoptivi hominis passio » et « adoptio carnis » commemoratur, a Patribus Francofurtiensibus improbatae fuerunt, eo quod a Liturgiis aliarum Ecclesiarum, et praecipue Ecclesiae romanae discordarent; sed tamen Theologi observant, illas preces catholice explicari posse de *assumptione* humanae carnis a Verbo facta.

Nota 2. Quamvis Christus, ut Filius Dei naturalis, non possit esse Filius Dei adoptivus, ipse tamen nobis gratiam promeruit, ut filii Dei adoptivi esse possimus. Cum enim per incarnationem in terram venisset, *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius* (1). Hanc gratiam admirans, Apostolus Christianis acclamat: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus* (2). Et sane haec gratia nunquam satis aestimari et laudari potest: Filius enim Dei adoptivus est Deo gratus et carus, consors divinae naturae, genuina imago Patris, membrum vivum Christi, templum sacrum Spiritus sancti, aeternae et beatissimae beatitudinis haeres. Nam, ait Paulus: *Si autem Filii, et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi* (3). Ast probe attendenda sunt etiam verba, quae idem Apostolus addit: *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur*. Ergo carnem cum concupiscentiis crucifigentes, et in via mandatorum divinorum ambulantes, Christi vestigia sequi debemus, ut thesaurum, quem portamus in vasis fictilibus, conservemus, et ad sempiternam cum Christo gloriam perveniamus. Stultissimus, nequissimus et miserrimus est dicendus, qui ob bonum terrenum, aut caducam voluptatem gratiam adoptionis perdit, quae sola ipsi summam dignitatem, aeternas divitias et ineffabilia gaudia comparare valet.

(1) Io 1, 12. (2) 1 Io. 3, 1. (3) Rom. 8, 17.

IV. *Quaestiones huc spectantes.*

§ 297. Variae quaestiones, quae cum praecedentibus dogmatibus intime coniunguntur, a Theologis in tractatu de una Christi persona, aut quandoque etiam alibi moveri et solvi solent. Quaestiones istae adiaphorae et inutiles non sunt, sed illas discutere oportet, tum ut completa doctrinae de incarnatione intelligentia obtineatur, tum ut falsis ab haereticis, et praecipue ab Adoptianis, inde deductis consectariis, via praecludatur, tum ut nonnulla Ss. Patrum dicta et Conciliorum decreta legitime intelligantur.

QUAEST. I. *An Christus dici possit servus Dei.*

§ 298. In hac quaestione solvenda tum Patres, tum Theologi penitus discordare videntur, cum alii Christum Dei servum dici posse negent, alii autem affirment. Ast dissentientes hae sententiae facile conciliari possunt, si cum *Petavio* (4), *Tournely* (5)

(4) L. 7, c. 9. (5) Q. 12, § 2.

et aliis Theologis diversa huius vocabuli *servi* significatio spectetur, et probe attendatur, duplici modo quemdam alterius servum esse posse, nimirum *stricte seu proprie*, et *late seu improprie*. Servus in sensu stricto et proprio est ille, qui non est sui iuris, sed domini, ad cuius haereditatem et bona nullum habet ius, cum sit persona extranea. Servus in sensu lato, seu improprio dicitur ille, qui dependentem habet naturam, qui alterius voluntati obtemperat, eique subditus est: sic etiam filii dicuntur patri servire, dum ipsi obediunt, et iniuncta opera exequuntur. Posita hac distinctione, duae sententiae statui possunt, quae ambae catholicae sunt, nempe: Christus in sensu stricto et proprio non potest dici servus Dei: sed in sensu lato et improprio recte dicitur servus Dei. Atque ideo nulla est inter Patres contradictio, cum alii in priori sensu negarunt, alii in posteriori sensu affirmarunt, Christum servum Dei appellari posse. Id clarius patebit, si utriusque sententiae momenta expendantur.

1. Cum Iesus Christus etiam cum natura humana, quam hypostatice secum coniunxit, sit Filius Dei naturalis, et vi originis suae habeat ius ad bona et haereditatem Patris, satis manifestum est, ipsum in sensu stricto et proprio servum Dei nec esse, nec appellari posse. Ideo Paulus Angelos quidem *ministros* (1) nominat; de Christo autem, qui genitus est a Patre, inquit: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit* (2). Et ibid. scribit: *Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus... Christus vero tanquam filius in domo sua* (3); ex qua comparatione satis patet, Christum non ad instar Moysis famulum, vel servum dici posse. Cum Apostolo consentiunt etiam Ss. Patres. *S. Dyonisius Alex.* (4) aperte negat, « Christum, qui natura dominus erat, fuisse natura servum. » *S. Augustinus* in Homil. 39, quam laudant Patres Francofurtienses in epist. synod., diserte scribit: « Dominus noster etiam in forma servi non servus, sed in forma etiam servi dominus fuit: » quod idem insinuat Tract. 3 in Ioan. — *Theodoretus* (5) Eranisten redarguit, « quod corpus Christi nominaverit stolam, et creaturam, et instrumentum, nec non vocaverit servum, quod nullus nostrum antea ausus erat dicere. » *S. Io. Damascenus* (6) inquit de Christo: « Sciendum est, eum ne servum quidem dicere nobis licere, » cuius sententiae rationem dans, ait: « Siquidem servitutis et dominationis vocabula non naturae sunt indicia, sed ex eorum genere, quae sunt ad aliud, quemadmodum paternitatis et filiationis nomina, » id est, non in naturam cadunt, sed in solam personam; persona autem Christi, cum sit divina, nequaquam serva dici potest. His merito adiungi possunt ii omnes, qui contra Felicem et Elipandum scripserunt, ut *Etherius*, *Alcuinus* etc. Concilium *Francofurtiense* in epist. synod. dicit: « Si Deus verus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse, vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum, vel adoptivum. » *S. Hadrianus I* (7) ait: « Adoptivum eum filium quasi purum hominem, et, quod pudet dicere, servum eum impii, et ingrati tantis beneficiis liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa

(1) Hebr. 1, 7. (2) Ib. v. 4. (3) Heb. 3, 5.
(4) In Epist. ad Paulum Samos. Resp ad quaest. 7. (5) Dialog. 2.
(6) L. 3 de fide c. 21.
(7) In sua Epist. ad Episcopos Hispaniae

fauce susurrare. Cur non veremini, queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos a servitute diaboli liberavit? » — Recte igitur etiam gravissimi Theologi, ut *Vasquez*, *L'Herminier*, *Thomassinus*, et alii propugnant, Christum etiam ut hominem in sensu stricto et proprio Dei servum appellari non posse. Ipse *Petavius* l. c. (1), postquam multa de praefata distinctione disseruit, ita concludit: « Si proprie loqui volumus, neque Christus, neque homo subsistens in Deo, servus nominari debet; quoniam *servi* vocabulum ex usu et proprietate nominis ad personam refertur, et ad actum velut secundum (id est ad praesentem et actualem suppositi statum); quem in Christo removet, excluditque persona Verbi in creatae ac revera servae vicem, locumque succedens. » — « Etsi enim, ait Cl. *Perrone*, humana Christi natura, utpote creata res, secundum se naturali obnoxia esset servituti, attamen, cum ipsa ne uno quidem momento sibi relicta fuerit, sed in verbo semper substiterit, omnem propterea servitutis rationem ita amisit, ut domini potius quam servi natura sit appellanda, prout Dominus, Deus, ac Dei Filius Christus ut homo in novo foedere constanter appellatur, et in fidei nostrae symbolis (2).

2. Quamvis Christus in sensu stricto et proprio non possit *servus Dei* appellari; in sensu tamen lato et improprio haec denominatio ipsi convenit, quatenus non quidem necessaria conditione, sed libere naturam humanam et formam servi assumpsit, et revera factus est sub lege, Deoque subiectus, cui obedientiam et obsequium exhibuit. In hoc sensu Christus etiam in S. Scriptura servus appellatur. Isaia XLII, 1 Deus de Messia dicit: *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Item XLIX, 5, etc.: *Nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi..... Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob* etc. Ezech.: *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum* (3); Zachar.: *Adducam servum meum orientem* (4). Locus Isaiae XLII, 1, Christo applicatur Matth. XII, 18. — Neque nomen servi duntaxat tribuitur Christo, sed nominis etiam res et substantia, scribente Apostolo: *Misit Deus Filium suum..... factum sub lege* (5): *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens... factus obediens usque ad mortem* (6): *Ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia* (7). « Quid est autem, ait Cl. *Berti* (8), quaeso, fieri sub lege, accipere formam servi, et subiectum esse, nisi esse servum? » — In eodem sensu Ss. Patres Christum servum nuncuparunt. S. *Athanasius* (9) ait: « Quatenus in confesso est illum hominem esse factum, nihil interest si dicatur, ut et dictus est, sive esse factus, sive creatus... sive servus etc. » S. *Gregorius Naz.* Or. 36 demonstrat Christum appellari posse creaturam, tum subdit: « Cuius porro velut consectarium est, ut et servus audiat tanquam multis bene serviens, et ut magnum illi sit appellari puerum Dei. Nam revera servivit carni et generationi, et passionibus nostris libertatis nostrae gratia. » S. *Gregorius Nyss.* (10) inquit: « Igitur et qui in utero Virginis formatus est, ut Propheta dixit, servus est, non Dominus: hoc

(1) Cap. 9. (2) L. c. n. 420.
(3) 34, 23. (4) 3, 8. (5) Gal. 4, 4.
(6) Phil. 2, 7. (7) 1 Cor. 15, 26.
(8) L. 27, c. 5, Prop. 1.
(9) Or. 3 c. Arian.
(10) In Opusc. fidei ad Simplicium.

est, is, qui secundum carnem homo est, in quo Deus manifestatus est. » *S. Cyrillus Alex.* (1) cum dixisset, eum, qui « secundum propriam naturam liber est tanquam ex Deo, et Deus, » formam servi assumpsisse, subiungit: « Quocirca si quis ipsum servum esse nominatum prophetarum voce dixerit, offendi neminem oportet. » *Theodoretus* ipse (2) scribit: « Tanquam homo ipse servus est, idque secundum naturam, non secundum dignitatem; et infra: Servus igitur vocatus est ut homo, et hoc, sicut dixi, non secundum dignitatem. » *S. Ambrosius* (3) dicit: « Secundum generationem divinam Deo Patri aequalis est Filius: et secundum susceptionem corporis Deo Patri servus est, quia formam servi accepit. » *S. Hieronymus* (4) ita loquitur: « Nec mirum, si servus vocetur, factus ex muliere, factusque sub lege: qui, cum in forma Dei esset, humiliavit se formam servi accipiens etc.» *S. Augustinus* (5) haec habet: « Ezechiel quoque more prophetico per David Christum significans, quia carnem de David semine assumpsit, propter quam formam servi, qua factus est homo, etiam servus Dei dicitur idem Dei Filius. » *S. Chrysostomus* (6) ita de Christo disserit: « Si forma Dei perfectus Deus est, est et forma servi perfectus servus. » Ss. Patrum vestigia secutus S. *Thomas* (7) ita argumentatur: « Cuilibet habenti aliquam naturam conveniunt ea, quae sunt propria illi naturae. Natura autem humana ex sui conditione habet triplicem subiectionem ad Deum. Unam quidem, secundum gradum bonitatis, prout scilicet divina natura est ipsa essentia bonitatis, — natura autem creata habet quamdam participationem divinae bonitatis, quasi radiis illius bonitatis subiecta. Secundo, humana natura subiicitur Deo quantum ad Dei potestatem, prout scilicet humana natura, sicut et quaelibet creatura subiacet operationi divinae dispositionis. Tertio modo specialiter humana natura Deo subiicitur quantum ad proprium suum actum, in quantum scilicet propria voluntate obedit mandatis eius. Et hanc triplicem subiectionem ad Patrem Christus de se ipso confitetur. Primam quidem Matth. XIX, 17: *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus*... per quod dedit intelligere, quod ipse secundum humanam naturam non pertingebat ad gradum bonitatis divinae... Secunda etiam subiectio Christo attribuitur, in quantum omnia, quae circa humanitatem Christi acta sunt, divina dispositione gesta creduntur... et secundum hoc etiam Filius Dei (8) dicitur formam servi accepisse. Tertiam subiectionem attribuit sibi ipsi, dicens: *Quae placita sunt ei facio semper* (9). Et haec est subiectio obedientiae Patri usque ad mortem; unde dicitur, quod *factus* est *obediens* (10) Patri *usque ad mortem.* » Cum hac Angelici doctrina non solum Thomistae, sed et plerique Scotistae, Augustiniani aliique celebres Theologi consentiunt. — Ratio theologica manifeste rem comprobat. Nam ob communicationem idiomatum, ut inferius ostendetur, de Christo praedicari possunt, quae sunt humanae naturae propria: sed humanae naturae proprium est, esse dependentem, Dei ordinationibus subiacere, Deo obedire, eiusque mandata exequi: ergo haec de Christo praedicare licet, et in hoc sensu Deo serviens, seu servus Dei

(1) In Apologet. ad 6 Anath.
(2) In Ezech. c. 34. (3) L. 5 de fide c. 3.
(4) In Isaiam. (5) L. 18 de Civ. Dei c. 34
(6) Hom. 7 in Ep. ad Phil.
(7) 3, q. 20, a. 1. (8) Phil. 2.
(9) Io. 8, 29. (10) Phil. 2, 8.

dici potest. Observant etiam Theologi, nomina haec *dominus*, *servus* naturam, non personam respicere: alioquin si nomen Domini connotaret personam, cum tres sint in divinis personae, tres quoque essent in divinis Domini. Sicut ergo nomen *Domini* naturam divinam respicit, ita nomen *servi*, si Christo applicatur, naturam humanam respicit (1).

Nota 1. *Felix* et *Elipandus* S. Scripturae et Ss. Patrum dictis, in quibus servi nomen Christo attribuitur, abusi sunt ut ostenderent, Christum sicut servum, ita etiam filium adoptivum appellari posse. Sed male argumentati sunt. Nam naturae humanae equidem proprium est, dependentem esse, divinis ordinationibus subiacere et Dei mandatis obtemperare; quapropter haec de Christo praedicare, et in hoc sensu ipsum servum Dei appellare licet: ast naturae humanae, propria subsistentia destitutae, nullo modo propria est *adoptio*, quae non ad naturam, sed semper ad personam refertur. Et quoniam unica est in Christo persona, eaque divina, adoptio locum habere non potuit, ipseque ex nulla parte dici potest Filius Dei adoptivus. Gravissime ergo aberrarunt *Felix* et *Elipandus*, praesertim quia Christum in sensu stricto et proprio servum esse defenderunt, ut hinc eum Filium Dei naturalem esse negarent. Idcirco Patres *Francofurtienses* cum *Hadriano I*, illis fortiter restiterunt, et Christum in eorundem sensu *servum* esse, aut appellari posse penitus negarunt. — Etiam Theologi, qui Christum in sensu lato et improprio servum dici posse docent, simul monent, non decere Christum eo nomine appellare, quo haeretici ad proprium firmandum errorem abutuntur, quodque ansam eis praebere potest errandi, nisi accuratissima expositio apponatur. Ipse *S. Thomas* (2) hanc cautelam observandam praescribit, dicens: « Sicut non est simpliciter intelligendum, quod Christus sit creatura, sed solum secundum humanam naturam, sive apponatur ei determinatio, sive non, ut supra (3) dictum est: ita etiam non est simpliciter intelligendum, quod Christus sit subiectus Patri, sed solum secundum humanam naturam, etiamsi haec determinatio non apponatur; quam tamen convenientius est apponere ad evitandum errorem Arii, qui posuit Filium minorem Patre. »

Nota 2. Quamvis nomen servi Christo caute et raro attribuendum sit, cum plura alia nomina eiusdem dignitati magis convenientia habeamus; ipsa tamen res, quae per illud nomen praecipue indigitatur, frequenter proponenda, atque solerter ostendendum est, Christum perfectissime Patri subiectum fuisse, eius mandata in omnibus exequendo, et usque ad mortem crucis obediendo. Christus enim nostrum exemplar est, quod fideliter sequi tenemur. Quod si Filius Patri consubstantialis, *qui non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo* (4), et qui *habet in femore suo scriptum Rex Regum, et Dominus Dominantium* (5); formam servi accipiens, factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: quanta impudentia et qualis nequitia est, si homo, si cinis et pulvis arroganti animo dicit: *non serviam?* — Procul sit a nobis tam execranda inordinatio, sed ad exempla Christi continuo respicientes Deo nos perfecte subiiciamus, ut unusquisque sincero corde dicere possit: *Quae placita sunt ei facio semper.*

(1) Cf. Mich. Marcell. Tom. 4, lib. 24, cap. Concl. 2, Prob. 3. (2) L. c. ad 1.

(3) C. 16. a. 8. (4) Philip. 2. 6. (5) Apoc. 19. 16.

QUAEST. II. *Quare Christus non dicatur Filius Spiritus sancti, cum tamen sit conceptus de Spiritu sancto?*

299. 1. Conceptio Christi attribuitur Spiritui sancto; nam Angelus, illius incarnationem Mariae annuncians, dixit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (1). Iosepho pariter de Maria dictum est: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est* (2). Ideo in symbolo Christus dicitur: *Conceptus de Spiritu sancto.* Quaeri ergo potest, quare Christus non dicatur filius Spiritus sancti? — Hanc quaestionem proponit *S. Augustinus* in Enchir. (3), ita disserens: « Numquid dicturi sumus, patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus sanctus hominem, ex qua utraque substantia Christus unus esset, et Dei Patris Filius secundum Verbum, et Spiritus sancti filius secundum hominem, eoquod eum Spiritus sanctus tanquam pater eius, de matre virgine genuisset? — Quis hoc dicere audebit, cum hoc ita sit absurdum, ut nullae fidelium aures id valeant sustinere? — Proinde cum confiteamur Christum natum de Spiritu sancto ex Maria Virgine, quomodo non sit filius Spiritus sancti et sit filius Virginis, cum et de illo, et de illa sit natus, explicare difficile est. Procul dubio non sic de illo, ut de patre, sic autem de illa, ut de matre natus est. Non est autem concedendum, quidquid de aliqua re nascitur, continuo eiusdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam, aliter de homine nasci filium, aliter capillum, aliter pediculum, aliter lumbricum, quorum nihil vivus (ut ergo haec omittam, quoniam tantae rei deformiter comparantur); certe, qui nascuntur ex aqua, et Spiritu sancto non aquae filios eos recte dixerit quispiam, sed dicuntur filii Dei Patris et matris Ecclesiae. Sic ergo de Spiritu sancto natus est Christus, nec tamen filius est Spiritus sancti. » — *S. Thomas* (4) rationem clarius explicat, ob quam Christus Filius Spiritus sancti dicendus non sit. Ad veram enim et perfectam generationem requiritur, ut genitus procedat ex substantia generantis, et in similitudinem generantis. Sed Christus carnem assumpsit non ex substantia Spiritus sancti, sed ex substantia matris, et natus est, non in similitudinem Spiritus sancti, sed in similitudinem hominum. Quamvis ergo Christus virtute Spiritus sancti conceptus fuerit, deficientibus tamen necessariis ad perfectam generationem requisitis, neque Christum Filium Spiritus sancti, neque hunc Patrem Christi appellare licet. Haec est doctrina *S. Thomae*, qui (5) dicit: « Christus conceptus est de Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei; et ideo dicitur Filius eius. Christus autem, secundum quod homo, conceptus est de Spiritu sancto sicut de activo principio; non tamen secundum similitudinem speciei, sicut homo nascitur de patre suo; et ideo Christus non dicitur Filius Spiritus sancti. »

2. Praeclare etiam *S. Thomas* ostendit, quare conceptio Christi, quae ut opus ad extra toti SS. Trinitati est adscribenda, in specie Spiritui sancto attribuatur. Ait enim (6): « Conceptionem corporis Christi tota Trinitas est operata. Attribuitur tamen hoc Spiritui sancto triplici ratione. *Primo* quidem, quia hoc congruit causae incarnationis, quae consideratur ex parte Dei. Spiritus enim sanctus

(1) Luc. 1, 35.
(2) Matth. 1, 20.
(3) Cap. 38 (al. 39).
(4) 3, q. 32, a. 3.
(5) L. c. ad 1.
(6) L. c. a. 1.

est amor Patris et Filii (1). Hoc autem ex maximo Dei amore provenit, ut Filius Dei carnem sibi assumeret in utero virginali. Unde dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (2). *Secundo*, quia hoc congruit causae incarnationis ex parte naturae assumptae. Per hoc enim datur intelligi, quod humana natura assumpta est a Filio Dei in unitatem personae, non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia, quae Spiritui sancto attribuitur secundum illud: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus* (3). Unde *Augustinus* dicit (4): « Iste modus, quo est natus Christus de Spiritu sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso primo exordio naturae suae, quo esse coepit, Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui Filius Dei. » *Tertio*, quia hoc congruit termino incarnationis. Ad hoc enim terminata est incarnatio, ut homo ille, qui concipiebatur, esset sanctus et Filius Dei. Utrumque autem horum attribuitur Spiritui sancto. Nam per ipsum efficiuntur homines filii Dei secundum illud: *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, pater* (5). Ipse est etiam *Spiritus sanctificationis*, ut dicitur Rom. I. Sicut ergo alii per Spiritum sanctum sanctificantur spiritualiter ut sint filii adoptivi; ita Christus per Spiritum sanctum est in sanctitate conceptus, ut esset Filius Dei naturalis. Unde..... Angelus annuntians, ex hoc quod praemiserat: *Spiritus sanctus superveniet in te;* concludit: *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* »

(1) 1, q. 37. a, 2. (2) Io. 3, 16.
(3) 1 Cor. 12, 4. (4) In Enchir. c. 40.

Nota. Eadem ratio, quae prohibet, quominus Christum Filium Spiritus sancti dicamus, etiam probat, Christum ut hominem filium totius Trinitatis nec esse, nec appellari posse. Gravissime ergo aberravit *P. Berruyer*, qui propugnavit, Christum esse Filium naturalem Dei in tribus personis subsistentis; ait enim (6): « Iesus Christus Dominus noster vere dici potest et debet naturalis Dei Filius; Dei, inquam, ut vox illa Deus supponit pro Deo uno et vero, subsistente in tribus personis, agente ad extra, et per actionem transeuntem et liberam uniente humanitatem Christi cum persona divina in unitatem personae. » Et ibid. (7) Christus nuncupatur « Filius factus in tempore Deo in tribus personis subsistenti; » et alibi dicit: « Non repugnat Deo in tribus personis subsistenti, fieri in tempore, et esse Patrem filii naturalis et veri. » Quam absurdae et orthodoxae fidei contrariae sint tales propositiones, satis manifestum est. Christus enim ut Deus est secunda Trinitatis persona, quae solum a prima procedit per generationem (§ 100), et ideo in Symbolo Athan. dicitur: *Filius a Patre solo est, non factus* (in tempore), *nec creatus, sed genitus.* Christus autem ut homo neque ex substantia Trinitatis natus est, neque eius natura humana in similitudinem naturae divinae processit, atque ideo filius naturalis et verus Trinitatis seu Dei in tribus personis subsistentis dici non potest. *P. Berruyer* videtur ergo sub filio Dei naturali et vero solum Filium Dei *adoptivum* intelligere, quod ex eo magis manifestum redditur, quia cum suo magistro *P. Io. Harduino* Verbum aeternum distinguit a Filio Dei, qui carnem assumpsit. Hinc graves Theologi dicunt, perdoctos illos viros

(5) Gal. 4, 6. (6) Tom. 8, p. 59. (7) P. 89.

in Nestorianismum, aut in Adoptianismum prolapsos esse: unde quae contra hunc duplicem errorem iam dicta sunt, valent etiam ad heterodoxa eorum systemata confutanda. Extiterunt equidem, qui Harduinum et Berruyerium a nota Nestorianismi et Adoptianismi, uti etiam ab aliis erroribus, de quibus merito accusantur, vindicare studuerint, sed irrito conatu. Certum est enim, in ipsorum operibus, quae a summis Pontificibus prohibita fuerunt, errores inveniri: ideo *Io. Harduini* Commentaria in N. T. reprobavit *Benedictus XIV*, anno 1742: et *Is. Berruyer* Historiam populi Dei prohibuit idem Benedictus XIV, anno 1758, et eandem prohibitionem confirmavit *Clemens XIII* (1).

QUAEST. III. *An persona Christi post incarnationem sit composita?*

§ 300. Ad hanc quaestionem solvendam duplex compositio est distinguenda: *una*, in qua partes proprie dictae mutuo se afficiunt, et in unius naturae non minus, quam suppositi effectionem concurrunt, cuiusmodi est compositio animae et corporis; quae sunt partes mutuo se perficientes, et personam hominis constituentes: talis compositio a Scholasticis vocatur *compositio ex his*, vel *per modum partium*, ab aliis (2) *absoluta*, a *Petavio* (3) *interior* sive *intrinseca*. — *Alia* est compositio, in qua non se mutuo perficiunt illa, quae iunguntur, nec aliquid a se invicem accipiunt, sed alterum tantummodo, quod assumptum est a praestantiore, fovetur ab eo, ac perficitur; ut cum ad substantiam aliquam iam completam et absolutam, perseque subsistentem alterius naturae quasi formae fit accessio: cuius rei vix communibus et ordinariis ex rebus apta transferri similitudo potest, quia nulla tam exigua res est et contempta, quae non accessione sui quamlibet potiorem alteram quoquo modo perficiat: sed lucet aliqua tamen illius expressio in ea compositione, quae ex substantia fit et accidente: haec compositio a Scholasticis nuncupatur *compositio cum his*, vel *per modum numeri*, ab aliis *simplex*, a *Petavio exterior*, « quia non interiorem substantiam afficit, sed extrinsecus superfusa velut illam colorat, et leviter imbuit. » — Posita hac distinctione, communis est Theologorum responsio, compositionem *priorem* nullatenus in Christi persona adesse; compositionem autem *posteriorem* de persona Christi recte praedicari.

1. Personae Christi nullatenus attribui potest compositio, quae fit per modum partium: hac enim admissa, divinitas, seu Verbum esset solummodo pars personae, quae per accessionem alterius partis nempe humanae naturae, compleretur et perficeretur; manifestum est autem, quod esse partem in declarato sensu imperfectionem, seu defectum, qui per aliud suppleri, seu tolli debet, importet: talis autem imperfectio, in personam infinitam et immutabilem cadere nequit: ergo persona Christi non potest absolute, seu intrinsece composita dici. — Praeterea, iuxta doctrinam catholicam, unica est persona Christi, eaque divina, nempe secunda Trinitatis persona, seu persona Verbi. Sed si ex Incarnatione persona absolute composita prodiisset, cuius unam duntaxat partem divinitas constitueret, et quae per alterius partis accessionem compleretur et perfice-

(1) Cf. S. Alph. Liguori, Istoria dell'eresie tomo ultimo Confutazione 15, Viator a cocceo Tentam. theol. tom. 1 Dissert. 1.

(2) V. Antoine, de incarn. c. 3, a. 4.
(3) De incarn. l. 3, c. 15, n. 10.

retur; tunc persona Verbi non posset dici persona Christi, sicuti sola anima non potest dici homo, uti scite observat Cl. *Antoine* (1).—Ideo iam Ss. Patres docuerunt, personam Christi, quae divina, et ideo infinita ac immutabilis est, per modum partium, seu absolute compositam dici non posse. *S. Athanasius* (2) dicit: « Cernis in una persona non partium compositionem, sed perfectarum naturarum coniunctionem qua non duae una fiunt essentia; sed una dignitas et gloria declaratur. » — *S. Augustinus* (3) scribit: « Christus una persona est geminae substantiae, quia Deus et homo est. Nec tamen Deus pars huius personae dici potest: alioquin Filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, non erat totus, et crevit, cum homo divinitati eius accessit. » Praesertim vero *S. Thomas* praeclare hanc doctrinam exposuit in Compend. Theol. (4), ita disserens: « Quia persona, hypostasis, et suppositum designant aliquid integrum; si divina natura in Christo est ut pars, et non ut aliquid integrum, sicut anima in compositione hominis; una persona Christi non se teneret tantum ex parte naturae divinae (subsistentis in Verbo), sed esset quoddam constitutum ex tribus, sicut et in homine persona, hypostasis, et suppositum est, quod ex anima et corpore constituitur. — Sed quia divina natura (in Verbo subsistens) est aliquid integrum, quod sibi assumpsit per quamdam ineffabilem unionem humanam naturam; persona se tenet ex parte divinae naturae (in Verbo subsistentis) et similiter hypostasis, et suppositum: anima vero et corpus trahuntur ad personalitatem personae divinae, ut sit persona Filii Dei etiam persona filii hominis, et hypostasis, et suppositum. Potest autem huiusmodi exemplum aliquale in creaturis inveniri; subiectum enim et accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur, sed est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis, et suppositum: accidens autem trahitur ad personalitatem subiecti, ut sit persona eadem et hominis, et albi, et similiter eadem hypostasis, et idem suppositum. Sic igitur secundum similitudinem quamdam persona, et hypostasis, et suppositum Filii Dei est persona, hypostasis, et suppositum humanae naturae in Christo. Patet igitur ex praemissis, quod in Christo non est alia persona nisi aeterna, quae est persona Filii Dei, nec alia hypostasis, aut suppositum: unde cum dicitur hic homo, demonstrato Christo, importatur suppositum aeternum. »

2. Christus non immerito compositus dici potest ea compositionis specie, quae fit *per modum numeri*, et appellari solet compositio *cum his*, seu *simplex*, aut *exterior*. Nam *Verbum caro factum est*, seu Filius Dei naturam humanam assumpsit, atque ideo persona divina, quae semper integra, infinite perfecta et immutabilis manet, coniunctam sibi habet naturam humanam, et ob hanc hypostaticam unionem *composita* dici potest. In hoc sensu iam *Ss. Patres* Christi personam compositam nuncuparunt. Huc refertur dictum *S. Augustini* (5): « Sic Deo coniungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona, ac per hoc iam ex tribus, scilicet Deo, anima et carne. » *Dionysius* (6) appellat « Iesum ex divina natura iuncta humanitati composi-

(1) L. c. § 3.
(2) Apud Euthymium in Panoplia P. 2, tit. 15.
(3) L. 2, c. Maximin. Arian c. 14.
(4) Cap. 211 (seu Opusc. 2)
(5) L. 13, de Trinit. c. 17.
(6) L. de div. nomin. c. 1.

tum. » Eodem compositionis vocabulo utuntur *S. Cyrillus* (1), *S. Maximus* (2), *S. Sophronius* (3), et *S. Io. Damascenus*, qui (4) ait: « In Domino duas quidem naturas, at unam duntaxat personam ex utrisque compositam agnoscimus; » et (5): « Persona Verbi, quae erat prius simplex, facta est composita ex duabus naturis: » Etiam *Concilia*, de Christo loquentia, compositionis nomen adhibuerunt. *Generale V*, collat. 8, anathematismo 4 inquit: *Qui non confitetur unitatem Verbi Dei ad carnem animatam anima rationabili et intellectuali secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse; sicut et Ss. Patres docuerunt, et ideo unam eius subsistentiam compositam qui est Dominus noster Iesus Christus, unus de sancta Trinitate, anathema sit. Generale VI*, act. 11, profitetur de Christo: *Unam eius subsistentiam compositam dicimus.* Hoc idem etiam ratione theologica ostendi potest. Nam illa persona est composita, secundum rationem subsistendi scilicet, quae est persona duarum naturarum, in qua duae naturae subsistunt, nam duae naturae subsistentes in una persona eoipso eam componunt in ratione subsistendi. Atqui talis est persona Christi; est enim persona duarum naturarum, quae naturae, divina scilicet et humana, in eius persona conveniunt et subsistunt. Ergo persona Christi secundum rationem subsistendi recte composita dicitur. Eandem rationem affert *S. Thomas* (6), dicens: « Persona, sive hypostasis Christi dupliciter potest considerari. Uno modo secundum illud, quod est in se, et sic est omnino simplex sicut et natura Verbi. Alio modo secundum rationem personae, vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura; et secundum hoc persona Christi subsistit in duabus naturis. Unde licet sit ibi unum subsistens, est tamen ibi alia et alia ratio subsistendi: et sic dicitur persona composita, in quantum unum duobus subsistit. » Idem hanc doctrinam similitudine illustrat in III Sent. dist. 1, q. 1, art. 1. Postquam enim docuit, in Christo non posse admitti illam compositionem, qua duae res confunduntur et permiscentur, neque illam, quae fit per modum partium, sed eam tantum, per modum numeri, ita prosequitur: « Si consideremus personam assumentem, sic coniungitur humanae naturae assumptae tertio modo coniunctionis, quia persona divina sit persona huius naturae humanae; sed ex his duobus non resultat aliquid tertium... et ideo Incarnatio insertioni comparatur. Sicut enim in insertione truncus, in quo erat unus ramus per naturam, fit alius ramus per insertionem; ita in eadem persona, in qua naturaliter erat divina natura, est per unionem humana natura. »

Nota. Propositae doctrinae nonnullae difficultates obstare videntur, quas enodare oportet.

Obi. I. Iam Nestoriani apud *Maxentium* (7) obiiciebant; « omne compositum partibus constare: partem autem minus esse, quam totum: ac proinde si Deus Verbum pars est Christi, quem ex divinitate et humanitate compositum asserunt Catholici, Deum Verbum partem esse Christi, et minorem Christo. Quod si pars Christi Deus est, quomodo Deus, si imperfectus est? »

(1) L. de recta fide ad Theodos. qui laudatur Act. 1 Conc. Ephes.
(2) In tractatu contra unam naturam.
(3) In Epist. ad Sergium.
(4) Lib 3, de orthod. fide c. 4. (5) Cap. 7
(6) 3, q. 2, art. 4. (7) Dial. 2.

Resp. Huic obiectioni *Maxentius* (1) respondit, « non esse imperfectum Deum Verbum; quia non, ut perficeretur, assumptione carnis indiguit, sed ut caro perficeretur in melius commutata, carni se uniens, compositus factus est, qui ante erat sine dubio summe simplex et incompositus, perfectusque per omnia utpote Deus. » — Obiectio allata locum haberet, si admitteretur compositio absoluta, in qua partes se mutuo complent et perficiunt; hanc vero etiam Catholici in Christo non admittunt: obiectio autem locum non habet, si compositio simplex, seu exterior asseritur, in qua persona divina, in se infinite perfecta et immutabilis manens, naturam humanam assumit, et cum ista ineffabili modo coniungitur; alias Deus nec Creator fieri, nec per gratiam sanctificantem moraliter cum anima hominis coniungi posset. *S. Thomas* (2) eandem obiectionem solvit, dicens: « Quod in persona composita sint plura bona, quam in persona simplici, quia est ibi bonum increatum, et bonum creatum: tamen persona composita non est maius bonum, quam simplex, quia bonum creatum se habet ad bonum increatum sicut punctum ad lineam, cum nulla sit proportio unius ad alterum. Unde sicut lineae additum punctum non facit maius, ita nec bonum creatum additum in persona bono increato facit melius. Vel etiam quia ratio bonitatis omnium bonorum est in Deo: unde et ipse dicitur *omne bonum*. Unde non potest sibi fieri additio alicuius boni, quod in ipso non sit. »

Obi. II. Persona Verbi non est composita, sed omnino simplex: atqui persona Christi est persona Verbi: ergo etiam persona Christi non est composita: alias maximum absurdum sequeretur, quod eadem persona simul simplex et simul composita sit dicenda.

Resp. Omnes Catholici credunt, naturam divinam, et ideo etiam personam Verbi nullatenus compositam, sed simplicissimam esse: omnes etiam admittunt, naturam divinam per incarnationem nullo modo immutatam, aut alteratam fuisse, sed simplicissimam permanere. Simplicitati divinae autem non repugnat, quod Deus vario modo cum creaturis se uniat, nempe naturaliter per creationem et conservationem, et moraliter per sanctificationem animae, in qua habitat: et per omnipotentiam suam, quae infinita est, potuit etiam sublimiori et perfectiori modo nempe hypostatice cum natura humana se unire. Et haec duntaxat unio exprimitur, cum persona Christi composita dicitur: non enim Catholici compositionem *ex his*, seu *interiorem*, sed solum compositionem *cum his*, seu *exteriorem* admittunt. Sicuti ergo Pater simplicissimus manet, licet post creationem recte appelletur, et vere sit Creator, et sicut Spiritus sanctus simplicissimus manet, licet post infusam gratiam sanctificantem animae moraliter unitus sit: ita etiam persona Verbi secundum se simplicissima manet, licet post incarnationem ineffabili modo, nempe hypostatice naturae humanae unita sit, et ob hanc unionem composita recte appelletur. Neque exinde absurdum sequitur, quia non sub eadem ratione, et acceptione persona simplex et composita dicitur; nam, ut S. Thomas (3) observat, dicitur simplex secundum se spectata, et dicitur composita secundum rationem subsistendi in aliqua natura considerata. Nulla ergo intervenit contradictio sicut nulla est contradictio

(1) L. c. (2) 3 Sent. Dist. 6, q. 2, a. 3 ad 1. (3) 3, q. 2 art. 4.

in hac propositione : Secunda Trinitatis persona secundum se simplicissima in tempore assumpsit naturam humanam, eamque hypostatice secum univit.

Obi. III. In concilio *Constantiensi* fuit damnata haec propositio *Ioannis Huss:* « Duae naturae, divinitas et humanitas, sunt unus Christus; » quae tamen propositio est vera, si Christus dicatur una persona composita.

Resp. Allata propositio merito damnata fuit in perverso sui auctoris sensu, quem *Io. Huss* a Magistro suo Wicleffo hauserat, scilicet tam naturam divinam, quam naturam humanam in abstracto, et divisim acceptam, esse Christum ; in hoc enim sensu accepta propositio haeresin nestorianam continet, et duos Christos, seu duas personas, divinam et humanam, asserit. Non autem damnata fuit, aut damnari potuit ea propositio in hoc sensu, quod ambae naturae simul unitae in Verbi persona Christum constituant (1).

ARTICULUS II.

De duabus in Christo naturis.

§ 301. Contra Nestorium strenue pugnavit *Eutyches* presbyter, et archimandrita CPtanus ; sed litteris minime excultus, ac ideo vir « multum imprudens ac imperitus, » ut eum nominat *S. Leo* (2), falso sibi persuasit, non posse in Christo duas negari personas, si duae in eodem admittantur naturae. Ipse idcirco unicam in Christo asseruit naturam, et omnes eos, qui duas in ipso naturas admittebant, tanquam nestoriana haeresi infectos anathematizavit. Vocatus ad Concilium CPtanum, ut de fide sua rationem redderet, illam his verbis expressit: « Confiteor, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unitionem, post unitionem vero unam naturam confiteor. » Ex quibus verbis patet, Eutychem de Nestorii, quem oppugnavit, errore participasse, cum isto haeresiarcha docens, humanam Christi naturam aliquando extitisse, priusquam cum Verbo uniretur. Imo *S. Flavianus* (3), *Theodoretus* (4), *S. Fulgentius* (5), *Gennadius* (6), *Vigilius Taps.* (7), et alii testantur, Eutychem etiam Valentinianorum errorem resuscitasse, et docuisse, quod caro Christi non a Virgine sumpta, sed de coelo a Verbo delata fuerit ; qua sententia posita, non solum Mariae cum Nestorio nomen Deiparae denegare, sed ulterius inferre debuit, ne Christiparam quidem, seu veram Matrem Christi B. Virginem nominari posse. — Praecipuus autem Eutychis error in hoc consistebat, quod unam tantum in Christo naturam admiserit. Quo sensu autem docuerit, post unitionem in Christo unam duntaxat esse naturam ; an scilicet unam voluerit esse naturam per commixtionem, an per compositionem, an per conversionem ; item an existimaverit, ex unione divinitatis et humanitatis tertiam quandam naturam prodiisse, vel an putaverit divinam naturam in humanam, vel viceversa humanam potius in divinam conversam fuisse, atque ab eadem penitus absorptam, liquidum id, atque exploratum non est. Posterius id probabilius videtur sensisse, quod etiam testimonio *Vigilii Tapsensis* et *Gelasii* (8) probatur. Vel si forte Eutyches ipse pro sua stupiditate primum modum amplexus est, et ex unione Verbi cum

(1) Vide Thomam Waldensem in Doctrinali fidei lib. 1, cap. 42.
(2) In Epist. 28 ad Flavianum.
(3) In Ep. ad Leonem.
(4) L. 4. haer. fab. cap. 3.
(5) In Resp. ad Quaest. 4. Ferrandi.
(6) Lib. de eccl. dogm. c. 2.
(7) Initio l. 3, c. Eutych.
(8) L. de duabus Christi naturis adv. Euty-

humanitate tertiam quandam naturam prodiisse putavit; plerique tamen ex iis, qui perversam illius doctrinam amplexi, et ideo *Eutychiani*, aut *Monophysitae*, seu unius naturae assertores dicti sunt, humanam naturam in divinam conversam, et illam ab hac penitus absorptam fuisse dictitarunt. Apud *Theodoretum* certe in dialogo, *Inconfusus*, cum dixisset orthodoxus: « Doce nos, quomodo unam post unionem dicas naturam; an quod una ex ambabus facta sit? an quod altera deleta altera remanserit? » — Respondet *Eranistes*, Eutychianorum causam agens: « Ego dico mansisse divinitatem; ab hac vero absorptam esse humanitatem; » et statim id explicat exemplo maris, dicens: « ut mare mellis guttam si accipiat; statim enim gutta illa evanescit, aquae maris permixta. » — Vix timendum erat, tam absurdum errorem, qui tum Revelationi, tum sanae rationi aperte repugnabat, inter Christianos dilatatum iri. Sed Imperatoris *Theodosii* nimia indulgentia, Aulicorum quorundam et praecipue *Chrysippi Eunuchi* et *Dioscori* Patriarchae Alexandrini violentia, praesertim in conciliabulo, seu latrocinio Ephesino adhibita, et innumeris postea subtilium Eutychianorum argutiis vires acquisivit, magnos turbines excitavit, et in Oriente valde dilatata est. Necesse igitur est, 1° ut dogma catholicum *de duabus in Christo naturis* solide probetur, et contra adversarios defendatur, et 2° ut praecipuum huius dogmatis consectarium *de duabus in Christo operationibus* rite exponatur.

Nota. Non defuerunt, qui ut nestorianam, ita etiam eutychianam haeresim imaginariam vocarent, positam scilicet in sola verborum inutili contentione, cum de rebus una esset omnium sententia. Id propugnarunt quidam ex Protestantibus, ut modum agendi a Rom. Pontificibus et a Conciliis observatum criminarentur. Sic *Io. Frid. Cotta* Lutheranus (1) memorat: « viros doctos, qui Eutychianorum sententiam ita explicant, ut a vera et orthodoxa doctrina haud differre videatur. » Etiam inter Catholicos nonnulli ita senserunt: *Gabriel Vasquez* (2) affert sententiam *Alphonsi de Castro*, putantis, Eutychem docuisse, in Christo post unionem mansisse unam naturam per compositionem « ex duabus permanentibus in ipso, non per conversionem unius in aliam; » quam sententiam et ipse *Vasquezius* approbat, et nonnulla argumenta ad ipsam confirmandam adducit. Sed hanc sententiam confutant tum ipsius Eutychis confessio facta in Concilio CPtano, tum anathema a Concilio Chalcedonensi nonnisi post maturam discussionem in Eutychem latum, tum testimonia coaevorum, et proxime sequentium auctorum: sic praeter iam citatos *S. Gelasius* (3) de Eutychianis dicit: « Iam vero, si (ut ipsi delirant) adunatione una facta natura est, aut unius abolitio, aut utriusque confusio. » *Vigilius Taps.* (4) scribit: « Nestorius, duas inducendo naturas, duas putavit esse personas... Eutyches, recipiens unam personam, unam censuit esse naturam. » *S. Leo M.* (5) de Eutyche dicit: « ex ipsa unitione id dixit effectum, ut ex duabus (naturis) una remaneret, nullatenus alterius existente substantia » (6).

(1) In Diss. 1, de persona Christi, § 44.
(2) In 3 P. S. Thomae q. 2, Disp. 14, c. 1.
(3) In l. de duabus naturis adv. Eutych.
(4) L. 2, adv. Nest. et Eut.
(5) Serm. 8, de Nat. Domini c. 5.
(6) Cf. Natal. Alex. Hist. eccl. Saec. 5, diss. 10, Gazzaniga de Incarn., Sect. 2, Diss 3, c. 2, art. 3.

I. *Duae sunt in Christo naturae integrae, distinctae, inconfusae, et impermixtae.*

§ 302. Propositio haec est dogma catholicum summi momenti; hoc enim negato, rueret tum Incarnationis, tum Redemptionis mysterium. Incarnatio enim est unio hypostatica naturae divinae et humanae in una Verbi persona: negata ergo una vel altera natura, Incarnationis notio penitus evertitur, et neque Verbum caro factum, neque Christus Deus homo dici potest. Eodem modo per pravam Eutychis doctrinam universa reparationis nostrae mysteria evertuntur. Ad hanc enim perficiendam debet natura humana satisfactionem patiendo praestare, et divina requisitum satisfactioni valorem et pretium conferre. Ast, si nonnisi una in Christo natura asseritur, haec, si mere humana et finita fuit, non potuit infinitam satisfactionem praestare; si mere divina et infinita fuit, non potuit pati, et mori, seu requisita satisfactionis opera suscipere; demum, si ex humanitatis et divinitatis unitione tertia natura prodiit, dicendum erit, divinitatem immutatam passioni mortique obnoxiam fuisse, eamque a suo statu deiectam infinitum pretium solvere haud potuisse: quae omnia maximam contradictionem involvunt. — Operae igitur pretium est, ut perversa Eutychis doctrina refellatur, et dogma catholicum de duabus in Christo naturis integris, distinctis, inconfusis, et impermixtis *ex S. Scriptura, Traditione*, et *ratione theologica* probetur.

A. *Argumenta ex S. Scriptura depromta.*

§ 303. 1. Si Christus verus Deus est et verus homo, necessario in ipso duae sunt agnoscendae naturae: non potest enim Deus esse sine integra et inconfusa natura divina, et non potest homo esse sine integra et inconfusa natura humana, quia, deficiente rei essentia seu natura, ipsa res deficit. — Atqui iam ex S. Scriptura (§ 78 et seq.) probatum est, Christum esse verum Deum; quare de ipso etiam attributa divina praedicantur (§ 82), quodlibet autem attributum divinum est ipsa essentia, seu natura divina (§ 16): ergo in Christo est natura divina integra et inconfusa. Sed ex eadem Scriptura etiam demonstratum est, Christum esse verum hominem (§ 277), et in specie ostensum fuit, in Christo etiam inveniri omnia substantialia hominis, nempe corpus (§ 278 et seq.) ac animam humanam, ratione et voluntate praeditam (§ 282 et seq.), atque ideo ipsi competere etiam attributa humana, quae sine natura humana existere non possunt: ergo in Christo est etiam natura humana integra, et inconfusa. — Quamobrem, iuxta claram S. Scripturae doctrinam, duae sunt in Christo naturae integrae et inconfusae, divina et humana.

2. Specialia etiam S. Scripturae loca citari possunt, ex quibus luculenter patet, duas in Christo esse naturas integras, divinam et humanam, salvis utriusque proprietatibus, inconfusas et impermixtas. S. Ioannes, postquam in Evangelii sui initio praeclara de Verbi divinitate enuntiavit, dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt*, etc.; postea subiungit: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (1): aperte ergo in Verbo distinguit naturam divinam, qua ab aeterno fuit apud Patrem, et fuit Deus, et naturam humanam, quam in tempore assumpsit, et qua habitavit in nobis. Hoc textu iam *S. Leo M.*

(1) Io. 1, 14.

contra Eutychianos usus est, in epistola ad Flavianum (lecta et approbata in Concilio Chalcedonensi, act. 2), dicens: « Unus idemque (quod saepe dicendum est) vere Dei Filius et vere hominis Filius. Deus per id, quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum:* homo per id, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis:* Deus per id, quod *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil:* homo per id, quod *factus est ex muliere, factus sub lege* (1). » Christus ipse ait: *Ego et Pater unum sumus* (2); quibus verbis docuit, se unam cum Patre essentiam habere; non posset enim unum cum Patre dici, nisi unam, eandemque cum ipso essentiam, seu naturam divinam haberet. Sed idem Christus inquit: *Pater maior me est* (3); ergo in se etiam aliquid habuit per quod minor fuit Patre, aliquid finiti et creati, scilicet naturam humanam: et certe Christus secundum naturam humanam non potest esse unum cum Patre, seu consubstantialis Patri, et secundum divinam naturam non potest esse minor Patre: ergo necesse est, duas esse in Christo naturas, quarum una etiam post unionem infinita, altera autem finita mansit. Idem probat celebris locus Pauli ita de Christo disserentis: *Qui cum in forma Dei*, id est, in essentia, seu natura divina *esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit*, non quidem amittens naturam Dei, sed *formam servi*, id est naturam humanam *accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (4): haec Pauli verba Eutychianos penitus conterunt.

(1) Gal. 4, 4. (2) Io. 10, 30. (3) Io. 14, 15. (4) Phil. 2, 6. (5) Rom. 9, 5. (6) L. 1 ad Trasim. c. 16. (7) Io. 8. 40.

Natura enim est id, quod est pluribus commune (§ 290, nota): sed Christus dicitur aequalis Deo, ergo habet naturam divinam; et dicitur similis hominibus, ergo habet naturam humanam. Idem Apostolus dicit: *Ex quibus* (Patribus) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* (5). Christus autem non secundum naturam divinam ortus est ex Patribus, neque secundum carnem est Deus benedictus in saecula. Cum autem utrumque de Christo praedicetur, duae naturae integrae et inconfusae, in ipso agnoscendae sunt. Ex verbis S. Ioannis ita argumentatur S. *Fulgentius* (6): « Quem verum hominem novit Ioannes, audiens eum dicentem: *Quaeritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum* (7); eundem verum Deum monstrat, dicens: *Hic est verus Deus, et vita aeterna* » (8).

Nota. Argumentis biblicis Eutychiani sequentia opponunt:

Obi. I. Dictum Ioannis: *Verbum caro factum est*, eodem modo intelligendum est, quo intelligitur uxorem Loth *factam esse statuam salis* (9), aut virgam Moysis *factam esse serpentem* (10); aut aquam esse *factam vinum* (11); in omnibus enim istis locis S. Scriptura utitur eadem voce: ἐγένετο factum est. Verbum ergo dicitur factum caro per conversionem unius naturae in aliam, ita ut post adunationem nonnisi una natura supersit.

Resp. Non negamus, vocem ἐγένετο, factum, aliquando unius substantiae conversionem in aliam significare; sed ista vox non semper hunc sensum habet, verum interdum significat acquisitionem, vel assumptionem alicuius de novo: ita dicitur: *Factus*

(8) 1 Io. 5, 20. (9) Gen. 19, 26 (10) Ex 4, 5. (11) Io. 2, 9.

est homo in animam viventem (1), non conversione corporis in animam, sed huius inspiratione in corpus; Christus dicitur *factus pro nobis peccatum* (2), et *factus maledictum*, (3) non alia de causa, quam quia debitum peccatorum nostrorum in se assumpsit, ut pro iis divinae iustitiae satisfaceret; certe enim ne Eutychiani quidem auderent dicere, Christi substantiam in *peccatum*, aut *maledictum* conversam fuisse: similiter Christus dicitur *factus Sacerdos* (4), *Sponsor* (5), *excelsior coelis* (6); quibus in locis nullam substantiae conversionem significari, sed dignitatem Christi describi manifestum est, quamvis ubique verbum γίνομαι *fio* applicetur. Igitur ex antecedentibus, et consequentibus, et ex ipsa rerum natura pensandum est quando τὸ *factum* veram conversionem, et quando acquisitionem, seu assumptionem significet. Atqui dictum Ioannis: *Verbum caro factum est*, non de conversione substantiae, sed de assumptione carnis, seu humanae naturae intelligendum esse, sole clarius ostendi potest. Imprimis enim dicit de Verbo, per quod *facta sunt omnia: in propria venit* etc., et dein modum explicat quo venerit, nempe in assumpta humana natura; unde etiam addit: *et habitavit in nobis;* quomodo enim Verbum habitavit in nobis, nisi quia, idem manens, carnem assumpsit? nec enim ideo naturam divinam perdidit, quapropter additur: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti* a Patre etc. — Praeterea si dictum Ioannis de conversione substantiae intelligeretur, maximum omnium absurdum sequeretur, quod nempe divinitas conversa sit in carnem, seu quod Verbum factum sit purus homo, cum tamen Deus plane immutabilis sit: tantum autem absurdum ipsi Eutychiani non admittunt, cum potius asserant, humanitatem a divinitate absorptam, seu naturam humanam in divinam conversam fuisse. — Denique si ad Traditionem respiciamus, Ss. Patres constanter dictum Ioannis non de conversione divinitatis in carnem, sed de assumptione humanitatis in Deum exposuerunt. *S. Ambrosius* (7) ait: « Illud *Verbum*, quod carnem suscepit, hoc *habitavit in nobis*, hoc est, in carne habitavit humana, et ideo Emmanuel dictus est, nobiscum Deus: » et (8) adv. Apollinaristas inquit: « Desinant dicere, naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam, ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati. » *S. Chrysostomus* (9), exponens eundem locum, ita disserit: « Subdit enim: *et habitavit in nobis*, ac si diceret: nihil absurdum suspiceris ex hoc dicto *factum est*. Non enim immutabilis naturae mutationem, sed habitationem dixi. Habitans autem non idipsum est quod habitaculum, sed aliud. Aliud enim in alio habitat, alias non esset habitatio . . . Aliud vero dixi secundum substantiam. Nam unitate et coniunctione Deus Verbum et caro unum sunt, sine ulla confusione, vel substantiarum ablatione, sed per unionem ineffabilem, inexplicabilemque. » *S. Augustinus* (10) hanc ineffabilem unionem carnis ad Verbum explicat exemplo verbi quod prius in corde conceptum est, postea ore et voce profertur, non quasi illud primum convertatur in vocem, sed illo integro ista assumitur, per quam verbum intus conceptum

(1) Gen. 2, 7.
(2) 2 Cor. 5, 21.
(3) Gal. 3, 13.
(4) Hebr. 7, 16.
(5) Ib. v. 22.
(6) Ib. v. 26.

(7) L. de dom. incarn. sacramento cap. 6, sub fine. (8) Cap. 6.
(9) Hom. 11 (al. 10) in Ioan. n. 2.
(10) Serm. 187 (al. 27) de tempore.

foris in vocem procedit, et post multa egregie explicata concludit: « Quia Dei *Verbum*, quod manet in aeternum, *caro factum est, ut habitaret in nobis*, propter Dei formam latentem, sed manentem, sicut nunciavit Gabriel, vocamus nomen eius *Emmanuel* etc. »

Obi. II. Phil. II. 7 dicitur de Filio Dei: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens:* sed si tantummodo carnem sibi copulasset, nulla fuisset exinanitio. Ergo admittendum est, in Incarnatione unius naturae in aliam conversionem contigisse, ut vera sit Apostoli de exinanitione sententia.

Resp. Perperam Eutychiani gloriantur de hoc textu, ut unam in Christo naturam propugnent. Nam si dicunt, naturam divinam in humanam conversam esse, maximum, ut iam diximus, absurdum praedicant, idque admittunt, quod absolute impossibile est, cum Deus immutabilis sit (§ 26). Si autem asserunt, naturam humanam in divinam conversam esse, quod communiter Eutychiani defendunt; male locutus est Apostolus dicendo eum, qui aequalis est Deo semetipsum exinanivisse, cum potius dicere debuisset, formam servi, seu naturam humanam non exinanitam et depressam, sed maxime exaltatam fuisse. Aliter ergo verba Pauli sunt intelligenda; sensus itaque verborum est: Filius Dei, aequalis Patri semetipsum quodammodo exinanivit assumendo naturam abiectam et humilem, infinitoque intervallo a divina distantem, seseque obiiciens in hac assumpta natura paupertati, ludibriis, ac morti denique ipsi; unde subdit Apostolus: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Itaque exinanivit semetipsum, ut ait *S. Augustinus* (1), « assumendo mutabilitatem nostram, non mutando divinitatem suam. » Et *S. Leo* (2) egregie eandem exinanitionem declarat, dicens: « suscepta est a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas, et ad resolvendum conditionis nostrae debitum, natura inviolabilis naturae est unita passibili. »

(1) L. 7, de Trinit. c. 3, n. 5.

B. *Argumenta ex Traditione desumpta.*

§ 304. 1. *In Symbolis* Ecclesia duas in Christo naturas profitetur. In Apostolico dicit: Credo - *in Iesum Christum Filium eius unicum:* ergo ipsi attribuit naturam divinam, et cum immediate addit: *qui conceptus - natus - passus - mortuus est* etc., agnoscit in ipso naturam humanam integram et inconfusam. In Nicaeno-CPtano profitetur *unum D. N. I. Christum-consubstantialem Patri*, ut de divina eius natura dubitari non possit, et deinde de eodem dicit, quod *incarnatus, homo factus, passus, mortuus* sit, ut etiam natura humana in ipso manifeste ostendatur, cum talia praedicentur, quae in divinam naturam cadere nullatenus possunt. In Athanasiano clarissime doctrina catholica proponitur his verbis: *Qui* (Christus) *licet Deus sit, et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae* etc.

2. *Ss. Patres,* dum Christum ut verum Deum (§ 73), et ut verum hominem (§ 277, n. 3) praedicant, duas in ipso naturas integras, et inconfusas profitentur. Sed specialia etiam eorundem testimonia adlegari possunt, in quibus fidem suam clare explicant. *S. Ignatius M.* (3), Christum

(2) In Epist. ad Flavian. c. 3.
(3) Ep. ad Ephes. n. 7.

« in homine existentem Deum » appellat. *Clemens Alex.* (1) ait: « In omnibus iuvat Dominus et tanquam homo, et tanquam Deus: peccata quidem remittens ut Deus: ne peccemus autem, pedagogi ritu instituens, ut homo. » *Tertullianus* (2) scribit: Christus « utriusque substantiae census hominem, et Deum exhibuit; hinc natum, inde non natum: hinc carneum, inde spiritualem; hinc infirmum, inde praefortem; hinc morientem, inde viventem. » *S. Athanasius* in Epist. ad Epictet. n. 2 ita praeclare disserit: « Quisnam infernus illud eructavit, corpus ex Maria genitum esse Verbi divinitati consubstantiale? Aut Verbum in carnem, ossa et capillos, et in totum corpus mutatum fuisse, et a natura descivisse sua? Quis autem in Ecclesia, aut a Christianis unquam audivit, Dominum fictione, non natura gestasse corpus... Quo pacto viri qui dicuntur Christiani vel ambigere ausi sunt, sitne Dominus, qui ex Maria natus est, substantia et natura sua Filius Dei, secundum carnem vero ex semine David, et ex carne sanctae Mariae ortus? » Et l. de incarn. adv. Apollinar. (3) ait: « Appellabitur perfectus Deus, et perfectus homo Christus... secundum rationem existendi sine defectu plenam et integram, ut unus sit utrinque per omnia idem et Deus, et homo. » *S. Hilarius* (4) ita de Christo loquitur: « Qui filius hominis est, idem et Filius Dei est. Natura generositatis in filii hominis assumptione non deperit. Nam non idcirco non Dei Filius, quia et hominis est filius. Non enim cum divinitatis decessione fit humilitatis accessio; nec per consortium infirmitatis contumeliam virtus excepit; quippe cum infirmitas honore sit dotata virtutis. » Idem (5) in una persona Christi duas profitetur naturas, easque (6) « coniunctas, impermixtas et inconfusas » dicit. *S. Ambrosius* (7) inquit: « Servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utroque loquitur Dei Filius quia in eodem utraque est natura. » Et alibi (8): « Ego, quod erat illius non habebam, et ille, quod meum est, non habebat. Suscepit, quod meum est, ut impertiret quod suum est: suscepit, non ut confunderet, sed ut repleret. Si credas susceptionem, affingas confusionem, Manichaeos esse desiisti, nec tamen Ecclesiae filius esse coepisti. » *S. Basilius* citatus a *Leone M.* in Ep. ad Leonem Augustum (9) ait: « Cum omni metu et reverentia contemplandum est, ut in uno, eodemque (Christo) ita utriusque naturae veritas comprobetur, ut neque aliquid indignum et indecens de divina illa et ineffabili substantia sentiatur, neque rursum quae humanitus gesta sunt, falsis illusa imaginibus aestimentur. » *S. Gregorius Naz.* (10) ita de Christo canit: « Venit Deus, et mortalis, duas naturas in unum colligens, alteram absconditam, manifestam mortalibus alteram, quarum illa Deus erat, haec autem postremo nobis formata est. » Idem docet Ep. I ad Cledon. (11). — *Amphilochius* Orat. in illud: *Pater maior me est* (12) inquit: « Discerne... naturas Dei hominis. Neque enim excidens ex Deo factus est homo, neque proficiens ex homine Deus. » *S. Cyrillus Hier.* Catech. 4 dicit: « Duplicis naturae fuit Christus; homo quidem, quod videbatur, Deus autem, quod non appa-

(1) Paedag. l. 1, c. 3.
(2) De carne Christi c. 5.
(3) L. 1, n. 16. (4) In Ps. 2.
(5) L. 10 de Trinit. n. 22. (6) N. 52.
(7) L. 2 de fide c. 4.
(8) L. de incarn. c. 4. (9) 165 al. 134.
(10) Carm. 1 de Virgin. v. 149 et seq. (pag. 415 ed. Caillau.
(11) N. 3 et 4. (12) Ap. Theodoret. Dial. 2.

rebat; » et Homil. in Paraliticum (1) ait: « Duae sunt in Christo agnoscendae naturae, quia alia ex parte homo est, alia vero Deus . . . Non enim confessio humanitatis a confessione divinitatis seiuncta utilis est... Sed Deum et hominem confitentes et utrumque – verum Deum, vere ex Patre natum hominemque, non specie tantum, sed veritate factum adorantes veram salutem exspectamus. » *S. Chrysostomus* (2) rectam de Verbo incarnato fidem his verbis proponit: « Neque carnem a divinitate separat, neque divinitatem a carne; non quod substantias confundat (absit!) sed ut unitionem ostendat. » *S. Hieronymus* (3) scribit: « Carnis infirmitas Deo habitatore gaudebat, et tamen mensuram fragilitatis suae excedere non potuit, ut non apparenter tantum iuxta veteres haereticos, sed vere Dei Filius hominis filius credatur. » *S. Augustinus* Tract. 78 in Io. (4) dicit: « Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua aequalis est Patri, humanam, qua maior est Pater. Et l. 1 de Trin. (5) scribit: Quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, et utrumque homo: sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem. Neque enim illa susceptione alter eorum in alterum conversum, atque mutatum est: nec divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse divinitas; nec creatura in divinitatem, ut desisteret creatura. » *S. Cyrillus Alex.*, cuius auctoritate potissimum abutebantur Eutychiani (6), scribit: « Non enim dicimus, quod Dei natura conversa, vel immutata facta sit caro; nec quod in totum hominem, qui est ex anima et corpore, transformata sit; sed illud magis quod carnem animatam anima rationali sibi copulaverit Verbum substantialiter, et ineffabiliter factum sit homo . . . et quod diversae quidem naturae in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus, et Filius non evacuata, aut sublata diversitate naturarum per coniunctionem. » Et in celebri epistola ad Ioannem Antiochenum, quae incipit, *Laetentur coeli*, ita mentem suam aperit: « In divinitate et in humanitate perfectus (Christus), et tanquam in una persona consideratur: Unus enim Dominus est Iesus Christus, quamvis non ignoretur naturarum differentia, e quibus inenarrabilem istam unionem factam esse dicimus. Ora vero eorum qui vel concretionem, vel confusionem, vel commixtionem factam esse dicunt, dignetur sanctitas tua obstruere. Est enim verisimile, et ista quosdam de me spargere, quasi talia senserim, aut dixerim. Ego vero tantum absum ab eo, ut tale quid sentiam, ut etiam insanire arbitrer eos, qui quovis modo conversionis adumbrationem in divina Verbi natura contingere posse putant; manet enim illa, quod semper est, nec alterata est, — neque ullius mutationis capax. » Post enatam haeresin Eutychianam dogma catholicum de duabus Christi naturis strenue defenderunt *S. Leo M.* (7), *S. Petrus Chrysologus* (8), *Gelasius P.* (9), *Leontius Byzantinus* (10), *Vigilius Taps.* (11), *Boëthius*, *S. Fulgentius*, *S. Gregorius M.*, *Anastasius Sinaita*, *S. Io. Damascenus*, et alii.

3. *In Conciliis* tum ante, tum post exortam haeresin Eutychianam habi-

(1) N. 6. (2) Hom. in Ps. 44.
(3) L. 2 c. Pelagianos n. 14. (4) N. 3.
(5) Cap. 7, n. 14.
(6) In Epist. 1 ad Nestor
(7) Io Ep. 24 ad Flavianum, et alibi.
(8) Ep. ad Eutych.,
(9) De duabus in Chr. naturis.
(10) C. Nestor., et Eutych.
(11) L. c. Eutych.

tis definitum est, duas esse in una Christi persona naturas, divinam et humanam. Synodus *Antiochena*, anno 264 (1), inquit: *Idcirco corpus ex Maria natum, cum totam divinitatis plenitudinem cepisset, corporaliter divinitati sine conversione unitum est.* *Toletanum I*, anno 400, in professione fidei dicit, *Filium Dei verum hominem... suscepisse, duabus dumtaxat naturis, id est Deitatis, et carnis in unam convenientibus personam* etc. Concilium *Chalcedonense*, doctrinae S. Scripturae et Traditionis fideliter insistens, Eutychi anathema dixit, eius doctrinam damnavit et dogma catholicum his verbis proposuit: *Unum eundemque confiteri Filium, et D. N. I. C. consonanter omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, et eundem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, - eundemque Christum - in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentiam concurrente* (Act. 5). Eadem doctrina denuo declarata et confirmata fuit in *Conc. gen. V, CPtano II*, cap. 7 et 8, in *Lateranensi* sub Martino I, can. 6-9, in Gener. VII, CPtano III, Act. 7, in *Nicaeno II*, Act. 7 in definitione fidei.

Nota. Eutychiani errores suos Patrum auctoritate firmare studuerunt, sed irrito conatu; ut ex dicendis apparebit.

(1) In epist. adv. Paulum Samosat.
(2) In Apologet. c. 21.
(3) In lib. adv. Prax. c. 27.
(4) L. de idol. vanit.

Obi. I. Patres passim docuerunt, in Incarnatione duas naturas *commixtas* fuisse. *Tertullianus* (2) ait: « Nascitur homo Deo mixtus, » quod alibi saepe repetit, et (3) utriusque naturae « mixtionem et conversionem » defendit. *S. Cyprianus* (4) inquit: « Deus cum homine miscetur. » *S. Augustinus* (5) explicans, « quomodo Deus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi, » utitur similitudine hominis, in quo anima unitur corpori, ut homo sit, et concludit: « In illa ergo persona (hominis) mixtura est animae et corporis; in hac persona (Christi) mixtura est Dei et hominis. » Eadem *mixtionis* voce utuntur *S. Leo* (6) et multi alii: ergo duae naturae in Christo distinctae non manserunt.

Resp. Ss. Patres per mixtionem, seu mixturam nihil aliud intellexerunt, quam intimam et substantialem naturarum unionem in persona: mixtio enim etiam tunc dicitur, quando duae substantiae ita intime inter se iunguntur, ut tamen utraque suam integritatem servet: talis est mixtio corporis humani et animae rationalis, et talis fuit mixtio divinae naturae cum humana. Ideo *S. Cyrillus* (7) dicit: « Mixtionis nomen posuerunt nonnulli etiam Ss. Patres, sed quod metuere te dicis, nequa confusio contigisse existimetur adinstar liquidorum, quae inter se mutuo commiscentur, libero te hoc metu. Non sic illi senserunt: minime; sed voce sunt usi, cum summam unionem ostendere studerent. » Et sane *Tertullianus* (8) primo negat, talem factam esse carnis et divinitatis mixturam, « ut tertium quid efficiatur, » quomodo ex auro et argento simul mixtis fit electrum. Non aliam igitur mixtionem

(5) In Epist. 138 ad Volusian. c. 3.
(6) Serm. 3, in Nat. Dom. et Serm. 4, in Epiph. c. 4.
(7) L. 1, adv. Nestor. c. 3. (8) L. c. Prax.

intelligit, quam duarum naturarum perfectam unionem; unde etiam ita prosequitur: « Certe (invenimus) usquequaque Filium Dei et Filium hominis, cum Deum et hominem sine dubio, secundum utramque substantiam, in sua proprietate distantem, quia nec sermo aliud, quam Deus, nec caro aliud, quam homo. » *S. Cyprianus* dicit, per Incarnationem Deum cum homine misceri eodem sensu, quo in hominis generatione anima dicitur misceri corpori, id est integre et substantialiter, manente utriusque substantia integra. *S. Augustinus*, qua solebat diligentia et praecisione, seipsum explicat, ut caveatur illius permixtionis error, in quem postea Eutychiani inciderunt, ut facta sit naturarum confusio: unde, cum dixisset: « in persona Christi est mixtura Dei et hominis » statim monet auditorem, « ut recedat a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam. » Exemplum *S. Leonis M.* solum commonstrat, etiam orthodoxe *mixtionis* vocem in mysterio incarnationis adhiberi posse, dummodo confusio procul amoveatur, et ita duae naturae commixtae intelligantur, ut utraque integra permanserit; certum est enim apud omnes, *S. Leonem* Eutychis haeresin damnasse, et duas in Christo naturas integras et inconfusas asseruisse.

Obi. II. Multi veteres Patres nonnisi unam esse in Christo naturam aperte praedicarunt. *Iulius I.* R. P. (1) duplicem in Christo naturam aperte reiicit ut absurdam, quia « necesse est, eos, qui duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare, ac in divinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari. » *S. Gregorius Thaumat.* (2) ait: « Non duae personae, neque duae naturae, non enim quatuor nos adorare dicimus. » *S. Gregorius Nyss.* (3) docet, carnem divinitati commixtam non amplius in suis terminis et proprietatibus mansisse, sed naturam humanam ita fuisse a divina absorptam, « veluti si aceti stilla in mare proiecta huic admisceatur; fit enim mare. » *S. Cyrillus Alex.* Ep. ad Acacium Metin. scribit: « Naturas duas unitas esse dicimus; post unitionem vero, tanquam sublata iam in duo partitione, unam esse credimus Filii naturam, verum inhumanati et incarnati. » Et in Ep. I ad Successum inquit: « Post unionem non dividimus naturas a se mutue, neque in duos secamus filios illum, qui unus est et individuus: sed unum dicimus Filium, et quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Verbi Dei incarnatam. » Et in Epist 2 (4) docet, duas naturas in Christo « sola mentis cogitatione distingui: » ergo non sunt a se invicem distinctae realiter; et iuxta doctrinam Patrum una est in Christo natura.

Resp. Huic obiectioni primo opponimus argumentum Traditionis ex Symbolis, Ss. Patribus et Conciliis deductum, quod nonnullorum Patrum loca obscura et ambigua infirmare non possunt. Praeterea observandum est, nomen *naturae* a veteribus Patribus hincinde pro *persona* adhibitum fuisse; quapropter *S. Thomas* sapienter (5) monet, « quod propter identitatem, quae in divinis est inter naturam et hypostasim, quandoque natura ponitur pro hypostasi, vel persona. » Quibus notatis, ad singula loca obiecta responderi potest. — Quod *Iulium R. P.* attinet. *Eulogius* Patr. Alex. (6) Eutychianis reposuit, ipsum posuisse

(1) In Ep. ad Dionys. Corint. Ep.
(2) Ap. Photium Cod. 230 in Expos. fidei.
(3) Orat. 4, c. Eunom. (4) Ad Successum.
(5) 3, q. 35, a. 1 ad 1. (6) Ap. Phot. l. c.

nomen *naturae* pro nomine *personae*, quod ex eo patet, quia de eo loquitur, qui adoratur, et in quo baptizamur. *Facundus* (1) ostendit Iulium duas in Christo agnovisse naturas ex eiusdem epist. ad Prosdocium, in qua dicit de Christo: « Praedicatur... perfectus Deus in carne et perfectus homo in spiritu, non duo filii; unus quidem proprius filius assumens hominem, alter vero mortalis susceptus a Deo, sed unus unigenitus in coelo, unigenitus Deus in terra: » quibus verbis et Nestorii et Eutychis haereses condemnantur. Epistolam autem Iulii ad Dionysium idem Facundus ut spuriam reiicit, et ideo (2), de Eutychianis dicit: « Quid autem illos contra haec evidentissima Patrum testimonia iuvare poterit, quod in assertionem vanissimi sui erroris dicunt, Iulium R. Ep., nescio ubi, rescripsisse, quod una sit in Christo natura. » *Hypatius* etiam Ep. Ephesinus in collatione cum Acephalis Constantinopoli habita inquit: « Beati Iulii famosam illam epistolam manifeste Apollinaris ostendimus fuisse. » Idem reponendum est ad auctoritatem *Gregorii Thaumat.*; certum enim est, citatam expositionem fidei non esse huius insignis Episcopi, sed alicuius haeretici. Id testatur *Leontius* (3), scribens: « Quidam ex haeresi Apollinarii, vel Eutychis, vel Dioscori, cum vellent suam haeresin confirmare, quasdam orationes Apollinarii Gregorio Thaumaturgo, aut Athanasio, aut Iulio inscripserunt, ut simpliciores fallerent. » *S. Gregorius Nyss.* (4) pro scopo habuit, ut ostenderet, quantum Filius Dei se humiliaverit naturam humanam assumendo, quae infinite distat. Hunc in finem similitudine usus est sceti guttulae in mare proiectae, qua orthodoxe prolata Eutychiani pessime abusi sunt. Caeterum apposite *Anastasius Sinaita* (5) in hanc rem scribit: « D. Gregorius mentionem fecit pelagi et aceti, non ut res ipsas confunderet, sed ut exemplo aliquo tenuitatem et parvitatem nostrae naturae, cum infinito et incomprehenso illo divinitatis pelago comparatae, demonstraret. » Dum praeterea Christi carnem asserit Gregorius non amplius in suis terminis et proprietatibus mansisse, non de proprietatibus essentialibus, sed de accidentalibus, ut vocant, locutus est, sine quibus salva et integra consistere potest natura humana: ideo cum (6) dixisset, quod humana natura « cum divinitate temperata non amplius in suis terminis et proprietatibus manet, » seipsum explicans immediate subdidit: « Carnis tamen et divinitatis proprietatum inconfusa permanet contemplatio » quod deinceps fuse prosequitur. *S. Cyrillum Alex.* orthodoxe sensisse, manifeste constat ex eius verbis n. 2 citatis. Neque loca hic nobis obiecta alium sensum produnt. Nam S. Pater unam dicit naturam non simpliciter et absolute, sed « incarnatam, » id est, unitam substantialiter humanitati in personalitate Verbi. Quare duas absolute admisit Cyrillus naturas, humanam et divinam, asserendo unam naturam incarnatam, aut « Filii inhumanati, seu incarnati. » Ut enim observat *Theodoretus* (7): « Qui unam Christi naturam incarnatam agnoscit, duplicem in Christo naturam confitetur; alia est enim, quae carnem assumat, alia vero carnis assumptae. » Ipse Cyrillus, cum ob citata in obiectione verba Apollinarista diceretur, ita mentem suam explicat in epist. 2 ad Successum: « Si dicentes unam

(1) L. 1, c. 4. (2) Ibid. c. 5.
(3) L. de sectis, act. 8. (4) L. c.
(5) In Odego c. 13. (6) L. c.
(7) Dial. 2.

Verbi naturam, tacuissemus, et minime adiunxissemus, *incarnatam*, excluso propemodum dispensationis mysterio, esset illorum fortasse oratio non inepta..... sed quia et illa in humanitate perfectio, et essentiae nostrae declaratio illata est, dum dicimus incarnatam, desinant baculo inniti arundineo; » ac inferius aperte confitetur, « Christum, cum sit unus, ac solus filius, eundem Deum esse et hominem, ut in deitate, ita etiam in humanitate perfectum. » Et cum dicit « post unionem non dividimus a se mutuo, » distinctionem naturarum aperte profitetur, et solum negat earundem divisionem et separationem post unionem, quia nimirum in una persona Verbi inseparabiliter unitae sunt. Et in eodem sensu asserit, naturam divinam et humanam in Christo sola cogitatione distingui : id est, naturas inseparabili nexu unitas, quamvis inter se realiter distinguantur, tamen sola cogitatione dividi ac separari posse, quod illustrat exemplo animae et corporis; haec enim realiter a se invicem in homine vivo separari nequeunt, quamvis a se invicem realiter distinguantur.

Obi. III. Incarnatio comparatur cum unione animae et corporis, ex qua resultat una natura humana. A *S. Iustino M.* (1) comparatur cum Eucharistia, in qua contingit conversio panis in corpus Christi : ergo etiam ex unione divinitatis et humanitatis una resultat natura, quia humana in divinam convertitur, et ideo illa a Patribus *deificata* dici solet.

Resp. Priori similitudine utuntur Patres, ut ostendant, non obstantibus duabus naturis, unam esse personam Christi: ideo in Symbolo Athan. additur: unum esse Christum *non confusione substantiae, sed unitate personae.* Sicut autem in homine corpus et anima retinent post unionem proprietates suas, ita et in Christo duae naturae non confunduntur, sed retinent proprietates suas. S. Iustinus comparat Incarnationem cum Eucharistia, quia sicut Verbum fit realiter caro, ita panis per consecrationem fit realiter corpus Christi : paritas autem non extenditur ad modum, quo panis fit corpus Christi. Quoad ultimum respondet *S. Thomas* (2): « Caro dicitur deificata (a Damasceno) (3) non per conversionem, sed per unionem ad Verbum salvis suis proprietatibus naturalibus, ut intelligatur caro deificata, quia facta est Dei Verbi caro, non quia facta sit Deus. »

(1) Apol. I, n. 6. (2) 3, q. 2, a. 3 ad 3.

C. *Argumentum ex ratione theologica petitum.*

§ 305. Haeresis Eutychiana, quae post unionem Verbi cum humanitate unam tantum in Christo naturam admittit, non solum divinae Revelationi, sed etiam sanae rationi penitus repugnat, cum tale quid asserat, quod absolute impossibile est, et apertam contradictionem involvit. Nam si ex unione Verbi cum humanitate una natura in Christo prodiisset, hoc factum fuisset vel *per conversionem* unius naturae in aliam, vel per utriusque naturae *commixtionem et mutationem*, vel denique *per compositionem* talem, qua ex duarum substantiarum coniunctione una natura completa produceretur. Ast nullus ex his tribus modis sine manifesta contradictione admitti potest.

1. Nullo modo admitti potest, unam in Christo factam esse naturam per *conversionem*, per alterutrius nempe naturae extinctionem, ut aqua in vinum conversa est in nuptiis Canae, vel, ut Eutychiani dictitabant,

(3) Lib. 3. c. 6.

perinde ac gutta mellis in oceanum proiecta omnem naturalem suam amittit proprietatem, et in aquam vertitur. Etenim si tale quid in Christo contigisset, vel divina natura conversa esset in humanam, ut stolide nonnulli huius factionis homines commenti sunt; vel humana natura, quod plerique illorum dicunt, conversa esset in divinam, aut ab hac saltem fuisset absorpta et extincta. Primum est absolute impossibile, quia divina natura necessaria (§ 6), aeterna (§ 25) et immutabilis (§ 26), in aliam naturam converti, aut ab hac extingui, vel absorberi nequit. —Secundum repugnat humanae naturae conditioni: ut enim ista in divinam converteretur, deberet naturae, seu essentiae divinae attributa acquirere, atque ideo ex finita deberet fieri infinita, et cum in tempore facta sit, deberet simul esse aeterna, et cum mutationibus obnoxia fuerit, deberet simul esse prorsus immutabilis etc.; quae omnia manifestam contradictionem involvunt. Neque natura humana a divina ut gutta mellis ab oceano absorpta et extincta dici potest, nam si natura humana post unionem non fuit penitus extincta, seu omnino annihilata, semper adhuc finitum ab infinito, in tempore factum ab aeterno, humanum a divino in Christo distingueretur: si vero natura humana penitus extincta et omnino annihilata dicitur, Christus post unionem non potest dici incarnatus, nec Deus homo, et de ipsa natura divina praedicandum est, quod passa et mortua sit, quae omnia a fide et a recta ratione repudiantur.

2. Nullatenus porro concedi potest, divinitatem et humanitatem *per commixtionem* in unam confluxisse Christi naturam. In naturalibus quidem talis commixtio locum habet, dum duae substantiae ita inter se coniunguntur, ut neutra integra maneat, et proprietates suas retineat, sed ex earundem commixtione seu confusione tertia quaedam substantia progrediatur, uti exempla habemus in liquoribus, electro etc.; unde *S. Thomas* (1) recte observat: « quae permiscentur, non manent integra, sed partim utrumque corrumpitur. » Si ergo talis commixtio in Christo admitteretur, divina eius natura mutata, seu corrupta fuisset, et proprietates suas amisisset, quod in immutabili divinitate absolute impossibile est. Porro si praefata naturarum commixtio in Christo contigisset, nova substantia per illam exorta nec divina, nec humana foret; Christus propterea nec Deus, nec homo esset, sed nova natura novo nomine appellanda. Longe aliter Ss. Litterae et antiquitas exposcunt, quae Christum Deum et hominem praedicant consubstantialem Patri secundum divinitatem, consubstantialem vero matri secundum humanitatem.

3. Denique non potest una Verbi incarnati natura repeti *ex compositione*, cuiusmodi reperitur in humana natura, quae ex substantia spirituali et corporea coalescit, prout iam fert communis Eutychianorum sententia, nam ideo concurrunt duae substantiae ad unam hominis naturam constituendam, quia neutra in se perfecta est in ratione naturae, sed sunt sibi invicem coordinatae ad integram naturam efformandam. Hinc anima sola non est homo, et corpus solum non est homo, seu natura humana, sed una pars altera indiget ad totum illud perfectum, unumque constituendum, quod humana natura est. Contra vero utraque natura in Christo integra est, perfecta, atque in ratione naturae completa, nec altera natura naturam

(1) L. 4 c. Gent. c. 25.

alteram postulat, ut talis sit. Siquidem natura divina tota in se perfecta est, neque est ordinata ad aliam substantiam, ut naturam constituat, sic etiam natura humana in se perfecta est, nec alia substantia indiget, ut naturam pariter efficiat. Hinc anima et corpus inter se coire debent ad naturam, quae humana dicitur, et sub hoc respectu simplex et individua est, constituendam', divinitas vero et humanitas, utpote perfectae, et in ratione naturae completae, nequeunt tanquam partes inter se componi ad unam naturam efficiendam, quae in absurda Acephalorum hypothesi nec divina, nec humana foret, ac propterea Christus nec Deus, nec homo esset.

Nota. Ex dictis patet, sententiam, quae Verbo incarnato, seu Christo unam duntaxat adscribit naturam, tum divinae Revelationi, tum sanae rationi apertissime repugnare. Et tamen *Eutyches*, vir senex, monasticae vitae deditus, et ob externam pietatem in celeberrimi monasterii Praesulem electus, quia discrimen inter personam et naturam non rite intellexit, stultissimam istam haeresin propugnavit, eique cum maxima pertinacitate inhaesit: imo, quod magis stupendum est, multos etiam fautores et asséclas habuit, qui, in varias factiones divisi, gravissimos in Ecclesia tumultus excitarunt, neque etiamnum penitus extincti sunt, cum sub nomine *Iacobitarum* in Armenia, et sub nomine *Coptorum* in Aegypto, et aliis Africae partibus Eutychianorum, seu Monophysitarum errori, spretis Ecclesiae universalis definitionibus, temere inhaereant non pauci. Haec facta lugenda manifeste commonstrant, quam facile infirma mens humana in gravissimo Religionis negotio per apparentes ratiunculas decipiatur, quantum in exponendis clarissimis S. Scripturae locis hincinde caecutiat, quomodo per praeconceptas opiniones et inordinatas passiones in devia abripiatur, ac vanissimos ac stultissimos errores pro genuina veritate, seu pro puro verbo Dei ambabus ulnis amplectatur. Quomodo tam pestifera inordinatio, et tantum salutis aeternae discrimen evitari potest? — Non alia ratione quam audiendo Ecclesiam, quae est *columna et firmamentum veritatis* (1), quae ob iugem Christi (2), et Spiritus sancti assistentiam (3) in docendo errare nequit, et quam ex Christi praecepto quilibet audire (4), eiusque iudicio se subiicere tenetur, nisi velit inter Ethnicos et Publicanos reputari (5). Hanc infallibilem regulam deserens, Eutyches cum suis gregalibus in errorum abyssum prolapsus est; et eodem modo omnium temporum haeretici ideo salutis viam relinquunt, quia subiectivam suam persuasionem, seu potius praeconceptas suas, et ab eorum, qui se Reformatores dicere non erubuerunt, vanis placitis haustas opiniones infallibilis Ecclesiae definitionibus temere praeponunt. Utinam aliquando saperent, et in Ecclesiam redirent, extra quam salus non datur!

(1) 1 Tim. 3, 15. (2) Matth. 28, 18 etc.
(3) Io. 15, 26. (4) Luc. 10, 16.

II. *De duabus operationibus in Christo.*

§ 306. Cum dogmatibus de Incarnatione iam hactenus probatis intime connectitur doctrina de operationibus Christi. Si enim in Christo duae sunt naturae integrae, distinctae, inconfusae et impermixtae, et duae etiam voluntates, divina et humana (§ 284), necessario in Christo asseruntur duae operationes duplici naturae et duplici

(5) Matth. 18, 17.

voluntati convenientes. Vicissim quaecumque istas duas operationes Christo inesse probant, dogmata quoque de duabus Christi naturis et voluntatibus confirmant. — Cum autem, ut pariter iam probatum est (§ 292-295) unica sit in Christo persona, eaque divina, actiones autem et operationes semper personae adscribendae sint; recte inde infertur, quod, quamvis duae sint in Christo operationes, unus tamen sit operans et quod operationes non solum peractae a natura divina, sed etiam susceptae in natura humana, personae divinae attribuendae sint, a cuius infinita dignitate istae quoque infinitum pretium et valorem nanciscuntur. Ut haec doctrina, quae est summi momenti, rite intelligatur, et extra omne dubium ponatur, hic quaedam *de duabus operationibus in Christo, et de uno Christo operante* disserenda sunt.

A. *Duae sunt in Christo operationes.*

§ 307. Christus verus Deus consubstantialis Patri, etiam post incarnationem integram, perfectam, inconfusam naturam divinam habet, unde dubitari non potest, ipsum in hac natura, quae omnipotens est, agere et operari posse. Christus autem est etiam verus homo, et etiam natura humana post unionem cum Verbo integra, perfecta et inconfusa permansit; quapropter Christus per humanam quoque naturam agere, seu operationes naturae humanae convenientes suscipere potest. Duae ergo operationes in Christo sunt distinguendae, *divinae*, quae a sola natura divina perficiuntur, et *humanae*, quae per humanam naturam suscipiuntur; quibus a nonnullis adduntur *mixtae*, ad quas perficiendas ambae naturae concurrunt. — Etiam in quolibet homine, qui ex corpore et anima constat, duplex operatio distingui potest, nempe corporalis, e. g. dum comedit, bibit, dormit etc., et spiritualis, dum cogitat, vult, reminiscitur, cui addi potest mixta, circa quam corpus et anima occupantur, ex. gr. dum quis eruditum sermonem ore profert etc. Ast, sicuti recte dicitur, hominem quidquid agit aut per corpus aut per animam operari, ita recte asseritur, Christum omnia aut per naturam divinam, aut per naturam humanam operari, et ideo sicuti duae naturae et duae voluntates, ita etiam duae operationes, divinae et humanae, *in S. Scriptura*, *in Ss. Patribus* et *in Conciliis* de Christo praedicantur, ut ex dicendis apparebit.

1. *In S. Scriptura* Christus ipse sibi operationes divinas adscribit; ait enim: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (1); et: *Non potest Filius a se quidquam facere nisi quod viderit Patrem facientem: quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit* (2). Idem Christus autem operationes humanas sibi attribuit, dicens: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis* (3). Praeterea iam alibi ostendimus, in Ss. Litteris de Christo praedicari operationes divinas (§ 83), et operationes humanas (§ 281, n. 1). Praeclare autem *S. Leo M.* in celebri Epistola ad Flavianum ostendit, quomodo in S. Scriptura sicut duae naturae, ita et duae operationes Christo adscribantur; ait nempe: « Nativitas carnis manifestatio est humanae naturae, partus Virginis divinae est virtutis indicium. Infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum: magnitudo Altissimi declaratur vocibus Angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impie molitur

(1) Io. 5. 17. (2) Ib. v. 19. (3) Matth. 20, 28.

occidere; sed Dominus est omnium, quem Magi gaudent suppliciter adorare. Nam cum ad praecursoris sui Ioannis baptismum venit, ne lateret, quod carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de coelo intonans dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lactescere atque dormire, evidenter humanum est: sed quinque panibus quinquemillia hominum satiare, et largiri Samaritanae aquam vivam, cuius haustus bibenti praestet, ne ultra iam sitiat; supra dorsum maris plantis non desidentibus ambulare; et elationes fluctuum, increpata tempestate, consternare, sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo, ut multa praeteream, non eiusdem naturae est, flere miserationis affectu amicum mortuum, et eundem remoto quatriduanae aggere sepulturae, ad vocis imperium excitare redivivum; aut in ligno pendere et in noctem luce conversa omnia elementa tremefacere; aut clavis transfixum esse et paradisi portas fidei Latronis aperire: ita non eiusdem naturae est dicere: *Ego et Pater unum sumus,* et dicere: *Pater maior me est.* Quamvis enim in Domino Iesu Christo Dei et hominis una persona sit, aliud tamen est, unde in utroque communis est contumelia, aliud, unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas, de Patre illi est aequalis cum Patre divinitas. » Nil sane aut eloquentius aut solidius proferri posset hac tam accurata duplicis in Christo naturae, et duplicis pariter operationis descriptione ex evangelica historia deprompta.

2. *Ss. Patres* constanter docuerunt, duas in Christo operationes, duplici eius naturae convenientes distinguendas esse. Cum Ariani clamitarent, de Christo talia praedicari, quae a divinitate aliena sunt, ut comedere, dormire, pati etc., *S. Athanasius* (1) ipsos arguit, quod divinitati tribuant, quae a Christo ex humanae naturae imbecillitate gesta sunt: « Non enim, ait, Verbi, qua Verbum est, propria ista sunt, sed humana. Ac quemadmodum, spuente ipso, et manum extendente, et Lazarum appellante, non dicimus humanitatis esse propria praeclare facta, quamvis per corpus fierent, sed Dei: sic etiam cum de Salvatore in Evangelio humana dicuntur, rursus naturam eorum quae dicuntur, intuentes, ea tanquam aliena a Deo, non divinitati Verbi, sed humanitati ipsius imputemus. » *S. Cyrillus Hierosol.* (2) inquit: « Duplex (secundum naturas) erat Christus; homo quidem id quod videbatur: Deus vero id quod minime videbatur: manducans vere ut nos tanquam homo... quinque panibus alens hominum quinque millia utpote Deus: moriens ut homo revera, et ut Deus quatriduanum mortuum revocans ad vitam: vere in navicula dormiens tanquam homo, et ut Deus super aquas ambulans. » *S. Gregorius Nyss.* (3) dicit: « naturas ambas in Christo inconfusas manere, carnis et divinitatis proprietatibus salvis, dum in seipsis singulae spectantur.... nec caro rerum opifex est, nec divinitas patibilem vim habet.... neque Lazarum humana natura vivificat; neque iacentem plorat potestas; verum hominis quidem propria est lacryma, vita vero eius est, quae revera vita est etc.; » cuius rei rationem assignat (4), dicens: « Fieri

(1) Orat. 4, c. Arian. (2) Catech. 4, n. 10. (3) L. 4 adv. Eunom. sub finem.

(4) In Epist. ad Eustath. (rel. in Synodo sexta Act. 10).

non potest, ut quae naturae ratione distant, in eandem operationum speciem inter se conveniant. Non enim refrigerat ignis, neque glacies calefacit, sed pro naturarum discrimine earum operationes a se mutuo separantur.» *S. Chrysostomus* (1) inquit: Christus « assumptam humanitatem divina operatione vacuam nunquam reliquit: verum nunc ut homo, nunc ut Deus agebat, cum naturam subindicans, tum oeconomiae fidem faciens, docensque humiliora ad humanitatem, sublimiora vero ad divinitatem referenda esse... Atque ut Deus efferatum mare sedavit, ut homo a diabolo tentatus est; ut Deus daemones expulit, ut homo pro hominibus passus est.» *S. Hilarius* (2) scribit: « Natus unigenitus Deus ex Virgine homo..... hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se Filium Dei credi doceret, et hominis Filium praedicari admoneret, locutus, et gerens Deus universa, quae Dei sunt, loquens deinde et gerens Deus universa, quae hominis sunt etc.» *S. Ambrosius* (3) ait: « Servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est... Quasi Deus loquitur, quae sunt divina, quia Verbum est: quasi homo dicit, quae sunt humana, quia in ea substantia loquebatur.» *S. Zeno* Veron. (4) de Christo dicit, quod fuerit probans infirmitatibus carnem, et virtutibus maiestatem.» *S. Augustinus* (5) scribit: « Ita inter Deum et homines mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.» *S. Cyrillus Alex.* (6) de Christo ita loquitur: « Quae divinitati convenienter dicta, vel facta sunt, Salvatorem indicant Deum; et rursus quae humanitus dicta sunt et facta, verum hominem ostendunt, huiusmodi enim vis est illius mysterii.» *S. Io. Damascenus* (7) inquit: « Duas in D. N. I. Christo virtutes operatrices dicimus. Nam et ut Deus eiusdemque cum Patre substantiae divinam operationem habebat, et ut homo factus, eiusdem nobiscum substantiae operatricem naturae humanae facultatem.» Denique sicut duas naturas, et duas voluntates, ita etiam *duas operationes* in Christo agnoscendas esse, solemniter definitum est in *Concilio Lateranensi* sub Martino I et in *Gen. sexto CPtano III*, quorum Conciliorum canones § 284, n. 2 citati sunt (8).

Nota. Sicut duas voluntates, ita etiam duas operationes Christo denegarunt Monothelitae, de quibus ideo *Petavius* (9) merito iudicat, quod Eutychianorum, seu Monophysitarum errore infecti fuerint, et occulte saltem duas in Christo naturas negaverint Varias etiam contra doctrinam de duabus in Christo operationibus difficultates moverunt, quae modo solvendae sunt.

Obi. I. Ss. Patres in Verbo incarnato unam tantum operationem agnoverunt; quam Graeci *theandricam* et Latini *Deivirilem* appellarunt. Sic *Dionysius Areop.* (10) docet, «unam esse in Christo Deivirilem operationem.»

Resp. Celeberrimos Ecclesiae Doctores duas in Christo operationes agnovisse, ex allatis eorum testimoniis constat; operationes autem Christi theandricas vocarunt vel in specie illas, quae mixtae dicuntur, et ad quas

(1) Hom. in quatrid. Lazar. (tom. 2, pag. 647 ed. Paris. 1718)
(2) L. 9 de Trinit. (paullo post init.)
(3) L. 2 de fide c. 4. (4) Serm. 3, de Nativ.
(5) In Epist. 137 ad Volusian. c. 3.
(6) L. 24. Thesaur. (7) L. 3, de fide c. 15.
(8) Cf. Petav. de Incarn. l. 8, a c. 7, cap. 10
(9) L. c., c. 6.
(10) In Epist. 4, ad Caium monachum.

perficiendas ambae naturae concurrunt, vel generatim omnes ratione unius personae, cui utriusque naturae operationes adscribendae sunt, ut mox declarabitur. Quod Dionysium attinet, *Cyrus* Patr. Alex. Monothelita eius textum fraudolenter corrupit, ac τὸ *unam* pro τὸ *novam* substituit, quod ipsi exprobrat Martinus I (1). Genuinus enim Dionysii textus ita sonat: « Caeterum (Christus) divina non qua Deus patrabat, neque humana quatenus homo gerebat, sed quatenus erat Deus, et homo, *novam* quamdam nobiscum conversando Deivirilem operationem exhibebat: » Equidem Monothelitae etiam admissa hac lectione, duce *Pyrrho* Patr. CPtano, obiectionem suam urgentes dicebant, Dionysium unicam in Christo asserere operationem, quoniam in singulari loquitur numero. Sed eos confutavit S. *Maximus* M. ostendens, Dionysium triplex genus actionum Christi distinxisse, nempe pure divinas, pure humanas, et mixtas, et ipsum has tantum per novam Deivirilem operationem intellexisse. Ait nempe S. *Maximus* (2): « Illam miscellaneam solam Deivirilem appellavit, siquidem ut Deus tantum operabatur, quando absens Centurionis filium sanabat: in quantum vero homo tantum, etsi Deus erat, quando comedebat, et tristabatur; mixtim autem operabatur miracula, caecis oculos illiniendo restituens etc. » Etiam S. *Thomas* solvit obiectionem ex auctoritate Dionysii petitam (3), dicens: « Dionysium posuisse in Christo operationem θεανδρικήν, id est divinam virilem, vel divinam humanam non per aliquam confusionem operationum, seu virtutum utriusque naturae, sed per hoc, quod divina operatio eius utitur humana, et humana eius operatio participat virtutem divinae operationis. » Quod autem Dionysius non unam, sed duplicem agnoverit in Christo operationem, colligit S. *Thomas* ex aliis eiusdem verbis in cap. 2, de div. nomin., ubi dicit: « Quod in his, quae pertinent ad humanam eius operationem, Pater, et Spiritus sanctus nulla ratione communicant, nisi quis dixerit secundum benignissimam, et misericordem voluntatem, » in quantum scilicet Pater et Spiritus sanctus ex sua misericordia voluerunt, Christum agere, et pati humana. « Sic igitur patet, concludit Angelicus, quod alia est operatio humana, in qua Pater et Spiritus sanctus non communicant nisi secundum acceptionem misericordiae suae, et alia est eius operatio, in quantum est Dei Verbum in qua communicant, Pater et Spiritus sanctus. » Immerito ergo *Mich. Le-Quien* auctorem operum Dionysii occultae Monophysitarum haeresis insimulat.

Obi II. S. *Gregorius Nyss.* (4) contra Eunomium scribit: « Ita operatur Divinitas per corpus, quod induit, omnium salutem, ut corporis quidem sint passiones, Dei autem operatio. » Ergo humanae naturae penitus operationem denegat, quam soli tribuit divinitati.

Resp. S. Pater carni tribuens passiones, humanae naturae operationes non negat, sed potius affirmat. Consuetum est enim Patribus, ut nomine *passionum* intelligant veras Christi operationes secundum naturam humanam, unde S. *Io. Chrysostomus* (5) sic loquitur: « Haud quisquam aberraverit, si ipsius quoque (Christi) passionem actionem appellaverit. In eo enim, quod omnia professus est, in-

(1) In Conc. Later., consul 3.
(2) Scholio in Epist. 4 Dionysii.
(3) 3, q. 19, a. 1 ad 1.
(4) Rel. in Syn. 6, Act. 12.
(5) Hom. 2, in Acta Apost.

gens illud, atque mirandum opus patravit, mortem destruens, aliaqi omnia operans.» Hinc *S. Maximus*, disputans cum Pyrrho, observavit, «Ss. Patres variis nominibus affecisse humanae naturae motionem, prout eius diversae motiones postulabant. Appellarunt ipsam et facultatem, et operationem, et differentiam, et motionem, et proprietatem, et passionem.» Atque hoc sensu explicanda sunt Gregorii verba. « Etenim » addit *S. Maximus*, « omnia, quae ex Deo sunt, et post Deum, eo ipsa patiuntur, quo moventur, utpote quae non sunt ipsa motio, ipsaque vis, ac virtus. » Hinc etiam *Philo* Iudaeus (1) dicebat: « Proprium Dei esse facere.... proprium creaturae pati; » quibus verbis certe non omnes creaturarum operationes excludit. Ita etiam *S. Gregorius* in citato loco naturae humanae operationem non excludit, sed ostendit, omnia, quae humana Christi natura operabatur, et patiebatur, personae divinae, seu Deo esse adscribenda.

Obi. III. *S. Cyrillus Alex.* (2) affirmat Christum « unam quandam cognatam operationem per ambas naturas ostendisse: » ergo una tantum fuit Verbi, et naturae humanae operatio.

Resp. Ad hanc *Pyrrhi* obiectionem respondit *S. Maximus*, duarum naturarum « unam dici » cognatam operationem tum ratione principii seu personae agentis, tum ratione intimae coniunctionis utriusque naturae, qua fit, ut omnes actiones Christi sint theandricae, seu Deiviriles. Quomodo autem ambae naturae in una persona Christi intime unitae vere operentur, *S. Maximus* exemplo illustrat ferri igniti, inquiens: « Quemadmodum enim ignis, ac ferri diversa est natura, aliaeque et aliae ambarum actiones; nec enim ignis secat, sed incendit et illuminat ea vi agendi, quam ei attribuit natura. Neque rursus ferrum sic a natura comparatum est, ut urat, aut illuminet, sed secat et nigrum est. Cum autem coniuncta ea fuerint, coniuncte et indivise suum munus utrumque exequitur, simul enim cum sectione existit ustio, ignisque ferri adminiculo tum incendit, tum illuminat, cum interim non una sit naturalis actio, sed duae, una ignis, qua urit, altera ferri, qua secat, ac utriusque effectus proprius est; ignis quidem ustio, ferri autem sectio; siquidem sectio talis est, quae vim habeat urendi, ac ustio, quae simul secandi. Sic in D. N. Iesu Christo accidit. Agebat utraque natura cum alterius communione quod proprium erat etc.» Non ergo negat S. Cyrillus (3) duas Christi operationes, quas alibi (v. n. 2) aperte profitetur, sed loquitur de unione, quae petitur ex arctissima coniunctione duorum inter se, nempe Verbi, et naturae humanae, quae ad operationes theandricas modo sibi convenienti concurrunt, Verbum quidem iubendo, humana natura vero per suum contactum exequendo.

Obi. IV. Natura humana Christi nihil ex se operari poterat; sed solum ut mota a divina persona; ergo *duo operata* dici poterant in Christo, non autem duae operationes. Nam ait *S. Thomas* (4), hanc Monothelitarum obiectionem proponens: « Considerandum est, quod ubicunque sunt plura agentia ordinata, inferius movetur a superiori, sicut in homine corpus movetur ab anima, et inferiores vires a ratione. Sic igitur actiones, et motus inferioris principii sunt magis *operata quaedam*, quam operationes. Id autem quod pertinet ad supremum principium, est proprie *operatio*, pu

(1) In libro de Cherubin. (2) L. 4. in Ioan. (3) L. c. (4) 3. q. 19. a. 1 in O

ta si dicamus in homine, quod ambulare, quod est pedum, et palpare, quod est manuum, sunt quaedam hominis operata, quorum unum operatur anima per pedes, aliud per manus, et quia est eadem anima operans per utrumque, ex parte ipsius operantis, quod est primum principium movens, est una, et indifferens operatio; ex parte autem ipsorum operatorum differentia invenitur. Sicut autem in homine puro corpus movetur ab anima, et appetitus sensitivus a rationali, ita in D. I. Christo humana natura movebatur et regebatur a divina. Et ideo dicebant (Monothelitae) quod eadem est operatio, et indifferens ex parte ipsius divinitatis operantis; sunt tamen diversa operata, in quantum scilicet Divinitas Christi aliud agebat per seipsam, sicut quod portabat omnia verbo virtutis suae; aliud autem per humanam naturam, sicut quod corporaliter ambulabat... Sed (exinde conclusit *Severus* in Synodo VI) unus (scilicet incarnatum Verbum) hoc et illud operatus est: et nequaquam hoc quidem huius, hoc vero huius est naturae, neque eo, quod diversa sunt operata, ideo duas operatrices naturas, atque formas iuste definiemus. »

Resp. Hanc difficultatem egregie solvit S. *Thomas* (1) cuius argumentatio integra referri meretur, quoniam sublimi huic doctrinae magnam lucem affundit. Ita autem disserit angelicus Doctor: « In hoc decipiebantur (Monothelitae), quia actio eius, quod movetur ab altero, est duplex: una quidem, quam habet secundum propriam formam; alia autem, quam habet secundum quod movetur ab alio: sicut securis operatio, secundum propriam formam est incisio; secundum autem quod movetur ab artifice, operatio eius est facere scamnum. Operatio igitur, quae est alicuius rei secundum suam formam est propria eius, nec pertinet ad moventem nisi secundum quod utitur huiusmodi re ad suam operationem; sicut calefacere est propria operatio ignis, non autem fabri nisi quatenus utitur igne ad calefaciendum ferrum. Sed illa operatio, quae est rei solum secundum quod movetur ab alio, non est alia praeter operationem moventis ipsam; sicut facere scamnum non est seorsum operatio securis ab operatione artificis, sed securis participat instrumentaliter operationem artificis. Et ideo ubicunque movens et motum habent diversas formas, seu virtutes operativas, ibi oportet quod sit alia operatio moventis, et alia operatio propria moti; licet motum participet operationem moventis, et movens utatur operatione moti, et sic utrumque agat cum communione alterius. Sic igitur in Christo humana natura habet propriam formam et virtutem per quam operatur, et similiter divina. Unde humana natura habet propriam operationem distinctam ab operatione divina, et e converso. Et tamen divina natura utitur operatione naturae humanae sicut operatione sui instrumenti, et similiter humana natura participat operationem divinae naturae sicut instrumentum participat operationem principalis agentis. Et hoc est, quod dicit *Leo P.* (2): «Agit utraque forma scilicet tam natura divina, quam humana in Christo, cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente, quod carnis est. » Si vero esset una tantum operatio divinitatis et humanitatis in Christo, oporteret dicere, vel quod humana natura non haberet propriam formam et virtutem (de divina enim hoc

(1) L. c. (2) In Epist. ad Flavian. c. 4.

dici est impossil ile), ex quo sequeretur, quod in Christo esset tantum divina operatio vel oporteret dicere quod ex divina virtute et humana esset conflata in Christo una virtus. Quorum utrumque est impossibile. Nam per primum horum ponitur natura humana in Christo esse imperfecta; per secundum vero ponitur confusio naturarum. Et ideo rationabiliter in sexta Synodo haec opinio est condemnata, in cuius determinatione dicitur: *Duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem D. I. Christo vero Deo nostro glorificamus*, hoc est divinam operationem, et humanam operationem. »

Obi. V. Ss. Patres passim docent, personam Verbi usam esse humana natura tanquam instrumento quodam: instrumentum autem non habet operationem distinctam a causa principali; una enim et eadem est operatio artificis et instrumenti, quod ab artifice adhibetur: ergo etiam una et eadem est divinae et humanae naturae in Christo operatio.

Resp. Ad hanc obiectionem respondet *S. Thomas* (1): « Quod instrumentum dicitur aliquid agere ex eo quod movetur a principali agente, quod tamen praeter hoc potest habere propriam operationem secundum suam formam, ut de igne dictum est. Sic igitur actio instrumenti, in quantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis; potest tamen habere aliam operationem prout est res quaedam. Sic igitur operatio, quae est humanae naturae in Christo, in quantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis; non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi et divinitas eius; habet tamen natura humana in Christo, in quantum est natura quaedam quamdam propriam operationem praeter divinam, ut dictum est. » Verbum enim naturam humanam integram, perfectam, inconfusam, atque ideo intellectu, voluntate, ac naturali sua operandi virtute praeditam assumpsit, eaque usus est non tanquam instrumento inanimato, inerti et otioso, sed tanquam instrumento vivo, intelligente, propria vi et efficacia praedito. Ss. Patres ergo operationem humanae naturae non negant, dum hanc organon, aut instrumentum Verbi appellant.

B. *Operans unus est, nempe Christus, persona divina.*

§ 308. 1. Quamvis duae sint in Christo operationes, unus est tamen operans, quia unica est in Christo persona, eaque divina. Actiones enim, ut fert commune adagium, sunt suppositorum, seu actiones, quocumque medio, seu instrumento suscipiantur, ipsi personae agenti sunt adscribendae. Id aliquo modo exemplo hominis illustrari potest, cuius corpus comedit, ambulat, percutit, etc., et cuius anima cogitat, vult, decernit, etc. Recte autem dicitur: homo comedit, homo ambulat, homo percutit, homo cogitat, etc. Quamvis autem quaelibet paritas claudicet, attamen allatum exemplum Christo applicare licet, dicente Symbolo Athanas.: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.* Unus nempe est Christus, qui in utraque natura operatur, seu unica est persona, eaque divina, cui non solum operationes naturae divinae, sed etiam operationes naturae humanae recte adscribuntur. Id Ss. Patres docent. *S. Athanasius* (2) inquit: « Deus existens proprium corpus habuit, et hoc usus est instrumento, homo propter nos factus. Ideo quae propria sunt car-

(1) L. c. ad 2. (2) Orat. 4, c. Arian.

nis, ipsius esse dicuntur, quoniam in illa inerat, ut sunt esurire, sitire, pati, fatigari, et similia, quorum capax erat caro. » S. *Ambrosius* (1) de Christo ait: « Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Et si idem loquitur non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones etc. » *S. Augustinus* (2) ita praeclare disserit: « Sicut unus est homo anima rationalis et caro, sic unus est Christus Deus et homo: ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis et caro: Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma servi. Idem de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulcro? Christus Iesus, sed in carne sola etc.: » ergo omnia, quae utrique naturae contigerunt, aut ab ea facta toleratque sunt, uni adscribuntur eidemque personae. *S. Cyrillus Alex.* (3) ait, « quod Filius Dei, quoniam in natura divina pati non potuit, natura humana, seu carne, et anima usus tanquam instrumento.... et esuriisse dicitur, et longinquarum peregrinationum labores pertulisse; consternationes item et metus, nec non dolorem et angorem, ac mortem denique in cruce. » *S. Leo M.* (4) citat verba *S. Hilarii* (5) dicentis: « Natus unigenitus Deus ex Virgine homo... hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se Filium Dei credi doceret, et hominis Filium praedicari admoneret: locutus et gerens homo universa, quae Dei sunt; loquens deinde et gerens Deus universa, quae hominis sunt. » *Gelasius P.* (6) docet, « ita deinceps pariter hunc eundem D. I. Christum et Deum explesse quae humana sunt, et hominem gessisse quae divina sunt, ut in utroque hunc eundem unum veraciter existentem omnis confessio christiana concelebret; sic ad passionem venisse, ut et Deus et homo verus sit crucifixus etc. » *S. Sophronius* Patr. Hier. (7) scribit: « Emmanuel unus existens, et simul utraque, Deus et homo, quae utriusque naturae propria sunt, revera faciebat, secundum aliud, atque aliud, quae agebat operans... Propterea unus et idem divina facit et humana; similiterque dicit et loquitur etc. » *S. Io. Damascenus* (8) ait: « Quoniam una est duarum naturarum hypostasis, unum eundemque dicimus esse volentem, et operantem naturaliter secundum ambas naturas, ex quibus et in quibus est Christus Deus noster. » Idem (9) scribit: « Quemadmodum caro ita deificata est ut propriae naturae mutationem nullam passa sit, eodem modo et voluntas et operatio deificatae sunt quidem, non tamen proprios limites excesserunt. Etenim unus est, qui hoc et illud, atque hoc et illo modo, divino scilicet et humano, vult et operatur » (10).

2. Ex veritate hac demonstrata recte infertur, Christi actiones et passiones, etiam quae in natura eius humana contingebant, *divinas*, seu *deificatas* dicendas esse. Egregie id declarat *Petavius* lib. 8. cap. 10. de incarn., ubi cum n. 11 quatuor modos enumerasset, iuxta quos Veteres humanas Christi operationes *deificatas* esse dicebant, n. 12 ita pergit: « Ve-

(1) L. 2 de fide c. 4. (2) Tract. 78 in Ioan.
(3) In dial. de incarnat.
(4) Epist. 97, c. 3.
(5) Ex l. 9 de Trin. paullo post init.
(6) In lib. adv. Eutych. et Nest.
(7) In Epist. Synod. ad Sergium.
(8) L. 3 de fide c. 14. (9) Cap. 15.
(10) Cf. Petav. de incarn. l. 8, c. 10 et 11.

rum ad istos quatuor, quemdam alium addi posse arbitror longe omnibus excellentiorem et appellationi congruentiorem modum, quique *deificationem* humanae cuiuscunque operationis Christi plenius et perfectius declarat. Is autem ex personali Verbi proprietate petitur, quae eadem et humanae naturae communicata, propria fit eius forma eamque determinat, et hoc tribuit, ut in rerum natura subsistat, ac sit actu substantia, et quod sibi consentaneum est, operetur. Etenim nulla, nisi subsistens, agit natura quippiam, ac prius definiri ac terminari illam oportet, certaque consistendi proprietate devinciri, quam functionem ullam praestare possit. Itaque personalis proprietas - etsi per se, et praecise loquendo non sit efficax et actuosa, eam tamen vim habet, ut naturam afficiens - complens ac terminans eandem ad agendum instructam et idoneam reddat. Ex quo illud oritur, ut quaelibet actio Christi divina sit, etiam illa quae mere est humanae conditionis, et alioquin indigna Deo; quatenus humanitas eam exercere, vel perpeti, nisi divina Verbi proprietate, tanquam forma completa, determinataque, non posset. » His dictis (1) concludit: « Hinc apparet, quemadmodum humanae omnes actiones Christi deificatae, divinaeque fuerint, intima quadam et naturali, proprieque dicta ratione; non solum propter qualemcunque cum Deo Verbo coniunctionem, et naturarum inter se mutuam commeationem, vel proprietatum communionem: sive quod humana natura, auctore ac moderatore Deo, sic gubernabatur, nihil ut sine ipsius nutu prorsus ageret; verum eo maxime, quod agendi vim et potentiam divina a persona, tanquam a forma determinante et perficiente, et ultimum substantiae complementum adhibente caperet, sine quo nec existere in rerum natura nec operari omnino potuisset, ex quo factum est, ut operationes omnes hominis propriae, divinae censerentur vereque deificatae. »

3. Humanae Christi operationes et passiones, quamvis a sola natura humana et finita prodeant, tamen a persona divina et infinita, etiam in natura humana agente, summam dignitatem et infinitum pretium consequuntur. Hinc Christus per vitam, passionem et mortem suam non solum plenam et perfectam, sed etiam superabundantem satisfactionem praestitit; qua de re in sequenti sectione fusius agendum erit. Generatim autem de operationibus Christi dicendum est, quod infiniti valoris et meriti fuerint. Certum enim est apud omnes, valorem, seu quantitatem meriti alicuius operis mensurandum esse non ex solo principio, quo perficitur, nec ex solo obiecto, quod respicit, sed praecipue ex dignitate personae operantis. Persona autem Christi operans est divina, atque infinitae dignitatis, et ideo etiam eius operationes infiniti sunt valoris ac meriti. Id clare docet *Clemens VI* (2) loquens de thesauro Ecclesiae, « de cuius consumptione, aut diminutione non est aliquatenus formidandum propter infinita merita Christi. » Et paullo superius dixerat, Christum non effudisse « guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset. » Omnes etiam Theologi operationes et passiones Christi infiniti valoris et meriti esse docent. Non autem omnes conveniunt in declarando, undenam in operationibus Christi infinitum meritum repetendum sit. *Scotistae* istud

(1) N. 13. (2) In Extravag. Unigenitus lib 5. tit. 9 de Poenit. et Remiss

repetunt tantum *ab extrinseco*, nempe ab acceptatione Dei; aiut enim, principium, quo illae operationes perficiebantur, fuisse naturam humanam finitam, eamque etiam per unionem cum Verbo nullatenus fuisse redditam infinitam; actiones autem, quae a natura finita procedunt, ex se infinitas esse non posse: addunt tamen, Deum ratione suppositi infiniti, seu ratione personae divinae agentis, sicut etiam ratione aliarum circumstantiarum praefatas actiones acceptare extensive pro infinitis, et quidem ad valorem et praemium infinitum. *Thomistae* autem defendunt, operationes Christi *ab intrinseco* infiniti meriti et valoris esse. Fatentur equidem etiam isti, naturam humanam etiam post unionem cum Verbo finitam esse, et pariter actiones, prout a natura finita procedunt, seu, in suo esse physico consideratas, finitas esse; sed quia eaedem operationes sunt operationes personae divinae; recte dicuntur, et vere sunt operationes divinae; et quia sunt operationes personae infinitae, recte dicuntur, et vere sunt valoris et meriti infiniti. Huic Thomistarum sententiae nunc fere omnes Theologi subscribunt (1).

Nota 1. Monothelitae vulgato axiomate: actiones sunt suppositorum - abusi sunt, ut non solum unum operantem, sed etiam unicam operationem in Christo inde inferrent; dicebant enim: Operari pertinet ad hypostasin, vel personam; sed persona in Christo est una: et ideo una est etiam in ipso operatio. — Sed male argumentabantur; nam persona est equidem principium, quod operatur, sed operatur per naturam, quae est principium, quo operatio perficitur. Si ergo in una persona duae sunt naturae, necesse est, ut duae sint etiam operationes, quia una eademque persona in utraque natura operari potest. Ideo *S. Thomas* (2) ad allatam obiectionem respondet: « Operari est hypostasis subsistentis, sed secundum formam et naturam, a qua operatio speciem recipit. Et ideo a diversitate formarum seu naturarum est diversa species operationum; sed ab unitate hypostasis est unitas secundum numerum, quantum ad operationem speciei: sicut ignis habet duas operationes specie differentes, scilicet illuminare et calefacere secundum differentiam lucis et caloris, et tamen est una numero illuminatio ignis simul illuminantis. Et similiter in Christo oportet, quod sint duae operationes specie differentes secundum eius duas naturas; quaelibet tamen operationum est una numero in Christo simul facta, sicut una ambulatio, una sanatio. »

Nota 2. Operationes Christi humanae infiniti valoris et meriti fuerunt, quia eius natura humana hypostatico nexu cum Verbo coniuncta fuit. Certum est, naturas nostras nequaquam hypostatico, seu personali nexu cum persona divina uniri. Sed tamen morali nexu, nempe per gratiam et charitatem cum Christo coniungi possumus et debemus. Sine hac coniunctione operationes nostrae absque supernaturali valore et merito remanent; per illam coniunctionem vero magnum valorem et supernaturale meritum consequuntur. Id Christus ipse docet nobis omnibus acclamans: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me*

(1) V. Billuart de incarn. diss. 19, art. 5, ntoine de inc. cap 6, art. 5.

(2) 3 q. 19, art. 1 ad 3.

nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, et fiet vobis (1). Quanti ergo momenti est, ut cum Christo per gratiam et charitatem intime coniungamur? hac tantum ratione fiet, ut aeternam perniciem evadamus et coelestium praemiorum participes reddamur. Imo quo perfectius per charitatem Christo unimur, eo maioris valoris et meriti omnes nostrae etiam leves, quotidianae et exiguae operationes fient, et eo abundantius bonis illis perfruemur, quae praeparavit Deus diligentibus se.

ARTICULUS III.

De unione hypostatica.

§ 309. Unio hypostatica definitur a *S. Thoma* (2) « relatio quaedam, quae consideratur inter divinam naturam et humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei. » Ab aliis Theologis unio hypostatica dicitur ipse status naturae divinae et humanae, quae ad unam Dei hominis constituendam personam concurrunt. Unionem hanc in Christo vere adesse, immediate deducitur ex dogmatibus probatis, quae nos certos reddunt, duas naturas integras et inconfusas, divinam et humanam in una persona Christi esse coniunctas. Iam hic quaedam dicenda sunt de hypostaticae huius unionis: 1° *excellentia et incomprehensibilitate*, 2° *de eius natura*, et 3° *proprietatibus*, ac 4° in specie *de perpetua illius duratione et indissolubilitate*.

I. *De unionis hypostaticae excellentia, et incomprehensibilitate.*

§ 310. 1. Quod magnus *Augustinus*(3), de Deo disserens, dixit, etiam de unione hypostatica recte pronuntiatur: « facilius dicimus, quid non sit, quam quid sit. » Et sane unio hypostatica non est *illa vulgaris* seu *universalis*, quae in concursu Dei ad omnes creaturarum actiones invenitur; nec est *moralis* tantum, quae ex consensu amicorum, aut ex inhabitatione Dei per gratiam in animabus iustis resultat; nec est mere *naturalis*, qua res sensibiles et finitae inter se iunguntur, aut etiam commiscentur, ut novam quamdam substantiam constituant; nec est *temporaria*, qualis adfuit in Prophetis, qui certis temporibus a Deo inspirati futura praeviderunt et praedixerunt; nec est *circumscripta* ad certas duntaxat actiones, qualis reperitur in cooperatione Dei ad quaedam miracula patranda per aliquem hominem: sed est unio *plane singularis*, quae praeterquam in Christo in nullo alio sive homine, sive angelo invenitur; unio *incircumscripta*, ad omnes actiones personales exstensa, et unio *continua*, quae a primo conceptionis Christi momento incepit, nunquam interrupta fuit, et in aeternum non dissolvetur.

2. Rectissime igitur unio hypostatica post unionem, seu potius unitatem trium personarum in una essentia, omnium unionum *maxima et praestantissima* dicitur. Id Theologi sequentibus rationibus probare solent: *a*) Eo maior ac praestantior aestimari debet unio extremorum, quo longius extrema a se distant, et quo perfectius tamen inter se uniuntur: atqui extrema unionis hypostaticae, natura nimirum divina et humana, a se infinite distant, et tamen ita uniuntur, ut unam personam constituant: ergo haec unio maxima et praestan-

(1) Io. 15, 4 etc. (2) 3, q. 2, a. 7.
(3) En. in Ps. 85, n. 12

tissima est dicenda: *b*) Tanto maior et praestantior est unio, quanto medium, in quo extrema coniunguntur, est magis unum et simplex, magis nobile et perfectum: atqui in unione hypostatica medium, in quo extrema coniunguntur, est persona Verbi sicut simplicissima, ita nobilissima et infinita; imo istud medium est maxime unum, atque cum uno extremo, nempe natura divina, realiter idem et unum; cum altero vero, scilicet humanitate, intime et substantialiter unitum, ita ut ei tribuat suum esse, suam unitatem, et subsistentiam: ergo hypostatica unio pleno iure praestantissima et maxima vocatur. *c*) Hoc ipsum auctoritate *Ss. Patrum* confirmari potest. *S. Augustinus* (1) de unione hypostatica scribit: « Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Dei, et Filius hominis simul, et Filius hominis propter susceptum hominem, et Filius Dei propter suscipientem unigenitum Deum veraciter et proprie diceretur... Praedestinata est ista naturae humanae tanta, et tam celsa, et summa subvectio, ut quo attolleretur altius non haberet: sicut pro nobis ipsa divinitas, quousque se deponeret, humilius, non habuit. » *S. Bernardus* (2) inquit: « Inter omnia, quae recte unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres personae una substantia sunt; secundo loco illa praecellit, qua e converso tres substantiae (divinitas scilicet, anima et corpus) in Christo una persona sunt. » — Imo nonnulli hanc unionem, quae in persona facta est, illi unitati, quae est in natura, praeferendam esse censuerunt; quoniam *S. Augustinus* (3) dicit, « quod homo potius est in Filio Dei, quam Filius in Patre. » Sed illorum sententia admitti non potest, quoniam nihil simplicius simul et augustius, atque sublimius cogitari potest, quam tres personae in una essentia simplicissima et infinita. Maior est ergo unitas personarum trium in una natura, quam unio duarum naturarum in una persona. Neque citata *S. Augustini* verba quemdam perturbare debent; nam, ait *S. Thomas* (4): « Quia illud, quod in contrarium obiicitur, falsum supponit, scilicet quod maior sit unio incarnationis, quam unitas personarum divinarum in essentia, dicendum est ad auctoritatem *Augustini*, quod humana natura non est magis in Filio Dei, quam Filius Dei in Patre, sed multo minus. Sed ipse homo quantum ad aliquid est in Filio magis, quam Filius in Patre, in quantum scilicet *idem* supponitur in hoc, quod dico *homo*, prout sumitur pro Christo, et in hoc quod dico *Filius Dei*; non autem est idem suppositum Patris et Filii. » Certum autem est, unionem hypostaticam esse maiorem ea, qua anima et corpus uniuntur ad unam hominis naturam et personam constituendam; nam, ait *S. Bernardus* (5), « si duo illa de se invicem praedices, non erraveris; Deum videlicet hominem et hominem Deum vere, catholice pronuntias. Non autem similiter vel carnem de anima, vel animam de carne nisi absurdissime praedicas, etsi similiter anima et caro unus sit homo. » Hoc idem docet *S. Thomas* (6).

3. Unio hypostatica tam excelsa et sublimis est, ut captum nostrum superet, et perfecte a nobis comprehendi et explicari non possit. Cogno-

(1) Lib. de praedest. Sanct. cap. 15.
(2) L. 5, de Consid. c. 8.
(3) L. 1 de Trin. cap. 10.

(4) 3, q. 2, art. 9 in fine. (5) *l. c.*
(6) *L. c.* ad 3.

scimus quidem in doctrina de Incarnatione subiectum et praedicatum, quia nobis revelatum fuit, quod *Verbum caro factum est*, et quod ideo duae naturae, divina et humana, in una persona Verbi coniunctae sint; sed intrinsecum hunc nexum, seu hypostaticam hanc unionem intime penetrare, penitus perspicere et perfecte comprehendere non valemus. Recte ideo haec ipsa unio *incomprehensibilis*, et Incarnatio veri nominis *mysterium* appellatur. — Ipsa S. Scriptura Incarnationem Filii Dei ceu *mysterium* in Deo a saeculis absconditum praedicat, cuius cognitio a sola revelatione habetur, et cuius *investigabiles divitias* etiam Angeli scrutantur. Ait enim Paulus: *Mihi omnium minimo data est gratia haec, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi: et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo* (1). *Mysterium, quod absconditum fuit a saeculis, et generationibus, nunc autem manifestatum Sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriae* (2). I. Tim. III, 16 Apostolus ita de incarnatione loquitur: *Manifeste magnum est pietatis sacramentum* (textus graecus habet *mysterium*), *quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo.* — Etiam *Ss. Patres* unionem hypostaticam incomprehensibilem et ineffabilem esse docent. *Dionysius* (3) inquit: « Iesu in carne apparitio et ineffabilis est sermone, et omni ignota intelligentiae, ipsi quoque antiquissimo Angelorum primati non satis perspecta. » *S. Augustinus* (4) cum varia proposuisset, quae in mysterio Incarnationis a nobis perfecte comprehendi nequeunt, in fine addit: « Si ratio hic quaeritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.» Ibidem (5) ex ignoratione rerum humanarum, quae quotidie oculis nostris obversantur, eorum audaciam et temeritatem reprimit, qui res divinas negant, quod eas animo capere non possint. Quis etenim explicare satis valeat, quomodo anima unitur corpori? quomodo per sensus corporeos sensibilia obiecta percipit? quomodo semen terrae commissum in segetes, vel arbores crescat? quod si ratio humana haec naturalia perfecte non perspicit, quomodo supernaturalia comprehendet? et si illa ob testimonium sensuum pro certis habet, anne haec Deo revelanti non credet, quamvis ea non comprehendat? Ita argumentatur S. Doctor, atque dicit: « Miratur hoc (unionem divinitatis cum humanitate) mens humana, et quia non capit, fortasse nec credit: seipsam primitus ingrata miretur, seipsam paululum, si potest, attollat a corpore, et ab eis rebus, quas solet sentire per corpus, et videat ipsa quid sit, quae utitur corpore. Sed forte non potest. Magni quippe est ingenii revocare mentem a sensibus, et cogitationem a consuetudine abducere.» *S. Cyrillus Alex.* (6) ita de Incarnatione disserit: « Est revera sapientia, nec humana quidem ullo modo, sed divina potius, atque in reconditis quibusdam profunditatibus et incomprehensis difficultatibus po-

(1) Ephes. 3, 8 etc. (2) Col. 1, 26.
(3) De div. nom. cap. 2.
(4) Ep. 13, 7 (al. 3) ad Volusianum c. 2
(5) N. 5. (6) Lib. 3, adv. Nestor. (pag. 60, ed. Paris. 1638.

sita, illud Christi mysterium. Ideo B. David cecinit: *Et posuit tenebras latibulum suum: in circuitu eius tabernaculum illius; tenebrosa aqua in nubibus aëris* (1); ubi tenebras, opinor, nihil aliud appellat, quam obscuram intelligentiae perceptionem, quae in oculos mentis instar caliginis incurrit.» Ex qua idem S. Pater colligit, « non sublimibus inquisitionibus, aut eiusmodi curiosa indagatione, quae ingenii humani captum superet, opus esse illi Christi mysterio; sed fide potius, quae simplici, nec ullo fuco adulterata traditione constet.» *S. Petrus Chrysol.* (2) ita praeclare loquitur: « O homo! — aestima quis sis, quantum sis, qualis sis, et tunc demum cogita, utrum possis dominicae nativitatis penetrare secretum, utrum merearis ad illius pectoris cubiculum pervenire, ubi tota superni regis, tota divinitatis requiescit maiestas; utrum debeas..... audax et curiosus arbiter... conspectibus tuis absconditum saeculis nudare mysterium, revelare tibi ipsis Angelis invisibile sacramentum, et ita coelesti fabricae praesidere, ut deprehendas liquido tu, quomodo Deus penetrale clausae carnis intraverit... et qua ratione praeter naturam - nostrae carnis integram susceperit qualitatem? et si ad haec tibi liber non perpatuerit accessus, iam Deus ex carne assumere non potuit, quod in principio assumpsit ex limo? — Imo quia totum Deo est possibile, et tibi ne ad minima quidem operum Dei possibile est pervenire; conceptum Virginis noli discutere, sed crede; Deum voluisse nasci pie senti, quia facis iniuriam si requiris; magnum dominicae nativitatis sacramentum fide percipe, quia ne minima quidem operum Dei assequi poteris sine fide, dicente Scriptura: *Omnia opera eius in fide* (3). Sed tu hic totum vis de ratione constare, ubi totum consistit ex fide: quod tamen non sine ratione subsistit, sed ratione Dei, non tua, homo. » In Concilio *Ephesino* Patres, cap. 13, profitentur, quod *Verbum*, seu Filius Dei, *substantialiter, ineffabiliter, et incomprehensibiliter factus sit homo.* Concilium *Trullanum*, can. 79, Christi partum appellat *inenarrabilem, supra mentem et sermonem, quod comprehendi non potest.* Concilium *Toletanum XI*, explicans Incarnationis mysterium, dicit: *Partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur. Quod si ratione colligitur, non erit mirabile; si exemplo, non erit singulare.* — Ex his satis patet, quod constans haec fuerit in Ecclesia persuasio, unionem hypostaticam rationis humanae captum superare, et perfecte a nobis comprehendi non posse. Hoc idem propugnat *S. Thomas*, et huius incomprehensibilitatis rationem affert, a quolibet vero Philosopho approbandam. Ita enim (4) disserit: « Quia secundum quantitatem virtutis, quam Deus exercet in creaturam, magis et minus dicitur creaturae uniri, patet, quod cum efficacia divinae virtutis humano intellectu comprehendi non possit; sublimiori modo Deus potest creaturae uniri, quam intellectus humanus capere possit. Quodam ergo incomprehensibili et ineffabili modo dicimus Deum unitum esse humanae naturae in Christo, non solum per inhabitationem, sicut in aliis Sanctis, sed quodam modo singulari ita, quod humana natura esset quaedam Filii Dei natura, ut Filius Dei, qui ab aeterno habet naturam divinam a Pa-

(1) Ps. 17.
(2) Serm. 141. de Incarn. Christi.
(3) Ps. 32.
(4) Opusc. 3. c. 6.

tre, ex tempore per assumptionem mirabilem habeat humanam naturam ex genere nostrae.»

Nota. Unio hypostatica illustrari solet exemplo unionis animae et corporis in quovis homine. *S. Augustinus* (1) ita scribit: « Quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permistus sit, ut una fieret persona Christi, cum hoc semel fieri oportuerit, quasi rationem reddant ipsi de re, quae quotidie fit, quomodo misceatur anima corpori ut una persona fiat hominis. Nam sicut in unitate personae anima unitur corpori ut homo sit, ita in unitate personae Deus unitur homini ut Christus sit. In illa ergo persona mistura est animae et corporis; in hac persona mistura est Dei et hominis, si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam, quamquam et in ipsis corporibus aëris lux ininterrupta misceatur. » Eadem paritas *in Symbolo Athan.* adhibetur: « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Cristus. » Et magna profecto inter utramque unionem analogia invenitur. Nam sicut anima et corpus in una persona hominis, ita divinitas et humanitas in una persona Christi coniunguntur: sicut post unionem in homine corpus retinet suas proprietates materiales, et anima suas proprietates spirituales; ita post unionem hypostaticam in Christo natura divina retinet suas proprietates divinas, et natura humana suas proprietates humanas: denique sicut anima rationalis in homine est principium superius dirigens ac moderans omnes eius actiones, ita natura divina tanquam superior ac domina coniunctam sibi humanitatem in uno Christi supposito regit, moderatur et universas eius actiones afficit. Quamvis autem inter utramque unionem tanta analogia inveniatur, nullatenus tamen putandum est, per hoc exemplum unionem hypostaticam plane intelligi et perfecte explicare posse. Dantur enim etiam satis gravia discrimina, quae inter utramque unionem intercedunt. In homine ex animae et corporis coniunctione non solum una persona, sed etiam una natura completa resultat; in Christo autem duae naturae integrae et inconfusae in una persona coniunguntur. In homine spiritus finitus cum corpore finito unitur: in Christo natura infinita hypostatice unita est cum finita. Denique in homine corpus et anima in se invicem agunt, ac se mutuo perficiunt et complent: sed Verbum divinum naturam quidem humanam assumit, perficit, exaltat regitque, non autem ita natura humana in divinitatem agere eamque perficere potest. Hinc patet, allatum exemplum nequaquam valere ad unionem hypostaticam ex omni parte declarandam, aut eandem comprehensibilem reddendam. Quamobrem eandem paritatem attentius considerantes, humiliter potius confiteri debemus, quod, si ipsam in nobis animae et corporis unionem, mutuumque, quod inter se habent, commercium perfecte non intelligimus, multo minus hypostaticam divinitatis et humanitatis unionem comprehendere et perfecte explicare valeamus.

(1) In cit. Ep. ad Volusian.

II. *De natura unionis hypostaticae.*

§ 311. Quamvis Scholastici in Verbi divini Incarnatione summum mysterium agnoscerent nihilominus unionis hypostaticae naturam investigare, et quid illa in se sit, inquirere conati sunt. Ast in hac ardua quaestione solvenda nullatenus inter se convenerunt, sed

varias sententias propugnarunt. Arbitrati sunt nonnulli, unionem hypostaticam esse ipsammet actionem, per quam humana Christi natura producta fuit. Alii cum Scoto, Suarez, Vasquez, Salmanticensibus etc. censent, unionem hypostaticam esse entitatem aliquam, quae realiter tum a natura humana assumpta, tum a persona Verbi distincta est, per quam autem haec duo extrema inter se coniunguntur: sed in determinanda, seu denominanda ista entitate patroni huius sententiae nequaquam conveniunt. Communior tandem Theologorum sententia docet, praefatam unionem non esse quid ab extremis unitis distinctum, sed esse ipsam Verbi personam quatenus propriam communicat humanae naturae subsistentiam. — Graves rationes suadent, ut repudiatis prioribus sententiis hanc ultimam amplectamur.

1. Prima sententia non potest admitti, quia unio hypostatica realiter distinguitur a productione humanitatis Christi. Haec enim productio, cum sit opus ad extra, est actio toti Trinitati communis; unio vero hypostatica solius est secundae Trinitatis personae, quia *Verbum caro factum est* (§ 273, nota); ergo unio hypostatica non est illa actio, per quam humanitas Christi producta fuit. Praeterea unio hypostatica pertinet ad ordinem supernaturalem, productio autem humanitatis Christi (si praescindatur a modo productionis in Virgine) ad ordinem pure naturalem; ergo realiter inter se distinguuntur. Hinc B. V. Maria praebuit suum concursum ad generationem humanitatis, non vero ad actionem unitivam humanitatis cum Verbo divino.

2. Secunda quoque sententia merito reprobatur. Nam non potest admitti entitas creata copulans humanitatem cum Verbo divino, quin illa non solum in humanitate, sed etiam in Verbo recipiatur, et quidem ab hoc ita recipiatur, ut tamen dici possit, Verbum immediate naturam humanam assumere, et cum hac hypostatice uniri: ast non potest entitas creata in Verbo recipi ita ut cum hoc idem sit, quia, hoc posito, ipsum Verbum mutaretur; ergo praefata entitas non potest admitti. Praeterea haec ab indicatae sententiae patronis ideo ad Verbi personam cum humanitate uniendam necessaria dicitur, quoniam nulla Verbum inter et humanam naturam esset proportio. Ast quaenam proportio esse potest inter Verbum et praedictam entitatem, sive eam qualitatem, sive relationem, sive modum nominent, si haec creata sint? — Si unio hypostatica est entitas realiter ab extremis distincta, et vinculum necessarium ad humanitatem cum Verbo coniungendam, debet admitti secunda entitas, per quam prima uniatur, et tertia, per quam uniatur secunda, et sic in infinitum; talis autem in infinitum processus penitus repugnat.

3. Iuxta tertiam sententiam unio hypostatica nihil aliud est, quam ineffabilis communicatio divini esse a Verbo facta humanitati per huius translationem in suam propriam subsistentiam. Haec autem communicatio non fit per aliquam entitatem creatam et intermediam, sed immediate per personam Verbi. Et sane eodem modo de hypostatica unione iudicandum est, ac de unione substantiali, quae inter hominis corpus animamque intercedit; hanc quippe unionem Ss. Patres saepissime ad unionem hypostaticam explicandam in exemplum adducunt. Verum unio, quae inter animam hominis, eiusque corpus intercedit, non est entitas quaedam ab anima et corpore distincta, ut omnes

sensati Philosophi docent : ergo etiam in unione hypostatica talis entitas, a Verbo et humanitate distincta, non est admittenda. Hanc esse sententiam S. *Thomae*, patet ex ipsius verbis (1): « In unione humanae naturae ad divinam nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, cui per prius humana natura coniungatur divinae personae. Sicut enim inter materiam et formam nihil cadit in medium in esse, quod per prius sit in materia, quam forma substantialis.... ita etiam inter naturam et suppositum non potest, aliquid dicto modo medium cadere etc. » Et in Summa 3, q. 6, art. 6, ad. 1 dicit: « Unio naturae humanae ad Verbum Dei est secundum esse personale, quod non dependet ab aliquo habitu sed immediate ab ipsa natura. » Non itaque excogitare debemus aliquem nexum ab utraque natura distinctum, et utramque simul in una persona copulantem, - eo fere modo, quo calce simul uniuntur lateres, aut filo consuuntur vestes; sed potius quomodo forma unitur materiae, aut actus potentiae, quin aliquod sit vinculum, quo simul copulentur; ita divina natura et humana simul immediate coniunctae sunt in una persona Verbi divini.

Nota. Admodum subtilia, et exigui quoque momenti sunt quae scholastici de natura, seu, ut dicere consueverunt, de quidditate unionis hypostaticae disseruerunt, ac inter sese disputarunt. Recte igitur Theologi recentiores quamplures totam hanc quaestionem silentio praetereunt; sed tamen eam, breviter attigisse, supervacaneum non est. Haec enim celeberrimorum Theologorum conamina, quibus unionis hypostaticae naturam explicare tentarunt, clare ostendunt, quantum humana ratio caecutiat, dum intima mysteriorum fidei arcana penetrare praesumit. Et sane prima et secunda sententia adeo naturam unionis hypostaticae non explicat, ut potius novis difficultatibus involvat: tertia autem sententia equidem haec inconvenientia devitat, sed solum doctrinam revelatam proponit, quin de ipsa veri nominis explicationem afferat. Hinc iterum confirmatur, quod § praec. dictum est, unionem hypostaticam incomprehensibilem fide tenendam, non curiose investigandam esse.

(1) In 3 Sent. Dist. 2, q. 2, a. 2, quaestiunc. 1.

III. *De proprietatibus unionis hypostaticae.*

§ 312. Circa proprietates unionis hypostaticae variae quaestiones in scholis motae fuerunt; quaesitum enim est, an unio hypostatica sit *aliquid creatum?* an sit *substantialis*, *vel accidentalis?* an sit *facta per gratiam?* an *naturalis*, *vel supernaturalis* dicenda sit? — Variae, ut ex dicendis patebit, responsiones ad istas quaestiones hincinde in Theologis inveniuntur: sed, si debitae distinctiones rite attendantur, facile cognoscetur, tum quid sentiendum sit, tum quod Theologi quoad substantiam doctrinae revelatae inter se nullatenus dissentiant.

1. Unionem hypostaticam esse *aliquid creatum*, Theologi sat communi consensu docent et manifesta ratione probant. Etenim id debet necessario creatum censeri, quod non fuit ab aeterno, sed aliquando coepit in tempore: huiusmodi autem est unio hypostatica; quamvis enim Verbum divinum semper fuerit, attamen non semper fuit coniunctum humanitati nostrae, sed illam assumpsit in tempore, ex quo per veram actionem factum est hoc compositum, Christus, quod antea non erat: ergo unio hy-

postatica est aliquid creatum; hinc Ierem. XXXI, dicitur: *Creavit Dominus novum super terram: foemina circumdabit virum.* — Quidam tamen, ut observat Cl. *Tournely* (1), volunt, unionem hypostaticam partim increatam, partim creatam dicendam esse, nempe increatam ex parte Verbi aeterni, et creatam ex parte humanitatis assumptae. — Haec vero distinctio adiaphora est: omnes enim catholici Theologi admittunt, Verbum aeternum esse, et etiam Incarnationem ab aeterno divinitus decretam fuisse: unio autem ipsa in tempore facta est, cum humanitate assumpta incepit, et ideo simpliciter aliquid creatum est dicenda. Neque talis propositio aeternitati et immutabilitati Verbi divini repugnat, sicuti illi non repugnat effatum Scripturae, *Verbum caro factum est*, scilicet in tempore naturam humanam in unitatem personae divinae assumpsit.

2. Contra *Nestorium*, qui inter duas personas, Christum Deum et Christum hominem, moralem et accidentalem unionem admisit, omnes Theologi catholici propugnant, unionem hypostaticam esse *substantialem:* quod sequenti argumento ostenditur. Unio, per quam unum subsistens resultat compositum, cuius extrema non per accidens et moraliter, sed physice ac realiter unita sunt, est unio substantialis, ut hominis patet exemplo, qui est unum subsistens compositum, cuius extrema, anima scilicet et corpus, quum non moraliter, sed physice et realiter copulata sint, talis unio vocatur et est substantialis. Iam vero ex unione inter Verbum et humanitatem unum resultat compositum subsistens, nempe Christus, cuius extrema, Verbum scilicet et humanitas, physice atque realiter, non moraliter et per accidens unita sunt; unio igitur hypostatica est unio substantialis. Argumentum est *S. Cyrilli Alex.*, qui (2) scribit: « Pie recteque asseveramus, dum magnus ille Paulus, *omnem divinitatis plenitudinem in ipso* inhabitasse, scribit, non quidem per alicuius doni participationem, aut habitudinem, aut gratiae communicationem, sed *corporaliter*, hoc est essentialiter, sicut in homine dicitur inhabitare spiritus eius, non alias existens praeter ipsum. » Praeiverat illi *S. Gregorius Naz.* (3), dicens: « Si quis tanquam in propheta gratia operatum esse Deum in Christo, et non secundum substantiam coniunctum fuisse ac coniungi dixerit, a praestantiori afflatu vacuus sit, imo contrario repleatur. » — Hinc *S. Io. Damascenus* (4) inquit: « Substantialem esse hanc unionem dicimus, hoc est, veram et non imaginariam: substantialem autem, non quod duae naturae unam compositam naturam effecerint, sed quod in unam Filii Dei compositam hypostasin inter se unitae sint. » Veritatem eandem etiam Concilia definierunt. *Ephesinum*, cap. 13, ita loquitur: *Dicimus, quod Verbum substantialiter... factum est homo, non evacuata, nec sublata diversitate naturarum per coniunctionem.* Et in *Lateranensi* s[ub] Martino I definitum fuit, secundum veterem orthodoxorum Patrum traditionem confitendum esse *unum eundemque D. N. I. Christum ex duabus et in duabus existentem naturis substantialiter unitis inconfuse et indivise.*

3. Consentiunt Theologi, unionem hypostaticam *factam esse per gratiam;* quod docet *S. Augustinus* (5), dicens: « Ea gratia fit ab initio fidei suae

(1) De Incarn. q. 7, a. 3.
(2) In lib. de recta fide.
(3) Ep. 101, ad Cledon. n. 5.
(4) L. 3, de fide orth. c. 3.
(5) L. de praedest. Sanct. c. 15.

homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. » Cavendum autem est, ne quis haec verba ita intelligat, quasi natura humana in Christo eodem modo Deo unita fuerit, quo iusti per gratiam habitualem, seu sanctificantem Deo coniunguntur; talia enim sentiens in Nestorii haeresin prolaberetur. Distinctionem probe attendendam proponit *S. Thomas* (1), dicens: « Gratia dupliciter dicitur: uno modo ipsa voluntas Dei gratis aliquid dantis; alio modo ipsum gratuitum donum Dei. Indiget autem humana natura gratuita Dei voluntate ad hoc, quod elevetur in Deum, cum hoc sit supra facultatem suae naturae. Elevatur autem humana natura in Deum *dupliciter;* uno modo per operationem, qua scilicet Sancti cognoscunt et amant Deum; alio modo per esse personale, qui quidem modus est singularis Christo; in quo humana natura assumpta est ad hoc quod sit in persona Filii Dei. » Idem (2) alia discrimina inter unionem hypostaticam et gratiam habitualem observat, dicens: « Gratia, quae est accidens, est quaedam similitudo divinitatis participata in homine. Per incarnationem autem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam divinae naturae, sed dicitur esse coniuncta ipsi divinae naturae in persona Filii. Maius autem est ipsa res, quam similitudo eius participata »... Et praeterea: « Gratia habitualis est solum in anima; sed gratia, id est, gratuitum Dei donum quod est uniri divinae personae pertinet ad totam naturam humanam, quae componitur ex anima et corpore. Et per hunc modum dicitur plenitudo divinitatis in Christo corporaliter habitasse, quia est unita divina natura non solum animae, sed etiam corpori. » Ex his patet, quod unio hypostatica sit gratia longe maior et praestantior, quam sola gratia habitualis, seu sanctificans. Idcirco autem unio hypostatica per gratiam facta dicitur, et gratia nominatur, quia humanitas Christi ex gratuita Dei voluntate sine praecedentibus meritis ad tantam dignitatem elevata est. Ratio est manifesta. Nam humanitas Christi sine unione hypostatica nunquam extitit, siquidem in primo instanti suae conceptionis unita fuit cum Verbo, ut fides docet adversus Nestorium: ergo illam non meruit, alias effectus prior esset sua causa. Ita iam argumentatus est *S. Augustinus* lib. de praed. Sanct. (3), dicens: « Respondeatur quaeso: ille homo, ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? quod eius bonum qualecunque praecessit? quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? — Nonne faciente, ac suscipiente Verbo ipse homo, ex quo esse coepit, Filius Dei unicus esse coepit? — Et in Enchir. (4) ait: Hic granditer et evidenter Dei gratia commendatur: Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personae unici Filii Dei singulariter esset assumpta? quae bona voluntas, cuius boni propositi studium, quae bona opera praecesserunt, quibus mereretur iste homo, una fieri persona cum Deo? numquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium praestitum est, cum singulariter promereretur? Nempe ex quo homo esse coepit, non aliud coepit esse homo quam Dei Filius..... Unde humanae naturae tanta gloria, nullis praecedentibus meritis, sine

(1) 3 q. 2, art. 10.
(2) Ibid. ad 1 et ad 2.
(3) Cap. 15.
(4) Cap. 36.

dubitatione gratuita, nisi quia magna hic et sola Dei gratia fideliter et sobrie considerantibus evidenter ostenditur, ut intelligant homines, per eandem gratiam se iustificari a peccatis, per quam factum est, ut homo Christus nullum posset habere peccatum.» Eandem sententiam S. *Thomas* (1) propugnat hac ratione: « Gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium: unde multo minus incarnatio cadit sub merito, quae est principium gratiae. »

4. Unio hypostatica a nonnullis Theologis, ut a *Thoma ex Charmes* (2) *supernaturalis;* ab aliis, ut a *L'Herminier*, *Berti* (3), *naturalis* dicitur: optime procedunt qui cum Cl. *Tournely* (4) distinctionem ineunt, quam etiam S. *Thomas* (5) indigitat, docentque, unionem hypostaticam sub aliquo respectu *supernaturalem*, et sub alio *naturalem* dicendam esse, et totam quaestionem ex sensu et varia significatione huius vocis, *naturalis*, pendere, quae pluribus modis usurpatur. *a*) Naturale quippe dicitur, quod debitum est naturae, et opponitur gratuito beneficio: ita per naturam dicimur homines, et per gratiam filii Dei adoptivi. Hoc modo unio hypostatica naturalis non est, quia gratuita est, nec ullis humanis meritis debita, adeoque ex gratia, seu ex plura benignitate Dei, qui sic mundum dilexit, ut Filium suum unigenitum dederit. Recte igitur *Thomas ex Charmes* ita argumentatur: « Illud est simpliciter supernaturale, quod est naturae indebitum, omnemque illius exigentiam superat: atqui ad esse personale cum Deo attolli, est naturae creatae prorsus indebitum, omnemque illius exigentiam longe superat: ergo unio hypostatica est supernaturalis. » Praeterea naturale hincinde idem significat ac necessarium, quod opponitur libero: ita belluae dicuntur naturae instinctu ac impetu in sensibilia ferri. Hoc sensu naturalis non est, nec dici debet unio hypostatica, quae libera fuit tum ex parte Dei eam libere decernentis, tum ex parte Christi eam libere acceptantis; nam *Oblatus est, quia ipse voluit* (6). — *b*) His non obstantibus, sub vario respectu unio hypostatica recte naturalis dicitur. Naturale enim quandoque vocatur, quod opponitur ficto et umbratili, et est aliquid verum ac reale; quo sensu dicitur: *Iis qui natura non sunt dii, serviebatis* (7). Hoc sensu unio hypostatica naturalis est, quia vera et realis, non fictitia, nec imaginaria. Reprehensus a *Theodoreto* S. *Cyrillus Alex.* quasi unam in Christo naturam asseruisset, eoquod illos improbasset, qui negabant Verbum divinum cum humanitate coniunctum esse, *secundum naturalem unionem*, reposuit S. Pater in defensione tertii Anathematismi, se per *naturalem unionem* veram et realem, non fictam, nec umbratilem intellexisse. — Naturale contra personam aliquando distinguitur; unde duplex dicitur in Christo natura, et una persona: atque hoc sensu hypostatica unio naturalis dici potest, quia natura, non vero persona hominis a Verbo assumpta fuit: non est tamen naturalis perverso Eutychetis sensu, quasi ex duabus naturis, post unionem, una conflata fuerit. Denique naturale idem significat, ac quod a nativitate inditum est, non labore, nec arte comparatum: ita dicimur, *natura filii irae* (8), propter originale peccatum, quod nascendo contrahimus. Hoc modo unio hypo-

(1) 3, q. 2, art. 11.
(2) De Deo incarn. Diss. 6, c. 3, q. 3, a. 3.
(3) L. 26, c. 20. (4) De incarn. q. 7 a. 3.
(5) 3, q. 2, a. 12. (6) Is. 53
(7) Gal. 4. 8. (8) Eph. 2. 3.

statica naturalis est, quia humanitas a primo, quo concepta est, instanti Verbo personaliter coniuncta fuit: quin et ipsamet gratia habitualis statim Christo concessa, naturalis in ipso fuit. Ideo *S. Augustinus* (1) scribit: « Modus iste, quo natus est Christus de Spiritu sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis in ipso exordio naturae suae, quo esse coepit, Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut esset ipse Filius Dei, ac sic in naturae humanae susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum possit admittere peccatum. » Et *S. Thomas* circa praesentem quaestionem (2) ita disserit: « Gratia Christi, sive unionis, sive habitualis, non potest dici naturalis, quasi causata ex principiis humanae naturae in Christo; quamvis possit dici naturalis, quasi proveniens in naturam humanam Christi, causante divina natura ipsius. Dicitur autem naturalis utraque gratia in Christo, in quantum eam a nativitate habuit: quia ab initio conceptionis fuit natura humana divinae personae unita, et anima eius fuit munere gratiae repleta. »

IV. *De perpetua unionis hypostaticae duratione et indissolubilitate.*

§ 313. Si de tempore quaeritur, per quod unio hypostatica perduret; dicendum est, eam in ipsa conceptione Christi incepisse, eamque nunquam dissolvendam esse, sed durare in aeternum.

1. Unio hypostatica in ipsa conceptione Christi incepit, ita ut humana Christi natura non extiterit aliqua duratione temporis ante sui cum Verbo unionem. Dogma hoc Ecclesia profitetur in Symbolo, dicens: *Credo... in Filium eius unicum, qui conceptus est de Spiritu sancto* etc.; non posset autem dici ipse Filius Dei conceptus de Spiritu sancto, nisi natura humana, operante Spiritu sancto, ex substantia Mariae sumpta in ipsa conceptione cum Verbo divino hypostatice unita fuisset. Idipsum probant verba Angeli Mariae dicentis: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* (3). — Generatim doctrina haec catholica confirmatur ex omnibus argumentis, quibus contra Nestorium probatum est (§ 292 et seq.), Verbum divinum naturam humanam, non autem personam humanam assumpsisse, atque ideo rationem personalitatis ex parte naturae humanae non adesse, quia haec nunquam per se substitit, sed semper unita Verbo. Hoc idem clarissime patet ex eo, quod Maria recte appelletur, et vere ac proprie sit *Deipara* (§ 296): talis autem nec esset, nec dici posset nisi natura humana quae ex ipsa originem sumpsit, iam in eius utero cum Verbo divino unita fuisset. Idcirco Ss. Patres sicuti unicam in Christo personam profitentur, et Mariam vere Dei Genitricem esse dicunt, ita pariter, docent, unionem hypostaticam in ipsa conceptione Christi incepisse, ubi *Verbum caro factum est*, seu Filius Dei naturam humanam assumpsit. Ita *S. Athanasius* (4) ait: « Carnis adunatio cum divinitate Verbi ex utero facta est. Inde enim Verbum illam excitavit, adveniens e coelo, non autem eiusmodi, ut ante Verbi adventum extiterit. » *S. Epiphanius* (5) observat, Evangelistam dixisse: *Verbum caro factum est* « ne qui fortasse crederent, quod prius extiterit homo, et venit Christus in hominem.... non

(1) In Enchir. c. 40. (2) 3, q. 2, a. 12. (3) Luc. 1. (4) L. de Incarn. (5) Haer. 77.

enim dixit: caro Verbum facta est, ut ostenderet primum Verbum e coelo venisse, et in seipsum carnem subsistentem formasse ex utero S. Virginis etc. » *S. Augustini* praeclara testimonia iam § praec., n. 3 adducta fuerunt. *S. Cyrillus Alex.* (1) scribit: « Non enim primum homo genitus est communis e S. Virgine, atque ita demum Verbum in eum est illapsum, sed ex ipso utero copulatum carnalem generationem sustinuisse dicitur. » *S. Leo M.* (2) inquit: « Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata postea assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. » *S. Fulgentius* (3) dicit: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo, sed ipsum Verbum suae carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam. » *S. Gregorius M.* (4) haec habet: « Non purus homo conceptus, et editus post meritum, ut Deus esset, accepit; sed nunciante Angelo, et adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro. » Idem docent *Cassianus* (5), *Theodoretus* (6), *Gelasius P.* (7), *S. Sophronius* (8).

2. Inter proprietates unionis hypostaticae haec est praecipua, ut sit *indissolubilis*. Id tamen impie non minus quam stolide inficiari ausi sunt veteres quidam haeretici. *S. Augustinus* (9) refert: « Seleuciani negabant, Salvatorem in carne sedere ad dexteram Patris; sed ea se exuisse perhibebant, eamque in sole posuisse, accipientes occasionem de Psalmo, ubi legitur: *In sole posuit tabernaculum suum.* » *Theodoretus*(10) eiusdem insaniae arguit *Hermogenem*. Ipse *Origenes* eiusdem erroris accusatur, ab aliis autem vindicatur. *Marcellus Ancyr.* et *Photinus* aperte docuerunt, post universalem resurrectionem Christum humanitatem, et regnum depositurum esse. — Contra istos aberrantes probandum est dogma catholicum, quod dicit, ita constanti ac indissolubili nexu Verbum cum humanitate unitum esse, ut hanc nunquam deseruerit, nec unquam deserturum sit. *S. Scriptura* id satis clare contestatur. Nam dicitur: *Potestas eius* (Christi) *potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur*(11). Angelus de Christo ait: *Regni eius non erit finis* (12). Christus de se ipso dicit: *Filius manet in aeternum*(13). Ipsa turba respondet: *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum* (14). Paulus Hebr. VII, 24 scribit: *Christus eoquod maneat in aeternum sempiternum habet sacerdotium;* et Hebr. XIII, 8: *Iesus Christus heri, et hodie, ipse, et in saecula.* Ps. CIX, 4 dicitur: *Tu es Sacerdos in aeternum* etc., quae Verba Hebr. VII Christo applicantur: atqui Christus est sacerdos ut homo: ergo ut homo manet in aeternum, ac ideo unio hypostatica indissolubilis est. — *Ss. Patres* hoc idem docent. *S. Basilius*(15) unionem hypostaticam opponit unioni temporariae Spiritus sancti in Prophetis; ait enim: « Deus in carne non est ex intervallis operans ut in Prophetis, sed cohaerentem sibi humanitatem, unitamque velut propriam obtinens, ac per cognatam nobis carnem suam humanum ad se genus reducens. » *S. Cyrillus Hier.* (16) Mar-

(1) Ep. 2 ad Nestor. (2) In Ep. 11.
(3) L. de fide c. 18. (4) L. 18 Mor. c. 17.
(5) L. 2 de Incarn. c. 7. (6) Dial. 2.
(7) L. de duab. nat. (8) In Ep. ad Sergium
(9) L. de haer. n. 59.
(10) L. 1 haer. fab. c. 19. (11) Dan. 7, 14.
(12) Luc. 1, 3. (13) Io. 8, 34.
(14) Io. 12, 34. (15) Hom. 25 in Nat. Chr.
(16) Catech. 15.

celli et Photini haeresin refellit, et cum ex S. Scriptura probasset, Christum manere in aeternum, concludit: « Haec tene, his crede: quae vero haeresis effutiit, procul reiice; manifestissima namque de nunquam finiendo Christi regno audivisti.» Eandem haeresin impugnat S. *Gregorius Naz.*(1) — *S. Chrysostomus*(2) in illa verba, *et habitavit in nobis*, ita disserit: « Contemplare mihi terribilem et arcanam illius mysterii dignitatem! nam perpetuo tabernaculum istud incolit. Etenim carnem nostram induit, non tamquam iterum eam derelicturus, sed ut secum illam semper habiturus. » *S. Hieronymus* (3) inquit: « De eo, qui passus est crucem, qui postea sedere iubetur a dextris, quid sibi vult hoc, quod ait: *Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius* (4)? numquid tamdiu regnaturus est Dominus, donec incipiant esse inimici sub pedibus eius, et postquam illis sub pedibus fuerint, regnare desistet? cum utique tunc magis regnare incipiet, cum inimici coeperint esse sub pedibus eius. » De perpetuo regno Christi post iudicium idem S. Doctor late disserit in Comment. ad Ephes. 1. — *S. Augustinus*, Christum Deum hominem perpetuo regnaturum esse, probat in lib. 83 qq., q. 69, ubi etiam observat, particulam *donec* Ps. CIX, 1 non ita intelligendam esse, « quasi cum posuerit inimicos suos sub pedibus suis, non sit postea regnaturus. » *Prudentius* (5) canit: « Nos.... rimantes digitos costarum in vulnera cruda mersimus, et manuum, visu dubitante, lacunas scrutati, aeternum Regem cognoscimus Iesum. » *S. Leo M.* (6) ait: « Utrique naturae in suis proprietatibus permanenti tanta est unitatis facta communio, ut quidquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disiunctum; quidquid autem est hominis, non sit a deitate divisum.» *S. Gelasius P.* (7) de Verbo incarnato scribit: « Nunquam autem post resurrectionem unitionis naturae suae discessit a proprio templo: nec discedere potest propter ineffabilem suam benignitatem. » *S. Fulgentius* (8) inquit: « Ab ipso conceptionis virginalis exordio sic in Christo personalis unitas mansit, et utriusque naturae inconfusa veritas perduravit, ut nec homo a Deo divelli, nec Deus a suscepto posset homine separari; nec tamen Deus hominem consumeret, nec homo Deum in aliquo permutaret. » His accedunt definitiones *Conciliorum. CPtanum I* contra haeresin Marcelli Ancyrani Symbolo Nicaeno addidit verba: *cuius* (seu Filii Dei unigeniti, incarnati, passi, mortui, etc.) *regni non erit finis. Chalcedonense*, act. V, in professione fidei dicit, utramque naturam, divinam et humanam in unam personam concurrisse *indivisibiliter* et *inseparabiliter*.— Verba Apostoli (9), quae ab adversariis obiiciuntur, dogmati non adversantur, ut patet ex iis, quae dicta sunt § 87 in Resp. ad Obiect. IV.

Nota. 1. Quaesitum est, an saltem in illo triduo, quo in sepulcro iacuit Christus, divinitas ab humanitate separata fuerit? – Sed iuxta doctrinam catholicam negative respondendum est. Nam in morte Christi anima humana a corpore separata fuit, Verbum autem cum anima unitum mansit et cum corpore. Id clare patet *ex Symbolo*, in quo profitemur: *Credo... in Iesum Christum Filium eius uni-*

(1) Orat. 30 n. 4 etc. (al. 36).
(2) Hom. 11 in Io. (3) L. adv. Helvid. n. 5.
(4) 1 Cor. 15.
(5) In Apotheosi de Christo resuscitato.
(6) Serm. 8 de Nativ. (7) In Epist. 2.
(8) L. 3 ad Trasim. c. 16. (9) 1 Cor. 15, 28.

cum... qui... moriuus et sepultus, descendit ad inferos etc., atqui sepultum non fuit nisi corpus inanime: ergo corpus non fuit a divinitate separatum, alias Filius Dei non posset dici *sepultus*. Praeclare *S. Augustinus* (1) inquit: « Utique confiteris etiam illud, quod habet eadem fides, in eum Christum te credere, qui crucifixus est et sepultus. Ergo etiam sepultum Christum esse non negas, et tamen sola caro sepulta est. Si enim erat ibi anima non erat mortuus etc. » Anima vero, soluta a corpore, descendit ad inferos: ergo etiam anima non fuit a divinitate separata; alias Filius Dei non posset dici descendisse ad inferos (2). Eandem doctrinam Ss. Patres profitentur. *S. Athanasius* (3) ex morte Christi infert, ipsum animam humanam habuisse, quae a corpore separata fuit: non vero divinitatem ab humanitate separatam fuisse, probat ex absurdo, quod sequeretur; nam, ait, « si Verbum recessit a corpore, et ita mortificatio facta est, contra Deum praevaluerunt Iudaei hoc ipso, quod indissolubilem mistionem solverunt. » *S. Gregorius Nyss.* (4) scribit: « Ut.... in morte corpus ab anima separaretur per dispensationem fecit. Caeterum divinitas, quae dividi non potest in partes, semel cum subiecto temperata et commista, nec a corpore, nec ab anima divulsa est. » Idem (5) eam propositionem protulit, quae postea a Theologis instar axiomatis adoptata fuit: « Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit. » *S. Augustinus* (6) ad Dardanum scribit: « Sicut ergo potuit recte dici Dominus gloriae crucifixus, cum ad solam carnem illa passio pertineret: ita recte dici potuit: *Hodie mecum eris in paradiso*, cum iuxta humanam humilitatem per carnem in sepulcro, per animam in inferno illo die futurus esset. » *S. Leo M.* (7) ait: « In tantam unitatem Dei et hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disiungi. » *S. Fulgentius* (8) addit: « Licet in Christi morte carnem morientem fuisset anima desertura; divinitas tamen Christi nec ab anima, nec a carne posset separari suscepta. » *S. Io. Damascenus* (9) haec notatu dignissima refert: « Quamvis Christus ut homo mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore divisa sit, divinitas tamen a neutro, hoc est nec ab anima, nec a corpore quoquo modo seiuncta est. Neque propterea persona una in duas divisa fuit. Siquidem et corpus et anima simul ab initio in Verbi persona existentiam habuerunt, ac licet in morte divulsa sint, utrumque tamen eorum unam Verbi personam, qua subsisteret, semper habuit. » *S. Bernardus* (10) dicit: « Quid divinitate potentius? — Inde est, quod nec morte incidente ullatenus intercidi haec unitas potuit, etsi carne et anima ab invicem separatis. » - Contrarium quidem sensisse videntur nonnulli Patres, ut *S. Epiphanius* (11), *S. Hilarius* (12), *S. Ambrosius* (13), *Leporius* et alii, qui verba Christi: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* (14)? de separatione divinitatis a corpore et anima exposuerunt. - Sed quod ista verba attinet rectissime observat *S. Thomas* (15); « quod

(1) Tract. 47 in Ioan. n. 13.
(2) Cf. S. Thom. 3, q. 50, a. 3.
(3) L. de salutari l. Christi adventu.
(4) In Epist ad Eustat. et Ambros.
(5) L. 1, advers. Eunom. 5, 2.
(6) Epist. 187 (al. 57).
(7) Serm. 17, de Passione. (8) L. c.
(9) L. 3, de fide c. 27.
(10) Lib. 5, de Consid. c. 9.
(11) Haer. 69, n. 62.
(12) Cap. 33, in Matth. n. 6.
(13) L. 10, in Luc. n. 127.
(14) Matth. 27, 46.
(15) 3, q. 50, art. 2 ad 1.

derelictio illa non est referenda ad solutionem unionis personalis, sed ad hoc, quod Deus Pater eum exposuit passioni: unde derelinquere ibi non est aliud, quam non protegere a persequentibus. Vel dicit se derelictum quantum ad illam orationem: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*, ut dicit *Augustinus* (1). In eo quippe derelinquitur deprecans in quo non exauditur. » Similiter hunc locum explicarunt S. Leo M. (2) et multi alii Patres. Atque hac eadem ratione explicari possunt et debent eorum Patrum, qui contrarium sentire videntur, testimonia, scilicet, non de dissolutione unionis hypostaticae, sed de subtractione protectionis, ut Iesus Christus pati et mori posset. Id patet ex eo, quia iidem Patres aliis in locis orthodoxam doctrinam clare profitentur. Ita S. *Epiphanius* (3), de anima Christi ad inferos descendente, et de corpore in sepulcro iacente loquens, dicit: « Quae quidem anima minime apud inferos relicta fuit, neque caro corruptionem vidit, quam divinitas, *quae cum illa coniuncta semper erat*, excitavit. » Et in Ancorato, n. 51, docet, Christum « cum sepulto corpore » adorandum fuisse. S. *Hilarius* (4) scribit: « Dei Filius crucifigitur, sed in cruce hominis mortem Deus vincit; Christus Dei Filius moritur, sed omnis caro vivificatur in Christo: Dei Filius in inferis est, sed homo refertur ad coelum. » S. *Ambrosius* (5), expendes illa verba: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* ita disserit: « Ille quidem nunquam derelictus est a Patre... sed secundum corpus, in quo est traditus passioni, vox ista processit... Dereliquisse videtur, quia non pepercit, qui tradidit morti. Sed non penitus derelictus dicitur: quia non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. » Idem S. Doctor apud *Theodoretum* (6) ita de Filio Dei loquitur: « Nunquam post unionem... vel a suo templo recedens, vel propter ineffabilem benignitatem recedere valens. » *Leporius* Monachus in professione fidei ab Africanis Episcoscopis subscripta declarat, quid per carnem exanimem deserere intellexerit, immediate enim subiungit: « Et tam Christus Filius Dei tunc mortuus iacuit in sepulcro, quam idem Christus Filius Dei ad inferna descendit. » Per derelictionem ergo non solutionem unionis hypostaticae, sed protectionis divinae subtractionem intellexit. Ergo etiam isti Patres orthodoxe senserunt, et doctrinam catholicam confirmant (7).

Nota. 2. Quaestio etiam mota est, an sanguis Christi in passione effusus toto triduo mortis manserit Verbo unitus? — Ad hanc quaestionem communis, et vera Theologorum responsio est, quod totus sanguis, in Resurrectione resumendus, in triduo mortis Verbo unitus mansit. Veritas ista ex praecedenti doctrina infertur. Nam ideo caro et anima in triduo mortis Verbo remanserunt unitae, quia erant partes naturae humanae resumendae: atqui etiam sanguis est pars naturae humanae integrans, quia, iuxta philosophos medicosque, corpus sine sanguine non est integrum et perfectum; ergo totus sanguis reassumendus remansit Verbo unitus. Id confirmatur ex eo, quia in Ss. Litteris nostra Redemptio tribuitur speciali quadam ratione pretioso

(1) Ep. 140, n. 6.
(2) Serm. 17, de Passione.
(3) In Anacephalaeosi n. 9.
(4) Lib. 3. de Trin. n. 15.
(5) In Ps. 117, n. 19.
(6) In Dialogo Polyphormis.
(7) Cf. Gazzaniga, de Incarn. Sect. 2, cap 4. Prop. 2.

Christi sanguini. Nam dicebat ipse Christus: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (1). Paulus ait: *Si sanguis hircorum, et taurorum..... inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi... emundabit conscientiam nostram* (2)? Petrus scribit: *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati* (3). Ioannes dicit: *Sanguis Iesu Christi Filii eius emundat nos ab omni peccato* (4). Ac denique tota Ecclesia ita Iesum Christum orat: *Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Iam vero cum nostra redemptio sit repetenda ab infinita illa virtute et efficacia, quae ex unione hypostatica in operationes Iesu Christi promanabat, non posset haec ipsa redemptio sanguini Iesu Christi tribui, nisi ipse fuisset divinitati hypostatice unitus. Quod si erat unitus ante effusionem, et in ipsa effusione, non apparet, cur post effusionem debuerit separari, cum utique sit et maneat sanguis Iesu Christi, et a Patribus ac Theologis passim vocetur sanguis divinus, qui pro nobis effusus est. Accedit auctoritas *Clementis VI*, qui in sua Extrav. *Unigenitus* de Christo sic loquitur: « In ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quae tamen *propter unionem ad Verbum* pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed velut quoddam profluvium nosciturr effudisse. » — Circa hanc tamen doctrinam contentio enata est inter Dominicanos et Franciscanos: negabant isti, effusum Christi sanguinem divinitati unitum permansisse, illi vero pugnaciter affirmabant: utriusque partis argumenta recenset Cl. *Tournely* (5) et enarrat, quaestionem per tres dies magno animorum aestu agitatam fuisse coram R. Pontifice *Pio II*, qui autem nihil decidit, sed sub poena excommunicationis litigantibus silentium imposuit, iniuncta lege, ne aliqua erroris, aut alterius cuiuslibet censurae nota sese mutuo eam ob rem configerent, donec a S. Sede res ea conclusa et definita esset. Nonnulli vero putant, Scotistas unionem hypostaticam non toti sanguini a Christo in passione effuso denegasse, sed solum illis sanguinis particulis, quas post resurrectionem divinus Redemptor non resumpsisse dicitur. Sic Cl. *Dupasquier* in Summa Theologiae Scotisticae (6) ipse admittit, triduo mortis sicut cum anima et corpore, ita etiam cum sanguine in resurrectione resumendo divinitatem unitam remansisse, et (7) dicit: « Ita sentiunt insignes Scotistae, ut notat *Mastrius*, qui putat, controversiam non fuisse de interruptione unionis totius sanguinis effusi per mortem, sed tantum de illis particulis, quas Christus resurgens et ascendens in coelum forte reliquit in cruce, in clavis, in sudariis et sindone, et aliis instrumentis passionis. » — Quod autem istas particulas attinet, notandum est, quod *Innocentius III* (8) doceat, totum sanguinem a Iesu Christo in resurrectionem fuisse assumptum. Quam sententiam adoptavit *S. Thomas* (9) dicens: « Totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit, cum ad veritatem naturae humanae pertineat, in corpore Christi resurrexit: » Hoc idem commu-

(1) Matth. 26, 28. (2) Hebr. 9, 13.
(3) 1 Ep. 1, 28. (4) 1 Ep. 1, 7.
(5) De incarn. in fine quaestionis septimae.
(6) Tr. 11. de Incarn. Disp. 2, q. 9, Concl. 1.
(7) In Resp. ad Obi. 4.
(8) In l. de Mysteriis Missae c. 30.
(9) 3, q. 54. art. 2. ad 3.

niter fere asserunt Theologi: eandem tamen sententiam plerique sic limitant, ut minime inficientur, aliquas guttulas relictas fuisse ad memoriam dirae passionis conservandam, et ad fidelium devotionem fovendam. Tales enim guttulae variis in locis ostenduntur, et in magno honore habentur. Observat autem Cl. *Tournely* (1), « Theologos, qui pretiosas illas sanguinis Christi reliquias ut veras admittunt, fateri tamen, eas hypostatice cum Verbo unitas iam non esse.» Nam, ait Cl. *Sardagna* (2): « Axioma illud Theologicum e communi Patrum doctrina desumptum: *Quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit;* intelligi non debet de minimis quibusque particulis. Nam: 1. Verbum non mansit unitum illis particulis carnis et sanguinis, quae per continuam nutritionem et calorem resolvebantur ex corpore Christi, et nunquam deinceps erant corpori coniungendae. Illae enim statim fuerunt a Verbo dimissae, quia amittebant omnem ordinem ad Christi humanitatem, cuius neque de praesenti amplius, neque deinceps futurae essent partes. 2. Idem eadem de causa dicendum foret, si quid veri ac proprii sanguinis in passione effusi Christus in terris reliquisset ad solatium fidelium. Nihilominus et iis particulis recte exhiberetur cultus hyperduliae respectivus, similis illi, qui Cruci dominicae defertur.»

Nota 3. Frustra laboramus, si unionem hypostaticam intime perscrutari, et mente nostra limitata perfecte comprehendere praesumimus, cum ipsa sit *mysterium absconditum, vincens scientiam nostram* (3). Humilem potius fidem in hoc sublimi dogmate exercere debemus infallibili Dei revelantis et Ecclesiae docentis auctoritati intellectum nostrum penitus subiicientes. Salutaria autem documenta etiam ex hoc ineffabili mysterio deducere possumus. Ad summam enim dignitatem, qua maior cogitari nequit, humana natura evecta est, cum absque aliquo medio nexu hypostatico et indissolvibili cum Verbo divino unita fuit. Ita etiam nos ad maximam dignitatem et felicitatem exaltamur, si a rebus huius mundi vanis et caducis avulsi nexu saltem morali, nempe per gratiam et charitatem cum Deo uniamur. Quod probe cognovit Psalmista exclamans: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est* (4). Sane! ait *Thomas a Kempis* (5), « Breve et dulce verbum, Deum amplectens, et mundum excludens universum! Quid enim amplius dicendum, et quid ultra cupiendum? Nonne satis est, si fiat, quod iam dictum est? Et si dicantur alia, et alia multa, nonne ad hoc unum reducenda sunt omnia? Dic ergo anima mea cum Propheta: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est:* o Deus meus, tu unicum bonum meum, solus bonus et dulcis!» — Maximi autem momenti est, ut etiam unio nostra moralis cum Deo constans sit, et nunquam dissolvatur. Quid enim prodest si hodie Deo adhaereamus, et cras iterum ab ipso avellamur? si modo per viam mandatorum divinorum curramus, et mox rursus ad mundi vanitates deflectamus, et in vitia prolabamur? Soli perseverantiae in bono aeterna beatitudo promissa est: *Qui perseveraverit usque in finem*, ait Christus, *hic salvus erit* (6). Ad talem ergo cum Deo unionem continuo anhelare debemus, qualem Apostolus manifestavit dicens: *Quis nos separabit a*

(1) L. c. (2) Theol. dogm. pol. tom. 1, art. 9, Controv. 5. n. 189. (3) Iob 36, 26. (4) Ps. 72, 28. (5) Solil. cap. 1. (6) Matth. 10, 22.

charitate Christi? tribulatio? an angustia? - an persecutio? an gladius? — Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli — neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro (1).

CAPUT III.

DE PRAECIPUIS UNIONIS HYPOSTATICAE CONSECTARIIS

§ 314. In praecedentibus duobus capitibus iam ea pertractata fuerunt, quae doctrinae revelatae de ineffabili Incarnationis mysterio *fundamenta* et *essentiam* constituunt. Ut autem nihil praetermittamus eorum, quae ad doctrinam tanti momenti recte cognoscendam pertinent; necesse est, ut ea nunc prosequamur, quae ex probatis hactenus dogmatibus tanquam *consectaria* fluunt, et ex iis, quae de Christi divinitate et humanitate, ac utriusque in una Verbi persona admirabili unione dicta sunt, facili negotio deducuntur. Inter haec consectaria praecipuum certe locum tenet duplex doctrina catholica: nempe 1. doctrina *de communicatione idiomatum*, et 2. doctrina *de adoratione Christi*. Utraque accuratam explanationem exposcit.

ARTICULUS I.

De communicatione idiomatum.

§ 315. *Idioma* graece idem est ac latine *proprietas;* unde communicatio idiomatum est communicatio proprietatum. Hanc vero, cum de Christo loquimur, non sic intelligimus, quod proprietates naturae divinae sint realiter communicatae humanitati, et e contra, quasi humanitas facta sit aeterna, omnipotens etc., et divinitas sit facta mortalis, passibilis etc., siquidem contra Eutychen definitum sit, naturas inter se manere inconfusas et distinctas cum suis proprietatibus. Sed sic eam intelligimus, quod ratione unionis hypostaticae attributa divina possint de homine praedicari, et attributa humana de Deo. Sicuti autem naturarum proprietates, ita etiam ipsae naturae, seu nomina ipsas naturas exprimentia mutuo praedicari possunt. Observandum vero est, communicationem idiomatum solum locum habere in *concreto*, ut Scholae loquuntur, id est, tum talia nomina, seu vocabula adhibentur, quae ipsam personam significant, in qua utraque natura divina et humana subsistit: non potest autem fieri communicatio idiomatum *in abstracto*, dum talia nomina, seu vocabula adhibentur, quae formam significant sine subiecto, seu quae abstrahendo a persona unam tantum naturam seorsim spectatam enunciant. Nomina concreta sunt, e. g. *Deus, homo, Christus;* nomina abstracta: *divinitas, humanitas*: recte ergo dicitur: *Deus est homo*, sed dicere haud licet: *divinitas est humanitas.* — His praenotatis facile intelligitur, quid sit communicatio idiomatum; haec nempe recte definitur: mutua praedicatio, qua utraque natura et utriusque naturae proprietates sic enunciantur de Christo, ut quae conveniunt homini, ea tribuantur Deo, et quae conveniunt Deo, de homine praedicentur. Doctrina haec ex probatis iam dogmatibus de una Christi persona, et de duabus eiusdem naturis integris, et inconfusis immediate infertur. Fundamentum sane principale, et causa proxima declaratae communicationis idiomatum est hypostatica duarum naturarum unio: hac enim sublata locum habere non posset: ideo *Nestorius*, qui negata unione hypostatica duas personas in Christo

(1) Rom. 8 35.

asseruit, etiam circa doctrinam de communicatione idiomatum penitus aberravit. Sed necesse pariter est, ut error Eutychis praecaveatur, et duae naturae integrae et inconfusae in Christo admittantur; non posset enim communicatio in sensu exposito Christo applicari, si duae ipsius naturae confusae fuissent, et proprietates suas amisissent. Pulcre haec declarat *Leontius* in solutione argumentorum Severi dicens: « Non fieret mutua communicatio idiomatum, nisi in utraque (natura) maneret etiam in unione immobilis proprietas. Est igitur huiusmodi unio magis una, quam illa, quae omnino dividit; et copiosior quam illa, quae penitus confundit; ut quae neque faciat penitus idem esse, quae inter se unita sunt, neque penitus diversum.» - Itaque etiam *Eutyches* in sua de communicatione idiomatum doctrina a veritate longissime discessit, quoniam illam etiam in abstracto adhibendam esse censuit. Eundem errorem ex parte saltem renovarunt *Lutherani*, qui Christi humanitatem ubique praesentem esse defenderunt. Ut iam genuina doctrina catholica rite stabiliatur, et erroribus via praecludatur, 1. probandum est, *communicationem idiomatum in concreto, seu respectu personae rectissime adhiberi;* 2. *sed illam in abstracto admittendam non esse;* 3. dein *regulae reliquae in communicatione idiomatum observandae proponi debent*, ac 4 demum *error Lutheranorum de humanitate Christi ubique praesenti refellendus est.*

Nota. « Tanti interest, ait Cl. *Perrone* (1), diligenter explicare et retinere id, quod est communicatio idiomatum, quanti custodire sinceram et rectam incarnationis notionem. » Ex non rite intellecta, aut non observata doctrina de communicatione idiomatum graves facillime errores, etiam dogmatibus catholicis adversantes, in tractatus theologicos irrepunt. — Accurata eiusdem doctrinae cognitio Pastoribus quoque animarum perquam necessaria est, qui cum frequenter de Christo verba facere, et Incarnationis, ac Redemptionis mysteria populo explicare teneantur, optime nosse debent, quomodo de Verbo incarnato loqui oporteat, quaenam propositiones orthodoxe efferri possint, a quibusnam autem cavendum sit.

(1) De Incarn. n. 486.

I. *Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto.*

§ 316. Si nomina, seu vocabula concreta, id est talia adhibeantur, quae ipsam Christi personam significant, communicatio idiomatum rectissime applicatur: quod quidem triplici modo fieri potest. De natura divina praedicari possunt nomina et proprietates naturae humanae; recte enim dicitur: *Unigenitus Patris natus est ex Maria, Deus passus, Deus mortuus est* etc. Praeterea de natura humana praedicari possunt nomina, et proprietates naturae divinae; unde fas est dicere: *Filius Mariae est verus Deus, natus Bethlehemi est aeternus, iacens in praesepio regnat in coelo* etc. Denique de integro supposito, seu de Christo utriusque naturae nomina et proprietates, quamvis sibi invicem repugnare videantur simul pleno iure efferuntur: quapropter orthodoxae sunt propositiones: *Christus est Deus et homo, est aeternus et factus in tempore* etc. Doctrina haec, quae ad fidem catholicam spectat, quam perpetuo professa Ecclesia est, sat firmis innititur argumentis.

1. *In ipsa S. Scriptura* praeclara communicationis idiomatum exempla

occurrunt. De natura divina in concreto praedicantur ea, quae sunt naturae humanae : sic Filius Dei dicitur *factus ex semine David secundum carnem* (1), *pro nobis traditus* (2) in mortem. Idem Filius Dei dicitur *factus ex muliere* (3), *Dominus gloriae crucifixus* (4), *Auctor vitae interfectus* (5). Sic pariter de natura humana in concreto praedicantur proprietates naturae divinae. Luc. I, 35 Angelus Mariae dicit: *quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Io. III, 13 Christus de se ipso ait: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, filius hominis, qui est in coelo,* ubi filio hominis in terra degenti tribuitur descensus de coelo, et existentia in coelo, tunc soli naturae divinae propria. Aeternitatem quoque sibi idem Christus attribuit, dicens: *Antequam Abraham fieret, ego sum* (6). Denique de Christo utriusque naturae nomina et proprietates praedicantur. Idem Christus dicitur, *filius hominis*, et *filius Dei vivi* (7); *unum* (8) cum Patre et *minor* (9) Patre. — Itaque communicatio idiomatum sacrarum Litterarum auctoritate manifeste comprobatur.

2. *Ss. Patres* tum theoretice tum practice doctrinam catholicam de idiomatum communicatione confirmant. *S. Ignatius M.* (10) de Christo dicit: « Medicus unus est carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria, et ex Deo, primum passibilis, et tunc impassibilis I. Christus D. N. » — *Origenes* (11) ait: « Per indissolubilem unitatem Verbi et carnis omnia, quae carnis sunt, adscribuntur et Verbo, quomodo et quae Verbi sunt, praedicantur de carne. » *S. Athanasius* Or. 3. c. Arian. (12) inquit: « Verbum proprias carnis infirmitates portabat, quia caro sua erat, et vicissim caro divinitatis operibus faciendis inserviebat, quia in illa erat, quippe quae Dei corpus esset. » Et l. c. Apollinar. (13) scribit: « Homo dicitur Christus, Deus quoque dicitur Christus, et Deus et homo est Christus. » *S. Gregorius Nyss.* (14) praeclare docet: « Propter exactam assumptae carnis, assumentisque divinitatis unitatem, mutuo nomina permutantur, ut quod humanum est divino, quod divinum est humano nuncupetur. » — *S. Gregorius Naz.* (15) Christum « terrenum et coelestem, visibilem et intelligibilem, comprehensibilem et incomprehensibilem » nuncupat. *S. Ambrosius* l. 2 de fide (16) ita disserit: « Illud, quod lectum est, *Dominum maiestatis crucifixum esse*, non quasi in maiestate sua crucifixum putemus; sed quia idem Deus, idem homo - Iesus Christus Dominus maiestatis dicitur crucifixus; quia consors utriusque naturae, id est humanae atque divinae, in natura hominis subiit passionem; ut indiscrete et Dominus maiestatis dicatur esse, qui passus est, et Filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de coelo. » Et l. de incar. (17) docet de Christo dici posse: « Idem patiebatur, et non patiebatur; moriebatur, et non moriebatur; sepeliebatur, et non sepeliebatur; resurgebat, et non resurgebat. » *S. Hilarius* (18) ait: « Qui erat, nascitur; qui inde mutabilis est; crescit aetate; qui impassibilis, patitur. » *S. Augusti-*

(1) Rom. 1, 3. (2) Ib. 8, 32.
(3) Gal. 4, 5. (4) 1 Cor. 2, 8.
(5) Act. 3, 15. (6) Io. 8, 58
(7) Matth. 16, 13, 16.
(8) Io. 10, 30. (9) Io. 14, 28.
(10) In Epist. ad Ephes. n. 7.
(11) Comm. in Rom. 1, 3.
(12) Cap. 31. (13) N. 13.
(14) In Epist. ad Theophil. Ep. Alex
(15) Ep. 101, ad Cledon. 1, n. 3.
(16) C. 7, n. 58. (17) C. 5, n. 36
(18) L. 4 de Trin.

nus (1) inquit: « Si attendas distinctionem substantiarum, Filius Dei descendit de coelo, filius hominis crucifixus est: si unitatem personae, et filius hominis descendit de coelo, et Filius Dei est crucifixus. » *Vincentius Lirin.* in Commonit. cap. 15, scribit: « Propter quam personae unitatem indifferenter, atque promiscue et quae Dei sunt propria tribuuntur homini, et quae carnis propria, adscribuntur Deo; » — et cap. 16, addit: « Beata Ecclesia, quae hanc personae unitatem tantam vim habere praedicat, ut propter eam miro, ineffabilique mysterio et divina homini, et Deo adscribat humana. Nam propter eam et hominem de coelo secundum Deum descendisse non abnegat, et Deum secundum hominem credit in terra factum, passum et crucifixum. » *S. Leo M.* (2) scribit: « Propter hanc unitatem personae in utraque natura intelligendam, et filius hominis legitur descendisse de coelo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine, de qua est natus, assumpserit. Et rursus, Filius Dei crucifixus dicitur, et sepultus, cum haec non in divinitate ipsa, qua Unigenitus consempiternus, et consubstantialis est Patri, sed in naturae humanae infirmitate sit passus. Unde si unigenitum Filium Dei crucifixum, et sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur. » Hoc eodem argumento deducto ex Symbolo iam contra Nestorium usus erat *S. Cyrillus Alex.* in Epist. 2 ad Nest. probe observans, sublata unitate personae non posse unigenitum Filium Dei dici incarnatum, passum, mortuum etc. Sed ait S. Pater: « Sacra, et magna illa Synodus (Nicaena) tradit, ipsum unigenitum Filium, naturaliter ex Deo Patre natum, Deum verum de Deo vero descendisse, incarnatum, et hominem factum, passum esse, tertia die resurrexisse, et ad coelos ascendisse. » Idem in anathematismo 4 approbato a Concilio *Ephesino* ita loquitur: « Si quis duabus personis, sive hypostasibus eas, quae in evangelicis et apostolicis conscriptionibus sunt, dividit voces, vel ea, quae de Christo a Sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de semetipso, et aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit, aliquas vero soli Verbo deputaverit, anathema sit. » *S. Gregorius M.* (3) dicit: « Verbum, manente incommutabili essentia, quae ei est cum Patre et Spiritu sancto coaeterna, carnem assumpsit intra virginea viscera, unde et impassibilis pati, et immortalis mori, et aeternus ante saecula temporalis posset esse in fine saeculorum. » *S. Io. Damascenus* (4) scribit: « Unus est Christus, et una ipsius persona, sive hypostasis, duas tamen naturas obtinet, divinitatis et humanitatis. Porro cum ex divinitate naturaliter gloria procedat, utrique communis est propter hypostasis identitatem. Ex carne vero humilia proficiscuntur, et eadem ambobus communia; quippe unus est et idem, qui hoc et illud est, nempe Deus et homo, et ad eundem pertinent, tam quae sunt divinitatis, tam quae humanitatis propria. »

3. Doctrina de communicatione idiomatum etiam ratione theologica confirmatur. Quaecumque enim uni personae vere insunt, de ipsa etiam recte praedicantur: sed personae Christi duae insunt naturae, integrae et inconfusae, cum proprietatibus suis: ergo tum ambae naturae, tum ambarum proprietates recte de persona Christi praedicantur. Dummodo ergo

(1) L. 2, c. Maximin. c. 20.
(2) Epist. 24 (al. 10) ad Flavian. c. 5.
(3) L. 18, Mor. n. 85.
(4) L. 3 de fide c. 15.

tales termini adhibeantur, qui ipsam personam Christi significant, sive ex parte naturae divinae, sive ex parte naturae humanae desumpti fuerint, communicatio idiomatum locum habet. S. *Thomas* (1) cum contra Nestorianos asseruisset, in Christo communicationem idiomatum admittendam esse in concreto, addit: « Huius ratio est, quia cum sit eadem hypostasis utriusque naturae, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturae. Sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis divinae et humanae naturae. Et ideo de homine possunt dici ea, quae sunt divinae naturae, tanquam de hypostasi divinae naturae; et de Deo possunt dici ea, quae sunt humanae naturae, tanquam de hypostasi humanae naturae. »

Nota. Duplici modo potest quis admittere idiomatum in Christo communicationem, *proprie nempe et realiter*, vel *improprie, ac metaphorice.* Propria et realis communicatio idiomatum illa est, quae ex substantiali et hypostatica unione duarum naturarum, divina scilicet et humana, profluit: hanc Catholici admittunt, et allata argumenta evincunt; quoniam enim in Christi persona duae naturae earumque proprietates vere, proprie ac realiter unitae sunt, idcirco etiam vere, proprie ac realiter de eadem persona praedicari debent. — Impropria vero ac metaphorica communicatio idiomatum fundamentum habet in unione morali, quae inter utramque naturam adesse dicitur. Et quoniam huius generis unionem in Christo admittebat *Nestorius*, communicationis idiomatum nomen non omnino reformidabat, callide subintelligens communicationem quamdam impropriam, et metaphoricam, ut ex eius epistola ad Cyrillum patet, ubi sic loquitur: « Corpus divinitatis templum esse fateamur, illudque nexu adeo sublimi, divino, et admirabili ipsi coniunctum esse statuamus, ut divina natura ea sibi vindicet, quae corporis alioquin sunt propria. » In eadem autem epistola illos, qui propriam et realem idiomatum communicationem admittunt, et nativitatem, passionem ac mortem divino Verbo adscribunt, non solum de haereticorum morbo, sed et de Ethnicorum insania arguit. — Praeter Nestorium alii quoque doctrinae catholicae adversantur, ipsique varia opponunt.

Obi. I. Tres personae SS. Trinitatis conveniunt identice in eadem essentia, et tamen non praedicantur de se invicem; nec enim dici potest: *Pater est Filius;* ergo licet naturae divina et humana Christi conveniant in eodem supposito, attamen de se invicem in concreto praedicari non possunt.

Resp. Communicatio idiomatum, ut ex dictis liquet, fundatur in unitate personae, qua sublata adhiberi non potest. Hinc patet, qua de causa communicatio idiomatum in Christo, non autem in Trinitate applicari possit; nam, ait *S. Thomas* (2), « tres personae divinae conveniunt in natura; distinguuntur tamen in supposito, et ideo non praedicantur de invicem. In mysterio autem Incarnationis naturae quidem, quia distinctae sunt, de invicem non praedicantur, secundum quod significantur in abstracto (non enim natura divina est humana), sed quia conveniunt in supposito, praedicantur de se invicem in concreto. »

Obi. II. Si vera est haec propositio: *homo est Deus*, haec quoque erit vera: *homo est Pater aeternus*, vel etiam haec alia: *homo est Trinitas;* ea

(1) 3, q. 16, art. 4.

(2) 3, q. 16, art. 1 ad 2.

enim argumentatio institui potest: Homo est Deus; sed Deus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus: ergo homo est Pater, Filius et Spiritus sanctus; quod manifeste absurdum est.

Resp. Nomen *Deus* quandoque sumitur pro persona divina absolute, quandoque pro natura divina singulariter, quod ex adiunctis facile dignoscitur. Certe omnes Catholici norunt, in propositione: *homo est Deus*, per Deum intelligi secundam Trinitatis personam: quo notato, corruit captiosa argumentatio. Optime ideo *S. Thomas* (1), eandem obiectionem solvens, observat, hoc nomen *Deus*, quando praedicatur de Patre, sumi non pro natura divina absolute, sed pro prima Trinitatis persona, et sic etiam quando praedicatur de Filio et de Spiritu Sancto. Cum autem nec prima, nec tertia Trinitatis persona humanitatem assumpserit; nec de prima, nec de tertia dici potest: *homo est Deus*. Bene vero dici potest: *homo est Deus*, quando *Deus* sumitur pro secunda persona, quae in natura humana subsistit.

Obi. III. Unio duarum naturarum in Christo comparatur unioni animae et corporis in una hominis persona; sed de homine dici non potest: *anima est corpus*, vel *corpus est anima*; ergo neque de Christo dici potest: *homo est Deus*, et vicissim.

Resp. Inter allatas propositiones magnum discrimen versatur. Nam vocabula: *corpus*, *anima* non sunt nomina suppositi, seu personae, sed huius partes, ac ideo aequivalent nominibus abstractis, in quibus communicatio idiomatum locum non habet. E contra vocabula: *Deus*, *homo* sunt nomina suppositi, seu personae, cum non sint partes proprie, sed substantiae completae in una Verbi persona coniunctae, ideoque nomina concreta exhibent, in quibus communicatio idiomatum locum habet. S. *Thomas*, eidem difficultati obvians (2), ait: « *Anima* et *caro* significantur ut in abstracto, sicut divinitas et humanitas: in concreto vero dicuntur *animatum* et *carneum*, sive *corporeum*, sicut ex alia parte *Deus*, et *homo*. Unde utrobique abstractum non praedicatur de abstracto, sed solum concretum de concreto. » Et sane etiam in homine, si nomina concreta adhibentur, communicatio idiomatum obtinet; sic dici potest: *homo est materialis et spiritualis*, vel *qui dormit*, *habet praestans ingenium; qui ambulat est bona voluntate praeditus; doctus est pinguis; aegrotans est pius* etc. Allata ergo comparatio, si rite instituatur, non solum doctrinae catholicae de communicatione idiomatum non repugnat, sed eandem dilucidat et confirmat.

Obi. IV. Admissa communicatione idiomatum, de eodem subiecto talia praedicari possunt, quae directe, et omnino sibi opponuntur, ut e. g. *esse finitum, et infinitum; factum, et non factum* etc.; haec autem apertam contradictionem involvunt.

Resp. Ad veram contradictionem requiritur, non solum ut idem de eodem subiecto affirmetur et negetur, sed etiam, ut id sub eodem respectu fiat. De Christo autem attributa, quae sibi opponuntur, non sub eodem respectu praedicantur, sed ratione divinae naturae dicitur *infinitus*, *non factus* etc., ratione humanae naturae *finitus*, *factus* etc.; quapropter talis praedicatio nullam contradictionem involvit. Ad omne autem erroris periculum praecavendum monet S. *Thomas* (3): « Sciendum, quod in propositione, in qua aliquid de aliquo prae-

(1) L. c. art. 2 ad 2. (2) L. c. a. 1 ad 3. (3) 3. q. 16. art. 4.

dicatur, non solum attenditur, quid sit illud, de quo praedicatur praedicatum, sed etiam secundum quid de illo praedicetur. Quamvis ergo non distinguantur ea, quae predicantur de Christo, distinguuntur tamen secundum id, secundum quod utrumque praedicatur: nam ea, quae sunt divinae naturae, praedicantur de Christo secundum divinam naturam; ea autem, quae sunt humanae naturae, praedicantur de eo secundum humanam naturam. » Unde *Augustinus* l. 1 de Trin., cap. 11, dicit: « Distinguamus, quid in Scripturis sonet secundum formam Dei, in qua aequalis est Patri, et quid secundum formam servi, quam accepit, in qua minor est Patre. » Et infra (1): « Quid propter quid, et quid secundum quid dicatur, prudens, et diligens, et pius lector intelligit. »

II. *Non est admittenda in Christo communicatio idiomatum in abstracto.*

§ 317. Nomina abstracta illa dicuntur, quae non ipsam personam significant, sed ab hac veluti abstrahentes ad unam tantum naturam referuntur. Talia nomina abstracta sunt *divinitas* et *humanitas*. Nominibus istis abstractis locus non datur, aut usus in communicatione idiomatum, quae solum in nominibus concretis licita est. Quamvis ergo recte dicatur: *homo est Deus, Deus passus, et mortuus est*, nullatenus tamen licitum est dicere: *humanitas est divinitas*, vel *divinitas passa, et mortua est*. Itaque, si nomina abstracta adhibentur, non possunt utriusque naturae proprietates mutuo praedicari, sed illae tantum, quae conveniunt naturae, quam nomen abstractum exprimit; scilicet de divinitate sola attributa naturae divinae, et de humanitate solae proprietates naturae humanae praedicari possunt. Haec eadem regula observanda est in omnibus terminis, qui aequivalent nominibus abstractis. Tales fiunt etiam nomina concreta, si istis particulae reduplicativae, *ut, quatenus* etc. praemittantur. Haec enim est natura istarum particularum, ut abstrahant a persona, et unam tantum formam, quae personae inest, considerandam proponant. Dum ergo dicitur: *Christus ut Deus*, idem est, ac si dicatur: *Divinitas Christi*, et terminus: *Christus tanquam homo*, vel *quatenus homo*, idem est ac humanitas Christi. Non licet ergo dicere: *Christus ut Deus est passus*, vel *Christus quatenus est homo est aeternus*. — Manifestum porro est, nominibus abstractis alias praedicationes aequivalere, ut dum Christus *in forma Dei*, et *in forma servi* distinguitur, aut dum *natura divina*, vel *natura humana* expresse nominatur. Quamvis ergo recte dicatur: *Deus est homo*, *Deus mortuus est, homo est immensus* etc.; falsae tamen, et illicitae sunt sequentes propositiones: *natura divina est natura humana, essentia divina mortua est, humana natura est omnipraesens*. Gravissime igitur aberrarunt Eutychiani, in Christo communicationem idiomatum in abstracto admittentes: quantum id a veritate abhorreat, facile probatur.

1. *In S. Scriptura*, dum de Christo sermo est, haud raro communicatio idiomatum, sed semper in nominibus concretis, occurrit, et ne unum quidem exemplum ostendi potest, quo illa in abstracto adhibeatur. Quod argumentum licet negativum, satis tamen idoneum est ad adversarios confundendos. *Ss. Patres* idiomatum in Christo communicationem in abstracto semper ut falsam et illicitam reputarunt. *S. Gregorius Nyss.* (2)

(1) Cap. 13. (2) L. 5, c. Eunom.

docet, Apostolum diligenter hominem simul et Deum commendare Christum, salvis utriusque naturae proprietatibus, « ut eo ipso, quod duo de uno praedicantur, in utroque quod congruens est intelligatur, - in divinitate quidem impatibilitas, in humanitate vero dispensatio passionis. » S. *Ambrosius* (1) ita de Christo loquitur: « Resurgebat igitur secundum carnem, quae mortua resurrexit; non resurgebat secundum Verbum, quod non resolutum fuerat in terram, sed apud Deum semper manebat. Ergo et moriebatur secundum nostrae susceptionem naturae, et non moriebatur secundum aeternae substantiam vitae. » S. *Augustinus* (2) inquit: « Illorum quoque similiter execramur blasphemiam, qui novo sensu asserere conantur, a tempore susceptae carnis omnia, quae erant divinitatis, in hominem demigrasse, et rursum quae humanitatis erant, in Deum esse transfusa: ut quod nulla unquam haeresis ausa est dicere, videbatur hac confusione utraque exinanita esse substantia, et deitatis scilicet, et humanitatis, et, amisso proprio statu, in aliud esse mutata. » Idem (3) demonstrat, ea verba: *tristis est anima mea usque ad mortem*, nonnisi ex natura hominis intelligenda esse, cum percipi non possit « naturam Verbi Dei unigeniti tristem esse potuisse. » S. *Cyrillus Alex.* (4) scribit: « Duarum naturarum discretio ex dictis et factis necessario facienda est. Quare debemus, quae vero Deo conveniunt divinitati eius, quae homini vero humanitati nostrae, quam propter nos assumpsit, accommodare. » S. *Fulgentius* (5) dicit: « In Christo unigenito Dei Filio personam non dividunt propria naturarum: neque unitas personae potest utriusque naturae propria confundere, vel auferre. » S. *Leo M.* (6) scribit: « Quamvis in D. I. Christo Dei et hominis una persona sit, aliud tamen est, unde contumelia in utroque communis; aliud, unde communis est gloria. De nostro enim est illi minor Patre humanitas: de Patre illi est aequalis cum Patre divinitas. » *Vigilius* (7) haec habet: « Impium et sacrilegum est ea, quae sunt propria carnis Christi, ad naturae Verbi proprietatem referre, et quae sunt propria Verbi carni adscribere. » S. *Io. Damascenus* (8) ita praeclare doctrinam catholicam proponit: « Divinitatem itaque nominantes, ea quae humanitati propria sunt, de ipsa minime affirmamus. Non enim passibilem aut creatam deitatem dicimus. Nec rursus carni sive humanitati ea tribuimus, quae deitati proprie conveniunt. Neque enim carnem, sive humanitatem increatam dicimus. » Ita Ss. Patres, sicuti communicationem idiomatum in concreto defenderunt, eandem in abstracto illicitam et falsam declararunt. Hoc idem docuerunt *Concilia*, quae contra Eutychianos definierunt, duas naturas in Christo integras et inconfusas permansisse.

2. *Ratio theologica* petitur ex dogmatibus cap. praec. probatis. Quemadmodum enim in hypostatica unione non moraliter, sed substantialiter utraque natura divina et humana spectant ad eandem personam, ut tenet catholica fides contra Nestorium: ita eaedem naturae sunt in una eademque persona cum suis attributis et proprietatibus impermixtae et distinctae, ut adversus Eutychen firmissi-

(1) De incarn. c. 5.
(2) Append. Serm. 236, n. 4.
(3) L. 2, c. Maximin. c. 20, n. 2.
(4) L. 10, thesaur.
(5) L. de incarn. et gratia c. 11.
(6) In celebri Epist. ad Flavianum c. 4.
(7) L. 5, adv. Eutych.
(8) L. 3 de fide cap. 4

me profitemur. Sicut ergo admittitur communicatio idiomatum respectu personae, scilicet enuntiantur de Christo vocabula utriusque naturae propter indivisibilem unitatem: ita nequit una natura impertiri alteri, quae sui propria sunt, ob impermixtarum naturarum differentiam et distinctionem. Id exemplo hominis illustrari potest. Recte enim de integro supposito dicitur: *Homo est spiritualis et materialis*, vel *corporeus cogitat*, aut *cogitans comedit*; sed si abstrahatur persona de partibus hominem constituentibus, haec mutua praedicatio nequit admitti, non enim dici potest: *Anima est materialis, corpus est spirituale, corpus cogitat*, aut *anima comedit*. Eadem ratione in Christo communicatio idiomatum in abstracto admitti nequit. Quae enim realiter a se invicem distinguuntur, non possunt de se invicem praedicari, nisi in aliquo communi subiecto, seu supposito uniantur: atqui duae naturae in Christo, et earum proprietates realiter distinguuntur, nec in ullo communi subiecto uniuntur, quando considerantur in abstracto: ergo naturae humana et divina in Christo, earumque proprietates, in abstracto sumptae, de se invicem praedicari non possunt (1).

III. *Regulae reliquae in communicatione idiomatum observandae.*

§ 318. Praeter regulas principales, iam modo declaratas et probatas, Theologi alias quoque praescribere solent, quae partim illas pro praxi dilucidant, partim ex iisdem deducuntur, partim speciales quasdam cautelas in communicatione idiomatum observandas praesignant. Notatu digniores sunt regulae sequentes:

1. Communicatio idiomatum, ut iam dictum est, recte applicatur in nominibus concretis, quae personam Christi significant. Haec autem etiam ab una tantum natura denominari potest. A natura nempe divina petuntur nomina Christi personam significantia: *Deus, Verbum, Filius Dei, Unigenitus Patris* etc. Imo etiam nomina attributorum divinorum, si in masculino genere adhibeantur, aequivalent nominibus concretis, et ipsam personam significant; unde recte dicitur: *Aeternus factus est in tempore, Omnipotens ligatus est funibus* etc. A natura humana derivantur nomina concreta: *Homo, filius hominis, filius Mariae* etc.; proprietates quoque naturae humanae ita subiective enunciari possunt, ut ipsam personam, in qua haec natura subsistit, designent et communicationem idiomatum rectam et licitam reddant; quapropter orthodoxe dicitur: *Nascens in tempore est Verbum aeternum, crescens aetate est Deus immutabilis, mortuus in cruce est Creator Universi* etc.

2. Nomina abstracta naturae divinae de persona Verbi, seu de Christo identice praedicari possunt, non autem abstracta naturae humanae. Ratio est, quia omnia attributa divina sunt ipsa essentia divina, et etiam persona divina est essentia divina: ergo persona Verbi est quid idem identice et realiter cum natura divina, non vero cum natura humana; haec enim hypostatice quidem cum Verbo unita fuit, sed tamen inconfusa manens non est facta unum et idem cum divinitate. Quamobrem recte quidem dici potest: *Persona Verbi est divinitas, Christus est omnipotentia, bonitas, misericordia*, etc.; sed non potest dici: *Persona Verbi est humanitas, Christus est mortalitas*, etc.

3. Abstracta naturarum et earum proprietatum non possunt de se mu-

(1) Cf. S. Thomam 3 q. 16 a. 5.

tuo praedicari. Ratio est, quia naturae ipsae, sicut et earum proprietates sunt distinctae realiter, et ideo in abstracto enunciatae non possunt de se mutuo praedicari, quia tales praedicationes significarent, unam Christi naturam esse in aliam conversam. Quamvis ergo recte dicatur *Deus est homo*, non item dicere licet: *Divinitas est humanitas*, neque *Deus est humanitas*, vel *homo est divinitas*. Eodem modo, etsi recte dicam: *Aeternus factus est in tempore, immensus pannis involvitur;* haud recte tamen pronuncio: *Aeternitas facta est in tempore, vel immensitas pannis involvitur* etc. Natura enim divina non facta est in tempore, nec reddita est circumscripta, sicuti neque natura humana facta est aeterna et immensa: illae ergo praedicationes vitandae sunt, quae naturarum permixtionem seu confusionem significant.

4. Quod nomina *adiectiva* attinet, distinguenda sunt ea, quae derivantur a concretis substantivis, naturam significantibus, atque illa, quae significant proprietates naturae divinae aut humanae. Sic, ut prioris generis exempla adducamus, ex concretis substantivis, *Deus, Dominus, homo*, etc. derivantur adiectiva: *divinus, dominicus, humanus*. Haec adiectiva non possunt de Christo praedicari, aut in communicatione idiomatum uti concreta substantiva adhiberi. Quamquam igitur rectissime dicatur: *Christus est Deus, et homo*, non tamen dicere licet: *Christus est Deus humanus*, vel *est homo dominicus, deificatus, deifer* etc. — Ratio huius regulae petitur ex natura adiectivorum, quae ipsum nomen substantivum, cui apponuntur, afficiunt, [illegible]

(1) De Incarn. q. 9, Art. 2, Reg. 2.
(2) 3, q. 16, art. 3, ad 3.

huius naturam explicant, aut proprietates per accidens ipsi adiacentes indigitant: ergo per propositionem: *Christus est Deus humanus*, significaretur, Christum per accidens, hominum more Deum dici, ipsum vero non substantialiter Deum esse. Ex eadem ratione abstinendum est a propositione: *Christus est homo divinus;* nam, ait Cl. *Tournely* (1). « Si ex rigore dialectico loqui velimus, minus accurata videtur ista propositio: *Christus est homo divinus*, quia innuit formam accidentaliter unitam, ut cum dicimus: *Plato est homo divinus*. » *S. Thomas* tamen (2) praefatam propositionem licitam reputat ex eo, « quod hoc nomen *divinum* consuevit praedicari etiam de his, de quibus praedicatur essentialiter hoc nomen *Deus*: dicimus enim quod divina essentia est Deus ratione identitatis, et quod essentia est Dei, sive divina propter diversum modum significandi, et Verbum divinum, cum tamen Verbum sit Deus. Et similiter dicimus personam divinam etc.» — Quamvis autem dicta propositio non penitus illicita censenda sit, ab ipsa tamen abstinendum est, ne Christus cum creaturis confundi videatur, quibus nostris temporibus ob aliquantulam excellentiam idem epitheton nimis facile applicatur. — *S. Augustinus* et nonnulli veteres Patres, qui ante exortam haeresim Nestorii securius loquebantur, Christum *hominem dominicum* appellarunt. Sed hanc appellationem Christo non convenire, iam *S. Augustinus* agnovit, qui ideo (3) ait: « Non video, utrum recte dicatur *homo dominicus*, qui est mediator Dei, et hominum, homo Christus Iesus, cum sit utique *Dominus*:... Et hoc quidem, ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catho-

(3) Lib. I Retract. cap. 19.

ficos divinorum eloquiorum. Sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi, non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi: » nempe si *homo* intelligatur in abstracto pro natura humana, et non pro persona. Verum post exortam haeresim nestorianam talis denominatio Christi, qua haeretici abutebantur, penitus reprobata est. Rationem affert S. *Thomas* (1) dicens: « Cum dicitur homo Christus Iesus, designatur suppositum aeternum, quod est persona Filii Dei propter hoc, quod est unum suppositum utriusque naturae. De persona autem Filii Dei praedicatur *Deus, et Dominus essentialiter*, et ideo non debet praedicari *denominative*, quia hoc derogat veritati unionis.» Et (2) addit: « Non consuevit dici, quod aliquis homo, qui est *Dominus*, sit *Dominicus*, sed illud, quod qualitercumque est Domini, *Dominicum* dicitur: sicut dominica voluntas, vel dominica manus, vel dominica passio. Et ideo ipse homo Christus, qui est *Dominus*, non potest dici *Dominicus*. Sed potest caro eius dici *caro dominica*, et passio eius potest dici *passio dominica*.» — Concreta autem adiectiva, quae significant proprietates divinae, vel humanae naturae, possunt de Christo praedicari. Ita legitime et sane dicitur: *Christus est aeternus et temporalis, finitus atque infinitus, mortalis et immortalis*. Ratio est, quia praedicata ista in recto significant suppositum, quod illorum attributorum propter unionem hypostaticam naturae utriusque unum est subiectum.

5. Declarata communicatio idiomatum recte procedit in propositionibus *affirmativis*, quae semper verae sunt, dum divinae et humanae naturae proprietates de Christo praedicantur. Non autem putandum est, illam eodem modo etiam in propositionibus *negativis* locum habere; istae enim non semper verae sunt, gravesque errores continere possunt, si absque debita declaratione proferantur. Quamvis ergo recte dicatur: *Christus est aeternus et temporalis*, neutiquam tamen absolute enuntiari potest: *Christus non est aeternus*, vel *non est in tempore factus:* et si orthodoxa est propositio: *Deus natus, Deus mortuus est;* heterodoxa est sententia absolute prolata: *Deus non est natus, Filius Dei non est mortuus*. Ratio huius discriminis est, quod particulae negativae sint, ut scholae loquuntur, *malignantis naturae*, et totum praedicatum ex omni parte removeant a subiecto, unde cum e. g. absolute dicitur: *Filius Dei passus non est*, obvius sensus resultat, ut neque in divina, neque in humana natura sit passus, quod est falsum. Quapropter similes propositiones negativae exponendae sunt cum aliqua modificatione, ex gr. *Filius Dei non est passus, mortuus, sepultus secundum naturam divinam*. Etiam in humanis eadem cautela adhibenda est; nam, ex. gr. si Titius excellat in Philosophia, sed ignoret Theologiam, possum quidem affirmative dicere: *Titius est doctus*, sed non possum negative absolute pronuntiare: *Titius non est doctus*, sed ut vera loquar, addendum est: *non est doctus respectu Theologiae*. Caute ergo procedendum est in propositionibus negativis, ne quid personae Christi denegetur, quod ipsi ratione unius, aut alterius naturae vere convenit. — Quodsi propositio negativa non in concreto, sed in abstracto enuncietur, tunc oppositae naturae proprietates recte negantur; orthodoxe enim

(1) L. c. art. 3. (2) Ibid. ad 3.

dicitur: *Divinitas non est nata, passa; Christus ut homo non est aeternus* etc.

6. Vitandae sunt propositiones, quae favent erroribus ab Ecclesia reprobatis, seu quae orthodoxe quidem proferri possunt, sed ab haereticis in malo sensu usurpatae fuerunt. Ita, iuxta traditam de communicatione idiomatum doctrinam, recte diceretur *Christus est creatura,* quoniam creaturam esse ad proprietates pertinet naturae humanae; sed tamen haec propositio sine debita modificatione non est proferenda; nam, ait *S. Thomas*(1): « Hieronymus in Gal. 5 dicit: ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis: unde cum haereticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur. Ariani autem haeretici Christum dixerunt esse creaturam, et minorem Patre, non solum ratione humanae naturae, sed etiam ratione divinae personae. Et ideo non est absolute dicendum quod *Christus sit creatura,* vel *minor Patre,* sed cum determinatione, scilicet *secundum humanam naturam.* » Dein prosequitur generalem regulam tradens: « Ea vero, de quibus suspicari non potest, quod divinae personae conveniant secundum seipsam, possunt simpliciter dici de Christo ratione humanae naturae; sicut simpliciter dicimus, Christum esse passum, mortuum et sepultum: sicut etiam in rebus corporalibus et humanis, ea quae in dubitationem venire possunt, an conveniant toti, vel parti, si insunt alicui parti, non attribuimus toti simpliciter, id est sine determinatione, non enim dicimus, quod Aethiops est albus, sed quod est albus secundum dentes; dicimus autem absque determinatione, quod est crispus, quia hoc non potest ei convenire nisi secundum capillos. » — Vere catholica est etiam propositio: *Unus de Trinitate passus est;* quod ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus, et ex definitione *Ioannis II* R. P. probatur(2). Sed cum *Petrus Gnaphaeus* Ep. Antiochenus illa abuteretur ad eutychianam haeresin disseminandam, *Felix III* R. P. eam damnavit in sensu nempe Petri Gnaphaei, et aliorum Eutychianorum prolatam. Et cum Monachi Scythae eam defenderent, restitit eis *S. Hormisdas* R. P., sed non propter aliud tunc hanc propositionem approbare recusavit, quam quod esset nova, et dissidiorum causa, ac quod esset nota temeritatis illorum monachorum, qui asserebant, illam loquendi formam definitioni Concilii Chalcedonensis necessario adiiciendam esse, quasi absque tali additione manca illa et imperfecta foret (3).

7. Si dicitur, de Christo praedicari posse naturae humanae proprietates, id intelligendum est de proprietatibus naturae humanae essentialibus, quas Verbum assumpsit, non autem de naturae humanae defectibus moralibus et aliis accidentalibus proprietatibus, a Verbo non assumptis. Regula ergo statuenda est, quae docet, non posse de Christo ea praedicari, quae ipsi neque ratione naturae divinae, neque ratione naturae humanae conveniunt. Ergo non possunt praedicari de Christo *ignorantia, concupiscentia, peccatum* etc.; quamvis enim isti defectus caeteroquin in natura humana inveniantur, humana tamen natura Christi ab ipsis omnino immunis fuit, ut capite sequenti fusius ostendetur. Sic pariter Christus non potest dici *Filius Dei adoptivus,*

(1) L. c. art. 8.
(2) V. Marcell. lib. 24, cap. 5

(3) Cf. Gazzaniga de Incarn. Sect. 2 dist. 3, cap. 1, n. 96 etc.

quia est Filius Dei naturalis, et etiam ratione naturae humanae, quae in una persona divina subsistit, non potuit adoptari, ut iam probatum fuit (§ 297). Ex eadem ratione Christus nullatenus dici potest *persona humana*, vel *finita*, vel *creata*, quia unica est in Christo persona, eaque divina, infinita, increata. Ideo etiam recte quidem dicitur: *Deus factus est homo*, sed non recte dicitur: *homo factus est Deus*. Observat quidem *S. Thomas*, quod haec propositio sic possit intelligi, « ut ly *factus* determinet compositionem, ut sit sensus: *homo factus est Deus*, idest, factum est ut homo sit Deus. Et sub hoc sensu utraque est vera: et *homo factus est Deus*, et *Deus factus est homo* » (1). Sed statim addit, in sensu obvio et proprio priorem propositionem esse falsam, quia cum subiectum *homo* supponat in hac propositione pro persona Verbi, sensus esset, quod suppositum, seu persona, quae ab aeterno est Deus, facta esset in tempore Deus, seu quod aliquis homo praeexistens factus esset Deus, quod utrumque est falsum.

8. Ut communicatio idiomatum recte adhibeatur, ac debito semper modo de Verbo incarnato sermo instituatur, summi momenti est, ut dogmata catholica de incarnatione accurate cognoscantur, ex quibus facile cognoscetur, quales propositiones admittendae, quales autem reiiciendae sint. Non enim pro quolibet loquendi modo speciales regulae praescribi possunt; sed ipsa doctrina revelata tanquam primaria regula habenda est, cui omnis, quae profertur sententia, conformari debet. Sic, ex. gr. dummodo quis doctrinam de incarnatione rite perpendat, facile cognoscit, naturam humanam rectissime dici tum Verbo unitam, tum a Verbo assumptam; naturam vero divinam unitam quidem, non autem assumptam dici posse, et sic pariter Verbum tum uniens, tum unitum, tum assumens, nullatenus vero assumptum appellari posse, quod fusius ostendit *S. Thomas* 3, q. 2, art. 8, ubi probat, quod unio Verbi incarnati non sit idem quod assumptio. — Praeterea dum de ineffabili Incarnationis mysterio sermo habetur, etiam in modo loquendi a linea traditionis recedendum non est. Quantum nempe fieri potest, illis tantum nominibus, phrasibus et dicendi modis utendum est, qui aut ipsius S. Scripturae, aut Ss. Patrum, aut Conciliorum, aut saltem Theologorum catholicorum usu approbati, ac veluti consecrati sunt. Novis terminis novisque phrasibus doctrinam tam sublimem proponere velle, res valde periculosa est atque suspecta. — Denique quia sancta sancte tractanda sunt, infinita Verbi incarnati dignitas perpetuo ante oculos mentis habenda est, atque de ipso nonnisi tali modo loqui oportet, qui summam eius maiestatem decet. Quamvis igitur nonnullae propositiones, iuxta traditam de communicatione idiomatum doctrinam, heterodoxae haud essent, ab ipsis tamen abstinendum est, si excellentiae tanti mysterii minus convenire videntur, aut pias aures offendere possent. Ex hac utique ratione Theologi Christum *servum* appellare vetant. — Generatim ita de Christo loqui oportet, ut eius dignitas ostendatur, charitas praedicetur, et gloria promoveatur.

(1) 3, q. 16, art. 7.

IV. *Humanitas Christi non est ubique praesens.*

§ 319. *Eutychiani* unicam in Christo naturam admittentes ex duabus permixtam et confusam, communica-

tionem idiomatum etiam *in abstracto* admittere cogebantur. Quamobrem non solum dicendum esse putabant: *Deus natus, passus, et mortuus est*, sed etiam: *Divinitas nata, passa, et mortua est:* humanitati vero, a divinitate absorptae, huius quoque attributa competere dictitabant. Crassus iste error resuscitatus fuit inter *Lutheranos* docentes, aliquas saltem divinae naturae proprietates in humanam vere et proprie esse transfusas, nominatim ubiquitatem, seu omnipraesentiam, omniscientiam et omnipotentiam. In absurdam hanc sententiam deducti fuerunt occasione litis sacramentariae, quam habebant cum *Zuinglianis* et *Calvinianis*, contra quos realem Christi in Eucharistia praesentiam, illa sententia mediante, defendere satagebant. Auctor insulsi huius erroris merito dicitur ipse *Lutherus*, qui illum aperte tradidit sermone, seu confessione in Coena Domini: eundem vero propagarunt et defenderunt *Io. Brentius, Mart. Chemnitius, Io. Fr. Buddaeus*, et alii rigidiores Lutheri sectatores, qui ideo *Ubiquistae*, seu *Ubiquetarii* dicti sunt. Sed horum sententia penitus est reiicienda. Quamvis enim Christus, ut omnes Catholici credunt et profitentur, secundum naturam divinam immensus et ubique praesens sit; non ubique praesens est secundum naturam humanam, quae etiam post unionem hypostaticam suas proprietates retinuit, et ideo finita atque loco circumscripta manet. Id *ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus*, et *ex rationibus theologicis* invicte probatur.

1. *S. Scriptura* non solum humanitati Christi nullibi omnipraesentiam tribuit, sed hanc de illa aperte negat. Frequenter enim legitur Christus de loco in locum transiisse, modo in montem *ascendisse* (1); modo ad turbas *descendisse* (2); modo *in templo*, non autem apud parentes suos fuisse, (3); modo *relicta* Iudaea in Galilaeam abiisse (4). Talis vero mutatio loci in omnipraesente concipi nequit. — Christus ipse clarissime docet, suam humanitatem ubique praesentem non esse. Ait enim Io. XI, 15: *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi:* at certo erat ibi natura divina, utpote immensa, et ubique diffusa; ergo non erat ibi natura humana; si enim et ista adfuisset, Christus in nullo sensu vere dicere potuisset, se ibi non fuisse. Hanc absentiam etiam Lazari sorores agnoverunt, et professae sunt, dicentes: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* (5). — Matth. XXVI, 11 Christus ait: *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis;* quibus verbis significavit, quod secundum suam humanitatem non ita semper praesens futurus sit in terra, prout tunc cum Apostolis conversabatur. Ideo Io. XVI, 28 dicit: *Relinquo mundum, et vado ad Patrem;* quae verba, cum de natura divina immensa et immutabili explicari non possint, intelligenda sunt de natura humana, quae mundum relictura erat. — Marc. XVI, 6 dixit Angelus mulieribus: *Iesum quaeritis Nazarenum crucifixum; surrexit, non est hic: ecce locus, ubi posuerunt eum;* ergo, Angelo testante, corpus Christi non fuit in sepulcro quamvis divinitas eius adesset: si autem et humanitas Christi est ubique, quid erat, quod surrexit, et non erat ibi? — Christus ipse, suam ascensionem in coelum praenuncians, inquit: *Si non abiero, Paraclitus non*

(1) Matth. 5, 1. (2) Matth. 8, 1.
(3) Luc. 2, 46 (4) Io. 4, 3 etc.
(5) Ib. v. 21 et 22.

veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos (1); ergo Christus ascendens in coelum *abiit* a terra: qui autem abit, non manet in eodem loco. Idcirco ascensio ipsa his verbis narratur Luc. XXIV, 51: *Recessit ab eis, et ferebatur in coelum;* divinitas Christi nec recessit ab Apostolis, nec ferebatur in coelum: restat ergo, ut dicamus, humanitatem Christi recessisse, et ideo non ubique praesentem esse. Id confirmatur Act. I, 9, ubi dicitur: *Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum;* et Angeli dicunt: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum* (2). Quamvis igitur humanitas Christi per resurrectionem maximam gloriam consecuta sit, nullatenus tamen ipsi ubiquitas, seu omnipraesentia communicata fuit.

2. *Ss. Patres* unanimi consensu docent, Christum omnipraesentem esse secundum divinitatem, non autem secundum humanitatem. *S. Athanasius* in libro de suscepta natura humana Christum dicit, « secundum carnem, et mortuum, et sepultum esse, et resurrexisse, cum secundum spiritum (i. e. divinitatem) in coelo, et in terra esset, et ubique. » Idem (3) demonstrat, ea verba: *Sede a dextris meis*, Christo convenire non secundum divinitatem quae coelum terramque implet, sed ratione humanitatis, propterea quod, inquit, « sedere idem est, ac esse circumscriptum in loco. » *S. Cyrillus Hier.* (4) ait: « Non enim quia nunc non adest in carne, ex eo putes, quod spiritu medio hic non adsit, audiens quae de illo dicuntur, et videns quae tu cogitas, et scrutans renes et corda. » *S. Greg. Naz.* (5) unum eundemque Christum vocat « passibilem carne, impassibilem divinitate, corpore circumscriptum, spiritu incircumscriptum, eundem terrenum et coelestem. » *S. Chrysostomus* (6), expendens verba Marthae, *Domine, si fuisses hic* etc., ita loquitur: « Nescit modo mulier, Christum etiam corpore minime praesentem divinitatis adesse potentia; sed praesentia corporis vim praeceptoris metitur. » *Theodoretus* in Dial. 2, qui *inconfusus* inscribitur, haec notatu digna habet: « Corpus dominicum incorruptibile quidem resurrexit impassibile et immortale, ac divina maiestate glorificatum, et a coelestibus adoratur virtutibus, sed nihilominus est corpus priorem habens circumscriptionem. » *S. Cyrillus Alex.* (7) dicit: « Hos scire Apostolos oportuisse, etsi Christus ab eorum consuetudine carne disiungeretur, neque corporeis oculis amplius videretur, divinitatis tamen potentia praesentem adesse semper, et cum ipsis versari etc. » *S. Io. Damascenus* l. 3 de fide (8) diserte asserit: « secundum divinitatem incircumscriptum esse Christum: adeo ut caro ipsius non coëxtensa sit incircumscriptae divinitati eiusdem; » et lib. 4 (9), ait: « Ascendere in coelum e terra, et rursus descendere, actiones esse circumscripti corporis. Porro sic illum rursus esse descensurum Scriptura dicit: *Quemadmodum eum vidistis euntem in coelum.* » — In repudianda ubiquitatis fabula egregie latini Patres cum graecis concordant. *S. Hilarius* (10) demonstrat, divinitatis esse, quod Christo (11) in coelo se esse dicit, non carnis; divi-

(1) Io. 16, 7. (2) Ib. v. 11.
(3) Orat. de Fide (cit. a Theodoreto dial. 2).
(4) Catech. 14. (5) Ep. 101 ad Cledon. n. 3
(6) Hom. in quatrid. Lazarum
(7) L. 11 Comment. in Ioan.
(8) C. 7. (9) Cap. 1.
(10) L. 10 de Trin. (11) Io. 3

nitas enim « non se ex infinitatis suae virtute intra regionem definiti corporis coarctavit. » S. *Ambrosius* (1) inquit: « Neque enim Deus de loco ad locum transit, qui ubique semper est. Ut homo est qui vadit, ipse qui venit. Denique et alibi dicit: *Surgite, eamus hinc.* In eo ergo vadit et venit, quod est commune nobiscum. » — S. *Hieronymus* (2) ad Marcellam docet, Christum, quamquam corpore circumscriptus sit, tanquam Deum tamen ubique esse, et virtute sua ubique operari; nam, ait, « stultum est, illius potentiam unius corpusculi parvitate finiri, quem non capit coelum. Et tamen qui ubique erat, etiam in Filio hominis totus erat. » S. *Augustinus* (3), exponens illa verba: *Hodie mecum eris in paradiso* (4), ita disserit: « Homo quippe Christus illo die secundum carnem in sepulcro, secundum animam in inferno futurus erat. Deus vero idem ipse Christus ubique semper est: » et paullo inferius (5) addit: « Cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam (nempe humanitatem) non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est enim consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus. » S. *Leo M.* (6) ita disserit: « Tunc igitur filius hominis Dei Filius excellentius sacratiusque innotuit, cum in paternae maiestatis gloriam se recepit, et ineffabili modo coepit esse divinitate praesentior, qui factus est humanitate longinquior. » S. *Petrus Chrysol.* (7) ait: « Et erat locus, ubi non erat Christus? Et quomodo non erat ibi, unde mortuum Lazarum discipulis nuntiabat? — Fratres, erat ibi Christus Deus, sed ibi non erat homo Christus. » S. *Fulgentius* (8) scribit: « Eodem tempore totus in coelo, et in terra non cessabat Christus operari: sed solius divinitatis fuit et loco non teneri, et quae ad gubernationem universitatis pertinent cum Patre naturaliter, et aequaliter operari » (9).

3. *Rationes theologicae* partim ex dogmatibus iam probatis, partim ex absurdis, quae ex adversariorum sententia sequuntur, desumi possunt. *a*) Contra Eutychianos ex S. Scriptura, Patribus et Conciliis probatum est, duas esse in Christo naturas, quae etiam post unionem inconfusae, et impermixtae permanserunt, ita ut quaelibet suas essentiales proprietates retineret (§ 303, et seq.): ergo natura divina remansit infinita et immensa; natura vero humana remansit finita et loco circumscripta; Lutherani igitur naturae humanae omnipraesentiam tribuentes merito de haeresi eutychiana accusati sunt, neque inanibus suis tergiversationibus a turpi hac nota se eximere potuerunt. — *b*) Quia communicatio idiomatum non admittitur *in abstracto* (§ 318); de humanitate Christi non possunt praedicari attributa divina. Sed omnipraesentia est attributum divinitatis: ergo illa non potest de humanitate Christi praedicari. — *c*) Humanitatem Christi ipsi adversarii non ex alia ratione ubique praesentem dicunt, nisi quia vi unionis hypostaticae omnipraesentia humanitati a divinitate communicata fuit. Ast omnia attributa sunt ipsa essentia divina (§ 16), ita ut unum

(1) L. 2 de fide c. 4. (2) Epist. 148.
(3) In Epist. 187 (al. 57 ad Dardanum).
(4) Luc. 23. (5) N. 10.
(6) Serm. 2 de Ascensione.
(7) Serm. 63.
(8) In Respons. ad 2.am quaest. Ferrandi.
(9) Cf. Petav. de Incarnatione lib. 10, cap. 2, n. 2.

attributum sine altero, seu sine tota divina essentia adesse non possit. Ergo si vi unionis hypostaticae naturae humanae communicata est omnipraesentia, necesse est, ut eidem etiam communicata sit aeternitas, independentia, immutabilitas, etc., atque ideo humanitas Christi aeterna, independens, immutabilis, etc., dicenda erit, quod ipsi adversarii non admittunt. Absona est etiam distinctio, quam ineunt dicentes, humanitati Christi attributa divina operativa communicata fuisse, non autem quiescentia, seu non operativa; nam in Deo attributa operativa a non operativis realiter non distinguuntur, sed illa sicut ista sunt una simplicissima essentia divina, quapropter illa sine istis communicari non possunt. — *d*) Si omnipraesentia communicata fuisset humanitati Christi, sequeretur, Christum ex utero B. Virginis vere in lucem non prodiisse, imo adhuc hodie esse in utero matris, vere non ascendisse in coelos, neque vere venturum esse iudicare vivos et mortuos. Eadem adversariorum sententia pugnat etiam cum Sacramento Eucharistiae, istudque evertit. Illa enim admissa, dicendum erit, corpus Christi in quolibet cibo et potu, imo et in aëre, qui attrahitur, vere praesens esse et realiter percipi. Quale ergo discrimen erit inter panem eucharisticum et panem domesticum? — Respondent quidam, Christum, licet ubique praesentem, in solo pane eucharistico conferre fructum spiritualem, quem non confert in pane communi. Sed hoc asserentes discrimen inter utrumque panem ad solam virtutem et efficaciam restringunt, et ideo patrocinantur sententiae illorum, quos impugnandos susceperant.

(1) P. 2, art. 8, n. 76. (2) Col. 2, 9.

Nota. Absonam de omnipraesentia humanitatis Christi sententiam ex ipsis quoque Lutheranis multi repudiarunt. Variae inter ipsos hac de re concertationes habitae sunt, in quibus autem Lutheri sententia ita praevaluit, ut haec in famosa *Formula Concordiae* (1) credenda proponeretur. Ad eandem defendendam etiam varia argumenta congesta fuerunt, quae autem nullius roboris sunt, ut ex dicendis patebit.

Obi. I. Paulus de Christo dicit: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (2); quibus verbis clare asseritur, etiam corpori Christi communicatam esse plenitudinem divinitatis, ad quam utique omnipraesentia pertinet. Id Christus ipse confirmat, dicens: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (3); quae quidem verba debent referri ad naturam humanam, quia secundum divinam nihil ei poterat a Patre tradi. Cui simile est, quod idem Christus dicit Io. XVI, 15: *Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt*; ex qua sententia recte infertur, sicut Patrem, ita etiam Christum in natura humana omnipraesentem esse.

Resp. Haec omnia, et si quae sunt alia his similia, intelligi debent non de sola natura humana, sed de Christo, hoc est de persona divina subsistente in utraque natura divina, et humana. Hinc non sine causa S. Paulus, masculino genere utens, dixit: *in ipso*, id est Christo, habitare plenitudinem divinitatis; cum in Lutheranorum sententia debuisset uti genere foeminino, et dicere: *in ipsa*, id est natura humana. Illud autem adverbium *corporaliter S. Augustinus* (4) ita explicat, ut intelligatur, unionem divinae naturae et hu-

(3) Matth. 11, 27.
(4) En. in Ps. 67 n. 23

manae factam esse « non umbraliter, sed corporaliter, id est solide atque veraciter. » In S. Scriptura enim *corpus* saepe sumitur pro eo, quod opponitur apparentiae, aut nudae rerum speciei; unde *corporaliter* idem significat ac *substantialiter*, seu *per essentiam*. Paulus ergo docet, Christo inesse divinitatem non solum per gratiam, et mirabilium operum efficientiam, sed substantialiter, et per essentiam, quia vere natura divina cum humana hypostatice est unita: ex hoc autem nullatenus sequitur, ipsum corpus Christi esse divinitatem, aut humanitatem Christi esse omnipraesentem (1). — Ea autem Christi verba: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, intelliguntur de aeterna Verbi generatione, per quam habuit a Patre essentiam et omnia attributa divina. Sed, si quis velit ea detorquere etiam ad ipsum Christum ut subsistentem in natura humana, debent haec intelligi non de attributis divinis communicatis humanitati, sed potius de iis, quae spectant ad regimen et gubernationem Ecclesiae cuius erat caput; hanc enim Christo tradendam esse, iam in V. T. praedictum est, dicente Patre ad Filium: *Dabo tibi Gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae* (2). Et in eodem sensu Christus dicebat: *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra: Euntes ergo docete omnes gentes* (3) etc. Postrema Iesu Christi verba Io. XVI, 15 inepte prorsus ad Christi humanitatem referuntur; nam plus quam manifestum est, ibi Christum loqui de sua divinitate. Promittit enim Apostolis, missurum se Spiritum sanctum, quem a se quoque procedere docet, quia, inquit, *omnia quaecunque habet Pater, mea sunt*, unde infert: propterea dixi: quia de meo accipiet; id est de meo esse, et de mea substantia, ut alibi (§ 103) explicatum est.

Obi. II. In S. Scriptura de Christo secundum humanam naturam varia attributa divina praedicantur. De ipso praedicatur omniscientia: *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi* (4); Io. II, 23 dicitur: *Iesus novisse internas hominum cogitationes.* Io. XXI, 17 Petrus ad Christum dicit: *Tu omnia nosti.* Eidem tribuitur omnipotentia; nam ipse Christus dicit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra* (5); Filius dicitur vivificare mortuos sicut Pater; Paulus eidem tribuit efficacem *operationem, qua etiam possit subiicere sibi omnia* (6). Pari ratione Apoc. V, 12 Agnus occisus, id est Christus, secundum humanam naturam dicitur *dignus accipere virtutem et divinitatem, et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam, et benedictionem.* Etiam potestatem peccata remittendi sibi vindicat Christus ut homo Matth. IX, 6 dicens: *Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata;* haec potestas autem soli Deo est propria (7). Maxime autem notari debet potestas iudicandi communicata Iesu Christo prout homo est: *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est* (8). Si ergo haec attributa divina Christo competunt secundum naturam humanam, de hac etiam recte praedicatur omnipraesentia.

Resp. Male omnino adversarii ad errorem suum defendendum S. Scriptura abutuntur. Omnia enim adlegata Scripturae testimonia in *concreto*,

(1) Cf. Bernardin. a Picon. et Calmet. in h. l.
(2) Ps 2 8. — Cf. Ps 71 etc
(3) Matth. 28, 18.
(4) Col 2, 3.
(5) Matth. 28, 18.
(6) Phil. 2, 21.
(7) Is 43 25
(8) Io 5 27

nempe de persona Christi enuntiantur, quae aut Iesus, aut Filius, aut filius hominis, aut agnus occisus etc. appellatur. Ast ipsi etiam Catholici admittunt, attributa divina in concreto de integro supposito praedicari posse: ergo loca citata sicut doctrinae Catholicorum non opponuntur, ita causam adversariorum non iuvant. Deberent isti loca citare, in quibus in abstracto de humanitate Christi attributa divinitatis praedicentur: talia autem citare nequeunt, quia non exstant. — Quod Apoc. V, 12 attinet, in textu greco pro *divinitatem*, legitur πλοῦτον, *divitias:* S. Ioannes nempe summam exaltationem illis verbis declarat, quam Christus per obedientiam usque ad mortem promeruit (1). Christus non in abstracto loquitur, sed in concreto, quia dicit: *Filius hominis* etc. filius hominis autem ipsam divinam Christi personam significat. Hoc idem observandum est quoad ultimum locum obiectum (2), etsi libenter concedamus, in isto etiam maximam gloriam, per passionem et mortem promeritam indigitari, qua ipsa quoque humanitas Christi in die extremi iudicii fulgebit.

Obi. III. Matth, XXII, 44 Christus sibi applicat verba Ps. CIX, 1: *Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis:* sed secundum divinam naturam, qua est unum cum Patre, non indiget hac Patris iussione: ergo secundum humanam naturam iubetur sedere a dextris Patris. Recte igitur ita argumentamur: Humanitas Christi sedet ad dexteram Dei: sed dextera Dei est ubique: ergo Christi humanitas est ubique.

Resp. Dextera in loco citato metaphorice sumi debet pro honoris, et dignitatis aequalitate cum Patre: Christus autem tanquam secunda Trinitatis persona vere est aequalis Patri, et idem Deus cum illo: et quamvis ipse non indiguerit tali iussione, cum sit Filius Dei ab aeterno; necesse tamen fuit, ut tanquam talis coram hominibus declararetur. Hinc Christus ipse (3) hunc textum Psalmistae adhibuit, ut suam Iudaeis divinitatem probaret. Dubitari ergo non potest, quod Christus ut persona divina ad dexteram Dei sedere dicatur. Equidem etiam humana natura, Verbo hypostatice unita, dici potest sedere ad dexteram Dei: utpote ad maximam gloriam evecta. Sed ideo non sequitur, humanitatem ipsam factam esse aequalem Deo, et divinitatis attributa consecutam esse. Aptissimo exemplo rem declarat Card. *Bellarminus* (4) dicens: « Cum rex induit purpuram, sedetque in solio, evehit purpuram ad solium; non tamen ita, ut purpura dicatur sedere, aut regnare, sed ut dicatur vestis sedentis, aut regnantis. Pari ratione dici non potest, quod humanitas Christi sedeat ad dexteram Patris (ut aequalis divinitati), sed solum dici potest, quod humanitas Christi sit humanitas sedentis ad dexteram Patris, vel quod hic homo sedeat ad dexteram Patris. » Imo etiamsi sessio ad dexteram Dei stricte de humanitate Christi intelligeretur, non tamen inde inferri posset, eam ubique praesentem esse. Nam animae iustorum dicuntur esse *in manu Dei* (5); quis inde concludet eas ubique esse?

Obi. IV. Christum etiam post suam in coelum ascensionem ubique in terra praesentem esse, ex claris S. Scripturae testimoniis colligitur. Nam Matth. XVIII, 20 Christus ait: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum:* Matth.

(1) Cf. Phil. 2, 9; Matth. 9, 6.
(2) Io. 5, 27. (3) L. c.
(4) L. 3 de Christo c. 15.
(5) Sap. 3, 1.

XXVIII, 20 Apostolis diserte promittit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Paulus Ephes. IV, 10 de Christo ita loquitur: *Ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia.* Christus autem secundum naturam humanam in coelum ascendit; ergo etiam secundum humanitatem *implet omnia,* seu ubique praesens est.

Resp. Adducta S. Scripturae testimonia *in concreto* enunciata sunt de persona Christi, quam ubique praesentem esse, nemo Catholicorum dubitat: falso ergo asseritur, in illis humanitatem Christi *in abstracto* ubique praesentem affirmari. Matth. XVIII, 20 Christus auxilium suum orantibus, et Matth. XXVIII, 20 non corporalem praesentiam, sed assistentiam spiritualem Apostolis docentibus promittit, ut ex contextu patet. Sed tum orantes exaudire, tum Evangelium praedicantibus cum Spiritu sancto assistere, ad naturam divinam spectare, manifestum est. — Verba Apostoli Ephes. IV, 10 duplici modo exponi possunt sed in neutro sensu adversariorum errori patrocinantur. Iuxta *S. Thomam* Paulus dicit, Christum ascendisse super omnes coelos, *ut impleret omnia*, scilicet quae de eo fuerant a Prophetis praenuciata; unde etiam Christus iamiam ascensurus in coelum dicebat discipulis suis: *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me* (1). — Alii vero existimant, Apostolum his verbis significasse Christum ascendisse super omnes coelos *ut impleret omnia* gloria sua, seu ut ubique gloriam, maiestatemque suam ostenderet. Hanc enim Christus in terra per plurima miracula, et per gloriosam resurrectionem ostenderat; eandem apud inferos, ad quos post mortem descendit, commonstravit; unde conveniens fuit, ut super omnes coelos ascendens impleret omnia loca gloria, et maiestate sua. Cum autem id a Christo secundum humanitatem successive factum sit, patet, quam inepte ex citato loco argumentum pro simultanea humanitatis Christi omnipraesentia petatur.

Obi. V. Ss. Patres Christi humanitatem ubique praesentem praedicant. *S. Cyrillus Alex.* (2) ait: « Animas et corpora eorum per carnem suam sanctificans impartibiliter, atque integre in omnibus est, cum unus ubique sit, nullo modo divisus. » *S. Hieronymus* in lib. c. Vigilantium dicit, « Agnum Dei Christum ubique esse, » et epist. 50 ad Marcellam scribit, Christum non opus habuisse ascendere et descendere, « quia ubique est. » *S. Ambrosius* (3) ita Christum alloquitur: « Licet ubique sis semper, et stans in medio nostrum, non cerneris a nobis; erit tamen tempus, quo universa caro te aspiciet revertentem. » Ac denique *S. Io. Damascenus* (4) inquit: « Divinitatem corpori praerogativas suas impertitam fuisse. »

Resp. Quid Ss. Patres senserint, iam patet ex eorum testimoniis supra n. 2 citatis. Neque in locis hic adductis alios sensus produnt. Nam *S. Cyrillus* (5) explicat Iesu Christi praesentiam in Eucharistia, et docet, totum Christum ubique id est in qualibet particula vere consecrata contineri. — *S. Hieronymus* Vigilantium refutat cultum reliquiarum reiicientem, et contra ipsum probat, animas sanctorum preces nostras audire, quia sequuntur agnum, qui ubique est ut Deus, qui omnia novit et in quo etiam sancti preces nostras co-

(1) Luc. 24, 44. (2) L. 12 in Io. c. 32.
(3) L. 7 in Luc. n 83. (4) L. 3 de fide c. 14

gnoscunt: in epist. autem ad Marcellam apertissime de Christi divinitate loquitur. Etiam *S. Ambrosius* de divina Christi natura est intelligendus, secundum quam ubique est, et invisibilis, et tamen *non longe ab unoquoque nostrum* etc. Demum *S. Io. Damascenus* nihil aliud vult, quam humanae Christi naturae fuisse vim, et efficaciam ad nos redimendos in passione impertitam; dixerat enim quasi immediate antea: « Patienti carni coniuncta erat divinitas, impassibilis perseverans, passionesque salutares reddens et perficiens. »

Obi. VI. Quando duae res inseparabiliter unitae sunt, tunc ubi una est, necesse est, ut sit etiam altera. Sed humana natura inseparabiliter est Verbo unita: ergo sicut Verbum est ubique, necesse est, ut humanitas Christi sit ubique.

Resp. Ut duae res inseparabiliter unitae sint, necesse non est, ut ubicunque est una, ibi et altera sit, sed sufficit, ut alicubi simul coniunctae existant. Sic e. g., si duo asseres diversae longitudinis intime conglutinantur, non ideo sequitur, quod ubicunque maior est, etiam illa sit, quae minorem extensionem habet. Aliud exemplum ab ipso homine desumi potest. Quamdiu enim hic vivit, caput intime est animae unitum; et tamen caput non est ubicunque est anima; haec enim est etiam in pede, in quo sentit, et in quem agit; quis autem inde concludet, ergo etiam caput est in pede? — Quamvis igitur natura humana intime et inseparabiliter cum Verbo unita sit, inde non sequitur, naturam humanam sicuti Verbum immensam, et ubique praesentem esse. Nam per unionem hypostaticam naturae confusae non fuerunt, sed integrae et distinctae permanserunt, essentialia attributa retinentes. Verbum ergo immensum, et omnipraesens; natura autem humana finita, et loco circumscripta mansit.

Obi. VII. Si humanitas Christi non est ubicunque est Verbum, ergo Verbum alicubi non est homo. Sed Verbum ubique est homo, ergo ubique est cum humanitate, unde recte dicitur, hanc ubique adesse.

Resp. Male omnino argumentantur adversarii. Non enim eaedem, sed diversae omnino sunt duae hae propositiones: Verbum alicubi existens non est homo; et: Verbum alicubi existit sine humanitate. Prior est falsa, quia Verbum ibi existens unitam sibi habet humanitatem alibi existentem; altera vero propositio est vera, quia humanitas finita non potest, ut divinitas, immensa et omnipraesens esse. Sic a pari anima rationalis existit in capite sine pedibus, quia pedes non sunt in capite; et tamen anima in capite existens est anima pedum, quia illa ipsa anima, quae existit in capite, etiam pedes sibi habet unitos. Idem multo magis de Verbo dicendum est, quod ineffabili modo ubique praesens est, quin spatium occupet, vel loco circumscribatur. Errant ergo adversarii, dum supponunt, unionem hypostaticam factam esse per quamdam localem coëxistentiam, quod stultum est asserere; per hypostaticam enim unionem regitur a Verbi persona humanitas, quae in ea, et per eam subsistit. Hac porro divina subsistentia non obstante, humana Christi natura suas proprietates retinet, ut contra Eutychianos probatum fuit, et ideo non est ubique praesens.

ARTICULUS II.
De Christi adoratione.

§ 320. Nomine adorationis in sensu stricto, et communiter a Theologis recepto, intelligitur summus latriae

cultus, qui soli Deo exhibetur propter infinitam eius excellentiam, qua supremum in omnes res creatas dominium habet. — Cum Iesus Christus sit verus Deus, dubitari non potest, ipsum vere adorandum, seu summum latriae cultum ipsi impendendum esse. — Sed Iesus Christus est etiam verus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens. Quaeri ergo potest, qualis cultus ipsi tanquam Verbo incarnato, seu homine facto exhibendus sit? — Verum quaestio ista ex iam probatis dogmatibus facile solvitur. Nam duae equidem sunt in Christo naturae, divina et humana, sed una est persona, eaque divina, cui proinde absque dubio adoratio, seu cultus latriae debetur. Difficultas ergo solum remanet, utrum humanitas Christi, prout est unita Verbo, et velut unum totum cum illo constituit, sit adoranda? — Praeterea quaeri potest, num idem latriae cultus etiam singulis partibus humanitatis Christi, et in specie sanctissimo Cordi Iesu exhiberi possit? — Ac demum investigare oportet, qua ratione etiam Crux Christi adoranda dicatur? — Ut istae quaestiones solvantur, 1.° *de adoratione humanitatis Christi*, 2.° *de cultu sanctissimi Cordis Iesu*, et 3.° *de adoratione sanctae Crucis* disserendum est.

I. *De adoratione humanitatis Christi.*

§ 321. Ecclesia catholica constanter credidit, et contra Eutychianos definivit, naturam humanam Christi etiam post unionem naturales suas proprietates retinuisse; quapropter sicuti infinita facta non est, ita et per se, seu in abstracto considerata, supremum latriae cultum exigere nequit. Sed eadem Ecclesia contra Nestorianos docet, unum esse Christum, seu unam esse Dei hominis personam, ergo etiam natura humana Christi subsistit in persona divina, cui summus latriae cultus debetur, ac proinde illa quoque in Christo et cum Christo adoranda est. Sicut nempe divinitas et humanitas Christi unam personam constituunt, ita etiam una eademque adoratione divinitas Christi et eius humanitas adoranda est. — Ad quam doctrinam dilucidandam Theologi cum S. *Thoma* (1) distinguunt adorationis *obiectum*, et eiusdem *causam*, seu *motivum*. Ad obiectum adorationis, quod est integer Christus, pertinet etiam ipsa caro, seu potius humanitas Christi, prout subsistit in Verbo, seu *in concreto*, quae adoratur directe, immediate, et in se: causa vero, seu motivum huius adorationis est unio hypostatica, qua factum est, ut natura humana subsistat in persona divina, et ipsa caro sit propria Verbi, seu caro Dei, ut Patres loquuntur. Hinc etsi caro Christi adoretur *in se*, non adoratur tamen *propter se*, quod proprium est solius divinitatis, quae est simul obiectum et motivum supremi latriae cultus, ac propterea adoratur *in se*, et *propter se*. — Sed tamen praefata adoratio humanitatis, non dicenda est *relativa*, sicut ea, quae defertur imagini Christi, sed *propria*, et *absoluta*, quia adoratur persona, cuius est natura, totum, cuius est pars, adeoque ipsa ut pars totius adorati terminat etiam adorationem, secundario tamen et minus principaliter, quia adoratur non propter seipsam, sed propter Verbum coniunctum, ad quod ideo primario et principaliter terminatur adoratio. Ex eadem porro doctrina sequitur, nunquam adorari posse latriae cultu humanitatem Christi in abstracto, sed semper coli debere in concreto, seu totum et integrum Christum, qui pro-

(1) 3 q. 25 art. 1

fecto in partes discerpi nequit. Et quia Christus dividi nequit, idcirco perinde est adorare Christi humanitatem, seu carnem, ac adorare Christum ipsum, qui Deus homo est. — Doctrina iam exposita *ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus, ex Conciliis*, et *ratione theologica* probatur.

1. *S. Scriptura* Verbum incarnatum, seu Filium Dei hominem factum summo latriae cultu adorandum esse, clare commonstrat. Nam S. Paulus (1) Filio Dei, per quem Deus *novissime locutus* (2), et qui multo *melior Angelis effectus* est (3), adaptans verba Ps. XCVI, 8, inquit: *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius:* quem locum *S. Io. Chrysostomus* (4) intelligendum esse dicit, « non de Deo Verbo (prout ab aeterno est apud Deum), sed de Christo, qua est carne praeditus; » et, hunc esse citati loci legitimum sensum, ipse contextus evincit. Quodsi omnes Angeli Christum hominem, ex anima rationali et humana carne subsistentem adorare tenentur, id multo magis de omnibus hominibus dicendum est. Hinc Paulus de Filio Dei, qui semetipsum exinanivit, formam servi accepit, et obediens factus est usque ad mortem, mortem autem Crucis, dicit: *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genuflectatur coelestium, terrestrium, et infernorum* (5); nec dubitari potest, per hanc genuflexionem summum latriae cultum exprimi, ab Angelis, ab hominibus, et a spiritibus, qui in inferis sunt, Christo exhibendum, quod confirmatur ex versu sequenti, quo dicitur: *et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris;* qui enim eandem cum Patre suo gloriam habet, eidem aequalis etiam cultus debetur. — S. Scriptura etiam exempla adorationis Christo homini exhibitae commemorat. Matth. II, 11 legitur, quod Magi divino impellente Spiritu Christum Iesum *procidentes adoraverunt*, hanc vero adorationem religiosam et latreuticam, non autem mere civilem fuisse, patet ex eo, quia vix intelligi posset, quomodo cultum regium potuerint illi Magi tribuere Christo, quando in pauperrima forma vagiebat in cunabulis: praeterea Ss. Patres passim docent, Magos lumine coelesti repletos per oblationem thuris Christi divinitatem professos esse, unde dubitare non licet, ipsos Christo etiam verum latriae cultum exhibuisse. — Io. IX, 35 et 38 coecus natus, interrogatus a Christo: *Tu credis in Filium Dei?* respondit: *Credo, Domine, et procidens adoravit eum.* — Matth. XXVIII, 17 de Apostolis, quibus Christus post resurrectionem gloriosus apparuit, refertur: *Et videntes eum adoraverunt.* — Summus latriae cultus Christo homini, seu Agno occiso etiam in coelo exhibetur, et ubique exhibendus declaratur; nam Apoc. V, 12, etc. legitur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam, quae in coelo est, et super terram, et sub terra, et omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in saecula saeculorum.*

2. *Ss. Patres* clare docent, humanam Christi naturam cum Verbo divino, cum quo est hypostatice con-

(1) Hebr. 1, 6. (2) Ib. v. 2. (3) Ib. v. 4. (4) Hom. 3 in Ep. ad Hebr (5) Phil. 2, 9.

iuncta, uno eodemque supremo latriae cultu adorandam esse. *S. Athanasius* (1) ita praeclare loquitur: « Nos creaturam non adoramus, absit. Gentilium enim et Arianorum eiusmodi est error. Sed Dominum rerum creatarum incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamvis enim caro ipsa per sese pars est creaturarum, tamen Dei corpus est facta. Neque huiusmodi corpus a Verbo dividentes seorsim adoramus, neque Verbum adorare volentes ipsum longe a carne disiungimus: sed cum sciamus, Verbum carnem factum esse, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat: Recede a corpore, ut te adorem? — Aut quis ita impius est, ut cum Iudaeis propter corpus dicat ei: cur tu, homo cum sis, te Deum facis? » — *S. Gregorius Naz.* (2) ait: « Si quis crucifixum non adorat, anathema sit, et in eorum, qui Deum interemerunt, numerum adscribatur. » Idem (3) dicit: « Nos Dei Filium, qui ex Patre primum, ac deinde ex S. Maria Virgine genitus est, in unum iungimus, nec duos Filios nominamus, sed unum et eundem in invisibili deitate et honore adoramus. » *S. Gregorius Nyss.* (4) scribit: « propter unionem hypostaticam et ille, qui crucifixus est, Dominus gloriae a Paulo vocatur, et ille, qui ab omni creatura coelestium, terrestrium, et infernorum adoratur, Iesus nominatur. » *S. Epiphanius* (5) haec habet: « Nemo sic insanit, ut dum adorare velit Imperatorem in ipsius augustali, dicere huic audeat: exi ab illo tuo augustali, ut te adorem. Sic igitur nemo Unigenito dixerit: depone corpus, ut adorem te. Quin potius ipsum adorat cum corpore Unigenitum, increatum cum templo sancto, quod veniens assumpsit. » — *S. Ambrosius* (6) verba illa: *Adorate scabellum pedum eius, quia sanctum est* (7), sic accipit, ut scabellum pro carne sumatur, « quia in Christo etiam incarnationis adoranda mysteria sunt. » Et, paucis interiectis, de scabello isto ita fusius disserit: « Legimus alibi: *Coelum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum* (8). Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Iesu, ut supra diximus, adorarunt. Neque enim divisus Christus, sed unus: neque cum adoraretur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine negabatur. » *S. Augustinus* (9), S. Ambrosii expositioni insistens, ait: « *Adorate scabellum pedum eius*: Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quaero hic; et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram; quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. » — *S. Cyrillus Alex.* equidem in Anath. 8 asserit, « nefas esse hominem assumptum coadorare cum

(1) In Epist. ad Adelphium Episc.
(2) Ep. 101 ad Cledon. n. 5.
(3) Ep. 102, n. 1 (al. Or. 52).
(4) In Epist. ad Theoph. adv. Apollinar.
(5) In Ancor. n. 51.
(6) L. 3 de Spir. S. c. 12. (7) Ps
(8) Is. 66.
(9) Enar. in Ps. 98, n. 9.

Deo Verbo, » sed id dixit in sensu Nestorii personas dividentis, quia si non est una persona Deus et homo, homo non potest coadorari cum Deo. Quoniam autem unam Dei hominis personam S. Cyrillus propugnavit, unam quoque divinitatis et humanitatis Christi adorationem strenue defendit. Nam in Epist. ad Monachos Aegypti scribit: « Adora tanquam unum, non dividens in duos post unitionem. » Et in Scholiis de Incarn. Unig. c. 27 ait, « Adoratione non est dividendum in hominem seorsum et Deum seorsum.... Sed unum adorandum hominem factum et incarnatum Dei Verbum. » Et in lib. 2 c. Nestor. aperte profitetur, Christum « adorari etiam cum carne, ut ante carnem erat adorandus. » Clarissime doctrinam catholicam proponit *S. Io. Damascenus* (1) dicens: « Unus est Christus, Deus perfectus, et homo perfectus, cui unam eandemque adorationem cum Patre et Spiritu non exclusa immaculata eius carne adhibemus. Neque enim adorandam esse eius carnem negamus; quippe quae adoratur in una Verbi persona, quae quidem ipsi persona et hypostasis facta est. Qua in re non creaturae servimus; non enim illam ceu nudam carnem adoramus, sed velut divinitati unitam, et quia duae ipsius naturae ad unam Dei Verbi personam reducuntur unamque subsistentiam. Carbonem tangere ob ignem cum ligno coniunctum vereor. Ambas Christi naturas ob unitam carni divinitatem adoro. »

3. *In Conciliis* eadem doctrina definita est. Concilium *Nicaenum I* adv. Paulum Samos. ita loquitur: *Confitemur Dominum nostrum Iesum Christum... totum adorabilem etiam cum corpore, sed non secundum corpus adorabilem; totum adorantem etiam cum divinitate, sed non secundum divinitatem adorantem: totus quippe ergo est Deus etiam cum corpore, non secundum corpus; totus adorandus etiam cum corpore, non propter corpus.* Haec verba referuntur in Concilio *Ephesino* (2). Hoc idem Concilium damnavit errorem Nestorii, qui sicut duas in Christo personas distinxit, ita etiam duas adorationes introduxit, quarum altera seorsim Dei Verbo, altera seorsim homini exhiberetur. Contra istum errorem in anath. 8 dicitur: *Si quis... non una potius adoratione Emmanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum est caro: anathema sit.* — Eutychiani cum Apollinaristis unam quidem Christo adorationem tribuendam esse docuerunt, at id asseruerunt ducti haeretico principio de confusione naturarum in Christo, damnati idcirco in Concilio *Chalcedonensi*, act. V. — Contra utramque haeresin doctrinam catholicam definivit Concilium *generale V*, can. 9, dicens: *Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo, et semotim homini: aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam, sive essentiam convenientium portentose dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum eius carne adorat, iuxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, talis anathema sit.* Concilium *Nicaenum II*, act. V, dicit: *Cum adoratur Christus, non separatur humanitas a divinitate, sed utraque ut unum adoratur latria.* Huc referri potest, quod Concilium *Tridentinum* (3) de adora-

(1) L. 3 de fide orth. c. 8

(2) Part. 3, cap. 6 (V. Billuart, de Incarn. Diss. 23. art. 2). (3) Sess. 13. can. 6.

tione Christi in Eucharistia definivit.

4. *Ratio theologica* ita a Scholasticis proponi solet. — Cum persona honoratur, tota honoratur, sive honoratur totum eius esse substantiale. Ergo etiam dum persona Christi adoratur cultu supremae latriae, tota adoratur. Tota autem persona Christi est non solum personalitas Verbi, sed etiam omnis natura in illa personalitate subsistens. Ergo cum adoratur persona Christi, eadem adoratione adoratur non solum eius personalitas, sed etiam natura humana in eadem personalitate subsistens. Ex quo etiam patet, humanitatem Christi esse vere adorationis *obiectum*, quamvis unio hypostatica dicenda sit eiusdem adorationis *motivum*, seu *causa*. — Hoc etiam exemplo ab hominibus desumpto illustrari potest. Nam quando, ex. gr., honoramus aliquem virum propter excellentiam animae eius, quae sanctitate et dotibus eximiis, sive supernaturalibus, sive etiam naturalibus ornatur; licet anima sit tota honoris exhibiti causa, et non corpus, attamen honor non soli animae, sed toti composito, adeoque et corpori exhibetur.

Nota 1. Praeter *Nestorianos*, *Apollinaristas*, et *Eutychianos* a catholica doctrina etiam *Wicleffus* recessit, qui, teste *Thoma Waldensi*, docuit, humanitatem etiam si per impossibile a persona Verbi separaretur, cultu latriae adorandam esse. Inter *Socinianos*, etsi omnes divinitatem Christi negant, alii tamen ipsum cultum latriae adorandum esse statuunt, eoquod tanquam legatus divinus Dei referat personam: alii vero cultum latriae Christo, ut puro homini, nequaquam tribuendum esse censent. — Difficultates, quae doctrinae catholicae opponuntur, ex iis, quae iam dicta sunt, facile solvuntur. Trita est obiectio, qua nonnulli ita argumentantur: « Soli Deo cultus latriae debetur: humanitas vero Christi Deus non est: ergo cultus latriae illi non debetur. » Concedunt sane Catholici, quod humanitati Christi ratione sui, et propter se cultus latriae non debeatur: sed tamen illi debetur ratione unionis hypostaticae, et propter Verbum, in quo ipsa subsistit, ut iam expositum fuit. Ergo etiam iuxta doctrinam catholicam soli Deo cultus latriae defertur, quia humanitas Christi tantum in Verbo adoratur, quod verus Deus est, seu ipsum Verbum cum humanitate adoratur. — Obiici solet etiam locus *S. Augustini* Tract. 23 in Ioan. (1) dicentis: « Honoratur homo Christus, sed non sicut Pater Deus. Quare? quia secundum hoc dixit: *Pater maior me est.* » Sed S. Doctor hic loquitur de humanitate in abstracto spectata, et hanc non ita, ut Deum Patrem, ratione sui et propter se adorandam esse dicit: in concreto autem humanitatem adorandam esse cultu latriae S. Doctor apertissime docuit, uti patet ex eius verbis iam relatis, quibus alia adiungi possunt ex Enar. in Ps. XLVI, ubi dicit: « Christus occisus est a civibus, et honoratur a Gentibus; crucifixus a suis, adoratur ab alienis. » Similia habet in citato Tract. (2). Eodem modo intelligenda sunt verba *S. Io. Damasceni* (3) dicentis: « Non materiam, sed materiae auctorem adoro, qui propter me materia factus est..... materiam vero, per quam mihi salus parta est, colere non desinam, non tamen ut Deum: » quibus verbis nihil aliud innuit, nisi quod humanitatem Christi non in abstracto, sed in concreto, non propter se, sed ob unionem hypostaticam adoret, uti se explicat (4),

(1) N. 13. (2) 23 in Io. n. 6. (3) Orat. 1 de Imag. (4) L. 4 de fide c. 3

dicens: « Ipsius caro suapte quidem natura... haudquaquam adoranda est, utpote condita: at cum Deo Verbo copulata sit, ob ipsum, et in ipso adoratur. »

Nota 2. Quaeri potest, an recte dicatur: *Christus ut homo est adorandus?* — Cl. *Engel. Klüpfel.* (1) hanc propositionem improbat, eamque erroribus Eutychiano, aut Lutheranorum opinioni de omnipraesentia humanitatis Christi affinem esse censet, quia particula reduplicativa efficit, ut nomen concretum aequivaleat abstracto; ex quo concludit, dictam propositionem non esse admittendam, sicuti admitti nequeunt sequentes: *Christus ut homo est Deus*, vel *Humanitas Christi est aeterna, omnipraesens* etc. Sed tamen Theologi magna consensione, uti ipse *Klüpfel* fatetur, tuentur thesin istam: *Christus ut homo est adorandus*, eandemque exponit etiam Cl. *Io. Schwetz* (2). — Et certe haec propositio omnino orthodoxe profertur. Quamvis enim dici non possit: *humanitas Christi est aeterna vel omnipraesens* etc., quia proprietates unius naturae non fuerunt alteri communicatae; recte tamen dicitur: *humanitas Christi est adoranda*, quia ipsa humanitas, licet non ratione sui et propter se, tamen ratione unionis hypostaticae in Verbo est verum, et proprium adorationis obiectum. — Praeterea observandum est, quod iuxta Scholasticos haec vox: *homo*, dum de Christo sermo est, tam naturam humanam, quam ipsam personam divinam significare, et quod reduplicatio aut hanc, aut illam afficere possit. Sic *S. Thomas* (3) quaerit, utrum haec propositio sit vera: *Christus, secundum quod homo, est Deus?* — atque respondet « dicendum, quod iste terminus *homo* in reduplicatione positus potest dupliciter accipi. Uno modo quantum ad naturam, et sic non est verum, quod Christus, secundum quod homo, sit Deus: quia humana natura est distincta a divina secundum differentiam naturae. Alio modo potest accipi ratione suppositi: et sic cum suppositum naturae humanae in Christo sit persona Filii Dei, cui per se convenit esse Deum, verum est, quod Christus, secundum quod homo, sit Deus. » Etiam ope huius distinctionis impugnata propositio defendi potest. Observant tamen nonnulli Theologi, quod ad ipsam personam Christi significandam dicta propositio melius ita enuntietur: *Christus ut hic homo est adorandus.* Caeterum ab omnibus approbatur propositio sine reduplicatione ita simpliciter enunciata: *Christus homo est adorandus.*

Nota 3. Non pauci ex Scholasticis asseruerunt, quod praeter cultum latriae integro Christo exhibendum, eius humanitas etiam in abstracto secundum se sumpta, et ut per intellectum praecisa a Verbo adorari possit cultu inferiori et quidem *hyperdulia* ob excellentissimas suas perfectiones creatas. Hanc sententiam tenent *Cajetanus*, *Suarez*, *Billuart* et alii, eamque etiam tradere videtur *S. Thomas*, qui (4) dicit: « Adoratio humanitatis Christi dupliciter potest intelligi. Uno modo ut sit eius sicut rei adoratae; et sic adorare carnem Christi nihil est aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum; sicut adorare vestem Regis nihil est aliud, quam adorare Regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latriae. Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quae fit ratione humanitatis Christi perfe-

(1) Inst. th. dogm. l. 2, § 51, nota 2.
(2) In sua Theol. dogm. vol. 2, § 60
(3) 3, q. 16, art. II.
(4) 3, q. 25, art. 2.

ctae omni munere gratiarum, et sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriae, sed adoratio duliae; ita scilicet quod una et eadem persona Christi adoretur adoratione latriae propter suam divinitatem, et adoratione duliae propter perfectionem humanitatis. » — Hunc autem hyperduliae cultum humanitati Christi in abstracto exhibendum reiiciunt, et impugnant *Vasquez*, *Thomassinus*, *Antoine* aliique, quia Concilia unam divinitatis et humanitatis Christi adorationem praescribunt, et duas Nestorianorum adorationes condemnant, et quia humanitas inseparabiliter Verbo unita ab hoc separari non potest. Recte etiam Cl. *Thomassinus* (1) quaerit: « Quid attinet novos excogitare, et congerere illi carni honores? An ei abunde non sufficiunt divini? An ei non sufficiunt, qui Deo sufficiunt? An illi parum est, quod Deo satis est? — Quod *S. Thomam* attinet, S. Doctor id tantum asserit, adorationem Christo delatam duplici titulo ipsi deferri tum ratione divinitatis, tum ratione excellentissimarum perfectionum creatarum, quas etiam in eodem Christo agnoscere et adorare debemus. Hunc esse verborum *S. Thomae* sensum, patet ex eo, quia comparationem instituit inter Christum, et ipsum Deum Patrem, qui etiam ex duplici titulo adoratur, nempe ob infinitam excellentiam, et ob supremum dominium in creaturas. Verbis enim supracitatis immediate subiungit: « Nec hoc est inconveniens, quia ipsi Deo Patri debetur honor latriae propter deitatem, et honor duliae propter dominium quo gubernat creaturam: » quo in loco per « honorem duliae » unum eundemque cultum latriae intelligit, ut *Caietanus*, *Billuart*, etc. testantur. Quod autem Angelicus adorationem humanitatis in abstracto non admittat, patet ex iis, quae dicit ibid. (2): « Glossa illa non est sic intelligenda, quasi seorsum adoretur caro Christi ab eius divinitate: hoc enim posset contingere solum hoc modo, si esset alia hypostasis Dei et hominis: » hoc idem iam docuerat. a. a. — Recte ergo Christo etiam applicatur dictum: *Quod Deus coniunxit, homo non separet* (3). Sicuti enim divinitas cum humanitate inseparabili nexu unita est, ita utramque uno supremo latriae cultu adoremus, oportet. Quodsi etiam ad humanitatem Christi oculos convertamus, ipsius summas perfectiones consideremus, non tamen a divina Christi persona abstrahere, sed hanc potius perfectissimo modo nempe supremo latriae cultu adorare debemus, ut obligationi satisfaciamus, qua plurimis titulis Christo obstricti sumus.

(1) De Incarn. l. II. c. 3. § 13. (2) Ad 1.

II. *De cultu SS. Cordis Iesu.*

§ 322. Saeculo decimo septimo SS. Cor Iesu Redemptoris nostri a piis devotisque Catholicis speciali cultu honorari coepit. Ad cultum istum promovendum haud parum contulit virgo, pietate insignis, quae etiam in fama sanctitatis obiit, nempe *Ven. Margarita Alacoque* Monialis ex Ordine Visitationis Mariae. Haec enim testata est, per extraordinariam Revelationem divinam sibi iniunctum fuisse, ut devotionem erga SS. Cor Iesu, et institutionem Festi in honorem eiusdem Cordis promovere nitatur. Humilis virgo, factam sibi Revelationem candide et constanter manifestans, multos quidem adversarios, sed etiam non paucos fautores nacta est. — Ab isto porro tempore cultus SS. Cordis Iesu non solum in Galliis sed etiam in aliis orbis catholici p

(3) Matth. 19, 6.

tibus maxime propagatus est, et in dies nova incrementa coepit. Quamvis autem Apostolica Sedes pro summa prudentia et maturitate, qua in huiusmodi negotiis procedere solet, non statim precibus annueret Festum SS. Cordis Iesu instituendo; nunquam tamen ipsum SS. Cordis cultum improbavit, sed illum potius ut licitum salubremque approbavit et commendavit. Nam summi Pontifices cultoribus SS. Cordis Iesu plurimas indulgentias concesserunt, ac denique etiam singulare Festum in honore SS. Cordis Iesu instituerunt. — Non defuerunt tamen qui cultum SS. Cordis Iesu acriter impugnarent. Putarunt nonnulli, Cor Iesu, quod solummodo partem aliquam sacrati Corporis constituit, non posse speciatim supremo cultu latriae adorari. Quidam eousque progressi sunt, ut dicerent, per praefatum cultum Nestorianismum resuscitari, Christum dividi, et plures eiusdem adorationes induci, quum tamen Ecclesia definierit, unicam adorationem Verbi incarnati esse admittendam. Alii aliquanto mitius senserunt, sed tamen eundem cultum ut inanem, absonum et superstitiosum suggillarunt. Praecipue Iansenistae, approbatum a Sede Apostolica cultum SS. Cordis Iesu impugnare non destiterunt. Conciliabulum *Pistoriense* eundem cultum inter devotiones novas, erroneas, aut saltem periculosas reiicit; aperte etiam asserit, « adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius partem fore semper honorem divinum datum creaturae; » atque idcirco cultores SS. Cordis arguit, quod illicito modo partem aliquam humanitatis cum separatione, aut praecisione a divinitate adorent. — Contra istos adversarios iam probandum est, cultum SS. Cordis Iesu *licitum, et fidei orthodoxae consonum* esse, si eius *obiectum* spectetur; eundemque etiam *convenientissimum ac saluberrimum* esse, si eius *motivum* consideretur.

1. *Obiectum* cultus de quo loquimur, est SS. Cor Iesu, Filii Dei incarnati, qui cum perfectus homo sit, sicut reliquas humani corporis partes, ita etiam cor carneum, seu naturale assumpsit, et cum divinitate sua hypostatice coniunxit. Ergo licitum, et orthodoxae fidei apprime consonum est, Cor istud colere, imo etiam supremo latriae cultu adorare. De fide enim est, ut ex demonstratis constat, unionem hypostaticam immediate cum tota Christi humanitate, ac singulis eiusdem humanitatis partibus factam esse, imo hypostaticam unionem Verbi cum humanitate esse rationem formalem, qua humanitas ipsa, ac singulae eius partes subsistant, ac existant in rerum natura, seu in concreto. Ergo tum humanitas, tum singulae eiusdem humanitatis partes colendae sunt cultu latriae ob divini Verbi personam, cuius propriae factae sunt. — Quamobrem graviter hallucinati sunt Theologi illi, qui totam quidem humanitatem in Christo adorandam esse admiserunt, at eundem latriae cultum Cordi Iesu delatum improbarunt, non attendentes, quod etiam tota humanitas non ratione sui, et propter se, sed ratione unionis hypostaticae, et propter Verbum, seu in Verbo adoranda sit, et quod sicut tota humanitas, ita etiam Cor hypostatice Verbo unitum sit, et licet non ratione sui et propter se, attamen ratione unionis hypostaticae et propter Verbum, et in Verbo supremo latriae cultu adorari possit et debeat. Id confirmatur ex consensu Ss. Patrum et veterum Theologorum, qui constanter docuerunt, triduo mortis Verbum cum anima et cum corpore unitum mansisse (§ 314,

nota 1), atque ideo cultum latriae tum animae sine corpore, tum corpori sine anima deferendum fuisse. Sicuti ergo istis humanitatis partibus a se quidem separatis, sed Verbo unitis, ita etiam SS. Cordi Iesu cultus latriae merito exhibetur. Exinde etiam patet quam atrox calumnia cultoribus SS. Cordis Iesu ab illis impingatur, qui dicunt per huiusmodi devotionem Nestorianismum resuscitari, Christum dividi, duplicem adorationem induci, et partem aliquam humanitatis cum separatione, aut praecisione a divinitate illicito modo adorari. — Omnia haec a sensu Catholicorum longissime distant. Omnes enim unum D. I. Christum Deum et hominem confitentur, cuius Cor non adorant, nisi quia est Cor Dei, seu personae Verbi; imo una eademque adoratione colitur Cor Divini Verbi, seu potius persona Christi in Corde suo: et tantum abest ut Catholici Cor adorantes istud a divinitate separent, aut praescindant, ut potius omnem cultum suum ad ipsum Iesum, seu ad personam Verbi dirigant. Hanc vero etiam in una humanitatis parte licite, et recte adorari, iam *S. Thomas* innuit, qui (1), de humanitatis Christi adoratione agens, inter alia dicit: « Proprie honor exhibetur toti rei subsistenti. Non enim dicimus, quod manus hominis honoretur, sed quod homo adoretur: et sic quandoque contingat, quod dicatur honorari manus vel pes alicuius, hoc non dicitur ea ratione, quod huiusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis partibus honoratur totum. » Ergo etiam dum SS. Cor adoratur, « honoratur totum » seu adoratur persona Christi. — Alii quoque praestantissimi Theologi docuerunt propter unionem hypostaticam sicut humanitatem, ita etiam eiusdem partes supremo latriae cultu in Christo adorandas esse: ita Cl. *Sylvius* (2) dicit: « Quare simpliciter dicendum est, carnem et animam Christi, sicut et membra corporis eius, adoranda esse adoratione latriae, quae quidem eis debetur ratione hypostasis Verbi Dei; a qua, et in qua sustentantur. » Denique cultum SS. Cordis Iesu licitum, et fidei orthodoxae plane consonum esse, certo constat ex eo, quia ab Apostolica Sede approbatus et commendatus fuit, cum qua etiam totius orbis catholici Episcopi consentiunt. Rem conficiunt censurae a *Pio VI* in celebri Constit. *Auctorem fidei* latae in propositiones, quibus *Synodus Pistoriensis* cultum SS. Cordis Iesu vellicare ausa est. Censura enim in propositionem 62^am^ his verbis concepta est: « Doctrina quae devotionem erga sacratissimum Cor Iesu reiicit inter devotiones, quas notat Synodus Pistor. velut novas, erroneas, aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata, — *falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem iniuriosa.* » Censura vero, qua perstringitur propositio 63^a^, ita sonat: « Item in eo, quod cultores Cordis Iesu hoc etiam nomine arguit (3), quod non advertant, sanctissimam carnem Christi, aut eius partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut praecisione divinitate adorari non posse cultu latriae: quasi fideles Cor Iesu adorarent cum separatione, vel praecisione a divinitate, dum illud adorant ut est Cor Iesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione, aut praecisione

(1) 3, q. 25, art. 1.

(2) In p. 3, q. 25, art. 2.
(3) Synodus Pist.

a divinitate adorabile fuit in sepulcro, *captiosa, in fideles cordis Christi cultores iniuriosa.* »

2. Si *motivum* consideratur, ex quo SS. Cordi Iesu prae caeteris sacrosanctae humanitatis partibus specialis cultus defertur; facile intelligitur, eundem cultum *convenientissimum* ac *saluberrimum* esse. Nam Cor Iesu speciali modo colendum proponitur, *propter amorem, quo erga nos exarsit, propter dolores, quos pro nobis sustinuit, et propter virtutes, quas nobis ab ipsomet addiscendas praescripsit.* — *a)* Verum equidem est Philosophos non consentire in humanarum affectionum sede determinanda cum alii quidem in corde, alii vero in cerebro principium sensationum et motuum a voluntate pendentium residere putent. Sed certum est, quod ex communi hominum sensu, et recepto ac universali loquendi usu a S. Scriptura ipsa consecrato, *cor* tanquam amoris et affectionum sedes reputetur. Ideo sane *maximum et primum mandatum* his verbis exprimitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (1); Prov. XXII, 26 Deus, amorem postulans, inquit: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi.* Propheta regius amore divino accensus exclamat: *Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum* (2); et: *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum* (3). Apostolus ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (4). Quodsi in ipsa S. Scriptura affectus amoris praecipuo quodam modo cordi humano adscribitur, et in isto residere dicitur; rectissime etiam Cor Iesu tanquam sedes, seu saltem tanquam symbolum immensae illius charitatis et amoris colitur, quo Christus tot et tanta pro nobis fecit, ac perpessus est ad nos redimendos, ac potissimum quo pro nobis instituit SS. Sacramentum corporis et sanguinis sui, quo pascimur et potamur. Et quis negabit, convenientissimum esse, ut homines frequentissime devoto animo immensam illam charitatem recolant, qua e servitute peccati liberati, filii Dei et haeredes aeternae gloriae constituti sunt? et quis non cognoscet, hanc eandem piam considerationem efficacissimam esse ad gratos animi sensus, et divini amoris affectus in cordibus hominum excitandos? — Iste est autem primarius finis in quem cultus SS. Cordis Iesu tendit. Homines enim, qui sensibus alligati difficulter ad obiecta mere spiritualia contemplanda mentem attollunt, et per sensibilia magis commoveri solent, Cor Iesu attente respicientes amorem divinum facilius considerant magis teneros affectus in se excitari sentiunt, et ad eum redamandum, qui prior dilexit nos, efficacius commoventur. Quapropter dubitari non potest, cultum SS. Cordis Iesu convenientissimum et saluberrimum esse. — *b)* Christus praeter externos corporis cruciatus etiam plurimos maximeque acerbos dolores internos sustinuit. Futura enim supplicia, quae ante oculos mentis habuit, humani generis peccata innumera et gravissima, quae in se suscepit ac amare deflevit, ingratitudo hominum et damnatio plurimorum, non obstante durissima passione et morte, pro Redemptore nostro ineffabilis tristitiae causae fuerunt. Ideo Christus in horto: *Coepit contristari, et moestus esse*; dixitque discipulis suis: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (5). Tristitiam autem, quamvis in anima resideat, etiam corpus afficere, et

(1) Matth. 22, 37.
(2) Ps 72 26 (3) Ps. 83. 3. (4) Rom. 5, 5. (5) Matth. 26, 37 etc.

praecipue cor comprimere et contorquere, experientia docet. Hinc dolores Messiae interni his verbis praedicti sunt: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei* (1); et: *Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me* (2). Certe sudor sanguineus Christi Domini in horto nonnisi ex maxima compressione cordis, seu ex vehementissima perturbatione, quam systema vasculare, seu sanguineum, cuius centrum cor constituit, a summa tristitia passum est, explicari potest (3). — Quod si Cor Iesu tam acerbos pro nobis dolores sustinuit, aequum est, ut a nobis etiam speciali modo colatur. Graves quoque rationes nobis persuadent internos Christi dolores maiores et acerbiores externis fuisse; convenientissimum igitur est, ut homines internos praecipue dolores pie, ac devote meditentur, quos autem facilius in Corde Iesu materiali, quam in anima eius mere spirituali concipiunt, atque recogitant. — Quid porro utilius est quam ut homines serio perpendant, Cor Iesu sanctissimum et benignissimum, ob cuncta, quae cognovit et deflevit, peccata atrocissimis doloribus cruciatum fuisse? quis hos considerans, nisi omnino insensatus fuerit, ad peccata commissa deflenda et ad futura praecavenda non commovebitur? — Itaque devotio erga SS. Cor Iesu, etiam sub hoc respectu considerata convenientissima et saluberrima est dicenda. — *c*) Denique cor, quia animi affectionibus maxime afficitur, etiam tanquam praecipua quaedam virtutum sedes considerari consuevit. Communi usu loquendi homines recte ambulantes bonum, perverse procedentes malum cor habere dicuntur. Ps. CXVIII, 2 de iustis scriptum est: *In toto corde exquirunt eum*. Christus Matth. V, 8 ait: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*. Luc. VIII, 16 illos laudat, *qui in corde bono, et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia*. Sicuti ergo, ut Christus innuit (4), vitia *de corde exeunt*, ita etiam virtutes de corde scaturire, et in isto residere dici possunt. Quamobrem rectissime Cor Iesu tanquam perfectissimarum virtutum, quas divinus Redemptor in terris ambulans exercuit, sedes consideratur, colitur, hominibusque ut exemplar proponitur. Christus ipse nos a corde suo virtutes addiscere iubet; ait enim: *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde* (5). — Convenientissima et saluberrima proinde dicenda est devotio erga SS. Cor Iesu, quae eo quoque dirigitur, ut homines SS. Cor venerantes, considerantes et invocantes, ad eiusdem virtutes imitandas magis magisque incitentur. Desinant ergo adversarii huius cultus quaerere, quare prae caeteris sacrosanctae humanitatis partibus Cor Iesu speciali modo colatur. Rationes enim allatae, seu motiva explicata satis ostendunt, hunc cultum nullatenus absonum, aut superstitiosum esse, sed merito a Sede Apostolica approbatum et propagatum fuisse, nec unquam satis omnibus commendari posse.

Nota. Nonnulli putarunt, cultum Cordis Iesu, prout a S. Sede approbatus est, non habere pro obiecto nisi solam Christi charitatem sub sensibili cordis symbolo exhibitam, ex quo concluserunt, perperam, et contra eiusdem S. Sedis apertam declarationem cor ipsum reale, materiale, seu physicum Christi Iesu adstrui tamquam eiusdem cultus obiectum. Sententiam suam probare tentarunt

(1) Ps. 21, 15. (2) Ps. 54, 5. (3) Cf. Calmet. Diss. de sanguineo Christi sudore. (4) Matth. 15, 18. (5) Matth. 11, 29.

ex eo, quia in huius Festi decreto (1) sacra Rituum Congregatio declarat, per eiusmodi cultum « symbolice renovari memoriam illius divini amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam; » et quia in eodem Festo lectione tertia secundi Nocturni expresse dicitur: « Quam charitatem.... ut fideles sub SS. Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant, eiusdemque fructus uberius percipiant, *Clemens XIII* P. M. eiusdem SS. Cordis festum, quibusdam petentibus Ecclesiis, celebrare permisit. » — Sed qui ita sentiunt, *obiectum* cum *motivo* eiusdem cultus permiscent, atque confundunt. Primarium equidem motivum, ex quo Cor Iesu colendum proponitur, est devota, et fervens memoria immensae illius charitatis, qua Filius Dei nos dilexit, et istud primarium motivum in decreto S. Congregationis, et in citata lectione exprimitur. Ast ideo minime negatur, cultum ad ipsum Cor Iesu reale et proprie dictum dirigi. Nam Ecclesia hunc cultum approbavit, et festum SS. Cordis Iesu instituit « quibusdam petentibus Ecclesiis, » quarum votis summus Pontifex benigne annuit. Ast nulla Ecclesia petierat festum cordis symbolici, sed omnes (quod ipsi adversarii fatentur) petierunt festum veri, ac realis Cordis Christi, quod ergo iuxta mentem Ecclesiae obiectum cultus constituit. Idipsum manifestum fit ex ipsa lectione *S. Bernardi*, quae in illo festo recitatur, in qua sermo est de Corde Christi vulnerato, et ex eiusmodi Officii hymnis. Controversiae quoque circa praefatum cultum motae non fuissent, si de sola charitate Christi pie et devote recolenda actum esset, sed cultores Cordis Iesu ideo reprehensi fuerunt, eoquod partem aliquam humanitatis Christi colerent. Istorum autem cultum S. Congregatio « praevio recessu a decisis approbavit, et ampliavit, quia in citato decreto dicitur: Simulque intelligens (S. Congregatio) huius Officii et Missae celebratione non aliud agi, quam ampliari cultum iam institutum. » Denique omnis dubitatio circa sensum S. Sedis sublata est ex censura, quam retulimus, propositionis 63 Synodi Pistoriensis. Fusius hanc materiam pertractant *P. Ios. Gallifet* S. I. (2), *Emm. Marques* (3), *Card. Gerdil* (4), *Perrone* (5).

(1) 6 Febr. 1765. (2) De cultu SS. Cordis Dei, et D. N. I. C. Romae 1726.
(3) Defensio SS. Cordis Iesu.

III. *De cultu S. Crucis.*

§ 323. Crucem olim atrocissimae poenae instrumentum, et maximae ignominiae signum fuisse, ex historia constat: ideo in ipsa S. Scriptura legitur: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno* (6). — Ast postquam Filius Dei in cruce mortuus homines redemit, crux a Christianis tanquam signum honoris et salutis considerari colique coepit. In summo honore habita fuit vivifica illa crux ipsa, cui Christus affixus erat, et quam saeculo quarto S. Helena invenit. Sed ad istius conformationem in toto orbe christiano etiam crucis imagines confectae sunt, quibus honor exhibebatur, et cultus deferebatur. Ipsi Iconoclastae, quamvis in imagines B. V. Mariae et Sanctorum dire debacchabantur, imaginibus tamen sanctae Crucis iniurias non intulerunt, sed in earum honore et cultu constanter institerunt: id patet ex *S. Io. Damasceno*, qui illorum incohaerentiam arguit, qua imagines S. Crucis vene-

(4) Animadversiones in Notas Xav. Feller
(5) De Incar. p. 2, c. 4, a. 2, prop. 2.
(6) Gal. 3. 13. — Cf. Deut. 21. 25.

rantur, et illas Sanctorum reiiciunt, cum par ratio militet pro utrisque : eodem argumento contra Iconomachos usi sunt Patres Concilii *Nicaeni II*, act. 7. Mox autem tales proruperunt, qui cultui S. Crucis et Imaginum eius bellum indixerunt. Inter huiusmodi aberrantes recensendi sunt *Claudius* Ep. Taurinensis, *Paulicíani*, *Bogomili*, *Petrobrusiani*, *Cathari*, *Waldenses*, *Wicleffitae*, *Lutherani*, et *Calviniani* (1). Ecclesia autem catholica constanter docuit, tum imaginibus S. Crucis, tum praecipue Cruci ipsi, in qua Christus pependit et salutem nostram operatus est, cultum devotum exhibendum esse, ita tamen, ut adoratio, seu cultus latriae non in imagine, aut in materiali ligno sistat, sed ad prototypon referatur, nempe ad ipsum Christum dirigatur, cuius imago in cruce exhibetur, aut cuius pia memoria per crucem excitatur. Talis cultus S. Crucis et Imaginum eius non solum omni superstitione vacat, et licitus dicendus, sed etiam tamquam aequus et salutaris maxime commendandus est; quod gravissima argumenta probant.

1. Quamvis Crux ipsa, quam Christus sua morte sacravit, per tria saecula latuerit, pia tamen imagines S. Crucis colendi consuetudo semper in Ecclesia viguit, ita ut ad eundem cultum vindicandum *argumentum praescriptionis* adferre liceat. Nam, iuxta regulas iam alibi memoratas, quando ab universali Ecclesia aliquid observatur, cuius institutionis initium ignoratur, illud ad apostolica tempora est referendum, uti cum *S. Augustino* (2) Ss. Patres et Theologi docent. — Constat autem, cultum S. Crucis antiquissimum esse, et in eundem nationes etiam dissitas, et quoad mores et consuetudines inter se maxime discordes consensisse, quin illius origo a Conciliorum, seu Ecclesiae decretis repeti possit: explicari itaque nequit, quomodo hic consensus in colenda cruce universalis fieret, si aliunde non innotuisset, eundem cultum ab Apostolis promanasse. — Equidem *Dallaeus* propugnare conatus est, ante saeculum quartum cultum S. Crucis in Ecclesia nullo modo viguisse. Sed quamvis id concedamus respectu ipsius crucis dominicae, quae saeculo demum quarto inventa fuit, contrarium tamen dicendum est de Crucis signo, eiusque imaginibus, quarum cultum iam tribus primis saeculis inter Christianos viguisse varia monumenta probant. Id sane testatur conficta illa ab Ethnicis in Christianos calumnia, cruces omnes ab illis adorari: de qua calumnia loquuntur, eamque refutant *Tertullianus* (3), *Origenes* (4), *Minucius Felix* (5). Ast, ut recte animadvertit *Petavius* (6), « non de nihilo apud gentes rumor iste percrebuerat, cruces omnes, etiam noxiorum, a Christianis in honore cultuque haberi, neque hoc illis obiiceret, nisi certas venerari ipsos viderent; » ex iis igitur, quae Gentiles obiiciebant, et Patres respondebant, ut idem *Petavius* (7) inquit, inferendum est, « quibusdam crucibus honorem ab illis (Christianis) adhibitum, quas ad crucifixi Domini memoriam proponebant; non passim universis, ut Ethnici mentiebantur. » — In quanto honore imagines S. Crucis inter Christianos habitae fuerint, etiam colligi potest ex universali et pia consuetudine, manu signum cru-

(1) V. Petav. de Incarn. l. 15, c. 7.
(2) De Bapt. contra Donat. l. 2, c. 7, n. 12.
(3) L. 1, ad Nationes c. 12.
(4) L. 2, c. Celsum. (5) In Octavio.
(6) De Incarn. l. 15, c. 9, n. 4
(7) Ibid. n. 5.

cis tum in proprio corpore, tum in aliis obiectis efformandi. *Tertullianus* (1) hunc usum testatur, dicens: « Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.» Et (2) eundem usum repetit ex Traditione, inquiens: « Harum, et aliarum disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix. » Eandem consuetudinem Christianis omnibus communem contestatur *Eusebius* (3). — Non autem fideles tam frequenter signo crucis se munivissent, nisi firmiter credidissent, quod per hoc signum salutis benedictionem divinam, protectionemque contra adversariorum insidias consecuturi essent. Quis igitur negabit, trium primorum saeculorum Christianos S. Crucis imagines maximi aestimasse, et coluisse, quas continuo proprio corpori imprimere studuerunt? — Sed cultum istum etiam alia antiqua monumenta probant. — *Lactantius* ita praeclare canit: « Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora, Flebilis, innocuo terramque cruore madentem Ore potens humili lacrymis suffunde subortis; » quos versiculos vere Lactantii esse, solide probat *Alexius Simmachus Mazochius* (4). *Cl. Ruinart* exhibet acta *S. Theodori*, et *septem Virginum;* de quibus Martyribus, qui iam ante saeculum quartum obierunt, haec leguntur: « Rursus ergo perterrefacti, Crucis signum suae quisque impressit fronti, et mox apparuit eis Crux illustris, quae videbatur ex parte orientali radium ignitum emittere: ad quam apparitionem mixtus gaudio timor fuit, et genibus flexis adoraverunt versus locum, unde Crux apparuerat. » *Asterius* egregius saeculi quarti scriptor, passionem memorans *S. Euphemiae* (5), haec narrat: « Fundente hac (virgine) orationem, apparet supra caput illius signum, quod Christianorum consuetudine adoratur, et passim inscribitur. » Cum autem Asterius adorationem illius signi, id est S. Crucis, ex Christianorum consuetudine derivet, necessario colligere debemus, hanc etiam prioribus saeculis inter Christianos viguisse.

2. Deus ipse *crebris stupendisque miraculis* sibi S. Crucis cultum acceptum esse testatum voluit. Huc imprimis refertur celebris illa visio, quam *Constantinus* Imperator, non dormiens, sed vigilans habuit, dum splendidam in coelo crucem conspexit cum inscriptione: *Hoc signo vinces*, et postea a Christo sibi per quietem apparente mandatum accepit, ut ad signi illius similitudinem quod viderat, fabricandum curaret vexillum, quo tamquam praesidio certissimo uteretur in praeliis contra impetus hostiles, prout reipsa Imperator effecit, ac *Labarum* nuncupavit, sibique salutare esse perpetuo expertus est (6). Divina disponente providentia, etiam factum est, ut reddita post conversionem Constantini Ecclesiae pace, vera Crux Christi, quae persecutionum tempore latuit, ne a christiani nominis hostibus profanaretur, aut combureretur, a *S. Helena* Imperatoris matre inventa fuerit. Cum autem tres cruces repertae fuerint, et

(1) L. de Corona milit. c. 3. (2) Ibid. c. 4.
(3) L. 6, dem. evang. cap. ult.
(4) In Comment. in Marmor. Neapolit. Calendar., l. 3, uag. 806.

(5) In Oratione, quae allegatur action. 4 Concilii Nicaeni 2.
(6) Cf. Euseb de vita Constant. l. 1, c. 28-32.

titulus, quem Pilatus scripserat, ab illis seiunctus esset, per miraculum factum est, ut Crux Christi a crucibus latronum distingueretur; ad illius enim contactum mulier graviter decumbens, et morti proxima integrae confestim sanitati restituta est. Enarrantur haec a *Socrate*(1), a *Theodoreto* (2), a *Ruffino* (3), et ab aliis. *S. Paulinus Nol.* (4) scribit, per contactum Crucis a S. Helena inventae mortuum ad vitam resuscitatum esse. Ab *Eusebio* equidem illa inventionis S. Crucis historia non describitur, sed neque negatur. Caeterum *Eusebius* ipse (5) inquit: « Quod si quis animum adhibeat iis, quae nostro tempore ad sepulcrum et martyrium Salvatoris nostri patrata sunt, mirabilibus, is sane deprehendet, quo pacto ea, quae praenunciata fuerant, opere completa sint. » Huc pariter spectant, quae de prodigiosa crucis effigie in Iudaeorum vestibus impressa referuntur, cum ipsi, iubente Iuliano apostata, templum Hierosolymitanum restaurare aggressi sunt: narrant haec *Socrates* (6), *Sozomenus*(7), *Ruffinus*(8), *Theodoretus*(9): hic insuper affirmat: « in coelo visam esse salutiferae Crucis multa luce coruscantem imaginem: » quod et ante hunc *S. Gregorius Naz.*(10) his verbis exposuit: « Quod autem hoc etiam admirabilius et illustrius fuit, lux in coelo stetit crucem in orbem describens, et nomen illud ac figura, quae in terra ab impiis ignominiosa putabatur, nunc in coelo omnibus ex aequo conspicua est, ac Deo victoriae de impiis adeptae trophaeum existit, trophaeo quovis excelsius.» Dubitari autem sane nequit, Deum per talia miracula gloriam crucis ostendere, hominesque ad hanc colendam excitare voluisse.

3. *Ss. Patres* quoque de S. Crucis cultu testimonia ferunt, eumque approbant. Insignis est locus *S. Ambrosii,* qui Orat. in funere Theodosii Imp. (11), loquens de Crucis dominicae inventione, ait: « Invenit ergo (Helena) titulum, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error et vanitas impiorum, sed adoravit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo; » et inferius addit: « Sapiens Helena, quae crucem in capite Regum locavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur. » *S. Cyrillus Hier.* testatur (12), Crucem Christi ab Helena inventam fuisse, et eiusdem particulas per orbem terrarum sparsas a fidelibus summo honore haberi; ait enim (13): «Lignum illud S. Crucis testatur (Deum esse Christum), quod hodieque apud nos cernitur; et per eos, qui cum fide particulam ex illo capiunt, totum isthinc orbem terrarum fere complevit. » Similia habet Catech. 4, n. 10, et Cat. 13, n. 4. — *S. Hieronymus*(14) Paulam commendat, quod « prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorasset. » *Sozomenus*(15) de Constantino scribit: « Crucem divinam maximo cultu veneratus est. » *S. Prudentius*(16) venerationem a Principibus cruci exhibitam describit, canens: « Iam purpura supplex sternitur Eneadae rectoris ad atria Christi, vexillumque Crucis summus dominator adorat. » — Cum *Iulianus apostata*

(1) L. 1, hist. eccl. c. 13.
(2) L. 1, hist. eccl. c. 18.
(3) L. 1, hist. eccl. c. 7.
(4) Ep. 31 (al. 11) ad Severum n. 3.
(5) Ps. 87, n. 13. (6) L. 3, c. 20.
(7) L. 5, c. 22. (8) L. 1, c. 39.
(9) L. 3, c. 20.
(10) Or. 5 (al. 4) contra Iulianum 2.
(11) N. 43. (12) In Epist. ad Constantium n. 3. (13) Catech. 10, n. 19.
(14) Epist. 46 (al. 17) ad Marcell.
(15) L. 1, c. 8.
(16) In Apoth. noëm. 3, vers. 126.

Christianis irrideret, eoquod lignum crucis adorent, et hominis crucifixi imagines venerentur, huic respondens S. *Cyrillus Alex.* (1), tantum abest, ut obiectam adorationem neget, ut eius fructus et emolumenta percenseat, eamque depingi ad humanum genus erudiendum satius esse contendat, quam insulsas, et ad corruptelam hominum fictas poëtarum fabulas. S. *Chrysostomus* (2) cultum S. Crucis commendat, dicens: « Crux prius condemnationis et supplicii nomen erat; nunc res est venerabilis, et desiderabilis. Crux antea dedecoris et poenae argumentum erat, nunc gloriae et honoris est occasio... Crux caput nostrae salutis, Crux infinitorum bonorum argumentum... haec reconciliationem Dei cum hominibus instituit... Propter hanc daemones fugiunt, diabolus profligatur. Propter hanc humana natura cum angelica vivendi ratione contendit. » *Theodoretus* (3) honori nostrae Religionis adscribit, quod « Graeci, Romani, Barbari crucifixum Deum pronunciarent, Crucisque signum honore prosequerentur. » *Rusticus* Diaconus (4) scribit: « Clavos, quibus confixus est (Christus), et lignum venerabilis Crucis omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat. » S. *Sophronius* (5) ait: « In medio ieiunii adorationis gratia proponi solet lignum vitale venerandae Crucis, quodque nostrae salutis causa defixum est in medio terrae: » hunc eundem ritum sub nomine Exaltationis S. Crucis multi scriptores graeci commemorant. Denique S. *Io. Damascenus* (6) inquit: « Venerabile lignum, in quo se Christus pro nobis hostiam obtulit, uti sanctissimi corporis et sanguinis tactu sanctificatum iure debet adorari... Figuram quoque vivificae ac pretiosae Crucis adoramus non quod materiam colamus (hoc avertat Deus), sed figuram velut qua Christus designatur... Materia vero, ex qua constat figura crucis, destructa forte figura nequaquam adoranda est. Cuncta igitur, quae Deo dicata consecrataque sunt, ita adoramus, ut cultum illorum ad eum referamus. »

4. *Concilia* quoque S. Crucis cultum approbaverunt. Concilium *Trullanum*, can. 73, dicit: *Cum Crux vivifica illud salutare nobis ostenderit, nos omne studium adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus, eum, qui par est, honorem habeamus. Unde et mente, et sermone, et sensu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quae a nonnullis in solo, ac pavimento fiunt, omnino deleri iubemus, ne incedentium conculcatione victoriae nobis trophaeum iniuria afficiatur. Qui secus fecerit, excommunicari decernimus.* Concilium *Nicaenum II*, act. 7, ita doctrinam catholicam proponit: *Definimus sicut figuram pretiosae ac vivificae Crucis, ita venerabiles, ac sanctas imagines proponendas... videlicet imaginem Domini Dei Salvatoris nostri Iesu Christi, intemeratae Dominae nostrae Dei Genitricis Mariae, - Angelorum, - et Sanctorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, - alacrius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam, et desiderium, et honorariam adorationem tribuendam, non tamen veram latriam, quae secundum fidem est, quaeque solam divinam naturam decet, impartiendam;*

(1) L. 6, c. Iulian. n. 5.
(2) Hom. 2, de Cruce et latr. n. 1.
(3) In can. 1 Isaiae.
(4) In lib. contra Acephalos.
(5) Patr. Hier. Hom. in laudem S. Crucis.
(6) L. 4. de fide cap. 11

sed ut istis sicuti figurae pretiosae, ac vivificae Crucis, et Ss. Evangeliis, et reliquis sacris monumentis incensorum, et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum a veteribus pie in consuetudinem hoc adductum est. Imaginis enim honor in prototypon transit, et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Observandum est, quod Concilium, dum imaginibus *veram latriam* exhibendam negat, intelligat latriam absolutam; nam latria simpliciter dicta est latria absoluta, nisi haec vox aliunde ad latriam relativam determinetur. Id patet ex his Concilii verbis: *Non tamen veram latriam, quae solam naturam divinam decet;* latria quippe, soli divinitati debita, est absoluta, non relativa: ergo Concilium docuit, tum Cruci Christi, tum eius imaginibus exhibendum esse cultum latriae quidem, sed relativum, id est qui ad prototypon, seu ad ipsum Christum referatur. Idem docet *Conc. Trident.* (1).

5. *Rationes theologicae* addi possunt, ex quibus patet, S. Cruci Christi, eiusque imaginibus cultum exhibendum esse. Nemo enim ignorat, Crucem illam a Christo Filio Dei delatam fuisse super humeros suos, eiusdemque sanguine fuisse dirissime a crucifixoribus cruentatam. Hoc profecto solum satis superque est, ut Fideles ab illa pie consideranda et devote colenda non cessent. Verumtamen alia quamplurima in eadem Cruce ponderanda se sistunt; qualia sunt, quod omnia mysteria redemptionis in ipsa Cruce complementum habuerint; quod ibi dolores lethiferos humanae menti plane impervios Filius Dei fuerit perpessus; quod talem tantamque coniunctionem cum Christo haec habeat, ut divinus Redemptor sese Patri suo in ea fixum obtulerit, ut humanam salutem pertractaret. Crux altare fuit, in quo divina victima pro hominis redemptione fuit mactata: super eam infinitum redemptionis pretium fuit erogatum. Sapientia Patris in ea sedit, ut lectiones vitae universo mundo profunderet, talemque cathedram data opera elegit, ut cathedra ipsa mysterium fieret doctrina coelesti refertissimum in aeternum permanens. Crux fuit thronus, in quo Filius Dei sedit, regnans a ligno, per quod de inferno triumphavit, et propter quod exaltatus est, et accepit nomen, quod est supra omne nomen. Crux est ipsius vexillum eiusdemque imago, adeo ut praeclara Christi facta numquam melius quam per crucem valeant repraesentari. Quemadmodum itaque in gloriam Principis honor ille resultat, qui iis rebus impenditur, per quas princeps magnificentiam acquisivit, suosque triumphos reportavit; pari modo cultus, qui Cruci defertur, Filio Dei in ea passo et mortuo, et in eadem triumphanti plenissime resultat. — Rationes istae clare ostendunt, convenientissimum esse, ut tam Crux ipsa, in qua Christus mortuus est, in summo honore habeatur, quam eiusdem imagines colendae proponantur, per quas Christi monita et exempla, atque immensa redemptionis beneficia in Fidelium memoriam efficacissime revocantur (2).

Nota 1. Omnes Theologi catholici consentiunt, cultum latriae, qui imaginibus S. Crucis, aut ipsius Christi exhibetur, esse plane relativum, qui non in imaginibus sistit, sed ad ipsum Christum refertur. Hoc ipsum docet *S. Thomas* (3) dicens: « Imagini Christi, in quantum est res quaedam

(1) Sess. 25

(2) Cf. Gretser. de Cruce vol. 3; Petav. l. 15. c. 7-10. (3) 3. q. 25. a. 3

(puta lignum sculptum, vel pictum) nulla reverentia exhibetur, quia reverentia nonnisi rationali creaturae debetur. Relinquitur ergo, quod exhibeatur ei reverentia solum in quantum est imago: et sic sequitur, quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi, et ipsi Christo. Cum ergo Christus adoretur adoratione latriae, consequens est, quod eius imago sit adoratione latriae adoranda. » Quod autem per adorationem imaginis nonnisi cultum relativum intelligat, clare patet ex eius verbis ibid. (1): «Nos adoramus adoratione latriae imaginem Christi, qui est verus Deus, non propter ipsam imaginem, sed propter rem, cuius imago est, sicut dictum est. » — Quod autem attinet ipsam Crucem, in qua Christus pependit, nonnulli ex scholasticis docuisse videntur, eam propter intimam cum Christo coniunctionem, et sanguinis eiusdem aspersionem latreutice adorandam esse: pro qua sententia *Alexander Hal.*, *S. Bonaventura*, *Capreolus*, et cum aliis ipse etiam *S. Thomas* citari solent. Sed iam *Bellarminus* (2), hanc materiam eruditissime pertractans, observat, ita illorum mentem exponendam esse quasi hoc unum voluerint, Crucem dominicam tantum per accidens, vel propter aliud, seu improprie adorandam esse. Certum est, *S. Thomam* ipsi Cruci dominicae nonnisi cultum relativum attribuere; ait enim (3): « Honor, seu reverentia non debetur nisi rationali creaturae; creaturae autem insensibili non debetur honor, vel reverentia nisi ratione rationalis naturae. Et hoc dupliciter: uno modo in quantum repraesentat rationalem naturam; alio modo in quantum ei quocunque modo coniungitur. Primo modo consueverunt homines venerari regis imaginem; secundo modo eius vestimentum. Utrumque autem venerantur homines eadem veneratione, qua venerantur et regem. Si ergo loquamur de ipsa Cruce, in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda. Uno scilicet modo in quantum repraesentat nobis figuram Christi extensi in ea; alio modo ex contactu ad membra Christi, et ex hoc, quod eius sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriae. Et propter hoc etiam Crucem alloquimur et deprecamur quasi ipsum crucifixum. » Sicuti ergo homines vestem regiam non propter se, sed propter regem, seu in veste regem honorant, ita S. Crux non absolute, sed relative, seu in cruce ipse Christus adoratur, quapropter angelicus Doctor adorationem crucis ab adoratione Christi non distinguit. — Cultum latriae, qui S. Cruci exhibetur, plane relativum esse debere, patet ex citatis verbis *S. Ambrosii* et *S. Io. Damasceni*, atque ex definitione Concilii *Nicaeni II.* Et sane, crux nullatenus cum Verbo hypostatice unita fuit, neque cum effusis supra crucem sanguinis guttis, quas Christus in resurrectione non reassumpsit, divinitas hypostatice unita mansit (§ 314, nota 2): ergo nulla ratio suppetit, Crucem per se, et directe latreutice colendi. Christus utique etiam cum Maria, in cuius utero gestabatur, intime coniunctus fuit, et tamen nullus Catholicorum dicit, Mariae idcirco cultum latriae exhibendum esse: ergo neque Cruci in se spectatae hic exhiberi potest; sed cultus iste ita relativus sit oportet, ut ad eum, qui per crucem, seu in cruce repraesentatur, nempe ad Christum dirigatur. Ecclesia, dum cantat: *O*

(1) Ad 2. (2) L. 2 de imag. c. 20-25. (3) L. c. art. 4.

Crux, ave, spes unica etc., et dum *crucem adorandam* appellat, per Crucem Christum significat, a quo salutis praesidia petimus, non ab ipsa Cruce; vel innuit, nos exspectare fructum Crucis, id est aeternam salutem per merita Christi, qui in Cruce passus et mortuus est. — Caeterum sicuti reliquiae merito in maiore honore habentur quam solae imagines, ita prae imaginibus S. Crucis longe maiorem venerationem meretur Crux ipsa, quam Christus suo contactu sacravit, et sanguine conspersit, quae inter reliquias principem locum obtinet, et per quam Deus iam multa miracula patrare, et magna beneficia impertiri dignatus est. Non ergo reprehendendi, sed laudandi sunt fideles, qui etiam minimas S. Crucis particulas summi aestimant, argento, vel etiam auro gemmisque ornant, et tamquam pretiosum thesaurum devotissime colunt et conservant.

Nota 2. Qui cultum S. Crucis reiiciunt, huic sequentia opponunt.

Obi. I. Nullus pius filius veneratur contumeliam patris suí, puta flagellum, quo vulneratus, vel lignum, in quo suspensus fuit: ergo nec crucem colere licet, quae dolores et ignominiam attulit Christo.

Resp. Pius filius non veneratur flagellum et patibulum patris, quia in his nonnisi opprobrium et malum patris considerat; si autem illa fuissent patri causa exaltationis, et filio liberationis ex acerba tyrannide, eadem in pretio haberet. Similiter nos non colimus Crucem, quia dolores et ignominiam attulit Christo, sed quia scimus, Christum per ignominiam et dolorès in cruce toleratos sibi maximam gloriam promeruisse (1), praeclarissimos triumphos reportasse (2), atque nos homines redemisse, filios Dei ac haeredes aeternae gloriae constituisse (3). — Ideo ipse Paulus dixit: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi* (4); et: *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est; his autem, qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est* (5).

Obi. II. Si cruci deferendus est cultus ob illius cum corpore Christi contactum, etiam labiis Iudae, quibus Christum osculatus est, manibus carnificum Christum percutientium, et crucifigentium, imo etiam aquis Iordanis, terrae Palestinae, asello, cui Dominus insedit, idem cultus exhibendus erit; quae profecto absurdissima sunt.

Resp. Certum est, rem ex contactu ad aliquam personam excellentem secundum communem aestimationem hominum contrahere ordinarie aliquam dignitatem et venerationem, qua fit, ut habeatur in maiori pretio, quam ante: sed ad hoc requiritur, ut res moraliter loquendo censeatur participasse de eius excellentia aut sanctitate, vel ut ad piam huius memoriam excitandam et nutriendam specialiter accommodata sit, et ut in ipsa re venerationi nihil obstet. His notatis, obiectio facile refellitur. Labia enim Iudae, et manus percutientium et crucifigentium nullatenus participaverunt sanctitatem Christi, sed potius malitiam eorum, quorum erant membra, ita ut fuerint instrumenta immediata passionis, non tam ut erat passio salutaris, quam ut erat actio scelerata (sub quo duplici respectu passio Christi considerari potest). — Crux autem, sicuti et clavi et aliae res inanimes fuerunt instrumenta immediata passionis Christi, ut erat passio sanctissima et saluberrima, at mediata tantum actionis sceleratae Iu-

(1) Phil. 2. (2) Col. 2. 14. (3) Rom. 5, 10. (4) Gal. 6, 14. (5) 1 Cor. 1. 18.

daeorum. Haec ergo instrumenta contactu Christi sacrata ad eius passionis, et mortis piam memoriam excitandam, et nutriendam aptissima sunt: veneration autem labiorum Iudae et manuum carnificum penitus obstat illius et horum impietas, quae non cultum, sed detestationem meretur. Praeterea notandum est, veram Christi crucem singularem cultum seu venerationem mereri non solum ob corporis Christi contactum, sed etiam ex aliis rationibus (Cf. n. 5), et praecipue quia selecta a Christo fuit tanquam instrumentum, quo salutis nostrae hostes devicit, *palam triumphans eos in semetipso*, ut loquitur Apostolus, et in quo affixum fuit, et deletum *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis* (1). — Eadem vero ratio non est aquis Iordanis, terrae Palestinae, aliisque rebus, quae quidem ad contactum Christi pervenerunt, sed tamen tantae virtutis non sunt, ut sicuti crux ob oculos nostros Christi passionem ponere, et pios animi nostri erga Christum sensus excitare, atque fovere valeant: recte idcirco non eodem modo sicuti S. Crux coli consueverunt.

Obi. III. Saltem nulla ratio est, quare crucis imaginem speciali ratione venerari debeamus, quia refert dominicam crucem; alioquin ex eadem ratione omnia praesepia, columnae omnes, spinae, flagella pariter colenda essent; de omnibus etenim dici potest, quod referant loca in quibus, vel instrumenta per quae Christus passus est.

Resp. Si praesepia, columnae, spinae, flagella etc. eo fine, ut fieri solet, pinguntur, vel sculpuntur, ut Christi Domini mysteria, ex. gr. nativitatis, aut passionis referant, certe veneratione aliqua digna, et ad pios animi nostri sensus excitandos ac commodata sunt. Non autem inde sequitur, omnia praesepia, spineta et caetera huiusmodi ad repraesentanda mysteria Christi ordinari; eadem enim ad alios quoque usus adhibentur. Cruces autem per se unice institutae sunt ad repraesentandam veram Christi Crucem. Iam enim primi Imperatores christiani prohibuerunt, ne in posterum crux tanquam supplicii instrumentum adhibeatur, et e contra ordinarunt, ut hoc signum in memoriam Crucis dominicae ubique in magno honore habeatur. Ideo *S. Augustinus* (2) scribit: « Sed quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine huius saeculi, prius honoravit crucem in hoc saeculo, ut terrarum principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi, et quod cum magna insultatione persecutores Iudaei Domino procurarunt, magna fiducia servi eius, etiam reges in fronte nunc portant. » Et *S. Chrysostomus* (3), gloriam Crucis exaltans, ait: « Quippe reges, deposito diademate, crucem suscipiunt, mortis illius (Christi) signum. In purpureis vestibus crux inest; in diadematibus crux, in ornatibus crux, in armis crux, in sacra mensa crux, et ubique terrarum sole ipso clarius refulget. »

(1) Col. 2, 14.

(2) Serm. 88 de Script. (al. 18 de verbis Domini a 9.

(3) Hom. 61 in Matth.

CAPUT IV.

DE EXIMIIS CHRISTI HOMINIS PRAEROGATIVIS

§ 324. Christo Filio Dei consubstantiali Patri sicut essentiam divinam, ita etiam omnia attributa divina inesse, ex iam probatis constat. Quicumque igitur divinitatem Christi admittunt, profitentur etiam, Christum ut Deum omniscium, infinite sanctum, liberrimum, omnipotentem etc. esse. Sed Christus sicuti est verus Deus,

ita est etiam verus homo: unde etiam indagare oportet, quales spirituales, seu morales perfectiones Christo ut homini propriae sint. Dubitari enim non potest, ipsam Christi humanitatem, ad unionem hypostaticam cum Verbo elevatam, eximiis praerogativis exornatam fuisse. Quas ut recte cognoscamus, quaedam de Christi ut hominis considerati, 1.° *scientia*, 2.° *sanctitate* etc., 3.° *potentia* disserenda sunt.

ARTICULUS I.

De scientia Christi ut hominis considerati.

§ 325. 1. *Ioannes de Ripa* (1) et *Hugo Victorinus* (2) asseruerunt, in Christo praeter divinam non esse aliam scientiam agnoscendam: quae sententia a nonnullis ut haeretica, a pluribus ut temeraria, ab omnibus Theologis catholicis ut falsa et absurda reiicitur. Christus enim ut perfectus homo etiam animam rationalem facultate intelligendi et volendi praeditam assumpsit, atque ideo praeter divinam scientiam habuit intellectionem, seu cognitionem actualem creatam, id est humanam. Ipsa S. Scriptura Christo ut homini scientiam attribuit. Iesus enim, de se ipso ut homine loquens, ait ad Iudaeos: *Scio quia filii Abrahae estis, sed quaeritis me interficere* (3); alibi legitur: *Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: quid me tentatis hypocritae* (4)? et iterum: *Sciens Iesus, quia venit hora eius* etc. (5). Eodem modo Ss. Patres in Christo praeter divinam etiam humanam scientiam agnoscunt: sic S. *Ambrosius* (6) ita ex persona ipsius Christi loquitur: « Deus igitur ante carnem, Deus in carne perfectionem naturae assumpsi humanae: Suscepi sensum hominis, sed non sum sensu carnis inflatus» etc.; et hoc idem etiam reliquos Patres docere, ex inferius dicendis apparebit. Praeterea Concilium *generale VI* definivit, duas esse in Christo operationes, divinam et humanam (§ 307), quod complectitur non solum actus voluntatis, sed etiam actus intellectus, praesertim cum volitioni creatae debeat connaturaliter praeire cognitio creata ei proportionata, et vera operatio humana actum intellectus humani, et actum voluntatis humanae requirat. Ideo *Agatho* R. P. in epistola dogmatica ab eodem Concilio approbata dicit: « Confitemur in Christo omnia duplicia, quae ad naturas pertinent: duas naturas eius praedicamus, et unamquamque proprietates naturales habere confitemur; divinam omnia, quae divina, humanam omnia, quae humana sunt etc. » Non potest ergo Christo scientia humana denegari. Id probat *S. Thomas* triplici ratione: « Primo quidem, propter animae perfectionem. Anima enim secundum se considerata est in potentia ad intelligibilia cognoscenda.... Quod autem est in potentia, est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Non autem fuit conveniens, quod Filius Dei humanam naturam imperfectam assumeret, sed perfectam, utpote, qua mediante, totum humanum genus ad perfectum erat reducendum. Et ideo oportuit, quod anima Christi esset perfecta per aliquam scientiam, quae esset propria perfectio eius. Et ideo oportuit, in Christo esse aliquam scientiam praeter scientiam divinam; alioquin anima Christi esset imperfectior animabus aliorum hominum. Secundo, quia cum quaelibet res sit propter

(1) In 3 Sent. Dist. 14.
(2) In lib. de Sapien. Christi.
(3) Io. 8, 37. (4) Matth. 22. 18. (5) Io. 13, 1
(6) L. de incarn. c 7 (al. 12).

suam operationem, - frustra haberet Christus animam intellectivam, si non intelligeret secundum illam, quod pertinet ad scientiam creatam. Tertio, quia aliqua scientia creata pertinet ad animae humanae naturam (ut cognitio summorum principiorum)..... Nihil autem naturalium Christo defuit, quia totam humanam naturam suscepit.... Et ideo in sexta Synodo (1) damnata est propositio negantium in Christo esse duas scientias, vel duas sapientias » (2). His rationibus theologicis etiam alia addi potest. Nam in sacris litteris habetur, Christum ut hominem orasse ad Patrem: oratio autem, cum sit mentis elevatio ad Deum, absque cognitione intellectus fieri non potest: Christus ergo sicut secundum humanitatem oravit, ita etiam secundum humanitatem cognitionem habuit.

2. Triplex a Theologis distinguitur scientia, ad quam intellectus creatus pervenire potest, nempe *infusa, beatifica* et *acquisita*. Scientia dicitur infusa, quando Deus supernaturali modo in anima rerum cognitionem producit: talis scientia fuit in Angelis, in primo homine, in prophetis etc. Scientia beatifica est illa, quae in clara Dei visione consistit, et talis habetur in Beatis. Scientia acquisita ea nuncupatur, quae propriis naturae viribus comparatur. — Quaeritur iam, quaenam scientia creata fuerit in anima Christi humana? respondent Theologi, Christum perfectissimam habuisse scientiam *infusam, beatificam* et *acquisitam*. De hac triplici Christi scientia aliqua dicenda sunt, tum ut errores huic doctrinae oppositi praecaveantur, tum ut perfecta Christi cognitio, quae Theologum decet, obtineatur.

(1) In Epist. Agathonis. (2) 3, q. 9, a. 1. (3) L. 1, c. 17. (4) In cap. 3 S. Marci.

I. *Christus ut homo habuit perfectissimam scientiam infusam.*

§ 326. Nonnulli extiterunt, qui Christum ut hominem ignorantiae subiectum dicere haud veriti sunt. *Gnostici* et *Valentiniani*, referente *S. Irenaeo* (3), Christum sub ferula praeceptoris alphabeto dedisse operam fabulabantur. *Ariani* et *Nestoriani*, qui Christum pro mero habebant homine, omnem ipsi in primo conceptionis momento infusam scientiam consequenter denegarunt. Mirum est, etiam inter *Eutychianos* eandem sententiam propugnatam fuisse: saltem ex ipsis prodiit secta eorum, qui *Agnoitae* dicti sunt ab ignorantia, cui Christum obnoxium fuisse asserebant. *Hugo Grotius* (4) docet, Christo nonnisi post resurrectionem omnem scientiam concessam fuisse, et hanc esse veterum sententiam: « Sicut igitur, inquit, post resurrectionem accepit omnem potestatem, ita et omnem scientiam. » Etiam inter recentiores quidam hac in re aberrarunt, laboriose indagare et explicare studentes, quomodo Christus pedetentim per vaticinia V. T. et alia media ad suae dignitatis et divinae missionis cognitionem pervenerit. — Contra istos aberrantes probandum est, quod Christus ut homo, a primo instanti suae conceptionis perfectissimam habuerit rerum omnium scientiam infusam: quae propositio *ex S. Scriptura, ex Traditione* et *ex rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* infusam Christo perfectissimam scientiam contestatur. Isaias cap. XI, cum v. 1 ortum Messiae praenunciasset, immediate v. 2 subiungit: *Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus: spiritus consilii-spiritus scientiae* etc.; quibus verbis significatur, quod Spiritus

sanctus Messiam, dum oritur ex stirpe davidica, perfectissimis donis impleturus sit, quae requiescent super eum, id est semper in illo permanebunt. Hoc testimonium expendens *S. Bernardus* (1), ita de Christo loquitur: « Non fuit hora in quacunque aetate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid adiiceretur, sed a principio perfectus, a principio, inquam, plenus fuit *spiritu scientiae et intellectus* etc. » — Io. I, 14, cum Apostolus Verbi incarnationem praedicavit, statim addit: *vidimus - plenum gratiae et veritatis*. Christo igitur sicut plenitudo gratiae et sanctitatis, ita etiam plenitudo veritatis et scientiae adiudicatur. Hanc plenitudinem Christus ipse sibi adscribit, dicens: *Quem misit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius* (2); quae autem in manu habentur, clare quoque cognoscuntur. Paulus laudat Christum Iesum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (3). S. Petrus aperte declarat, Christo omnia nota fuisse: *Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te* (4); id vero intelligebat de homine Christo, a quo interrogatus fuerat. Hoc idem etiam quasi per partes declaratur: Christus enim dicitur cognoscere cogitationes hominum: *et cum vidisset cogitationes eorum* (5); futura: *Sciebat ab initio Iesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum* (6); arcana divinitatis: *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei* (7).

2. *Ss. Patres* Christo homini perfectissimam scientiam infusam adscribunt. *S. Iustinus*, aut alius antiquus auctor, Quaest. 58 ad Orthodoxos, ait: « impietatis esse, Christo ignorantiam adscribere, atque id certum, eum omnium obtinere praescientiam perfectam. » *S. Athanasius* (8) cum dixisset, Christum varia interrogasse, e. g. *quem dicunt homines esse Filium hominis? quot panes habetis?* etc., postea subiungit: « Non quisquis interrogat, ignarus est eorum, quae interrogat, sed fit, ut de illis percunctetur, de quibus plenam scientiam habet: certe Ioannes, qui inducit interrogantem Dominum, quot panes haberent, noverat, illum earum rerum ignarum non esse, sed conscium; ait enim: *ipse noverat, quid facturus esset*. Si igitur norat id, quod faciendum sibi erat, utique ignoratione laborare non potuit. » Et inferius, loquens de die iudicii omnibus ignoto, inquit: « Ubi dicit: *ne Filius quidem* etc. ibi discipulis recenset ea, quae diem illum antecedunt, dum inquit, ista, et ista futura sunt, ac tum denique finis. Iam qui ea, quae diem illum antecedunt, eloquitur, omnino in cognitione sua diem habet, quae post res praenunciatas subsecutura est. » *Origenes* ad illa verba Christi: *Intellexistis haec omnia* (9), sic disputat: « Qui novit quae sunt in cordibus hominum, Christus Iesus.... non ignorans interrogat: sed quoniam semel assumpserat hominem, utitur omnibus, quae sunt hominis, quorum unum illud est, interrogare. Nec mirandum, si id facit Servator, cum ipse etiam omnium Deus moribus hominum sese accommodans.... percontetur, velut in hoc: *Adam ubi es?* et, *ubi est Abel frater tuus?* » — *S.*

(1) Hom. 2 super *missus est*.
(2) Io. 3, 34. (3) Col. 2, 3. (4) Io 21, 17.
(5) Matth. 9. 4. (6) Io. 6. 65.
(7) Io. 5, 20. (8) Orat 4 c. Arianos.
(9) In Matth. 13. 51. (10) Matth. 13. 51.

Basilius (1) de Christo scribit: « Propter te et horam et diem iudicii ignorat, quamquam nihil latet veram illam sapientiam. Nam per illam omnia sunt condita; nemo enim mortalis usquam est, qui opus suum, quod fecit, ignoret. » *S. Chrysostomus* (2) ait: « Quomodo is, per quem omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil, diem illam (ultimi iudicii) ignorabit? » — Et serm. in Lazarum quaerit: « Ignoravit, o Iudaee, qui interrogavit: *ubi posuistis eum?* Itaque ignoravit etiam in paradiso Pater, ubi absconditus esset Adam. » *S. Ambrosius* (3) dicit: « Multo magis arbitror, quia Filius, qui cum hominibus conversatus est, et hominem egit, et carnem suscepit, nostrum assumpsit affectum, ut nostra ignoratione nescire se diceret, non quia aliquid ipse nescierit.... Nihil ergo fuit, quod ignoraverit Dei Filius; nihil enim fuit, quod ignoraverit Pater. » *S. Hieronymus* (4) scribit: « Nullus homo, excepto eo qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuit scientiam et certissimam veritatem. » *S. Augustinus* (5) sic loquitur: « Quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis; nec ullam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis. » *Leporius* in celebri emendationis libello, ab Episcopis Africanis approbato, fatetur, se olim inscitiam tribuisse Christo, sed addit: « Nunc dicere non praesumo, verum etiam errorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam, quia dici non licet etiam secundum hominem ignorasse Dominum Prophetarum. » *S. Cyrillus Alex.*, lib. 3, c. Nestorium, eius solvens obiectionem ex eo ductam, quod incrementum aliquod sapientiae Christo accesserit, respondet, « id plane stultum esse; » et pergit: « Credimus enim, ex ipso ventre atque utero virgineo ipsum Emmanuel, cum Deus esset, hominem prodiisse plenum procul dubio sapientia et gratia, quae illi naturaliter inerat. Quodnam igitur is incrementum susciperet, in quo sunt omnes thesauri sapientiae? » *S. Petrus Chrysologus* (6) de Filio Dei dicit: « Ab unctione Christus - vocatus est - quia et unctio quae per reges, prophetas et sacerdotes olim cucurrerat in figuram, in hunc Regem regum, Sacerdotem sacerdotum, Prophetam prophetarum tota se plenitudine spiritus divinitatis effudit: » Christo ergo tota plenitudo scientiae, quae prophetis ex parte communicata fuit, infusa est. *S. Fulgentius* (7), citans Isa. XI, 2, subiungit: « Ac per hoc non solum ad divinitatem Christi, sed ad eius quoque animam illa perfectionis praerogativa pertinet, quam ipsi Christo assignat Apostolus dicens: *in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi.* Si enim non ad mensuram accepit spiritum sapientiae et scientiae, necesse est ut omnes thesauros sapientiae et scientiae habeat. Quod si ei aliquid eius plenitudinis demitur, consequens est, ut ad mensuram accepisse spiritum praedicetur. » *S. Gregorius M.* (8) ad Eulogium Patr. Alex., qui scripsit contra Agnoitas, inquit: « Doctrina vestra per omnia Latinis Patribus concordavit.... Res autem valde manifesta est: quia quisquis Nestorianus

(1) Epist. 141.
(2) Hom. 78 in Matth.
(3) L. 5 de fide cap. 18.
(4) Epist. ad Damas.
(5) L. 2 de peccat. mer. et rem. c. 29.
(6) Hom. 59 in Symbolum 4.
(7) Resp. 3 ad Ferrand.
(8) Lib. 10 Epist. 42 (al. 39).

non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse aliquid, quod Dei sapientia ignoret? » *S. Io. Damascenus* (1) inquit: « Caeterum cum operante Verbi Deitate, qua cuncta reguntur et gubernantur, communicat (mens et anima Christi) omnia intelligens, cognoscens et administrans, non ut simplex, et nuda mens hominis, sed ut quae Deo secundum hypostasim unita sit, Deique mens existat. » Et (2) fatetur, humanam naturam per se ignorantiae subiectam esse, quod autem negat de anima Christi humana; nam, ait: « ob personae identitatem, atque indivulsam coniunctionem Domini anima rerum futurarum cognitione - locupletata est.... Nos didicimus unum Christum, eundem simul Deum et hominem, omniaque ei nota et explorata esse. Col. II, 3. » *S. Petrus Damian.* (3) in illa verba Christi: *De die autem illa, vel hora nemo scit, nec Angeli in Coelo, nec Filius nisi Pater*, ita disserit: « Hoc procul dubio intelligendum est, quod discipulis hoc tantummodo nesciat, qui sibi nihil prorsus ignorat. »

3. *Rationes theologicae* a Patribus et Theologis variae ad propositam veritatem confirmandam adducuntur. — *a*) Primaria ex ipsa unione hypostatica petitur. Nam si Verbum dicitur *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (4), quis negabit hoc idem Verbum perfectissimo modo eam animam illuminasse, cum qua hypostatice unitum est? — Ideo *S. Fulgentius* (5) dicit: « Non existimo illi animae in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cuius una est persona cum Verbo; quam sic sapientia suscepit, ut eadem sapientia ipsa sit. » Et quia unio hypostatica in primo conceptionis instanti incepit, et nunquam solvitur, hoc idem de perfectissima scientia animae Christi infusa dicendum est. Quapropter *S. Io. Damascenus* (6) sic argumentatur: « Si caro Deo Verbo a primo ortu unita est, imo potius in ipso extitit, ac personalem cum eo identitatem habuit, quid tandem afferri potest, quin omnibus prorsus sapientiae, gratiaeque opibus affluxerit? » — *b*) *S. Anselmus* (7) ita de Verbi incarnatione disserit: « Illa hominis assumptio in unitatem personae nonnisi sapienter a summa Sapientia fiet, et ideo non assumet in homine quod nullo modo utile, sed valde noxium est ad opus, quod idem homo facturus est. Ignorantia namque ad nihilum illi utilis esset, sed ad multa noxia. Quomodo enim tot, ac tanta opera, quae facturus est, faciet sine summa sapientia? aut quomodo illi homines credent, si eum scient nescium? si autem nesciet, ad quid erit illi utilis ignorantia illa? Deinde si nihil amatur, nisi quod cognoscitur; sicut nihil erit boni quod non amet, ita nullum bonum erit quod ignoret etc. » — *c*) *S. Thomas* (8) ita argumentatur: « Conveniens fuit, ut anima Christi omnino esset perfecta per hoc, quod omnis eius potentialitas sit reducta ad actum. Est autem considerandum, quod in anima humana sicut in qualibet creatura consideratur duplex potentia passiva, una quidem per comparationem ad agens naturale; alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu in quem redu-

(1) Lib. 3 de fide c. 19. (2) Cap. 21.
(3) Epist. 4 ad Desiderium. (4) Io. 1, 9.
(5) L. c. n. 29. (6) L. c., c. 22.
(7) L. 2. Cur Deus homo c. 13.
(8) 3. q. 11 [illegible]

citur per agens naturale: et haec consuevit vocari potentia obedientiae in creatura. Utraque autem potentia animae Christi fuit reducta in actum, secundum hanc scientiam divinitus inditam. Et ideo secundum eam anima Christi primo quidem cognovit, quaecunque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis; sicut sunt quaecunque pertinent ad scientias humanas: secundo vero per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quae per revelationem divinam hominibus innotescunt: sive pertineant ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodcunque donum Spiritus sancti: omnia enim ista abundantius et plenius caeteris cognovit anima Christi. » Ex hac angelici Doctoris argumentatione Theologi recte inferunt, Christum ut hominem non quidem infinita, sed tamen omnia cognovisse, quae intellectus creatus cognoscere potest, et praecipue ea cognovisse, quorum scientia ipsius dignitati et muneribus conveniebant. Cognovit ergo Christus ut homo a primo conceptionis momento perfectissime se ipsum, suam unionem cum Verbo, suam destinationem, sua fata futura; cognovit non solum actiones et verba hominum, sed et cogitationes cordium, quia talem scientiam exigebat dignitas capitis, domini et iudicis universi; cognovit futura contingentia, quae ipsi non ex parte ut caeteris prophetis, sed in tota plenitudine ut Regi prophetarum patefacta sunt; cognovit entia supernaturalia, et mysteria gratiae, quia talem scientiam postulabat ipsius dignitas, quatenus est causa tum effectiva, tum finalis omnium donorum spiritualium (1).

(1) Cf. Billuart De incarn. Diss. 11, a. 2.
(2) Marc. 13, 32. (3) Or. 4, c. Arian.
(4) Orat. 36. (5) Ep. 381, ad Amphil.
(6) L. 22 Thesaur.

Nota 1. Propositae doctrinae variae difficultates obstare videntur, quae tamen adducta iam argumenta enervare non valent, ut ex dicendis apparebit.

Obi. I. Christus ipse sibi ignorantiam adscribit: ait enim: *De die autem illo, vel hora* (ultimi iudicii) *nemo scit, neque Angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater* (2). Quodsi etiam admittatur, Christum ut Deum diem iudicii cognoscere, saltem fateri oportet, Christum ut hominem eundem diem ignorasse, alias enim dicendum foret, Christum falsa locutum esse. Simili modo Christus per varias interrogationes, se quasdam res nesciisse, manifestavit. Ideo etiam veteres Patres Arianis divinitatem Christi ex illa ignorantia impugnantibus responderunt, ignorantiam illam cadere in Christum ut hominem, non ut Deum. Ita senserunt *S. Athanasius* (3), *S. Gregorius Naz.* (4), *S. Basilius* (5), *Cyrillus Alex.* (6), *Hilarius* (7), et alii.

Resp. Haec difficultas ex parte iam soluta fuit § 87, ubi dictum est, Christum dici diem iudicii nescire, quia illum non aperit, nobis non revelat. Sicuti enim in stylo Scripturae Deus illud primum cognoscere dicitur, quod publico experimento manifestat, ex. gr. Gen. XXII, 12; ita etiam aliquid ignorare Christus dicitur nempe respectu nostri quod nobis non manifestat. Ideo Patres unanimi consensu negant, Christum diem iudicii ignorasse. Nam, ait *S. Ambrosius* (8): « Quomodo nescivit iudicii diem, qui horam iudicii(9), locum(10), signa et causas (11) expressit? » (12) — Verum est, Patres aliquos Christo non ut Deo, sed tamen ut homini ignorantiam il-

(7) L. 9, de Trin.
(8) L. 5, de fide c. 16, n. 203.
(9) Luc. 17. (10) Matth. 24. (11) Luc. 21.
(12) Cf. Coccii Thesaur. l. 2, a. 3.

lam imputasse videri. Sed, quod probe attendendum est, rem illi habebant cum Arianis, qui ex illa ignorantia concludebant, Christum verum non esse Deum: adversus quos sancti illi doctores figura, ut vocant, *concessionis* utebantur, ac ita argumentabantur: dato, et non concesso, Christum diem illam ignorasse, eam non ignoravit ut Deus, sed tantum ut homo: ergo immerito prorsus inde infertur, eum vere Deum non esse: quae arguendi ratio non supponit, a Patribus reipsa concessum fuisse, Christum hominem aliquid nescivisse, contrarium potius ex aliis eorum testimoniis patet, in quibus magnifice de Christo homine loquuntur, omnemque ignorantiam et imperfectionem longe ab ipso removent. — Denique etiam observandum est, veteres ignorantiam, quam Christo homini tribuere videntur, unice referre ad nativam carnis nostrae conditionem, ita ut eorum sensus sit: Christum in carne existentem (propter scientiam infusam) nihil quidem ignorasse: attamen ex ipsa carnis nostrae conditione eum non habuisse, ut omnia sciret. Caro quippe nostra, seu humanitas ignorantiam ex se ipsa habet, et cum Christus carnem nostram assumpserit, sic interdum loquitur, quasi ignorantiam quoque nostram assumpsisset. « Qui enim, ait *S. Augustinus* (1), suscepit similitudinem carnis peccati, cur non susciperet similitudinem vocis peccati? » — Simili modo Patres dum ignorantiam quarundam rerum Christo adscribere videntur, id tantum affirmant, perfectam, quam Christus habuit, scientiam non ex naturae humanae conditione, sed ex unione hypostatica promanasse, seu divinitus infusam fuisse. Hanc fuisse Ss. Patrum mentem dilucide exponit, et confirmat *S. Gregorius M.* (2), dicens: « Unigenitus factus pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit diem et horam iudicii, sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit. » Ita pariter Christus interrogavit non ignorans aut dubitans, sed humano loquendi modo se accommodans, et aliorum attentionem excitans.

Obi. II. Luc. II, 52 legitur: *Iesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines.* Qui proficit sapientia, novas acquirit cognitiones: cum autem talis profectus in natura Christi divina locum non habeat, restat ut ille naturae eius humanae adscribatur, quae pedetentim tantum cognitiones acquisivit. Ideo *S. Athanasius* (3) contra Arianos dicit: « Isti claudunt oculos, ne videant quod hic in sapientia proficere non significet ipsam sapientiam proficere, sed humanam tantum naturam in ea proficere: » hoc idem asserunt *S. Gregorius Naz.* et *S. Ambrosius*

Resp. Ss. Patres etiam in hac expositione contra Arianos et Apollinaristas figura concessionis utentes id tantum asseruerunt, quod profectus, si in sensu adversariorum admitteretur, non divinitati, sed naturae humanae adscribendus sit. Ipsum autem sapientiae profectum in natura humana duplici modo explicarunt. Dicebant enim, Christum profecisse sapientia experimentali, quando scilicet eas in anima sua humanas doloris atque tristitiae affectiones expertus est, quas licet antea novisset, non tamen senserat. Multo magis autem alteri explicationi insistebant, ut dicerent, Christum sapientia profecisse non quoad se, sed quoad nos, quibus in dies magis ac magis proficere vi-

(1) In Ps. 49. (2) L. 10 Ep. 42 (al. 39).

(3) Or. 3. (al. 4) n. 52.

debatur, tametsi reipsa non proficeret. Ita S. *Athanasius* (1) dicit: « Corpore aetate crescente, in illo quoque crescebat maior divinitatis explicatio, omnibusque ostendebatur, templum Dei ipsum esse, et Deum esse in corpore. » *S. Gregorius Naz.* (2) ait: « Ut aetate, ita et sapientia proficiebat; non quod haec in eo incrementum caperent (quid enim eo, quod a principio perfectum erat, perfectius esse possit), sed quod haec paullatim detegerentur, ac elucerent. » *S. Cyrillus Alex.* (3) scribit: « Quomodo igitur profecisse dictus est? — Ut ego arbitror, quia Deus Verbum pro incremento et aetate sui corporis divinorum bonorum, quae sibi inerant manifestationem admetiebatur. » *S. Bernardus* (4) inquit: « Neque enim minus habuit sapientiae, vel potius non minus fuit sapientia Iesus conceptus, quam natus, parvus, quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in praesepio, sive iam grandiusculus interrogans Doctores in templo, sive iam perfectae aetatis docens in populo, aeque profecto plenus fuit Spiritu sancto... Nam, quod de sapientia et gratia hic (5) dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei novum accederet, quod antea non haberet; sed quod accedere videretur, quando volebat ipse, ut videretur. » Neque huic explicationi obstat quod Iesus non solum apud homines, sed etiam *apud Deum* sapientia et gratia profecisse dicatur: per hoc enim tantum significatur, quod sapientiae et gratiae manifestatio coram Deo, et iuxta aeterni Patris ordinationem facta sit.

Nota 2. Vera et perfecta sapientia nonnisi a Deo infunditur. Nam Iac. I, 17: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Nulli quidem hominum tam perfecta scientia infunditur sicut animae Christi. Sed tamen Apostolus medium nobis indicat, per quod congruentem, utilemque nobis sapientiam obtinere possimus. Ait enim: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat* (6). Orationi itaque iugiter insistendum est, ut recta, et salutaris scientia acquiratur. — Quid enim non invenit, aut cognoscit oratio fide fulta, spe freta, charitate succensa? — Oratio, ut Ss. Patres passim affirmant, mentem purificat, rationem illuminat, affectum regit, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, reficit infirmitates, proficuam divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Facile autem tenebris obruitur, passionibus obcaecatur, illusionibus decipitur, erroribus et praeiudiciis involvitur, qui socors animum ab oratione remittit, et suis unice rationis viribus confidens lumen divinum implorare negligit. Quapropter etiam ad perfectam et salutarem scientiam, et sapientiam obtinendam *oportet semper orare, et nunquam deficere* (7).

II. *Christus ut homo habuit scientiam beatificam.*

§ 327. Scientia beatifica ea dicitur, quae in visione Dei consistit, ex qua ineffabilis beatitudo exurgit, et per quam fit, ut anima et ipsum Deum, et in Deo omnia ad se pertinentia clarissime cognoscat. Generatim loquendo scientia ista non est hominum in

(1) Or. 4, (al. 3) c. Arian. n. 53.
(2) Or. 43, (al. 20) n. 38.
(3) Lib. 2. c. Nestor.
(4) Hom. 2. de laudibus B. Mariae V.
(5) Luc. 2, 52. (6) Iac. 1, 5.
(7) Luc. 18. 1.

hac terra peregrinantium, qui ideo *viatores* dicuntur, sed eorum, qui in statu gratiae mortui, et a peccatorum maculis perfecte purgati ad regnum coelorum perveniunt, *comprehensores* idcirco nuncupati. Quod autem Christum attinet aliter loqui oportet. Nam Christus ut homo a primo instanti conceptionis scientiam beatificam perfectam habuit, ita ut anima ipsius Deum, et in Deo omnia ad se pertinentia clarissime et perfectissime cognoverit. Haec doctrina, ut aiunt *Melch. Canus* (1), *Tournely* (2), *Thom. ex Charm.* (3), equidem fidei dogma non constituit, sed tamen ita certa est, ut contraria sit saltem *temeraria*, utpote communi Theologorum sententiae repugnans: eandem *falsam* et *erroneam* esse, ostendunt satis gravia argumenta, quibus probatur, Christum ut hominem semper scientiam beatificam habuisse.

1. *In S. Scriptura* non obscure indicatur, Christum ut hominem a primo instanti conceptionis scientiam beatificam habuisse. Io. I, 18 legitur: *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Loquitur hic Apostolus de Christo non solum tanquam de Deo, sed etiam tanquam de homine: non solum enim dixerat: *Verbum erat apud Deum*, sed et, *Verbum caro factum est:* et hic nominat Unigenitum Filium, sed eum, *qui enarravit*, idest, Evangelium praedicavit: Christus igitur ut Deus, et ut homo est *in sinu Patris*, ut Deus per aeternam generationem et essentiae unitatem; et ut homo est *in sinu Patris* per claram, intuitivam ac beatificam Dei visionem, quam nemini in hac vita concessam fuisse testatur Evangelista. — Alter locus extat Io. III, 13: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo:* Christus ergo ut *Filius hominis* dicitur esse *in coelo:* quo tempore autem haec dicebat Christus nondum corpore in coelum ascenderat, erat tamen in coelo, quomodo? per visionem scilicet Dei intuitivam ac beatificam, qua ratione *Angeli*, ad custodiam nostram in terris deputati dicuntur *in coelis semper* videre *faciem Patris* (4), quia nempe licet in terris sint, Deo tamen intuitive fruuntur. Confirmatur hoc argumentum ex verbis praecedentibus Io. III, 11, ubi Christus, volens persuadere Nicodemo sibi ut testi oculato esse credendum, dicit ipsi: *Quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur.* Christus vero loquebatur et testabatur ut homo: ergo etiam sciebat et videbat ut homo, quomodo enim potuisset testari ut homo, si non vidisset ut homo? siquidem vox testimonii debeat correspondere cognitioni: ergo divina, quae ibi v. 16 et seq. Christus locutus et testatus est, non solum ut homo scivit, sed etiam vidit, nempe per visionem Dei intuitivam. Ideo idem Christus dicit: *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam nisi is, qui est a Deo hic vidit Patrem* (5): Christus ut homo ita de se loquitur et testatur, se vidisse Patrem, visione utique intuitiva, cum hanc visionem opponat communi cognitioni, seu abstractivae visioni aliorum viatorum. In eundem sensum adduci potest et aliud Christi testimonium, qui Io. VIII, 14 ita ad Iudaeos loquitur: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni, et quo vado: vos autem nescitis...*

(1) L. 12, de loc. th. c. 13.
(2) De Incarn. q. 11, art. 2.
(3) De Deo incarn. Diss. 7. c. 1. concl. 2 etc.

(4) Matth. 18, 10.
(5) Io. 6, 45 etc.

et : *Non cognovistis eum* (Patrem), *ego autem novi eum, et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eum, et sermonem eius servo* (1). Christus hic loquitur de seipso ut homo est, quod probant haec verba : *sermonem eius servo;* ut homo ergo profitetur se nosse Deum: *Novi eum, scio eum:* quibus verbis certe non solum cognitionem Dei per fidem, quae etiam inter Iudaeos inveniebatur, sed claram et perfectam Patris scientiam, seu intuitivam Dei visionem sibi attribuit. Denique Io. XVII, 24 Christus inquit: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi;* vult Christus pro electis suis statum beatitudinis, in quo se iam esse profitetur; *ubi sum ego*, et optat eis visionem beatificam, quam sibi iam concessam asserit: *Quam dedisti mihi;* haec verba autem Christus locutus est ante passionem et mortem, ubi claritatem corporis adhuc consecutus non fuerat, ergo illa intelligenda sunt de animae claritate, seu de scientia beatifica et intuitiva visione Dei. — Recte porro ex his sicut etiam ex caeteris citatis Scripturae verbis infertur, Christum visionem beatificam non per passionem duntaxat et mortem promeritum, sed iam a primo conceptionis instanti consecutum fuisse. Nam visio beatifica debebatur animae Christi vi suae unionis hypostaticae cum Verbo, ut innuitur Io. I, 14: *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis* (ad plenitudinem enim gratiae et veritatis etiam visionem beatificam pertinere, manifestum est); atqui a primo instanti conceptionis anima Christi fuit unita Verbo: ergo a primo instanti conceptionis habuit visionem beatificam.

(1) Io. 8, 55. (2) L. 10 Dem. evang. c. 21.

2. *Ss. Patres* fundamentalibus de Verbo incarnato dogmatibus contra haereticos defendendis maxime occupati de visione beatifica, animae Christi a primo conceptionis instanti concessa, pauca quidem scripserunt, sed illam tamen non negarunt. Imo quaedam Patrum testimonia a theologis referri solent, in quibus praefatum privilegium animae Christi adiudicatur. — *Eusebius Caesar.* (2), exponens illa verba Ps. XXI, 11 : *In te proiectus sum ex utero: de ventre matris meae Deus meus es tu*, ita loquitur: « Cum adhuc intra cellam gestantis me in utero viderem, te tamen Deum meum videbam. » *S. Augustinus* (3) ita disserit: « Per distantiam divinitatis et infirmitatis Filius Dei manebat in coelo, filius hominis ambulabat in terra: per unitatem vero personae, qua utraque substantia unus Christus est, et Filius Dei ambulabat in terra, et idem ipse filius hominis manebat in coelo; » id est in statu beatitudinis non secundum corpus, quod ante ascensionem in terra morabatur, sed secundum animam, quae continuo visione Dei beatifica fruebatur. Idem S. Doctor (4) suscitati a Domino Lazari allegoricam significationem explicans, sudarium, quo tecta erat eius facies, figuram esse dicit praesentis in nobis visionis, qua *per speculum videmus in aenigmate* (5), quod cum auferri iubet Christus nostrum futurae vitae statum insinuat, « hoc est quod post hanc vitam auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus. Quantum autem intersit inter hominem, quem Dei sapientia gestabat, per quem liberati sumus, et caeteros homines, hinc intelligitur, quod Lazarus nisi exiens de monumento non

(3) L. 1 de pecc. mer. et rem. c. 31.
(4) L. 83 qq., quaest. 65. (5) 1 Cor. 13. 12

solvitur: id est etiam renata anima nisi resolutione corporis libera ab omni peccato et ignorantia esse non potest, quamdiu per speculum, et in aenigmate videt Dominum. Illius autem linteamina et sudarium, qui peccatum non fecit et nihil ignoravit, in monumento inventa sunt. Ipse solus in carne non tantum in monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur, sed nec linteis implicatus, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret. » Hic, ut observat *Petavius* (1), Augustinus indicare videtur, Christi animam adhuc in mortali corpore degentis, sublato velamine, *facie ad faciem* Deum vidisse, nec eam latuisse quidquam. Hoc idem *S. Augustinus* docet (2), ubi, postquam asseruit, neminem in hac vita videre posse limpidissimam illam lucem, in qua Trinitatis aequalitas et incommutabilitas cernuntur, sic addit: « qua maxime proprietate distat a caeteris homo, cuius susceptione Verbum caro factum est. » — *S. Ambrosius* (3) scribit de Christo; « Accepit plenitudinem naturae et perfectionis humanae: sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma. Unde et David dicit: *Speciosus forma prae filiis hominum* etc; » his verbis Dei Filio incarnato visio beatifica adscribitur, quae certe ad plenitudinem perfectionis humanae pertinet, ad quam homines ad finem et consummationem suam tendunt. — *S. Leo M.* (4) inquit: « Cum simplex et incommutabilis natura Deitatis tota sit semper in sua essentia, nec damnum sui recipiens, nec augmentum, et sic naturam (in incarnatione) assumptam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat. » *S. Fulgentius* (5) ait: « Sicut Christus singulariter habet, ut sit verus Deus, sic totam divinitatem suam singulariter novit, et plenam habet notitiam divinitatis suae scilicet secundum animam. » *S. Isidorus Hisp.* (6) dicit: « Trinitas sibi soli nota est, et homini assumpto; » in quae verba observat *S. Thomas* (7), « quod homo assumptus connumeratur divinae Trinitati in sui cognitione, non ratione comprehensionis, sed ratione cuiusdam excellentissimae cognitionis prae caeteris creaturis. » *S. Io. Damascenus* (8) ex ipsa unione hypostatica in conceptione incipiente repetit, quod humanitas Christi « omnibus prorsus sapientiae, gratiaeque opibus affluxerit; » ad quas opes praecipue visio beatifica pertinet. *S. Remigius* (9) in illud: *Et ecce aperti sunt ei coeli*, ita disserit: « Sed nunquid tunc primo aperti sunt ei coeli etiam secundum humanam naturam? Fides enim Ecclesiae tenet, quod non minus aperti sunt ei coeli ante, quam post. » *Richardus Victorinus* (10) ita praeclare de Christo loquitur: « Quod igitur accepturi sumus in vita futura, ille accepit in vita ista: quod nobis dabitur in consummatione, illi datum est ab hora conceptionis suae. »

3. *Rationibus theologicis* eadem veritas confirmatur. Nam quod dignius, quod excellentius est, et fini Incarnationis non repugnat, sed illum promovet, affirmandum est de Christi humanitate, quae per unionem hypostaticam ad summam dignitatem elevata est; atqui dignius et excellentius est animae Christi ab instanti

(1) De Inc. l. 11, c. 4, n. 5.
(2) L. 4 de consensu Evang. cap. ult.
(3) L. 7 Epist. 47 ad Iren.
(4) Epist. 25 (al. 11) ad Iulian.
(5) Resp. ad quaest. 3 Ferrandi.
(6) L. 1 de summo bono c. 3.
(7) 3, q. 10, a. 1, ad 1.
(8) L. 3 de fide c. 22.
(9) Ap. M. Canum l. c.
(10) L. 2 de Emmanuele c. 22

conceptionis visione beatifica praeditam fuisse quam illa aliquando caruisse, quia alias anima Christi aliquando privilegium non habuisset, quo Angeli fruuntur, cum tamen Christus dicatur *melior angelis effectus* (1). Neque visio beatifica fini Incarnationis repugnat, quoniam illa non impediebat animae, et multo minus corporis dolores et cruciatus, quos Christus pro salute mundi sustinere voluit, ut iam probatum fuit § 284, in Resp. ad Obi. II. Imo visio beatifica fini Incarnationis maxime congrua fuit; nam Christus debuit esse dux et praeceptor gentium, imo perfectissimus hominum magister, summusque doctor: ad talem autem spectat, res divinas, quas annuntiat, non solum perfecte cognoscere, sed et clarissime videre. Denique Christus est *Via, Veritas, et Vita* (2); ergo per Christum homines ad visionem veritatis, et ad fruitionem vitae, seu beatitudinis perveniunt: neque dubitari potest, Christum a primo conceptionis momento eo contendisse, ut homines ad istum nobilissimum finem perduceret: conveniens igitur fuit, ut Christus ipsemet ceu beatitudinis fons, a primo conceptionis instanti visione beatifica frueretur. Eadem fere argumentatione utitur *S. Thomas*, qui (3) dicit: «Homo est in potentia ad scientiam beatorum, quae in Dei visione consistit, et ad eam ordinatur sicut ad finem: est enim creatura rationalis capax illius beatae cognitionis, in quantum est ad imaginem Dei. Ad hunc autem finem beatitudinis homines reducuntur per Christi humanitatem secundum illud: *Decebat eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consumma-ri* (4). Et ideo oportuit, quod cognitio beata in Dei visione consistens excellentissime Christo homini conveniret; quia semper causam oportet esse potiorem causato. »— In hac veritate admittenda ita Theologi conspirant, ut *Card. de Laurea* (5) scripserit: « Nusquam in scholis vel aliqua Ecclesia particulari privilegium hoc fuit negatum animae Christi. » — Eundem Theologorum consensum testatur *Petavius* (6).

Nota 1. Theologi, qui visionem beatificam Christo adscribunt, omnes tamen fatentur, animam Christi humanam non habere cognitionem Dei comprehensivam. Impossibile enim est, ut divina essentia, quae infinita est (§ 7), ab intellectu finito plene comprehendatur (§ 10). Sed anima Christi, quomodocunque perfecta, et summis praerogativis exornata, etiam post unionem hypostaticam suas proprietates retinuit, et finita mansit, quapropter Deum perfecte et adaequate comprehendere non potuit. Id docet *S. Thomas* (7), dicens: « Sic facta est unio naturarum in Christi persona, quod tamen proprietas utriusque naturae inconfusa permanserit... Est autem impossibile, quod aliqua creatura comprehendat divinam essentiam, — eo quod infinitum non comprehenditur a finito. Et ideo dicendum, quod anima Christi nullo modo comprehendit divinam essentiam. » Hinc in Concilio *Basileensi* (8) damnata est ut erronea haec propositio *Augustini de Roma*: « Anima Christi videt Deum tam clare et intense sicut Deus videt seipsum: » et haec damnatio fuit approbata a *Nicolao V.* — Nonnullis visus est *S. Fulgentius* eandem erroneam sententiam propugnasse; sed contrarium constat

(1) Hebr. 1, 4. (2) Io. 14, 6.
(3) 3. q. 9. a. 2. (4) Hebr. 2. 10.
(5) D. 14, q. 2. (6) L. c. n. 8.
(7) 3 q. 10. a. 1. (8) Sess. 22.

ex eius verbis l. c., ubi dicit: « Possumus plane dicere, animam Christi habere plenam notitiam divinitatis suae; nescio tamen, utrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam deitatem noverit, quemadmodum se ipsa divinitas novit: an hoc potius dicendum est, quia novit quantum illa, sed non sicut illa. Ipsa enim deitas sic se novit, ut hoc se naturaliter inveniat esse, quod novit: anima autem illa sic totam deitatem suam novit, ut ipsa tamen deitas non sit.» Manifeste ergo S. Pater distinguit scientiam animae Christi humanae a scientia infinita et comprehensiva, quae soli divinitati competit. Caeterum Theologi docent, animam Christi propter unionem hypostaticam clarius divinam essentiam videre, quam ulla alia creatura illamque in Verbo omnia, quae contingunt, praeterita, praesentia et futura perfectissime cognoscere. Nam anima Christi per scientiam beatam cognovit omnia, quae ad suum statum pertinent; haec enim scientia conceditur omnibus beatis, cum debeat satiari omnis naturalis eorum appetitus. Atqui ad statum Christi omnia praeterita, praesentia et futura referuntur. Nam Christus qua homo est caput Ecclesiae, finis universi, Dominus coeli et terrae, Iudex vivorum et mortuorum; atqui pertinet ad caput habere notitiam membrorum; ad finem intellectualem cognoscere media ad se ordinata; ad dominum cognoscere subditos suos; ad iudicem cognoscere omnia, quae spectant ad suum tribunal, quales sunt omnes et singulae actiones, locutiones et cogitationes; et licet aliquae subsecuturae sint extremum iudicium, quia tamen pertinent vel ad praemium in Beatis, vel ad poenam in damnatis, cognosci debent a iudice, cuius est vel poenas imponere, vel praemia dispensare. Negant tamen iidem Theologi animam Christi per scientiam beatificam omnia possibilia cognoscere: talis enim cognitio non est nisi adaequata cognitio omnipotentiae divinae: et quia haec ab anima Christi non comprehenditur, etiam omnia possibilia ab ipsa non cognoscuntur (1).

Nota 2. *Calvinus*, *Bucerus* et nonnulli alii visionem beatificam animae Christi in mortali hac vita penitus denegant, et contra doctrinam Catholicorum varias difficultates movent, quarum praecipuae saltem proponendae et solvendae sunt.

Obi. I. Christus omnia cognovit per scientiam divinam: ergo inutilis erat scientia creata qua nullo modo indiguit, et quae, si in ipso adfuisset, penitus absorpta esset per scientiam infinitam, sicut per lumen solis obfuscatur lumen candelae. Non potest ergo in Christo omniscio admitti scientia creata, et multo minus concedi potest duplex scientia creata, *infusa* et *beatifica*; cum iam alterutra Christo suffecisset ad omnia, quae ad ipsum spectabant, cognoscenda. Nam Deus, qui legem parsimoniae observat, inutilia nec efficit, nec largitur.

Resp. Christum ut Deum omniscium esse, omnes Catholici profitentur; sed ideo scientiam ipsius creatam nullatenus inutilem reputant, et quidem rectissime: nam ut Christus perfectus homo esset omnino necesse fuit, ut etiam intellectu humano, et quidem perfecto - non solum in potentia, sed in actu posito - praeditus esset, adeoque etiam scientiam humanam, seu creatam haberet. Et sicut in Christo iuxta dogmata catholica humanitas non fuit absorpta a divinitate (§ 301 et seq.), nec voluntas humana a voluntate infinita (§ 283),

(1) V. Billuart. Diss. 10. a. 3

ita scientia quoque creata non fuit sublata per scientiam increatam et infinitam. Male porro applicatur paritas adducta : nam lumen solis non extinguit lumen candelae, nec in se minorem reddit ; sed nostri sensus maiori lumine affecti minoris luminis efficientiam percipere haud valent. Sed sicut lumen candelae cum lumine solis consistere potest, ita in Christo uti duae naturae, divina et humana, sic et duae scientiae, increata et creata, impermixtae et inconfusae consistunt. Neque inutiliter Christo duplex scientia creata, infusa et beatifica, tribuitur. Duplex enim est modus, quo entia rationalia, si ad perfectionis suae culmen pertingant, cognitionem rerum acquirunt, quas in seipsis aspicere, et in Deo videre possunt. Convenientissimum autem absque dubio est, ut Christus qua homo omnibus creaturarum rationalium perfectionibus praeditus sit. « Et ideo, ait *S. Thomas* (1), sicut in Angelis secundum *Augustinum* ponitur duplex cognitio: una scilicet *matutina*, per quam cognoscunt res in Verbo ; et alia *vespertina*, per quam cognoscunt res in propria natura per species sibi inditas ; ita praeter scientiam divinam et increatam est in Christo secundum eius animam scientia beata, quae cognoscit Verbum, et res in Verbo, et scientia infusa, sive indita, per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanae menti proportionatas » (Cf. § 145) ; et hic quoque modus cognoscendi Christum decebat, sicut et decuit, ut videret oculis corporeis, quod mente per scientiam beatificam videbat. — Denique admittimus, Deum, non ob legem parsimoniae, cui nullatenus subiicitur, sed ob naturam sapientiae suae inutilia nec efficere, nec largiri : sed ex hoc ipso inferimus, In Christo praeter scientiam divinam inutilem non esse duplicem scientiam creatam, infusam, et beatificam : quare? quia utraque a Deo Christo ut homini concessa fuit, quod allata iam argumenta probant. Observandum vero etiam est, hominum non esse decernere, quid utile, et quid inutile sit dicendum, dum de rebus supernaturalibus et rationis captum excedentibus agitur, quoniam etiam circa res naturales eorundem iudicia saepe falluntur.

Obi. II. Praestantius item et iucundius est, gloriam et honorem consequi per opera digna, quam sine ullo omnino merito. Christus ergo animae suae felicitatem tanquam virtutis praemium accepit : quare non est in primo instanti visionem Dei consecutus. Meritum enim praemium antecedit laborque mercedem. Quod etiam in Christo obtinuisse S. Scriptura testatur. Nam Is. LIII, 11 de Messia dicitur : *Pro eo quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur*, ad eundem Deus dicit, Ps. XLIV, 8 : *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae* etc. Luc. XXIV, 26 legitur : *haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* : Paulus cum dixisset, Christum obedientem fuisse usque ad mortem, Phil. II, 9 addit : *propter quod Deus exaltavit illum.* Apoc. V, 12 legitur : *Dignus est Agnus accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam* etc. Ergo Christus visionem beatificam solum per passionem, et mortem promeruit, et obtinuit.

Resp. Hanc obiectionem egregie solvit *S. Thomas* (2) dicens : « Nobilius habetur id, quod habetur per meritum, quam id, quod habetur sine merito. Quia autem omnis perfectio et nobilitas Christo est attribuenda,

(1) 3, q. 9, a. 3. (2) 3, q. 19, a. 3.

consequens est, quod ipse per meritum habuerit illud, quod alii per meritum habent: nisi sit tale quid, cuius carentia magis dignitati Christi, et perfectioni praeiudicet, quam per meritum accrescat. Unde nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animae, nec divinitatem meruit: quia cum meritum non sit nisi eius quod nondum habetur, oporteret, quod Christus aliquando istis caruisset; quibus carere magis diminuit dignitatem Christi, quam augeat meritum. Sed gloria corporis vel siquid aliud huiusmodi est, minus est quam dignitas merendi, quae pertinet ad virtutem charitatis. Et ideo dicendum est, quod Christus gloriam corporis, et ea, quae pertinent ad exteriorem eius excellentiam, sicut est ascensio, veneratio et alia huiusmodi, habuit per meritum. » Et (1) addit: « Christo secundum quod est Deus, et Dei Filius, per naturam debetur gloria divina, et dominium omnium sicut primo et supremo Domino. Nihilominus debetur ei gloria sicut homini beato; quam quantum ad aliquid debuit habere sine merito, et quantum ad aliquid cum merito. » His praemissis, facile est ostendere, allata Scripturae testimonia doctrinae catholicae nullatenus adversari; illa enim non de visione beatifica, sed de gloria corporis, de totius humanitatis impassibilitate et exaltatione, de summo honore et de exteriori excellentia intelligenda sunt; haec enim Christus per passionem et mortem promeritus est. Sic exponendum esse locum Is. LIII, 11, patet ex verbis praecedentibus: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum* etc., quia gloria Messiae externa in Ecclesia undique propagata manifeste praedicitur. Ps. XLIV dicitur: Quia Christus dilexit iustitiam, ideo exaltavit eum Deus in Regem hominum et Angelorum; ungere enim est regem constituere. Christus Luc. XXIV, 26 apertissime loquitur de gloria corporis, quam per passionem promeruit, et in resurrectione obtinuit. Paulum quoque Phil. II, 9 de gloria externa loqui, patet ex verbis subsequentibus: *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum.* Eodem sensu accipienda sunt verba Apoc. V, 12; nam si in sensu adversariorum intelligerentur, sequeretur, Christum per mortem suam etiam divinitatem, seu unionem hypostaticam promeruisse, quod ipsi non concedunt (2).

Obi. III. In S. Scriptura visio beatifica Christo penitus denegatur; nam Io. VII, 39 legitur: *Iesus nondum erat glorificatus.* Id confirmatur ex eo, quia eadem Scriptura maximam tristitiam, et acerbissimos Christi dolores commemorat, qui per visionem beatificam omnino excluderentur.

Resp. Iesus dicitur in Evangeliis *nondum glorificatus* per gloriosam resurrectionem et admirabilem ascensionem, non quod intuitiva careret visione. Eodem quippe modo ait Ioannes Christum nondum fuisse glorificatum, quomodo inquit, Spiritum sanctum nondum fuisse datum; sic enim habet integer versiculus: *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* At Spiritus sanctus tunc revera datus erat multis, puta *Mariae, Annae, Zachariae, Elisabethae* etc., quamvis datus non esset omnibus, nec visibili modo ut in die Pentecostes in Apostolos venisset: itaque etiam Christus erat tunc per intuitivam Dei visionem glorificatus, quamvis nondum glorificatus esset per admirabilem suam

(1) Ibid. ad 2.

(2) Cf. M. Canum l. c. Resp. ad 8.

ascensionem. Sensus ergo Evangelistae est, Spiritum sanctum nondum fuisse datum, quia Iesus adhuc non ascenderat in coelum. Ergo in hoc loco visio beatifica Christo nullatenus denegatur. — Praeterea iam observatum fuit, Christum visionem intuitivam et beatitudinem comprehensorum eatenus habuisse, quatenus haec fini Incarnationis non repugnabat. Sed gloria corporis, et impassibilitas humanitatis fini Incarnationis repugnassent, quoniam per Christi passionem et mortem redemptio generis humani perficienda erat. Idcirco ex infinitae sapientiae et immensae bonitatis decreto factum est, ut Christus visione beatifica ita frueretur, ut per hanc acerbissimi tum animae tum corporis cruciatus non impedirentur (1).

Nota 3. Visio beatifica nobis non quidem in hac vita concessa, sed pro aeterna vita promissa est. Tunc enim Deum *videbimus sicuti est* (2), *facie ad faciem* (3), et per hanc visionem ineffabili et incessabili beatitudine replebimur. Ut autem ad hanc perveniamus, Christum imitari debemus, et sicut anima ipsius continuo Deum intuebatur, ita nobis adlaborandum est, ut, quantum fieri potest, continuo saltem praesentiae divinae memores simus. Nam, ait *S. Gregorius Naz.* (4): « Non tam saepe respirare quam Dei meminisse debemus. » Et *S. Bernardus* (5) inquit: « Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate, et misericordia, sic nullum debet esse momentum, quo eum praesentem non habeat in memoria. » Per iugem praesentiae divinae memoriam a peccatis retrahemur, ad virtutes excitabimur, tentationes vincemus et protectionem divinam obtinebimus. Ideo Regius Propheta dixit: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos* (6).

III. *Christus ut homo habuit etiam aliquam scientiam acquisitam.*

§ 328. Scientia *acquisita* dicitur illa, quae propriis naturae viribus successu temporis comparatur: haec dici solet *experimentalis*, si obtinetur per actualem sensuum operationem, cui et adiungitur cognitio intellectus super illas operationes reflectentis. Investigandum iam est, an, et qualis scientia acquisita Christo ut homini sit attribuenda.

1. Christus ut homo praeter scientiam beatificam et infusam habuit etiam scientiam acquisitam. Haec insinuatur Luc. II, 52: *Iesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum, et homines;* hoc enim cum neque de divina, neque de beata, neque de infusa Christi scientia intelligi possit, quasi aliqua istarum trium secundum seipsam augmentetur; intelligendum necessario est de scientia experimento acquisita, et consequenter per hoc supponit Evangelista, talem scientiam fuisse in Christo. Ss. Patres equidem haec verba quoad scientiam Christi divinam, beatificam, et infusam de sola manifestatione successu temporis proficiente exponunt (7); sed tamen quoad scientiam experimento acquisitam verum in Christo profectum agnoscunt. *S. Ambrosius* (8) ait: « Quomodo proficiebat sapientia Dei? — doceat te ordo verborum: profectus est aetatis et profectus sapientiae: ideo aetatem praemisit, ut secundum hominem crederes dictum; aetas enim non divinitatis est, sed

(1) Cf. § 284 Resp. ad Obi. 2.
(2) I Io. 3, 2. (3) 1 Cor. 13, 12.
(4) Or. 1 de Theol. (5) C. 6, Medit.
(6) Ps. 24, 15.
(7) V. § 326 Resp. ad Obi. 2.
(8) L. de incarn. cap. 7

corporis: ergo si proficiebat aetate hominis, proficiebat secundum sapientiam humanam: sapientia autem sensu profecit, quia a sensu (i. e. ab experientia) sapientia. » *S. Augustinus* (1) inquit: « In hac forma (humana) secundum Evangelium sapientia et studio profecit. » Similia habent *S. Cyrillus Alex.* (2), *V. Beda* et *Theophilactus* (3). Et *S. Thomas* (4) scribit: « Humana scientia est, quae humano modo acquiritur, scilicet per lumen intellectus agentis. Ergo Christus secundum hanc scientiam profecit. » Nam, ait (5), « tam scientia infusa animae Christi, quam scientia beata fuit effectus agentis infinitae virtutis, qui potest simul totum operari, et ita in neutra scientia Christus profecit, sed a principio eam perfectam habuit. Sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successive, et ideo secundum hanc scientiam Christus non a principio scivit omnia, sed paullatim, et post aliquod tempus scilicet in perfecta aetate: quod patet ex hoc, quod Evangelista simul dicit eum profecisse scientia, et aetate. » — Hebr. V, 8 dicitur: *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est obedientiam.* Qui locus intelligitur de scientia experimentali acquisita, qua proprio experimento didicit, quam arduum esset exequi quae Deus ab eo postulabat; licet enim hanc arduitatem iam antea noverit per scientiam divinam et infusam, nondum tamen cognoscebat experientia propria, qua certe non excluditur scientia aut divina, aut beatifica, aut infusa. *S. Chrysostomus* (6), eundem locum exponens, ait: « Nunc passiones nostras non ignorat: eas non solum scit ut Deus, sed etiam ut homo per eam qua passus est, experientiam. » *Theodoretus* in verba Pauli: *In eo, in quo passus est ipse, et tentatus, potens est et eis, qui tentantur auxiliari* (7), hoc ad nostram consolationem dici notat, quod « experientia didicerit humanae naturae imbecillitatem non ut Deus utique, sed ut homo. »

2. In Christo scientiam acquisitam fuisse, *S. Thomas* ratione theologica probat, dicens (8): « Si in aliis Deus, et natura nihil frustra faciunt, - multo minus in anima Christi aliquid fuit frustra. Frustra autem est, quod non habet propriam operationem. — Propria autem operatio intellectus agentis est facere species intelligibiles actu, abstraendo eas a phantasmatibus... Sic igitur necesse est dicere, quod in Christo fuerint aliquae species intelligibiles per actionem intellectus agentis in intellectu possibili eius receptae; quod est esse in ipso scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem nominant. » Et certe Christus ut perfectus homo oculis ad videndum, auribus ad audiendum, et reliquis sensibus usus est, per quos successive obiecta percepit, quae antea sensibus, non perceperat: ita pariter Christus successu temporis famem, sitim, lassitudinem, aliosque dolores et cruciatus sensit, quos antea actu expertus non fuerat, et cum perspicacissimo intellectu praeditus esset, huius reflexio deesse non potuit, atque ideo in Christo vere fuit scientia experimentalis, seu successive acquisita. — Et, hanc scientiam dignitati Christi non repugnare, hac quoque argumentatione confirmant Theologi: Christo convenit non solum omnes habere scientias, sed et-

(1) Serm. 5 de divers.
(2) L. 10 Thesaur. c. 7. (3) In h. l. Lucae.
(4) 3, q. 12, a. 2 in eundem locum.
(5) Ibid. ad 1. (6) Hom. 5 in Ep. ad Hebr.
(7) Hebr. 2, 18. (8) 3, q. 9, a. 4.

iam eas habere omni modo connaturaliter possibili, et convenienti: ergo Christo conveniebat habere scientiam non solum modo divino per scientiam beatam; nec tantum modo angelico per infusionem, sed etiam modo humano per acquisitionem (1).

3. Scientiam acquisitam in Christo longe perfectiorem et excellentiorem quam in caeteris hominibus fuisse, graves rationes ostendunt. Homines enim communiter loquendo pluribus annis indigent, ut perfectum rationis usum consequantur. Christus autem a primo instanti conceptionis habuit usum rationis, et intellectionem humanam. Nam Christus a primo instanti conceptionis exercuit actus virtutum meritorios, quod testatur Apostolus de Verbo incarnato scribens: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam, et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi... tunc dixi: ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam* (2). Hoc idem ad dignitatem Christi, hominum et Angelorum capitis pertinebat; imo et ad redemptionem nostram proderat, ut nempe toto vitae mortalis tempore mereretur. Et Christus non assumpsit eos defectus, qui ad redemptionem nostram prodesse non poterant, qualis erat carentia usus rationis. Sicuti ergo primus Adam, qui homines perdidit, in creatione usum rationis obtinuit; ita multo magis secundus Adam, qui homines redemit, et *melior Angelis effectus est*, a primo conceptionis instanti perfectum rationis usum habuit.

4. Praeterea homines, quacunque sagacitate praediti, suis viribus relicti erroribus obnoxii sunt, per sensus falli, et in iudiciis suis a veritate deflectere possunt. Christus autem etiam ut homo non potuit errare et decipi, atque eius scientia acquisita non potuit esse falsa. Id ex ipsa unione hypostatica inferendum est. Verbum enim nihil admittere potuit in natura assumpta, nisi quod esset honestum, vel ad honestatem conferret; error autem neque rationem honesti habet, neque ad honestatem confert, et ideo in natura Christi humana admitti non potuit. Dein actiones humanitatis Christi sunt vere actiones Verbi et suppositi, atque ideo etiam error humanitatis Christi adscribendus esset Verbo, seu personae divinae: sed hanc errori subiici absolute impossibile est; ergo etiam in scientiam humanam Christi error irrepere nequit. His accedit, Christum peccato originali et ignorantiae tenebris obnoxium non fuisse (§ 225), et vires integras (§ 206), sensus perfectissimos, ac intellectum perspicacissimum habuisse, ita ut etiam naturaliter omnia, quae scientiae humanae subiiciuntur multo facilius, clarius, et certius quam reliqui homines cognoverit. Nam, ait *S. Thomas* (3): « Scientia rerum acquiri potest non solum per experientiam ipsarum, sed etiam per experientiam quarumdam aliarum rerum: cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas, et causas per effectus, et similia per similia, et contraria per contraria. Sic... licet sensibus corporalibus Christi non fuerint subiecta omnia sensibilia; fuerunt tamen sensibus eius subiecta aliqua sensibilia, ex quibus propter excellentissimam vim rationis eius potuit in aliorum notitiam devenire per modum praedictum, sicut videndo corpora coelestia potuit comprehendere eorum virtutes et effectus, quos

(1) V. Billuart Diss. 12. a. 1.
(2) Hebr. 10, 5 etc.
(3) 3, q. 12, a. 1 ad 1 et 2.

habent in istis inferioribus, qui eius sensibus non subiacebant, et eadem ratione ex quibuscunque aliis in aliorum notitiam devenire potuit » (1).

5. Homines aliorum instructione indigent, ut in scientiis proficiant, atque plurima aliorum auctoritati credentes addiscunt. Sed, ait *S. Thomas* (2): « Cum duplex sit modus acquirendi scientiam, scilicet inveniendo, per propriam experientiam et rationis reflexionem, et addiscendo, per aliorum institutionem; modus, qui est per inventionem est praecipuus; modus autem, qui est per disciplinam est secundarius. Unde dicitur (3): « Ille quidem est optimus, qui omnia per seipsum intelligit; bonus autem rursus est ille qui bene dicenti obedit. » Et ideo Christo magis competebat habere scientiam acquisitam per inventionem, quam per disciplinam, praesertim cum ipse daretur a Deo omnibus in doctorem secundum illud: *Laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiae* » (4). Hoc idem Angelicus probat q. 12, art. 3, ubi inter alia haec habet: « Dicitur Is. LV, 4: *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac praeceptorem gentibus.* Praeceptoris autem non est doceri, sed docere. Ergo Christus non accepit aliquam scientiam per doctrinam alicuius hominis. » Neque his obstat, quod de Christo legitur: *Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos, et interrogantem eos* (5). Nam, ut ait *Origenes* (6): « Dominus interrogabat, non ut aliquid addisceret, sed ut interrogans erudiret. Ex uno quippe doctrinae fonte manat et interrogare et respondere sapienter. » Unde et in Evangelio sequitur, quod *stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia, et responsis eius* (7). — *S. Thomas* ulterius progreditur, et ostendit, Christum etiam ab Angelis nihil didicisse, quod (8) ita probat: « Sicut anima humana media est inter spirituales substantias, et res corporales; ita duobus modis nata est perfici: uno quidem modo per scientiam acceptam ex rebus sensibilibus; alio modo per scientiam inditam, sive impressam ex illuminatione spiritualium substantiarum. Utroque autem modo anima Christi fuit perfecta: ex sensibilibus quidem secundum scientiam experimentalem, ad quam quidem non requiritur lumen angelicum, sed sufficit lumen intellectus agentis: ex impressione vero superiori secundum scientiam infusam, quam est immediate adeptus a Deo. Sicuti enim supra communem modum creaturae anima illa unita est Verbo in unitate personae; ita supra communem modum hominum immediate ab ipso Dei Verbo repleta est scientia, et gratia, non autem mediantibus Angelis, qui etiam ex influentia Verbi rerum scientiam in sui principio acceperunt, sicut (9) *Augustinus* dicit. » Legitur quidem quod apparuit Christo *Angelus de coelo confortans eum* (10). Sed Angelus iste non instruebat Christum, nec ei robur adiiciebat, sed potius ei ministrabat, eiusque fortitudinem celebrabat. Ita hunc locum exponit *S. Epiphanius* (11) dicens: « Confortent ipsum omnes Angeli eius, non ut fortitudinem illi, ac robur adiiciant; neque enim illorum confirmatione opus habebat; sed confortent ipsum, hoc est, reddant ei vim suam ac fortitudinem acceptam

(1) Cf. Antoine de Incar. c. 6, a. 1, § 1 et 4.
(2) 3, q. 9, a. 4 ad 1. (3) In 1 Ethic. c. 4.
(4) Ioël. 2, 23. (5) Luc. 2, 46.
(6) Hom. 18 et 19 in Luc.
(7) Luc. 2, 47. (8) Ibid. art. 4.
(9) L. 2 de Gen. ad litt. c. 8.
(10) Luc. 22, 43.
(11) Haer. 69, n. 60.

illi referant. Nam et nos infirmi et imbecilles Deo saepe numero benedicimus, saepe illi robur tribuimus: non quod benedictione nostra indigeat, sed ut expressam illa benedictione potestatem inesse in illo confiteamur. Hinc singillatim ita praedicamus: Tua est virtus, tua potentia, tua fortitudo etc. Num igitur Deo fortitudinem tribuimus, cum ita dicimus? etc.» *S. Thomas* cum *V. Beda* dicit (1): « quod illa confortatio Angeli non fuit per modum instructionis, sed ad demonstrandam proprietatem naturae humanae.» Quoniam enim Angeli hominibus in magnis tribulationibus subvenire solent, voluit Christus, ut etiam sibi, maxima tristitia affecto, Angelus appareret, quamvis hoc non indigeret, nec instructionem aut fortitudinem ab eo reciperet.

Nota. Scientiam Christi acquisitam imitantur, qui sacris studiis operam dant, divinorumque verborum et factorum meditationi non perfunctorie, sed sedulo, sed quotidie, sed assidue incumbunt. Haec Christi imitatio nunquam satis iis commendari potest, qui ad curam animarum vocati sunt. Quantum enim isti Ecclesiae prosunt, si theologicis scientiis bene instructi sint; tantum et sibi et aliis obsunt, sacratiores disciplinas negligentes. Cuilibet Clerico ideo incessanter acclamandum est, quod Paulus dixit: *Attende tibi, et doctrinae, insta in illis: hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (2). Nunquam te satis eruditum putes, sed semper in doctrina et pietate proficere conare. Tamdiu discendum est, quamdiu nescias, id est quamdiu vivas. Non quantum scias, sed quantum ignoras, considera. Doctissimus *S. Gregorius Naz.* dicere (3) non erubuit: « Optabile est mihi et praeclarum, usque ad ultimam ediscere senectutem, quoniam nulla aetas ad perdiscendum sufficere potest. » Nunquam ergo et nobis a studiis cessandum, sed continuo adlaborandum est, ut ad exemplum Salvatoris sicut aetate, ita sapientia, et gratia coram Deo et hominibus proficiamus.

(1) L. c. ad 1. (2) 1 Tim. 4, 16.

(3) In Apolog.

ARTICULUS II.

De sanctitate Christi ut hominis considerati.

§ 329. Christus, ut secunda Trinitatis persona, et verus Deus, ex natura sua Sanctus, imo ipsa Sanctitas est (§ 44). Christus autem est etiam verus homo: ast humana ipsius natura hypostatice unita est Verbo, in quo subsistit, et a quo sustentatur et regitur. Quamvis enim in Christo duae sint naturae, una tamen est persona, eaque divina; et licet duae sint operationes in Christo, divinae et humanae, unus tamen est operans, nempe Christus persona divina, et infinite sancta (§ 309). Ergo humanitas Christi sanctificatur per infinitam sanctitatem Verbi, cum quo hypostatice unitur, et cui omnes operationes sunt adscribendae: et ex hac ratione omnes operationes, etiam in natura humana peractae, sicut divinae, ita infinite sanctae dicendae sunt. Recte idcirco Theologi dicunt, quod per unionem hypostaticam, seu per gratiam unionis humanitas Christi sanctificata sit *sanctitate substantiali*, imo divina, et infinita per participationem: quod etiam solide probari potest.

1. *In S. Scriptura* Christus, ut Verbum incarnatum, seu ut Filius Dei, qui naturam humanam assumpsit per excellentiam Sanctus, vel

Sanctificatus dicitur. In celebri vaticinio Danielis IX, 24 venturus Messias nominatur *Sanctus Sanctorum*, imo in textu hebr. *Sanctitas Sanctitatum*. — Angelus annuncians Mariae Christi conceptionem dicit: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* (1); Christus ergo, qui ut homo ex Maria natus est, iam in ortu suo Sanctus appellatur, ex quo patet, sanctitatem Christo communicatam fuisse a primo instanti conceptionis. Christus ipse dicit: *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum* (2); ubi Christus significat, se ut hominem a Patre sanctificatum esse propter unionem sui cum Verbo, ut *S. Hilarius*, *S. Athanasius*, *S. Chrysostomus* et alii Patres exponunt. Et vero Christus ibi probare vult, se esse Filium Dei naturalem, quia sanctificatus, et missus fuit a Patre, ac proinde loquitur de sanctitate substantiali sibi per unionem hypostaticam communicata. Daemonium veritatis testimonium ferre compulsus exclamat: *Scio te, quis sis: Sanctus Dei* (3). S. Petrus Iudaeos, qui Christum interemerunt, increpat his verbis: *Vos Sanctum, et Iustum negastis* (4) etc. S. Paulus de Christo ait: *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens .... excelsior coelis factus* (5); quibus verbis Apostolus docet, talem solummodo Pontificem nos redimere potuisse, qui Deus simul et homo, et mediante unione hypostatica substantialiter Sanctus erat.

2. *Ss. Patres* Christi ut hominis sanctitatem a gratia unionis, seu a divinitate repetunt, quacum natura humana hypostatice unita fuit, atque ideo Christi hominis sanctitatem *naturalem et substantialem* vocant, ac naturam humanam *deificatam, a Verbo unctam, a deitate sanctificatam* etc. appellant. Sic *Dionysius Alex.* (6) scribit: « In eo ostendebatur Christi a Ioanne discrimen ex summa munditia et incomparabili iustitia: quia in Ioanne quidem erat opus et labor iustitiae, in Iesu vero natura. » Et iterum: « Naturalis iustitia existit in Christo. » *S. Basilius* (7) ait: « Caeteri homines labore, exercitatione et attentione animi hoc consequuntur, ut ad honestatem bene sint affecti, et a malo aversi. Tibi vero (Christe) naturalis est cognatio cum bono, et alienatio a malo. » *S. Gregorius Naz.* in fine Orat. 10 (8) dicit: « Deum Patrem unxisse Christum oleo exultationis prae consortibus suis cum humanitatem divinitate unxit, ut ambo unum faceret. » Et Or. 30 (9) inquit: « Quid maius et honorificientius hominis humilitati contingere queat, quam Deo copulari, atque ex illa mixtione Deum effici, tantumque ab Oriente ex alto visitari, ut illud etiam *Sanctum*, quod gignebatur, Altissimi Filius vocaretur? » - et (10) varia Christi nomina explicans ait: « Christus dicitur propter divinitatem. Haec enim unctio est humanitatis, non operatione, ut in caeteris Christis, sed totius ungentis praesentia sanctificans: cuius hic effectus est, ut quod ungit homo nuncupetur, et quod ungitur Deus fiat. » *S. Augustinus* (11) de his verbis agens: *Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati* (12), docet in Verbo sanctificatum esse assumptum Filium hominis per hypostaticam unionem; ait enim: « In quo (Verbo)

(1) Luc. 1, 35. (2) Io. 10, 36.
(3) Luc. 4, 34. (4) Act. 3, 14.
(5) Hebr. 7, 26.
(6) In Epist. synod. ad Paulum Samos.
(7) Hom. in Ps. 44. (8) Al. 5.
(9) (Al. 36) n. 3. (10) N. 21.
(11) Tr. 109 in Ioan. in fine.
(12) Io. 12.

et ipse Filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suae, quando Verbum factum est caro: quia una persona facta est Verbum et homo. Tunc ergo sanctificavit se in se, hoc est hominem se in Verbo se, quia unus est Christus Verbum et homo, sanctificans hominem in Verbo. » Idem (1) in illa verba: *Unxit eum Deus Spiritu sancto* (2), ita disserit: « Non utique oleo visibili, sed dono gratiae - nec sane tunc unctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est Ecclesiam suam praefigurare dignatus est, in qua praecipue baptizati accipiunt Spiritum sanctum. Sed ista mystica et invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est, id est quando humana natura sine ullis praecedentibus bonorum operum meritis Dei Verbo est in utero Virginis copulata, ita ut cum illo fieret una persona. » S. *Cyrillus Alex.* (3) dicit: « Sanctum est quodcumque cernitur a mundi sordibus immune, quod quidem est in Christo naturaliter: adscititium vero et adventitium in sanctis discipulis, sanctificatione nimirum per gratiam: » paulo ante dixerat: « Naturalis est in Christo... puritas: Deus enim est verus, qui peccato obnoxius esse nequit, cum virtutis sit fons, et eius quae sanctificatione constat sanctitatis. » *S. Io. Damascenus* (4) inquit: « Christi porro vocabulum personae esse dicimus, ut quod non unimode dicatur, sed duplicem naturam significet. Ipse etenim seipsum unxit, corpus videlicet divinitate sua ungens ut Deus, unctus autem ut homo, quandoquidem ipse et hoc et illud est. Unctio porro humanitatis est divinitas. » Concilium *generale VI*, Actione 18, in definitione fidei haec habet: *Quemadmodum enim sanctissima atque immaculata animata eius caro deificata non est peremta... ita et humana voluntas deificata non est peremta.* Ergo humanitas Christi est deificata, et quidem modo singulari et ipsi proprio, quatenus scilicet ipsa natura divina mediante personalitate Verbi cui identificatur, seipsam communicat humanitati: in hoc sensu humanitas Christi deificatur, id est per divinitatem sanctificatur; nam deificari est formaliter sanctificari ita ut operationes Christi ut hominis sint operationes divinae, et sanctitas Christi ut hominis sit sanctitas divina.

3. *Ratione theologica* ita sanctitas Christi substantialis probari solet: Sanctificari substantialiter est habere esse divinum sibi substantialiter unitum: atqui Christi humanitas per unionem hypostaticam habet esse divinum sibi substantialiter unitum, quia Verbum divinum seipsum formaliter ac substantialiter communicavit humanitati suae hoc ipso, quod ei personaliter unitum est: ergo humanitas Christi per gratiam unionis hypostaticae substantialiter fuit sanctificata. Alii brevius ita argumentantur: In Christo humanitas hypostatice coniuncta erat divinitati, ob quam unionem Christus est vere Filius Dei naturalis. Ast Filius Dei naturalis nonne sanctus est per essentiam (5)?

Nota 1. Ex tradita doctrina magna difficultas oriri videtur. Nam si dicitur, propter unionem hypostaticam humanitati a Verbo communicatam esse sanctitatem substantialem, divinam et infinitam; eodem modo admittendum erit, eidem humanitati communicatam fuisse immensitatem,

(1) L. 15, de Trin. c. 26. (2) Act. 10, 38.
(3) L. 11, in Ioan. c. 9.
(4) L. 3, de fide c. 3.
(5) V. Mich. Marcell. l. 23, c. 9 concl. 1.

aeternitatem, omnipotentiam etc., quia omnia attributa divina sunt ipsa simplicissima essentia Dei, et ideo unum attributum sine altero communicari non potest. — Ad hanc difficultatem tollendam Theologi cum *Tournely, Th. ex Charm.* et aliis negant consequentiam: nam, aiunt, disparitas est, quod humanitas sit capax recipiendae sanctitatis substantialis, quae nihil aliud est, quam sui unio hypostatica cum Verbo; e contra immensitatis et aeternitatis recipiendae est incapax: cum enim humanitas illa sit finita et limitata, tum in entitate, tum in duratione, habet ex natura sua repugnantiam, ut sit infinita, immensa et aeterna. — Sed in hac responsione solvitur quidem obiectio ex parte humanitatis, quae sanctitatis, non autem immensitatis et aeternitatis capax dicitur, sed non tollitur difficultas ex parte divinorum attributorum, quorum unum sine altero non potest communicari. Aliter ergo respondendum esse videtur. Et certe difficultas optime tollitur, si doctrina catholica rite perpendatur. Haec enim docet, etiam post unionem duas naturas in Christo impermixtas et inconfusas permansisse: ergo natura divina ex omni parte infinita, natura humana ex omni parte finita mansit. Idcirco etiam substantialis, divina et infinita sanctitas humanitati Christi non in abstracto tribuitur, sed in concreto, nimirum ratione Verbi, cui hypostatice unita est, quod etiam ex allatis argumentis elucet. Operationes ergo Christi, etiam quae fiebant in natura humana, erant divinae, et infinite sanctae, sed non ratione humanitatis, in qua perficiebantur, sed ratione personae divinae, quae per naturam humanam operabatur. Sanctitas ergo, quam Theologi *substantialem* vocant, et quae certe divina et infinita est, est ipsa sanctitas Verbi incarnati, Dei hominis seu personae divinae, in utraque natura operantis. *S. Thomas* sanctitatem Christi ut hominis considerati accurate distinguit a sanctitate eiusdem substantiali, divina et infinita: nam (1) postquam dixit hominem per gratiam habitualem coniungi Deo secundum affectum, et ideo fieri ipsi gratum, addit: « Alia vero est coniunctio hominis ad Deum, non solum per affectum aut inhabitationem, sed etiam per unitatem hypostasis.... Et haec.... est propria Iesu Christi.... et gratissimum Deo facit, ita quod de ipso singulariter dicatur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* » Hinc angelicus Doctor in 3, quaestione septima, quam inscribit, *De gratia Christi, prout est quidam singularis homo*, non agit de gratia unionis nec de sanctitate Christi substantiali, sed alias quaestiones pertractat, quae proprie ad naturam Christi humanam, seu ad sanctitatem Christi ut hominis considerati pertinent. De his quaestionibus in praesenti articulo quaedam disserenda sunt.

Nota 2. Sanctitas humana per gratiam divinam obtinetur, quae efficit, ut homo peccatum fugiat, et virtutes exerceat. Quaeri ergo potest, an anima Christi humana gratia divina praedita fuerit? - an a bono deficere, seu peccare potuerit? an et quas virtutes exercuerit? - Ut his quaestionibus satisfiat agendum est de Christi ut hominis considerati 1) *gratia*, 2) *impeccabilitate*, et 3) *virtutibus*.

. De gratia Christi ut hominis considerati.

§ 330. Ad sanctitatem hominis maxime requiritur *gratia habitualis, seu sanctificans*, quae est donum Dei homini inhaerens, eumque iustum,

(1) Opusc. 2, cap. 214.

sanctum, Dei filium et aeternae gloriae haeredem constituens. Quidam negarunt, in Christo adfuisse gratiam habitualem, quam existimarunt omnino superfluam illi, qui per gratiam unionis excellentissimo modo sanctificatus erat. Quomodo autem non obstante unione hypostatica, in natura Christi humana gratia habitualis esse potuit et debuit, explicat *S. Thomas*, (1) dicens: « Christus est verus Deus secundum personam et naturam divinam. Sed quia cum unitate personae remanet distinctio naturarum, – anima Christi non est per suam essentiam divina. Unde oportet, quod fiat divina per participationem, quae est secundum gratiam. » Et ibid. (2) ait: « Similiter etiam in quantum (Christus) est Verbum Dei, habuit facultatem omnia bene operandi operatione divina. Sed quia praeter operationem divinam oportet poni in eo operationem humanam, oportuit, in eo esse habitualem gratiam, per quam huiusmodi operatio in eo esset perfecta. » Nam addit (3): « Humanitas Christi est instrumentum divinitatis, non quidem sicut instrumentum inanimatum, quod nullo modo agit, sed solum agitur, sed tamquam instrumentum anima rationali animatum, quod ita agitur quod etiam agit. Et ideo ad convenientiam actionis oportuit eum habere gratiam habitualem. » Cum *S. Thoma* communi consensu Theologi docent, Christum a primo instanti conceptionis gratiam habitualem, imo plenitudinem gratiae habuisse. Haec doctrina *ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus*, et *ex rationibus theologicis* probari potest.

1. *In S. Scriptura* Is. XI, 2 de Messia praedictum fuit: *Requiescet super eum Spiritus Domini:* at Spiritus sanctus dicitur habitare in hominibus per gratiam habitualem (4); ergo per eandem habitavit in Christo, et quidem a primo ortu, ut innuitur v. 1; plenitudo autem gratiae indicatur per septem, quae indicantur Spiritus sancti dona. Is. LXI, 1 Messias dicit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*, quem locum Christus de se explicat (5); Per hanc autem Spiritus sancti unctionem Ss. Patres intelligunt plenitudinem gratiae animae Christi concessam (6). Io. I, 14 legitur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis*: expressis ergo verbis Christus *plenus gratia* dicitur, et haec plenitudo ex eo petitur, quia est Unigenitus Patris: talis autem fuit a primo instanti conceptionis. Apostoli ad Deum orantes Christum nominant *Sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti* (7). Petrus praedicat *Iesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute* (8). Per unctionem vero gratiam habitualem intelligi, patet ex I Io. II, 20, ubi ad Christianos in fide et charitate permanentes dicitur: *Vos unctionem habetis a Sancto.* Paulus scribit: *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiae* (9); ad sapientiam vero, quae ad Deum ut ultimum finem tendit, et cum eo unitur, gratia habitualis requiritur: huius ergo thesauri omnes Christo adscribuntur: et idem Apostolus ait: *in ipso* (Christo) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (10); id est, sicut Christus est essentialiter Deus ita in ipso inhabitat plenitudo gratiarum divinarum, quas ut homo possidet, et ut caput in membra sua diffundit, unde v. 10 ait: *Et*

(1) 3, q. 7, a. 1, ad 1. (2) Ad 2.
(3) Ibid. ad 3.
(4) 1 Cor. 3, 16; 2 Tim. 1, 14.
(5) Luc. 4, 18.
(6) V. Petav. de Inc. l. 11, c. 8
(7) Act. 4, 27. (8) Act. 10, 38.
(9) Col. 2, 3.
(10) Ibid. v. 9.

estis repleti in illo, qui est caput etc.

2. *Ss. Patres* gratiam habitualem, imo plenitudinem gratiae Christo ut homini adscribunt. *S. Athanasius* (1) in illa verba: *Et pro eis sanctifico meipsum* (2), ait: « Quinam fit hoc? - quomodo istud dicit: Ego, qui Patris sum Verbum, ipse mihi homini facto Spiritum tribuo, et meipsum factum hominem in illo sanctifico. » *S. Ambrosius* (3) inquit: « Ita etiam de Spiritu sancto Pater se dicit effundere super omnem carnem. Non enim totum effundit, sed quod effudit, omnibus abundavit. Supra nos ergo effusum est de Spiritu. At vero super Dominum Iesum cum in forma esset hominis manebat Spiritus, sicut scriptum est: *Super quem videris Spiritum descendentem de coelo, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Circa nos ex afluenti commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet in aeternum Spiritus plenitudo. » *S. Crysostomus* (4) in illa verba: *Diffusa est gratia in labiis tuis* ita disserit: « Gratiam eam intelligit, quae in carnem venit: *Super quem*, inquit, *videris Spiritum descendentem sicut columbam*, et *manentem super eum* etc. Omnis enim gratia effusa est in templum illud. Non enim in mensura dat illi Spiritum. Quippe nos de plenitudine eius accepimus: at illud templum totam gratiam accepit. » Subiicit Isaiae locum in quo dicitur, requievisse super illum Spiritum sapientiae etc. et pergit: « Verum illi quidem integra est, totaque gratia: in hominibus vero pusillum aliquid, et tanquam stilla gratiae illius. Propterea non dixit: Do Spiritum meum, sed *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (5). — « *S. Augustinus* (6) in illa verba: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, subiungit: « Christus qui dat, non ad mensuram accipit. » Et lib. 15. de Trin. (7) scribit: « Dominus ipse Iesus non solum Spiritum sanctum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo: et propterea est plenus gratiae, quia unxit eum Deus Spiritu sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiae, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia; » et statim subiungit, hanc unctionem esse peractam, et plenitudinem gratiae incepisse, quando Verbum caro factum est, nempe in ipsa Christi conceptione. *S. Cyrillus Alex.* (8) in verba Christi, *Sanctifico meipsum*, inquit: « Natura cum sit Sanctus tanquam Deus, sanctificabatur nobiscum tanquam homo, templum proprium inungens Spiritu sancto. » Et (9) in eadem verba scribit: « Sanctificatur propter nos in Spiritu sancto non eum sanctificante altero quopiam, sed ipsamet sanctificationem propriae carnis operante. Recipit enim Spiritum suum; et accipit quidem quatenus est homo; sibi vero dat tanquam Deus. » *Theodoretus* locum Is. XI, 2 de Christo exponens, ait: « In ipso habitavit tota plenitudo divinitatis corporaliter, et secundum humanitatem omnia Spiritus charismata. » *S. Fulgentius* (10) de Christo dicit: « In forma Dei manens Spiritum dat, formam servi accipiens, Spiritum accipit; sed quia ipse ad mensuram dat, ideo non ad mensuram accipit. Ad mensuram quippe dat multis filiis, sed non ad mensuram accipit unicus Filius, quia sic est verus homo, ut sit verus Deus... Illi homini singulariter non ad mensuram,

(1) L. 2, c. Arian. (2) Io. 17.
(3) L. 1 de Spiritu S. c. 7.
(4) Hom. in Ps. 44. (5) Ioël. 2, 8.
(6) Tract. 14, in Io. (7) C. 26.
(8) Dial. 6, de Trinit. (9) L. 11, in Ioan.
(10) In Resp. ad quaest. 3, Ferrandi.

sed omnem plenitudinem inesse dicimus. »

3. *Rationes theologicas* affert *S. Thomas* (1) dicens: « Necesse est in Christo ponere gratiam habitualem propter tria. Primo quidem, propter unionem animae illius ad Verbum Dei. Quanto enim aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia ipsius. Influxus autem gratiae est a Deo secundum illud: *Gratiam et gloriam dabit Dominus* (2). Et ideo maxime fuit conveniens, ut anima illa reciperet influxum divinae gratiae. Secundo, propter nobilitatem illius animae, cuius operationes oportebat propinquissime attingere ad Deum per cognitionem et amorem: ad quod necesse est elevari rationalem creaturam per gratiam. Tertio, propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum. Christus enim in quantum homo est *mediator Dei et hominum*, ut dicitur I Tim. II, et ideo oportebat, quod haberet gratiam etiam in alios redundantem secundum illud: *De plenitudine eius omnes accepimus, et gratiam pro gratia* » (3).

Nota 1. Ex tradita doctrina sequentia corollaria recte deducuntur. — *a*) Si in Christo fuit plenitudo gratiae, habuit ergo ipse etiam *gratiam actualem*, non quidem excitantem, sed cooperantem. Gratia quippe excitans dicitur, quae hominem quasi sopitum excitat ad bonum operandum: at tali gratia non indiguit Christus, ad optima semper vigil et erectus, nullaque difficultate, obice nullo retardatus. Gratia cooperans est ipsamet Dei nobiscum operantis actio seu concursus, qui ad quamcumque creatam actionem semper necessarius est ob essentialem, et necessariam dependentiam creaturae a Creatore: hinc natura humana Christi, non obstante gratia unionis et habituali, egebat insuper gratiis actualibus adiuvantibus, quibus homines egent ad actus supernaturales eliciendos. Unde *S. Augustinus* (4) scribit: « Sicut in capite sunt omnes sensus, ita et in Christo sunt omnes gratiae. » — *b*) In Christo fuerunt *omnia dona Spiritus sancti*. Nam expresse legitur: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae, et intellectus, Spiritus consilii, et fortitudinis, Spiritus scientiae, et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini* (5). Neque obstat dictum Apostoli: *Perfecta charitas foras mittit timorem* (6); hoc enim de timore servili ex metu poenarum concepto intelligendum est: sed, ait *S. Thomas* (7): « In Christo fuit timor Dei non quidem secundum quod respicit malum separationis a Deo per culpam, neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa, sed secundum quod respicit ipsam divinam eminentiam, prout scilicet anima Christi quodam affectu reverentiae movebatur in Deum a Spiritu sancto acta. Unde dicitur, quod in omnibus *exauditus est pro sua reverentia* (8). Hunc enim affectum reverentiae ad Deum, Christus secundum quod homo, prae caeteris habuit pleniorem. Et ideo ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini. » — Etiam in S. Scriptura N. T. Christo dona Spiritus sancti attribuuntur. Nam, ait *S. Thomas* (9): « Dona sunt proprie perfectiones quaedam potentiarum animae secundum quod sunt natae moveri a Spiritu sancto. — Manifestum

(1) 3, q. 7 in O. (2) Ps. 83, 12. (3) Io. 1, 16. (4) Epist. 187 (al. 57) ad Dardanum. (5) Is. 11, 2. (6) 1 Io. 4, 18. (7) 3, q. 7, a. 6. (8) Hebr. 5, 7. (9) Ib. a. 5.

est autem, quod anima Christi perfectissime a Spiritu sancto movebatur secundum illud : *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane, et agebatur a Spiritu in desertum* (1). Unde manifestum est, quod in Christo fuerunt excellentissime dona. » — *c*) *Gratiae gratis datae* dicuntur illae, quae ad utilitatem et salutem aliorum conferuntur. Istae hominibus, ad aliorum instructionem, et aedificationem destinatis ex parte concedi solent; nam legitur: *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum* (2). Istae autem omnes gratiae gratis datae in Christo fuerunt. Nam, ait *S. Thomas* (3): « Spiritualis doctrinae et fidei primus et principalis doctor est Christus secundum Hebr. II, 3. Unde manifestum est, quod in Christo excellentissime fuerunt omnes gratiae gratis datae sicut in primo et principali fidei doctore. » Et iam *S. Augustinus* (4) inquit: « Mensura divisio quaedam donorum est. Alii enim datur per Spiritum sermo sapientiae; alii sermo scientiae. Sed Christus, qui dat, non ad mensuram accepit. » Ideo *S. Gregorius M.* (5) scribit: « Quantalibet Sancti claritate fulgeant, aliud est, homines sapientes esse in Deo, atque aliud esse hominem sapientiam Dei: Quam profecto sapientiam ille veraciter agnoscit, qui mediatori Dei et hominum aliquem comparare Sanctorum non praesumit. » Et sane; si recte perpendantur, quae de scientia Christi (art. praec.) et de eius miraculis (Th. gen., § 127 et seq.), ac vaticiniis (ib., § 136 et seq.) dicta sunt, et in sequenti Sectione de muneribus Christi dicenda erunt; facile patebit, Christum excellentissimo, et incomparabili modo Spiritus sancti charismatibus praeditum fuisse, quamvis ea tantum iuxta infinitae sapientiae consilia manifestaverit.

Nota 2. Quaestio mota est, an haec plenitudo gratiae, quae ponitur in Christo, significet gratiam infinitam? — *S. Thomas* negative respondet (6), dicens: « Omne creatum est finitum secundum illud: *Omnia in numero, et pondere, et mensura disposuisti* (7); ergo gratia Christi non est infinita. » Ad maiorem autem quaestionis dilucidationem ita disserit: « In Christo potest duplex gratia considerari. Una quidem est gratia unionis, quae est ipsum uniri personaliter Filio Dei, quod est gratis concessum humanae naturae, et hanc gratiam constat esse infinitam secundum quod ipsa persona Verbi est infinita. Alia vero gratia habitualis, quae quidem potest dupliciter considerari. Uno modo secundum quod est quoddam ens; et sic necesse est, quod sit ens finitum: est enim in anima Christi sicut in subiecto; anima autem Christi est creatura quaedam habens capacitatem finitam: unde esse gratiae, cum non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum. Alio modo potest considerari secundum propriam rationem gratiae (idest quatenus ad sanctificationem ordinatur): et sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur, quia scilicet habet, quidquid potest pertinere ad ratio-

(1) Luc. 4, 1. (2) 1 Cor. 12, 7 etc.
(3) Ib. a. 7. (4) Tract. 14 in Ioan.
(5) L. 18 Mor. c. 27 (al. 13).
(6) Ibid. art. 11. (7) Sap. 11, 21.

nem gratiae, et non datur ei secundum certam aliquam mensuram id, quod ad rationem gratiae pertinet; eoquod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animae Christi sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura, secundum illud: *Gratificavit nos in dilecto Filio suo* (1): sicut si dicamus, lucem solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere potest. » Quamvis autem gratia animae Christi non fuerit infinita, ut mox explicatum est, docet tamen S. *Thomas* (2), eam non potuisse augeri, neque ex parte ipsius gratiae, neque ex parte subiecti eandem recipientis. Non ex parte ipsius gratiae; cum enim finis gratiae sit unio creaturae rationalis ad Deum, non possit autem esse, aut intelligi maior unio creaturae rationalis ad Deum, quam quae est in persona; ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiae. Neque augeri potest ex parte subiecti, quia Christus secundum quod homo a primo instanti suae conceptionis fuit verus et plenus comprehensor; unde non potuit in eo esse gratiae augmentum, sicut nec in aliis beatis, quorum gratia augeri non potest, quia sunt in termino. — Legitur quidem quod *puer Iesus proficiebat... gratia apud Deum, et hominis* (3). Sed ait S. *Thomas* (4): «In sapientia et gratia aliquis potest proficere dupliciter. Uno modo secundum ipsos habitus sapientiae, et gratiae augmentatos: et sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundum effectus, in quantum scilicet aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit: et sic Christus proficiebat sapientia et gratia, sicut et aetate; quia, secundum processum aetatis, perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret et in his quae sunt ad Deum, et in his quae sunt ad homines. »

(1) Ephes. 2, 6, (2) Art. 12.
(3) Luc. 2, 52. (4) L. c. ad 3.

II. *De impeccabilitate Christi.*

§ 331. Iesum Christum, quamvis naturam humanam susceperit, a peccato tamen originali penitus immunem fuisse, iam § 225 probatum est. Ast tum S. Scripturae, tum Ss. Patrum testimonia ibi citata generatim omne peccatum a Christo removent: iisdem ergo etiam probatur, Christum etiam ab omni peccato actuali omnino alienum fuisse. Ideo Christus infensissimos sibi adversarios fidenter provocare potuit, dicendo: *Quis ex vobis arguet me de peccato* (5)? — Ideo discipulis suis dixit: *Venit princeps mundi huius, et in me non habet quidquam* (6); id est, in me non est peccatum; tanto enim plus, vel minus in aliquo diabolus habet quidquam, quanto plus, vel minus aliquis est peccator. Ideo coram Iudaeis publice contestatus est: *Ego quae placita sunt ei* (Patri) *facio semper* (7). — Ideo denique Christus per excellentiam: *Sanctus Sanctorum* vel *Sanctitas sanctitatum* (8), *Sanctum* (9), *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* (10), nuncupatur. Divina ergo Revelatio docet, Christum sicuti a labe originali, ita etiam ab omni vel levissimo peccato actuali penitus immunem fuisse. Imo eadem Revelatio nos credere iubet, Christum ut hominem non solum nunquam peccasse, sed ne potuisse quidem peccare, atque iam, dum vitam terrestrem agebat, impeccabilem fuisse. Veritas haec catholica, quae iam

(5) Io. 8, 46. (6) Io. 14, 30. (7) Io. 8, 29.
(8) Dan. 9. (9) Luc. 2, 35. (10) Hebr. 7, 26.

ex doctrina S. Scripturae recte infertur, *ex constanti Ecclesiae traditione, et ex rationibus theologicis* confirmatur.

1. *Ss. Patres* Christum ut hominem non solum ab omni peccato actuali immunem, sed etiam a potestate peccandi alienum profitentur. Hanc impeccantiam Christi secundum humanitatem ex ipsa unione hypostatica repetunt; *Tertullianus* (1) ait: « Solus homo sine peccato Christus, quia et Deus Christus. » *S. Iustinus M.* (2) Christum nominat iustissimum, solum immaculatum, et a peccato immunem. *S. Hippolytus M.* (3) inquit: « Arca ex lignis, quae putrescere non poterant, erat ipse Salvator... Nam, qui peccavit, confitetur, et dicit: *Putruerunt, et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae:* Dominus autem a peccato alienus erat. » *Origenes* (4) dicit: « Tota anima Christi totum (Verbum) recipiens, atque in eius lucem splendoremque cedens, facta est cum ipso principaliter unus spiritus. » — Quod illustrat duplici comparatione, ferri candentis, quod frigus capere, quamdiu candens est, non potest. « Hoc modo, inquit, illa anima (Christi), quae quasi ferrum in igne sic semper in Verbo, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est; et ideo nec convertibilis et mutabilis dici potest. » Altera similitudo est vasis, quod suave continens unguentum nihil foetidum redolere potest. — « Sicut, ait, vas ipsum, quod substantiam continet, et unguentum, nullo genere potest aliquid recipere foetoris..... ita Christus velut vas ipsum, in quo erat unguenti substantia, impossibile fuit, ut contrarium reciperet odorem. » — *S. Athanasius* (5) Catholicos omnes iubet: « profiteri Deum apparuisse in carne, nec non iustitiam, quam Dominus habuit in spiritu, hoc est non humana mutatione, sed divina puritate. Impossibile enim erat alio modo integritatem et impeccantiam in humanam recipi naturam, nisi Deus in carne crederetur esse, qui peccati expertem iustitiam in mundo invexit, cuius participes facti salutem adipiscimur. Quod enim scriptum est: *Non est iustus super terram, qui faciat bonum et non peccet* (6): commune est utique omnibus hominibus. Ideo de coelo descendit, qui illibatam iustitiam ex se ipso donaret, Verbum scilicet. » *S. Basilius* (7) scribit, naturales quidem affectiones Christum assumpsisse, « quae autem ex peccato existunt passiones, quibus vitae nostrae integritas inficitur, eas tanquam divinitate indignas repudiasse. Ideo scriptum esse ab Apostolo, in similitudine carnis peccati natum esse Christum. » Idem (8) « compactam ex sanctitate carnem esse Christi, » asseverat. *S. Hilarius* (9) ita de Christo loquitur: « Non fuit habitus ille tantum hominis, neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati; dum et habitus carnis in nativitatis est veritate, et similitudo carnis peccati a vitiis humanae carnis aliena est. » — *S. Ambrosius* (10) ita disserit: « Quaero igitur qua ratione animam putent quidam a Domino Iesu non esse susceptam? An quia metus est, ne sensu Christus laberetur humano? .... Tantum abest, ut Christum Apostolus putaverit lege carnis in peccati vincula esse deducendum, ut ipse in aestu positus fragilitatis humanae per

(1) Lib. de anima c. 13.
(2) Dial. cum Thriph. n. 110.
(3) Apud Theodoretum Dial. 1.
(4) L. 2 de princip. c. 2.
(5) L. de Incarn. Verbi Dei n. 17. etc.
(6) 2 Paral. 6, 36. (7) Epist. 65.
(8) Hom. 25. (9) Lib 10 de Trin.
(10) L. de Incarn. c. 7, n. 64 etc.

Christum sibi subveniri posse crediderit... Qui ergo alios a carnis lubrico vindicabat, numquid formidare poterat, ne etiam ipse dominatu quodam carnis istius vinceretur?... Quomodo lubricum poterat timere peccati, qui peccatum remissurus advenerat? » Et in eodem capite expresse dicit: « Anima Christi est incapax peccati, quia per unionem facta est impeccabilis. » Idem (1) inquit: « Nemo sine peccato nisi unus Deus. Si igitur non potest non esse Deus, qui Dei Filius est, utique Dei Filius arbiter iustitiae est, non obnoxius culpae. » *S. Augustinus* (2) sic loquitur: « Neque metuendum est, ne isto ineffabili modo in unitatem personae a Verbo Deo natura humana suscepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ista susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita suscepta nullum in se motum malae voluntatis admitteret. » Et in Enchir. (3) ait: « per eandem gratiam iustificari homines a peccatis, per quam factum est, ut homo Christus nullum habere posset peccatum. » *S. Cyrillus Alex.* (4) dicit: « Stolidi ac dementes prorsus sunt, qui ipsum etiam Christum nescio quo pacto peccare posse affirmant eam ob causam, quod in eadem atque nos specie fuerit versatus. » Idem (5) exponens verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato* (6)? quae utique a Christo ut homine pronunciabantur, hanc istius impeccantiae causam affert: « quod prorsus fieri nequeat, ut in peccatum incidat, qui ex Deo prodiit Deus verus. » *S. Leo M.* (7) dicit: « Non enim superare nos possemus peccati, et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet, et suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. » *S. Fulgentius* (8) inquit: « Deitas non potest superari; propterea utique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personae divinitas accepit, quae naturaliter peccare non novit. » *S. Agatho* R. P. (9) ita loquitur: « Duas naturas (Christi) praedicamus, et unamquamque proprietates naturales habere confitemur: divinam omnia, quae divina; humanam omnia, quae humana sunt, et absque ullo peccato. » Idem *Concilium gen. VI*, act. 18, definivit, duas esse in Christo naturales voluntates, *non contrarias, absit, iuxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem eius humanam voluntatem, et non resistentem, vel reluctantem, sed potius et subiectam divinae eius, et omnipotenti voluntati;* quibus verbis immunitas Christi a quocunque peccato actuali satis clare pronunciata est. Imo iam *Concilium Ephesinum*, can. 10, de Christo dixit: *Non eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit.*

2. *Ratio theologica* primaria, per quam impeccabilitas Christi probatur, ex unione hypostatica naturae humanae cum Verbo est petenda. Licet enim duae sint in Christo naturae, unica tamen est persona, eaque divina, cui utriusque naturae operationes adscribendae sunt (§ 308). Quamobrem si supponi posset humanitatem Christi peccare, peccatum istud imputandum foret ipsi divinitati, seu personae Verbi: ast absolute impossibile est, in personam divinam cadere peccatum: ergo etiam secun-

(1) Apol. 2 in David, c. 4.
(2) L. de corrept. et grat. c. 11.
(3) C. 36. (4) L. contra Antropomorphitas cap. 26. (5) L 6 comment. in Ioan
(6) Io. 8, 46. (7) In Epistola ad Flavian. approbata in Concilio Chalcedonensi.
(8) L. 3 ad Trasim. c. 29.
(9) In Epist. dogmatica in Concilio generali sexto approbata.

dum naturam humanam Christus peccare non potuit. Hac argumentatione iam Ss. Patres impeccantiam Christi probasse, patet ex eorundem testimoniis allatis. Eodem modo plerique Theologi contra *Durandum* et *Scotistas* defendunt, impeccantiam in Christo praecise ex hypostatica naturae humanae cum Verbo unione oriri. — Sed tamen negari non potest, quod etiam aliae rationes theologicae secundariae afferri possint ad Christi impeccabilitatem confirmandam. Christus enim sicuti a peccato originali immunis, ita etiam neque ignorantiae, neque concupiscentiae, seu fomiti peccati obnoxius fuit, ac ideo nullatenus ut caeteri homines per naturam corruptam ad peccandum alliciebatur. Ex hac ratione iam *S. Ambrosius* impeccantiam Christi probavit (1), de Christo scribens: « Nihil enim carnis suae habebat adversum; non discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluptatum; sensus corporei vigebant sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine deitatis, et mentis nec tentabatur illecebris, nec cedebat in vitiis. » His accedit plenitudo gratiae tum habitualis, tum actualis, ad omne peccatum longissime removendum, et ad perfectissimam sanctitatem promovendam ordinata. Hinc *S. Bernardus* (2), exponens illa verba, *quod nascetur ex te Sanctum* etc., dicit: « Procul dubio ac singulariter *Sanctum* fuit et per Spiritus sanctificationem, et per Verbi assumptionem. » Denique cum *Scoto* impeccabilitas Christi recte etiam probatur ex visione beatifica, qua eius anima a primo instanti conceptionis donata fuit; ex eadem enim visione beatifica etiam Angeli et Beati impeccabiles redduntur.

Nota. Quicunque Christum verum Deum esse crediderunt, eiusdem etiam impeccantiam professi sunt. Monothelitae ipsam humanam voluntatem Christo denegandam esse putaverunt, ne peccato, aut peccandi periculo obnoxius dicendus esset. Catholici autem doctrinae Revelationis insistentes Christo humanam quoque voluntatem attribuerunt, sed divinae perfecte subiectam et conformem, ita ut a bono deficere, seu peccare non possit (§ 283). — Teste tamen *Bellarmino* (3), Christo peccatum aliquod imputare non erubuit *Calvinus*, qui (4), exponens verba: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?* innuit verba haec fuisse animi dejecti, impatientis et quasi desperantis. Sed tale quid asserere, maximae impietatis est. Praedicta enim verba non sunt hominis impatientis, aut desperantis, sed hominis doloris sui acerbitatem indicantis, ac suae humanitatis veritatem demonstrantis, ut observant *S. Epiphanius* (5), *S. Cyrillus Alex.* (6) et alii. Et certe quomodo desperasset Christus, qui intuitiva Dei visione fruebatur, qui de resurrectione certus erat, qui Deo Patri dicebat: *In manus tuas commendo Spiritum meum:* haec verba clare ostendunt, animam Christi morientis cum Deo Patre perfectissima charitate coniunctam fuisse. Ergo etiam priora verba non ex impatientia, sed eum in finem prolata fuerunt, ut a nobis vehementissimi dolores interni cognoscerentur, quos anima Christi ob peccata hominum, ob derelictionem synagogae, ob multorum perditionem etc., sustinuit: simili modo divinus Redemptor moriens arden-

(1) Epist. ad Hieron. in Mai. 7, 1, 160.
(2) Hom. 4 in *Missus est.*
(3) L. 4 de anima Christi c. 4.
(4) L. 2 Instit. c. 16, n. 11 et 12.
(5) Haer. 69 n. 64. (6) L. 1 ad Regin.

tem quoque sitim, quae oculis corporeis conspici non poterat, per aliud verbum manifestavit. — Reliquae difficultates, quae moveri solent, aut parvi momenti, aut iam alibi solutae sunt, aut in aliis tractatibus aptius solventur.

III. *De virtutibus Christi.*

§ 332. Virtus a *S. Augustino* (1) et a *S. Thoma* (2) definitur bona qualitas mentis, qua recte vivitur. Aliae sunt virtutes *theologicae*, quae pro immediato obiecto Deum habent; et aliae sunt *morales*, quae mores hominum iuxta rectam rationem componunt. Virtutes porro sunt aut *infusae*, quae per ipsam gratiam habitualem animae inseruntur, aut *acquisitae*, quae, adiuvante gratia, per propriam hominis operationem producuntur. Ex his facile cognoscitur, virtutes eo maiorem perfectionem obtinere, quo ampliores sunt gratiae, quae homini conceduntur, quo minora sunt obstacula, quae gratia in anima invenit, et quo promptius, diligentius atque constantius homo gratiae cooperatur. — Ex hoc principio sponte fluit, virtutes Christi ut hominis considerati perfectissimas et excellentissimas fuisse, et incomparabili modo omnes tum Angelorum, tum hominum virtutes superasse. Amplissimam enim gratiam Christo ut homini concessam fuisse, iam (§ 330) probatum est. Hinc *S. Thomas* 3, q. 7, art. 2 dicit: « Sicut gratia respicit essentiam animae, ita virtus respicit potentiam eius (3). Unde oportet quod sicut potentiae animae derivantur ab eius essentia, ita virtutes sint quaedam derivationes gratiae. Quanto autem aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus. Unde cum gratia Christi fuerit perfectissima, consequens est, quod ex ipsa processerint virtutes, ad perficiendum singulas potentias animae quantum ad omnes animae actus; et ita Christus habuit omnes virtutes. » Neque enim gratia vel levissimum quoddam obstaculum in illo invenire potuit, qui uti a peccato originali, ita ab ignorantia et concupiscentia penitus immunis fuit, atque perspicacissimo intellectu et perfectissima voluntate praeditus a bono deficere nulla ex parte potuit. Recte idcirco Theologi omnes virtutes Christo in summo gradu adscribunt, atque illarum excellentiam a lingua creata nunquam satis enarrari posse fatentur. Suam tamen propositionem ita proferre ac simul limitare solent: Christus ut homo habuit a primo conceptionis instanti perfectissimo et excellentissimo modo omnes theologicas et morales, infusas et acquisitas virtutes, quarum actus repugnantiam non habent cum statu unionis hypostaticae et visionis beatificae. Et haec ipsa limitatio aliqua declaratione indiget, quam *S. Thomas* in citata quaestione suppeditat.

1. Inter virtutes theologicas prima est *Fides*, quae dicitur: *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (4). Fidei ergo obiecta sunt veritates, quae clare non videntur, sed propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem pleno assensu ut certae habentur. Exinde patet, in Christo etiam ut homine considerato fidem locum non habuisse. Nam, ait *S. Thomas* ib. (5): « Christus a primo instanti suae conceptionis plene vidit Deum per essentiam (et per hanc visionem beatificam etiam omnia supernaturalia clarissime perspexit). Unde in eo fides esse non potuit. »

(1) L. 4, c. Iulian. c. 8. (2) 1 2, q. 55, a. 4. (3) Cf. 1 2, q. 111, a. 3, 4.

(4) Hebr. 11, 1. (5) Art. 3.

Quodsi de Messia dicitur: *Erit - fides cinctorium renum eius* (1), iuxta *S. Hieronymum* in his verbis fides credentium intelligitur; iuxta alios autem, quibus consonat Versio LXX, fides pro *veritate* accipitur, ut ostendatur, Messiam omnes veritates clarissime cognoscere et infallibiliter docere. — Similiter Christo in sensu stricto non potest attribui *Spes*, quia haec virtus theologica versatur circa res futuras et nondum possessas. Nam Rom. VIII, 24 legitur: *Spes quae videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem, quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Christus autem ea, quae nos speramus, per visionem beatificam possedit, et ideo haec sperasse dicendus non est. Qua de re *S. Thomas* ib. (2) ita disserit: « Spes, in quantum est virtus theologica, habet pro obiecto ipsum Deum, cuius fruitionem homo principaliter expectat per spei virtutem, sed ex consequenti ille, qui habet virtutem spei, potest etiam in aliis divinum auxilium expectare; sicut et ille, qui habet virtutem fidei, non solum credit Deo de rebus divinis, sed etiam de quibuscunque aliis divinitus sibi revelatis. Christus autem a principio suae conceptionis plene habuit fruitionem divinam, et ideo virtutem spei non habuit: habuit tamen spem respectu aliquorum, quae nondum erat adeptus, licet non habuerit fidem respectu quorumcunque; quia licet plene cognosceret omnia, per quod totaliter fides excludebatur ab eo; non tamen adhuc plene habebat omnia, quae ad eius perfectionem pertinebant, puta immortalitatem et gloriam corporis, quam poterat sperare. » — Volunt tamen nonnulli Theologi, *S. Thomam* hic de actu spei large sumpto pro simplici desiderio intelligendum esse (3). — Charitas autem in Christo perfectissima semper et summa fuit. Sicuti enim in Beatis fides et spes cessant, dum Deum vident et possident, sed *charitas nunquam excidit* (4); imo per ipsam visionem beatificam maxime perficitur: ita anima Christi visione beatifica praedita, et amplissima gratia repleta charitatem in perfectissimo et summo gradu habuit. Hanc Christus ipse sibi attribuit, dicens: *Diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (5); et: *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (6): charitatis huius testimoniis plena sunt Evangelia, tum illius, quae circa Deum est, tum eius, quae respicit homines propter Deum; et haec praecipue ex opere Redemptionis elucebit, de quo in proxima sectione sermo erit. Recte etiam Theologi observant, charitatem Christi ut hominis considerati charitatem omnium Angelorum et hominum longissime superare. Cl. *Antoine* (7) scribit: « Actus amoris a Christo ut homine eliciti longe, imo prope infinite superant intensione omnes actus amoris omnium hominum et Angelorum simul sumptos: nam Christus ut homo semper operatus est, quam intensissime potuit. »

2. In Christo fuerunt etiam omnes virtutes morales per se infusae, ipsi non repugnantes. Cum enim istae sint proprietates gratiae, necessario reperiuntur in eo subiecto, in quo est gratia: sed in Christo fuit plenitudo gratiae: ergo etiam omnis generis virtutes infusae modo perfectissimo et excel-

(1) Isa. 2, 5. (2) Art. 4.
(3) Contenson, Diss. 5, c. 1 Spec. 1. Billuart, Diss. 8, a. 3. (4) 1 Cor. 13, 8.
(5) Io. 14, 31. (6) Io. 13, 1.
(7) De Incarn. c 6, a. 2, § 2.

lentissimo in ipso fuerunt. Ast perfectissimae, quae Christo inerant, virtutes vere etiam propriis actibus acquisitae fuerunt. Christus enim ut perfectus homo liberi quoque arbitrii vires, et quidem integerrimas, habuit, quas plenitudini gratiae fidelissime cooperans in toto vitae suae tempore cum ineffabili solertia adhibuit ad perfectissimas virtutes exercendas. Et sane virtutes morales eo modo debent admitti in Christo, quo magis ipsum decet, et cum omni perfectione, quae statui beatitudinis et unioni hypostaticae non repugnat: atqui perfectius et nobilius est habere virtutes per proprios actus, quam solum per infusionem, atque id neque unioni hypostaticae, neque statui beatitudinis repugnat, quia natura humana, quamvis Verbo unita, integra tamen et inconfusa mansit, et quia Christus comprehensor quidem, sed simul etiam viator fuit: ergo in Christo virtutes propriis actibus acquisitae admitti debent. Historia quoque evangelica testatur, totam Christi vitam continuum perfectissimarum virtutum exercitium fuisse, et ubique ex ipso insignem prudentiam, tenerrimam devotionem, profundissimam humilitatem, promptissimam obedientiam, invictam animi fortitudinem, mansuetudinem, patientiam caeterasque virtutes morales singulari prorsus modo refulsisse, quod ex iis, quae in sequenti sectione dicenda erunt, clarius patebit. Veruntamen etiam ex virtutibus moralibus quaedam de Christo praedicari non possunt. Sic Christo non potest attribui virtus poenitentiae, quatenus haec est detestatio expiativa et satisfactiva *proprii peccati* cum emendationis proposito coniuncta; quoniam enim Christus non solum ab omni peccato immunis, sed etiam impeccabilis fuit, in ipso poenitentia in sensu declarato locum habere non potuit. Attamen Christus non caruit poenitentia, quatenus eius actus referebantur ad *peccata aliena*, quae vere deflevit, et pro quibus satisfecit, ut postmodum dicetur. — Christo etiam adscribi nequeunt continentia et temperantia, quatenus istae virtutes ad motus concupiscentiae et aliarum inordinatarum passionum reprimendos et coërcendos ordinantur: cum enim in Christo neque concupiscentia, neque alia inordinata passio fuerit, praedictae virtutes in sensu declarato ab ipso exerceri non poterant. Nullatenus autem inde inferri potest, Christum minus caeteris hominibus animi fortitudinem exercuisse. Nam, ait *S. Thomas* (1): « fortitudo spiritus aliqualis ostenditur ex hoc, quod resistit concupiscentiae carnis sibi contrariantis; sed maior fortitudo spiritus ostenditur, si per eius virtutem totaliter caro comprimatur, ne contra spiritum concupiscere possit. Et ideo hoc competebat Christo, cuius spiritus summum fortitudinis gradum attigerat: et licet non sustinuerit impugnationem interiorem ex parte fomitis, sustinuit tamen exteriorem impugnationem ex parte mundi et diaboli, quos superando victoriae coronam promeruit. » Recte etiam Christus perfectissime temperantiam et mortificationem exercuisse dicitur, dum honestis commodis carere voluit, a licitis delectationibus declinavit, famem, sitim et alia pertulit, quae maxime ardua fuerunt.

Nota. Sanctitatem Christi non tantum admirari, sed etiam imitari oportet. Aeternam enim beatitudinem illi consequentur, *quos* Deus *praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (2). Summ' igitur mo

(1) 3, q. 15, a. 2 ad 3. (2) Rom. 8, 30.

menti est, ut ad exemplum Christi peccata cum omni solertia fugiamus et virtutes omnes cum continua sedulitate exerceamus. Perperam nos ab hac imitatione excusamus dicentes, nobis tam copiosas gratias, sicuti Christo, concessas haud esse. Nam *de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia* (1). Et sane per merita Christi gratia habitualis nobis in baptismo infusa est, et quot gratiae actuales nobis continuo conceduntur? his fideliter cooperantes, novasque per fervidam orationem implorantes eo pervenire possumus, ut *secundum eum, qui vocavit* nos *Sanctum et ipsi in omni conversatione sancti* simus: *Quoniam* (2) *scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum* (3).

ARTICULUS III.

De potentia Christi ut hominis considerati.

§ 333. Quod Christus, ut Deus, seu secundum divinitatem sit omnipotens, nullus dubitat, nisi qui ipsam Christi divinitatem negaverit. Omnipotentia enim est attributum divinitatis, quapropter sicuti est verus Deus, ita est etiam omnipotens. Per communicationem idiomatum etiam recte dicitur: *homo est omnipotens;* vel: *natus ex Maria est infinitae virtutis:* nam Christus, Verbum incarnatum, Deus homo, persona divina vere omnipotentiam habet.—Gravissime ergo aberravit *P. Is. Berruyer*, qui in concreto loquens docuit, Christum non propria virtute, sed prece tantum et postulatione miracula patrasse, et in hoc tantum sensu miraculorum effectorem dici posse. Assertio ista aperte contradicit S. Scripturae, in qua Christus ita loquitur: *Quaecunque enim ille* (Pater) *fecerit, haec et Filius similiter facit... Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult vivificat* (4). (Cf. § 83). Eadem contradicit constanti doctrinae Ss. Patrum, qui ex ipsis miraculis Christi ostenderunt, eum omnipotentiam Patri coaequalem habere, et verum Deum esse (§ 89). Quodsi Christus hincinde oculos sursum levavit, ut in multiplicatione panum, aut oravit, ut in resuscitatione Lazari, « non propter necessitatem suffragii, sed propter exemplum hoc fecit, ait *S. Thomas* (5), unde dicit: *propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti.* » Etiam *S. Hilarius* (6) de Christo dicit: « Non prece eguit; pro nobis oravit, ne filius ignoraretur. » *S. Ambrosius* (7) scribit: « Noli insidiatrices aperire aures, ut putes Filium Dei quasi infirmum rogare, ut impetret, quod implere non possit: potestatis enim auctor, obedientiae magister ad praecepta virtutis suo nos informat exemplo. » *S. Chrysostomus* (8) dicit: « Oportebat credi de Christo, quoniam a Patre est, et quod ei aequalis est. Et ideo ut utrumque ostendat, nunc quidem cum potestate, nunc autem orans, miracula facit: et in minoribus quidem respicit in coelum, puta in multiplicatione panum: in maioribus autem, quae sunt solius Dei, cum potestate a se ipso agit: puta quando peccata dimisit, mortuos suscitavit etc. » *S. Augustinus* (9) ait: Christus « se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset, nostrum se esse doctorem. » Penitus ergo reiicienda est Berruierii sententia, quae ex impiis tantum Arianorum, aut Nestorianorum principiis dedu-

(1) Io. 1, 16. (2) Lev. 11, 44.
(3) 1 Petr. 1, 15 etc. (4) Io. 5, 19 etc.
(5) 3, q. 43, a. 2 ad 2.
(6) L. 10 de Trin. circa finem.
(7) In Luc. cap. 6.
(8) Hom. 50 in Matth. 14, 19
(9) Tract. 104 in Ioan

citur, et confitendum est, Christum, Filium Dei omnipotentem propria divina virtute miracula effecisse (1). — Humanitas autem Christi, in abstracto considerata, *omnipotens non est*, sed tamen *singulari, imo summa, quae creaturae rationali tribui potest, potentia praedita recte dicitur*. Istae propositiones breviter declarandae et probandae sunt.

I. Humanitas Christi omnipotens non est.

§ 334. *Augustinus de Roma*, ut refert Concilium *Basileense* Sess. 22, docuit, quod anima Christi, quia est persona Verbi, habeat omnipotentiam simpliciter. *Lutherus* quoque eiusque gregales propugnarunt, vi unionis hypostaticae humanitati Christi sicuti omnipraesentiam seu ubiquitatem, ita etiam omnipotentiam communicatam fuisse. Talem vero assertionem omnino falsam esse, facile probatur.

1. *Ex ipsa S. Scriptura* contra errorem Lutheri argumenta desumi possunt. Nam quod est proprium solius Dei, non potest alicui creaturae convenire. Sed proprium est Dei habere omnipotentiam: nam Ex. XV, 3 dicitur: *Dominus quasi vir pugnator: omnipotens nomen eius*. Omnipotentiam divinam omnia opera manifestant, et sic gloriam Dei promovent (2). Deus vero expresse dicit: *Gloriam meam alteri non dabo* (3): et Iob XXXIV, 13 legitur: *Omnipotens.... quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* aperte igitur negatur, omnipotentiam divinam creaturae communicari. Ast ipsi Lutherani fatentur, humanitatem Christi non esse aeternam, sed in tempore factam seu creatam; ac ideo et admittere tenentur, omnipotentiam divinam ipsi non fuisse communicatam. Et sane ipse Christus dicit: *Pater maior me est* (4): ita autem, quod omnes fatentur, non ut Deus, sed ut homo loquitur: ast si ut homo haberet omnipotentiam, et consequenter essentiam divinam, falso omnino dixisset, Patrem se maiorem esse. Ne ergo Christus mendacii arguatur, concedendum est, ipsum ut hominem nec infinitum, nec omnipotentem esse. Propterea etiam Paulus scribit: *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum* (5): quibus verbis innuit, Christum ut hominem adinstar fratrum finitam et limitatam naturam habuisse. Equidem Christus ipse dicit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (6), et: *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra* (7). Sed haec et similia loca intelligenda sunt de Christo per communicationem idiomatum, ita ut sicut homo dicitur Deus, ita etiam dicatur omnipotens: et Christus in citatis locis loquitur in concreto de sua persona, et non in abstracto de sua humanitate. — Dicit autem hanc potestatem sibi datam post resurrectionem, quia tunc potissimum virtus eius enituit: dicitur enim iuxta phrasim S. Scripturae familiarem, rem tunc fieri, quando innotescit; « quamvis enim, ut observat *S. Thomas* (8), haec potestas iam ante resurrectionem innotuerit Angelis, post resurrectionem tamen innotuit omnibus hominibus, ut *Remigius* dicit. » Possunt etiam intelligi haec verba de Christo homine quoad potestatem excellentiae, quam habuit ad regendum et imperandum in ordine ad praedicationem Evangelii; unde mox subiun-

(1) V. S. Alph. Ligor., Stor. dell'eres. tom. ult. Confut 15 § 4. (2) Ps. 18, 1.
(3) Is. 48, 11. (4) Io. 14, 28.
(5) Hebr. 2, 17. (6) Matth. 2, 27.
(7) Matth. 28, 18. (8) 3, q. 13, a. 2 ad 1.

gitur: *euntes ergo docete omnes gentes* etc. Non ergo Christo ut homini omnipotentia data dicitur, sed illa suprema potestas, quae ipsi ut capiti totius Ecclesiae competit, de qua inferius disserendum erit.

2. *Ecclesia* in Concilio Chalcedonensi definivit, duas naturas in Christo etiam post unionem hypostaticam mansisse integras, inconfusas et impermixtas. Ex hoc dogmate sequitur, attributa divinitatis non transiisse in humanitatem: sed omnipotentia est attributum divinitatis, ergo non transiit in humanitatem. Ex eodem dogmate *S. Thomas* (1) probat, Christum ut hominem non esse omnipotentem, et sic porro argumentatur: Potentia activa cuiuslibet rei sequitur formam ipsius, quae est principium agendi: sed anima Christi est finita, cum sit creatura: ergo potentia activa, quae sequitur illam, est finita et limitata. Denique ut quis sit omnipotens, necesse est, ut omnia efficere possit; sed, ait *S. Thomas* (2), anima Christi « non potest omnia facere, quod pertinet ad rationem omnipotentiae; et inter caetera manifestum est, quod non potest creare seipsam: » ergo non est omnipotens. Hoc idem Ss. Patres constanter docuerunt, qui in concreto quidem Christum omnipotentem praedicant, non autem in abstracto eius humanitati omnipotentiam adscribunt.

II. *Humanitati Christi excellentissima potestas collata est.*

§ 335. Natura Christi humana per unionem hypostaticam ad tantam dignitatem evecta est, ut quo attolleretur altius non haberet (§ 310, n. 2). Quapropter summa, quae creaturae rationali tribui potest, potentia Christo ut homini est adiudicanda. Quantacunque ergo sit potentia Angelorum (§ 161), longe maior est potentia animae Christi, qui est *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit* (3). Rectissime ergo *S. Thomas* animae Christi excellentissimam potentiam collatam esse docet (4), ita disserens: « Anima Christi dupliciter considerari potest: uno modo secundum propriam naturam, et virtutem sive naturalem, sive gratuitam; alio modo prout est instrumentum Verbi Dei sibi personaliter uniti. Si ergo loquamur de anima Christi secundum propriam naturam et virtutem sive naturalem, sive gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt animae convenientes; puta ad gubernandum corpus et ad disponendos humanos actus, et etiam ad illuminandum per gratiae et scientiae plenitudinem omnes creaturas rationales ab eius perfectione deficientes per modum, quo hoc est conveniens creaturae rationali. — Si autem loquamur de anima Christi secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti; sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad incarnationis finem, qui est instaurare omnia sive quae in coelis, sive quae in terris sunt » (5). — Ex his patet, animae Christi multo excellentiorem, quam Angelis et caeteris hominibus potentiam et virtutem collatam esse. — Tres autem praecipuae conveniebant potestati Christi dotes, quibus virtutibus aliis Sanctis collatis immensum antecellebat. *Prima* erat facilitas summa, qua mirabilia quaeque extemporanee operabatur, ut ex decursu Evangelii perspicuum est. Solo namque verbo, gestu, tactu, gressu, nutu morborum

(1) 3, q. 13, a. 1. (2) Ib. ad 2. (3) Hebr. 1, 4. (4) 3, q. 13, a. 2
(5) Eph. 1, 10.

omnium distillabat medicinam, sedabat procellas, caecos illuminabat, mortuos suscitabat. *Secunda* erat universalitas; nam si humanitas, secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, habuit virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas ordinabiles ad finem incarnationis, qui est instaurare omnia in coelo et in terra, certe et in Angelos et in homines sua corrivabat fluenta gratiarum. *Tertia* est foecunditas: tunc enim aliqua virtus censetur perfecta quando potest sibi similem producere, quia tunc fit effusio plenitudinis bonitatis: Christo autem Domino data est virtus miraculorum cum tanta praerogativa, ut non solum ipse miracula ad nutum ederet, sed etiam discipulis miraculorum patrandorum virtutem copiosissime transfuderit. Unde dicitur: *Convocatis duodecim discipulis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem* (1). — In hac doctrina quoad substantiam omnes Theologi consentiunt, Christo ut homini excellentissimam potentiam adscribentes, et huius facilitatem, universalitatem et foecunditatem praedicantes. — Magna autem controversia agitata est inter Theologos circa modum, quo humanitas Christi tanquam instrumentum Verbi sibi uniti dicenda sit miracula, et alios effectus supernaturales ad finem incarnationis pertinentes producere. — Duobus enim modis humanitas Christi dici potest miracula patrare, et effectus supernaturales producere, *physice* et *moraliter:* physice per verum, realem ac physicum influxum; moraliter vero per imperium, orationem, et praecipue per merita ex passione et morte parta: huiusmodi autem moralis influxus est etiam vera et realis causalitas, cui effectus aliquando magis imputatur quam causae physicae; sic ex gr. mors hominis rei, qui suspenditur, magis imputatur crimini tamquam causae morali, quam carnifici physice mortem inferenti. Observandum porro est, omnes Theologos docere, quod Christus ut homo sit causa moralis omnium gratiarum supernaturalium, quia cunctas per passionem et mortem de condigno promeruit. Ita pariter omnes profitentur, quod humanitas Christi sit quidem iustificationis et gratiae sanctificantis causa meritoria, non autem causa principalis physica, seu efficiens; haec enim, ut dicit Concilium *Tridentinum* (2), est *misericors Deus, qui gratuito abluit, et sanctificat;* et Rom. III, 30 legitur: *Unus est Deus qui iustificat.* Circa reliquas vero gratias, miracula et effectus supernaturales *Thomistae* humanitati Christi tanquam instrumento Verbi sibi uniti influxum physicum, *Scotistae* vero influxum moralem adscribunt; alii demum cum distinctione procedentes utramque sententiam conciliare tentant. Breviter praecipua saltem istarum sententiarum argumenta proponenda sunt.

1. *Thomistae* fatentur in primis, humanitatem Christi ante executionem Incarnationis non fuisse causam physicam, sed tantum moralem gratiae antiquis Patribus collatae, quia operari physice supponit necessario existentiam physicam causae. Aiunt autem quod post executionem Incarnationis humanitas Christi fuerit nedum causa moralis, sed et instrumentalis physica gratiae et miraculorum aliorumque operum supernaturalium, quae ad finem Incarnationis conducunt. Sententiam suam sequentibus potissimum argumentis

(1) Matth. 10, 1. (2) Sess. 6, c. 7.

probant. *a*) S. Scriptura miracula naturae Christi humanae tanquam causae physice agenti adscribit. Luc. VI, 19 dicitur: *Omnis turba quaerebat eum* (Christum) *tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Luc. VIII, 46, occasione mulieris, quae a fluxu sanguinis tacta fimbria vestimentorum Christi sanata est, Christus ait: *Quis me tetigit? tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse;* quibus verbis aperte sanatio mulieris contactui et quidem physico humanitatis Christi tribuitur. Praeterea Christus filiam Iairi suscitavit manum eius *tangendo*, Lazarum *clamando*, caeco nato visum restituit oculos *saliva sua ungendo*, Apostolis Spiritum sanctum dedit *insufflando*, Thomam ad fidem revocavit *vulnerum tactum* permittendo; quae omnia non moralem, sed physicam causalitatem innuunt. — *b*). Eandem Ss. Patres admittunt. *S. Hilarius* (1), loquens de sanitate reddita mulieri fluxu sanguinis laboranti, inquit: « Est autem in simplici intelligentia magnae virtutis dominicae admiratio, cum potestas intra corpus manens rebus caducis efficientiam, usque ad vestium fimbrias operatio divina procederet. » At si humanitas Christi moraliter tantum Deum movendo et excitando miraculum illud perfecisset, non videretur esse tantae admirationi locus. *S. Cyrillus Alex.* (2) notat, quod Christus in suscitandis mortuis non solum verbo et imperio uteretur, verum etiam carnem cooperatricem adhibebat, ut « ostenderet, carnem quoque suam, quoniam Verbo coniuncta erat, vivificam esse. » In Concilio Ephesino, can. 11, dicitur, quod *caro Christi sit vivificatrix propter unionem ad Verbum* · et talis nominatur non moraliter tantum propter merita passionis et mortis, sed physice propter hypostaticam unionem cum Verbo. *Euthymius* (3) hunc physicum in humanitate Christi agendi modum exemplo satis apto exponit, dicens: « Quemadmodum ferrum, quod in igne aliquo tempore permansit, habet ignis operationes; ita quoque sancta Christi caro divinitati unita, quae divinitatis sunt, operabatur. » *S. Io. Damascenus* (4) dicit: « Caro vicissim cum operante Verbi divinitate communicabat, tum quia per corpus veluti instrumento quodam divinas actiones efficiebat etc. » — *c*) Humanitas in Christo est instrumentum divinitatis eo fere modo, quo corpus hominis est instrumentum animae ad vitales operationes exercendas; atqui corpus physice et efficienter concurrit ad vitales operationes exercendas: ergo eodem modo humanitas Christi concurrit ad operationes supernaturales perficiendas. — *d*) Humanitati Christi est concedendum, quod nobilius et perfectius est, si vel in se, vel fini Incarnationis non repugnat: atqui operari non solum moraliter, sed etiam physice effectus supernaturales et miraculosos est quid nobilius et perfectius, nec aliunde in se vel fini Incarnationis repugnat, quia Verbum omnipotens ita per suam humanitatem operari, et ea, quae finem Incarnationis promovent, efficere potest: ergo talis physicus operandi modus humanitati Christi adscribendus est (5).

2. *Scotistae* contendunt, humanitatem Christi non attingere physice productionem gratiae et aliorum miraculorum, sed moraliter, quod pro-

(1) In Matth. cap. 9.
(2) L. 4 in Io. c. 1.
(3) In c. 7 Lucae. (4) L. 3 de fide c. 19
(5) V. Billuart l. c. Diss. 13 a. 2

bant sequentibus argumentis. *a*) *Ss. Patres* miracula Christi soli divinitati tribuunt saltem quoad physicam causalitatem. S. *Athanasius* (1) ait: « Humano quidem modo (Christus) manum extendit, divinitas autem morbum compescuit; humanum fuit ex carne emisisse spiritum; divinitas autem oculos aperuit. » *S. Augustinus* (2) inquit: « Miraculum, quod facturus erat, mutans aquam in vinum, secundum divinitatem factum erat, non secundum infirmitatem. » *S. Leo M.* (3) duas in Christo distinguit naturas: « unam, quae fulgebat miraculis; alteram, quae succumbebat iniuriis. » *S. Io. Damascenus* (4) scribit: « Humanae actionis finis in libera manus extensione et tactu positus erat; divinae autem in puellae excitatione » (Cf. § 307, n. 2). *b*) Humanitas Christi non fuit instrumentum physicum, sed causa moralis gratiae in V. T. Patribus collatae, quod omnes concedunt. Ast Petrus dicit: *Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi* (5) (Patres V. T.): ergo eodem modo gratia tribuitur fidelibus in N. T. prouti iam concessa fuerat Patribus V. T. *c*) Iuxta Concilium *Tridentinum* humanitas Christi non est causa efficiens, sed meritoria, seu moralis tantum nostrae iustificationis; ergo hoc idem etiam de reliquis gratiis gratum facientibus, vel gratis datis dicendum est, quia non potest assignare sufficiens ratio, cur per humanitatem Christi gratia habitualis moraliter tantum, reliquae vero gratiae physice producantur. *d*) Ad rationem instrumenti physici requiritur, ut hoc realiter contingat subiectum, in quod agit; non enim potest agere in distans, ex. gr. serra non facit cathedram, nisi lignum tangat. Nullo modo autem exponi, aut intelligi potest, quomodo humanitas Christi, quae non est ubique praesens, realiter contingat omnia subiecta, in quibus gratiae, et effectus supernaturales producuntur; ergo non habet rationem physici instrumenti (6).

3. Ex dictis patet, ex utraque parte haud spernenda argumenta prolata. Quapropter ad hanc controversiam dirimendam aurea illa regula applicanda esse videtur, quae illum, qui bene distinguit, bene quoque docere dicit. Hanc secutus, *Cl. Tournely* (7) hanc conclusionem proponit: « Probabile est, humanitatem Christi physice ad ea miracula concurrisse, quae contactu aut actione physica in subiecta praesentia, moraliter vero ad illa, quae in subiecta distantia peracta fuerunt. » — Et sane argumenta Thomistarum ex S. Scriptura et Patribus petita id tantum probant, quod humanitas Christi physice ad ea miracula concurrerit, quae contactu, aut actione physica in subiectis praesentibus perficiebantur; de his enim in citatis locis sermo est. Idem patet ex adducta analogia: anima enim non potest uti corpore tanquam instrumento physico nisi circa obiecta praesentia. Humanitati Christi equidem, quidquid perfectius et nobilius est, concedere oportet; sed tamen non potest admitti quod repugnantiam involvit, aut saltem non sine maxima difficultate intelligi aut exponi potest. Merito potius dicitur, naturam Christi humanam, quae proprietates suas retinuit, physice in praesentia tantum subiecta agere. Perperam etiam Thomistae sententiam suam angelico Do-

(1) Or. 4 c. Arian. (2) Tract. 8 in Io.
(3) Ep. 24 ad Flavian.
(4) L. 3 de fide c. 15. (5) Act. 15, 11.
(6) Dupasquier, Theol. Scotist. de Incarn. Disp. 10, q. 1, Concl. 2.
(7) De Incarn. a. 10, n. 7.

ctori tribuunt cum contrarium potius doceat (1), dicens: « nullam fuisse virtutem in Christi anima ad immutandam legem, vel cursum naturae, sive ad patranda miracula, nisi per modum orationis, aut intercessionis. » Et si (2) animae Christi secundum quod est instrumentum divinitatis instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas adscribit, ipsi Thomistae fatentur, haud liquido constare, de qua virtute instrumentalis sit intelligendus, an de morali, an de physica. Equidem (3) dicit, actiones Christi ut hominis fuisse « gratiam in nobis causantes et per meritum, et per *efficientiam quamdam;* » sed ex his verbis patet, S. Doctorem humanitati Christi non *efficientiam* physicam universalem, sed *quamdam* tribuere. Recte ergo dicitur, humanitatem Christi instrumentalem virtutem physicam circa subiecta praesentia habere, cui sententiae etiam argumenta a Scotistis allata non opponuntur.

Nota 1. Christo ut homini non summam et excellentissimam prae caeteris hominibus potestatem collatam fuisse, videtur ex ipsius Christi verbis inferendum esse, qui dicit: *Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet* (4). — Sed hanc difficultatem iam solvit S. *Augustinus* in fine tract. 71 in Ioan. et in init. tract. seq., ubi inter alia haec habet: « Audi ergo et intellige: *Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet.* Prius ego facio, deinde ipse faciet: quia facio ut faciat... Ad vocem Domini surrexerunt mortui; ad umbram transeuntis Petri surrexit mortuus: maius videtur hoc quam illud; sed Christus sine Petro facere poterat, Petrus nisi in Christo non poterat. » Quoniam ergo Apostoli et alii credentes opera mira solum per virtutem a Christo capite suo sibi communicatam perfecerunt, clarissime apparet, per talia opera potentiam Christi non obscuratam, sed magis glorificatam fuisse. Praeterea Christus de quibusdam operibus, quae tunc admirabantur Iudaei, non autem de omnibus operibus locutus est, quae per ipsum facta sunt. Inter haec enim talia sunt, quae nemo alius fecit; quod etiam observat S. *Augustinus* (5) dicens de Christo: « Aliquid proprium facere debuit, nasci de Virgine, resurgere a mortuis, coelum ascendere. Hoc Deo qui parum putat, quid plus exspectet ignoro. »

Nota 2. Haud necesse est, ut praecise explicare possimus modum, quo per Christum gratiae dispensantur, miracula patrantur, et alia beneficia supernaturalia conferuntur: divinus enim operandi modus limitatae menti humanae impervius, et etiam magnum pietatis mysterium est, *quod manifestatum est in carne* (6). Magni autem momenti est, ut potentiam Christi agnoscamus, Salvatorem nostrum ut omnium gratiarum et bonorum fontem consideremus, et cum plena fiducia ad ipsum recurramus. Hinc Psalmista exclamat: *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur* (7). Accedendum autem ad eum est non pedibus, sed affectibus; non motibus corporis, sed cordis suspiriis; non astantium praesentia membrorum, sed humili, et iugi oratione. Ita ad Christum Paulus in aestu tentationum positus accessit, et eius virtutem expertus, et auxilium consecutus bonum certamen certavit, et plenus fiducia dixit: *Omnia possum*

(1) 3, d. 16, q. 1, a. 3.
(2) 3, q. 13, a. 2.
(3) 3, q. 8, art. ad 1. (4) Io. 14, 12.
(5) In Epist. 137 (al. 3) ad Volusian. c. 3.
(6) 1. Tim. 3, 16. (7) Ps. 33, 6.

in eo, qui me confortat (1). — Utinam etiam nos in tentationibus et tribulationibus nostris eadem fiducia ad Christum recurreremus, certe etiam ipsius virtutem mox experiremur: ipse etenim, potentiam suam diffundendi desiderio flagrans nobis acclamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* (2).

CAPUT V.

DE INCARNATIONIS MOTIVO ET NECESSITATE

§ 336. Quo et quisque sapientior est artifex, et perfectius molitur opus, eo dum agit nobiliorem in finem intuetur. Nulla autem humana, vel angelica sapientia cum divina comparari potest; unde dicitur: *Magnus Dominus noster, et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus* (3). Quodsi Deus *omnia in Sapientia fecit* (4), quid de Incarnatione Filii Dei dicendum erit? — « Nihil mirabilius inter omnia, quae facta sunt sive in coelo sive in terra, quam id, quod Deus dignatus est concipi et nasci de foemina, » ait *Rupertus* (5). Cui *S. Bernardus* assentiens, ea, quae in Incarnatione gesta sunt; « ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia esse, dicit, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram; » ut merito propterea *S. Augustinus* per excellentiam « opus Dei » esse dicat quod per evangelicum effatum declaratur: *Verbum caro factum est* (6). — Dubitare ergo non licet, Incarnationem ad nobilissimum finem ordinari. Quodsi « rei cuiuslibet perfecta cognitio causarum est notitia, » ut *Aristoteles* (7), caeteris assentientibus Philosophis, docet; magni profecto momenti est, ut, ipsa Revelatione duce, cognoscere satagamus, 1° *quo ex motivo, seu quem in finem Incarnatio peracta sit*, et ut ulterius inquiramus 2° *an ad praestitutum finem Incarnatio necessaria fuerit.*

ARTICULUS I.

De motivo, seu fine Incarnationis.

§ 337. Quoniam *universa propter semetipsum operatus est Dominus* (8), absque dubio finis Incarnationis principalis et supremus est gloria Dei. Ideo nato Christo, Angeli cecinere: *Gloria in altissimis Deo* (9); Christus ipse se in hunc finem venisse profitetur; ait enim: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius* (10). *Ego - honorifico Patrem meum* (11): *Ego autem non quaero gloriam meam* (12). *Qui autem quaerit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, et iniustitia in illo non est* (13). Propterea in baptismo Christi vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (14). Paulus Incarnationis beneficia commemorans, ea a Deo collata esse docet: *In laudem gloriae gratiae eius; in laudem gloriae eius* (15); *in laudem gloriae ipsius* (16). — Sed praeter hunc finem totalem, seu supremum, ad quem omnes creaturae destinatae sunt, opera divina etiam ad fines partiales, speciales, seu proximos diriguntur, quos ex hac ipsa ratione perscrutari oportet, ut ex illis divinae perfectiones cognoscantur, et sic gloria Dei promoveatur (§ 139, etc.). Inquirendum igitur est, qualis sit proximus Incarnationis finis: hunc autem nobis clarissime manifestat divina Re-

(1) Phil. 4, 13. (2) Matth. 11, 28.
(3) Ps. 146, 5. (4) Ps. 103, 24.
(5) L. 1 de oper. Spir. S. c. 14.
(6) Ap. Petav. de Incarn. l. 2, c. 5, n. 1.
(7) L. 1 Mor. c. 3. (8) Prov. 16, 4.
(9) Luc. 2, 14. (10) Io. 4, 14.
(11) Io. 8, 49. (12) Ib v. 50.
(13) Io. 7, 18. (14) Matth. 17, 5
(15) Ephes. 1, 6 et 12.
(16) Ib. v. 14.

velatio, quae docet, *Filium Dei incarnatum esse ad lapsum genus humanum redimendum*. In hoc dogmate catholico omnes Theologi consentiunt: nonnulli autem contenderunt, *alias quoque finales Incarnationis causas assignari posse*, ita ut recte dicatur, etiamsi Adam non peccasset, Verbum tamen carnem assumpturum fuisse, cui autem sententiae plurimi se opposuerunt. — Iam ut certa ab incertis distinguantur, et in necessariis unitas, in dubiis libertas, et in omnibus charitas observetur, *primo* dogma catholicum probandum est, et *secundo* quaedam de indigitata quaestione theologica dicenda sunt.

I. *Motivum adaequatum, seu finis proximus Incarnationis fuit Redemptio generis humani.*

§ 338. Totum genus humanum propter peccatum originale, cui innumera peccata actualia addidit, a sua destinatione penitus aberravit, in captivitatem daemonis incidit, et gratia sanctificante privatum, ac quoad animae vires debilitatum, non solum temporalibus, sed et aeternis poenis addictum fuit. Ad humanum genus a tam profundo lapsu erigendum, a tanta miseria redimendum, et in aeternae salutis viam reducendum *Verbum caro factum est*, seu Filius Dei naturam humanam assumpsit. — Ex hoc motivo, seu hunc in finem Incarnationem peractam fuisse, *ex S. Scriptura* et *ex Traditione* certissime constat.

1. Iam in *S. Scriptura V. T.* praefatus Incarnationis finis indigitatur. Nam protoparentibus (1) Messias, seu Filius Dei incarnatus promissus fuit, qui *conteret caput* serpentis, id est, fastum et potentiam daemonis conculcabit, damna ab ipso hominibus illata reparabit, eosque in viam salutis revocabit. Idcirco Patriarchis promissum fuit, in ipsorum *semine*, id est in Messia omnes gentes benedicendas esse (v. Th. gen. § 105). Prophetae quoque Christum ut humani generis Redemptorem praenunciarunt. Isa. (2) exclamat: *Confortamini, et nolite timere... Deus ipse veniet, et salvabit vos*. Idem (3): *Dominus rex noster ipse salvabit nos*. Ieremias (4) loquens de tempore Messiae ait: *In diebus illis salvabitur Iuda, et Israël habitabit confidenter, et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dóminus iustus noster*. Dan.(5) Messias ideo venturus praedicitur, *ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna*.

2. *S. Scriptura N. T.* clarissime docet, ad homines redimendos Verbum incarnatum esse. Christus ipse id adseverat, dicens: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam* (6). *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam* (7). *Venit enim Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat* (8). — Eandem Incarnationis causam Apostoli assignant: Gal. IV, 4 etc.: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*. I Tim. I, 15: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*. I Io. III, 5: *Scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret:* et v. 8: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. Plurima sunt

(1) Gen. 3, 15. (2) 35, 4. (3) 33, 22. (4) Cap. 23. (5) 9, 24. (6) Io. 3, 16. (7) Luc. 5, 3[2] etc. (8) Luc. 19, 10.

alia loca, quae hoc idem probant, quae autem in proxima sectione citanda erunt, quoniam magis ad saluberrimos Incarnationis effectus declarandos inserviunt.

3. *Ss. Patres* unanimi consensu docent, Incarnationis motivum, seu finem fuisse redemptionem generis humani. *S. Irenaeus* (1) dicit: « Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Et si non haberet sanguis iustorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus. » Et ibid. (2) docet, Dominum filium hominis factum esse; « ut quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam. » *Tertullianus* (3) ait: « Eadem est ergo causa, ut hominem gestaret Christus: salus hominis fuit causa, scilicet ad restituendum, quod perierat. » *S. Cyprianus* (4) inquit: « Pater Filium misit, ut reparare nos posset; Filiusque missus, et hominis Filius esse voluit, ut nos Dei filios faceret. » *S. Athanasius* (5) eandem veritatem tradit, et ita disserit: « Dominus non habuit causam, ut esset Verbum, nisi quod Patris esset germen, et Sapientia unigenita: cum tamen homo efficitur, tum causa subtituitur, cur eum oporteat carnem gestare: necessitas quippe et indigentia hominum anterior est, quam illius nativitas, qua (necessitate) sublata, carnem non induisset etc. » (6). *S. Basilius* (7) ait: « Hoc Verbum, Filius Dei, homo factum est ob lapsum hominem Adamum. » *S. Gregorius Naz.* (8) haec habet: « Quae humanitatis a Deo propter nos susceptae causa extitit? Profecto ut salus nobis pareretur. Quid enim aliud causae afferri possit? » — *S. Gregorius Nyss.* (9) ita facunde loquitur: « Quaeris causam, cur Deus genitus sit inter homines?... Si naturae divinae indicium et signum proprium est benevolentia in homines, habes rationem, quam quaerebas, cur Deus venerit ad homines. Opus enim habebat medico natura nostra, quae morbo laborabat. Opus habebat eo, qui erigeret, homo, qui ceciderat. Opus habebat eo, qui ad bonum reduceret, qui defluxerat a boni participatione. Egebat lucis praesentia, qui erat inclusus in tenebris. Quaerebat redemptionem captivus, adiutorem vinctus, liberatorem is, qui iugo premebatur servitutis. An haec parva et indigna sunt, quae Deum moveant, ut descendat ad humanam naturam visitandam? » — *S. Chrysostomus* (10) ad haec verba: *non veni vocare iustos, sed peccatores*, inquit: « Adeo procul abest, ne peccatores abominetur, ut solum eorum causa se advenisse testetur. » *S. Ambrosius* (11) ait: « Didicistis igitur, quia sacrificium de nostro obtulit (Christus). Nam quae erat causa incarnationis, nisi ut caro, quae peccaverat, per se redimeretur? » — *S. Augustinus* Serm. 174 (12) dicit: « Venit Filius hominis quaerere, et salvare, quod perierat. Si homo non periisset, filius hominis non venisset. » Et (13) Serm. 175 ita praeclare loquitur: « Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla est causa medicinae. Si venit de coelo magnus medicus, magnus per totum orbem

(1) L. 5 adv. haer. c. 14.
(2) C. 2., n. 1. (3) L. de carne Christi c. 14.
(4) L. de op. et eleem. n. 1.
(5) Or. 2, c. Arian. n. 67.
(6) V. Orat. 3, n. 33.
(7) Hom. 29 adv. calumniatores SS. Trinit.
(8) Orat. 30 (al. 36) n. 2.
(9) Orat. Catech. c. 15.
(10) Hom. 31, in Matth. (11) L. de Incarn. c. 6, n. 56. (12) (Al. 8) n. 2. (13) Al. 9

iacebat aegrotus » (1). *S. Leo M.* (2) haec profert: « Si homo ad imaginem et similitudinem Dei factus in suae honore naturae mansisset, nec diabolica fraude deceptus a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut aequalis Deo Patri Filius Deus formam servi et similitudinem carnis peccati assumeret. » *S. Petrus Chrysologus* (3) ait: « Centurio sic sentire, sapere sic docetur, quare ad servum in servo venerit Christus; quare ad hominem in homine venerit Deus: utique ut levaret iacentes, elisos erigeret, solveret compeditos, et eos, quos iam nemo nec afferre nec offerre poterat, ipse operis sui vector clementissimus baiularet. » — *S. Gregorius M.* (4) dicit: « Nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret. Non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret. » — *S. Bernardus* (5) contra Abaëlardum scribit: « Si verum est dicere, quod Christus non venit ad hominem liberandum, sed tantum ad institutionem vitae, et charitatis commendationem (ut Abaëlardus volebat), hoc modo ipse Abaëlardus cum Pelagio evacuat pretium sanguinis Christi. »

4. *Ecclesia* in Symbolo *Nicaeno CPtano* palam profitetur fidem in *Filium Dei unigenitum; qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est* etc.; quibus verbis clare proponitur credendum, Incarnationis finem esse humani generis Redemptionem. Ideo in Concilio *Ephesino*, can. 10, legitur: *Qui dicit, quod* (Filius Dei incarnatus) *pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nesciuit), anathema sit.* Concilium *Toletanum VI*, anno 638, can. 1, haec habet: *Ex tribus personis divinis solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quae per inobedientiam Adae originaliter, et nostro libero arbitrio contraximus, resolvenda - humanitatem sine peccato de S. Virgine assumpsisse.* Eandem fidem *Ecclesia* profitetur, dum Sabbato sancto canit: *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* et iterum: *O certe necessarium Adae peccatum, quod tali morte deletum est!* — quibus verbis Ecclesia non negat, peccatum libere ab Ada commissum fuisse, neque illud a Deo decretum dicit, sed solum innuit, tam pretiosam mortem et tam admirabilem Redemptionem futuram non fuisse, si Adam non peccasset.

Nota. Doctrina de Incarnationis motivo et fine intime cohaeret cum dogmate de propagatione peccati originalis, quod praeclare ostendit Apostolus Rom. cap. V. Quicunque ergo hoc dogma negant, necessario etiam circa illam doctrinam aberrant. Sic *Pelagiani* negarunt, Christum in hunc finem venisse, ut homines a labe originali mundaret, quos innocentes nasci affirmabant, ac propterea non alium illi Incarnationis finem agnoverunt, quam ut Christus exemplo suo, doctrina et miraculis homines erudiret, ac promptiores redderet ad vitam aeternam capessendam. *Abaëlardus* quoque similem errorem propugnavit, docens, Christum non ve-

(1) Cf. l. 1 de peccat. mer. et rem. c. 26.
(2) Serm 3 de Pentec.
(3) Serm. 15, in Matth. 8, 7.
(4) L. 4 in libros Regum c. 1. (5) Ep. 190

nisse, ut hominem a captivitate diaboli liberaret; nam, inquit, «ut nobis videtur nec diabolus unquam ius aliquod in homine habuit... Nec Filius Dei, ut hominem liberaret, carnem assumpsit.» (1) Huc merito referuntur *Sociniani* et *Rationalistae*, qui Christum equidem Redemptorem appellant, sed quia peccati originalis propagationem negant, veram redemptionis notionem evertunt, et in Christo eximium duntaxat Doctorem venerantur. Quantum autem isti a doctrina Revelationis aberrent, ex allatis argumentis patet. Difficultates vero, quas contra dogmata catholica movent, in proxima sectione solventur.

II. *An aliae quoque finales Incarnationis causae assignari possint, inter Theologos disputatur.*

§ 339. Quamvis in declarato dogmate omnes Catholici consentiant, celebris tamen inter Theologos enata est disputatio, utrum propter istud solum motivum, nempe propter redemptionem generis humani, sic incarnatus fuerit Filius Dei, ut si Adam non peccasset, Verbum revera non fuisset incarnatum. Voluerunt quidam, non propter solam redemptionem hominis lapsi, sed propter alios praeterea fines et quidem priores, et multo nobiliores Incarnationem ab aeterno decretam fuisse ita ut, etiam Adamo non peccante, nihilominus Verbum caro factum fuisset. Sententiam istam defenderunt *Rupertus* Abbas Tuitiensis, *Alexander Halensis*, *Albertus M.*, *Scotus*, et qui eum ceu Magistrum secuti sunt, et nuperrime *Lieber*, e coetu Protestantium in sua Christologia (2). — Huic vero sententiae *S. Thomas* contrarius est, eandemque non solum, qui angelici Doctoris principiis toti inhaerent, sed et plurimi alii Theologi impugnant. Controversia autem praecipue inter *Scotistas* et *Thomistas* acta fuit: et operae pretium est, ut illorum *argumenta* et horum *responsa* breviter expendantur.

A. *Argumenta Scotistarum.*

§ 340. 1. Incarnationem, per quam natura divina cum humana in una persona Verbi coniuncta fuit, esse opus Dei excellentissimum, omnes Theologi fatentur. Vix autem intelligi potest, tale opus accidentale duntaxat, et quidem conditione peccati ab hominibus committendi adstrictum fuisse. Multo magis repugnare videtur, Filium Dei naturam humanam, postquam in peccatum lapsa est, hypostatice sibi unire, eandem autem, si innocens, sancta et Deo grata mansisset, nequaquam ad tantam dignitatem evehere voluisse. Ne autem talia inconvenientia admittenda sint, dicere oportet, Deum Incarnationem Verbi primario et absolute decrevisse, ita tamen, ut Filius Dei, si homo innocentiam servaret, carnem impassibilem et immortalem assumeret; si autem homo peccaret, carnem passibilem, et mortalem indueret, et per passionem et mortem naturam humanam perditam repararet. Quoniam autem Adam vere peccavit, ideo Verbum incarnatum in statu humilitatis apparuit, et passionem ac mortem subiit, quod factum non fuisset, si Adam non peccasset. Ita S. Scripturae et Ss. Patrum testimonia intelligenda sunt, dum pro Incarnationis motivo redemptionem humani generis assignant, aut etiam adseverant, quod Verbum, si Adam non peccasset, carnem assumpturum non fuisset: idest, carnem passibi-

(1) V. S. Bernard. l. c.

(2) Goettingae 1849.

dem non induisset, nec tam atrocem mortem sustinuisset.

2. In S. Scriptura Christus dicitur ante omnes creaturas a Deo intentus et praedestinatus: ergo decretum Incarnationis antecedit decretum creationis hominum et Angelorum; adeoque non sequitur ex praevisione lapsus humani generis in peccatum. — Nam Sapientia de se dicit: *Dominus possedit me* (Iuxta LXX *creavit me*) *in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio* (1): quem locum de Christo, seu de *Sapientia incarnata* intelligendum esse, affirmant multi ex Patribus adversus Arianos, qui eo loco abutebantur, ut probarent, Filium Dei meram esse creaturam, quibus reponebant Ss. illi Doctores, citata verba intelligenda esse non de aeterna, sed de temporali Verbi generatione in utero B. Virginis: ita hunc locum exponunt *S. Augustinus* (2), *S. Epiphanius* (3), *S. Cyrillus Alex.* (4) et alii. Ergo ante mundi creationem, ac proinde ante peccatum Adami iam *a principio* determinata erat Incarnatio Verbi divini. Colos. 1, 15 etc. de Christo dicitur: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae; quoniam in ipso condita sunt universa in coelis, et in terra ... omnia per ipsum, et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant;* ergo Christus ante omnem creaturam a Deo intentus et praedestinatus fuit; nam si non ita, nempe de decreto praedestinationis, citata verba intelligerentur, Christus, qui solum in plenitudine temporis *actu* incarnatus est, non posset omnibus prior dici, cum tamen de eo Apostolus dicat: *et ipse est ante omnes;* et: *primogenitus omnis creaturae.* Denique Christus dicitur finis, ad quem omnes creaturae ordinantur: *Decebat eum; propter quem omnia, et per quem omnia* (5). *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei* (6). Ast finis prius intenditur, quam medium quod ad finem ordinatur. Ergo Deus primo Verbi Incarnationem decrevit, et propter Verbum incarnatum omnia creavit. Ergo ordo invertitur, si Deus Christum, seu Incarnationem Verbi solummodo propter hominem lapsum decrevisse dicitur. Quam consequentiam suggillans *S. Cyrillus Alex.* (7) scribit: « Sicut dicunt haeretici, ut nos produceret Deus, Filium produxit; erit ipse propter nos factus, non nos propter ipsum. Cur ergo nobis non aget gratias, qui propter nos factus est? » Et lib. 5 Thesauri (8) ita loquitur: « Si propter nos factus est Filius, et non propter Filium nos, erimus nos ipso multo praestantiores. » Quamobrem S. Pater ibid. (9) concludit: « Praefundatur ante nos Christus, et in ipso nos omnes superaedificamur, idque ante initium mundi in praescientia Dei. » Postea subdit: « Creator noster Christum salutis fundamentum etiam ante initium mundi formavit, ut si praevaricatione caderemus, in ipso rursus revocaremur. » — Quibus verbis clare docetur, Incarnationem Verbi primario et absolute a Deo decretam fuisse, ita tamen, ut hic idem Filius Dei incarnatus, si homo peccaret, huiusce medicus et Redemptor fieret (10).

3. Deus omnia creavit ad gloriam suam, seu omnia produxit, ut a creaturis rationalibus agnosceretur, ama-

(1) Prov. 8, 22. (2) L. 1 de Trin. c. 12.
(3) Haer. 69. (4) L. 5 Thesauri n. 4.
(5) Hebr. 2. 10 (6) 1 Cor. 3, 23.
(7) Comment. in Ep. ad Hebr. c. 2.
(8) Cap. 3. (9) Cap. 8.
(10) V. Cl. Frassen, Mastrium, P. Henno etc.

retur et coleretur. Ast si omnes Angeli et homines cunctas vires suas in hunc finem fidelissime impenderent, nunquam tamen Deo cultum adaequatum, scilicet infinitum, praestare valerent, quo autem absque dubio Deus ob infinitas suas perfectiones dignissimus est. Talem cultum infinitum Deo solummodo Verbum incarnatum, Deus homo, seu Christus deferre potest, qui in natura humana Deum adorans ob dignitatem personae cultum praestat infiniti valoris. Deus itaque, qui perfectissimo modo gloriam suam manifestare, et perfectissimum cultum sibi procurare voluit, primario propter se Incarnationem Filii sui decrevit; quae idcirco, etiamsi Adam non peccasset, tamen futura fuisset (1).

4. Homo obligatur ad Religionem (v. Th. gen. § 44), quae est moralis relatio hominis ad Deum (ib. § 23). Obiectum ergo Religionis est Deus, ad quem homo omnes facultates animae omnesque vires corporis referre tenetur (ib. § 45 etc). Quoniam autem homo ex duplici substantia, spirituali et materiali, constat, et ipsius anima corpori eiusque sensibus intime colligata est: idcirco homo, quamvis per rationem Deum ex natura sua invisibilem esse cognoscat, maximum tamen in se desiderium sentit, ut Deum sibi visibilem colere possit. Cuius desiderii vehementis testes sunt tum Gentiles, qui idcirco vel astra adorarunt, vel alia sibi idola efformarunt, tum Iudaei, qui in idololatriam valde proclives aegre tulerunt, quod non adinstar Gentium Deum visibilem ostendere possint. Ipse David propterea profitetur: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus* (2)? — Ipsa itaque Religio, ut homini ex duplici substantia composito plene accommodata sit, id exigere videtur, ut Deus ex natura sua invisibilis, per Incarnationem visibilis fiat, et tanquam Verbum incarnatum, seu ut Deus homo ab hominibus cultum recipiat. Sed homo iam ante lapsum ex anima et corpore constabat, et ad perfectam Religionem obligabatur, atque ideo recte dicitur, Deum, qui omnia sapientissime et benignissime ordinat, Incarnationem Verbi non solum propter lapsum Adami, sed etiam hunc in finem ordinasse, ut obiectum Religionis naturae humanae plene accommodatum fiat: ex quo sequitur, Incarnationem futuram fuisse, etiamsi Adam non peccasset (3).

5. Christus est caput hominum et Angelorum, in quos necessariam gratiam influit: ergo cum, nullo etiam supposito peccato, gratia tum hominibus, tum Angelis concessa fuisset, ut reipsa concessa fuit; sequitur etiam nullo peccato supposito Christum venturum fuisse tanquam caput hominum et Angelorum. Dicitur enim Eph. I, 22: *Omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Et Col. II, 10: *Christus est caput omnis principatus, et potestatis.*

B. *Responsa Thomistarum.*

§ 341. *S. Thomas* circa praesentem controversiam sententiam suam (4) his verbis expressit: « Quidam dicunt, quod etiamsi homo non peccasset, Dei Filius incarnatus fuisset. Alii vero contrarium asserunt; quorum adsertioni magis assentiendum videtur. Ea enim, quae ex sola voluntate Dei proveniunt supra omne de-

(1) V. Ludov. Argent. de Christo Confer. 5, art. 9.
(2) Ps. 41, 4.
(3) V. Ludov. Argent. ibid. art. 8.
(4) 3, q. 1, art. 3.

bitum naturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in S. Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde cum in S. Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur, Incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum; ita quod peccato non existente, Incarnatio non fuisset. Quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur; potuisset enim, etiam peccato non existente, Deus incarnari.» Hanc angelici Doctoris sententiam non solum Theologi O. P., sed etiam plurimi alii amplexi sunt; ut ex. gr. *L'Herminier*, *Tournely*, *Antoine*, *Thomas ex Charmes*, *Berti* etc. Isti non negant, Incarnationem, etiam secluso Adami peccato, possibilem fuisse, sed aiunt, non aliud eius motivum assignandum esse, nisi quod assignat Revelatio, et est redemptio lapsi generis humani; atque ideo, si Adam non peccasset, Incarnationem non fuisse perficiendam, quod Ss. Patres sat universali consensu docent. Hoc principio posito, ad singula Scotistarum argumenta respondent.

Ad I. Decreta Dei, operationes ipsius ad extra respicientia, liberrima esse, etiam Scotistae fatentur, qui ideo Incarnationem absolute necessariam dicere haud possunt. Nil porro huius mysterii excellentiae derogatur, si dicitur statutum fuisse occasione peccati; nam Incarnatio dominica est opus misericordiae; misericordia vero exercetur occasione miseriae, illaque eo praestantior est, quo indignioribus exhibetur. Secluso peccato, homines Redemptore non indiguissent, et Deus misericordiam suam in tanta luce manifestare non potuisset, atque ideo Adamo non peccante Verbum non fuisset incarnatum. Falso etiam Scotistae asserunt, S. Scripturae et Ss. Patrum testimonia id tantum asserere, quod, secluso peccato, Christus non in passibili et mortali carne venisset, quamvis in corpore impassibili et immortali venturus fuisset. Nam haec distinctio neque in S. Scriptura, neque in Ss. Patribus invenitur, adeoque isti falsum protulissent sine distinctione dicendo, Verbum carnem assumpturum non fuisse, si Adam non peccasset.

Ad II. Citatus Proverbiorum textus intelligendus est de aeterna Verbi divini generatione, non de temporali carnis assumptione: alias sequeretur, Christum etiam quoad humanitatem suam extitisse ante creatum mundum; eodem enim capite Prov. v. 25. Sapientia de seipsa ait: *Ante colles ego parturiebar... quando praeparabat coelos aderam.* Nonnulli quidem Patres textum de Sapientia incarnata exposuerunt, versionem LXX secuti, in qua legitur: *Dominus condidit*, seu *creavit me:* sed iam *Eusebius* (1) in praedictam versionem incuriae ex scriptoris mendum irrepsisse, quem ex hebraeo emendant *S. Hieronymus* (2), *S. Basilius* (3), *S. Gregorius Nyss.* (4), *S. Epiphanius* (5). — Quodsi textus de Verbo incarnato exponendus esset, id tantum significaretur, Deum ab aeterno lapsum hominis praevidisse, et iam ante mundi creationem Verbum incarnatum ut Redemptorem decrevisse: decreta enim divina aeterna sunt, mundus autem in tempore factus est. — Textus Col. I, 16, intelligendus est de divina persona Verbi, per quod *omnia facta sunt* (6). Neque vero refert, quod ibidem Paulus quaedam admisceat, quae Iesu Christo conveniunt secundum humanam

(1) L. 3 dem. ev. c. 2. (2) Epist. 139.
(3) L. 2 c. Eunom. (4) L. 1 c. Eunom.
(5) Haer. 69, n. 25. (6) Io. 1, 3.

naturam : potuit enim recte loqui de Verbo, modo secundum naturam divinam, quam a Patre accepit per aeternam generationem, modo secundum naturam humanam, quam temporali nativitate assumpsit (§ 317). — Col. I, 15 Christus dicitur *primogenitus omnis creaturae* dignitate atque excellentia, seu, ut loquitur *S. Hieronymus* hunc locum commentans, « non tempore, sed honore. » Nec insolens est apud Ss. Scriptores huius vocis usus ad indicandam dignitatem, ut cum Deus vocat Israël *primogenitum suum* (1) et de Davide inquit: *Primogenitum ponam illum excelsum prae regibus terrae* (2); hinc est etiam, quod idem Apostolus in eodem capite, v. 18, Christum appellat *primogenitum ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens.* — Verba Hebr. II, 10, non de Christo ut homine, sed de Deo Patre intelligenda sunt, sicut expresse docet *S. Chrysostomus* (3) et series sermonis satis indicat: et sane de Christo, quatenus homo est, omnia facta esse dici non possunt. Equidem quia Pater et Verbum unum sunt etiam Christus ratione suae divinitatis est finis, ad quem omnes creaturae ordinantur, sed ratione humanitatis est finis creaturarum, supposito peccato, et decreto de homine redimendo: quod Apostolus innuit I Cor. III, 23. — *S. Cyrillus Alex.* in prioribus locis non de Incarnatione, sed de aeterna generatione Verbi loquitur; confutat enim Arianos, qui Christum creaturam esse dicebant, ideo ab initio productam, ut per illam mundus perficeretur. Neque posterior locus Scotistarum sententiam probat; nam in eodem capite S. Pater, mentem suam clarius explicans, ait: « Sed Deus, qui futura omnia novit, aeternaliter quoque fundavit quantum ad cognitionem suam Filium suum; hoc est fundamentum illud futurum constituit, ut nos superaedificati in ipso a corruptione in incorruptionem resurgamus: sciebat enim mortales nos futuros propter peccatum, ac ideo ex misericordia sua ante saecula constituit, ut Verbum suum homo, et initium viarum, et fundamentum fieret. » Ergo iuxta *S. Cyrillum* Deus, quia praevidit hominem casurum, praedestinavit Christum ut naturae lapsae reparatorem, et ut fundamentum totius aedificii supernaturalis.

Ad III. Certum est, a spiritibus finitis non posse deferri cultum infinitum, qualem Deo Verbum incarnatum offert. Sed humana ratio non a priori determinare potest, an, et qualem cultum Deus exigat. Deus in se infinite beatus, *nec indigens aliquo* (4), non necessitate compulsus, sed liberrima voluntate mundum creavit, et in illo creaturas rationales, quae ipsum agnoscerent, et colerent, produxit. Eodem modo liberrima voluntate Deus Incarnationem Filii sui decrevit, nec dicere licet, Deum per illam de cultu infinito sibi providere *debuisse;* nam si hoc admitteretur, explicari vix posset, cur post quatuor tantum annorum millia Verbum caro factum sit. His accedit, quod iste finis, nimirum cultus infinitus, etiam obtentus fuisset, si Verbum angelicam naturam assumpsisset. Quoniam igitur ratio humana non a priori decretorum divinorum finem determinare potest; insistendum est doctrinae Revelationis, quae pro motivo adaequato, et fine proximo Incarnationis assignat lapsi humani generis Redemptionem. Caeterum per Verbum incarnatum, Redemptorem hominum Deo satisfactionem infinitam

(1) Ex. 4, 22. (2) Ps. 88. 28. (3) In h. l. (4) Act. 17, 28.

praestitam esse, et cultum infinitum deferri, omnes credunt, et profitentur.

Ad IV. Per peccatum duntaxat originale factum est, ut in hominibus vires animae debilitarentur, per stimulos inferiores deorsum traherentur, atque ad sensibilia et carnalia magis, quam ad spiritualia inclinarentur. Ergo desiderium Deum corporeum colendi, quale in Gentilibus et Iudaeis observatum fuit, ex ipso Adami lapsu exortum est. Non ergo ipsa natura Religionis, ad quam homines obligantur, Deum visibilem exigit, quia vires corporis saltem mediate per imperium animae ad Deum referri possunt; quapropter haud satis solida est conclusio, qua dicitur, etiamsi Adam non peccasset, Incarnationem futuram fuisse, ut obiectum Religionis naturae humanae plene accommodatum fiat.

Ad V. Christus ut Deus est Creator et Dominus Angelorum et hominum, et quatenus Angeli boni et homines in statu innocentiae per gratiam sanctificantem, quam ipsis elargitus est, tum inter se, tum cum ipso coniuncti erant, et Ecclesiam Sanctorum constituebant, recte ipsorum caput dictus est. Christus ut homo est caput Adami innocentis, et Angelorum dignitate et excellentia, non autem influxu gratiae. Dona enim quae primis parentibus ante lapsum, et Angelis sanctis concessa sunt, erant dona Dei Creatoris, non autem Christi Redemptoris: ergo ex locis Eph. I, 22, Col. II, 10 inferri nequit, Christum etiam Adamo non peccante in carne venturum fuisse (1).

Nota. Ex dictis patet, Scotistas praecipue rationibus theologicis, seu argumentis speculativis usos fuisse ad sententiam suam propugnandam; Thomistas vero eos impugnasse per argumenta ex Revelatione petita, cui soli hac in re insistendum esse contenderunt. Nullatenus autem Scotistarum hac de re disputationes praematuro iudicio ut falsas ac absonas carpere, nec ut penitus inutiles, et adiaphoras contemnere licet: quamvis enim ad moralitatem parum conferat scire, quid si Adam non peccasset, futurum fuisset, non parvi tamen momenti est, ut variae causae cognoscantur, ex quibus praestantissimum Incarnationis opus perfici potuit. Subtilis enim illarum investigatio non parum contulit ad divinae sapientiae consilia magis magisque perspicienda, quae ex mirabili opere Incarnationis elucent. — Caeterum summi momenti est, ut Incarnationis motivum et finem, in divina Revelatione nobis clarissime, et frequentissime manifestatum serio perpendamus; Verbo divino, quod ad nos redimendos carnem assumpsit, incessanter gratias agamus; et gratum animum nostrum per vitam puram, et sanctam ostendamus; nam *Deus — fecit redemptionem plebis suae... ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate, et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris* (2).

(1) Cf. Tournely de Incarn q. 6, a. 1; Billuart de Inc. Diss. 3, a. 3; Berti l. 25, c. 12.

ARTICULUS II.

De necessitate Incarnationis.

§ 342. Necessarium aliud est absolute, et simpliciter, aliud vero hypothetice dumtaxat, seu posita quadam conditione. — Solus Deus est Ens per se et absolute necessarium: *Ego sum qui sum,* ait Deus ipse ad Moysen, et Moyses ad filios Israël: *Qui est, misit me ad vos* (3). Caetera vero entia contingentia sunt a Deo

(2) Luc. 1, 68 etc. (3) Ex. 3, 14.

libere condita. Certum igitur est, Incarnationem non fuisse absolute necessariam; nam illud non est absolute necessarium, quod potest a Deo poni, vel non poni: atqui talis est Incarnatio; est enim opus ad extra, circa quod Deus est omnino liber: absoluta ergo Incarnationis necessitas nullatenus propugnari potest. - Quaestio igitur versatur circa hypotheticam necessitatem, in qua determinanda nonnulli a veritatis tramite deviarunt. Extiterunt enim, qui dicerent, necessariam fuisse simpliciter Incarnationem Verbi ex hypothesi creationis mundi, quoniam, hac posita, Incarnatio requiritur tanquam opus perfectissimum, et absolutissimum mundi ornamentum. Id docuit *Raymundus Lullus,* hanc afferens rationem, quod Deus non potuit non facere id, quod optimum erat, quale certe est opus Incarnationis. Longius progressus est *Io. Wicleffus* in Trialogo, ubi docet, necessitate absoluta compulsum fuisse Deum non tantum ad Incarnationem Verbi, et ad hominem a perditione redimendum, sed etiam ad creationem universi, et eorum omnium, quae in eo continentur. Alii non quidem Wicleffi principiis adhaerentes, sed aliis rationibus innixi asseruerunt, posito peccato originali, Deum debuisse homines a tanta miseria redimere, ut iterum nobilem suum finem assequi possent, id autem alio modo perfici non potuisse quam per Verbi Incarnationem: haec sententia a nonnullis (1) tribuitur *S. Anselmo* (2). Inter Scholasticos quidam docuerunt, Deum in hypothesi, quod lapsum hominem reparare, et salvum facere voluerit, id quidem perficere sine Incarnatione potuisse ex potentia extraordinaria et absoluta, non autem ex potentia ordinaria, et iure virtutibus temperato, seu ex legibus divinae iustitiae, iuxta quas Incarnatio ad hominem redimendum penitus necessaria fuit: hanc sententiam defendit Cl. *Tournely* (3). — Alii e contra, falsis pelagianismi, aut rationalismi principiis imbuti, asseruerunt, hominem Incarnatione Verbi nullatenus indiguisse, cum ipse propriis viribus se a statu peccati liberare possit. Contra istos aberrantes ostendendum est, Incarnationem *nullo modo necessariam fuisse ex parte Dei:* eandem vero *hypothetice necessariam fuisse ex parte humani generis lapsi.*

(1) V. Tournely de Inc. q. 4.

(2) In libro: Cur Deus homo. (3) L. c.

I. *Incarnatio nullo modo necessaria fuit ex parte Dei.*

§ 343. Deum ut Ens primum et independens nec motivis ad agendum impelli, nec legibus subiici, sed in operationibus ad extra undequaque liberrimum esse, alibi (§ 41) probatum est. Ab hac recta notione Dei deflectunt, qui asserunt, Deum debuisse Incarnationem Filii sui decernere vel iam in hypothesi creationis mundi, vel sub conditione lapsus generis humani, vel saltem posita voluntate homines reparandi, et salvos faciendi. Quantum autem istae sententiae a veritate aberrent, facile ostenditur.

1. *Incarnatio necessaria non fuit ex hypothesi creationis mundi.* Haec enim visibilis rerum universitas est ordinis naturalis, mysterium autem Incarnationis est ordinis supernaturalis; nullatenus igitur inter haec duo talis connexio datur, ut ex uno ad alterum necessaria conclusio inferri possit. Omnibus suis numeris perfectus coalescit mundus ex sola entium naturalium multitudine, ac varietate

Ideirco peracto sex dierum opificio legitur: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona* (1). Quis igitur dicet, creationem divinam mancam fuisse, utpote necessario suo complemento carentem, nempe Incarnatione Verbi, quae post quatuor tantum annorum millia secuta est? Num dicere licebit, Deum per tantum temporis spatium obligationem suam neglexisse? — Sed certe quilibet tantam blasphemiam perhorrescit, quae ex adversariorum sententia inferenda esset. — Negari quidem non potest, Incarnationem esse opus perfectissimum, et absolutissimum mundi ornamentum; sed negandum est, Deum qui nec motivis regitur, nec legibus subest, tale ornamentum mundo adiicere debuisse. Ipsius quippe voluntas, omnino independens et liberrima, sicuti fons omnis boni, ita sola est regula ac mensura perfectionum, quas creaturis communicat. Ideo dicitur: *Omnia quaecumque voluit fecit* (2); et: *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius* (3). Quemadmodum itaque Deus non necessitate compulsus, sed liberrima voluntate mundum creavit, ita etiam non necessario, sed liberrime Incarnationem Verbi decrevit. Caeterum error huic doctrinae oppositus tantum ex falsis principiis deducitur, quibus absona sententia de *Optimismo* innititur: quae ergo contra istum dicta sunt (§ 151) etiam ad illum refellendum inserviunt (4).

2. *Incarnatio necessaria non fuit, posito lapsu generis humani*, neque Deus ullo modo obligabatur ad homines redimendos. Nam status iustitiae seu gratiae sanctificantis et felicitatis, in quo primitus homines constituti sunt, non erat eis debitus (§ 207), sed ex sola benignitate Deus hominibus nobilissimum finem praefixit et, ut hunc assequi possent, excellentissima dona concessit. Cum autem ista dona supernaturalia per lugendam praevaricationem amisissent, quis dicet, quod Deus ea peccatoribus debuerit reddere, quae ne innocentibus quidem concedere obligatus fuerat? — Si homines a fine suo, quem Deus ipsis non ex necessitate, sed ex liberrima voluntate praefixerat, etiam perpetuo aberrassent et miseri remansissent, nil de sua felicitate Deus perdidisset, qui in se infinite, et immutabiliter beatus est. Nulla ergo ratio nec ex parte Dei, nec ex parte hominum afferri potest, ob quam Deus lapsum genus humanum reparare debuisset. S. Scriptura haud obscure indigitat, quod Deus hominem perditum in peccato et statu damnationis relinquere potuit. Nam dicitur: *Quis dicet tibi, quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti* (5)? Et: *Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israël* (6); id est, dissipare vos, sicut iste dissipavit vas, quod faciebat (7) et aliud facere, *ait Dominus?* Ideo *S. Augustinus* (8), loquens de peccato originali, quod totum genus humanum perdidit, ait: « Universa massa poenas debet, et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non iniuste procul dubio redderetur. » — Angeli nobilioris erant naturae quam homines, sed *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum*

(1) Gen. 1, 31. (2) Ps. 149, 3.
(3) Ps. 110, 2.
(4) V. Tournely l. c. Concl. 1; Klee l. 2, c. 2, art. 1, § 2.

(5) Sap. 12, 12. (6) Ierem. 18, 6.
(7) Ib. v. 4.
(8) L. de nat. et grat. c. 5.

tradidit cruciandos (1). Eodem modo Deus etiam homines peccantes in statu peccati relinquere, et damnationi subiicere potuisset, quin ipsum de minima iniustitia arguere fas esset. — Nonnullae equidem rationes adduci solent, quae aliquo modo ostendunt, quare Deus angelis peccantibus non pepercerit, lapsorum autem hominum misertus sit. Illi enim puri spiritus, horum vero animae carne circumdatae erant, unde Ps. CII, 13 etc. dicitur: *Misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Angeli alienum seductorem non habuerunt; homines autem ab Angelo decepti et seducti fuerunt. Inter Angelos tertia tantum pars peccavit; ast Adami peccato totum genus humanum obnoxium fuit, et, homine pereunte, mundus materialis quodammodo supervacaneus redditus est, quoniam proxime propter hominem conditus fuerat. Ast rationes istae solummodo aliquatenus ostendunt, congruum fuisse, ut homines potius quam Angeli a peccato redimerentur, sed nullatenus probant, Deum hominum lapsorum misereri debuisse, quoniam isti neque per infirmitatem, neque per seductionem a peccato excusari poterant, et propter hoc gratia divina penitus indigni erant. Idcirco S. Scriptura ubique clarissime docet, opus redemptionis humanae plane gratuitum esse, ac purum divinae misericordiae beneficium. Sic dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (2). *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* (3). *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cuius gratia estis salvati)* (4). *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus* (5). *Cum autem benignitas, et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* (6). *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum* etc. (7).

3. *Incarnatio non fuit absolute necessaria etiam ex hypothesi, quod Deus hominem lapsum voluerit reparare.* Nam Deus per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare, vel gratis illi condonando iniuriam sibi per peccatum illatam ut persona offensa et supremus iudex, vel acceptando aliqualem hominis satisfactionem, vel quoquo modo sibi placuisset. Infinita enim est et inexhausta divina potentia; et qui sumus nos, ut ei limites praescribamus? Multo sane plura potest Deus, quam nos excogitare valeamus. *Non erit tibi difficile omne verbum*, ait Ieremias (8): et Christus ipse dicit: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt* (9). Ss. Patres quoque docuerunt, Incarnationem non fuisse absolute necessariam ad lapsi humani generis reparationem, sed hanc etiam aliis modis perfici potuisse. *S. Athanasius* (10) inquit: « Etiam sine ullo eius (Salvatoris) adventu poterat Deus tantummodo dicere, et ita solvere maledictionem. Verum attendere oportet,

(1) 2 Petr. 2, 4. (2) Io. 3, 16.
(3) Rom. 5, 8 etc. (4) Eph. 2, 4, 5.
(5) Tit. 2, 11. (6) Ib. 3, 4 etc.
(7) 1 Io. 4, 9. — V. Tournely l. c. Concl. 2; Klee l. 2 c. 1, § 2 et 3.
(8) 32, 17. (9) Matth. 19, 26.
(10) Or. 2 (al. 3) c. Arian.

quid sit hominibus utile, non autem quid in omnibus possit Deus. » *S. Gregorius Naz.* (1) dicit: « Haec Salvator fecit, — cum tamen sola voluntate nobis utpote Deus, salutem afferre posset, quemadmodum et universam rerum machinam solo iussu atque imperio procreavit. » Hoc idem docet *S. Gregorius Nyss.* (2). *S Augustinus* (3) ait: « Sunt stulti qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, et nasceretur de foemina, et a peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicitur: poterat omnino; sed si aliter faceret, similiter vestrae stultitiae displiceret. » Et alibi (4): « Dicunt: itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines a miseria mortalitatis huius, ut unigenitum Filium Deum sibi coaeternum hominem fieri vellet? — cui quaestioni respondens, ostendit, non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta aequaliter subiacent. » *S. Leo M.* (5) ita loquitur: « Verax misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus infallibiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit. » Et (6) unico prolato verbo Deum homines a miseria liberare potuisse docet. *S. Bernardus* (7) de erroribus Abaëlardi dicit: « Quis negat, omnipotenti ad manum fuisse alios modos nostrae redemptionis, iustificationis, liberationis? Verum hoc non praeiudicat huius quem e multis elegit, efficaciae. » Etiam Theologi in hoc consentiunt, quod incarnatio non fuerit absolute necessaria ad humani generis reparationem. Quidam tamen solum sub distinctione id admittunt, dicentes Deum potuisse quidem absque Incarnatione et satisfactione hominem lapsum reparare *potentia absoluta et extraordinaria* (seu abstracte a caeteris attributis considerata), non autem potentia ordinata (i. e. iustitiae infinitae iuncta). — Sed haec distinctio merito repudiatur (Cf. § 207, nota 3); omnia enim attributa divina sunt una eademque simplicissima essentia, atque unum attributum sine altero operari non potest. Quicumque ergo praefatam distinctionem proponunt, reapse negant, Deum absque Incarnatione hominem lapsum reparare potuisse. Perperam etiam rationibus theologicis sententiam suam confirmare student; aiunt enim: Deus necessario et ex natura sua est iustus; imo est ipsa iustitia nec omnino potest esse iniustus, quia *seipsum negare non potest* (8). Atqui iustitia exigit punitionem peccati: ergo necessaria fuit simpliciter incarnatio, ut Christus per poenas peccato debitas iustitiae Dei satisfaceret: ita fere argumentatur Cl. *Tournely* (9), cuius argumentationem vellicat Cl. *Billuart* (10), dicens: « *Tournely*, licet agnoscat, Deum posse de potentia extraordinaria reparare hominem absque Incarnatione, tenet tamen non posse potentia ordinaria temperata virtute iustitiae, quasi vero potentia extraordinaria non debeat esse temperata virtute iustitiae. Forte poterit Deus de potentia extraordinaria aliquid iniustum? — Peccat ergo *Tournely* in ipso limine, et dum dicit, Deum non posse potentia ordinaria dimittere peccatum sine satisfactione, quia non potest esse iniustus, et se negare, probat pariter id non posse potentia extraordinaria, quia Deus non potest, etiam potentia extraordinaria facere

(1) Or. 19 (al. 9). (2) Or. Catech. c. 15.
(3) L. de agone christ. c. 11.
(4) L. 13 de Trin. c. 10.
(5) Serm. 2 de Nativ
(6) Serm. 63, c. 1.
(7) Epist. 190 ad Innoc. P. cap. 8.
(8) 2 Tim. 2. (9) L. c. Concl. 4
(10) L. c. art. 2

iniustum, et se negare. » Ast eandem obiectionem *S. Thomas* (1) sibi proponit, et sic respondet: « Ad tertium dicendum quod haec etiam (Dei) iustitia dependet ex voluntate divina, ab humano genere satisfactionem exigente pro peccato: nam si voluisset absque omni satisfactione hominem a peccato liberare, contra iustitiam non fuisset: ille enim iudex non potest, salva iustitia, culpam sine poena dimittere, qui habet punire culpam in alium commissam, puta, vel in alium hominem, vel in totam rempublicam, sive in superiorem principem. Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum et commune bonum totius universi; et ideo si dimittat peccatum quod habet rationem culpae ex eo, quod contra ipsum committitur, nulli facit iniuriam: sicut quicunque homo remittit offensam in se commissam absque satisfactione, misericorditer et non iniuste agit. Et ideo David misericorditer petens dicebat: *Tibi soli peccavi;* quasi dicat, potes sine iniuria mihi dimittere. »

Nota. Ut magis magisque pateat, Incarnationem ex parte Dei nullo modo necessariam, sed immensae duntaxat bonitatis, et misericordiae opus fuisse. Theologi ostendunt, in Deo respectu Incarnationis, neque moralem illam necessitatem seu obligationem adfuisse, quae ex meritis oritur, quibus remuneratio debetur. Ad quod probandum duplex meritum distinguunt, nempe *meritum de condigno*, quod resultat ex opere bono cui stricto iure praemium debetur, ita ut sine iniustitia negari non possit, et *meritum de congruo*, quod prodit ex opere bono, cui ex quadam dumtaxat decentia praemium debetur (ad prius requiritur status gratiae ex parte operantis, et promissio ex parte praemiantis, non vero ad posterius). Praeterea Incarnationem considerant *circa ipsam substantiam*, nempe prout dicit hypostaticam cum Verbo unionem, et *secundum varias illius circumstantias*, ex. gr. quod facta sit ex tali gente, familia, muliere, hoc vel illo tempore etc. Quibus praemissis, quaerunt, utrum Christi humanitas, veteres Patriarchae, et B. V. Maria meruerint Incarnationem Verbi? — Ad has quaestiones unanimi fere consensu sequentia respondent:

a) Humanitas Christi nec de condigno, nec de congruo meruit hypostaticam cum Verbo divino unionem; nam Christi humanitas sine unione hypostatica nunquam fuit, siquidem in primo instanti suae conceptionis unita fuit cum Verbo, ut fides docet adversus Nestorium; ergo illam non meruit, alias esset effectus prior sua causa: praeterea, ut cum *S. Thoma* Theologi docent, principium omnis meriti non cadit sub meritum; alias idem esset meritum et praemium, causa et effectus, adeoque idem seipso prius et posterius: atqui unio hypostatica in Christo est principium et radix omnis meriti, ergo illa non cadit sub meritum. Hinc *S. Augustinus* (2) dicit: « Hic (in mysterio Incarnationis) granditer et evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personae unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quae bona voluntas, cuius boni propositi studium, quae bona opera praecesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? » Hoc idem S. Doctor propugnat l. de praed. Ss. et de corrept. et grat. (3).

b) Veteres Patriarchae et alii iu-

(1) 3, q. 46, art. 2.
(2) In Enchir. cap. 39.
(3) Cap. 15 et 11.

sti, et Sancti V. T. homines non meruerunt, nec mereri potuerunt de condigno substantiam Incarnationis. Nam omne meritum humanum ex Christo vim et efficaciam habet; de fide enim est, nullum in statu naturae lapsae meritum esse, nisi ex meritis Dei incarnati: ergo Incarnatio secundum substantiam sumptam praesupponitur cuilibet merito, quomodo igitur Veteres illi substantiam Incarnationis meruissent? — Etiam ideo hanc non poterant promereri, quia quodcunque meritum purae creaturae ex quacunque gratia supernaturali elicitum, condignum non est, seu non satis proportionatum cum unione hypostatica: haec enim infiniti pretii et valoris est, omne autem meritum humanum est finitum. Hoc idem docet *S. Thomas* 3, q. 2, art. 11, qui, postquam ostendit humanitatem Christi non meruisse unionem cum Verbo, quia « omnis operatio illius hominis (1) subsecuta est unionem, ergo nulla eius operatio potuit esse meritum unionis; ita pergit: Sed neque alterius cuiuscunque hominis potuerunt esse meritoria huius unionis ex condigno. Primo quidem, quia opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem, quae est virtutis praemium, et consistit in plena Dei fruitione. Unio autem incarnationis cum sit in esse personali, transcendit unionem beatae mentis ad Deum, quae est per actum fruentis; et ideo non potest cadere sub merito. Secundo, quia gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium. Unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quae est principium gratiae secundum illud: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est* (2). Tertio, quia Incarnatio Christi est reformativa totius humanae naturae et ideo non cadit sub merito alicuius hominis singularis, quia bonum alicuius puri hominis non potest esse causa boni totius naturae. » His probatis, angelicus Doctor haec addit: « Ex congruo tamen meruerunt sancti Patres incarnationem desiderando et petendo; congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant. » Sed hoc dictum Theologi non de substantia Incarnationis, sed de aliquibus eiusdem circumstantiis intelligendum esse censent. Ita Abraham sua prompta obedientia hanc gratiam meruit, ut ex ipsius semine Messias nasceretur: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae* (3). Sic Davidi, cuius mansuetudo et zelus pro gloria Dei laudatur, dicitur: *Iuravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (4). Ita Daniel (5), quia *vir desideriorum* (6) erat, suis suspiriis, et precibus meruit contrahi tempus adventus Messiae, dicente Angelo (7): *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum*, etc. Meritum porro illud de congruo duntaxat fuit, non de condigno, quia nullum Deum inter et homines pactum intercessit.

c) B. V. Maria non de condigno meruit, ut Verbum caro fieret, aut ut ipsa fieret Mater Dei. Id patet tum ex iis, quae antea dicta sunt, tum quia licet opera B. Virginis praestantissima fuerint et excellentiae singularis, non tamen pretii ac valoris infiniti, ac consequenter non eiusdem ordinis cum unione hypostatica, tum quia nulla Dei promissio intercesserat, nec ad dignitatem illam aspirabat humillima Virgo, quae, Angelo tantum beneficium annunciante, turbata fuit. — Sed tamen B. Virgo per gratias et dona

(1) Luc. 1, 35. (2) Ioan. 1, 17.
(3) Gen. 22, 18. (4) Ps. 131, v. 1, 11. (5) Cap. 9. (6) V. 23. (7) V. 24.

Dei, quibus sanctissima vita respondit, ita praeparata et disposita fuit, ut quantum fert conditio creaturae, decenter maternitatem reciperet; et in hoc sensu, per virtutes suas de congruo hanc dignitatem meruisse, recte dicitur. Ideo ipsa B. Virgo in suo Cantico dixit: *Respexit humilitatem ancillae suae* (1): quorsum autem Deus respexit humilitatem B. Virginis, nisi ut illi concederet Maternitatem, propter quam eam *Beatam omnes nationes* dicturae essent? Etiam Ss. Patres meritum in Maria agnoscunt, per quod maternitate divina digna facta est. S. *Ambrosius* (2) ait: « Quid in singulis immoror, quae (B. V. Maria) digna fuit, ex qua Filius Dei nasceretur? » S. *Hieronymus* (3) ad Eustoch. scribit: « Propono tibi B. Virginem, quae tantae extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur. » S. *Augustinus* (4) dicit: « Concipere et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. » S. *Gregorius M.* (5) inquit: « Meritorum verticem usque ad solium divinitatis erexit. » Ipsa Ecclesia ad Mariam clamat: « quem meruisti portare, resurrexit. » In Maria ergo meritum non quidem de condigno, sed saltem de congruo agnoscendum est. Ideo S. *Thomas* (6) docet, « quod B. Virgo non meruit Incarnationem, sed supposita Incarnatione meruit, quod per eam fieret, non quidem merito condigni, sed merito congrui. » Et 3, q. 2, art. 11 ad 3 ait: « B. Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei. » — Ex integra hac doctrina clare apparet, Incarnationem Filii Dei nullis praecedentibus meritis debitam fuisse, sed eam soli benignitati et misericordiae Dei adscribendam esse (7).

(1) Luc. 1, 48. (2) L. 2 de Virgin.
(3) L. 2, Epist. 17.
(4) L. de nat. et gratia c. 36,
(5) In lib. 1 Reg. cap. 1.

II. *Incarnatio hypothetice necessaria fuit ex parte lapsi generis humani.*

§ 344. Si probari potest, Deum peccatum sine condigna satisfactione remittere noluisse, et nullam puram creaturam pro peccato condignam satisfactionem exhibere potuisse, manifeste concludendum est, Incarnationem ad humani generis reparationem necessariam fuisse. Utrumque autem sat firmis argumentis probari potest.

1. Ad offensum spectat determinare, qua conditione offensas remittere, et quam satisfactionem exigere velit. Homo equidem, dum de condonandis iniuriis agitur, mandata divina exequi, et regulas iustitiae et charitatis observare tenetur: Deus autem nullis legibus subiectus et undequaque independens liberrime modum determinat, quo illatas sibi iniurias remittere velit. Talis igitur modus nullatenus per rationem, sed per solam revelationem cognosci potest. Haec autem clare testatur, Deum peccata hominum gratis condonare noluisse, sed pro iis condignam satisfactionem exegisse, et quidem a Filio suo incarnato praestandam. Nam Io. III, 14 dicitur: *Exaltari* (in cruce) *oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Ergo ad salutem hominis recuperandam *oportuit*, seu necesse fuit, ut Filius Dei incarnatus passionem subiret, quod dici non posset nisi supposito decreto divino, hanc satisfactionem exigente.

(6) In 3, d. 4, q. 3, art. 1 ad 6.
(7) Cf. Tournely de Incarn. q. 6, a. 2; Thom. ex Charm. Diss. 5, cap. 2; Klee l. 2, cap. 2, art. 1. § 3.

Luc. XXIV, post commemoratam (v. 20) passionem et mortem, v. 26 dicitur: *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Non *oportuit autem pati Christum*, nisi quia oportuit exequi voluntatem Patris, condignam satisfactionem postulantis. Ideo Paulus aperte docet, nos iustificationem, seu peccatorum remissionem obtinere in Christo Iesu, *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum* (1); non posset autem dici, propitiationem in sanguine Christi *ad ostensionem iustitiae* divinae factam esse, nisi haec eadem iustitia divina passionem et mortem incarnati Filii Dei tanquam condignam satisfactionem exegisset. Idem Apostolus dicit: *Sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidem coelestium his mundari, ipsa autem coelestia melioribus hostiis quam istis* (2); quae verba hunc sensum referunt: necesse fuit, ut haec quae dixi, tabernaculum, vasa, sacerdotes, populus Iudaicus etc. quae Ecclesiae et rerum, quae fiunt in Ecclesia, typi erant et figurae, typico pecorum sanguine mundarentur: at vero res figurata, Ecclesia spiritualis, coelestis et divina, spirituali et divino sanguine Christi debuit sanctificari, quod in subsequentibus versiculis fusius exponitur. - Ergo si necesse fuit, nos a peccatis mundari et sanctificari sanguine Christi, manifestum est argumentum, Deum noluisse absque condigna satisfactione peccatum remittere. Idem confirmatur, ubi dicitur: *Impossibile est, sanguine hircorum et taurorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi* (3); id est: quia vetera sacrificia non poterant expiare peccata, nec erant ad hoc instituta, sed tantum ad cruentum Christi sacrificium praefigurandum, hinc Christus ingrediens, id est, in primo Incarnationis instanti dixit Deo: sacrificia vetera tibi non satisfecerunt; nunc autem corpus mihi dedisti aptum immolationi, corpus scilicet passibile et mortale, sed unitum Verbo divino, et ideo hostiam infiniti valoris Deo dignam: *Tunc dixi: Ecce venio..... ut faciam, Deus, voluntatem tuam* (4); et condignam, quam exigis, satisfactionem tibi offeram meipsum immolando (5). Christus ergo *unam pro peccatis offerens hostiam* (6) voluntatem Patris implevit, seu decretum divinum executus est, peccata hominum non sine condigna satisfactione remittendi.

2. Condignam pro peccato satisfactionem Deo praestare non potuisset pura creatura, seu ea quae hypostatice Deo non est unita. Et in primis manifestum est, quod homines per peccatum originale inimici Dei facti non potuerint propriis viribus Deo reconciliari, et supernaturalem sibique indebitam gratiam recuperare. Ideo Apostolus de hominibus ait: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei* (7), per quam intelligit redemptionem a Christo peractam, ut ex praecedentibus et subsequentibus patet. « Non erat possibile, ait *S. Irenaeus* (8), eum hominem, qui semel victus fuerat, et elisus per inobedientiam replasmare et obtinere bravium victoriae. » Imo Ss. Patres clare docent, nullam puram creaturam, quantacunque gratia exornata supponatur, potuisse pro peccato

(1) Rom. 3, 25. (2) Hebr. 9, 22 etc.
(3) Hebr. 10, 4 etc. (4) Ib. v. 7.
(5) Ib. v. 10, 11 etc. (6) Ib. v. 12.
(7) Rom. 3, 23. (8) L. 3, c. 28, n. 2.

condignam satisfactionem praestare. Sic *S. Basilius* Hom. in Ps. XLVIII, exponens illa verba : *Fratres non redimit, redimet homo : non dabit Deo placationem suam*, ita loquitur: « Neque igitur fratrem in redemptionem quaere, sed aliquem, qui tuam excedat naturam : neque hominem nudum, sed hominem Deum Iesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo dare potest placationem. » Eadem fere habet *S. Ambrosius* in eundem Ps., ubi de Christo dicit : « Ipse solus est, qui redimit hominem... quia pro alienis sanguinem suum fudit, quem nemo potest offerre pro fratre. » *S. Athanasius* (1) inquit : « Nisi quæ propria sunt carnis, Verbi esse dicerentur, ab his homo non penitus fuisset liberatus. » — *S. Augustinus* (2) scribit: « Neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et hominum Iesum Christum, nisi esset et Deus. » *S. Cyrillus Alex.* (3) ait : « Quo pacto unus pro omnibus mortuus iustum pro omnibus pretium exsolvere potuit, si perpessionem illam puri cuiusdam hominis esse dicamus? » ubi supponit, hominem purum, gratia ornatissimum, qualem Nestorius dicebat Christum, non potuisse pretium condignum exsolvere. *S. Leo M.* (4) ita de Christo loquitur : « Nisi esset verus Deus, non afferret remedium ; si non esset homo, non praeberet exemplum. » *S. Fulgentius* (5) haec habet: « Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi in unionem Verbi Dei... transiret. » *S. Anselmus* (6), ex professo ostendens, condigne pro peccato satisfacere non posse nisi *hominem Deum*, inquit: « Hanc satisfactionem non potest facere nisi Deus; nec debet nisi homo, necesse est, ut eam faciat *Deus homo*. » *S. Thomas* (7) ad quaestionem, utrum fuerit possibilis alius modus liberationis humanae, quam per passionem Christi, respondet : « Aliquid potest dici possibile, vel impossibile dupliciter: uno modo simpliciter et absolute; alio modo ex suppositione. Simpliciter igitur et absolute loquendo possibile fuit Deo alio modo hominem liberare quam per passionem Christi, quia *non est impossibile apud Deum omne verbum* (8). Sed ex aliqua suppositione facta fuit impossibile. Quia enim impossibile est Dei praescientiam falli, et eius voluntatem, seu dispositionem cassari, supposita praescientia, et praeordinatione Dei de passione Christi; non erat simul possibile Christum non pati, vel hominem alio modo, quam per eius passionem liberari. » Idem (9) omnino negat, potuisse ab homine puro plene ac perfecte Deo pro nostris peccatis satisfieri, « tum quia tota humana natura erat per peccatum corrupta, nec bonum alicuius personae vel etiam plurium poterat per aequiparantiam totius naturae detrimentum recompensare ; tum etiam quia peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinae maiestatis : tanto enim offensa est gravior, quanto maior est ille in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei et hominis existens. » — Praeeunte *S. Thoma*, Theologi etiam rationibus theologicis probant, puram creaturam non posse pro peccato condignam satisfactionem prae-

(1) Or. 3 (al. 4) c. Arian. n. 33.
(2) In Enchir. c. 108.
(3) Epist. 1 ad Monachos Aegypti c. 17.
(4) Serm. 1 de Nativ.
(5) Lib. de Incarn. et gratia c. 4.
(6) Lib. 2 Cur Deus homo c. 6.
(7) 3, q. 46, art. 2.
(8) Luc. 1. 37. (9) O. 1 a 2 ad 2.

here, quia quaecunque satisfactio esset semper minor quam offensa illata. Nam gravitas offensae praecipue desumitur ex dignitate personae laesae, e contra valor satisfactionis praecipue petitur ex dignitate personae satisfacientis; atqui Deus offensus est infinitus, pura vero creatura satisfaciens est finita et veluti nihilum ante Deum, dicente Profeta: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum, et inane reputatae sunt ei* (1); ergo inter gravitatem offensae et valorem satisfactionis non potest esse aequalitas, et ideo a pura creatura condigna satisfactio praestari nequit. — Praeterea ad perfectam et condignam satisfactionem requiritur, ut sit ex bonis propriis personae satisfacientis, quamobrem servus domino suo ex rigore iustitiae satisfacere non potest, cum nihil habeat proprium. Ast respectu Dei nulla creatura aliquid proprium habet, quia Deus est omnium Creator et supremus Dominus, unde dicitur: *Cuncta, quae in coelo sunt, et in terra, tua sunt... Domine* (2). Ergo nulla pura creatura Deo pro peccato condignam satisfactionem praestare valet. Insuper veri nomi nis satisfactio ex bonis alias indebitis facienda est; unde ille, qui id tantum praestat ad quod ex aliis titulis obligatur, in sensu stricto nequit dici satisfaciens pro culpa antea commissa. Verum quaelibet creatura iam aliunde ad Deum perfecte colendum et amandum obligatur, in quem finem omnes facultates suas impendere debet: ergo nihil illi restat, per quod pro praeterito peccato condignam satisfactionem praestet. Errant ergo qui dicunt, etiam hominem purum per actum charitatis perfectae tantum Deo tribuere, quantum ab ipso per actum peccati ablatum fuit, atque ideo plene satisfacere: nam homo iam aliunde Deum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente diligere tenetur, quapropter actus charitatis eliciens praesentem obligationem adimplet, non autem Deo aliquid tribuit, quod per se ad praeteritas praevaricationes compensandas valeat. Ex his aliisque rationibus theologicis probatur, nullam puram creaturam pro peccato condignam Deo satisfactionem praestare posse. Denique pro hac doctrina argumentum afferri potest ex Concilio *Tridentino*, quod (3) dicit: *Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur:* ergo citra satisfactionem Christi non haberet homo, quo condigne satisfaceret.

Nota. Ex tradita doctrina varia documenta moralia erui possunt. *a*) Omnes iustitiae hominum, Angelorum cunctarumque creaturarum possibilium unico peccato mortali conligne expiando non sufficiunt. Agnoscamus ergo, quale sit monstrum, quod nequit tot sanctorum legionibus interimi, qualis deformitas, quae nullo totius creatae sanctitatis nitore mundari potest, quales tenebrae, quae adeo splendidis sanctorum omnium radiis illustrari non valent: quia nimirum peccatum summum malum est, et malorum omnium summa. Recte exclamat S. *Bernardus* (4): « Agnosce homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est, Dominum Christum vulnerari. Si non essent haec ad mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. » - *b*) Eadem doctrina humilitatis sensus cordi nostro inge-

(1) Is. 40, 17. (2) 1 Par. 29, 11. (3) Sess. 14. c. 8. (4) Serm. de Nativ.

rere debet. Ex illa quippe clare perspicimus, quod propriis viribus relicti Deum quidem offendere, sed non illum placare, animam peccatis inquinare, sed non illam mundare, aeternam damnationem mereri, sed non ab ista nos liberare possimus. Hanc miseriam et infirmitatem nostram probe cognoscentes, et humiliter confitentes, divinam facilius misericordiam consequimur, dicente Deo: *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, et contritum Spiritu, et trementem sermones meos* (1)? et: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (2). — *c*) Praecipue autem ex dictis immensa Dei erga homines dilectio elucet. Deus enim nullis motivis coactus, nullis legibus impulsus, sola misericordia motus, Incarnationem Filii sui decrevit. Perpendamus hunc Dei erga nos amorem, perpendamus, inquam, amorem hunc Dei, qui Filium suum unigenitum, Filium suum carissimum propterea incarnari, nasci ac mori voluit, ut nos ab ira Dei, qua nihil gravius, e regno satanae, quo nihil tristius, ab aeterna morte, qua nihil horribilius est, liberaret. Tantum beneficium haud frequenter et serio meditari, pessima incuria, et talem benefactorem non redamare, horrenda cordis duritia esset, merito ignibus aeternis torquenda. — Ut tantum ingratitudinis monstrum procul sit a nobis, exclamat Apostolus Ioan.: *Diligamus ergo Deum, quia ipse prior dilexit nos* (3); et *S. Augustinus* (4) dicit: « Si amare pigeat, saltem redamare non pigeat.» Et *S. Leo M.* (5) inquit: « Authorem suum humana natura, sciendo, quantum ab eo sit dilecta, plus diligat. Miserendi enim nostri causam Deus nisi in sua bonitate non habuit. »

(1) Is. 66, 2. (2) Iac. 4, 6. (3) 1 Io. 4.
(4) L. de cathech. rudibus c. 4

CAPUT VI.

DE POSSIBILITATE, ET CONVENIENTIA INCARNATIONIS

§ 345. Revelatio christiana ita comparata est, ut licet multa in se contineat, quae rationem superant, nec minimum tamen proponat, quod rationi contrarium sit. Non est ergo cur sanae rationis areopagum reformidet. Imo excellentia huiusce Religionis revelatae eo clarius apparet, quo magis per sanam Philosophiam, iustos terminos non trascendentem, consideratur (v. Th. gen., § 297). — Quod hic in genere dictum est, recte etiam doctrinae de Incarnatione applicatur. Quamvis enim haec veri nominis mysterium sit, et perfecte comprehendi non possit; nihilominus non solum licitum, sed et utile est, ut ratio quoque circa illam functiones suas peragat, dogmata de tam admirabili opere revelata magis magisque cognoscere satagat, quomodo tum inter se, tum cum principiis rationalibus conveniant, attentius indaget, et sic per ipsam fidem ad sublimiorem quandam intelligentiam evehi studeat. — Ex hac ratione iam scholastici de possibilitate et convenientia Incarnationis disserere consueverunt. Talis tractatio nostris praecipue temporibus perquam necessaria est, in quibus non pauci dantur, qui falsae Philosophiae principiis imbuti, sicut caetera mysteria revelata, ita etiam doctrinam de Incarnatione impugnare tentant, eamque ut rectae rationi repugnantem et absonam reiicere non verentur. Sic *Socinus* (6), *Spinoza* (7), *Wegscheider* (8), et generatim *Sociniani*, *Pantheistae* et *Rationalistae* omnem lapidem movent, ut doctrinam de Incarnatione

(5) Serm. 13 de Passione.
(6) Expl. in c. 1 Io.
(7) Epist. 21 ad Oldenb.
(8) Instit. Theol. chr. dogm. (1844 p. 483 etc.)

rectae rationi repugnare ostendant. Contra adversarios istos doctrina catholica vindicanda, atque probandum est, 1° *Incarnationem possibilem esse*, nullamque involvere repugnantiam, aut contradictionem; 2° imo eandem etiam *convenientissimam*, seu subiectis, quae respicit, et finibus, ad quos refertur, accommodatissimam esse.

ARTICULUS I.

De Incarnationis possibilitate.

§ 346. Quidquid apertam et absolutam contradictionem non involvit, per omnipotentiam divinam effici potest (§ 42), ac ideo possibile est dicendum; unde Luc. XVIII, 27 legitur: *Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Atqui nulla est aperta repugnantia, aut absoluta contradictio, quod Verbum divinum sibi copulet arctissimo et indissolubili vinculo naturam humanam: ergo concedendum est, Incarnationem possibilem esse. Hoc argumento usus est Archangelus Gabriel, quando B. V. Mariae arcanum hoc mysterium proposuit credendum, inquiens: *Quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum* (1). — Quilibet autem facile videt, totam huius argumentationis vim pendere a propositione minori, qua dicitur, Incarnationem Verbi nullam apertam repugnantiam, seu absolutam contradictionem involvere. Haec igitur propositio solide probanda, seu potius contra adversarios defendenda est.

1. Positivum argumentum, quo certissimo probatur, Incarnationem rectae rationi non repugnare, petitur ex facta nobis Revelatione divina. Certum enim est, ut ex hactenus probatis constat, mysterium Incarnationis a Deo nobis revelatum esse. Quidquid autem Deus revelat, falsum esse, aut rectae rationi repugnare non potest, quia Deus ipsa Veritas est, et tum per rationem, tum per Revelationem ad nos loquens, sibi contradicere nequit. - Ergo Incarnatio rectae rationi non repugnat, adeoque quacunque ex parte possibilis est dicenda. Hoc argumento ad illos, qui Incarnationem impossibilem et absonam dixerunt, confutandos iam usus est *S. Augustinus* (2), qui solita sua facundia breviter omnia ea argumenta exponit, quibus adversus Gentiles, et Iudaeos manifeste ostenditur, veram esse Religionem, a Iesu Christo nobis promulgatam, unde postea sequitur, etiam verum esse mysterium Dominicae Incarnationis, quod doctrinae christianae caput est et fundamentum.

2. Aliquam huius mysterii similitudinem, tametsi longissime distantem, nobis suppeditat coniunctio animae cum corpore ad individuum humanum constituendum; quamvis enim anima sit naturae a corpore omnino diversae, utpote spiritualis, potuit tamen divina omnipotentia ita utrumque coniungere, ut una inde resultaret humana natura, unum individuum, una persona: pari ergo ratione potuit Deus naturam humanam sibi tam arcte copulare, ut unum exurgeret suppositum divinum in duabus naturis subsistens. Hoc quoque argumentum indigitat *S. Augustinus* (3) dicens: « Quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permistus sit, ut una fieret persona Christi, cum hoc semel fieri oportuerit, quasi rationem ipsi reddant de re, quae quotidie fit, quomodo misceatur anima corpori, ut una fiat persona hominis: nam, sicut in unitate personae anima unitur corpori, ut homo sit, ita in unitate

(1) Luc. 1, 37. (2) In Ep. 137 ad Volusian. (3) In citata Ep. ad Volus

personae Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mistura est animae et corporis; in hac persona mistura est Dei et hominis; si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam, quamquam et in ipsis corporibus aëris lux incorrupta misceatur, etc.»

3. In praesenti controversia nos versamur in propositione negativa, et pleno iure tamdiu negamus, in doctrina de mysterio Incarnationis contradictionem inveniri, quamdiu adversarii hanc non evincunt. Contradictio enim supponit duas saltem ideas claras et certas, quae se mutuo tollunt, aut e diametro sibi opponuntur. Ad adversarios ergo spectat, tales duas ideas, apertam et absolutam contradictionem involventes, ostendere, quamdiu id non praestiterint, contradictio rectissime negatur. — Sed nullus adversariorum id unquam praestitit, quoniam obiectiones ab his propositae a Ss. Patribus et Theologis solidissime confutatae sunt, ut ex dicendis apparebit: ergo contradictio iure negatur, et Incarnatio omni iure possibilis dicitur. Hoc ipsum ex attenta doctrinae revelatae consideratione elucet. Incarnatio enim est unio hypostatica naturae divinae simul et humanae in una persona Verbi. Si ergo contradictio daretur, haec esset vel *ex parte Verbi naturam humanam assumentis*, vel *ex parte naturae assumptae*, vel *ex parte unionis;* sed ex nulla parte repugnantiam, seu contradictionem evinci posse, ex dicendis patebit.

I. *Nulla datur repugnantia ex parte Verbi assumentis.*

§ 347. Iuxta dogma catholicum contra Eutychen definitum duae naturae in Christo, divina et humana, post unionem hypostaticam integrae, inconfusae et impermixtae permanserunt. Verbum itaque divinum ob unionem cum humanitate nec in possessione divinae maiestatis et beatitudinis turbatum, nec quoad infinita sua attributa circumscriptum fuit, eiusque divinitas nullam vel mutationem, vel passionem in se recepit; ergo iuxta doctrinam catholicam ex parte Verbi naturam humanam assumentis nulla contradictio datur. Frustra adversarii talem repugnantiam evincere tentant.

Obi. I. Doctrina de Incarnatione penitus convenit cum Ethnicorum commentis, qui deos colebant ex mulieribus natos, ex corpore et anima compositos, et post varia fata in coelum raptos. Tales autem fabulae merito ab omnibus Christianis reiiciuntur, utpote rectae rationi aperte contradicentes, quae Deum aeternum et perfectissimum Spiritum esse cognoscit. Eodem modo repudianda est doctrina de Incarnatione, quae Deum natum, conceptum, corpore circumscriptum etc. proponit.

Resp. Maxima impietas et vesania est Christianorum de Verbo incarnato doctrinam commentis Ethnicorum aequiparare. Ab his enim illa tum authentia, tum interna natura, tum fine quam maxime differt. Quae enim Ethnici in sua mythologia fabulabantur, nulli authentico monumento innitebantur, sed tantum ex poëtarum fictionibus, aut ex corrupta et erroribus repleta populorum traditione originem trahebant; ast doctrina de Verbi Incarnatione ex authenticis et infallibilibus monumentis, nempe ex sacris V. et N. Testamenti libris probatur, innumeris miraculis confirmatur, et firmissimis credibilitatis motivis innititur. — Praeterea Ethnici autuma-

bant, deos deasque, cum concipe-rentur et nascerentur, existentiam suam incepisse, ipsa corpora ad divinitatis essentiam pertinere, eique sicut non aeternitatem, ita nec spiritualitatem et immensitatem competere. Ast iuxta doctrinam christianam Verbum, quod in tempore naturam humanam assumpsit, ab aeterno extitit, eiusque essentia etiam post unionem simplicissima et immensa manet. — Denique quae ab Ethnicis de origine et fatis deorum dearumque asserebantur, non ad nobiles et honestos, sed plerumque ad inanes, aut etiam ad turpes fines referebantur. Verum incarnatio ex sapientissimo consilio decreta, et ad finem nobilissimum et saluberrimum directa fuit, ut iam probatum est § 337 etc.

Obi. II. Illa doctrina absurda et rationi repugnans est, quae Deo mutationem adscribit; immutabilitas enim Dei ex ratione et revelatione certissima est. Admissa autem Incarnatione, etiam mutatio in Deo facta concedenda est. Nam ille vere et intrinsece mutatur, qui vere et intrinsece incipit uniri naturae, cui uuitus antea non erat: atqui Verbum divinum, si carnem vere assumeret, vere ac intrinsece uniri inciperet cum natura humana, cui antea unitum non erat; ergo vere et intrinsece mutaretur. Vel etiamsi admitteretur, naturam divinam integram et impermixtam remansisse; tamen, posita Incarnatione, dicendum foret, quod Deus homo factus aliter se habuisset post Incarnationem atque ante fuit; accessisset enim divinae personae relatio ad naturam humanam, qua antea caruit, et sic mutatio contigisset. Denique, cum assumptio naturae humanae in tempore facta sit, haec ipsa actio in Verbo, ad actum in tempore transeunte, mutationem supponit.

Resp. Ex mysterio Incarnationis nullatenus sequitur, Verbum divinum mutatum fuisse. Omnis enim mutatio facta est in natura humana, quae fuit a Verbo assumpta, et secundum hanc solam dicitur Verbum in utero Virginis conceptum, natum, passum et mortuum: non autem in natura divina, quae aeterna est et immutabilis. Quamobrem observat *S. Augustinus* (1), Apostolum dixisse de unigenito Filio Dei quod *habitu* sit *inventus ut homo* (2); ut intelligeremus, non mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste induta mutantur. Verum quidem est, humanitatem a Verbo assumptam esse non *modo accidentali*, ut ab homine assumitur vestimentum; sed Verbum *vere et intrinsece* hominem factum esse. Ast duplex est hujus propositionis sensus. Si per *intrinsece* intelligitur, quod unio illa non moralis tantum fuerit, sed personalis et hypostatica, vera est propositio, et dogma catholicum exprimitur. Si autem intelligitur, verbum humanam naturam in seipso recepisse tanquam novam formam, aut perfectionem, falsa est: atque in hoc tantum sensu mutationem argueret. Mutatio enim unice cadit in rem, quae aut novam aliquam perfectionem acquirit, aut aliquid perfectionis possessae amittit. Quando autem Verbum carnem assumpsit, nihil ipsi ab humanitate accessit, unde perficeretur, nihilque de nativis perfectionibus deperiit. Verbum in Christo naturam quidem humanam complet, terminat ac perficit admirabili illa unione hypostatica, atque per hanc Deus fit homo, et homo Deus, atque perficitur homo, et in melius mutatur; at non perficitur Deus. Id etiam

(1) L. 83 qq., q. 2. (2) Phil. 2. 1.

per similitudinem aliquo modo declarari potest. Si nova a Deo crearetur telluris portio, nulla inde fieret in sole mutatio, qui eam radiis suis illuminaret, neque ulla soli perfectio accresceret, quamvis praefata telluris portio per solem perficeretur. Sublimiori modo rem explicat S. *Augustinus* (1) dicens: « Cum sapientia homini accidit, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit; » ex quo concludit, etiam Verbum naturam humanam sibi hypostatice uniens mutatum non esse, quamvis humanitas per hanc unionem ad summum perfectionis gradum elevata fuerit: ideo (2) dixerat: « Homo Deo quidem accessit, non Deus a se recessit. » — Ast, aiunt adversarii, saltem nova relatio ad humanam naturam Verbo accessit, et cum illa in tempore assumeretur, nova actio a Verbo posita fuit, adeoque in isto mutatio contigit. — Verum qui ita ratiocinantur, Deum turpiter cum hominibus confundunt, qui tempori subiecti sunt, et omnia in tempore perficiunt, atque ideo de actu ad actum transeunt. Deus autem aeternus, et ita tempori subiectus non est, ut ne duo quidem momenta in ipso distinguantur (§ 25). Improprie tantum et ad captum humanum loquimur, cum dicimus Deum, aliquid modo velle aut facere, quod antea noluit, et non fecit; proprie enim Deus omnia uno, simplicissimo et simultaneo actu decernit et efficit. Ipsi Philosophi, recte de Deo sentientes, hoc principio utuntur, ut ostendant, Deum nec in creatione mutatum esse, quamvis iuxta nostrum concipiendi modum ipsi relatio ad res creatas accesserit, nec per conservationem et gubernationem mundi mutari, quamvis nos varias operationes divinas sibi succedentes distinguamus, quia omnis mutatio solum ex parte creaturarum contingit (§ 26). Ita pariter, dum de Incarnatione sermo est, omnis mutatio ex parte naturae humanae contigit, quae in tempore incepit, et variis vicissitudinibus subiecta fuit; Verbum autem aeternum, nulli tempori subiectum, et ideo prorsus immutabile permansit (3).

Obi. III. Si Deus universa propter gloriam suam operatur non potuit permittere Incarnationem, per quam eius gloria non promovetur, sed obfuscatur. Nam maiestate divina prorsus indignum est concipi, in utero gestari, nasci, pauperem esse, iniuriis, doloribus et ipsi morti subiici. Quaecumque autem Deum dedecent, a recta ratione admitti nequeunt, et ideo etiam Incarnatio non est admittenda, sed respectu Dei impossibilis dicenda.

Resp. Quid Deum deceat, aut dedeceat, non est hominum decernere. In tali iudicio facillime fallitur mens limitata. Unde Apostolus, de Christo crucifixo loquens, ait: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (4), idest, quod stultum Ethnicis videtur in Deo crucifixo, hoc ipsum omni sapientia humana sapientius est; et quod infirmum Iudaeis videtur in Messia crucifixo, hoc omni potentia humana fortius est. — Indignum sane non est Deo, aliis benefacere, sed id infinitae bonitati maxime congruit. Ast per Incarnationem maximum beneficium praestitum est hominibus, qui per illam a maxima miseria liberati, et aeternae salutis participes redditi sunt: ergo Incarnatio

(1) L. c (2) In eadem Ep. c. 3.

(3) Cf. Tournely de Incarn. q. 2, a. 1, Obi. ex parte Verbi. Gazzaniga de Inc. Sect. 1, c. 2.

(4) 1 Cor. 1 25

Deo indigna non fuit. Neque per istam maiestas Dei offuscata, aut beatitudo eius turbata fuit. Nam, sicut sol illuminando lutum nihil inde sordidi recipit, ita nec Verbum carni non peccato inquinatae, sed innocentissimae coniunctum ullo modo pollutum est. Et sicuti infinita Dei maiestas et beatitudo nihil deperdit, dum etiam de rebus minimis et vilissimis curam gerit; ita etiam infinita Verbi gloria et beatitudo per ea, quae in assumpta humanitate agebantur, nullo modo imminuta, aut turbata fuit. Nam si Christus conceptus, natus, passus, mortuus dicitur, haec iuxta dogma catholicum non in natura divina, sed in natura humana facta sunt. Hinc *S. Thomas* (1) ad eandem obiectionem respondet: « Si ea, quae ad defectum pertinent (ut pati, mori etc.) Deo attribuerentur secundum divinam naturam, esset blasphemia, quasi pertinens ad diminutionem honoris ipsius; non autem pertinet ad Dei iniuriam, si attribuantur ei secundum naturam assumptam. Unde in quodam sermone Ephesini Concilii (2) dicitur: Nihil putat Deus iniuriam, quod est occasio salutis hominibus. Nihil enim abiectorum, quae elegit propter nos iniuriam facit illi naturae, quae non potest esse subiecta iniuriis: propria vero facit inferiora, ut salvet naturam nostram. Quando ergo quae abiecta et vilia sunt, divinam naturam non iniuriantur, sed salutem hominibus operantur; quomodo dicis, ea quae causa nostrae salutis sunt, iniuriae occasionem Deo fuisse? » His accedit, quod in ipsis naturae humanae humiliationibus semper aliquis fulgor divinitatis resplendeat. Nam concipitur Christus in carne, sed de Spiritu sancto; nascitur, sed de Virgine; in humili et obscuro loco pannis involvitur, sed praecones habet Angelos canentes: *Gloria in excelsis Deo* etc.; iacet in praesepio, sed a Regibus adoratur; fugit in Aegyptum, sed ibi idola sua praesentia prosternit; vivit pauper et abiectus, sed stupenda miracula patrat; baptizatur, sed voce Patris glorificatur; esurit in deserto, sed ministros Angelos habet; rapitur a militibus, sed eos prius unica voce prosternit; crucifigitur, sed terra concutitur; moritur, sed sol obscuratur; sepelitur, sed propria virtute resurgit. Atque ita Christus ut se Deum simul et hominem probet, quasi alternis vicibus et divinitas humanitatem illustrat, et humanitas divinitatem obscurare videtur. Quodsi etiam nobilissimi fines perpendantur, ad quos Christi in natura humana humiliationes et passiones dirigebantur, nemo sanae mentis asserere poterit, illas rectae rationi repugnare et a Deo permitti non potuisse. Idcirco iam *Tertullianus* Marcioni, qui Deo indignum esse causabatur nasci, mori etc. dicebat (3): « Haec indigna Deo tibi videntur, nobis autem necessaria; et ita iam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quam salus hominis. »

Obi. IV. In doctrina de Incarnatione Verbi aperta contradictio datur. Omnes enim Theologi docent, opera Dei ad extra tribus divinis personis communia esse: concedunt etiam, Incarnationem esse opus ad extra, et tamen ut dogma defendunt, Incarnationem soli secundae Trinitatis personae propriam esse. Haec doctrina ideo etiam repugnat, quia una est et simplicissima trium personarum essentia, et quaelibet persona est ipsamet haec essentia ita ut tres unum sint. Fieri ergo non potest, ut una persona sine altera incarnetur, sed si

(1) 3, q. 16, art. 4 ad 2.

(2) P. 3, c. 10 Theodori Ancyr. serm. 2 de nativ

(3) Lib. 2, cap. 27

Verbum incarnaretur, Pater quoque, et Spiritus sanctus incarnati dicendi forent. Ast haeretici declarantur, qui Patrem incarnatum et passum dicunt, et solum Verbum incarnatum esse, credendum est: ergo aperta contradictio hac in doctrina continetur.

Resp. Dum Theologi docent, opera Dei ad extra tribus personis communia esse, excipiunt Incarnationem, quam soli secundae personae propriam esse dicunt. Nullatenus ergo hac in doctrina sibi contradicunt; alias etiam Philosophi sibi contradicerent, propositiones generales statuentes, easdemque per exceptiones quasdam limitantes. Praeterea Theologi Incarnationem sub duplici respectu considerant, nempe quatenus est naturae humanae creatio, conservatio etc., et quatenus est formalis unio cum aliqua persona: sub priori respectu eam esse a tota Trinitate concedunt; sub posteriori eam solius secundae personae propriam dicunt. Incarnatio igitur in his quae externa sunt, et causam efficientem postulant, est a tribus personis efficienter; sed formaliter est solius Verbi, quia Verbum solum naturam humanam per suam subsistentiam propriam complet ac terminat, eam sibi hypostatica unione coniungendo. — Neque contradictio ex eo sequitur, quia una est trium personarum essentia, seu natura: contradictio enim sequeretur si unio, in qua posita est Incarnatio, facta esset in natura divina, in qua tres personae unum sunt; nulla autem contradictio sequitur, si facta est in persona, qua parte sunt distinctae, et inter se se mutuo opponuntur. Atqui ex dogmatibus contra Eutychem et Nestorium probatis constat, unionem factam esse non in natura, sed in persona Verbi, quae naturam humanam perficit, ac ultimo terminat; ergo nulla contradictio sequitur. — Certum est enim ex Revelatione, tres divinas personas realiter inter se distingui, unde recte dicitur: *alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus*, atque ideo potest ratione personalitatis uni personae, aliquid proprium esse, quod non est proprium alteri; quamobrem etiam non repugnat, Incarnationem solius esse secundae personae. Concedendum quidem est, modum, quo id fiat, a nobis perfecte perspici et explicari non posse, quia mente limitata nec infinitam et simplicissimam essentiam divinam, nec distinctionem personarum comprehendere valemus. Sed ex hac ipsa ratione adversarii in proposita doctrina apertam pugnam seu contradictionem ostendere non valent. Et quia haec ostendi nequit, Revelationi immobiliter insistendum et humilis in tanto mysterio fides exercenda est.

II. *Nulla datur repugnantia ex parte naturae humanae assumptae.*

§ 348. Natura humana a Verbo assumpta non in divinam mutata est, sed integra, inconfusa et impermixta permansit; neque illa perfectiones divinas in se recipit, sed essentiales suas proprietates retinens a Verbo divino, cum quo hypostatice unita est, terminatur, perficitur et regitur. Nil profecto in hac doctrina invenitur, quod contradictionem involvat, aut rectae rationi repugnet. Quae autem ab adversariis opponuntur, facile refelluntur.

Obi. I. In doctrina de Incarnatione adest contradictio manifesta. Ex una enim parte affirmatur, Verbum naturam humanam integram assumpsisse, et perfectum hominem factum esse: ex altera autem parte hoc idem negatur, quia dicitur, naturam humanam in Christo propria subsistentia

carere, et non constituere personam humanam, quod idem est ac ipsam naturam humanam inficiari. Nam, ut cum Boëthio Theologi et Philosophi docent, persona est « naturae rationalis individua substantia; » ergo si Christo persona humana non attribuitur, ipsa humanitatis substantia, aut saltem substantialis proprietas ei denegatur.

Resp. In doctrina de Incarnatione nullatenus idem affirmatur et idem negatur; affirmatur enim natura humana, negatur autem persona humana: alia est autem ratio naturae, et alia ratio personae; sic, ex. gr., anima est natura spiritualis, et coniuncta corpori constituit personam humanam; sed si fuerit a corpore separata, retinet quidem naturam spiritualem, at non dicitur persona humana, quia pars est dumtaxat hominis, non totus homo. Exinde iam patet, perperam adversarios de manifesta contradictione gloriari, non enim idem sub eodem respectu de Christo affirmatur et negatur. Neque opponi potest, animam a corpore separatam non solum amittere rationem personae humanae, sed illam etiam non habere amplius integram naturam humanam, atque ita Christo, sublata persona humana, denegandam etiam esse naturam humanam. Hanc enim consequentiam falsam esse, ex eodem allato exemplo ostendi potest. Verum quippe est, animam a corpore separatam non habere integram naturam humanam, sed tamen retinet integram naturam spiritualem, quae est pars illius compositi, quod dicitur persona humana. Ita pariter Verbum post unionem hypostaticam est persona composita (§ 300), quia cum divinitate coniuncta est natura humana, quae est pars illius compositi, quod est Christus, Deus et homo. Sicuti ergo anima post separationem a corpore non constituit personam humanam, sed habet tamen integram naturam spiritualem, quae est pars personae humanae: ita Verbum post unionem hypostaticam, quamvis non habeat personam humanam, habet tamen integram naturam humanam, quae veluti pars concurrit ad totum compositum, id est, ad Deum hominem, seu ad Christum constituendum. — Falso etiam adversarii ex *Boëthii* definitione probare tentant, rationem personalitatis substantiam vel substantialem proprietatem humanitatis esse; nam allata definitio non ita est intelligenda, sed, ut Theologi observant, *substantia* sumitur pro subsistentia: sic *S. Thomas* (1) inquit: « Dicendum, quod substantia non ponitur in definitione personae secundum quod significat essentiam, sed secundum quod significat suppositum: quod patet ex hoc, quod additur individua. » Idcirco nonnulli Theologi clarius personam definientes dicunt, personam esse naturam rationalem in individuo subsistentem. Unde ad personam non sufficit natura rationalis, sed requiritur etiam, ut ipsa in individuo subsistat. Iam vero Verbum integram et perfectam naturam assumpsit, quod iam probatum est § 276 et seq.; sed tamen haec integra et perfecta natura humana, non est persona humana, quoniam illa non in individuo, non per se, sed in Verbo subsistit. Non tamen ideo integritati et perfectioni naturae humanae aliquid deest, quia dicta subsistentia non importat perfectionem, aut proprietatem essentialem, sed solum quemdam existendi modum: imo subsistere in Verbo pro natura humana maioris est dignitatis, quam subsistere in se ipsa (2).

(1) 1, q. 30, art. 1, ad 1.

(2) Cf. § 294 Resp. ad Obj. 1 et 2.

Obi. II. Difficultatem iam modo solutam sub alia forma recoquunt recentiores. Aiunt enim: « Rectae rationis limites transcenduntur, si ab originali duarum naturarum unione (in Christo) perfectio humanae naturae — in sola personalitate consistens — excluditur. Quid enim personalitas aliud est quam *conscientia sui* (vel *sui conscium esse?*) — et quid hoc aliud est nisi *essentialis forma* spiritus? An de *vera* humanitate sermo esse potest, *exclusa* essentiali (spiritus) forma, et admisso dimidio tantum; utpote sua forma carente spiritu, in velamine corporali? quomodo, his praesuppositis, Christus *Homo prototypus* dici poterit, si idipsum, quod hominem ut hominem efficit, nempe conscientia sui, personalitas, exulatur? Post talia praemissa *insania Apollinaris, necessarium* consectarium fuit. » ita *A. Günther* (1).

Resp. Citatus auctor videtur quidem ea, quae hic adlegata sunt, per modum obiectionis proponere; ast in epistola sequenti (11ª), in qua ad priorem responsio datur, obiectio haud debito modo solvitur, imo ne turpes quidem errores historici corriguntur, quibus (l. cit.) dicitur, quod post damnatum Eutychen, Nestorius naturae Christi humanae personalitatem suam vindicaverit, quod eo tempore divina Christi natura nondum impugnata fuerit, et quod ea definitionibus contra Nestorium editis insania Apollinaris originem duxerit! — Porro in eadem epistola non negatur, sed magismagisque confirmatur, personam non esse nisi conscientiam sui, et ideo (2) conceptis verbis dicitur: « Ego opinor, quod personalitas spiritus humani non sit personalitati Verbi divini, seu secundae Trinitatis personae mactanda, ut sic dicta hypostatica (personalis) unio duarum naturarum (substantiarum) metaphysice comprehendatur; » et post varias philosophicas disquisitiones concluditur, rectam modo notionem et persuasionem obtentam esse « de unione creatae personae cum persona absoluta » (3); et immediate additur, ad intelligendam unitatem personae in Christo, non obstantibus duabus naturis, applicandam esse sententiam (tum *S. Augustino, tum Leibnitio* falso adscriptam) qua unitas essentiae divinae, non obstantibus tribus personis, declaratur, et quae ita sonat: « Sunt ergo tres substantiae singulares, relatio una absoluta illas complectens, » id est, sicuti tres substantiae divinae, quia omnino aequales et inter se perfecte consentientes sunt, unus Deus nominantur; ita multo magis duae personae in Christo ob perfectum moralem inter se consensum unius personalitatis nomine insigniuntur. Quis iam talem doctrinam a putidis Nestorii erroribus distinguere valebit? — Ast palmaris Güntheri error in eo versatur, quod in conscientia sui rationem personalitatis reponat; qua in re non solum Philosophis et Theologis, sed etiam infallibili Ecclesiae contradicit. Nam omnes Theologi admittunt, Christum habere animam humanam rationalem, mente praeditam, atque consciam sui, et id Ecclesia contra Apollinarem definivit (§ 282). Et tamen eadem Ecclesia contra Nestorium definivit, unam esse in Christo personam, et ratio est, quia mente seu ratione praeditum, et sui conscium esse necessario quidem pertinet ad integritatem naturae humanae, sed non necessario constituit personam humanam, quia ad hanc requiritur, ut natura humana in individuo,

(1) Schola praepar. ad Theol. Specul. P. 2, Epist. 10, p. 214 (Viennae 1829).

(2) Pag. 244. (3) Pag. 253.

seu per se subsistat: unde natura humana, quae in Verbo subsistit, non potest constituere personam humanam. Perperam ergo *Günther* Scholasticos, qui doctrinam Ecclesiae fideliter sequebantur, de contradictione arguit: quod quam iniuste fiat, ex eo potissimum apparet, quia nullibi solide probat, notionem personae a Philosophis et Theologis communiter adoptatam falsam esse, sed loco solidae confutationis sarcasmis tantum indulget (1).

Obi. III. Aliae contradictiones in doctrina de Incarnatione inveniuntur. Docent enim Theologi de natura Christi humana in abstracto attributa divinitatis praedicari non posse, et tamen Christo ut homini *impeccantiam* attribuunt, quae soli Enti infinite perfecto competit. Praeterea admittunt, Christum integram naturam humanam assumpsisse, ac ideo etiam humanam voluntatem liberam habuisse; hanc ipsam autem iterum negant, Christo ut homini impeccantiam tribuentes, quia si impossibilis est abusus libertatis, impossibilis est etiam usus eiusdem: ergo aperta adest contradictio (2).

Resp. Theologi impeccantiam Christo praecipue ratione unionis hypostaticae attribuunt, ex qua fit, ut in utraque natura unus sit operans, Filius Dei, in quem peccatum cadere non potest. Recte autem et sine contradictione etiam de natura Christi humana impeccantia praedicatur, haec enim creaturis quoque competit, si ad summam suam perfectionem pervenerint, ut ex. gr. Angelis et Beatis: ergo impeccantia non est attributum, quod exclusive soli divinitati competit, sed quod et in creaturis inveniri potest. Neque ob impeccantiam, quae Christo tribuitur, naturae eius humanae libertas denegatur; sicuti enim peccare non est nisi a bono deficere, ita posse peccare non insinuat perfectionem libertatis, sed eiusdem defectum. Unde Deus, Ens infinite perfectum, sicuti peccare omnino non potest, ita pariter infinite perfecta libertate gaudet: ex quo patet, impeccantiam cum libertate consistere posse. Sed hac de re plura in proxima sectione dicentur, cum de libertate Christi in morte subeunda sermo erit.

(1) Cf. Oischinger Günther. ana Philos. etc. § 114. (2) W. Günther l. c. p. 220 etc.

III. *Nulla datur repugnantia ex parte unionis.*

§ 349. Unionem hypostaticam humanae rationis captum superare et vere incomprehensibilem esse, iam § 310 n. 3 probatum est. Frustra ergo laborat, qui unionem istam perfecte comprehendere et adaequate explicare praesumit. Ex hoc ipso autem sequitur, etiam adversarios ex parte huius unionis nullam contradictionem demonstrare posse. Nullatenus enim duae clarae ideae, sibi invicem aperte repugnantes, ostendi possunt in re, quae clare et perfecte perspici nequit. Caeterum ipsa ratio cognoscit Deum in creaturas, quas fecit et conservat, agere, et se vario modo cum illis coniungere posse. Et quia Deo omnipotentia et sapientia infinita attribuenda est, absque dubio, etiam talis modus unionis Deum inter et creaturam possibilis est, quem mens hominis limitata neque excogitare, neque comprehendere valet. Egregie hac de re loquitur *S. Thomas* (3): « Quia secundum quantitatem virtutis, quam Deus exercet in creaturam magis et minus dicitur creaturae uniri; patet, quod cum efficacia divinae virtutis humano intellectu comprehendi non possit, subli-

(3) Opusc. 3, c. 6.

miori modo Deus potest creaturae uniri, quam intellectus humanus capere possit. » Quamvis ergo Deus immensitate sua omnia repleat, et omnibus creaturis coniunctus sit, tamen « secundum quantitatem virtutis, quam Deus exercet in creaturam » varius unionis modus distingui potest, et debet. Quapropter idem angelicus Doctor (1) dicit: « Tribus modis est Deus in rebus: unus est communis per potentiam, praesentiam, et essentiam; alius per gratiam in Sanctis; tertius modus est singularis in Christo per unionem » (scil. hypostaticam). — Quodsi generatim modum, quo Ens infinitum operatur, et quo Deus in creaturas agit easdem creando et conservando, perfecte non comprehendimus, et si multo minus modum, quo Deus per supernaturalem gratiam in iustis habitat, explicare valemus; quis mirabitur, nos modum prorsus singularem quo Verbum hypostatice naturae humanae unitur, perspicere non posse? — Magna profecto tum impietas, tum insania esset negare, Deum omnipotentem talem cum sua creatura unionis modum efficere posse, qui limitatae mentis captum superat; sed non minoris impietatis et insaniae arguendus est, qui, cum Revelatio in mysterio Incarnationis talem unionis modum proponit, qui comprehendi non potest, nihilominus eundem diiudicare et tanquam absonum, contradictorium et impossibilem declarare praesumit. Ex ipsa potius unionis hypostaticae incomprehensibilitate concludendum est, in illa repugnantiam, seu contradictionem nequaquam ostendi posse.

Nota 1. Increduli contra propositionem nostram, sequentem movent difficultatem. Incarnatio, aiunt, repugnat ex parte unionis naturae utriusque, quia proportio quaedam esse debet inter extrema, quae uniuntur: atqui nulla est proportio inter divinam et humanam naturam, quae tanto a se invicem distant intervallo; quae enim esse potest finiti ad infinitum proportio? Ex hac ergo extremorum improportione nusquam accidens cum substantia uniri potest ad totum aliquod per se substantiale efficiendum. Ad hanc obiectionem refellendam Theologi recte distinguunt propositionem maiorem, et ita respondent: Inter duo extrema, quae unienda sunt, debet quidem esse *proportio habitudinis*, qua fit, ut ad coniunctionem, per virtutem quamdam perficiendam apta sint; non autem requiritur *proportio entitatis*, seu non requiritur, ut extrema aequalis sint naturae aut mensurae, vel ut ex natura sua ad coniunctionem disponantur. Si haec distinctio non admitteretur, nec anima unquam posset corpori uniri, quia nulla est entitatis proportio inter spiritum et materiam; nec mens humana unquam Deum intuitive videre posset, quia inter intellectum creatum et Deum videndum infinita est distantia. Est tamen inter recensita proportio quaedam habitudinis, quia anima habilis est ad coniunctionem cum corpore virtute divina perficiendam; mens pariter humana quamdam habet cum Deo intuitive videndo inchoatam proportionem habitudinis, qualis accurrit inter facultatem cognoscitivam et obiectum, quod cognosci potest, quae tamen facultas et proportio superiori lumine corroborari ac elevari debet, ut in obiectum supernaturale tendere possit. Ex his patet, quod inter duo extrema, quae unienda sunt, non requiratur proportio entitatis, sed sufficiat proportio habitudinis. — Itaque quamvis nulla sit quoad entitatem

(1) Lect. 2, in c. 2, Ep. ad Colos.

proportio inter finitum et infinitum, immensum et circumscriptum, est tamen proportio habitudinis, quia in Verbo adest virtus infinita, qua potest terminare, ac ultimo complere naturam humanam in ratione personae, et natura humana, utpote Dei creatura, habilis est ad actionem et influxum Verbi recipiendum (1). Eodem modo iam *S. Thomas* ad eandem obiectionem respondit (2), dicens: « Quamvis inter illas duas naturas (divinam et humanam) infinite distantes non sit proportio *entitatis* et *commensurationis*, est tamen quaedam *proportio ordinis*, scilicet potentiae activae Dei, quae est infinita et potentiae passivae in creatura; qua fit, ut Verbum divinum potuerit humanam naturam in consortium divinae assumere. »—Repugnantiam sane Incarnatio involveret, si diceretur, quod natura divina infinita per assumptam humanitatem incrementum ceperit, et maior facta sit: ast assertio talis abhorret a doctrina revelata, iuxta quam natura divina inconfusa et immutata permansit; atque ideo etiam dicitur, unionem Verbi incarnati non factam esse in natura, sed in persona Verbi, omnipotenti virtute sua naturam humanam assumentis, terminantis et complentis. Ideo *S. Thomas* (3) dicit: « Quod est perfectum in se non unitur alteri ad acquirendam, sed ad communicandam perfectionem. Et sic Deus homini uniri voluit non propter se, quia non habet, quo crescat eius perfectio, sed propter hominem cui subveniendum erat. »

Nota 2. *S. Augustinus* (4) Platonicos Philosophos alloquens eos opportune monebat, *humilitate opus esse*, ut credatur Deum assumpsisse humanam carnem sicuti catholica fides nobis credendum proponit. Et postquam nonnullis exemplis ex eorum Philosophia petitis ostenderit, hoc arcanum mysterium esse possibile et credibile, ita eos arguebat: « Quid causae est, cur... Christiani esse nolitis, nisi quia Christus humiliter venit, et vos superbi estis?.... quod iterum dico: Christus est humilis, vos superbi! an forte corrigi pudet? et hoc vitium nonnisi superborum est. Pudet videlicet doctos homines ex discipulis Platonis fieri discipulos Christi, qui piscatorem suo spiritu docuit sapere ac dicere: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* etc... Sed ideo viluit superbis Deus ille magister, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*: ut parum sit miseris, quod aegrotent, nisi se in ipsa aegritudine etiam extollant, et de medicina, qua sanari poterant, erubescant. Non enim hoc faciunt, ut erigantur, sed ut cadendo gravius affligantur. » Haec verba S. Doctoris ostendunt, difficultates quae contra doctrinam de Incarnatione moventur, non ex persuasione intellectus, qui in illa repugnantiam demonstrare nequit, sed ex superbia mentis procedere ea, quae eius captum superant, credere recusantis. Sed mysteria fidei credere oportet, non quia comprehenduntur, sed quia a Deo revelata sunt, ob cuius infallibilem auctoritatem in captivitatem redigendus est omnis intellectus in obsequium fidei. Humilitate ergo opus est, ut fides de Incarnatione Verbi in corde concipiatur, et per inania dubia et apparentes difficultates nunquam conturbetur.

(1) Cf. Tournely de Incarn. q. 2, a. 1.
(2) In 3 Sent. Dist. 1, q. 1, a. 1 ad 3.
(3) L. c. ad 2.
(4) L. 10, de Civ. Dei c. 29.

ARTICULUS II.

De Incarnationis convenientia.

§ 350. Nihil humanam rationem magis decet, quam tum ipsum Deum, tum eius opera considerare: et quo attentius haec investigat, eorumque indolem, finem mutuumque inter se nexum perscrutatur, eo efficacius ut in sanctam admirationem rapiatur, necesse est. Quod praecipue de mirabili Incarnationis opere adseverare oportet. Vere enim *S. Thomas* (1) dixit: « Pie consideranti mysterium Incarnationis semper magis ac magis mirabiles congruentiae et rationes se offerunt. » Quas paullo fusius referre haud supervacaneum sed saluberrimum est, ut iis et fidelium charitas inflammetur, et infidelium cureretur fastidium, quibus nostrum mysterium stultitia videtur. Et sane, ipsa ratio per Revelationem illustrata facile cognoscit, mysterium Incarnationis tum *Deo*, tum in specie *Verbo* seu *secundae Trinitatis personae*, tum *Religioni*, *Revelationi* et *Ecclesiae*, tum *toti humano generi* convenientissimum esse.

I. *Incarnatio convenientissima fuit Deo.*

§ 351. *S. Thomas*, ut hanc propositionem demonstret (2), ita disserit: « Unicuique rei conveniens est illud, quod competit sibi secundum rationem propriae naturae; sicuti homini conveniens est ratiocinari, quia hoc convenit sibi, inquantum est rationalis, secundum naturam suam. Ipsa autem natura Dei est essentia bonitatis. — Unde quidquid pertinet ad rationem boni, conveniens est Deo. Pertinet autem ad rationem boni ut se aliis communicet... Unde ad rationem summi boni pertinet, quod summo modo se creaturae communicet, quod quidem maxime fit per hoc, quod naturam creatam sic sibi coniungit, ut una persona fiat ex tribus Verbo, anima et carne, sicut dicit *Augustinus* (3) — Unde manifestum est, quod conveniens fuit Deum incarnari. » Hanc angelici Doctoris argumentationem declarans et confirmans, Cl. *Contensonius* (4) dicit: « Per opus Incarnationis Deus se summo modo communicavit; nullus enim maior est, vel excogitari potest communicationis modus eo quo natura divina et humana in eodem supposito subsistunt, et quo Creator et creatura una eademque persona evadunt. Nam in ordine quidem naturae dat Deus dona sua, sed naturalia; in ordine gratiae dat quidem supernaturalia, sed creata: in ordine gloriae dat quidem seipsum, sed in esse intelligibili; at in unione hypostatica dat seipsum secundum esse proprium, naturale et personale, ita ut sit verum dicere: Deus est homo, homo est Deus. In prima communicatione facit Deus hominem creaturam rationalem, in secunda sanctum, in tertia beatum, in quarta Deum. Ire ulterius divina profusio non potest, nisi aliquid quaeramus post omnia, vel aliquid sit maius Deo. » — Eadem convenientia alio quoque argumento probatur. Illud enim Deo maxime conveniens est dicendum, per quod infinitae ipsius perfectiones manifestantur, et sic eius gloria promovetur; nam ad istum nobilissimum finem omnia creata sunt (§ 141). Ast in mysterio Verbi incarnati divinae perfectiones, praesertim *Omnipotentia*, *Bonitas et Misericordia*, *Iustitia et Sapientia* maximo fulgore resplendent: ergo Incarnatio Deo convenientissima fuit.

(1) L. 4, c. Gentes cap. 54.
(2) 3, q. 1, art. 1.
(3) L. 13 de Trin. cap. 17.
(4) Theol. mentis et cordis l. 9, Diss. preamb. c. 1, Spec. 3.

1. *Omnipotentia* in mysterio incarnationis clarissime resplendet: idcirco illud *Opus Dei* per excellentiam nominatur dicente Propheta Hab.: *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud* (1). B. Virgo idem mysterium admirans ait: *Fecit mihi magna, qui potens est... fecit potentiam in brachio suo* (2). Deus nempe duas naturas tam extremas et distantes intime coniunxit, sine ulla tamen confusione et permixtione, servatis unicuique suis affectionibus ac proprietatibus, « ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio, » quemadmodum loquitur *S. Leo* (3). — Quot praeterea et quam stupenda divinae virtutis prodigia in nativitate Christi ex Virgine, in vita eius miraculis referta, in passione et morte, in resurrectione et ascensione eiusdem effulserunt! Merito igitur Ss. Patres divinam omnipotentiam ex Incarnatione relucentem disertissimis verbis extollunt. *S. Basilius* (4) ait: « Non tantopere coelum, nec terra, nec marium immensitas..... nec illa admirabili varietate distincta rerum universitas excellentem vim Dei commendat; quantum illud unum, potuisse Deum, qui comprehendi a nullo potest, citra passionem aliquam, per carnem cum morte congredi, ut propria passione nobis impatibilitatem tribueret. » *S. Gregorius Nyss.* (5) dicit: « Naturam omnipotentem ad humanae naturae vilitatem potuisse descendere, maius est potentiae argumentum, quam ingentia quaelibet, et stupenda miracula. Etenim magnum aliquid et excelsum elaborare divinam potentiam, naturae quodammodo consentaneum est, et consequens.... At vero delapsus ille ad id, quod abiectum est et humile, abundantia quaedam est potentiae, quae nec in illis quidem quae sunt praeter naturam impediri potest. » Quemadmodum ignem sursum niti nemo miratur: eundem vero si dehorsum gravium corporum more ferri videamus tum in admirationem rapimur. « Sic ergo divinam praestantemque vim, et potestatem non coelestium globorum magnitudines, non siderum splendores, non ille ornatus universi, non perpetua rerum administratio adeo demonstrat ut illa Dei ad naturae nostrae imbecillitatem descensio. » Iure itaque *S. Io. Damascenus* (6) « omnium novorum maxime novum, appellat, quod solum novum est sub sole, per quod infinita Dei potentia manifesta fit. Quid enim maius est, quam Deum hominem esse factum? » — Et *S. Augustinus* (7) scribit: « Quia ergo non oportebat, ut (Deus) novum faceret mundum, nova fecit in mundo. Homo enim de Virgine procreatus, et a mortuis in aeternam vitam resuscitatus, et super coelos exaltatus, potentius fortasse opus est, quam mundus. »

2. *Bonitas et Misericordia Dei* ex Incarnationis mysterio imprimis emicant. Etenim ad homines peccatores impios ac inimicos redimendos Filium suum unigenitum misit Deus (§ 338). Ideo dicitur: *Sic*, id est, tam immense, tam ineffabiliter, *Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret* (8) etc. Zacharias remissionem peccatorum obtineri dicit *per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto* (9). Paulus scribit: *Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei* (10). Ioannes inquit: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quo-*

(1) Cap. 3, 2. (2) Luc. 1, 49 etc.
(3) Serm. 20, seu 1, de Nativ. c. 2.
(4) Lib. de Spir. S. cap. 8.
(5) Catech. c. 24. (6) L. 3, orth. fid. c. 1.
(7) Epist. 5. (8) Io. 3, 16.
(9) Luc. 2 78. (10) Tit. 3, 4.

niam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris (1). Immensam Dei Filium suum in carne mittentis charitatem et misericordiam etiam Ss. Patres diserte praedicant. *S. Augustinus* (2) dicit: « Gratia Dei non potuit gratius commendari, quam ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens indueret hominem, et spem dilectionis suae daret hominibus, homine medio, quo ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longe erat immortalis a mortalibus, incommutabilis a commutabilibus, iustus ab impiis, beatus a miseris. » Et *S. Leo M.* (3) ait: « Semper quidem diversis modis, multisque mensuris humano generi bonitas divina consuluit, et plurima providentiae suae munera omnibus retro saeculis clementer impertiit; sed in novissimis temporibus omnem abundantiam solitae benignitatis excessit, quando in Christo ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit. »

3. *Iustitia* quoque divina in mysterio Incarnationis luculentissime manifestatur. Deus enim pro hominum peccatis condignam satisfactionem exegit, quam purae creaturae ne unitis quidem viribus praestare potuissent (§ 344). Ideo ipse Filius Dei *semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (4), ut per hoc cruentum infiniti pretii sacrificium condignam Patri satisfactionem exhiberet, peccatum tolleret, hominesque a miserrimo suo statu liberaret. Hinc Paulus diserte docet, Deum in Verbo incarnato iustitiam suam ostendisse; ait enim, redemptionem factam esse *in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum. In sustentatione Dei ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore, ut sit ipse iustus, et iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi* (5). — Deus equidem, tum Angelis rebellibus (§ 177), tum protoparentibus peccantibus (§ 213), tum eorum posteris iniqua agentibus (§ 243), gravissimas poenas infligendo iustitiam suam clare manifestavit. Attamen omnes istae poenae, etiam quae in aeternum durant, quoniam initium habent et puras creaturas afficiunt, infinitae dici non possunt. Ast dum Deus *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, infiniti valoris et pretii satisfactionem exigens et accipiens, infinitam quoque iustitiam sole clarius commonstravit.

4. *Sapientia* divina mirifice elucet in mysterio Incarnationis, ita ut Paulus de illo merito dicat: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* (6). Difficillimum enim est pro limitata ratione humana intelligere, quomodo in Deo infinita iustitia cum infinita misericordia coniungatur, illius enim est omnia peccata cum summo rigore punire; huius vero est peccantium cum summa clementia misereri. Quod autem humana ratio sibi relicta nunquam intelligere potuisset, id divina Sapientia adinvenit, et in uno eodemque Incarnationis

(1) 1 Ep. 4, 9 etc.
(2) L. 10 de Civ. Dei c. 29, n. 1.
(3) Serm. 23 seu 4 de Nativ. c. 1.
(4) Phil. 2, 7 etc. (5) Rom. 3, 24 etc.
(6) 1 Cor. 1, 25.

mysterio clarissime patefecit. Deus enim Filium suum unigenitum pro peccatoribus mittens, *infinitam misericordiam*, et ab eodem condignam satisfactionem exigens et accipiens, infinitam simul iustitiam commonstravit (§ 52). Hinc Propheta regius, Verbi Incarnationem praevidens, exclamavit: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi; iustitia et pax osculatae sunt* (1); et recte *Ivo Carnot.* (2) dicit, Deum natum et passum esse, « ut Deus nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia iustus est; nec insanabile, quia misericors est. » — Ss. Patres divinam sapientiam etiam specialiter in modo admirantur, quo princeps huius mundi devictus, et humanum genus ex eius captivitate liberatum est. Qua de re *S. Bernardus* (3) scribit: Deus « qui non solum potenter sed etiam sapienter quaecunque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulcritudinem servare consuevit, ita in hoc quoque tam magnifico opere suo nostrae videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed et prudentiam ostendere voluit. » Idcirco Christus superbiam maligni spiritus humilitate incarnationis contrivit; auctorem mortis, morte tolerata, superavit, et decretum damnationis ex arbore prodiens, in ligno crucis delevit. Quod eleganter proponit *S. Gregorius Naz.* (4) dicens: « Quoniam ille vitii parens et effector, ideo se invicto quodam robore praeditum esse existimabat, quia nos, spe divinitatis obiecta tanquam illecebra quadam, in fraudem induxerat: ideo et carne obiecta, velut esca, illectus est ipse, ut in illum tanquam in Adamum incurrens, in Deum incideret, atque ita novus Adam veterem recuperaret, atque hoc modo carnis damnatio solveretur, dum mors morte perimitur.» Simili modo *S. Gregorius M.* (5) ea, quae de Leviathan hamo capto dicuntur, Christo accommodans inquit: « In hamo esca ostenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo Pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem illius incarnatum Unigenitum misit. In quo et caro passibilis videri posset, et divinitas impassibilis videri non posset... In hamo ergo eius incarnationis captus est, quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis... In hamo ergo captus est, quia inde interiit, unde momordit. Et quos tenebat mortales iure perdidit, quia eum, in quo ius non habuit morte appetere, immortalem praesumpsit.» Variis aliis modis divinam sapientiam in mysterio Incarnationis manifestatam esse ex dicendis apparebit.

(1) Ps. 84, 11. (2) Serm. 6 de Hom. 2 super *Missus est.*

(3) Orat. 39, n. 13. (5) Hom. 25 in Iob. c. 40. (6) Rom. 11, 33. etc.

II. *Convenientissimum fuit, Verbum, id est secundam Trinitatis personam incarnari.*

§ 352. Si quaeritur, qua de causa non prima, neque tertia, sed secunda Trinitatis persona incarnata sit, fatendum est, tam sublime mysterium a limitata mente humana comprehendi et explicari non posse, et cum Apostolo exclamandum esse: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit* (6)? Sed tamen, praeeunte Revelationis lumine, viri doctrina et sanctitate eximii, rationes quasdam afferre conati sunt, quae ostendunt, convenientissimum fuisse, ut Ver-

hum, seu secunda Trinitatis persona incarnaretur.

1. Cum per Verbum omnia facta sint, consentaneum fuit, hominem per idem Verbum reformari et reparari, a quo conditus fuerat. Rationem istam affert *S. Leo M.* (1), dicens: « In hac ineffabili unitate Trinitatis, cuius in omnibus communia sunt opera... reparationem humani generis proprie Filii persona suscepit: ut quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt, quique plasmatum de limo terrae hominem flatu vitae rationalis animavit, idem naturam nostram ab aeternitatis arce deiectam amissae restitueret dignitati, et cuius erat conditor, esset etiam reformator. » In hunc finem laudant Ss. Patres illud Apostoli: *Decebat eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare* (2). — Subtiliori modo eandem rationem proponit *S. Thomas* (3) dicens: « Verbum artificis, idest conceptus eius, est similitudo exemplaris eorum quae ab artifice fiunt. Unde Verbum Dei, quod est aeternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creaturae. Et ideo, sicut per participationem huius similitudinis creaturae sunt in propriis speciebus institutae, sed mobiliter; ita per unionem Verbi ad creaturam non participatam, sed personalem conveniens fuit reparari creaturam in ordine ad aeternam et immobilem perfectionem: nam et artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, si collapsum fuerit, restaurat » (4).

2. Verbum incarnari ideo quoque conveniens fuit, ne filii appellatio ad aliam transiret personam, ex quo in SS. Trinitatem promiscua quaedam redundaret atque indecora confusio. Ideo, ait *Gennadius* (5): « Non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed Filius tantum: ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris filius; ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset aeterna nativitate filius. » Similiter *S. Bernardus* (6) inquit: « Videtur - nec Patris, nec Spiritus incarnationem in pluralitate filiorum effugisse confusionem, dum alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur et illud maxime congruum, ut is specialiter filius fieret, qui filius erat, ne quid ambiguitatis esset in nomine » (7).

3. Conveniens fuit personam Filii incarnari, quoniam ipsi virtus et sapientia appropriantur secundum illud: *Praedicamus... Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam* (8). — Homo enim, deceptus a serpente, peccaverat appetendo scientiam, sed recedente gratia Dei quoad intellectum obscuratus, ac in tantam subinde dementiam lapsus est, ut *Iumentis insipientibus similis factus sit* (9). Quapropter congruum ac consentaneum fuit, hominem per Verbum Dei, seu per Sapientiam Patris suae primaevae rationi ac sapientiae restitui. « Ut contraria contrariis curentur, ait *Richardus Victorinus* (10), attendite, quam congruum, quam artificiosum videtur, ut qui per insipientiam ceciderat, per sapientiam resurgat. Par fuit, ut cui falsitas fuit causa perditionis, Veritas fieret via salutis. Par fuit, ut qui mortem in-

(1) Serm. 12 de Pass. (2) Hebr. 2, 10.
(3) 3, q. 3, art. 8.
(4) Cf. S. Chrysostom. Hom. 18 in Ioan.; S. Augustin. Serm. 13 de Natal. D.
(5) L. de Dogmat. eccles. c. 9
(6) Serm. 2 de Annunt.
(7) Cf. S. Anselmum l. de Incarn. c. 4
(8) 1 Cor. 1, 24.
(9) Ps. 48, 13.
(10) L. de Incarn. Pars. 1, c. 11.

currerat per verbum diaboli, ad vitam rediret per Verbum Dei » (1).

4. Homo ad imaginem Dei factus est, quam peccando misere deformavit: consentaneum igitur fuit, priora illa imaginis deformatae lineamenta reparari ab eo, *qui* natura sua *est imago Dei invisibilis* (2), nempe secunda Trinitatis persona, quae ex intellectu procedit. Qua de re *S. Athanasius* (3) praeclare loquitur: « Quid enim aliud facere Deum oportebat; aut quid facto opus erat, nisi ut illud instauraretur, quod *ad imaginem* dicitur: ut per illud rursus ipsum nosse homines possent? Hoc autem qua tandem ratione fieri potuisset, nisi ipsamet imago Dei advenisset, hoc est Salvator noster Iesus Christus? Etenim per homines id erat impossibile fieri; quoniam et illi ipsi ad imaginem facti sunt: sed neque per Angelos; nam nec ipsi sunt imagines. Idcirco Dei Verbum per seipsum venit; ut cum Patris imago sit, hominem iterato creare posset, qui ad imaginem est factus. » Alio modo eandem rationem proponit *Richardus Victor*. (4) ita disserens: « Per praesumptionem vetiti, et quasi per rapinam gestivit homo ascendere usque ad similitudinem Dei. Ut igitur modus satisfactionis responderet modo praevaricationis, ratio exigebat, ut ruinae nostrae reparator per exinanitionem descenderet de similitudine Dei ad similitudinem lapsi. Filius autem est imago et figura Patris. Ipsum itaque, iuxta congruum debitae expiationis modum, oportuit descendere et assumere similitudinem hominis, ut unus atque idem haberet similitudinem Dei ex generatione divina, et similitudinem hominis ex generatione humana » (5).

5. Ut homines cognoscant, immensam charitatem, qua ex morte translati sunt ad vitam, tribus divinis personis communem esse, convenientissimum fuit, secundam Trinitatis personam incarnari. Incarnatio enim *Missio* dicitur (6), et certe inter homines quoque, si quis ad alium liberandum mittitur, charitas tam in mittente, quam in misso recte praedicatur. Ast Pater mittere quidem, sed non mitti, Spiritus sanctus vero mitti, sed non mittere, Filius autem et a Patre mitti, et Spiritum sanctum mittere potest. Incarnatio igitur maxime congruit Filio, qui et a Patre missus, et Spiritum sanctum mittens immensam totius Trinitatis charitatem clarissime manifestat. Hoc eodem modo etiam iustitia iuncta misericordiae aptissime commonstrata est. Quem in finem admodum congruebat, ut persona illa, quae medium tenet inter divinas, fieret *mediator* inter Deum et homines in negotio reconciliationis, ut simul divinitatis laesae iura servans, lapsui etiam nostro subveniret. Qua de re *Richardus Victor*. (7) scribit: « Nulli alii personae in Trinitate magis conveniebat ab alia propitiari quam Patri; nulli alii causam hominis apud Patrem expiare magis congruebat quam Filio. Divisit itaque inter se summa illa Trinitas personarum unus Deus negotium salutis humanae ut unam eandemque hominis culpam Pater puniret, Filius expiaret, Spiritus sanctus ignosceret. Ad maiorem igitur lapsi hominis gloriam, ut possit resurgere per iustitiam Pater satisfactionem exigit, Filius exsolvit, Spiritus sanctus se medium interponit. Haec via, haec porta sa-

(1) Cf. S. Thom. l. c. (2) Col. 1, 15.
(3) Lib. de Incarn. (4) L. c., cap. 10.
(5) Cf. S. Cyrillum Al. l. 1, in Io.; S. Damascen. l. 1, de fide c. 4. (6) Gal. 4, 4.
(7) L. c. cap. 11.

lutis, hic summus, hic singularis humanae restaurationis modus. »

III. *Incarnatio convenientissima est Religioni, Revelationi et Ecclesiae.*

§ 353. 1. Religio exigit, ut homo omnes facultates suas ad Deum referat, quem ut Ens infinitum, et summum Bonum super omnia, et in omnibus aestimare, amare et colere tenetur (v. Th. gen. § 46). Ast homo per peccatum originale corruptus, quoad animae facultates debilitatus, et praevalentibus stimulis inferioribus, ita ad sensibilia inclinatus fuit, ut non sine magna difficultate mentem ad ens mere spirituale, et penitus invisibile extollat, et in isto considerando, amando et colendo constanter occupetur. Hac de causa factum est, ut homines Deum visibilem anhelantes, et Creatorem in creaturis quaerentes a vera Religione defecerint, variaque idola adorantes, vanam non minus quam impiam superstitionem sectarentur. Ad tantam inordinationem tollendam, et ad Religionis exercitium infirmae hominis post peccatum conditioni magis magisque accommodandum, convenientissimum et utilissimum fuit, Deum incarnari; quo factum est, ut homines invisibili invisibilem, in homine Deum verum colere possint. Hoc modo verae Religionis exercitium legitimumque Dei cultum restauratum esse, docet *S. Athanasius* (1) scribens: « Quoniam homines Dei contemplationem aversati ac velut in profundum demersi, et humi defixos oculos habentes in generatione, ac sensibilibus rebus Deum quaerebant, mortales homines ac daemones pro diis sibi figentes, ideo amator hominum communisque salvator omnium, Dei Verbum, sibi corpus assumit, et inter homines tanquam homo versatur, ac sensus praeoccupat omnium hominum: ut qui corporeis in rebus Deum inesse cogitabant, ex iis, quae Dominus per opera corporis exercebat, veritatem intelligerent, ac per ipsum ad Patris se cogitationem attollerent.»

2. *Revelatio* iuxta sapientissima decreta divina ita pro hominum salute facta est, ut iam in periodo patriarchali inciperet, in periodo mosaica nova incrementa caperet, ac denique in plenitudine temporum, seu in periodo christiana summam perfectionem acquireret. Convenientissimum autem erat, ut plenam Revelationis lucem Praeco maximus et dignissimus afferret. Ast non poterat maior nobiliorque inveniri, quam ipse Filius Dei incarnatus. Hinc Paulus sapientiam et bonitatem divinam etiam ex eo commendat, quod prius quidem per puros homines sanctitate insignes et miraculis conspicuos, ultimo autem per ipsum Verbum incarnatum salutares veritates revelatae fuerint. Ait enim Hebr. I, 1: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum: per quem fecit et saecula.* Quantus autem splendor ipsi Revelationi ex eo accedit, quod per ipsum Filium Dei incarnatum annunciata fuerit? — Imo Incarnatio Revelationi non solum respectu formae, sed etiam ratione materiae convenientissima est. Maxime enim necessarium est hominibus, ut ipsis per supernam Revelationem patefiat modus Deum post commissam culpam placandi, mediumque e miserrimo suo statu evadendi (v. Th. gen. § 59). Huic autem necessitati excellentissimo modo subventum est per Verbum incarnatum, quod Deum

(1) Lib. de Incarn.

placavit, homines redemit, et efficacissima salutis media suppeditavit, ut ex postea dicendis apparebit.

3. *Ecclesia* est coetus hominum eiusdem fidei professione, et eorundem Sacramentorum participatione colligatus sub regimine legitimorum pastorum a Christo institutus. Ecclesia ergo visibilis est, sed ad finem spiritualem tendit, ex hominibus constat, sed virtute divina regitur, externis mediis utitur, sed interna gratia vivificatur. In Ecclesia ergo visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia, humana et divina concurrunt. Societati autem ita constitutae maxime convenit Verbum incarnatum, Deum hominem sicuti tanquam auctorem, ita etiam tanquam supremum Caput, Dominum et Rectorem habere. Idcirco Christus, Deus homo Ecclesiae *Caput*, Ecclesia vero mysticum eius *corpus* nuncupatur (1): imo ipsa Ecclesia visibilis ex hominibus composita, et divina virtute ita sustentata et gubernata, ut portae inferi adversus eam non praevaleant, continuata quaedam mystica incarnatio rectissime dicitur (2).

IV. *Incarnatio convenientissima est toti generi humano.*

§ 354. Quantum Incarnatio toti generi humano conveniens atque proficua fuerit, manifeste patet ex iis, quae de illius motivo et fine (§ 338) dicta sunt. Etenim per Verbum incarnatum homines a gravissimo suo lapsu erecti, ex captivitate daemonis et aeterna damnatione liberati, atque cum Deo ita reconciliati sunt, ut nobilissimum suum finem iterum attingere et aeternam beatitudinem consequi possent. — Ad hanc equidem acquirendam omnino necesse est, ut homines, libero arbitrio praediti et gratia divina instructi, perfectam moralitatem sectentur. Per redemptionem enim non iam decretum divinum, destinationem seu finem hominis respiciens (§ 202) mutatum fuit, sed homo lapsus ita reparatus est, ut nobilem suam destinationem beatumque finem iterum assequi possit. Ergo, etiam positis infinitis Redemptoris meritis, homines per moralitatem perfectam ad felicitatem aeternam tendere debent. Sed ipsa moralitas, ad quam omnis homo primario obligatur, per Incarnationem efficacissimo modo promovetur, quod cum *S. Augustino* et *S. Thoma* (3) ex variis rationibus ostendi potest.

1. *Fides* est primum Religionis et perfectae moralitatis fundamentum; *sine fide autem impossibile est placere Deo* (4). Ast fides per Incarnationem maxime firmatur. Quis enim de divinitate doctrinae dubitabit, quam ipsum Verbum incarnatum de coelo attulit, et proprio ore hominibus annunciavit? quis non inconcussa mentis persuasione iis inhaerebit, quae *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (5)? — Idcirco Paulus de novae Legis fidelibus dicit, quod sint *superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu* (6). Et *S. Augustinus* (7) inquit: « Ut fidentius (homo) ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus Dei Filius, homine assumpto, non tamen Deo consumpto, eandem constituit atque fundavit fidem, ut ad Deum iter esset homini per hominem Deum. »

2. *Spem* summi esse pro moralitate momenti ex eo patet, quoniam illa

(1) Col. 1, 18; Ephes. 1, 12.
(2) V. Moëhler Symbol. § 36.
(3) 3, q. 1, a 2. (4) Hebr. 11, 6.
(5) Io. 1, 18. (6) Eph. 2, 20.
(7) L. 11, de Civ. Dei c. 2

anchora animae tuta, et firma dicitur Hebr. VI, 19; et Rom. VIII, 24 legitur: *Spe enim salvi facti sumus.* Sed per Incarnationem etiam ad spem acquirendae salutis maxime erigimur. Unde *S. Augustinus* (1) scribit: « Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quam ut demonstraretur nobis, quantum diligeret nos Deus. Quid vero huius rei isto indicio manifestius, quam quod Dei Filius naturae nostrae dignatus est inire consortium? » Ipse Apostolus ex hoc pietatis mysterio argumentum sumit, quo nos ad firmissimam spem erigat, dicens: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* (2)? etc.

3. *Charitas* erga Deum et proximum maxime requiritur, ut homo ad perfectam moralitatem pertingat, seu, ut rectius loquamur, ipsa perfecta moralitas in perfecta charitate consistit. Nam *Plenitudo legis est dilectio* (3); charitas *est vinculum perfectionis*(4). Ast Incarnatio nova atque efficacissima amoris motiva exhibet. Homines enim eos in primis amare solent, quos natura, indole et moribus sibi similes noscunt; unde *S. Hieronymus* (5) dicit: « Amicitia pares accipit, aut facit. » Ideo Filius Dei *exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (6). Quis in tali exinanitione novum amoris stimulum agnoscere recusabit? — Quod si hominum corda per magna, quae accipiunt, beneficia amore inflammari consuescunt; quale maius beneficium excogitari potest, quam redemptio a Filio Dei suscepta, cuius passione et morte homines ab aeterna morte liberati, et immensae ac aeternae beatitudinis participes facti sunt? *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (7). Recte igitur *S. Augustinus* (8) ait: « Quae maior est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? » ex quo, magnam Deum diligendi obligationem inferens, subiungit: « Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. » Quod idem iam Apostolus, loquens de Incarnationis mysterio, dixerat: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* (9). — In eodem mysterio etiam fortissima proximum diligendi motiva continentur. Quis enim non magni faciet, et amore sincero prosequetur eum, cuius natura in Christo ad summam dignitatem elevata est? — *Charissimi*, exclamat Apostolus, *si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere* (10); nam, addit Paulus: *Multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra* (11). Quamobrem ipse Christus dicit: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*(12). Quale fortius ac nobilius motivum charitatem erga proximum quemque exercendi proponi posset?

4. Incarnatio porro gravissimum cuique motivum esse debet, quo ab illicitis carnis concupiscentiis aliisque vitiis avertatur. Ex illo namque mysterio humanae naturae dignitas innotescit, quam sordibus peccatorum inquinare dedecet. Hinc *S. Augustinus* (13) dicit: « Demonstravit nobis Deus, quam excelsum locum

(1) L. 13, de Civ. Dei c. 10.
(2) Rom. 8, 31 etc. (3) Rom. 13, 10.
(4) Col. 3, 14. (5) In cap. 7 Michaeae.
(6) Phil. 2, 7. (7) Io. 15, 13.
(8) L. de catech. rudibus c. 4.
(9) 1 Io. 4, 19. (10) 1 Io. 4, 11.
(11) Rom. 12, 5. (12) Matth. 25, 40.
(13) L. de vera Relig. cap. 16.

inter creaturas habeat humana natura in hoc, quod hominibus in vero homine apparuit. » Et *Leo M.* (1) ait: « Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. »

5. Ut homo ad perfectionem moralem perveniat, coram Deo ambulare (2), Dei perfectiones indefesse considerare, eius protectionem continuo invocare, seu sine intermissione orare tenetur (3). Ast homo per peccatum originale ita quoad animae suae vires debilitatus fuit, ut non sine magna difficultate invisibilia et mere spiritualia contempletur, et a rebus sensibilibus et corporeis multo magis attrahatur. Quamobrem mysterium Incarnationis infirmatae humanae naturae maxime conveniens atque proficuum est. Homines enim mentis cogitationes, cordisque affectus ad Verbum Incarnatum, seu ad hominem Christum dirigentes Deum adorant, Deum amant, Deum colunt, et sic summi momenti officia erga Deum facilius adimplent. His accedit, quod ex dicendis apparebit, Christum perfectissimum omnium virtutum exemplar, et benignissimum Redemptorem esse, qui omnes lapsae naturae humanae infirmitates sanat; quae omnia ostendunt, finem hominis per Incarnationem efficacissime promoveri. Quapropter concludendum est, Incarnationem toti humano generi convenientissimam esse.

Nota 1. Increduli ex tempore, quo mysterium Incarnationis adimpletum fuit, occasionem captant, hoc nostrae Religionis capitale dogma oppugnandi, contendentes, Christum, si voluisset propter hominum salutem de coelo descendere, id facere debuisse initio temporum statim post lapsum Adami, nullamque fuisse causam, cur tam longas moras necteret. Teste *S. Augustino* (4), Porphyriani Philosophi obiiciebant: « Si Christus se salutis viam dicit, gratiam et veritatem, in seque solo ponit animis sibi credentibus reditum, quid egerunt tot saeculorum homines ante Christum?... Quid actum de tam innumeris animis?.... Quare Salvator, qui dictus est, se tot saeculis subduxit? » Etiam *S. Hieronymus* (5) ita Porphyrium sibi obiicientem inducit: « Quid necesse fuit, eum (Christum) in ultimo venire tempore, et non priusquam innumerabilis periret hominum multitudo? » — Sed ad hanc difficultatem solvendam imprimis observandum est, Incarnationem ac Redemptionem hominibus necessariam fuisse, non autem Deo, qui eam liberrime decrevit (§ 343). Deus ergo ne de minimo quidem defectu accusari potuisset, etiamsi nullo tempore Redemptorem hominibus concedere voluisset: quanto minus ex eo reprehendi potest, quod post quatuor annorum millia Filium suum unigenitum ad homines liberandos miserit? — Probe etiam attendendum est, bonitatem divinam nec legibus subiici, nec motivis ad agendum incitari (§ 50), sed omnia eatenus tantum convenientissima et optima esse, quatenus a Deo decernuntur. Ex quo recte infertur etiam tempus illud Incarnationi convenientissimum fuisse, quod pro summo hoc mysterio aeterno Dei decreto stabilitum erat. Quamvis autem incomprehensibilia sint iudicia Dei et investigabiles viae eius, Theologi tamen, ducibus potissimum *S. Augustino* et *S. Thoma*, rationibus quibusdam o-

(1) Serm. 1, de Nativ. (2) Gen. 17 1.
(3) 1 Thess 5. 17. Luc. 18. 1.
(4) Epist. 102, quaest. 2.
(5) Epist. 133. n. 9.

stendere conati sunt, mysterium Incarnationis, convenientissime post quatuor annorum millia seu in plenitudine temporis adimpletum fuisse. *Prima* ratio petitur ex ipsa indole hominis lapsi. Congruum nempe erat, ut homo, qui per superbiam ceciderat, et Deo similis esse voluerat, diu aerumnis ac miseriis sub daemonis potestate prostratus, suae propriae infirmitatis conscientia ac diuturna experientia eruditus, Redemptoris necessitatem cognosceret, et per humilitatis sensus se ad eundem recipiendum praepararet. Hinc *S. Augustinus* (1) inquit: « *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus*, ut veniret gratia post legem, et inveniret hominem non solum iacentem, sed iam etiam confitentem: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* » Eadem ratione *S. Thomas* probat, conveniens non fuisse, ut statim post peccatum Deus incarnaretur: « Primo, inquit (2), propter conditionem humani peccati, quod ex superbia provenerat: unde eo modo erat homo liberandus, ut humiliatus recognosceret, se indigere liberatore . . . Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrii in lege naturali, ut sic vires naturae suae cognosceret: ubi cum deficeret, legem accepit, qua data, invaluit morbus, non legis, sed naturae vitio, ut ita cognita sua infirmitate clamaret ad medicum, et gratiae quaereret auxilium. » — Quibus verbis *altera* ratio innuitur, ob quam Redemptoris adventus tamdiu dilatus fuit. Vult enim Deus, ut homines gratias coelestes magni aestiment, ferventer desiderent, et assidue ab ipso petant. Ideo Maria dixit: *Esurientes implevit bonis* (3); et ubique in S. Scriptura homines ad fervidam orationem excitantur. Conveniens ergo fuit, ut etiam maximum beneficium et summa gratia, nempe Incarnatio Filii Dei, post multa tantum suspiria et fervidas preces obtineretur. Hinc frequenter in scripturis leguntur piae veterum iustorum supplicationes: *Domine, mitte, quem missurus es* (4) *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis* (5). *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terrae* (6). *Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem* (7). Unde etiam Christus ait: *Multi prophetae, et iusti cupierunt videre, quae videtis, et non viderunt* (8). — *Tertio* adventus Messiae convenientissime dilatus fuit, ut Iesu Christi venturi characteres, miracula, doctrina, passio, mors, resurrectio, et omnia, quae in mundo, Verbi Incarnatione peracta, contingere debebant, multo ante a Prophetis praenunciarentur; atque adeo certae notae fidelibus praesto essent; quibus tantum donum a coelo datum agnoscerent, et inexcusabiles essent, qui Iesum Christum credere, atque ut Deum adorare pertinaciter nollent. Ideo *S. Augustinus* (9) scribit: « Per multam seriem temporum et annorum Christus praedicendus fuit; non enim aliquod parvum venturum fuit: diu fuerat praedicendus, semper tenendus. Quanto maior iudex veniebat, tanto praeconum longior series praecedebat. » Et *S. Leo M.* (10) ad eorum querelas compescendas, qui Dominicae Incarnationis tarditatem culpabant, ita loqui-

(1) En. in Ps. 83, n. 10. (2) 3, q. 1, a. 5.
(3) Luc. 1, 53. (4) Ex. 4, 13.
(5) Ps. 84, 8. (6) Isa. 16, 1.
(7) Isa. 45, 8. (8) Matth.
(9) Tract. 31, in Io. n. 5.
(10) Serm. 24, c. 4.

tur: « Quod praedicaverunt Apostoli, hoc praenunciaverunt Prophetae, nec sero est impletum quod semper est creditum. Sapientia vero et benignitas Dei hac salutiferi operis mora capaciores nos suae vocationis effecit, ut quod multis signis, multis vocibus multisque mysteriis per tot fuerat saecula praenunciatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum, et nativitas Salvatoris, quae omnia miracula omnemque humanae intelligentiae erat excessura mensuram, tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto praedicatio eius et antiquior praecessisset, et crebrior. » *Quarto* demum ex nonnullis circumstantiis ostendi potest, Christum convenientissimo tempore in mundum venisse. Ita *S. Basilius* (1) asserit, non prius advenisse Christum quia non prius inventa fuit virgo digna, quae mater eius fieret, qualis fuit in plenitudine temporis B. V. Maria desponsata Ioseph. Et quia Christus per cruentam mortem toleratam pro peccatis satisfacere debuit; congruum fuit, ut illo tempore in terris versaretur, quo gens iudaica ad tantam caecitatem et impietatem perventura erat, ut in Messiam, Liberatorem suum, sacrilegas manus iniicere non formidaret. Ultimo pro celeri christianae Religionis propagatione maxime consentaneum illud tempus fuit, quo maxima pars orbis romano Imperio subdita erat. Ita varie rationes commonstrant, tempus a Deo electum pro Verbi Incarnatione convenientissimum fuisse. — Errant autem, qui putant, homines ante Christi adventum nullo modo salutem suam consequi potuisse. Nam Messias protoparentibus, repetitisque vicibus Patriarchis promissus (v. Th. gen. § 105) et a Prophetis clarissime praenunciatus fuit: atque per fidem in Messiam homines iustificari et salvari potuerunt. Ideo Petrus dixit: *Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi* (2) (i. e. patres V. T.). Et *S. Augustinus* (3) scribit: « Ab exordio generis humani quicumque in eum (Christum) crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, et secundum eius praecepta pie, et iuste vixerunt, quandolibet et ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt. » Non solum autem Hebraei, sed etiam Gentiles ex Traditione aliisque mediis promissiones Messiae cognoscere, fidem in illum concipere, legem naturalem observare, et sic salvari potuerunt. Quodsi Gentiles Traditionem sacram corruperunt, et in errores, ipsi rationi naturali contrarios, prolapsi sunt, id nonnisi eorum culpae adscribendum est. Deus autem benignissimus voluit, ut mysterium Incarnationis, quamvis in plenitudine temporis adimpletum sit, omnibus tamen omnium temporum hominibus prosit ad salutem (4).

Nota 2. Ex dictis patet, incarnationem non solum rationi non repugnare, sed potius convenientissimam esse; unde de illis, qui sublime hoc pietatis mysterium vilipendere, et impiis suis vocibus et scriptis vellicare non verentur, recte dicitur: *Hi autem quaecumque quidem ignorant, blasphemant* (5). — Ne talis inordinatio inter Christianos contingat, pastores animarum perfectam de mysterio Incarnationis notitiam sibi comparare, illud attenta mente et pio corde frequenter meditari, et etiam circa illud populum solerter instruere tenentur, ut iste non solum principalia

(1) Hom. in sanctam Christi generationem. (2) Act. 15, 11. (3) Epist. 102, n. 12.

(4) Cf. Gazzaniga de Incarn. sect. 2, diss. 1. cap. 4. (5) Ep. Iud. v. 10.

dogmata de Incarnatione recte cognoscat, sed etiam sapientiae et charitatis divinae, divititias usque magis detegat, atque sic ad gratum erga Verbum incarnatum amorem efficaciter impellatur.

SECTIO II.

DE REDEMPTIONE

§ 355. Motivum adaequatum seu finem proximum Incarnationis fuisse Redemptionem generis humani, ex dictis (§ 338) constat. Sedulo autem inquirendum est, quid Filius Dei incarnatus operatus sit, ut nobilissimum istum finem consequeretur, et lapsam humanam naturam repararet. Quodsi in hac inquisitione Revelationem ducem sequamur, facile cognoscimus, Christum hunc in finem triplici functum esse munere, nempe *prophetico*, *sacerdotali* et *regio*. Voluit enim divinus Redemptor, infinita sapientia et immensa charitate repletus, cuncta vulnera curare, quibus homines, labe originali infecti, a nobilissimo suo fine, nempe a perfecta moralitate et felicitate detinebantur. Homines etenim per peccatum protoparentum, quod omnes contraxerunt (§ 219 etc.), inimici Dei facti (§ 215), quoad intellectum obscurati, ac quoad voluntatem infirmati, et per malam concupiscentiam corrupti sunt (§ 216), quo in statu miserrimo, finem suum assequi nullatenus valuerunt. Quamobrem, ut repararentur, indiguerunt propter ignorantiam intellectus congrua institutione per Prophetam; indiguerunt propter culpae reatum plena per Sacerdotem expiatione; indiguerunt propter voluntatis infirmitatem et corruptionem valida per Regem tutela. Christus igitur, quoniam spiritualibus hominum indigentiis benignissime subvenire decrevit, tribus praefatis muneribus ita functus est, ut a *S. Petro Chrysologo* (1) rectissime « Propheta Prophetarum, Sacerdos Sacerdotum, Rex Regum » nuncupetur. Haec eadem tria munera etiam Ss. Biblia, et Ss. Patres Filio Dei incarnato passim adscribunt, et per illa opus Redemptionis peractum esse testantur, ut ex dicendis apparebit. Itaque ut doctrina de humani generis Redemptione debito modo proponatur, triplex munus, quod Christus in terris exercuit, nempe 1° *propheticum*, 2° *sacerdotale*, et 3° *regium* fusius pertractare oportet.

CAPUT I.

DE MUNERE CHRISTI PROPHETICO

§ 356. Prophetae vocabulum latiore significatu eum denotat, qui Deum propius agnoscit, eumque celebrat: hoc sensu dictum est: *numquid et Saul inter Prophetas* (2)? Accipitur eadem vox pro his quoque, qui S. Scripturam publice interpretantur, aut populum doctrina sacra instituunt; velut solemne est publicis Ecclesiae ministris; quo sensu dicitur: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas* (3) etc. In strictiori autem significatu illi Prophetae dicuntur, qui speciali Dei providentia ad populum docendum, et ad corruptum cultum divinum restaurandum mittuntur, atque ideo facultate praedicendi futura, et miracula patrandi insigniuntur. Tales Prophetae in V. T. fuerunt *Moyses*, *Samuel*, *Elias*, *Isaias*, *Daniel* et alii, qui, ut inquit *Lactantius* (4), « idcirco a Deo mittebantur, ut et praecones essent maiestatis eius, et correctores pravitatis humanae.» Quamvis autem celeberrimi isti viri tum morum sanctitate, tum zelo pro gloria

(1) Serm. 59 in Symb. 4. (2) 1 Reg. 19, 24. (3) Eph. 4, 11. (4) L. 1 div. instit. c. 4.

Dei, tum miris, quae patrarunt, factis eminerent, longe tamen omnes superavit Christus, qui 1° *verus et quidem praestantissimus Propheta fuit*, et 2° *per integram vitam suam munus propheticum excellentissimo modo exercuit.*

ARTICULUS I.

Christus verus, et quidem praestantissimus Propheta fuit.

§ 357. Propositio haec ex *S. Scriptura V. et N. Testamenti*, et *ex Ss. Patribus* luculenter probatur.

1. Iam *in V. T.* praedictum fuit, Messiam, seu Redemptorem ideo quoque mittendum fore, ut esset *Propheta*, seu *Doctor*, qui, divina auctoritate insignitus, homines ignorantiae tenebris involutos erudiret, eisque coelesti sua doctrina viam salutis commonstraret. Celebris est locus Deut. XVIII, 18, ubi Deus ad Moysen dicit: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum similem tui, et ponam verba mea in ore eius: loqueturque ad eum omnia, quae praecepero illi;* quo loco Messiam spectari communis fuit Iudaeorum persuasio etiam tempore Christi, ita ut illum confidenter contra Iudaeos citaverint *Petrus* (1), et *Stephanus* (2), eundemque respexisse videtur *Philippus* (3). Eadem verba de Messia exponunt *Tertullianus* (4), *S. Cyprianus* (5), *S. Athanasius* (6), *S. Augustinus* (7). — Isaias pluribus in locis Messiam tanquam praestantissimum Prophetam praenuntiavit; sic XXX, 20 etc. ait: *Dominus.... non faciet avolare a te ultra doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum. Et aures tuae audient verbum post tergum monentis: Haec est via; ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Cap. XLII, v. 6 etc. Deus ad Messiam dicit: *Dedi te in foedus populi, in lucem gentium; ut aperires oculos caecorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris;* et paullo inferius ipse Messias ita loquitur: *Et ducam caecos in viam, quam nesciunt, et in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta: haec verba feci eis, et non dereliqui eos:* ib. LV, 4 Deus de Messia protestatur: *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac praeceptorem gentibus* etc.; et LXI, 1 Messias haec loquens inducitur: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem;* quae verba de Messia prolata, et in Christo adimpleta dicuntur Luc. IV, 18-21. — Iuxta haec V. T. oracula Messias futurus erat Propheta, et talis Propheta, qui homines e tenebris in lucem transferret, viam salutis antea ignotam eis ostenderet, et perennis eorum doctor, dux et praeceptor esset. — Sed Christus est verus Messias (v. Th. gen. § 141-148): ergo est etiam verus, et quidem praestantissimus Propheta.

2. *In N. T.* nomen Prophetae Christo frequenter attribuitur. Io. VI, 14, cum Iesus multiplicasset panes, *illi ergo homines cum vidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant, quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Luc. VII, 16, resuscitato iuvene in Naim, turbae Christum admirantes dicebant: *quia Propheta magnus surrexit in nobis.* Io. VII 40: *Cum audissent hos sermones eius, di-*

(1) Act. 3, 22. (2) Act. 7, 37.
(3) Io. 1, 45. (4) L. 4, c. Marcion. c. 22.
(5) L. 1, c. Iudaeos c 18.
(6) L. 2 c. Arian.
(7) L. 16 c. Faust. Manich. c. 19.

cebant: *Hic est vere Propheta.* Christus ipse se Prophetam nominat, dum incredulitatem incolarum urbis Nazareth expertus generale sibi dictum applicat: *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua* (1). Praeterea divinus Redemptor aliis quoque terminis munus propheticum sibi speciali quodam modo adscribit: *Ne vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus* (2). — *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi* (3); *Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar* (4); *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* (5). Idcirco Christus, ut se mundi Redemptorem, a Patre missum esse probaret, non solum ad miracula sed etiam ad coelestis doctrinae praedicationem provocat, dicens: *Euntes renuntiate Joanni quae audistis, et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur* (6). Cum igitur Christus sanctissimam doctrinam hominibus annuntiasset (Th. gen. § 124 etc.), gloriam Dei ubique promovere sategisset (7), divinamque suam missionem stupendis miraculis, *quae nemo alius fecit* (8), comprobasset, dubitari nequit, ipsum verum, et quidem praestantissimum Prophetam esse.

3. *Ecclesiae Patres* Christum ut Prophetam, seu humani generis Doctorem praestantissimum extollunt. *Clemens Alex.* (9) ait, Filium Dei carnem assumpsisse, ut hominibus salutis viam ostenderet; et (10) ad Graecos inquit: « Quoniam Verbum ipsum ad nos de coelo descendit, nihil necesse habemus ad humanam nos transferre disciplinam, nec Athenas, reliquamque Graeciam, vel etiam Ioniam curiose perlustrare. Nam si nobis magister ille est, qui sanctis virtutibus universa complevit, opificio, salute, beneficentia, legislatione, prophetia, doctrina: omnia nunc magister instituit, et Athenae atque Graecia iam universum factum est Verbo. » *Tertullianus* (11), Incarnationis finem expendens, scribit: « Conversabatur Deus, ut homo divine agere doceretur. Ex aequo agebat Deus cum homine, ut homo ex aequo agere cum Deo posset, Deus pusillus inventus est, ut homo maximus fieret. » *Lactantius* praeclare ostendit, cessantibus Prophetis V. T., Deum ipsum Filium suum unigenitum ut Prophetam et Doctorem praestantissimum misisse; ait enim (12): « Deus propter has illorum impietates abdicavit eos in perpetuum: itaque desiit Prophetas mittere ad eos; sed illum Filium suum primogenitum, illum opificem rerum, et consiliatorem suum delabi iussit e coelo, ut Religionem sanctam Dei transferret ad gentes, id est, ad eos, qui Deum ignorabant, doceretque iustitiam, quam perfidus populus abiecerat: » et paullo inferius pergit: « Ergo (ut coeperam dicere) cum statuisset Deus doctorem virtutis mittere ad homines, renasci eum denuo in carne praecepit, et ipsi homini similem fieri, cui dux, et comes, et magister esset futurus. » *Eusebius* (13) dicit: « Praedicatio veritatis haec est, propter quam et Filius Dei venit in corpore. » *S. Hilarius* in verba Christi adolescentem corrigentis, a quo magister bonus nominatus, sed non

(1) Matth. 13, 57.
(2) Matth. 23, 10,
(3) Io. 9, 5.
(4) Ib. 12, 49.
(5) Ib. 18, 37.
(6) Matth. 11, 4 etc.
(7) Io. 4, 34.
(8) Io. 15, 24.
(9) L. 7 Strom.
(10) In Protreptico.
(11) L. 2 c. Marcion. c. 27.
(12) L. 4 div. instit. c. 11.
(13) L. 2 contra Sabellium.

ut Deus habitus fuerat (1), ita disserit: « Cum igitur non bonitatis nomen refugerit, sed neque magistri honorem recusaverit, sed fidem eius, qui in se nihil nisi corporeum et carnale sapuisset, arguerit, hinc intelligitur, quod aliter ad Apostolos magistrum se confitentes locutus est, dicens: *Vos me vocatis Magistrum, et Dominum, et bene dicitis: sum etenim* (2)... Ubi cum fide magister est, ibi adeo laudat, ut et profiteatur hoc nomen; hic (3) vero boni magistri nomen non recognoscit, ubi nec Dominus intellectus est esse, nec Christus. » *S. Augustinus* (4) ait: « Deus homo factus est, ut hominem vivere doceret. » *S. Petrus Chrysologus* (5) dicit: « Venerat Christus..... ut mundo notitiam suae deitatis infunderet, et humani generis ignorantiam auferret. Venerat, ut pigra mortalium corda ad fidem virtutibus excitaret.... Venerat, ut veniret Iudaeus de contemptu legis. Venerat introducere ad fidem gentes » (6).

Nota. Si Christus Filius Dei unigenitus Prophetae munere fungi dignatus est, ut homines ex lethalibus ignorantiae tenebris erueret, eisque salutis viam planam et tutam ostenderet; maximum profecto nostrum officium est, ut tantum Doctorem sedulo audiamus, et coelestibus eius mandatis fideliter obsequamur. De ipso namque scriptum est: *Qui verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam* (7). Et cum Christus, transfiguratus in monte Thabor, gloriam suam coram electis discipulis manifestasset, *vox facta est de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus; ipsum audite* (8). Summi igitur momenti est, ut coelestem Christi doctrinam perfecte addiscamus, attente meditemur, alte cordi imprimamus, et iuxta eandem totam vitam nostram instituamus. Sunt enim *beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (9).

(1) L. 9 in Matth. 19, 17. (2) Io. 13, 13.
(3) Matth. 19, 17. (4) Hom. 50, c. 4.
(5) Serm. 151 de fuga in Aegyptum 2.
(6) Cf. Petav. de incarn. l. 2, c. 10 et 11.

ARTICULUS II.

Christus per integram vitam suam munus propheticum excellentissimo modo exercuit.

§ 358. Christus non solum verbis, sed praecipue etiam exemplis homines erudire, eorumque mores corruptos reformare conatus est. Idcirco dicitur: *coepit Iesus facere, et docere* (10). Divinus enim Redemptor ea prius ipsemet exercere voluit, quae postmodum hominibus observanda mandavit. Hinc Ss. Patres passim Christum ut praestantissimum Doctorem laudant, qui non solum verbis, sed multo magis exemplis, quae verbis efficaciora esse solent, homines erudivit et ad virtutis studium direxit. *S. Irenaeus* (11) verbum et exemplum Christi ad nostram institutionem necessarium esse declarat, dicens: «Neque rursus nos aliter discere poteramus, nisi magistrum nostrum videntes, et per auditum nostrum vocem eius percipientes: ut imitatores quidem operum, factores autem sermonum eius facti communionem habeamus cum ipso. » *S. Athanasius* (12) Verbum caro factum esse dicit, « ut homines immutabilem Verbi iustitiam, formam et exemplum haberent ad virtutem. » *S. Chrysostomus* (13) ita praeclare loquitur: « Veniens Christus virtutem omnem docere homines voluit. Porro qui instituit, non verbo tantum docet, sed etiam opere. Haec enim optima est in magistro docendi

(7) Deut. 18, 19. (8) Luc. 9, 35
(9) Luc. 12, 28. (10) Act. 1, 1.
(11) L. 5 adv. haer. c. 2. (12) Or. 2, c. Arian.
(13) Hom. 34 in Matth.

ratio. Nam et gubernator navis discipulum suum assidere sibi faciens, ostendit ei, quemadmodum clavum tractet, et ad sermonem opus adiungit: ac neque loquitur solum, neque solum operatur. Sic etiam architectus... et aurifex, et faber aerarius, et omnis omnino ars habet eum, qui verbis, et operibus doceat. Itaque quoniam, et ipse (Christus) ideo venit, ut nos omnem virtutem doceret, quae agenda sunt, tum dicit, tum reipsa fecit. » *S. Augustinus* (1) ideo quoque Filium Dei factum esse filium hominis dicit, « ut nos, quos sanguine suo redemit a vitiis atque criminibus, non solum doctrinae auxilio et gratiae, sed etiam exemplo suo ad studium sanctitatis accenderet; ut nos non modo praecipientem Dominum, sed etiam exemplo suo ad virtutis fastigia provocantem maiore alacritate sequeremur. » *S. Petrus Chrysologus* (2) inquit: « Christus venerat, ut quos praeceptis docuerat, firmaret exemplis, et ipse faceret, quae facienda mandaverat, et visu probaret possibilia, quae impossibilia videbantur auditu. » Quamvis igitur Christus tribus, vel quatuor ultimis tantum annis publice ut Propheta comparuerit, et totam Galilaeam ac Iudaeam circumierit, *praedicans Evangelium regni* (3); rectissime tamen adseveratur, ipsummet per integram vitam suam munus propheticum excellentissimo modo exercuisse. Perpetuo enim Christus, dum in terris versaretur, praeclarissima exhibuit exempla, quibus homines a vitiis, ac praecipue a concupiscentia carnis, a concupiscentia oculorum, et a superbia vitae abstraheret, ad virtutes autem, nempe ad charitatem Dei et proximi, ad mansuetudinem, et patientiam in adversitatibus tolerandis fortiter incitaret. Quapropter ut, quam excellenti perfectione Christus munere prophetico functus sit, plene cognoscatur, integram eius vitam attente considerare oportet. Et sane ex minimis, quae de Christo leguntur, actionibus saluberrima morum documenta erui posse, Ecclesiae Patres et Doctores praeclare iam ostenderunt. Quamvis autem non omnia, quae ab istis dicta et scripta sunt, hic congeri et explanari possint; convenientissimum tamen est, ut praecipua saltem vitae Christi momenta expendantur, et aliqua muneris prophetici a Filio Dei incarnato excellentissimo modo exerciti specimina exhibeantur. Ex his clare apparebit, Christum tamquam Prophetam a Patre missum a primo in mundum ingressu usque ad ultimum in cruce halitum indefessa industria omnia perfecisse, ut homines ignorantes erudiret, vana eorum praeiudicia depelleret, noxios errores corrigeret, rectos de religione conceptus traderet, corruptos mores emendaret, perfectas virtutes edoceret, atque ita gloriam Patris salutemque animarum promoveret.

(1) Serm. 4 de Nat. Dom. (2) L. c.

I. *De infantia Christi.*

§ 359. 1. Inter funestos peccati originalis effectus recensenda praecipue est prava concupiscentia, per quam factum est, ut homines, contemptis coelestibus, ad res sensibiles et terrenas inordinate inclinarentur, divitiis, honoribus et voluptatibus toti inhiarent, et horum flaccescentium bonorum amore a perfecta moralitate et vera felicitate penitus averterentur. Pestiferos istos errores inordinatosque affectus Christus vix mundum ingressus exemplo suo fortissime debellavit. Cum enim esset omnipotens, et infinita sapientia Pa-

(3) Matth. 4, 23.

tris, non nobilissimam ac praedivitem reginam, sed humilem et pauperem - ast splendidis virtutibus ornatam - virginem sibi matrem elegit; neque in magnifico palatio, sed in misero stabulo nasci, et iam ut infans dirissimas paupertatis molestias perpeti voluit. Merito igitur praesepe bethlehemiticum a Ss. Patribus *cathedra* nominatur, in qua Christus iam in sua nativitate falsa mundi principia confudit, inordinatum bonorum terrestrium amorem damnavit, perfectissimasque virtutes commendavit. Praeclare hac de re disserit *S. Bernardus* Serm. 3 de Nativ. Dom. (1), docetque, Christum non sine causa hieme, nocte et in stabulo natum esse; « Nasciturus, ait, Dei Filius, cuius in arbitrio erat quodcunque vellet eligere tempus, elegit quod molestius est, praesertim parvulo et pauperis matris filio, quae vix pannos haberet ad involvendum, praesepe ad reclinandum... Non est tale iudicium mundi (qui ubique sua commoda quaerit): aut iste (Christus) fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est Sapientiam. Merito proinde et *carnis prudentia* (mors siquidem et ipsa) *inimica est Deo* (2), et saeculi quoque prudentia stultitia nominatur. Quid enim? Christus utique, qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum; et quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tanquam a seductore cavendum. — Iam vero etiam nocte voluit nasci. Ubi sunt, qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus eligit, quod salubrius iudicat: vos eligitis, quod reprobat ille. Quis prudentior e duobus?... Denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non praedicat: et ecce annunciat eum Angelis, laudat multitudo coelestis exercitus. Et tu ergo, qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum. Adhuc autem in stabulo nascitur Christus, et in praesepio reclinatur. Et nonne ipse est, qui dicit: *Meus est orbis terrae, et plenitudo eius* (3)? Quid ergo stabulum elegit? Plane ut reprobet gloriam mundi, damnet saeculi vanitatem. Necdum loquitur lingua, et quaecunque de eo sunt, clamant, praedicant, evangelizant: ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi iudicium arguitur, subvertitur, confutatur. Quis enim hominum, si daretur optio, non magis eligeret robustum corpus et aetatem intelligibilem, quam infantilem? O Sapientia, quae de occultis traheris? o vere incarnata et velata Sapientia! » —

2. Sicuti protoparentes mandatum divinum temere transgressi sunt, ita et eorum posteri spuriae libertatis cupedine illecti legibus divinis sive per rationem, sive etiam per revelationem cognitis se subiicere renuerunt. Ut gravissimo huic malo medela afferretur, ipse Filius Dei incarnatus perfectissimam erga mandata divina obedientiam exercere decrevit; hinc Ps. XXXIX, 8 ita loquitur: *Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Promptissimam hanc obedientiam Christus mox post nativitatem conspicuo modo exercuit, dum, quamvis omnino innocens, et infinite sanctus esset, se tamen circumcisionis legi subiecit. Christus, ait *S. Thomas* (4) circumcidi voluit, « ut obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo: unde et octava die

(1) N. 1 et 2. (2) 1 Cor 3, 17. (3) Ps. 49, 12. (4) 3, q. 37, a. 1.

circumcisus est, sicut in lege erat praeceptum.» Obedientiae istius praestantia ex eo quoque elucet, quoniam Christus legem, ad quam non obligabatur, adimplens, magnam sustinuit humiliationem acerbosque dolores perpessus est. Hoc ipso autem Christus se ut Doctorem omnibus prioribus praestantiorem, novaeque legis institutorem manifestavit; circumcisus enim etiam est, ut carnali circumcisione sublata, spiritualem substitueret, quae consistit in vitiorum et concupiscentiarum mortificatione et resectione. « Christus, ait *S. Augustinus* (1), suscepit circumcisionem, ablaturus circumcisionem ipsam; suscepit umbram, daturus lucem; suscepit figuram, impleturus veritatem.» Aliud eximiae erga legem divinam obedientiae exemplum Christus exhibuit, dum, licet unigenitus Filius Dei, et ex intemerata Virgine natus esset, attamen quadragesimo post nativitatem die iuxta legis praescriptum in templo praesentari, et oblatione pauperum redimi voluit: qua in actione humilitatis, paupertatis, obedientiae, et praecipue piae erga Deum devotionis exempla admirari oportet. Qua de re praeclare *S. Thomas* (2) scribit: « Sicut Filius Dei non propter seipsum factus est homo, et circumcisus in carne, sed ut nos per gratiam faceret deos, et ut spiritualiter circumcidamur: sic propter nos sistitur Domino, ut discamus Deo praesentare nosmetipsos. Et hoc post circumcisionem eius factum est, ut ostendat, neminem nisi circumcisum vitiis, dignum esse divinis conspectibus. »

3. Christus iam ut infans ostendit, se non adinstar Prophetarum V. T. ad unum dumtaxat populum missum, sed in salutem omnium populorum destinatum esse, charitatemque suam ad omnes prorsus homines extendi. Ideo enim, ut Ss. Patres observant, Sapientiae divinae consilio factum est, ut Christi nativitas Iudaeis et Gentilibus omnisque conditionis et sexus hominibus manifestaretur. Quam in rem *S. Thomas* (3) ita disserit: « Salus, quae erat futura per Christum, ad omnem diversitatem hominum pertinebat, quia, sicut dicitur *in Christo Iesu non est masculus, et foemina, Gentilis, et Iudaeus, servus, et liber* (4), et sic de aliis huiusmodi. Et ut hoc in ipsa Christi nativitate praefiguraretur, omnibus conditionibus hominum est manifestatus, quia, ut *Augustinus* dicit (5), pastores fuerunt Israëlitae; Magi Gentiles; illi prope, isti longe, utrique tamen ad angularem lapidem concurrerunt. Fuit etiam inter eos alia diversitas: nam Magi fuerunt sapientes et potentes; pastores autem, simplices et viles. Manifestatus est etiam iustis, Simeoni et Annae, et peccatoribus, scilicet Magis. Manifestatus est etiam viris et mulieribus, scilicet Simeoni et Annae, ut per hoc ostenderetur, nullam conditionem hominum excludi a Christi salute. » His similia sunt, quae *S. Ambrosius* l. 2 in Luc. (6) proponit dicens: «Non solum ab Angelis, et Prophetis, et pastoribus, sed etiam a senioribus et iustis generatio Domini accepit testimonium. Omnis aetas, et uterque sexus, eventorumque miracula fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur. Elisabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, iustus exspectat.» Omnes autem, quibus Christus mirabili modo manifestatus fuerat, eius charitatem expertos et gra-

(1) Serm. 9 de Nativ. (2) L. c. a. 3 ad 2.
(3) 3, q. 36, a. 3. (4) Colos. 3.
(5) In Serm. 4 de Epiphania. (6) C. 2.

tiis repletos esse, Ss. Evangelia testantur.

4. Haud raro homines aerumnarum persecutionumque timore tum a bono deterreri, tum etiam ad malum pertrahi solent. Ad turpem noxiamque hanc imbecillitatem confundendam, et ad constantem in perferendis adversitatibus et iniuriis fortitudinem commendandam Christus dirissimam iam ut infans persecutionem invicta patientia toleravit. Rex enim *Herodes*, cum se a Magis frustratum vidit, horrenda crudelitate occidi iussit omnes pueros bethlehemiticos intra bimatum: a qua funesta clade Christus per fugam in Aegyptum ereptus est. Potuisset equidem Filius Dei incarnatus per omnipotentiam suam omnes adversariorum conatus irritare, vitamque suam in medio Iudaeae incolumem servare: sed, ut nobis patientiae et fortitudinis exempla praeberet, a suis ad extraneos, a sanctis ad sacrilegos, a templo suo ad daemonum fana, a regione sanctorum ad idolorum patriam fugere, et innumera itineris pericula et paupertatis incommoda voluit sustinere. — Eleganter *S. Petrus Chrysologus*, hanc fugam considerans (1), dicit: « Bellicosus, quod in bello fugit, artis est, non timoris: Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pavoris: potens, quando se subducit infirmo, insequentem non pavet, sed foras producit; vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam; occultum se non patitur inire conflictum, qui mandare suum saeculis vult triumphum. Secreta victoria virtusque latens exemplum posteris non relinquunt. Hinc est, quod Christus fugit, ut cedat tempori, non Herodi etc. »

(1) Serm. 150.

II. *De vita Christi privata.*

§ 360. Post obitum Herodis Christus in patriam reversus usque ad trigesimum aetatis suae annum habitans in Nazareth, vitam privatam gessit, in qua autem munere prophetico fungi, et pro salute hominum indefesse laborare non cessavit.

1. In Ss. Evangeliis pauca quidem de vita Christi privata, sed tamen talia commemorantur, quae saluberrima nobis documenta suppeditant. Christus enim exemplo suo praecipua nobis ostendere voluit officia, *erga Deum, erga proximum*, et *erga seipsum* fideliter adimplenda. Legitur enim Christum cum parentibus suis *secundum consuetudinem diei festi* Ierosolymam ascendisse, post discessum parentum ibi permansisse, et post triduum inventum esse *in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos* (2); quae omnia puer duodecim annorum non alia ex ratione peregit, nisi (3) ut Deum, Patrem suum glorificaret. Exemplum istud Filii Dei incarnati clare ostendit, inter officia Deo exhibenda istud tanquam praecipuum esse habendum, ut homines diebus festis in Ecclesiis devote conveniant, viva fide, spe firma, et ardenti charitate animati externum Deo cultum deferant, verbumque divinum attente audire non negligant. Et sane si Christus in tenerrima iuventute longum iter a Nazareth in Ierusalem suscepit, ipsos dilectissimos parentes deseruit, et de necessario victu parum solicitus per plures dies in templo remansit, ut pia aeterno suo Patri obsequia praestaret: quantum reprehendenda est negligentia illorum, qui ipsis quoque festivis diebus, levissima incommoda reformidantes, sacris, qui in Ecclesiis celebrantur, conventibus

(2) Luc. 2, 41 etc.

(3) Ib. v. 49.

interesse recusant, hisque aut immoderatum somnum, aut ineptas laetitias, aut negotia et lucra temporalia praeferre non erubescunt. Merito his indignatur S. *Chrysostomus* (1) dicens: « Non potest fieri, ut qui tam negligens sit, ut ne modicam quidem diei partem (cultui divino et) sacrorum eloquiorum auditioni dignetur impendere, unquam venia dignus habeatur, licet millies saecularium negotiorum occupationes obtendat.» — Inter officia, quae proximo debentur, reverentia, et obedientia erga parentes principem locum tenet. Eandem Christus exemplo suo hominibus inculcavit: « quid enim, ait S. *Ambrosius* (2), magister virtutis nisi officium pietatis impleret? » Divinus etenim puer, teste Evangelista, cum parentibus suis *venit Nazareth, et erat subditus illis* (3). Quae verba admirans S. *Bernardus* (4) exclamat: « *Erat subditus eis.* Quis? quibus? Deus hominibus, nec tantum Mariae, sed et Ioseph! utrimque stupor, utrimque miraculum: et quod foeminae Deus obtemperat, humilitas sine exemplo, et quod foemina principatur Deo, sublimitas sine socio.» Et mox exempli Christi imitationem inculcans dicit: « Erubesce superbe cinis! Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus tuo te praeponis auctori? quoties enim hominibus praeesse desidero, toties Deum meum praeire contendo. » Ultimo de puero Christo legitur: *Et Iesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum, et homines* (5); quae verba non ita intelligenda sunt, quasi sapientia et sanctitas Christi interna incrementa ceperit; erat enim Iesus a primo instanti conceptionis suae plenus sapientia et gratia, ut Sect. I, cap. IV probatum est. Unde S. *Gregorius Naz.* (6) dicit: « Sapientia apud Deum et homines proficiebat, non ut augmentum aliquod acciperet, cum ab initio gratia sapientiaque absolutus esset, sed quod haec hominibus ignaris paulatim apparerent.» Nam, ut ait *Theophylactus* (7), « Emicatio sapientiae eius profectus ipse est: » sicut sol, licet eadem semper luce polleat, tamen crescere in ea dicitur, cum eam sensim magis explicat a mane usque ad meridiem. Absque dubio autem Iesum sapientia, et aetate, et gratia profecisse scriptum est, ut homines a divino suo exemplari gravissimum erga seipsos officium cognoscerent et adimplerent, quo facultates, a Deo acceptas, et praecipue intellectum et voluntatem continuo perficere, et in virtutibus crescere tenentur. Nam iuxta commune Sanctorum axioma « in via Domini non progredi - retrogredi est.» Et S. *Bernardus* (8) considerans exemplum Christi, qui *exultavit ut gigas ad currendam viam suam* (9): « Si ergo, inquit, illo currente, tu gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas. »

2. Ab anno duodecimo usque ad trigesimum nulla de Christi operationibus mentio in S. Evangelio occurrit. Absit autem ut putemus, Christum per tot vitae suae privatae annos otiosum fuisse, cum potius firmiter credendum sit, hoc quoque tempus sanctis operibus, exemplis meritisque pro hominum salute refertum esse. Et sane isto tempore Christus cum hominibus publice non agebat, sed cum Deo secreto negotiabatur; verbis

(1) Serm. in illud: *si esurierit inimicus* n. 3.
(2) Comment. in Luc. c. 2. (3) Luc. 2, 51.
(4) Serm. 1 sup. *Missus est.*
(5) Luc. 2, 52.
(6) Or. 43 (al. 20) in laud. S. Basil.
(7) In h. l. (8) Ep. 253. (9) Ps. 18, 6.

nihil docebat, sed factis praedicabat; gloriam quasi Unigeniti a Patre abscondebat, sed humilitatis omniumque virtutum exemplis lucebat lux eius coram hominibus, ut viderent opera eius bona; miracula nondum patrabat, sed sanctitatis prodigia edebat, spectaculum Deo, Angelis et hominibus factus; peccatores palam non convertebat, sed pro peccatoribus clam lugebat; discipulos non colligebat, sed magistros recollectionis, et solitudinis interdum frequentandae secretum docebat; cum Iosue non certabat, sed cum Mose manus in coelum tollebat; Scribas et Pharisaeos non increpabat, sed daemones confundebat; persecutiones Iudaeorum non tolerabat, sed corpus virgineum poenitentiae rigore innocens macerabat, et passionis carnificinae praeparabat; Ecclesiae suae aedificium nondum erigebat, sed alta et inconcussa fundamenta iaciebat; opus redemptionis non consummabat, sed redimendi modum et ideam cogitatione efformabat; non pugnabat, sed arma acuebat; non piscabatur, sed retia texebat; parabatque spiritualium pharmacorum apothecas coelestis medicus nondum sanans, sed universum genus humanum sanaturus.

III. *De baptismo, ieiunio et tentatione Christi.*

§ 361. 1. Cum Iesus trigesimum aetatis annum inchoasset, et mox publici Doctoris munus suscepturus esset, accessit ad Ioannem, a quo in Iordane baptizatus est. Nullatenus equidem Filius Dei incarnatus, baptismate indiguit, sed, ut cum caeteris Patribus *S. Ambrosius* (1) ait: « Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutae per carnem Christi, quae peccatum non cognovit, baptismatis vim haberent. » Praeterea Christus baptizari voluit, sicut observat *S. Augustinus* (2), « quia voluit facere, quod faciendum omnibus imperavit; » et hac de causa dixit: *Sic - decet nos implere omnem iustitiam* (3). Nam, ut dicit *S. Ambrosius* (4): « Haec est iustitia, ut quod alterum facere velis, prior ipse incipias, et tuo alios horteris exemplo. » Praecipue vero Christus nobis humilitatem, quae est radix omnium virtutum totiusque christianae perfectionis fundamentum, exemplo suo commendare voluit. Quamobrem sicut voluit apparere infirmus in nativitate, peccator in circumcisione, ita poenitens visus est in susceptione baptismatis poenitentiae. Christus nempe, ut ait *S. Bernardus* (5), loquens de Domini circumcisione et baptismo, « humilitatem voluit exhibere, ut ligaturam vulneratorum susciperet, qui solus erat absque vulnere. — Verum ne quis forte diceret: quod circumcisus est, parentes fecerunt, parvulus enim erat: iam triginta annorum ad baptisma ipse perrexit. Inclinatur sub Baptistae manibus caput tremendum potestatibus et principatibus adorandum. » — Quinimo in baptismo Christi etiam maxima humilitatis praemia nobis manifestantur. Nam quo profundius Christus formam et ignominiam peccatoris subiens seipsum in baptismate humiliavit, eo clarius mox aeternus Pater eundem exaltavit. Primo enim, Christo baptizato *aperti sunt coeli* (6), ut demonstraretur, per Christum nobis patere viam ad coelum, eiusque doctrinam observantes iam in terris coelestem agere vitam. Secundo, *descendit Spiritus*

(1) L. 2 in Luc. c. ult. (2) Ser. de Epiphan. (3) Matth. 3, 15. (4) L. 2
(5) Serm. in Octava Epiph. (6) Matth. 3, 16.

Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum (1), ut significaretur, plenitudinem donorum et charismatum esse in Christo veluti in fonte, unde debent in alios derivari. Tertio, *vox de coelo facta est: tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi;* per quod testimonium Patris divinitas Christi manifestata est, ut eius doctrina credibilior fieret, et maiori cum aestimatione ab hominibus acceptaretur et observaretur.

2. Quamvis homines per baptismum a Christo institutum et sanctificatum a peccatis abluantur, gratiam divinam consequantur, et filii Dei constituantur; nullatenus tamen a tentationibus immunes redduntur, quibus hoc pretioso thesauro, quem *in vasis fictilibus* (2) portant, facile privari possunt. Idcirco scriptum est: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem* (3). Gravissimum hoc Spiritus sancti monitum Christus exemplo suo hominibus inculcare modumque ostendere voluit, quo tentationes aut declinandae, aut superandae sunt. Cum enim tentationes sive a mundo, sive a carne, sive a daemone originem ducant; Christus post susceptum a Ioanne baptisma, in desertum progressus, fallaces mundi laqueos fugere, per quadraginta dies ieiunans rebellem carnis concupiscentiam frenare, ac demum diabolum confundens impios eiusdem conatus vincere docuit. Legitur enim Luc. IV, I: *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane, et agebatur a Spiritu in desertum*, in quo ab omnium hominum consortio, et a cunctis mundi commodis et oblectamentis alienus permansit. Quod Christi exemplum considerans *S. Ambrosius* exclamat (4): « Et nos igitur procul a luxuria, procul a lascivia, tanquam in arido vitae istius et ieiuno solo fugitantem deliciarum Christum sequamur. Non in foro, non in plateis Christus reperitur. Nequaquam igitur quaeramus Christum, ubi invenire non possumus. Non est Christus circumforaneus. Christus enim est pax, in foro lites; Christus iustitia est, in foro iniquitas; Christus operator est, in foro inane otium; Christus charitas est, in foro obtrectatio; Christus fides est, in foro fraus et perfidia; Christus in Ecclesia est, in foro idola etc. » Hoc eodem exemplo Christi eruditi « maximi Sanctorum humana consortia, ubi poterant, vitabant, et Deo in secreto servire eligebant » (5). Gravissimum autem cuiuslibet Christiani officium est, ut illas solerter conversationes fugiat, in quibus anima ruinae spirituali pericula subit, et de quibus scriptum est: *Vae mundo a scandalis: necesse est enim, ut veniant scandala* etc. (6). Quoniam autem non semper ab hominum consortio alienum esse licet, cavendum saltem est, ne cor inordinato mundi amore inquinetur. « Nam, ait *S. Basilius* (7), secessus a mundo non est corpore extra ipsum esse, sed animam ab affectionum cum corpore consentione avellere: » quod etiam Apostolus praecipit, scribens: *Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt* (8).

3. Homines, licet a periculis mundi sint semoti, haud tamen ab omni tentatione sunt immunes. Nam *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (9). Domesticum hunc hostem per ieiunium coërcen-

(1) Luc. 3, 22. (2) 2 Cor. 4, 7.
(3) Eccli. 2, 1. (4) L. 3, de Virgin.
(5) De imit. Chr. l. 1, c. 20, n. 1.
(6) Matth. 18, 7. (7) Ep. 2, n. 2.
(8) 1 Io. 2, 15. (9) Iac. 1, 14.

dum esse, Christus exemplo suo commonstravit. Christus enim in deserto *cum ieiunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit* (1); nam *nihil manducavit in diebus illis* (2). Christus autem, ut inquit *S. Ambrosius* (3), « non emerendae gratiae suae causa, sed nostrae eruditionis gratia ieiunavit: » gravissimam etenim abstinentiam, ait *S. Chrysostomus* (4), Christus observavit, « ut discas, quam magnum bonum est ieiunium; et qualiter scutum est adversus diabolum, et quoniam post baptismum non lasciviae sed ieiunio intendere oportet: ideo, subiungit *S. Thomas* (5), Christus ieiunavit, non ieiunio indigens, sed nos instruens. » Hinc Ss. Patres in extollendo et commendando ieiunio concordant. *S. Leo M.* (6) dicit: « In omni tempore, omnique vita huius saeculi ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores: ieiunia concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, et omnes bonae voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt. » Et *S. Isidorus Hisp.* (7) exclamat: « Quis parsimoniam non laudet? ieiunium non praedicet? — Ieiunium res sancta est, opus coeleste, ianua regni, forma futuri, quod qui sancte agit, Deo iungitur, alienatur a mundo, spiritualis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur. » Merito igitur Ecclesia, ut fideles ad imitandum divini sui Magistri exemplum incitaret, eorumque saluti prospiceret, quadraginta dierum ieiunium praescripsit: quod Ecclesiae mandatum carpere, summae temeritatis est. Nam, ut ait *S. Augustinus* (8), « Quadragesima sane ieiuniorum habet auctoritatem et in veteribus libris ex ieiunio Moysis et Eliae, et ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunavit, demonstrans Evangelium non dissentire a lege et Prophetis. »

4. Post transactum quadraginta dierum ieiunium Christus *tentabatur a diabolo* (9). Quod si quaeratur, cur Christus talem tentationem permiserit, respondet *S. Thomas* (10): « Christus tentari voluit: *primo* quidem, ut nobis contra tentationes auxilium ferret: unde *S. Gregorius M.* (11) dicit: Non erat indignum Redemptori nostro, quod tentari voluit, qui venerat occidi: iustum quippe erat, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare. — *Secundo*, propter nostram cautelam, ut nullus quantumcunque sanctus se aestimet securum et immunem a tentatione: unde et post baptismum tentari voluit, quia, sicut *S. Hilarius* (12) dicit, in sanctificatis nobis maxime diaboli tentamenta grassantur, quia victoria magis est ei exoptata de sanctis. — *Tertio*, propter exemplum, ut scilicet nos instrueret, qualiter diaboli tentationes vincamus. Unde *S. Augustinus* (13) dicit, quod Christus diabolo se tentandum praebuit, ut ad superandas tentationes eius mediator esset non solum per adiutorium, sed etiam per exemplum. — *Quarto*, ut nobis fiduciam de sua misericordia largiretur: unde dicitur: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato* (14). » — Ob-

(1) Matth. 4, 2. (2) Luc. 4, 2.
(3) L. 3 de fide c. 2. (4) Hom. 13 in Matth.
(5) 3, q. 41, a. 3.
(6) Serm. 4, de ieiunio decimi mensis.
(7) L. 1 de eccles. officiis, cap. 42.
(8) Ep. 55, ad Ianuar. c. 15.
(9) Luc. 4, 2. (10) 3, q. 41, a. 1.
(11) Hom. 16 in Evang.
(12) Comm. in Matth.
(13) L. 4 de Trin. c. 3. (14) Hebr. 4, 15.

servat porro *S. Gregorius M.* (1), Christum triplici tentatione, gulae scilicet, vanae gloriae et avaritiae tentatum fuisse, quia iisdem pulsatus victusque fuerat Adam: hunc quippe diabolus « ex gula tentavit cum cibum ligni vetiti ostendit, atque ad comedendum suasit: Ex vana autem gloria tentavit, cum diceret: *Eritis sicut Dii:* Et ex provectu avaritiae, cum diceret: *Scientes bonum et malum;* avaritia enim non solum pecuniae est, sed etiam altitudinis; recte enim avaritia dicitur, cum supra modum sublimitas ambitur. » Deinde iisdem tentatum fuisse Christum, sed vicisse ostendit dicens: « Per gulam quippe tentat, cum dicit: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Per vanam gloriam tentat, cum dicit: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Per sublimitatis avaritiam tentat: cum regna omnia mundi ostendit dicens: *Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me:* sed eisdem modis a secundo homine vincitur, quibus primum hominem se vicisse gloriatur. » Omnes autem tentationes devicit Christus hoc pronunciato: *Scriptum est* etc.; sat perspicue docens, illum de cunctis animae hostibus facile triumphaturum esse, qui ad id, quod scriptum est, vel in cordibus signato vultus Dei lumine, vel in Evangelio dictante Spiritu sancto, vel in Traditione Sanctorum calamo exarata, semper attendit. Victorem autem Christum *reliquit diabolus, et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei* (2). Ex quo clare cognoscimus, eum, qui fortiter diabolum eiusque suggestiones vincit, magna sibi merita comparare atque consortio, consolatione et ministerio Angelorum praemiari. Et certe Deus ex hoc optimo fine homines tentari permittit, ut eorundem virtus probetur, confirmetur, augeatur, coronetur. Quapropter *S. Ambrosius* (3) scribit: « Qui vult coronam dare, tentationes suggerit. Et si quando tentaris, cognosce, quia paratur corona. Tolle Martyrum certamina, tulisti coronas: tolle cruciatus, tulisti beatitudines. »

(1) Hom. 16, in Evang.
(2) Matth. 4, 11. (3) L. 4, in Luc. 4, 13.

IV. *De vita Christi publica.*

§ 362. Christus post victoriam de diabolo reportatam, desertum relinquens, mox publice munus propheticum exercere et Evangelium regni praedicare coepit. Ita autem Christus Prophetae, seu Doctoris officia adimplevit, ut omnes veteris legis Prophetas longe superaverit, et cunctis novae legis praedicatoribus ac animarum pastoribus tanquam exemplar perfectissimum et absolutissimum sese exhibuerit.

1. Imprimis Christus munus propheticum nonnisi *ex obedientia erga voluntatem Patris* suscepit. Ait enim: *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me* (4); et: *Ego enim ex Deo processi, et veni: neque enim a meipso veni, sed ille me misit* (5). Neque aliam doctrinam Christus hominibus annunciavit, nisi eam, quam Pater per Filium suum mundo manifestari voluit. Idcirco dixit: *Ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor* (6). Imo quamvis probe cognosceret Iudaeos aures suas Evangelii praedicationi obturaturos, Gentes autem fidem acceptaturas esse; nihilominus, ut voluntatem Patris sui exequeretur, in

(4) Io. 5, 30. (5) Io. 8, 42.
(6) Io. 12, 49 et 50.

Israël tantum, non autem apud Gentes, Evangelium regni praedicavit, dicens: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israël* (1). — Eximium hoc obedientiae exemplum omnes animarum pastores solerter imitari, maxime necesse est. Nullus enim - etiam humeris angelicis formidandum - spiritualis doctoris et pastoris munus assumere debet, nisi a Deo vocatus et a legitima potestate missus fuerit. Sine legitima vocatione et missione Sanctuarium ingressus merito de sua salute pavet. « Ego, ait *S. Ephraem* (2), obstupesco, fratres mei dilecti, ad ea, quae soliti sunt quidam insipientium audere, qui impudenter ac temere sese conantur ingerere ad munus sacerdotii assumendum, licet non adsciti a gratia Christi, ignorantes miseri, quod ignem, et mortem sibi accumulent. » Et *S. Augustinus* (3) ita loquitur: « Quod pertulerunt superbi illi Levitae (Core, Dathan et Abiron), qui, Domino non iubente, sibi sacerdotium vindicabant: hoc patiuntur quicunque se in Episcopatus, aut Presbyteratus, vel Diaconatus officium... impudenter conantur ingerere: quomodo combusti sunt illi in corpore, sic isti exurentur in corde. » Ad digne ergo doctoris et pastoris munus suscipiendum primo omnium divina vocatio requiritur, quod docet etiam Apostolus, dicens: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (4). Ast etiam qui divinitus vocatus sacerdotio initiatus est, ut Christi vestigia fideliter sequatur, obedientiam continuo exercere, munusque pastorale non alio tempore, loco et modo suscipere et exequi debet, quam a legitima potestate praescripto: cui si perfecte subiectus fuerit, uberem benedictionem divinam certo expectare poterit. Nam, ait *S. Ephraem* (5), « Qui obedientiae fruitur possessione, vere beatus est; quia cum Domini sit imitator, etiam cohaeres illius efficitur. Qui obedientiam obtinet, vinculo charitatis cum omnibus iungitur. Qui obedientiam servat, magnam possessionem obtinet, magnasque sibi divitias accumulavit. Qui obediens est, omnibus gratus est, ab omnibus laudatur, ab omnibus probatur. Vir obediens cito exaltatur, et celeriter progressus magnos efficiet. »

2. Christus ut Propheta *zelum ardentissimum et indefessum* pro gloria Patris et salute animarum commonstravit. Vere etenim *exultavit ut gigas ad currendam viam* (6). Mox enim *circuibat Iesus totam Galilaeam, docens in Synagogis eorum, et praedicans Evangelium regni* (7); eodem modo Hierosolymis, et in reliqua Iudaea doctrinam salutis annunciavit (8); praedicavit modo in montibus (9), modo in deserto (10), modo in navi (11), modo in synagogis (12), modo in templo (13). Imo etiam noctis tempore ad se venientes erudire non recusavit (14). Omne praeterea hominum genus eadem charitate complexus est: de infantibus dixit: *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium enim est regnum Dei... et complexans eos, et imponens manus super illos benedicebat eos* (15); discipulos suos, quamvis rudes essent, patienter tulit et secreto erudivit (16); infimae plebi doctrinae pabulum subministrare non destitit; nam *videns... turbas misertus est eis quia erant ve-*

(1) Matth. 15, 24. (2) L. de Sacerd.
(3) Serm. 98 de temp. (4) Hebr. 5, 4.
(5) De virt. et vitiis cap. de obed.
(6) Ps. 18, 6. (7) Matth. 4, 23.
(8) Io. 11, 7 etc. (9) Matth. 5.
(10) Io. 6. (11) Luc. 5, 3.
(12) Matth. 4, 23. (13) Luc. 19, 24.
(14) Io. 3, 2 etc. (15) Marc. 10, 14 etc.
(16) Marc 4, 10 etc.

xati, et iacentes sicut oves non habentes pastorem (1); nobiles quoque Evangelii sui discipulos fecit (2). — Singulari denique charitate Christus publicanos et peccatores in viam salutis reducere conatus est, ita ut murmurantes Pharisaei dicerent: *Hic peccatores recipit, et manducat cum illis* (3). Divinus autem Redemptor illis reposuit: *Non egent qui sani sunt, medico, sed qui male habent. Non veni vocare iustos sed peccatores ad poenitentiam* (4). Eximiam hanc erga peccatores charitatem Christus luculentissime ostendit, dum supra fontem Iacob sedens mulierem samaritanam expectavit, et convertit: qua occasione, mirantibus discipulis, dixit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius* (5); quibus verbis opus praedicationis et redemptionis hominum, vocat suum, idest, sibi proprium sibique suavissimum cibum, quia illo velut cibo delicatissimo pascebatur et delectabatur. Quem in locum *S. Chrysostomus* scribit: « Hominem salutem hoc in loco cibum appellat, ut, quanta salutis nostrae cura et desiderio teneatur, ostendat: » et *Theophylactus* (6) addit: « Salutem hominum tanto desiderio avebat, quanto nullus nostrum sensibilem cibum. » Christus autem iisdem verbis se etiam tanquam exemplar zeli in munere pastorali exserendi discipulis suis exhibere voluit. Nam, ait *S. Cyrillus Alex.* (7): « quoniam orbis futuri erant magistri, exemplo suo eos docet, multo maiorem salutis hominum, quam proprii corporis curam esse habendam. » Quod idem Christi exemplum sacerdotes omnes imitari, in vinea Domini indefesse laborare, pondus diei et aestus fortiter portare, viresque suas ad spiritualem animarum sibi concreditarum salutem promovendam sedulo impendere tenentur. Nam, ait *S. Leo M.* (8): « Qua conscientia (Sacerdotes) honorem sibi debitum vindicant, qui pro animabus sibi creditis non laborant? » Et *S. Gregorius M.* (9) scribit: « Si dilectionis est testimonium cura pastionis; quisquis virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, Pastorem summum convincitur non amare. »

3. Christum doctrinam sanctissimam et excellentissimam hominibus annunciasse, iam alibi probatum est (Th. gen. § 124 et 125). Coelestem vero hanc doctrinam etiam modo maxime concinno proposuit, et tantam in docendo exhibuit eloquentiae vim, et dicendi suavitatem, ut omnes in sui raperet admirationem. Legitur enim: *Docebat eos in Synagogis eorum, ita ut mirarentur, et dicerent: unde huic sapientia haec*(10)? *Omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius*(11). Ministri a Pontificibus ad capiendum Christum missi, quem praedicantem invenerunt, facundia et suavitate sermonum ipsius ita capti sunt, ut eundem attingere non auderent, et Pontificibus interrogantibus: *Quare non adduxistis illum?* stupentes responderent: *Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo* (12). Tantam autem admirationem Christus sibi conciliavit, et tam efficaciter corda hominum commovit, non quia vanis humanae eloquentiae artificiis et ornamentis usus est, sed quia claritate et simplicitate in docendo eminuit. Profecto enim

(1) Matth. 9, 36.
(2) Io. 4, 49 etc ; Luc. 6, 38.
(3) Luc. 15, 2. (4) Luc. 5, 31, etc.
(5) Io. 4, 34. (6) In eundem.
(7) In hunc locum. (8) Ep. 93, c. 15.
(9) Pastor. P. 1, c. 5. (10) Matth. 13
(11) Luc. 4, 22.
(12) Io. 7, 46.

ut perspicua, ita simplex erat Christi docentis oratio, absque fuco rhetoricorum, aut poëticorum verborum, quae obscuritatem pariunt, aut difficultatem intelligendi; ita ut revera esset *lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (1). Quod si verbis, aut phrasibus figuratis usus est, accommodavit se genio populi, apud quem loquebatur. Accedit, quod orationis schemata, aut parabolas, quas protulit, ipse explicaverit, ut rem propositam magis illustraret. — Ab hoc excellentissimi doctoris et divini Magistri exemplo non pauci recedunt, adulterantes verbum Dei, quod futilibus ad vanam ingenii ostentationem sententiis inanibus frivolae eloquentiae lenociniis et calamistratis comptarum figurarum flosculis infringunt et enervant, prurientes auribus, et ad fabulas conversi. Hos non Dei gloria enarranda, non auditorum salus procuranda, sed popularis favor, inanis aurae gloria, audientium plausus stimulat; non quid sancte, quid utiliter, quid apostolice proferant, solliciti sunt; sed quid acute, concinne, floride dicant, longo studio excogitant, ut sint in admiratione, non ut doceant; ut oblectent, non ut compungant; ut ipsi temporalia emolumenta capiant, non ut spiritualia aliis emolumenta afferant. Quos etiam ethnicus Philosophus *Seneca* confundit (2), scribens: « Non quaerit aeger medicum eloquentem, sed sanantem. Quid aures meas scalpis? quid oblectas? Aliud agitur; urendus, secandus, abstinendus sum. » — Et praeclare *S. Petrus Chrysologus* ipse amoenus quidem, sed pius semper (3), ait: « In (evangelica) lectione quid spiritualis intelligentiae lateat si scire volumus, verborum flosculos non quaeramus. Qui maturitatis fructus quaerit, despicit amoena camporum. Violae, rosae, lilia, narcissus grati flores, sed gratior panis. Quod est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus, quod dat panis vitae, hoc scientia dat saluti. Seponenda est ergo eloquentiae voluptas, quando scientiae deposcitur fortitudo. » Imitentur ergo sermonis Dei praecones ipsummet sermonem Dei, qui est *vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum* (4). Nec timeant propterea hominibus eruditis bonisque ingeniis praeditis displicere; nam, ut ait *S. Augustinus* (5): « Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Non enim, addit idem S. Doctor (6), non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. »

4. Christus, nulla habita personarum ratione, libere et intrepide fidei veritates et morum documenta praedicavit. Hanc *dicendi libertatem*, quae veri prophetae necessaria dos est, ipsi inimici in Christo agnoverunt. *Magister, scimus*, inquiunt, *quia verax es, et viam Dei in veritate doces; et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum* (7). - Hanc orationis libertatem demonstravit data qualibet occasione, quamvis eorum, quorum vitia arguebat, odia et persecutiones praevideret. Ita Matth. XXIII, intrepide Scribarum et Pharisaeorum, qui magna tunc apud populum auctoritate pollebant, vitia increpavit, atque fugiendam esse eorum hypocrisin, ambitionem etc, publice docuit. Et quamvis

(1) Io. 1, 9.
(2) Epist. 75.
(3) Serm. 18.
(4) Hebr. 4, 12.
(5) L. 4, de doctr. Chr. cap. 11.
(6) L. 2 c. Acad. c. 11. (7) Matth. 22, 16.

carnalibus Iudaeis displiceret, attamen humilitatem, paupertatem, rerum terrenarum contemtum, iugem inordinatarum passionum abnegationem, suique mortificationem praecipere et commendare non destitit. — Eodem modo verbi divini praecones ab omni respectu humano solicite cavere, et libere ac intrepide genuinam Evangelii doctrinam proponere, atque huic opposita vitia, maximeque publica scandala graviter increpare tenentur. Longe igitur ab exemplo Christi et ab officio suo recedunt praedicatores palpatores, nonnisi placentia loquentes, et publica vitia ac scandala dissimulantes, ne hominibus displiceant, quibus se placere volunt, servi Dei esse non possunt. Nequaquam isti a sapientia, quae ex Deo est, reguntur, sed a sapientia mundi et prudentia carnis decipiuntur. Nam, ait *S. Thomas* (1): « Salus multitudinis est praeferenda paci quorumcunque singularium hominum, et ideo quando aliqui sua perversitate multitudinis salutem impediunt, non est timenda eorum offensio a praedicatore, vel doctore ad hoc, quod multitudinis saluti provideat. » Aureum plane documentum a Pastoribus summopere attendendum! - Neque huic contraria sunt verba Pauli: *Sine offensione estote Iudaeis, et Gentibus, et Ecclesiae Dei* (2); nam, ut idem *S. Thomas* (3) dicit: « Homo sic debet esse sine offensione omnibus ut nulli det suo facto, vel dicto minus recto occasionem ruinae. Sed cum de veritate scandalum oritur, magis est sustinendum scandalum, quam veritas relinquatur, ut *Gregorius* (4) dicit. » — At dum quis vitia corripit et strenue persequitur, cavere debet, ne ipsos peccatores vilipendat, odio habeat, et tanquam omni commiseratione et cura indignos a se repellat. Quamvis enim Christus offensas aeterni sui Patris infinite detestatus sit; nihilominus peccatores clementissime ad se vocacavit (5), cum ipsis conversari et manducare non dedignatus est (6), tanquam bonus pastor oves aberrantes quaesivit (7), imo filios Ierusalem, sibi maxime infensos, voluit *congregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas* (8); et praevidens eorundem interitum amaras lacrymas fudit (9). Hoc Christi exemplum considerans, *S. Gregorius M.* (10) illos deflet, « qui sacerdotali officio praediti, si quid fortasse iuste exterius vel tenuiter egerint, protinus subiectos despiciunt, et peccatores quosque in plebe positos dedignantur, eisque compati culpam suam confitentibus nolunt, ac veluti Pharisaei more, a peccatrice muliere tangi despiciunt. » Et alibi(11) docet, etiam dum vitia graviter reprehenduntur, aut puniuntur, peccatores tamen amandos esse; nam, ait, « aliud est, quod agitur typo superbiae, aliud quod zelo disciplinae, quia vera iustitia compassionem habet; falsa iustitia, dedignationem. Quamvis iusti soleant recte peccatoribus dedignari; dedignantur etenim, sed non dedignantes; desperant, sed non desperantes; persecutionem commovent, sed amantes: quia etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem servant etc. »

5. Christus in munere prophetico exercendo insignem prudentiam manifestavit. Iam dum ut puer duodecim

(1) 3, q. 42, a. 2. (2) 1 Cor. 10, 32.
(3) Ibid. ad 1. (4) Hom. 7 in Ezech.
(5) Matth. 11, 28. (6) Luc. 15, 1 etc.
(7) Ib. v. 6. (8) Matth. 23, 37.
(9) Luc. 19, 41. (10) Hom. 33, in Evang.
(11) Hom. 35, in Evang.

annorum in templo sederet in medio doctorum, audiens illos et interrogans eos; *stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius* (1). Eadem infinita prudentia vitam publicam agens, subdolos Phariseos confudit (2), incredulos Sadducaeos confutavit (3), et arroganti legis doctori tentanti eum silentium imposuit. (4). — Divinae prudentiae etiam adscribendum est, quod Christus, licet statim initio praedicationis se ut Prophetam a Deo missum exhibuerit, non tamen eodem tempore se verum et unigenitum Filium Dei publice dixerit, sed paullatim tantum, et postquam stupenda miracula patraverat, summam hanc fidei veritatem turbis annunciaverit. — In reliqua quoque evangelica doctrina praedicanda Christus prudentissime ita processit, ut ea semper proponeret, quae auditorum captui, indoli et indigentia maxime accommodata erant, lac praebens parvulis, escam fortioribus reservans. Quem docendi modum circa ipsos discipulos suos observavit; quapropter ad eosdem dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (5). — Praeterea divini praeceptoris prudentia ex eo elucet, quod interrogantibus supervacua aut curiosa, responderit utilia et profutura, a vanis et otiosis ad proficua et necessaria sermonem convertens: ita Petro curiose de morte Ioannis sciscitanti Iesus respondit: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere* (6). Et cum discipuli eum interrogarent de tempore, quo restituet regnum Israël, dixit eis: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et usque ad ultimum terrae* (7). Denique ad prudentiam maxime commendandam referendum est, quod Christus eadem, quae alios docuit, ipsemet fecerit (8), tam illibatam, sanctam, et beneficam vitam agens, ut infensissimi eius adversarii eum de peccato arguere non potuerint (9); turbae autem palam de ipso testimonium tulerint: *Bene omnia fecit* (10); *Propheta magnus surrexit in nobis* (11); *Ipsi enim audivimus, et scimus; quia hic est Salvator mundi* (12). — His addi potest, Christum magnam prudentiam ostendisse, cum malignorum vi, ac insidiis se subduxit (13), et dum etiam oblatam sibi regiam potestatem per celerem fugam declinaret, ne turbines excitarentur (14). — Prudentiae virtus, quae inter cardinales numeratur, quoniam caeteras virtutes dirigere debet, sicut cuilibet Christiano, ita praecipue pastoribus animarum perquam necessaria est. Ideo Christus Apostolis dixit: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae* (15); quibus verbis, ait *S. Hieronymus* (16), eosdem monet, « ut per prudentiam devitent insidias, per simplicitatem non faciant malum. » Sed non solum in insidiis, rixis et persecutionibus declinandis, sed in omnibus functionibus spiritualibus et in tota conversatione sua prudentia pastoribus animarum necessaria est. Nam, ait *S. Basilius* (17): « haud absurde homo prudentiae expers similis censetur navigio rectore carenti, quodque ventorum impetu huc, illucque impellitur. » Et *S.*

(1) Luc. 2, 47. (2) Matth. 22, v. 15-22.
(3) Ib. v. 23-34. (4) Ib. v. 35-46.
(5) Io. 16, 12. (6) Io. 21, 22.
(7) Act. 1, 6 etc. (8) Act. 1, 1.
(9) Io. 8, 46. (10) Marc. 7, 37.
(11) Luc. 7, 16. (12) Io. 4, 42.
(13) Matth. 4, 22; Io. 7, 1; Io. 8, 59.
(14) Io. 6, 15. (15) Matth. 10, 16.
(16) In h. l. (17) Orat. 21, de felic.

Bernardus (1) inquit: « Discretio (seu prudentia) non tam virtus est, quam quaedam moderatrix, et auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, et morum doctrix. Tolle hanc, et virtus vitium erit. » Idcirco Prov. III 13 etc. dicitur: *Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione argenti, et auri primi, et purissimi fructus eius.* — Summi ergo momenti est, ut pastores animarum Christi prudentiam imitentur, institutiones suas publicas et privatas captui, indoli et indigentiae auditorum accommodent, a vanis, inutilibus et otiosis sermocinationibus abstinentes, aptas ad salutaria monita insinuanda occasiones non negligant, et generatim potentes sint, *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (2). — Prima autem et praecipua prudentiae regula exigit, ut pastor animarum quae docet, et ipse faciat, vitamque suam iuxta doctrinam a se propositam componat. Quapropter Paulus scribit: *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum irreprehensibile: ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (3). Et praeclare *S. Isidorus Hisp.* (4) dicit: «Qui in erudiendis, atque instituendis ad virtutem populis praeerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium peccati arguit, ipse a peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subiectos arguere poterit, cum illi statim possit correctus ingerere: Ante doce te, quae recta sunt? Primitus quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum admonere studet, ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi praebeat, cunctosque ad bonum opus et doctrina et opere provocet. »

6. Varia sunt, quibus Christus veteris legis Prohetas longe antecelluit. A Deo equidem isti quoque missi fuerant, qui idcirco, cum populum alloquerentur, dicere consueverunt: *Haec dicit Dominus.* Christus autem alio loquendi modo usus mandata evangelica proposuit, dicens: *Ego autem dico vobis* etc. (5). Non ergo alieno tantum nomine, ut Prophetae, sed propria auctoritate, ut verus Filius Dei, doctrinam suam annunciavit. *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribae eorum et Pharisei* (6). — Praeterea Prophetae V. T. futura praenunciabant. Christus autem non solum hoc idem praestitit (v. Th. gen. § 136-140), sed etiam vaticinia de se in V. T. prolata perfectissime adimplevit (ib. § 141-148). — Denique Prophetae V. T. miracula quoque patraverunt: sed Christus longe plura miracula fecit, ita ut iam in praedicationis suae initio discipulis Ioannis dicere potuerit: *Euntes renunciate Ioanni quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt* (7); et Matth. VIII, 16 legitur: *Eiiciebat Spiritus Verbo, et omnes male habentes curavit;* in quem locum *S. Chrysostomus* (8) scribit: « Intende, quantam multitudinem hominum curatam transcurrunt Evangelistae, non unumquemque curatum enarrantes, sed uno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes! » — Excellunt etiam miracula Christi, ut observat *S. Thomas* (9):

(1) Serm. 49 in Cant. (2) Tit. 1, 9.
(3) Tit. 2, 7 etc. (4) L. 2, Offic. c. 6.
(5) Matth. 5, v. 22, 28, 32, 39 etc.
(6) Matth. 7, 29. (7) Matth. 11, 4 etc.
(8) Hom. 23 in Matth. (9) 3, q. 43, a. 4.

« propter modum miracula faciendi, quia scilicet quasi ex propria potestate miracula faciebat, non autem orando sicut alii. Unde dicitur: quod *virtus de illo exibat, et sanabat omnes*(1); per quod ostenditur (sicut *Cyrillus* dicit) quod non accipiebat alienam virtutem; sed, cum esset naturaliter Deus, propriam virtutem super infirmos ostendebat, et propter hoc innumerabilia miracula faciebat. » Imo Christus etiam talia miracula fecit, quae nullus ex Prophetis V. L. patraverat. Sic e. g. caecus a nativitate, postquam visum per Christum acceperat, palam coram Pharisaeis professus est: *A saeculo non est auditum, quod quis aperuit oculos caeci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam* (2). Et Christus ipse ait: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt et me, et Patrem meum* (3). - Tandem Christus etiam aliis virtutem patrandi miracula tradidit, quod Prophetae V. T. praestare non poterant: divinus autem Thaumaturgus *convocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem* (4). Neque dubitari potest, miraculorum perpetrandorum vim in Ecclesia perenniter durare; quamvis fatendum sit, illa non ea facilitate et copia modo videri, sicut in primis nascentis Ecclesiae cunis scintillabant. Cuius rei hanc *S. Gregorius M.* (5) rationem reddit: « Signa necessaria in exordio Ecclesiae fuerunt, ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda, quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam coaluisse videamus, et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. » Quibus dictis idem magnus Doctor et Pontifex sequens monitum adiicit: « Nolite ergo, fratres carissimi, amare signa, quae possunt cum reprobis haberi communia (6), sed charitatis, atque pietatis miracula amate, quae tanto securiora sunt, quanto et occulta, et de quibus apud Dominum eo maior fit retributio, quo apud homines minor est gloria. »

(1) Luc. 6, 19. (2) Io. 9, 32 etc.
(3) Io. 15, 24.
(4) Matth. 10, 1 (Cf. Marc 16, 17 etc.).

V. *De Christi passione, et morte.*

§ 363. Propter peccatum originale impositum est *iugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae* (7); nam *homo, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* (8). Innumerae profecto sunt tum animi, tum corporis infirmitates et tribulationes, quibus homines in terrestri sua peregrinatione premi solent. Neque Christus ut Redemptor poenas has peccati temporales ab hominibus penitus auferre voluit, sed tamen ut Propheta per doctrinam et potissimum per exempla sua modum ostendit, quo vitae huius aerumnas et calamitates perpeti oportet, ut verum hominis finem non solum non impediant, sed etiam vel maxime promoveant. Quamvis igitur certum sit, Christum tanquam Sacerdotem per passionem suam et mortem pro peccatis satisfecisse, et homines Deo reconciliasse, quod inferius probabitur: eadem tamen certitudine constat, Christum etiam tanquam Prophetam passum, et mortuum esse, non solum ut invicto hoc testimonio veritatem doctrinae suae confirmaret, sed etiam et quidem

(5) Hom. 29 in Evang. (6) Matth. 7, 22.
(7) Eccli. 40, 1. (8) Iob. 14, 1.

praecipue, ut hominibus humilitatem, mansuetudinem, patientiam, resignationem in voluntatem divinam, caeterasque virtutes, tempore adversitatis exercendas exemplo suo insinuaret. Princeps enim Apostolorum inquit: *Christus passus est pro nobis, vobis reliquens exemplum, ut sequamini vestigia eius* (1). Ideo Christus sanctus, innocens et impollutus omnis tamen generis cruciatus sustinuit, ut homines, quacumque tribulatione premantur, ad ipsum respicientes non fatigentur animis suis deficientes (2); sed in patientia animas possideant suas (3).

1. Gravissimi sunt interni animi dolores, quibus homines maxime perturbari ac penitus deiici solent. Illos etiam Christus in sanctissima humanitate sua experiri voluit. Instante enim sua passione in monte olivarum *coepit contristari, et moestus esse* (4); *pavere, et taedere, et ait* discipulis suis: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (5) etc.; « idest, ait *S. Hilarius* (6), tanta est animae meae tristitia, ut, nisi virtute divina praeservarer, me perduceret usque ad mortem. » Incomprehensibilem huius interni doloris vehementiam comprobat insolitus plane effectus, quo sudor sanguineus ex toto corpore erupit; nam *factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram* (7). Christus autem in tanto animi moerore constitutus *positis genibus orabat* (8), imo *procidit in faciem suam orans* (9). *Et factus in agonia prolixius orabat* (10). Quamvis autem Christus Patrem rogaret, ut amarissimum passionis calicem transferret, simul tamen perfectissime se divinae voluntati subiecit: ait enim: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me. Veruntamen non mea voluntas sed tua fiat* (11). Hac agendi ratione docet Christus optimum, imo unicum afflictionis remedium esse fervidam orationem humilemque resignationem in voluntatem divinam. In omni igitur tentatione et animi tribulatione non ad vana hominum solatia, sed ad efficax Dei auxilium confugiendum est: hic enim solus nos ab omni angustia liberare vel in ea corroborare ad vincendum potest; imo et cupit, si invocetur. Quoniam autem, quid nobis prosit, saepe nescimus; sapientissimae eius voluntati nos humiliter, reverenter et amanter, sicut filios decet, subiicere debemus. Unde *S. Leo* (12) inquit: «Haec vox capitis (*fiat voluntas tua*) salus est totius corporis; haec vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus et pro omnibus patiens Patri diceret: *Fiat voluntas tua?* »

2. Maximo moerore hominum corda affligi solent, dum ab illis ingrate deseruntur, aut etiam graviter offenduntur, quibus magna beneficia praestiterunt. Quam amarissimam passionem etiam Christus expertus est in proditione *Iudae*, post concessum apostolici ordinis honorem, post impertitam miraculorum gratiam, post effusam sui corporis communionem, pedum lotionem, diuturnam conversationem et impensa omnia totius charitatis officia illum triginta denariis vendentis, osculo tradentis, pignore amoris vulnus infligentis, et officioso pacto sanguinem fundentis. Horren-

(1) 1 Petr. 2, 21. (2) Hebr. 12, 2 etc.
(3) Luc. 21, 10. (4) Matth. 26, 37.
(5) Marc. 14, 33.
(6) Comment. in Matth. 26, 38.
(7) Luc. 22, 44. (8) Luc. 22, 41.
(9) Matth. 26, 39. (10) Luc. 22, 43.
(11) Ib. v. 42.
(12) Serm. 7 de Pass

dae huic iniquitati simul accessit turpis reliquorum discipulorum fuga, ac trina negatio Petri, qui post singulares gratias acceptas et splendidas fidelitatis protestationes ad unius mulierculae vocem a Magistro suo defecit. — Tam atroces autem ingratorum discipulorum iniurias Christus invicta animi fortitudine pertulit. Accedenti ad se proditori dixit: *Amice, ad quid venisti* (1)? quae verba, ait *S. Hieronymus* (2), ostendunt; « quanta clementia Domini est. Ille venit ad prodendum, et Dominus osculum dat, ut qui Magistrum non timuit, vel clementia vinceretur. » — Petrum quoque post tristem lapsum Christus benigne respexit, cor eius contrivit, et poenitentem magnis gratiis et eximiis privilegiis decoravit (3). Caeteros quoque discipulos, non obstante eorum infidelitate, post resurrectionem suam magna charitate excepit, fratres suos nominavit (4); amice cum ipsis conversatus est (5), multa ipsis mysteria patefecit (6); eosque legatos suos pro universo mundo constituit (7). Ita Christus non tantum verbis, sed multo magis exemplis suis docuit, illatas ab aliis iniurias condonandas, atque etiam erga homines ingratos, et inimicos charitatem exercendam esse.

3. Quoniam honor inter praecipua vitae socialis bona enumeratur, et iuxta effatum Spiritus sancti: *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae* (8); homines per calumnias, contumelias, irrisiones et despectus gravissime offendi, facillime ira inflammari, et ad pessimum vindictae studium incitari solent. — Christus, ut tanto malo mederetur, omnis generis opprobriis saturari voluit. Militum enim caterva circumdatus, et vinculis arcte adstrictus per plateas raptatur, plebe clamoribus et sibilis incondite explodente. Coram *Anna*, alapa feritur a servo; coram *Caipha*, calumniis falsisque testimoniis obruitur; coram *Herode*, ut stultus spernitur, ac ludibrii causa veste alba induitur; coram *Pilato*, Barabbae nefario homicidae postponitur, et reus atrocissimae mortis declaratur. Has et alias innumeras iniurias inconcussa mansuetudine pertulit Christus, *qui, cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste* (9). Optimo ergo iure Christus sectatoribus suis acclamat: *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde* (10). Nam si Filius Dei, Sapientia Patris, Sanctus Sanctorum tot opprobria patienter sustinuit, aequum omnino est, ut etiam homines, defectibus, peccatis et miseriis repleti, miti et humili corde perferant et forti animo condonent. Nam: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius, et servo sicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius? Ne ergo timueritis eos* (11). Quem insignem locum exponens *S. Hilarius* (12) scribit: « Omnia iniuriarum et poenarum genera nihil nos terreant, gloriae potius loco amplectentes, si Domino nostro vel passionum conditionibus adaequemur. » Nam ait *S. Chrysostomus* (13): « Magna corona est communionem habere cum Domino. »

4. Homines frequentissime doloribus corporis affici et persaepe eorum pondere opprimi, experientia commonstrat. Quamobrem Christus, ut

(1) Matth. 26, 50. (2) In Ps. 108.
(3) Luc. 22, 61; Io. 21, 17.
(4) Matth. 26, 10. (5) Io. 20 et 21.
(6) Act. 1, 3. (7) Matth. 28, 18 etc.
(8) Prov. 22, 1. (9) 1 Petr. 2, 23.
(10) Matth. 11, 29. (11) Matth. 10, 24.
(12) Comment. in Matth. c. 10.
(13) Hom. 11 in Ep. ad Rom.

in hisce quoque adversitatibus hominum exemplar fieret, corpus suum, licet ab omni peccato et defectu immune, plurimis atque acerbissimis doloribus subiici voluit. Numerari sane non possunt dirae percussiones aliique gravissimi cruciatus, quibus divinus Redemptor in horto, in quo captus est, in viis, per quas ductus fuit, et in domo Caiphae per integram noctem affectus fuit, ubi illud verificatum est, quod ipsemet per Prophetam praedixit: *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me* (1). Sed hic illa praesertim atrocissima tormentorum genera commemoranda sunt, de quibus ipsa Ss. Evangelia in specie loquuntur. Corpus nempe Christi columnae alligatum, flagellis caesum fuit (2). Et quidem, ait *S. Bernardus* (3), « tam dure flagellatus est Dominus, ut sanguis eius sursum resultaret in aëra... Non parcunt amarissimis verberibus virgineam carnem divellere, et livores livoribus, plagas plagis infligere. » Unde Messias lamentatur: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (4). — Huic tormento successit cruciamentum omnibus retro saeculis ignoratum, dum caput senticosis spinarum aculeis compunctum, et transfixum fuit (5). Et absque dubio corona haec spinea vehementissimorum dolorum causa fuit, quoniam, ut inquit *S. Petrus Dam.* (6); « divinum illud caput multiplici spinarum densitate perforatum usque ad cerebri teneritudinem confixum est. » — Postea super humeros ictibus commolitos, et sanguine madidos grave imposuerunt patibuli pondus, quod Christus mente quidem alacri, sed incurvo corpore, genibus tremulis, labili gressu, demissis oculis, sudabunda fronte portavit: *et baiulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum* (7). Ad quem cum pervenisset, mox vestes cruentas carni instar visci adhaerentes, renovatis vulneribus, vel potius unica totius corporis obducta cicatrice refricata et redintegrata extraxerunt. Nudum deinde in crucis lecto composuerunt, et ferreis clavis manus, pedesque perforantes *crucifixerunt eum* (8). Dolores autem Christi in atroci hoc supplicii genere vehementissimos fuisse, facile intelligi potest. Nam, ait *S. Thomas* (9): « Mors confixorum in cruce est acerbissima, quia confinguntur in locis nervosis, et maxime sensibilibus, scilicet in manibus et pedibus, et ipsum pondus corporis pendentis continue auget dolorem, et cum hoc etiam est doloris diuturnitas, quia non statim moriuntur sicut hi qui gladio interficiuntur. » Prae caeteris autem hominibus Christus sicut reliquorum cruciatuum, ita praecipue crucifixionis dolores vehementissime sensit. Ipse enim, uti idem angelicus Doctor (10) docet, « secundum corpus optime erat complexionatus, cum corpus eius fuerit formatum miraculosa operatione Spiritus sancti, et ideo in eo maxime viguit sensus tactus, ex cuius perceptione sequitur dolor. » Cunctos autem istos corporis dolores Christus immobili patientia pertulit, qui *tamquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum* (11). Imo non tantum de tam immanibus cruciatibus nunquam conquestus est, nec minimam indignationem ostendit, sed et, *proposito sibi*

(1) Is. 40, 6. (2) Io. 19, 1.
(3) Ser. de pass. Dom. (4) Ps. 68, 27.
(5) Io. 19, 5. (6) Ser. de Exalt. S. Crucis.
(7) Io. 19, 17. (8) Io. 19, 18.
(9) 3, q. 46, a. 6. (10) Ibid. (11) Act. 3 32.

gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Hebr. XII, 2. — Christus tam praeclaro exemplo homines ad patientiam et animi fortitudinem excitare studuit, in corporis infirmitatibus, doloribus et cruciatibus conservandam: quam imitationem graviter inculcat dicens: *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* (1). Et Petrus scribit: *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini* (2).

5. Praecipua Christi docentis cathedra dicenda est ipsa crux, in qua per tres horas pependit, et tandem *emissa voce magna expiravit.* Marc. XV, 37. Cuncta, quae Christus morti proximus locutus est verba, summi pro nobis momenti sunt, utpote ad eruditionem, et consolationem nostram prolata. Nam publice pro persecutoribus orans, eosque per ignorantiam excusans (3), perfectissimum dedit dilectionis inimicorum exemplum. Latroni ad se converso paradisum promittens (4), infinitam Dei misericordiam manifestavit, quae etiam maximos peccatores vere contritos et poenitentes benigne suscipit, et coelestis beatitudinis participes reddit. — Mariae Ioannem, et Ioanni Mariam commendans pretiosissimum condidit testamentum, in persona Ioannis cunctis fidelibus Mariam tanquam Matrem potentissimam et benignissimam relinquens (5). — Se a Deo derelictum dicens (6), nullatenus desperat, nec contra Patrem querelas movet, sed internos dolores, qui iam in immensum excreverant, manifestat, simulque docet, duras quoque animi desolationes patienter perferendas esse. — Verbum, *sitio* (7), non solum vehementissimam corporis sitim, sed multo magis ardentissimum salutis hominum desiderium patefecit; unde *S. Augustinus* (8), illud verbum exponens, ita Christum loquentem inducit: «Sitis mea salus vestra est; sitis mea, redemptio vestra. Sitio fidem vestram, gaudium vestrum. Plus animarum vestrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet. » Ultima Christi verba: *Consummatum est* (9), *Pater in manus tuas commendo spiritum meum* (10), fideles monent usque in finem in bono perseverandum esse ad hanc autem perseverantiam obtinendam semper, et praecipue in mortis articulo Patrem invocandum esse, a quo *omne datum optimum, omne donum perfectum* descendit (11). — Haec satis ostendunt, quam praeclara, et salubria documenta nobis Christus in cruce moriens suppeditaverit. — Hisce adiungi merentur, quae *S. Bonaventura* (12) disserit, Christum in cruce tanquam perfectissimum obedientiae exemplar repraesentans. Ita enim seraphicus doctor loquitur: « Est etiam in beatissima (Christi) passione, regula et exemplar, et executio mandatorum Dei, ut sicut ipse fuit Deo Patri obediens usque ad mortem, sic et tu obedias usque ad mortem divinis mandatis. Possumus autem ibi (in cruce) speculari exemplar pulcherrimum omnium mandatorum. Quantum enim ad *primum* mandatum, in quantum ipse homo summus Dei cultor fuit offerens se Deo Patri in ara crucis sacrificium medullatum, oblationem et hostiam pacificam pro peccatis. Quantum ad *secundum* mandatum, non assumpsit nomen Dei in vanum, nec falsam iuravit, sed in passione crucis beatissima, quae Patribus iuraverat, adimplevit. Quantum

(1) Matth. 10, 38. (2) 1 Ep. 4, 1.
(3) Luc. 23, 34. (4) Luc. 23, 43.
(5) Io. 19, 26 etc. (6) Matth. 27. 46.
(7) Io. 19, 28. (8) En. in Ps. 61.
(9) Io. 19, 30. (10) Luc. 23, 46.
(11) Iac. 1, 17. (12) Stimul. amor P. I. c. 10.

ad *tertium* mandatum, sabbato in sepulcro quievit, et ibidem etiam nos debemus celebrare sabbata nostra, non in ludis, vanitatibus et discursibus, sed in quiete cum gratiarum actione. — Quantum ad *primum praeceptum secundae tabulae*, Patri summam reverentiam in cruce exhibuit, dum se ei usque ad mortem crucis humiliavit, ut debitum honorem contra iniuriam a nobis illatam impenderet. Exhibuit etiam debitam reverentiam Matri suae, cui non solummodo fuit subiectus, imo in cruce pendens cum magna diligentia dilecto discipulo eam commendavit. Quantum ad *secundum*, non solum mortuos non occidit, sed etiam sua beatissima passione et morte mortem occidit, et mortuos vivificavit. Quantum ad *tertium* contra moecham detestabilem, sibi in matrimonium copulavit Ecclesiam, Sponsus castissimus Sponsam castissimam eligendo, non habentem maculam neque rugam. Quantum ad *quartum*, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed exinanivit semetipsum formam servi accipiens. Vel dicimus, quod furtum non fecit, sed furtum recuperavit per mortem. Descendit enim ad inferos, et spoliavit infernum, et quos furtiva manus diaboli de bonis iniuste rapuerat et iniuste detinebat, merito suae passionis redemit, captivamque ducens captivitatem dedit dona hominibus. Quantum ad *quintum*, non solum falsum testimonium non dixit, sed pro veritate, quam dicebat et faciebat, contra se falsos testes habuit, dicentes contra eum blasphemiam et nequitiam, propter quod etiam adiudicatus est morti. Quantum ad *sextum* et *septimum*, non solum non aliena concupivit, sed etiam semetipsum proximis in cruce donavit. — Si igitur manifestissime apparet, qualiter mandatorum observantia relucet in passione gloriosa Domini Nostri Iesu Christi. »

Nota. Ex dictis patet, Christum munere prophetico per totam vitam suam excellentissimo modo functum esse. Tam praeclara enim exhibuit omnium virtutum exempla, ut homines ad illa respicientes facile ab ignorantiae suae tenebris liberari, et rectum salutis tramitem invenire possint. Ideo Christus ipse dixit: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat* (1); et: *Ego sum via, et veritas, et vita* (2). Ut autem Christus non in ruinam, sed in resurrectionem nostram positus sit, omnino necesse est, ut sicut documenta, ita etiam exempla eius perfecte cognoscere satagamus. Unde in aureo libello de Imit. Chr. (3) rectissime dicitur: « Summum studium nostrum sit, in vita Iesu Christi meditari. » Ast non solum probe cognoscere, sed et fideliter imitari oportet exempla Christi, ut salus aeterna obtineatur. Illos enim electos a Deo dicit Apostolus, *quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (4).

CAPUT II.

DE MUNERE CHRISTI SACERDOTALI

§ 364. Quoniam omnes in Adamo peccaverunt, omnes etiam gratia divina privati, inimicitiam et iram Dei, atque aeternae damnationis reatum incurrerunt. Ut homines ab his funestissimis peccati originalis effectibus liberarentur, Christus tanquam Sacerdos in terra comparuit, et per sacrificium in ara crucis oblatum iustitiae divinae satisfecit, peccata su-

(1) Io. 12, 46. (2) Io. 14, 6. (3) Cap. 1, n. 1. (4) Rom. 8, 29.

stulit hominesque Deo reconciliavit: et certe praecipue ob istud eximiae charitatis opus Filius Dei incarnatus *Redemptor*, *Salvator*, et *Mediator inter Deum, et homines* rectissime appellatur. — Exinde patet, in tractatu de Redemptione doctrinam de munere Christi sacerdotali summi esse momenti; ex hac enim clarissime elucet divina bonitas et misericordia, quae non solum depulsis ignorantiae tenebris per documenta, et exempla salutis viam ostendit, sed etiam obstacula salutis sustulit, media salutis comparavit, et coelum clausum reseravit: eadem proinde doctrina plena solatii et laetitiae est pro hominibus, quibus in peccato constitutis nihil magis cordi esse debet, quam ut certum medium cognoscant, Deum post commissam culpam placandi, et nobilem suum finem, a quo defecerunt, recuperandi: porro haec doctrina recte dicitur, Religionis christianae argumentum principale et ornamentum praecipuum, ita ut Paulus scribere non dubitaverit: *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum* (1). Ast dolendum est, saluberrimam hanc doctrinam a plurimis orthodoxae fidei adversariis impugnari: qua de re iam Paulus lamentatus est, dicens: *Nos praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*(2); et sicut tempore Apostolorum, ita etiam subsequentibus saeculis multi extiterunt, qui doctrinam catholicam de Redemptione per passionem et mortem Christi peractam aut corrumpere, aut penitus negare sunt ausi, quod nostris praecipue temporibus frequentissime contingit. Magna igitur solertia hunc tractatum suscipere oportet, et ut doctrina catholica de munere Christi sacerdotali recte proponatur, et contra adversarios solide defendatur, agendum est 1° *de ipso sacerdotio Christi*, 2° *de sacrificio ab ipso in ara crucis oblato*, 3° *de eiusdem in morte subeunda libertate*, atque 4° *de saluberrimis cruenti sacrificii effectibus respectu hominum*, et 5° *respectu Christi ipsius:* 6° *demum* probandum est, *doctrinam propositam rectae rationi non repugnare, sed illi convenientissimam esse.*

(1) 1 Cor. 2, 2. (2) 1 Cor. 1, 23.

ARTICULUS I.

De Sacerdotio Christi.

§ 365. Sacerdos seu Pontifex dicitur, qui legitima auctoritate ad hoc constitutus est, ut populo mandata Dei annunciet, et ut pro populo preces ad Deum fundat et sacrificia offerat. Unde *S. Thomas* (3) dicit: « Proprie officium Sacerdotis est esse mediatorem inter Deum, et populum: inquantum scilicet divina populo tradit (unde dicitur *sacerdos*, quasi *sacra dans*) secundum illud *legem requirent ex ore eius* (4), scilicet sacerdotis; et iterum inquantum preces populi Deo offert, et pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit. Unde Apostolus dicit: *Omnes Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis* » (5). Ex his apparet, maximam esse Sacerdotis dignitatem, eamque Christo optime convenire, quod ibidem angelicus Doctor probat. Ex ipsa autem Revelatione certissime constat, Christum *verum*, et *excellentissimum Sacerdotem* fuisse.

(3) 3, q. 22, art. 1.
(4) Malach. 2, 7. (5) Hebr. 5, 1.

I. *Christus verus Sacerdos.*

§ 366. Christum verum Sacerdotem esse, et iam, cum in terris versaretur, munere sacerdotali functum fuisse *ex S. Scriptura, ex Traditione*, et *ex ratione theologica* probatur.

1. *In S. Scriptura V. T.* clare praenuntiatum fuit, Messiam futurum esse Sacerdotem. In Psalmo enim CIX, quem omnes de Messia exposuerunt, Deus Pater Filium suum incarnatum, seu Messiam alloquitur, et cum v. 3 dixisset: *ex utero ante luciferum genui te;* statim additur, v. 4: *Iuravit Dominus, et non poenitebit eum: tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Sicuti ergo certum est, Christum esse Messiam (Th. gen. § 141 - 149), ita etiam certum est, ipsum esse verum Sacerdotem. — Ideo etiam in S. Scriptura N. T. Christus Sacerdos, seu quod idem sonat, Pontifex dicitur. Paulus in Epistola ad Hebraeos c. III, v. 1 dicit: *Considerate Apostolum, et Pontificem confessionis nostrae Iesum:* quibus verbis Christum non solum *Apostolum,* id est, doctorem seu praedicatorem a Deo missum, sed etiam *Pontificem* seu Sacerdotem novae legis, seu evangelicae fidei, quam profitemur, appellat. Cap. IV, v. 14 ait: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit coelos, Iesum Filium Dei, teneamus confessionem.* Cap. VII, v. 2 Christo applicat verba Ps. CIX, v. 4, et in eodem cap. VII, v. 26 de Christo dicit: *Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus* etc.

2. Iam antiquissimi *Patres* Sacerdotis dignitatem Christo adiudicarunt. *Tertullianus* (1), Christum « catholicum Patris Sacerdotem » appellat, id est, generalem, qui pro omnibus hominibus offert, et per quem omnia dona sanctificantur, et Deo grata fiunt. *Lactantius* (2) ait: Christus « et Sacerdotis perpetui dignitatem, et Regis summi honorem et Iudicis potestatem accepit. » Ipsi etiam *Ariani* et *Nestoriani* sacerdotalem Christi dignitatem professi sunt, sed in illa declaranda gravissime aberrarunt. Ariani enim naturam Filii Dei, seu Verbi diversam a Patre, et ea longe inferiorem existimabant, ac ideo Christum, qua Deus est, ut Patre minorem, sic eius sacerdotem, et mediatorem inter illum et humanum genus esse statuebant: cui erroneae sententiae adhaesit etiam *Eusebius Caes.* Opusc. 1 (3) de Christo scribens: « qui enim videbatur, erat agnus Dei; qui autem occultabatur, Sacerdos Dei; » ubi « qui occultabatur » perspicue divinitatem Christi significat: et l. 5 Dem. ev. (4) negat, sacerdotium Christi in tempore incepisse, sed vult illud perpetuo extitisse. Nestoriani autem, qui hominem a Deo esse reipsa divisum autumabant, statuebant, Christum Sacerdotem esse praecise qua hominem, nec patiebantur dici Filium Dei, vel Deum esse Sacerdotem, et si adderetur *secundum carnem*, vel *ut homo est;* quod testatur *S. Cyrillus Alex.* (5). — Ecclesia autem catholica constanter docuit, Christum esse Sacerdotem neque praecise qua Deum, ut contendebant Ariani, neque praecise qua hominem, uti autumabant Nestoriani, sed ut *Deum hominem*, ita ut quamvis functiones sacerdotales secundum naturam humanam perageret, istae tamen personae divinae adscribendae, atque ideo infiniti pretii essent. Hanc doctrinam Ss. Patres contra haereticos

(1) L. 1 c. Marcion. c. 9.
(2) L. 4 instit. c. 14.
(3) P. 3.
(4) C. 3.
(5) L. 3 adv. Nestor.

strenue propugnarunt. Sic *S. Athanasius* (1) docet, nomen ac munus Pontificis non ante susceptam hominis naturam Dei Filio in Scripturis esse tributum; sed, ait: « Verbum, quod est opifex, postea factum est Pontifex, cum induisset corpus factitium et creatum. » *S. Epiphanius* (2) exponens verba Pauli: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus* (3) etc., inquit: « quod *ex hominibus* dicit, ad Incarnationem refertur,.. siquidem hoc unum declarare voluit Apostolus, post susceptam hominis naturam, pontificiam ei dignitatem attributam esse. » Errorem Nestorii oppugnavit *S. Cyrillus Alex.*, qui in anathema decimo, approbato a Concilio gen. *Ephesino*, dicit: « Pontificem, et Apostolum confessionis nostrae factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. *Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri* (4). Si quis ergo Pontificem, et Apostolum nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum (quando caro factum est, et homo iuxta nos homines), sed velut alterum praeter ipsum specialiter hominem ex muliere... anathema sit. » — Verbum in ipsa Incarnatione Sacerdotem factum esse, Ss. Patres etiam inferunt ex ipsa appellatione *Christi*, quam utique Filius Dei nonnisi homo factus obtinuit. Est enim non naturae vox, sed personae utraque natura constantis, ut docet *S. Athanasius* (5). Cum hac autem appellatione connexa est pontificia dignitas, cuius symbolum est unctio, quam nomen illud praesefert. Quare Pontifex et Sacerdos in ipsa carnis susceptione factus est Dei Filius, quando divinitate est inuncta hominis assumpta natura. « Unctus est enim ille ut Rex et Sacerdos » ait *S. Augustinus* (6).

3. Christum iam in terrestri sua vita munere sacerdotali functum esse, etiam ex eo probatur, quia omnia Sacerdotis officia adimplevit. Sacerdotis enim est, populum in iis, quae ad cultum divinum pertinent, instruere, pro populo orare et sacrificium offerre (Cf. § 365). Sed Christus verbis et exemplis populum circa ea, quae cultum divinum respiciunt, excellentissime erudivit, quod in priori capite probatum est. Praeterea Christus pro populo oravit. Legitur enim: *Ascendit in montem solus orare* (7); *Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei* (8). Christus autem *plenus gratiae et veritatis* (9), pro se oratione non indiguit, sed hanc pro hominum salute Patri obtulit. Unde *S. Io. Damascenus* (10) ait: « Christus ideo precatus est, ut nobis ascensum ad Deum sterneret, ac pro nobis, velut ad Ioannem dicebat, omnes iustitiae numeros impleret, nosque in gratiam cum Patre reduceret. » Christus ipse se pro populo suo orare profitetur, de discipulis suis dicens: *Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt* (11); et ipsa oratio Christi exhibetur: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos* (12); insuper: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me* (13). Imo etiam in cruce pendens pro hominibus supplicavit. Pro suis enim persecutoribus dixit: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt* (14); et, iuxta *S. Io. Damascenum* (15), etiam « illud: *Deus, Deus*

(1) Orat. 3, c. Arian. (2) Haer. 69, n. 37 etc.
(3) Hebr. 5, 1. (4) Hebr. 3, Ephes. 5.
(5) In libro de salutari Christi adventu.
(6) Enarr. 2 in ps. 26, n. 2.
(7) Matth. 14, 23. (8) Luc. 6, 12.
(9) Io. 1, 14. (10) L. 3 de fide c. 24.
(11) Io. 17, 9. (12) Ib. v. 11.
(13) Ib. v. 20. (14) Luc. 23, 34. (15) L. c.

meus, ut quid dereliquisti me personam nostram usurpans, dixit. Neque enim... a sua unquam divinitate desertus est: sed nos scilicet eramus derelicti illi, atque contempti. Quare personam nostram assumpsit, quando has preces adhibuit. » Ergo Christus sacerdotale orandi officium iam in terris adimplere coepit, quod in coelis continuat, *semper vivens ad interpellandum pro nobis* (1). Denique Christus etiam sacrificavit pro populo; nam Eph. V, 2, *Christus tradidit semetipsum oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis;* qua de re in sequenti articulo fusior sermo instituendus erit. Ex dictis autem iam satis patet, Christum iam cum in terra viveret, omnia Sacerdotis officia adimplevisse, seu munere sacerdotali vere functum esse.

Nota. Etsi *Sociniani* confiteantur, triplex esse munus Christi, *propheticum, sacerdotale* et *regium*, sinistris tamen interpretationibus, ut doctrinas Ecclesiae catholicae alias, ita hanc corrumpunt. Quantum quidem ad munus Christi sacerdotale attinet, negant, functum fuisse Christum Sacerdotis munere, dum his in terris morabatur. *Socinus* de officio Christi agens, postquam officia Christi in ea dispescuit, quae in terris peregit, et in illa, quae in coelis obit; subiungit, ad illa pertinere munus propheticum; ad ista regium et sacerdotale. Iuxta Socinianos ergo sacerdotium Christi sullomodo post eius in coelum ascensum incepit, et in eo consistit, quod ibi Deo quotidie se offerat et interpellet pro nobis. Hanc sententiam etiam nonnulli inter Protestantes adoptarunt, et alii eousque temere progressi sunt, ut sacerdotium Christi penitus negarent. Quamobrem contra doctrinam catholicam de munere Christi sacerdotali variae difficultates moventur, quas enodare oportet.

Obi. I. In S. Scriptura aperte declaratur, Christum in terra sacerdotali munere functum non esse, sed in coelum ascendere debuisse, ut Sacerdos fieret. Nam Hebr. VIII, 4 dicitur de Christo: *Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos.*

Resp. Mirum est, adversarios pro sua sententia argumentum ex eadem Epistola depromere, in qua clarissime adseveratur, Christum verum Pontificem esse, et verum sacrificium in terra obtulisse, quod ex inferius dicendis apparebit. Apostulus ergo sibi aperte contradixisset, si verba citata in sensu Socinianorum intelligerentur. Quodsi in sensu Apostoli exponuntur, facile patet, illa doctrinae catholicae minime adversari. Paulus enim totus in eo est, ut ostendat sacerdotium Christi longe excellentius esse, quam sacerdotium leviticum, et hoc per illud abrogari; quod ut probet, in hoc capite asserit, Christum non adinstar sacerdotum leviticorum res terrenas seu animalia, sed longe praestantiorem victimam, nimirum semetipsum offerre. Ideo cum v. 3 dixisset: *necesse est, et hunc habere quod offerat,* immediate addit: *si ergo* (victima) *esset super terram, nec esset sacerdos,* id est, si Christus super terram versaretur, nihilque nisi terrenum haberet offerendum, non esset ipse ille sacerdos, qui sacerdotium leviticum abrogaret, cum istud potius continuaret; neque necesse fuisset, ut fieret sacerdos, quia iam multi essent, qui talia offerant. Hanc expositionem *S. Thomas* pluribus aliis, quas refert, videtur praeferre ut magis litteralem, seu, ut ait, continuativam litterae. — Ast alia etiam eiusdem loci expositio afferri

(1) Hebr. 7, 25.

potest, ex qua manifeste patet, citata verba non solum Socinianis non patrocinari, sed et ad eorum spuriam sententiam refellendam optime inservire. Praecipuus enim scopus Pauli in Epistola ad Hebraeos est, ut ostendat, sacerdotium leviticum per Christum abrogatum esse, quia illud figura fuit, Christus autem omnes figuras V. T. adimplevit. Ast in veteri Lege quotannis summus Pontifex sacrificium prae reliquis excellentius obtulit, et post victimam mactatam, ingressus est Sancta Sanctorum, ubi sanguine victimae interiora sanctuarii aspersit, atque ita summi sacerdotis munus complevit (1). — De hoc ingressu summi sacerdotis in sancta sanctorum loquitur Paulus Hebr. IX, v. 1-9, sed illum etiam exhibet ut figuram, quam debuit Christus adimplere; mox autem (2) ostendit, Christum hanc figuram adimplevisse, dum coelum per gloriosam ascensionem ingressus est, atque ita summi sacerdotis munus complevisse. Ideo paullo ante dixerat: *Si ergo esset super terram, non esset Sacerdos; cum essent, qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari, et umbrae deserviunt coelestium* (3): id est, si Christus coelum non esset ingressus, non esset ille Sacerdos, qui omnes V. T. figuras adimpleret, et sacerdotium leviticum abrogaret, atque ideo remanerent, qui secundum legem munera offerrent, et venturum excellentiorem Sacerdotem praefigurarent. Quia autem Christus in coelum ascendit, ideo omnes V. T. figuras adimplevit, summi Sacerdotis munus perfecte complevit, et, vetere abrogato, *novi testamenti mediator est* (4). Ex hac argumentatione Pauli nullatenus inferri potest, Christum in terra munere sacerdotali functum non esse, sed contrarium potius eruitur. Quemadmodum enim iam in V. T. summus Pontifex iam ante ingressum in Sancta Sanctorum sacerdotalem dignitatem habuit, et victimam mactando exercuit; ita etiam Christus, qui omnes figuras V. T. perfecte adimplevit, iam ante ascensionem in coelum verus Sacerdos fuit, et sacrificium offerendo munus sacerdotale iam in terra exercuit.

Obi. II. Christus sacerdotium suum non obivit antequam ei dictum fuerit: *Filius meus est tu, ego hodie genui te;* quod testatur Paulus Hebr. V, 5 dicens: *Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus* etc. Ast haec Deus ad Christum locutus est in resurrectione a mortuis; legitur enim Act. XIII, 33: *Hanc* (repromissionem) *Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Iesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu: ego hodie genui te*: Ergo Christus ante resurrectionem, seu in vita sua mortali sacerdotio functus non est.

Resp. Paulus Hebr. V, 5 dicit quidem, Christum a Patre suo constitutum esse sacerdotem, sed nullo modo tempus determinat, quo illi dictum est: *Filius meus es tu* etc. Neque Act. XIII, 33 tempus determinatur, sed solum asseritur, illum ipsum Iesum resuscitasse, qui Ps. II ad eundem dixit: *Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Et certissime Christus iam ante resurrectionem Filius Dei erat, utpote *hodie* i. e. ab aeterno genitus. Ideo iam ante resurrectionem Christus solemniter Filius Dei declaratus est, nempe in baptismo (5), et in transfiguratio-

(1) Levit. c. 16. (2) Ib. 11 et seq.
(3) Hebr. 8, 4 etc. (4) Hebr. 9, 15.
(5) Matth. 3, 16.

ne (1). Meminit autem Apostolus(2), solius resurrectionis, quia per hanc maxime patuit divina Christi filiatio, quae est fundamentum, et causa Sacerdotii Christi, eiusque resurrectionis.

Obi. III. Christus ipse sibi nunquam dignitatem sacerdotalem attribuit, sed haec illi in sola ad Hebraeos epistola, argutiarum iudaicarum plenissima, adscribitur, ac ideo non immerito denegatur. Ita *Wegscheider*, et alii.

Resp. Dato etiam quod Rationalistae assumunt, solum nempe auctorem Epistolae ad Hebraeos, ut ipsi loquuntur attribuisse Christo sacerdotalem dignitatem, illud satis nobis esset ad arguendam impietatem Socinianorum; cum ex perpetua Ecclesiae traditione haec Epistola divinae sit auctoritatis. Ast falsa est Rationalistarum assertio. Cum enim Christus Matth. XXII, 44, etc., Marc. XII, 36, Luc. XX, 42 sibi applicet psalmum CIX, in quo expresse Christi Sacerdotium praedicatur, hoc ipso sibimetipsi sacerdotalem dignitatem attribuit.

Obi. IV. Ad officia sacerdotalia pertinet oratio pro populo fundenda. Sed Christo Filio Dei et vero Deo, non competit orare: ergo eidem etiam non competit munus sacerdotale.

Resp. Si in Christo esset sola natura divina, ipsi, ut Filio Dei et vero Deo, non competeret orare: sed quia in ipso est etiam natura et voluntas humana, ideo ipsi ut homini competit orare. Oratio equidem non fuit Christo absolute necessaria sicut nobis, quia cum esset Deus poterat per se exequi quae peteret; fuit tamen necessaria ex suppositione divinae ordinationis, quatenus sciebat esse divinitus ordinatum a Patre, ut quaedam nonnisi per orationem acciperet; et haec fuit etiam conveniens propter instructionem et exemplum nostrum. Id docet *S. Thomas*, qui (3) scribit: « Christus poterat perficere omnia quae volebat secundum quod Deus, non autem secundum quod homo; quia secundum quod homo non habuit omnipotentiam. Nihilominus tamen ipse idem Deus existens et homo voluit ad Patrem orationem porrigere, non quasi ipse esset impotens, sed propter nostram instructionem. Primo quidem ut ostenderet, se esse a Patre. Unde ipse dicit: *propter populum, qui circumstat, dixi*, scilicet verba orationis, *ut credant, quia tu me misisti*(4). Unde *Hilarius*(5) dicit: Non prece eguit, pro nobis oravit, ne Filius ignoraretur. Secundo ut nobis exemplum orandi daret. Unde *Ambrosius* dicit (6): Noli insidiatrices aperire aures, ut putes filium Dei quasi infirmum rogare, ut impetret, quod implere non possit; potestatis enim auctor, obedientiae magister ad praecepta virtutis suo nos informat exemplo. Unde et *Augustinus* dicit (7): Poterat Dominus in forma servi, si hoc opus esset orare silentio: sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem. »

II. *Christus Sacerdos excellentissimus.*

§ 367. Sacerdotium Christi excellentissimum esse, atque Sacerdotibus V. T. immensum praeeminere, in Epistola ad Hebraeos ex variis rationibus ostenditur.

1. Sacerdotium Aaroni, eiusque successoribus fuit impositum absque iureiurando: Christus autem a Deo cum iureiurando constitutus est Sa-

(1) Matth. 17, 5. (2) Act. 13, 33.
(3) 3, q. 21, a. 1 ad 1.
(4) Io. 11, 42. (5) L. 10 de Trin.
(6) Super Lucam c. 6. (7) In Io. tract. 104

cerdos: *Alii quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt; hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum: Iuravit Dominus, et non poenitebit; tu es Sacerdos in aeternum: In tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus* (1). Ex ipso nempe iureiurando sacerdotii Christi praestantia recte infertur. Neque enim minoris, sed maioris momenti rebus confirmandis iuramenta solent adhiberi. Insuper autem cum res iureiurando firmata nec rescindi possit, nec immutari, ideo confirmatum est Christi Sacerdotium utpote futurum aeternum. Sacerdotium autem aaronicum, cum esset aliquando abrogandum, non debuit iuramento confirmari.

2. In sacerdotio aaronico distinguebatur hostia a sacerdote; non enim sacerdotes V. T. semetipsos, sed animalia aliasque res externas offerebant. In Sacerdotio autem Christi idem est pontifex et hostia, Sacerdos et victima, quia Christus vere semetipsum in ara crucis obtulit. Unde Paulus Hebr. IX, 12 de Christo ait: *Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.* Et c. X, v. 5, etc. ipse Christus ita ad Patrem loquitur: *Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: - Tunc dixi: ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam... in qua voluntate* (ait Apostolus) *sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.*

3. Sacerdotes aaronici sacrificabant saepius: Christus semel se obtulit: *Umbram enim habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere* (2). Sed: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* (3). Hoc autem unum sacrificium omnibus sacrificiis V. T. longe praecellit: quia haec solum figurae erant; illud autem omnium istarum complementum.

4. Aaronici sacerdotes peccata non auferebant sanguine hircorum, taurorum, aut vitulorum; nam, *impossibile est sanguine hircorum et taurorum auferri peccata* (4). Christus autem sanguine suo abstulit peccata mundi, seu, ut Paulus ibid. dicit: *hic unam pro peccatis offerens hostiam... una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* (5).

5. Sacerdotes aaronici infirmitatibus et peccatis obnoxii erant, ac ideo non solum pro peccatis alienis, sed etiam pro culpis propriis offerre debebant. *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus... et ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis* (6). — At Christus est, *pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus,.. qui non habet necessitatem quotidie quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo* (7).

6. Sacerdotes aaronici puri erant homines: Christus autem verus quidem est homo, sed simul verus Deus. *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in aeternum perfectum* (8). Et iam antea Apostolus dixerat: *Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex...*

(1) Hebr 7, 20 etc. (2) Hebr. 10, 1.
(3) Hebr. 9, 28. (4) Hebr. 10, 4.
(5) V. 12-14. (6) Hebr. 5, v. 1 etc.
(7) Hebr. 7, 26 etc. (8) Hebr. 7, 28.

excelsior coelis factus (1). Idcirco sacerdotium Christi non solum omni humanae potestati, sed etiam toti Angelorum hierarchiae infinite antecellit. Nam, ut tradit *S. Thomas* (2); « Angeli fuerunt ministri sacerdotii eius, secundum illud: *Angeli accesserunt, et ministrabant ei* (3). » Etenim Filii bene dilecti oratio et oblatio omnium creaturarum precibus et donis immensum acceptior est, tantoque his gratior, quanto Deus creaturis pretiosior.

7. Sacerdotium aaronicum haereditarium erat, transiens a parentibus in filios, et in terra solum exercendum: ideo sacerdotes V. T. sibi invicem successerunt, et in morte munus eorum finem accepit. Christus autem nec successit alteri, nec successorem habet: et quamvis ipsius sacerdotium in terris inchoatum esset, continuatur tamen et consummatur in coelis, ubi finem non habet. Id docet Paulus dicens: *Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium* (4). Quam in rem ita disserit *S. Thomas* (5): « In officio sacerdotis duo possunt considerari. Primo quidem ipsa oblatio sacrificii, secundo ipsa sacrificii consummatio, quae quidem consistit in hoc, quod illi, pro quibus sacrificium offertur, finem sacrificii consequuntur. Finis autem sacrificii, quod Christus obtulit, non fuerunt bona temporalia, sed aeterna, quae per eius mortem adipiscimur (unde dicitur: *Christus assistens pontifex futurorum bonorum* (6), ratione cuius Christi sacerdotium dicitur esse aeternum. » Quam Angelici doctrinam ita interpretatur *Contensonius* (7) dicens: « Sacerdotium Christi ab initio inchoatum iugiter in aeternum durat, non solum quoad habitum (sic enim Sacerdotes novae legis Sacerdotio perpetuo ob indelebilitatem characteris gaudent), sed etiam quoad actum et exercitium, quod in morte quidem consummatum est, sed minime finitum; perseverat enim incruenta oblatio in venerabili Sacramento Altaris usque ad consummationem saeculi, et in coelo mortem suam Patri aeterno perpetim offert, ac vulneribus hac de causa servatis, veluti totidem facundissimis oribus pro nobis veniam petit, et insuper per totam aeternitatem Sanctis gloriam influet, unde merito *Sacerdos in aeternum* (8) nominatur. » Ex quibus facile patet, Sacerdotium Christi omnium excellentissimum esse (9).

(1) Hebr. 7, v. 26 (2) 3, q. 22, a. 1 ad 1.
(3) Matth. 4, 11. (4) Hebr. 7, 23 etc.
(5) L. c. a. 5. (6) Hebr. 9, 11.

(7) L. 10, diss. 1, c. 1, spec. 3.
(8) Ps. 109.
(9) Cf. Billuart. de incarn. diss. 20, art. 3, Dico 3.

ARTICULUS II.

De sacrificio a Christo in ara crucis oblato.

§ 368. 1. Sociniani Christum humani generis Salvatorem, imo et Redemptorem nuncupare non recusant: ast ipsum eatenus tantum homines redemisse dicunt, quatenus hominibus doctrina et exemplo viam salutis commonstravit; negant autem, eundem opere, merito et efficacia humanum genus reparasse. Ita pariter Christum non ex alio fine mortuum esse affirmant, nisi ut doctrinam suam sanctissimam confirmaret, insigne nobis patientiae exemplum relinqueret, et in resurrectione sua ad vitae aeternae spem nos excitaret: ast nullatenus concedunt, Christum passum et mortuum esse, ut pro peccatis nostris satisfaceret, pretio infiniti valo-

ris soluto, debita nostra solveret, atque ita Deo nos reconciliaret: qua de causa in morte Christi veram sacrificii rationem agnoscere penitus recusant (1). — Ast Sociniani munus Christi sacerdotale cum prophetico turpiter confundunt, et longe aberrant a recta, propria et genuina notione *Redemptionis*, quam ipsi solum in sensu quodam improprio, seu metaphorico admittunt. Redimere enim plus est quam simpliciter liberare; illud enim exigit, ut liberatio a captivitate, a debito, vel a quacunque miseria non gratis, sed soluto pretio fiat. Recte igitur doctrina catholica statuit, Christum hominum Redemptorem dici et esse, quia homines a captivitate daemonis, a peccatorum debitis et a poenis aeternis liberavit, non autem gratis, sed pretio soluto, nempe sanguine fuso, et morte in cruce tolerata: ex quo sequitur, Christum in ara crucis veri nominis sacrificium obtulisse. — Doctrina haec contra impios adversariorum conatus strenue propugnanda est, quod ut fiat, rectam imprimis sacrificii notionem statuere, et ea, in quibus Sociniani nobiscum consentiunt, ab iis, in quibus discrepant, caute secernere oportet, ut status quaestionis rite determinetur.

2. Sacrificium proprie dictum communiter definitur: Oblatio externa rei sensibilis cum eius destructione, vel immutatione facta a legitimo ministro ad contestandum supremum dominium Dei. Ad veri nominis sacrificium ergo quatuor requiruntur: 1° *res sensibilis et externa*, quae offeratur, quoniam sacrificium ad cultum externum, qui Deo debetur, pertinet: 2° *eiusdem rei destructio vel immutatio*, per quam ipsa res externo modo Deo dicata exhibetur: 3° *legitimus minister*, quia iam in V. T. solius sacerdotis erat sacrificia offerre, et etiam in N. T. Paulus dicit, Pontificem ad hoc constitui, *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis:* 4° *contestatio supremi dominii Dei*, seu cultus latriae soli Deo debitus, tanquam finis, ad quem sacrificium dirigitur. Quoniam autem omnia attributa divina sunt ipsa essentia Dei, ideo praefatus finis obtinetur, et cultus latriae exhibetur, sive sacrificium offeratur ad infinitam Dei maiestatem adorandam, sive ad immensam eius bonitatem grato animo praedicandam, sive ad hanc denuo invocandam, sive ad illius iustitiam placandam et ad satisfactionem pro illatis iniuriis praestandam: hinc iam in V. T. sacrificia latreutica, eucharistica, impetratoria et propitiatoria distinguebantur. — His suppositis, ita argumentari licet. In morte Christi veri et proprie dicti sacrificii ratio occurrit, si in illa omnia sacrificii requisita vere ac proprie inveniuntur. Atqui in morte, a Christo in ara crucis tolerata, omnia sacrificii requisita vere ac proprie inveniuntur. Christum enim tanquam verum hominem, anima et corpore humano praeditum, esse rem externam et sensibus subiectam, ipsi adversarii non inficiantur. Iidem admittunt, Christum vere mortuum esse, seu vitam ipsius, sanguine fuso, vere destructam fuisse. Praeterea certum est, quod praecedenti articulo probatum fuit, Christum verum Sacerdotem, adeoque legitimum ministrum esse, et in sequenti articulo fusius probabitur, Christum libere semetipsum in ara crucis obtulisse. Tandem neque de quarto requisito dubitari potest. Christus enim vere passus et mortuus est, seu seipsum in ara crucis tanquam hostiam obtulit, ut divinae iustitiae pro peccatis nostris satisfaceret, de-

(1) Cf. F. Socin. De vera Relig. l. 5, cap. 22; Möhler Symb. § 90.

bita nostra solveret, nobisque remissionem peccatorum ac cum Deo reconciliationem promereret. Hoc autem penitus negant Sociniani; atque ideo praecipue circa hoc quartum requisitum controversiae cardo vertitur. — Dogma nempe catholicum est, Christum se Deo tanquam piacularem hostiam obtulisse, sacrificium mortis eius in ara crucis oblatum vere propitiatorium, et Christum in sensu stricto Redemptorem esse, qui, soluto pretio, homines a peccatis et poenis aeternis liberavit, et vitae aeternae participes reddidit. Dogma hoc catholicum contra Socinianos *ex S. Scriptura V. T.*, *ex Ss. Libris N. T.* et *ex Traditione* probatur.

I. *Argumenta ex V. T. petita.*

§ 369. 1. Certum est, quod nec ipsi adversarii diffitentur, in V. T. ex ipsa ordinatione divina plurima sacrificia cruenta oblata fuisse, et quidem praecipue propitiatoria pro peccatis ad divinam iustitiam placandam, quem in finem animalia occidebantur, et sanguis eorum effundebatur. Sed, teste Paulo, legalia mosaica, *sunt umbrae futurorum* (1), quia: *Omnia in figura contingebant illis* (2). Ergo etiam sacrificia V. T. cruenta figurae erant, a Messia per sacrificium cruentum adimplenda. Ast si in atroci Christi morte ratio sacrificii non admittitur, nullum in N. T. sacrificium cruentum invenitur, atque ideo dicendum erit, figuras V. T. praecipuas adhuc adimpletas non fuisse. His accedit, sacrificia V. T. ex se inefficacia fuisse, et omnem virtutem suam solum ex sacrificio a Messia offerendo repetiisse, quod praefigurabant, et in quod fidem excitabant. Nam, ait Paulus: *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere... Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata* (3). Negato ergo sacrificio cruento a Christo in cruce oblato, sacrificia in veteri lege praescripta ad conditionem caeremoniarum inutilium, vanarum et frivolarum detruduntur. Quod ne cum summa Dei iniuria fiat, concedendum est Christum in ara crucis sacrificium propitiatorium obtulisse, seu mortuum ipsum esse, ut pro peccatis hominum satisfaceret, et divinam iustitiam placaret. Iam enim Daniel praedixerat, Messiam venturum esse, *ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna* etc. (4). Quibus verbis equidem modus, quo peccatum auferendum erat, non exprimitur: sed illum sacrificia cruenta satis clare significaverant; quamvis in ipso Danielis vaticinio haud obscure innuatur, praeclaros illos effectus morti Messiae adscribendos esse, cum dicitur: *Occidetur Christus;* et: *deficiet hostia et sacrificium* (5); id est figurae cessabunt, adveniente veritate; seu sacrificia legalia abrogabantur per sacrificium a Messia oblatum.

2. Doctrina catholica invicte probatur ex celeberrimo capite LIII Isaiae, quod iam veteres Iudaei de Messia intellexerunt, et quod in N. T. (6) de Christo explicatur; quapropter ipsi Sociniani in illo de Christo sermonem esse non diffitentur. In hoc capite primum atrocissima Messiae passio describitur, v 2 etc..

(1) Col. 2, 17. (2) 1 Cor. 10, 11.
(3) Hebr. 10, 1 etc.
(4) Dan. 9, 22 etc. (5) Ib. v 26 et 27.
(6) Luc. 22, 37; Matth. 8, 17; Act. 8, 32 et 1 Petr 2, 24

Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem... unde nec reputavimus eum. Dein clare asseritur, Messiam non ob propria peccata passurum esse, quoniam v. 11, *iustus servus* Dei appellatur, et v. 9 aperte dicitur, quod *iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.* Alia igitur passionis et mortis Messiae causa assignatur, nempe peccata hominum, quorum poenas luendas in se suscepit, et pro quibus seipsum Patri tanquam piacularem victimam obtulit. Disertis id verbis declaratur v. 4: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*, id est, poenas peccatorum nobis luendas toleravit; v. 5: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus:* id est, ipsi incubuit *disciplina* seu negotium *pacis* inter Deum et nos restituendae, et non solo exemplo patientiae, quod exhibuit, sed *livore eius*, id est ipsa afflictione et passione quam pertulit, *sanati*, seu gratiae divinae restituti *sumus*. Neque vulneratio et attritio Messiae soli malitiae eorum, qui eum actu cruciaverunt, sed vere omnium hominum iniquitatibus et sceleribus adscribenda est; nam, ait Propheta v. 6: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem* (id est poenas pro peccatis debitas) *omnium nostrum*. Ideo autem, quia ipsi imposita sunt peccata hominum, ut illa expiet, et aboleat; v. 7: *oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Quibus verbis clarissime asseritur, Messiam ob imposita sibi peccata libere semetipsum in sacrificium oblaturum esse, et quidem in sacrificium cruentum, quia *sicut ovis ad occisionem ducetur*. His praemissis, Deus Pater de Messia loquens et eandem veritatem confirmans inducitur; ait enim v. 8: *Propter scelus populi mei* (ut pro illo satisfaciat) *percussi eum:* v. 10: *Si posuerit pro peccato animam suam* (id est, si ipse se fecerit sacrificium pro delicto) *videbit semen longaevum* (id est, filios spirituales nanciscetur plurimos): v. 11: *In scientia sua* (id est, per religionem, quam docebit) *iustificabit ipse iustus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit* (id est, poenas peccatis eorum debitas luet): v. 12: *Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.* Haud clarius enunciari potuisset, Christum ad expianda peccata hominum passum et mortuum esse, atque ideo veri nominis sacrificium in ara crucis obtulisse.

Nota. Iudaei recentiores hoc insigne vaticinium, quod luculentissime in Christo adimpletum fuit, de Messia exponere detrectant. *Sociniani* illud de Christo quidem exponunt, sed contortis suis expositionibus ita corrumpunt, ut impiae eorum sententiae haud repugnare videatur. Inter *rationalistas biblicos* non pauci in vaticinio de Messia sermonem esse negant. Variae idcirco contra argumentum ex V. T. petitum difficultates moventur.

Obi. I. Verba Is. LIII, 3: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*, non ita intelligenda sunt quasi Christus poenas

nobis debitas in se susceperit. Nam istae voces, *ferre* et *portare*, in S. Scriptura interdum significant *auferre;* ut e. g. Ex. XXXIV, 7 dum eodem verbo occurrente dicitur: *Deus, qui aufers iniquitatem* etc., sensus est, Deum peccata remittere, non autem ista in se suscipere. Ergo etiam verba Isaiae significant, quod Christus peccata nostra auferat, verbis et exemplis nos instruendo et ad bonum excitando, non autem quod peccatorum poenas in se suscipiat et pro istis satisfaciat.

Resp. Si hebraica vox (*nose, ferre*) hincinde sumitur pro *auferre*, alibi tamen significat *poenas perferre*, quod ipsi adversarii non diffitentur. Concedimus ergo, in priori sensu vocem intelligendam esse, dum de Deo sermo est, qui, utpote natura spiritualis, nec pati nec mori potest pro peccatis: in posteriori sensu autem vox intelligenda est de Christo, qui in natura humana pati ac mori pro peccatis potuit et voluit. Id patet ex eo, quia in loco Isaiae non solum occurrit vox *nose*, sed etiam vox *sabal*, quae nullibi aliud significat, quam *sustinere* ac *baiulare* (1). Idem confirmatur ex versionibus, nam Syriaca habet: *Vere passiones nostras ipse pertulit, et dolores nostros ipse passus est.* Arabica: *Ipse portat peccata nostra, et pro nobis dolore afficitur.* Graeca: *et ipse peccata nostra fert, et pro nobis affligitur.* — Praeterea si etiam concederetur, in loco Isaiae voces *ferre* et *portare* idem significare ac *auferre*, nihilominus vis argumenti nostri non infringeretur. Nam in vaticinio etiam declaratur, quomodo Christus peccata abstulit. Subiungitur enim: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra... livore eius sanati sumus* etc. Ergo non per solam institutionem verbis et exemplis peractam, sed per vulnera et attritionem, seu per passionem et mortem abstulit peccata.

Obi. II. Vaticinium Isaiae LIII, 3 adimpletum est, dum Christus varii generis morbos curavit; nam Matth. VIII, 16, etc. legitur: *Omnes male habentes curavit, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes nostras portavit.* Christus vero non per passionem, sed per virtutem divinam aegrotos sanavit: ergo ex citato loco nequit inferri satisfactio praestita pro peccatis.

Resp. Matthaeus locum Prophetae adimpletum esse asserit non quidem plene et perfecte, sed parte aliqua. Christus enim peccatorum poenas in se suscipere et auferre voluit: ast ad peccatorum poenas etiam dolores et morbi pertinent, quorum origo peccato originali, et persaepe etiam peccatis actualibus adscribenda est. Christus ergo sanando aegrotos ex parte saltem Isaiae vaticinium implevit, quod eo magis ab Evangelista dici poterat, quo apertius sanationes morborum corporalium curationes morborum spiritualium praefigurabant, quas per passionem et mortem peractas fuisse, Propheta in subsequentibus versiculis clare exponit, dicens: *Vulneratus est propter iniquitates nostras* etc.; quae Prophetae testimonia ita perspicua sunt, ut ipse *Socinus* fassus sit, Isaiae prophetiam in corporali solum sanatione proprie, perfecteque non esse impletam (2).

Obi. III. Si concedatur, Christum iuxta vaticinium Isaiae peccata hominum portasse, ex hoc tamen non sequitur, quod ad expianda peccata

(1) V. Gen. 49, 15; Is. 46, 4 etc.

(2) V. Klüpfel l. 2, § 76, nota.

passus et mortuus sit. Nam, ut legitur Lev. XVI, 20 etc., etiam super hircum emissarium Aaron posuit peccata populi, atque ideo iste dicebatur *portare iniquitates omnium*, quin tamen ut victima pro peccatis occideretur. Ergo etiam Christus, quem hircus praefigurabat, nullatenus ob peccata sibi imposita passus, et mortuus est.

Resp. Non negamus, hircum emissarium Christi figuram fuisse. Ast in figura non omnia continentur, quae in re ipsa; et haec per illam saepe ex una tantum, non autem ex omni parte adumbratur. Ita hircus emissarius ex una tantum parte Christi figura fuit, quia nempe sicut summus Pontifex super illum peccata populi, ita de Christo scriptum est Is. LIII, 6: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*. Praefatus autem hircus non erat figura Christi circa modum, quo peccatorum expiatio perficienda erat. Modum istum sacrificia propitiatoria, in quibus victimae occidebantur, praefigurabant: ast Christus has quoque figuras implere, et ideo pro peccatis pati, et mori debuit.

Obi. IV. Iuxta Iudaeos recentiores vaticinium Isaiae non de Messia, sed de populo iudaico intelligendum est, ob patrum suorum peccata in captivitatem babylonicam abducto, aut per orbem disperso. Inter rationalistas biblicos nonnulli Iudaeis recentioribus adsentiunt; alii vaticinium referunt ad Oziam ob sacrificium temere oblatum(1), a throno deiectum, sed tamen honorifice sepultum; alii ad ipsum Isaiam, qui licet innocens atrox tamen martyrium subiit.

Resp. Interpretationes istae non sunt nisi misera effugia, quibus homines passionibus obcaecati clarissimam veritatis lucem obfuscare conantur. Et certe de populo iudaico dici nequit, quod *iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius*, praecipue cum prophetae passim tum captivitatem babylonicam, tum dispersionem per orbem eiusdem populi peccatis adscribant. Neque populus in captivitatem ductus, aut dispersus dici potest vulneratus, attritus, ad occisionem ductus etc. Nec ad Oziam vaticinium pertinet, qui ob gravissimum crimen, quo sacerdotium sibi arrogavit, iuste punitus fuit. *Isaias* se quoque peccatorem profitetur dicens, v. 6, *omnes nos quasi oves erravimus* etc., ipseque non propter peccata populi, sed ob impietatem Manassis dicitur martyrium subiisse; et haec de eius morte et gloriosa sepultura notitia solum ex Talmude est hausta (2).

(1) 2 Par. 26.

II. *Argumenta ex N. T. depromta.*

§ 370. Multa sunt in divinis N. T. Libris testimonia, quae evincunt, Christum sanguinem fudisse et mortem pertulisse, ut iustitiae divinae pro peccatis nostris satisfaceret, nosque e captivitate daemonis liberaret: unde Christus in sensu stricto Redemptor noster est, quia, soluto pretio, nos a miseria in quam per peccatum prolapsi sumus, et a morte aeterna liberavit.

1. *Christus* ipse palam professus est, se mortem subiturum esse, ut homines *redimeret*, id est, soluto pretio, a miseria liberaret. Ait enim: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis* (3); haec vox autem: *redemptio*, graece λύτρον liberationem significat, quae fit pretio soluto; et hoc exprimitur per *dare*

(2) V. Dobmayr t. 6, § 106, nota 1.
(3) Matth. 20. 28.

animam, seu profundere vitam. Hoc idem Christus clarissime adseverat: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis... Ego sum pastor bonus... et animam meam pono pro ovibus meis... Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam* etc. (1); quibus verbis Christus profitetur, se sacrificium per mortem suam oblaturum esse Patri gratissimum, quia per illud divinae iustitiae satisfactio praestatur, et pro ovibus, seu hominibus saluberrimum, quia per illud salutem suam consequuntur, quod iam antea declaraverat, dicens: *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant* (2). — In ultima coena Christus Apostolis calicem porrigens ait: *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti*, id est, quo novum foedus inter Deum et homines sancitur, et confirmatur, *qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (3); quibus verbis Christus cruentam suam mortem praedixit, ideo perferendam, ut hominum peccata remittantur, quod obtineri non potuisset, nisi divina iustitia per condignam satisfactionem placata fuisset. Ergo Christus vere sanguinem effudit et mortem pertulit, ut homines a peccati servitute liberaret, atque ideo, soluto pretio, eosdem redemit.

2. *Paulus* dogma catholicum clarissime proponit: Eph. V, 2 ait: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Christus ergo *dilexit nos* non solum quia verbis et exemplis nos erudivit, sed multo magis quia *tradidit semetipsum*, seu vitam profudit, et mortem sustinuit *pro nobis* peccatoribus, ut a servitute peccati et a poenis subeundis liberaremur, et ita semetipsum fecit *oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis;* quae verba luculentissime ostendunt, Christum in ara crucis veri nominis sacrificium obtulisse. — Hebr. VII, 27, loquens Apostolus de sacrificiis propitiatoriis, quae sacerdotes quotidie pro suis et populi delictis offerebant, de Christo subiungit: *Hoc enim* (pro delictis populi hostias offerre) *fecit semel seipsum offerendo.* Ib. cap. IX, v. 26 de Christo dicit: *Semel in consummatione saeculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* Ergo Christus mortuus est non solum ut doctrinam suam confirmaret, sed etiam - et quidem praecipue, ut in morte sua ad peccatum delendum hostiam, seu sacrificium offerret. Praeterea Paulus testatur, Christum vere nos redemisse, seu soluto pretio, nimirum sanguine in passione et morte effuso, nos e peccati servitute liberasse. Col. I, 14 laudat Christum, *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Tit. II. 14: Christus *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem.* I Tim. II, 5 etc.: *Unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Christus igitur in mortem semetipsum tradidit, ut poenas nobis debitas in se suscipiens, et loco nostri victima occumbens, iustitiae divinae satisfaceret, homines Deo reconciliaret, et mediator inter Deum, et homines esset.

3. *Petrus* fidelibus scribit: Sancte *conversamini, scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati* (4); unde intelligi-

(1) Io. 10, 11 etc. (2) Ib. v. 10. (3) Matth. 26, 28. (4) 1 Ep. 1, 18 etc.

mus, auro et argento, pretio, quo captivi liberantur, Christi sanguinem comparari, imo longe anteferri; adeoque de vera redemptione, quae soluto pretio obtinetur, sermonem esse. Idem inquit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius... qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus, cuius livore sanati estis* (1). *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo* (2). Docet itaque Apostolorum Princeps, Christum non solum Doctorem et exemplar nostrum esse, sed ipsum etiam poenas peccatis nostris debitas in se suscepisse, ac ideo mortem in cruce sustinuisse, ut nos a peccatis liberaret, et Deo acceptos redderet. Denique Petrus in illos invehitur, qui talem doctrinam negant, aut corrumpunt; ait enim: *Fuerunt vero et pseudoprophetae in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem* (3).

4. *Ioannes* scribit: *Sanguis Iesu Christi Filii eius emundat nos ab omni peccato* (4); quod dici non posset nisi sanguis Christi in expiationem peccatorum effusus fuisset. Sicuti enim in V. Testamenti sacrificiis propitiatoriis sanguis victimae effundebatur (5), ita etiam Christus, qui omnes figuras V. T. implevit, tanquam victima sanguinem effudit, ut expiaret peccata. Ideo idem Apostolus de Christo dicit: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (6). Et: *In hoc est charitas; non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris* (7); quibus in locis occurrit vox graeca ἱλασμός (propitiatio), quae ex usu loquendi hellenistico sacrificium pro peccato significat. Quum igitur Apostolus doceat, Christum sacrificium pro peccatis esse sacrificiis propitiatoriis V. T. praefiguratum: morti Christi, qua ipse tanquam agnus ille verus N. T. loco nostri, instar agnorum V. T. mactatus est, virtutem nos vere expiandi, atque cum Deo reconciliandi pariter adscribit. Hinc Apoc. I, 5 Christus vocatur *testis fidelis... qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo;* et ib. V, 9 ad Christum dicitur: *Occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione.*

Nota. Allata ex Ss. Libris N. T. loca tam clare dogma catholicum demonstrant, ut caecutire in meridiana luce dicendus esset, qui illud negare vellet. Ast nihilominus Sociniani, licet se Ss. Biblia venerari profiteantur, credere recusant, Christum ad expianda hominum peccata mortuum esse, et in ara crucis verum sacrificium obtulisse. Varias idcirco cavillas proferunt, ut adductum argumentum enervent et doctrinam catholicam impugnent.

Obi. I. Vox *Redemptio*, seu graeca λύτρον, ἀντίλυτρον saepe in S. Scriptura improprie sumitur, et adhibetur etiam ad significandam liberationem, quae nullo intercedente pretio perficitur. Sic *Moyses* (8) dicitur a Deo missus redemptor, λυτρωτής, quamvis certum sit ipsum proprie nullam satisfactionem pro Israëlitis exhibuisse. Ergo etiam ex locis, in

(1) I Ep. 2, v. 21 etc. (2) Ib. 3, v. 18. (3) 2 Ep. 2, 1. (4) 1 Ep. 1, 7. (5) Hebr. 9, v. 13, et v. 22. (6) 1 Ep. 2, 3. (7) Ib. 4, v. 10. (8) Act. 7, 35.

quibus a Christo *redempti* dicimur, et eius redemptio celebratur, non licet inferre, ipsum pro peccatis satisfactionem praestitisse et sacrificium obtulisse. Imo hoc eo magis negandum est, quo certius constat, liberationem populi israëlitici ex Aegypto figuram fuisse liberationis hominum ex servitute diaboli; unde dicendum est sicut illam, ita etiam hanc liberationem, nullo intercedente pretio, peractam esse.

Resp. Ex eo, quod voces *redemptio, redemptor* etc. subinde improprie sumi debeant, nempe ubi in sensu proprio sumi non possunt, minime sequitur, eas ita semper esse intelligendas; exceptio non destruit, sed firmat regulam, et *Socinus* ipse (1) fatetur, « redimere aliquem nihil aliud proprie significare, quam captivum e manibus illius, qui eum detinet, dato pretio liberare. » Talem autem esse redemptionem, quae a Christo facta est, ex testimoniis allatis patet. In his enim non solum voces *redimere, redemptio* etc. frequenter occurrunt, sed et pretium solutum assignatur, nempe mors Christi et sanguis in ara crucis effusus. — Neque si *Moyses*, liberans populum ex servitute aegyptiaca, fuit figura Christi, inferendum est, non alium aut perfectiorem redemptorem esse Christum; quandoquidem lux, veritas, corpus anteponenda sint, plusque contineant, quam umbra, typus, imago. Observandum porro est populi israëlitici liberationem ex Aegypto figuram fuisse liberationis hominum ex servitute daemonis quoad effectum, non autem quoad modum, qui per sacrificia cruenta praefigurabatur: quanquam *Moyses* ut typicus Redemptor per sanguinem, quo postes Israëlitarum aspergi iussit, sensu aut diluto redemptor fuit, dato nimirum pretio typico.

Obi. II. Iam Isaias praedixit, hominum redemptionem gratuitam fore, et nullo intercedente pretio perficiendam esse; ait enim cap. LII, v. 3: *Gratis venumdati estis, gratis redimemini.* Hoc idem et Paulus docet Rom. III, 24, scribens, quod simus *iustificati gratis per gratiam ipsius* (2). Ergo pro peccatis nulla satisfactio intercessit; nam inter se pugnant gratuita condonatio, quae fit ex misericordia, et proprie dicta satisfactio, quae exigitur ex iustitia.

Resp. Isaias loquitur de captivitate babylonica, in quam sine lucro temporali a Nabuchodonosor abducti, et ex qua sine pretii solutione per Cyrum liberandi erant; ideo dicit: *Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini* (3). Quodsi in sensu mystico ad redemptionem a Christo perficiendam referatur locus iste, pretium tantum temporale aurum, argentum etc., negatur, non autem illud pretium, quod a Messia solvendum esse, idem Propheta cap. seq. testatur, dicens: *Vulneratus est propter iniquitates nostras* etc. (§ 369 n. 2.). — Apostolus autem tantum docet, hominem iustificari sine meritis ex parte sua, idest, ipsum nihil habere, quo per se dumtaxat offensam Deo illatam diluat, neque quo Redemptionis beneficium mereatur; nequaquam autem excludit Redemptionem soluto pretio peractam a Christo, sed eam expresse eodem loco laudato commemorat, dicens: *Iustificati gratis per gratiam ipsius* (Dei) *per redemptionem, quae est in Christo Iesu*, ita ut inde summa in nos Dei benignitas eluceat, quod pro nobis Christum vadem et sponsorem constitue-

(1) De Servatore lib. 2, c. 1.

(2) Cf. Eph. 2, 1 etc., Col. 2, 13.

(3) V. Calmet in h. l.

rit. Eodem modo intelligenda sunt verba Apostoli Eph. II, 1, Col. II, 13.

Obi. III. Matth. XVIII, 23 etc. celebris legitur parabola de servo, qui debebat domino suo decem millia talenta, v. 27: *Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei*, ubi de solutione pretii, seu de satisfactione ne verbum quidem occurrit. Omnes autem consentiunt quod per dominum Deus, per servum homines, per debitum horum peccata significentur. Christus ergo ipse in hac parabola docet, Deum hominibus peccata ex sola misericordia absque intercedente pretio, et sine ulla satisfactione remittere. Absonum ergo est dicere, Christum pro peccatis hominum pretium solvisse, et satisfactionem praestitisse.

Resp. Iuxta regulas hermeneuticas non licet parabolas extendere ultra intentionem auctoris. Scopus autem Christi in hac parabola fuit ostendere, quod homines intuitu longe maioris Dei misericordiae faciles et prompti esse debeant ad condonandas iniurias, quod patet ex verbis fini parabolae appositis, v. 35: *Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Scopus ergo huius parabolae non fuit declarare modum, quo Deus per hominum peccata offensus placari velit; atque ideo male parabola ad illum modum declarandum applicatur. Praeterea observandum est respectu nostri vere ex gratuita Dei misericordia peccata remitti, quoniam ex gratuita charitate Filius Dei incarnatus peccata nostra in se suscepit et pro istis satisfactionem praestitit. Quamvis igitur in parabola gratuita Dei erga nos misericordia exhibeatur; ideo tamen satisfactio a Christo praestita non negatur.

Obi. IV. Christus venit in mundum, ut doceret, exemplis virtutum praeluceret, doctrinamque praedicatam fusi sanguinis testimonio confirmaret; quod ipsemet palam coram Pilato professus est, dicens: *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* (1). Christus ergo merito Redemptor noster dicitur, quia nobis verbis et exemplis saluberrimam doctrinam proposuit, quam fideliter observantes a peccatis liberamur, Deo reconciliamur, et vitam aeternam consequimur. Ideo ipse Paulus nostram cum Deo reconciliationem doctrinae Christi ab Apostolis praedicatae adscribit, dicens: *Posuit in nobis verbum reconciliationis* (2). Recte ergo negatur, reconciliationem esse peractam Christi sanguine ac morte vicaria. Christus enim mortuus est, non ut pro peccatis nostris satisfaceret, sed ut veritatem doctrinae suae confirmaret, exemplum patientiae et fortitudinis praeberet (3), et aeternae retributionis spem in nobis corroboraret (4). Idcirco Paulus de Christo Iesu dicit: *Testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem* (5). Egregium ergo pro veritate doctrinae testimonium et bona confessio est mors Christi, non autem sacrificium.

Resp. Tota obiectio ex Socinianorum errore promanat, quo temere putant Christum munere tantum prophetico, non autem sacerdotali, functum esse, dum vitam terrestrem ageret. Catholici autem utrumque munus Christo adiudicantes, non negant, ipsum venisse, ut doceret, exempla daret, et etiam morte veritatem doctrinae confirmaret; sed ulte-

(1) Io. 18, 37. (2) 2 Cor. 5, 19.
(3) 1 Petr. 2, 21. (4) Rom. 8, 32 etc.
(5) 1 Tim. 6, 13

rius propugnant, Christum etiam in mundum venisse, ut tanquam Sacerdos seipsum pro peccatis immolaret, quoniam id quoque in divina revelatione clarissime adseveratur. Idem enim Christus, qui coram Pilato inquit: *Ego... veni ut testimonium perhibeam veritati;* in alio loco dixit: *Filius hominis... venit... dare animam suam redemptionem pro multis* (1). Utrumque effatum Christi simul coniungendum est, nec unum admittere, alterum vero negare licet. Dictum Apostoli II Cor. V, 19 doctrinae catholicae non adversatur; legitur enim ibi: *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis;* quorum verborum sensus est: Deus mundum sibi reconciliavit per Christum, hominibus remittens delicta intuitu meritorum Christi; et hanc reconciliationis gratiam nos omnibus praedicare voluit. Doctrina ergo ab Apostolis praedicata ideo *verbum reconciliationis* appellatur, quia hanc praesertim veritatem proponit quod *reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius* (2). Quamvis ergo admittatur, Christum per mortem doctrinam suam confirmasse, et praeclarum patientiae exemplum nobis reliquisse, concedendum tamen pariter est, Christum mortuum etiam esse ut sacerdotem, et in morte sacrificium propitiatorium obtulisse. Nam, si Christus morte sua doctrinam duntaxat, quam tradidit, confirmavit, non differt ab Apostolis, aut Martyribus aliis. Dicit autem Apostolus: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis* (3)? insinuans, Christum ita esse mortuum pro hominibus, ut nec ipse, nec quicunque alius eodem efficaci modo mori potuerit.

(1) Matth. 20, 28. (2) Rom. 5, 10.

III. *Argumenta ex Traditione hausta.*

§ 371. Christum ad peccata nostra delenda, nobisque aeternam salutem promerendam passum et mortuum esse, ac sanguinem fudisse, atque ideo in ara crucis veri nominis sacrificium propitiatorium obtulisse, omnis retro antiquitas tenuit ac docuit. Constans haec Ecclesiae fides tum *ex Ss. Patribus*, tum ex aliis monumentis sacris probatur.

1. Ss. Patres iam in prioribus Ecclesiae saeculis eandem doctrinam proposuerunt, quam modo Catholici propugnant. *S. Clemens Rom.* (4) scribit: « Fixis oculis respiciamus in sanguinem Christi, cernamusque, quam pretiosus Deo sit sanguis, qui propter nostram salutem effusus, toti mundo poenitentiae gratiam obtulit: » *S. Polycarpus* (5) asserit: « Christus Iesus, qui pertulit nostra peccata in corpore suo super lignum, qui peccatum non fecit, sed propter nos, ut vivamus in ipso, omnia sustinuit. » *S. Ignatius M.* Ep. ad Smyrn. (6) inquit: « Omnia haec passus est (Christus) propter nos, ut salutem consequamur; » et Ep. ad Trall. (7 ait: « Propter vos mortuus est, ut credentes mortem ipsius, mortem aeternam effugiatis. » *S. Iustinus M.* (8) dicit: « Homo factus secundum Patris voluntatem pro eorum salute, qui illi credunt, et pro nihilo haberi et pati sustinuit, ut mortuus ac resurgens mortem vinceret; » et in Dial. c. Triph. (9) testatur, iam Isaiam praedicasse: « illud lavacrum salutare, quod eorum est qui poenitentiam agunt, nec iam hircorum et ovium sanguine expiantur, sed fide per sanguinem Christi et mortem eius, qui ea

(3) 1 Cor. 1, 13. (4) Ep. 1 ad Cor. n. 7
(5) Ep. ad Philipp. n. 8.
(6) N. 2. (7) N. 2. (8) Apol. 1, n. 63.
(9) N. 13.

ipsa de causa mortuus est. » *S. Irenaeus* (1) inquit: « Verbum potens et homo verus sanguine suo rationabiliter redimens nos, redemptionem semetipsum dedit pro his, qui in captivitatem ducti sunt. » *Tertullianus* (2) scribit: « Christus in carnem ex carne nasci habebat, ut-mortem nostram morte dissolveret. » *Origenes* (3) ita disserit: « Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat, Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat, eum in carne positum iugulari. — Verum quoniam introivit peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, et propitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit provideri per hostiam pro peccato.» *S. Cyprianus* (4) ait: « Veniam peccatis, quae in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. » *Eusebius Caes.* (5) de Christo ita loquitur: « Patientium membrorum labores in se ipsum assumpsit et nostras valetudinis infirmitates suas fecit, et ex legibus humanitatis pro omnibus nobis et dolores, et labores sustinuit. Caeterum non modo rebus his gestis Dei Agnus, verum etiam pro nobis tormenta passus supplicioque affectus, quo ipse quidem minime dignus erat, sed nos ipsi propter multitudinem peccatorum, ut peccata nobis dimitterentur, auctor extitit; utpote qui pro nobis et mortem subierit, et verbera, et probra, et contumelias, quibus nos digni eramus, in seipsum transtulerit, et execratio pro nobis factus, execrationem, quae nobis debebatur, ad seipsum attraxit. » *S. Athanasius* de Incarn. (6) inquit: « Quia vero, quod ab omnibus debebatur, solvi oportebat; nam omnes-mori debebant, quae praecipua eius adventus causa fuit: idcirco ille-sacrificium tunc obtulit, cum pro omnibus suum templum morti tradidit. » Et de decr. syn. Nic. (7) haec habet: « Cum ille nostram mortem vellet destruere, sibi ipsi corpus ex Virgine Maria accepit, ut illud pro nobis victimam Patri offerens, nos omnes liberaret. » *S. Basilius* (8) dicit: « Ii, qui ideo creati erant ut Domino servirent, sub inimici servitute detinebantur, sed illorum animas pretioso suo sanguine redemit Christus.» *S. Gregorius Naz.* (9) docet, pro nobis sanguinem Christi effusum esse, et hoc « redemptionis pretium... » Patrem accepisse..... « ut, tyranno per vim superato, nos liberaret, atque ad se per mediatorem Filium reduceret: » nam addit (10), « opus habuimus Deo, qui carnem acciperet, ac moreretur, ut vivamus. » *S. Gregorius Nyss.* (11) haec habet: « Pro nobis vere Pascha immolatus est Christus, Sacerdos autem sacrificium obtulit Deo idem ipse Christus; seipsum enim tradidit oblationem et hostiam pro nobis. » Idem (12) ait: Christus « pro omnibus gentibus pretium Redemptionis sese Patri obtulit.» *S. Cyrillus Hier.* (13) ita praeclare disserit: « Definivit Deus, peccantem mori oportere. Ex duobus igitur alterum fieri necesse erat: ut aut Deus sibi constans omnes interimeret, aut clementia usus datam sententiam dissolveret. Verum Dei sapientiam suspicare: suam servavit et sententiae firmitatem et bonitati efficaciam. Assumpsit Christus pec-

(1) L. 5, c. haer. cap. 1, n. 1.
(2) L. 3, c. Marcio. c. 8.
(3) Hom. 24, in Num. n. 1.
(4) L. de lapsis n. 12.
(5) L. 10 dem. evang. c. 1.
(6) N. 20. (7) N. 14. (8) In Ps. 43, n. 14.
(9) Or. 45 (al. 42) n. 22. (10) N. 28.
(11) De perf. Christ. form.
(12) De occurs Dom.
(13) Cat. 13, n. [illegible]

cata in corpore (suo) super lignum, ut nos per mortem eius peccatis mortui, iustitiae viveremus. *S. Hilarius Pict.* (1) scribit: « Christus redemit nos per sanguinem suum, per passionem suam, per mortem suam, per resurrectionem suam. Haec magna vitae nostrae pretia sunt. » *S. Ambrosius* (2) ait: « Propter te Christus dominationi mortis se subdidit, ut te iugo dominationis exueret. Ille suscepit mortis servitutem ut tibi tribueret vitae aeternae libertatem. » — *S. Chrysostomus* (3) inquit: « *Sic et Christus semel oblatus est:* a quo oblatus? a se ipso scilicet. Hic non solum eum dicit Sacerdotem, sed et hostiam et sacrificium. Deinde causam affert, cur sit oblatus. *Semel*, inquit, *oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*... Pro omnibus est mortuus... Peccata abstulit ab hominibus et Patri obtulit, non ut aliquid adversus ipsos statueret, sed ut ipsa remitteret. » *S. Augustinus* (4) scribit: « Per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, quod unum multae in lege victimae praefigurabant, pacificantur coelestia cum terrestribus, et terrestria cum coelestibus. » Idem (5) ait: « Sanguis innocens fusus delevit omnia peccata nocentium: pretium tantum datum redemit omnes captivos de manu captivantis inimici. » *S. Hieronymus* (6) dicit: « Redempti sumus pretiosissimo sanguine Christi: immolatus est pro nobis agnus. » — *S. Cyrillus Alex.* (7) scribit: «Quo pacto unus pro omnibus mortuus est, qui iustum pro omnibus pretium exsolveret, si illa passio puri cuiuspiam hominis fuisse putatur? » — *S. Leo M.* (8) inquit: « Fefellit illum malignitas sua (scil. diabolum), intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur; fudit sanguinem iustum, qui reconciliando mundo et pretium esset et poculum. » *S. Gregorius M.* (9) ait: « Delenda ergo erat talis culpa, sed nisi per sacrificium deleri non poterat. — Neque iustum fuit, ut pro rationali homine brutorum animalium victimae caederentur. — Ut (autem) rationalis esset hostia, homo erat offerendus; ut vero a peccatis mundaret hominem, homo, et sine peccato. — Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quae et humanitate mori et iustitia mundare potuisset. »

2. Christum ad tollenda peccata nostra, et ad animas nostras salvandas passum et mortuum esse, ideo pretio soluto nos redemisse, atque in ara crucis veri nominis sacrificium obtulisse, Ecclesia etiam in *Symbolis* et *Conciliis* omnibus fidelibus credendum proposuit. In Symbolo *Nic.-CPtano* haec fidei professio habetur: *Credimus ... in Iesum Christum ... qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est.* In Symbolo *Athanasiano* laudatur *Christus, qui passus est pro nostra salute.* Concilium *Ephesinum*, approbans *Cyrilli* anathematismum decimum, definit: *Christum Iesum nostrae confessionis Pontificem et A-*

(1) In Ps. 139, n. 15.
(2) In Ps. 118, serm. 18, n. 42.
(3) Hom. 17 n 2, in Ep. ad Hebr. (c. 10, v. 28). (4) In Enchir. c 42
(5) En. in Ps. 129, n. 3.
(6) Adv. Iovin. n. 11. (7) In Ep. ad Valerian.
(8) Serm. 60 de pass. 11, c. 3.
(9) Lib. 17 Mor c 30 n. 46

postolum extitisse, eundemque semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo, et Patri obtulisse, divina Scriptura commemorat. Si quis ergo dixerit, Pontificem et Apostolum nostrum non esse constitutum ipsum Dei Verbum, posteaquam caro et homo nobis similis factum est; sed hominem illum, qui ex muliere natus est, quasi alterum quempiam ab ipso diversum: aut si quis Christum pro se ipso quoque, et non pro nobis solis sacrificium obtulisse affirmaverit (neque enim is oblatione opus habebat, qui nullum peccatum commiserat), anathema sit. Concilium *Lateranense IV* Christum confitetur, *qui... pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus est....* Concilium *Tridentinum* (1) verbis Apostoli declarat, Christum Iesum, Filium Dei, propositum esse a Deo Patre *propitiatorem per fidem in sanguine eius pro peccatis nostris; non solum autem nostris, sed etiam pro totius mundi;* et (2) iterum laudat Filium Dei, *in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum.*

Nota. Ss. Patres doctrinae catholicae plane suffragari, Sociniani non diffitentur; ast illorum testimonia parvipendunt. Ipse Socinus eo arrogantiae venit, ut (3) scriberet: « Ego quidem nec si ubique clarissimis verbis testatum reperirem, sic tamen rem se habere mihi compertum esset. » Similes sensus haeretici et rationalistae passim produnt, atque ita manifeste ostendunt, se non tam genuinam Religionis revelatae doctrinam investigare et invenire, quam potius privatae suae rationis dictamina sequi velle, quibus etiam ipsa divinae scripturae oracula contortis interpretationibus accommodare student. Quisque autem facile videt, quanta mentis superbia, ac temeritas sit, privatam suam opinionem constanti Ss. Patrum, et totius Ecclesiae consensui praeferre. Recte idcirco Theologi docent, superbiam sicut aliorum peccatorum, ita praecipue haeresum foecundam matrem esse. Quamobrem nunquam satis repeti potest egregium monitum Tobiae: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio* (4).

(1) Sess. 6, c. 2. (2) Ibid. c. 3.
(3) Lib. de Servatore part. 3, c. 2.

ARTICULUS III.

De libertate Christi in morte perferenda.

§ 372. Sociniani, ut uno veluti ictu totam, quam Catholici adstruunt, Redemptionis oeconomiam evertant, temere clamitant, Christum haud libere, sed coacte mortem subiisse, atque per vim physicam ad crucem raptum fuisse, et hanc ob causam per mortem suam neque nos redimere, neque aliquid nobis promereri potuisse, quoniam meritum ex libera tantum actione exurgit. Ex eadem ratione negant, in ara crucis veri nominis sacrificium oblatum fuisse: Nam aiunt, fatentibus ipsis Catholicis, ad sacrificium legitimus minister requiritur. Christum autem carnifices infideles interemerunt, quos non fuisse legitimos ministros in confesso est apud omnes: ergo, deficiente legitimo ministro, ratio sacrificii in morte Christi non adfuit. — Ad hanc difficultatem tollendam, ostendendum est, *Christum libere semetipsum in ara crucis obtulisse, et hanc libertatem per eiusdem impeccabilitatem nullatenus sublatum fuisse.*

I. *Christus libere mortem in ara crucis subiit.*

§ 373. Propositio haec catholica ex divina Revelatione probatur.

(4) Tob. 4 14.

1. In celebri vaticinio, in quo Messiae aerumnae describuntur, de eodem Messia dicitur: *Oblatus est, quia ipse voluit* (1); non ergo coacte, sed libera voluntate Christus mortem sustinuit. Ideo additur: *Et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* (2); in quae verba *S. Petrus Chrysologus* (3) ita praeclare loquitur: « Tacet, qui volens patitur; clamat, qui laniatur invitus. Nec potest de morte conqueri, qui mortem dignatus, non coactus assumit. Potestatis insigne est, cum pro multis volens quis patitur: nolens cum moritur, est necessitatis extremae... Christus ergo, sicut ovis, et volens et tacens tondetur, ut tegat illam, quam Adam primus intulit, nuditatem; velut agnus occiditur, ut peccatum totius mundi immolatus absolvat; ponit pro ovibus animam suam, ut impleat et pietatem pastoris et curam.» — Ipse Christus in N. T. clarissime adseverat, se non coacte, sed libere animam ponere, seu mortem subire; ait enim: *Animam meam pono pro ovibus meis . . . . ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso: et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre* (4). Christus ergo, ut mandatum Patris exequeretur, animam posuit, seu animam a corpore solvit. Sicuti enim in resurrectione divina tantum virtute vinculum inter animam et corpus Christi restitutum est; ita etiam hoc idem vinculum non aliena potestate, sed divina Christi virtute solutum fuit. Idcirco Christus ait: *Nemo tollit eam a me*, id est non homines, non carnifices mihi animam, seu vitam adimunt· sed *ego pono eam a meipso*. Igitur Christus ipse tanquam legitimus minister in ara crucis animam posuit, seu vitam suam in sacrificium obtulit.

2. Christum libere semetipsum passioni et morti subiecisse, ex ipsa Evangelistarum narratione manifeste patet. Christus enim, praecognita et praenunciata passione et morte sua, libere se Hierosolymam contulit (5), et cum Petrus eum ab hoc itinere retinere vellet, graviter illum Christus reprehendit, dicens: *Vade post me, satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae hominum* (6); quae verba, uti observat *S. Chrysostomus* (7), Christus locutus est, « ut ostenderet, se non invite ad passionem venire.» Et sicut Christus liberrime Hierosolymam ascendit, ita pariter nulla vi adactus sed libere se in hortum Gethseman contulit (8); quamvis praevideret, turbam militum cum Iuda proditore eadem nocte in eundem locum, ut ipsum caperent, venturam esse. Neque, advenientibus militibus, fugam capessere studuit, sed ultro iisdem obviam factus, se Iesum Nazarenum esse, quem quaerunt, palam professus est (9), atque Petro, qui, evaginato gladio, magistrum suum defendere voluit, statim acclamavit: *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater non bibam illum* (10)? Eadem occasione Christus aperte declaravit, quod facillime, si vellet, se ex inimicorum manibus eripere posset. Petro enim dixit: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam*

(1) Is. 53, 7. (2) Ibidem. (3) Serm. 23.
(4) Io. 10, 15 etc.
(5) Matth. 16, 21; Luc. 18. 31 etc
(6) Matth. 16, 23.
(7) Hom. 54, al. 55 in Matth; n. 3.
(8) Matth. 26, 30 etc.
(9) Io. 18, 4 etc.
(10) Ibid. v. 11.

duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri (1)? — Neque Christus, qui tot miracula patravit, ipsos mortuos resuscitavit, et inimicos suos uno verbo prostravit, Angelorum ope indiguisset, sed propria virtute cunctos adversariorum conatus eludere potuisset (2). Quoniam autem Christus neque Patrem rogare, neque propria virtute uti voluit, omnino libere se passioni et morti subiecit. Nam, ait *S. Augustinus* (3): « cum potestas datur, non necessitas imponitur. » Hinc Apostolus testatur, Christum in morte subeunda veram obedientiam exercuisse; ait enim de ipso : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (4). Obedientia autem in iis, quae ex mera coactione fiunt, nulla adest, et solum in actionibus invenitur, quae libere ad alterius adimplendam voluntatem suscipiuntur. Quamobrem Christus, si in morte perferenda vere obedivit, eandem non coacte, sed libere subiit.

3. *Ss. Patres* libertatem Christi in morte perferenda unanimi consensu asseruerunt. *S. Cyrillus Hier.* (5) inquit: « Salvator noster — ab ipso iudice innocentissimus agnitus, nulla per hominum violentiam imposita necessitate, sed amore nostri et pro peccatis nostris mortem crucis libens subiit. » *Arnobius* (6) scribit: Christus « omnia, quae passus est, pro voluntate sua passus est, sicut ipse ait: Potestatem habeo ponendi animam meam. » *S. Chrysostomus* (7) exponens verba Pauli: *qui* (Christus) *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemta* (8): « Hoc est, ait, licebat ei nihil pati, si voluisset. Neque enim peccatum fecit, neque inventus est dolus in ore eius, sicut ipse quoque dixit in Evangeliis: *Venit mundi princeps, et in me non habet quidquam.* Erat ergo ei promptum, si voluisset, non venire ad crucem. *Potestatem* enim, inquit, *habeo ponendi animam meam* etc. Si ergo qui minime necesse habebat crucifigi, propter nos fuit crucifixus: quanto magis par est, ut nos fortiter omnia feramus? » — *S. Ambrosius* (9) scribit: « Sicut potestatis suae esse significat ponere animam, et liberae voluntatis; ita etiam quod secundum mandatum deposuit Patris, suae ac paternae voluntatis significat unitatem. » *S. Hieronymus* (10) haec habet: « *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*, sive tradidit eum pro peccatis nostris, ut quod propter imbecillitatem virium ferre non poteramus, pro nobis ille portaret, qui *oblatus est, quia ipse voluit;* non enim necessitate crucem, sed voluntate sustinuit. » *S. Augustinus* (11) ait: Christus carnem « non deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. » Et (12) in haec verba, *Inclinato capite tradidit spiritum,* ita disserit: « Quis ita dormit, quando voluerit, sicut Iesus mortuus est, quando voluit? quis ita vestem ponit, quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit? quis ita cum voluerit abit, quomodo cum voluit obiit? — Quanta speranda, vel timenda est potestas iudicantis, si apparuit tanta morientis? » — *Theodoretus* (13) dicit: « Poterat non pati, si ita voluisset; » ergo libera voluntate passus est, atque mortuus. *S. Leo M.* (14) ita loquitur: « Quidquid

(1) Matth. 26, 53. (2) Io. 18, 6.
(3) L. 1 Retractat. c. 22. (4) Phil. 2, 8.
(5) Catech. 13, n. 3. (6) In Ps. 27.
(7) Hom. 28, in Ep. ad Hebr. n. 2.
(8) Hebr. 12, 2. (9) L. 4, de fide, c. 5.
(10) In c. 53 Isaiae. (11) L. 4, de Trin. c. 13.
(12) Tract. 119 in Evang. Ioan. n. 6.
(13) Ad c. 12, Epist. ad Hebr.
(14) Serm. 3, de Pass. Dom. n. 2.

Domino illusionis et contumeliae, quidquid vexationis et poenae furor intulit impiorum, non de necessitate toleratum, sed de voluntate susceptum est.» *S. Gregorius M.* (1) ait: « In carne veniens Dominus non culpam nostram ex vitio, non poenam ex necessitate suscepit; nulla enim labe peccati pollutus reatus nostri teneri conditione non potuit, atque ideo mortem nostram omni necessitate calcata, cum voluit sponte suscepit.» Iuxta doctrinam ergo Ss. Patrum, Christus in morte subeunda liber fuit, et quamvis a carnificibus vulneratus et crucifixus sit, ipse tamen vitam suam in ara crucis immolavit; voluntarie enim se morti obtulit, voluntarie sustinuit occidentium impetus, quos facile poterat repellere; et vulneribus lethalibus percussus, quamvis etiam tunc potuisset mortem impedire, voluntarie tamen et vi propria, urgente redemptione generis humani, et praecepto Patris, ipsi ut supremo vitae et mortis auctori reddidit spiritum, vinculum inter animam et corpus solvens. Quapropter *S. Thomas* (2) dicit: « Passio Christi ex parte occidentium ipsum fuit maleficium, sed ex parte ipsius ex charitate patientis fuit sacrificium. Unde hoc sacrificium ipse Christus obtulisse dicitur, non autem illi, qui eum occiderunt (3).

Nota. 1. Sociniani nonnullis S. Scripturae locis abutuntur ad libertatem Christi impugnandam, suamque perversam doctrinam defendendam.

Obi. I. Christum passionem et mortem refugisse, patet ex ipsius oratione ad Deum directa. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste* (4), noluit ergo calicem bibere, id est, passionem et mortem sustinere, ac ideo huic contra voluntatem coactim subiectus est.

Resp. Adversarii satis refutantur per verba, quae orationi citatae immediate subiunguntur: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* et: *Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua* (5). Christus ergo nec voluit, nec oravit contrarium voluntati Patris aeque ac suae, sed tantum exposuit naturale desiderium, seu voluntatem suam inefficacem et conditionatam, quae naturaliter horrebat mortem, optabatque ab ea liberari: libere tamen et secundum rationem se Deo contrarium volenti, scilicet ut moreretur, perfecte subiecit, uti iam alibi (§ 283 Resp. ad Obi. 1) dictum est. — Et sane, si Christus mori noluisset, non Hierosolymam ascendisset; nec hortum, in quo orare consuevit, ingressus, nec inimicis obviam factus esset; quibus actionibus se libere mortem oppetere clare demonstravit. Caeterum Christus, qui perfectissimum nostrum exemplar fieri voluit, orando nos egregie erudivit, quod, instante tribulatione, ad Deum recurrere debeamus, et quod etiam praeservationem, aut liberationem ab adversitatibus petere possimus, dummodo sapientissime voluntati divinae nostram humiliter subiiciamus.

Obi. II. Christus in cruce graviter lamentatus est, se a Deo derelictum, et a manibus inimicorum non ereptum esse. Morti enim proximus exclamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* (6)? ergo noluit mortem, sed aliena vi adactus ad eam pervenit.

Resp. Citata verba non sunt desperantis, nec mortem respuentis, sed

(1) L. 24, Mor. c 2.
(2) 3, q. 48, art. 3 ad 3.
(3) Cf. Billuart de Incarn diss 20, a. 3.
(4) Matth. 26, 39. (5) Ib. v. 42.
(6) Matth 27, 46

solum maximam animae desolationem manifestantis (Cf. § 331 not.). Idem Christus mox post citata verba dixit: *Consummatum est* (1). — *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum* (2): quibus verbis manifeste ostendit, se neque desperasse, nec iniquas contra Deum querelas movisse, sed cum Patre intima charitate coniunctum fuisse. Egregie igitur *S. Leo M.* (3), citata verba exponens, dicit: « Tradi Dominum passioni tam fuit paternae, quam ipsius voluntatis, ut eum non solum Pater relinqueret, sed etiam ipse se quadam ratione desereret, non trepida discessione, sed voluntaria cessione. Continuit enim se et ab impiis crucifixi potestas, et ut dispositione uteretur occulta, noluit uti virtute manifesta. Nam qui mortem et mortis auctorem sua venerat passione destruere, quomodo peccatores salvos faceret, si persecutoribus repugnaret? » Ipsa ergo derelictio, quam citata verba manifestant, Christo voluntaria fuit, et ex immensa erga humanum genus charitate admissa et tolerata.

Nota 2. Christi libertas in morte subeunda ex iis quoque confirmatur, quae in articulis sequentibus probanda erunt. Sociniani enim contendunt, nonnisi ex actione libera meritum exurgere, quod nos quoque admittimus: sed ex dicendis apparebit, iuxta clarissima divinae Revelationis testimonia, Christum per passionem suam et mortem maxima merita tum nobis, tum sibi ipsi comparasse, et exinde recte concludimus, Christum libere passionem et mortem sustinuisse. — Pro coronide addi possunt, quae Concilium *Tridentinum* asseruit ad libertatem Christi in morte subeunda vindicandam. Hanc enim eximio Christi amore adscribit, dicens Sess. XIII (4): *Eximius amor Christi, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium... dedit.* Et Sess. XXII (5) dicit: *Dominus noster... seipsum... Deo patri oblaturus erat, ut aeternam illuc* (in ara crucis) *redemptionem operaretur.* Ex quibus verbis manifeste patet, Christum ipsum, qui tanquam Sacerdos in aeternum I[illegible]imus minister fuit, vitam suam in ara crucis immolasse, atque ideo omnia requisita ad veri nominis sacrificium in morte Christi adfuisse.

(1) Io. 19, 30. (2) Luc. 23, 46. Serm. 17, de Pass. Dom. c. 2.

II. *Libertas Christi per eius impeccabilitatem non tollitur.*

§ 374. Sociniani clamitant, in doctrina Catholicorum apertam dari contradictionem, dum ex una parte Christo libertatem in morte subeunda adiudicant, et ex altera parte mandatum Patris de morte perferenda Christo impositum, huiusque impeccantiam admittunt. Haec autem, aiunt, invicem conciliari nequeunt: vel enim Christus potuit ab actu praecepto, nempe a passione et morte perferenda abstinere, vel non potuit: si potuit, ergo potuit peccare, adeoque non est impeccabilis: si non potuit; ergo necessitate coactus crucem sustinuit, et in morte perferenda liber non fuit. Manifeste ergo, stante mandato Patris, impeccantia Christi tollit eiusdem libertatem in morte perferenda. — Gravissima visa est Theologis haec difficultas; sed notandum est, quod ipsa dumtaxat circa *modum* versetur, quo libertas Christi cum eius impeccantia concilietur; quapropter ad illam retundendam etiam indirecte respondere licet. Vanis enim adversariorum cavillationibus recte opponimus cer-

(4) Cap. 8. (5) Cap. 1.

tam utriusque veritatis Revelationem. Ex hac enim constat, Christum ut hominem quoque vere impeccabilem esse (§ 331), et ex eadem Revelatione iam probatum est, Christum in morte subeunda liberum fuisse (§ praec.). Duae ergo hic habentur veritates ex Revelatione certae: veritas autem veritatem tollere nequit: ergo impeccantia Christi eius libertatem in morte subeunda non tollit. Hinc admissa etiam ignorantia nostra praedictas duas veritates conciliandi, seu modum, quo invicem consistunt, explicandi; neutram tamen negare licet, quia, iuxta tritum Philosophorum adagium, ignorantia modi non tollit certitudinem facti. Infallibilis ergo divinae Revelationis auctoritas imbecilli humanae rationi sufficere debet, ut tum impeccantiam Christi, tum eius libertatem in morte subeunda firmiter credat: neque enim notiones, quas humana ratio de libertate, de potestate peccandi et similibus praebet, adeo clarae, certae et determinatae sunt, ut ex iisdem, praesertim cum de Deo-homine agitur, manifesta contradictio ostendi possit. — Quamvis autem haec indirecta responsio ad repellenda adversariorum tela sufficere posset, Theologi tamen praefatarum veritatum nexum, seu concordiam impeccantiae et libertatis Christi explicare conati sunt: id autem variis modis praestare studuerunt, quos breviter declarare et examinare oportet.

1. Quidam dixerunt, Christo non fuisse a Patre impositum verum et rigorosum praeceptum, sed solum latum et improprium, prout significat insinuatam Dei voluntatem, seu consilium vel praeceptum non obligans, sed dirigens, ut sunt regulae quarundam Religionum sub peccato non obligantes. Christus ergo absque omni peccato potuisset passionem et mortem declinare, ac ideo in ista eligenda et perferenda omnino liber fuit. Hanc sententiam cum aliis Theologis propugnat doctissimus *Petavius*, qui lib. 9 de Incarn. cap. 8 adlegat etiam Patres docentes, Christo licuisse mortem declinare, quia haec absolute praecepta non erat: sic e. g. *S. Chrysostomus* (1) dicit: « Si praecepto fuisset opus, quid attinebat illum dicere: *A me ipso pono?* quippe qui a seipso ponit, nihil habet opus praecepto; » et Hom. 28, in Ep. ad Hebr. n. 2 ait: « Licebat ipsi nihil perpeti, si voluisset, et potestatem habebat si voluisset crucem non adire. » — Iste modus exponendi et conciliandi libertatem Christi cum eius impeccabilitate, facilis quidem est, et praesentem difficultatem penitus solvere videtur; sed tamen ex variis rationibus approbari non potest. Nam, iuxta regulam hermeneuticam a Ss. Patribus et Theologis traditam, verba S. Scripturae sunt in sensu proprio accipienda, quando inde nullum sequitur inconveniens: sed S. Scriptura docet, verum *mandatum*, seu praeceptum Christo impositum fuisse. Cum enim Christus dixisset, se animam ponere, seu vitam profundere, subiungit: *Hoc mandatum accepi a Patre* (2); et, loquens de suo transitu ad Patrem per imminentem passionem et mortem, inquit: *Sicut mandatum dedit mihi Pater; sic facio* (3). Ideo *S. Augustinus* (4) ita de Christo loquitur, « *Eamus* autem, dixit, quo? nisi ad illum locum, quo fuerat tradendus ad mortem, qui nullum habebat meritum mortis, sed habebat, ut moreretur, mandatum Patris. » Et *Agatho* Papa (5) docet, Christum secundum

(1) Hom. 60 in Io. (2) Io. 10, 18. (3) Io. 14, 31. (4) Tract. 79, in Ioan. (5) In Epistola in Synodo 6 generali lecta et approbata

voluntatem humanam praeceptis Patris obedivisse, ad quod probandum citat verba Psalmi: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem* Deus *voluntatem tuam* (1). Neque ex vero moriendi praecepto Christo imposito inconveniens sequitur, quia, etiam illo admisso, libertas Christi cum eius impeccantia conciliari potest, uti ex inferius dicendis apparebit. Non potest ergo admitti sententia, in qua veri nominis *mandatum* Christo impositum negatur, ac ideo difficultas non tam solvitur, quam potius secatur. Praeterea certum est, Christum in morte sua vere obedivisse, quia dicitur: *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (2). Ast obiectum formale obedientiae est voluntas superioris qua talis, et ut a non superiore distinguitur: sed voluntas simpliciter solum dirigens, aut consulens non est superioris qua talis, et ut a non superiore distinguitur, verum sola voluntas obligans, in qua consistit proprium praeceptum: aequalis enim, imo et inferior potest aeque velle et dirigere consilio sicut superior: ergo vera obedientia supponit etiam verum praeceptum obligans, unde qui hoc Christo impositum fuisse negant, veram etiam in ipso obedientiam, eiusque laudem ac meritum negant.

2. Nonnulli cum *Vasquez* dixerunt, verum ac proprium praeceptum Christo impositum fuisse circa substantiam mortis, quod ipse ob suam impeccantiam non potuit non adimplere; sed nullum eidem praeceptum impositum fuisse circa mortis circumstantias, circa interiores actus subeundae mortis, et circa hoc vel illud motivum exequendi praecepti; quae omnia Christo imperata non fuerunt, sed eius arbitrio relicta: unde Christus libere elegit locum, tempus et durissimum genus mortis, libere intensissimos amoris et aliarum virtutum actus elicuit, et libere ex sanctissimis motivis calicem passionis bibit, atque ita immensa pro se et pro nobis merita cumulavit. — Contra istam sententiam, quae primo aspectu ad difficultatem tollendam satis apta videtur, varia excipi possunt. Ex illa enim sequitur, Christum nec sibi nec nobis meruisse ex eo praecise, quod mortuus sit, sed solum ex eo, quod mortuus sit tali loco, tempore, modo, talesque intensos virtutum actus elicuerit; quia iuxta declaratam opinionem circa has circumstantias tantum fuit liber, non circa mortem quoad substantiam; praeceptum enim secundum eos aufert libertatem. Sed in S. Scriptura fructus saluberrimi Redemptionis adscribuntur ipsi morti Christi, et non solis circumstantiis mortis: dicitur enim: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum* (3) etc. Et: *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius* (4): communis etiam Ecclesiae et Fidelium sensus primario ipsi morti Christi redemptionem adscribit: merito ergo ea sententia reiicitur, iuxta quam ipsa mors Christi meritoria non censetur. Dein in eadem sententia etiam obedientia Christi in morte perferenda penitus tollitur. Illa enim admissa, Christus nec quoad substantiam, nec quoad circumstantias mortis obedivit: non quoad substantiam, quia circa istam utpote praeceptam liber non fuit; nec quoad circumstantias mortis et actus internos, quia circa hos et illas praeceptum non habuit, sed excepta substantia mortis, omnia eius arbitrio relicta fuerunt. Nullam ergo obedientiam Christus in morte sua exercuis-

(1) Ps. 39, 8. (2) Phil. 2, (3) Is. 53. (4) Rom. 5, 10.

set, quod aperte S. Scripturae repugnat (1).

3. Alii cum Cl. *Tournely* (2) admittunt, Christo a Patre rigorosum mandatum etiam quoad substantiam mortis impositum fuisse; sed addunt, Christo mortem praeceptam fuisse non absolute, sed dependenter ab eius consensu, seu sub conditione liberae acceptationis, et quidem ita, ut Christus etiam post acceptationem potuisset, si voluisset, a Patre dispensationem petere et obtinere; hoc enim ipse Christus significat, Petro dicens: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum* (3)? — Quamvis ergo Christus ob suam impeccantiam non potuisset praeceptum Patris actu obligans non adimplere, licite tamen et sine omni peccato potuisset illud non acceptare, aut etiam post acceptationem a Patre dispensationem petere et obtinere. Ast Christus libere praeceptum Patris acceptavit, et libere a petenda dispensatione abstinuit, ac ideo etiam libere passionem et mortem sustinuit. — Iste difficultatem solvendi modus multis praeplacuit, quoniam in illo praeclare conciliantur et mandatum Patris et impeccantia Christi, et eiusdem libertas in morte subeunda. Ast nihilominus extiterunt, quibus talis solutio non probabatur. Nam, aiunt isti, in hac sententia meritum obedientiae in Christo si non omnino evacuatur, saltem valde extenuatur. Generatim enim obedientia quasi evanescit in subdito, cui nil praecipitur nisi explorato et exspectato eius consensu, vel cuius arbitrio ita praeceptum committitur, ut possit ad libitum ab isto dispensationem petere et obtinere. Christus ipse tale praeceptum profitetur, quod independenter ab humana voluntate impositum fuit, et a quo dispensatio obtineri non potuit. — Nam, si praevio iam humanae voluntatis consensu, et praecedente eius acceptatione praeceptum impositum fuisset, vix intelligi possent verba: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat;* quibus verbis Christus humanam suam voluntatem a divina distinguit, illam huic perfectissime subiicit, ut tali exemplo nos doceat, quomodo nos illis quoque mandatis et ordinationibus divinis, quae naturae nostrae maxime repugnant, humiliter nos subiicere debeamus. His accedit, quod Christus dispensationem petiisse videatur, dicendo: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Concedendum quidem est, hanc petitionem fuisse *conditionatam*, quod indicant verba, *si possibile est*, atque *inefficacem*, quia obtenta non fuit. Sed haec inefficacia ex ipsa non verificata conditione repetenda, ac ideo dicendum est, possibile non fuisse stante praecepto Patris, et dispensationem obtineri non potuisse. — Caeterum motas has difficultates solvere, suamque sententiam defendere student *Tournely* l. c., *Thomas ex Charmes* (4).

4. *Thomistae* ad difficultatem, de qua agitur, solvendam sat communiter dicunt, stante quidem praecepto de subeunda morte, Christum in sensu composito non potuisse non mori; liberum nihilominus fuisse, quia absolute et in sensu diviso potuit non mori: mortuus est ergo Christus non necessitate antecedenti, quae tollit libertatem, sed necessitate consequenti, quae non officit libertati. Hanc sententiam aliquanto clarius cum *Thoma de Lemos* explicat Cl. *Gazzani-*

(1) Phil. 2, 8 etc. Rom. 5, 19.
(2) De Incarn. q. 11, a. 4.
(3) Matth. 26, 53.
(4) De Incarn. diss. 6, c. 3, q. 2.

ga (1) dicens: « Mors Christi in se absolute considerata liberrime a Christo suscepta fuit; quod nemo negaverit, facta praecisione a praecepto Patris, hanc mortem subeundi: quia mors in se considerata non erat medium necessario connexum cum fine, ad quem voluntas Christi naturaliter erat determinata: absolute ergo D. N. I. Christus erat liber ad volendam, vel nolendam mortem, non solum libertate exercitii, vel contradictionis, sed etiam libertate specificationis et contrarietatis. At vero praeceptum positivum et liberum Patris, superveniens *ab extrinseco*, hanc Christi libertatem non abstulit; neque enim hoc praeceptum, utpote extrinsecum, voluntatem Christi immutavit; sed solum ex eo praecepto factum est, ut voluntas ipsius Christi libere moveretur ad eligendam mortem crucis: ergo, etiam posito praecepto Patris, voluntas Christi remansit libera ad sponte volendam, vel non volendam mortem. » — Imo nonnulli Thomistae iuxta scholae suae principia probant, mortem Christi eo ipso liberam fuisse, quia praecepta erat. Certum enim est, ait Cl. *Billuart* (2), « Deum mortem praecipiendo Filio simul voluisse, ut illam subiret libere, quia voluit, ut illam subiret obediendo et merendo, quae non stant sine libertate. » Sicut ergo gratia efficax in nobis non solum actum, sed et huius libertatem producit, ita voluntas divina obligans non solum effecit, ut Christus moreretur, sed etiam ut libere moreretur. — Prosequitur dein, paucis interiectis, *Gazzaniga* difficultatem movens et solvens: ait enim: « Aliquibus tamen imperceptibile videtur, quomodo superveniente praecepto Patris moriendi in cruce, remanserit in Christo vera potestas non moriendi, aut aliud mortis genus seligendi; hoc enim fieri non poterat, nisi praecepto Patris neglecto; Christus autem peccare omnino non poterat, nec proinde praeceptum Patris negligere et transgredi. Respondet vero laudatus *Lemosius*, aliud esse habere potentiam ad volendum, vel faciendum absolute, et simpliciter aliud, seu oppositum illius, quod praecipitur; aliud habere potentiam ad inobediendum et peccandum: sunt enim istae potentiae diversae. Prima explicat hominis libertatem, quae fuit perfectissima in Christo Iesu; altera eiusdem libertatis defectum, ut supra dictum est, et a Iesu Christo est omnino ablegandia: quamobrem dici debet, Christum potuisse absolute et simpliciter, seu, ut Thomistae loquuntur, *in sensu diviso*, non mori; non autem potuisse non mori in cruce sensu composito, seu considerata morte reduplicative, ut sibi a Patre praecepta. » — Huic Thomistarum sententiae id praecipue obiici solet, quod valde subtilis ac ideo obscura sit, neque ad difficultatem penitus solvendam sufficiat. Ipsi Thomistae, ut obiectionibus respondeant, ad alium difficultatem solvendi modum recurrere solent, qui etiam optime cum eorum systemate coniungitur, difficultatem solide ac perspicue solvit, et ideo ultimo loco proponitur.

5. Libertas iuxta sanae philosophiae principia nullo modo per impeccantiam tollitur, sed per hanc perficitur. Libertas enim enti rationali concessa est facultas bonum cognoscendi et semetipsum ad bonum determinandi. Libertas ergo eo perfectior est, quo magis bonum cognoscitur et amatur. Sicuti autem falsum cognoscere, seu a veritate aberrare, non est perfectio, sed defectus in in-

(1) De Incarn. sect. 2. diss. 4. c. 7.

(2) De Incarn. diss. 18. a. 4. § 2. suo. 7.

tellectu; ita peccare, seu a rectitudine et bonitate deficere posse non est perfectio, sed defectus in voluntate. Cum enim peccatum non sit nisi defectus rectitudinis (§ 238), prorsus inepte potestas peccandi praedicatur, cum absona sit potentia, quae ad nihilum producendum dirigitur. Nulla ergo potestas, nulla facultas, nulla perfectio liberae voluntati subtrahitur, cum dicitur eam peccare non posse, sed id potius asseritur, quod ad eam perficiendam maxime spectat. Hanc doctrinam praeclare proponit *S. Thomas* (1) dicens: « Liberum arbitrium sic se habet ad eligendum ea, quae sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusiones. Manifestum est autem quod ad virtutem intellectus pertinet, ut in diversas conclusiones procedere possit secundum principia data. Sed quod in aliquam conclusionem procedat praetermittendo ordinem principiorum, hoc est ex defectu ipsius. Unde quod liberum arbitrium diversa eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet, ad perfectionem libertatis eius. Sed quod eligat aliquis divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde maior est libertas arbitrii in Angelis, qui peccare non possunt, quam in nobis, qui peccare possumus. » Et alibi Doctor angelicus dicit, potentiam peccandi esse signum libertatis, sicut morbus est signum vitae. Morbus autem certe ad perfectionem vitae necessarius non est, sed huius defectio dici debet: et ita pariter potentia peccandi non requiritur ad libertatem, sed huius defectus est. Tantum ergo abest, ut Christum liberum fuisse sit negandum, quia peccare non potuit, ut potius ideo perfectissime liber dicendus sit, quia impeccabilis fuit. Ita iam ratiocinatus est *S. Augustinus* (2 dicens: « Numquid metuendum fuit, ne, accedente aetate, homo ille (Christus) libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat? » — Quamvis ergo Christus verum mandatum de subeunda morte a Patre acceperit, ac de illo ne cogitare quidem liceat, quod istud transgredi potuerit; haec tamen eius impeccantia non solum ipsius in perferenda morte libertatem non sustulit, sed perfectissimam reddidit. Et sane ipse etiam Deus liberrimus est, quia omnia cognoscit et peccare omnino non potest.

Nota 1. Ex dictis patet, Theologos varias inivisse vias ad libertatem Christi cum eius impeccantia conciliandam. — Quaelibet ex his declarationibus catholice proponi, et nulla tanquam ad fidei dogmata pertinens adstrui potest. Observandum tamen est, quod illi, qui tres priores sententias defendunt, magnam difficultatem incurrant circa libertatem Christi in praeceptis legis naturalis observandis. Conveniunt enim sententiarum istarum patroni in eo, ut fateantur, Christum saltem quoad substantiam praecepti de subeunda morte liberum non fuisse, si ipsimet praeceptum stricte obligans et ab eius voluntate independens impositum fuit. Quamvis autem quibusdam argumentis probent, praeceptum de subeunda morte aut non stricte obligans, aut ab ipsius Christi voluntate dependens, aut per dispensationem solvendum fuisse: talia tamen comminisci nequeunt circa praecepta legis naturalis, quibus Christus ut homo subiectus fuit. Ideo, ut principiis suis insistant, libertatem Christi in praece-

(1) 1, q. 62, a. 8 ad 3.

(2) In lib. de praedest Sanct. c. 15.

ptis legis naturalis observandis maxime restringunt. Sic *Thomas ex Charmes* hanc thesin proponit: « Christus fuit liber circa praecepta legis naturalis, non quidem quoad substantiam rei imperatae, sed solum quoad motivum et circumstantias. » Manifestum est autem, secundum hanc sententiam, a plurimis et sanctissimis actionibus Christi omne meritum excludi, praesertim si attendatur, tantam fuisse impeccantiam Christi, ut ne veniale quidem peccatum committere, nec in re minima a Patris voluntate recedere potuerit. — Alii Christo circa praecepta legis naturalis solam libertatem a coactione adscribunt, libertatem autem a necessitate denegant. Sic *M. Marcellius* Erem. S. Aug. (1) haec habet: « Christi voluntas in eliciendis charitatis actibus erga Deum libera erat libertate duntaxat a coactione..... Voluntas ergo Christi sponte ac lubentissime charitatis actus erga Deum eliciebat, sed non poterat illos non elicere, quia a primo conceptionis instanti intuitiva fruebatur Dei visione, quae secum fert necessario amorem; neque enim voluntas summum conspicere potest bonum facie ad faciem, quin ei incommutabiliter adhaereat. Audiatur angelicus Doctor, qui ita (2) scribit: Dicendum quod etiamsi liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amisit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, et ita est actus sui dominus. » Iuxta hanc sententiam vel dicendum est, Christum in actibus charitatis erga Deum eliciendis et in praeceptorum legis naturalis observantia nil promeruisse, vel admittendum est ad meritum sufficere libertatem a coactione. Quominus autem hoc asseratur prohibet propositio ab *Innocentio X* damnata: « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. » Dicunt quidem, hanc propositionem solum loqui de statu naturae lapsae, non autem de statu naturae innocentis, atque ideo Christum, qui peccato originali subiectus non fuit, per solam libertatem a coactione mereri potuisse. Ast Deus iam homini innocenti libertatem indifferentiae concessit, voluitque ut ab ipso perfecta libertate sibi serviretur. Absonum ergo est dicere, ad meritum Deum libertatem exigere a necessitate in homine corrupto et debilitato, non autem in homine viribus integris praedito. Concedendum potius est, decretum divinum de hominis destinatione per huius lapsum non fuisse mutatum. Restat ergo, ut Christo in praeceptis legis naturalis observandis omne meritum denegetur, quod dictus *Marcellius* (3) ultro admittit. Verum in hac responsione a citata *S. Thomae* sententia aperte recedit: hic etenim Christo in ipsis actibus charitatis erga Deum eliciendis sicut libertatem, ita etiam rationem laudis et meriti adiudicat. Nec obstant haec Angelici verba: « quia in illud non coacte, sed libere tendit: » Nam, ut ait Cl. *Billuart* (4), « τὸ *non coacte sed sponte* idem est ac non necessario, sed libere. Saepissime enim a S. Thoma et Veteribus *coactum* sumitur pro *necessario*, et *spontaneum* pro *libero*, sicque hic sumi patet ex verbis subiunctis: *et ita est actus sui dominus*, quod verum non foret si

(1) Inst. theol. l. 23, c. 9, conc. 3.
(2) In 3, dist. 18 q. 1, a. 2 ad 5
(3) In Resp. ad obi. 7.
(4) De Incarn. diss. 18. a. 3.

intelligat de actu necessario. » Imo *S. Thomas* ibidem (1) expresse dicit, quod « Christus meruit omnibus actibus suis: » et cum hac doctrina consentiunt gravissimi Theologi, atque ideo Christo in actibus suis libertatem non solum a coactione, sed etiam ab intrinseca necessitate adscribunt. Perfectam hanc libertatem ipsa S. Scriptura de Christo praedicat; de ipso enim dicitur: *Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum* (2). Hoc idem videtur de fide decisum fuisse in Concilio generali sexto, act. 4, ubi definitur, in Christo fuisse omnes proprietates naturae humanae, adeoque etiam libertatem a necessitate. Neque huic libertati Christi eius impeccantia obstat: dummodo enim recta de libertate notio (n. 5. explicata) habeatur, facile intelligitur, Christum in actionibus suis, eo ipso perfectiorem habuisse libertatem, quia a bono, quod est liberae voluntatis obiectum, deficere nullo modo poterat (3).

Nota 2. Ex doctrina proposita varia documenta moralia deduci possunt. — *a*) Charitas Christi ex eo praecipue elucet, quia in omnibus suis actionibus, quibus plurima hominibus beneficia praestitit, ita etiam in perferenda amarissima passione et morte, per quam eos redemit, liberrimus fuit. Quinimo toto vitae suae tempore uti salutem hominum, ita et passionem suam et mortem ardentissime concupivit, quod ipse professus est, dicens: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usquedum perficiatur* (4)? Statuto autem tempore, *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* (5). Haec *charitas Christi urget nos* (6), ut nos quoque libere ex amore Christi omnia, etiam quae ardua videntur, suscipiamus, et adversa quoque si non cum gaudio, saltem cum plena resignatione et constanti patientia perferamus. — *b*) Eximiam obedientiam Christi, qui gravissimum mandatum Patris de subeunda morte lubentissimo ac promptissimo animo adimplevit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, sedulo imitari, nos prompto et alacri animo Deo et hominibus propter Deum subiicere, etiam quae dura praecipiuntur, *sine murmurationibus, et haesitationibus* facere (7), et exactam in omnibus obedientiam praestare debemus ex amore, et *non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus* (8). — *c*) Ex recta libertatis notione hoc saluberrimum monitum infert Cl. *Contensonius* Lib. 9 (9) ita eleganter disserens: « *In regno nati sumus, Deo parere libertas est*, aiebat christiane *Seneca* Paganus. Aliena plane ab omnium Sapientum mente loquuntur, qui putant, citra libertatis iniuriam non posse humanam voluntatem divinae gratiae subiici potestati, cum voluntas sit eo sanior, quo liberior, et eo liberior, quo divinae gratiae subiectior ac divinae legis amantior. *Liber est aestimandus, qui nulli turpitudini servit*, inquit *Tullius:* quem si ut Ethnicum spernas, vel suspectum habeas, lector, audi *Augustinum* (10): *Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber esse appetat, et quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subiectus sit.* Audi *Ambrosium: Ille*

(1) Art. 5. (2) Isa. 7, 15.
(3) Cf. Berti de disc. theol. lib. 26, c. 12; Billuart loco cit.; Antoine de Incarn. c. 6, a. 4; Dieringer Dogm. § 89.
(4) Luc. 12, 50. (5) Hebr. 12, 2
(6) 2 Cor. 5, 14. (7) Phil. 2, 14.
(8) 2 Cor. 9, 7.
(9) Diss. 6, c. 2, spec. 3 in Re
(10) Lib de vera Rel.

in quavis conditione servitii liber est qui amore non capitur, avaritiae vinculis non tenetur, metu criminis non alligatur. Audi *Hieronymum: Sola apud Deum libertas est non servire peccatis; summa apud Deum nobilitas est clarum esse virtutibus.* Quia nimirum nulla est in obediendo servitus, ubi diligitur, quod iubetur. »

ARTICULUS IV.

De saluberrimis sacrificii in cruce oblati effectibus respectu hominum.

§ 375. Iam per peccatum originale omnes homines a Deo inique recedentes, gratiam sanctificantem et ius ad aeternam beatitudinem perdiderunt, filii irae et aeternarum poenarum rei facti sunt. Labi autem originali homines innumera peccata actualia addiderunt, quibus Deum creatorem suum summis iniuriis affecerunt, seque ipsos in profundissimam miseriarum abyssum praecipitarunt, a qua semetipsos liberare nullo modo poterant. Christus autem, ut funestissimos istos peccatorum, originalis et actualium, effectus tolleret, ac tantae hominum miseriae subveniret, munere sacerdotali functus est, et cruentum in ara crucis sacrificium obtulit, cuius proinde effectus pro hominum salute saluberrimi sunt. Quod nempe homines perficere non potuerunt, id Christus praestitit pro ipsis. Homines enim non solum finiti, sed etiam vita spirituali privati, ac *Deo odibiles* (1) effecti, neque condignam Deo infinito pro peccatis suis satisfactionem praestare, neque per se Deo reconciliari, ac gratiam sanctificantem aeternamque beatitudinem recuperare poterant. Sed Christus, per sacrificium in cruce oblatum, 1°) *tanquam sponsor vere ac proprie, imo perfectissime pro peccatis hominum divinae iustitiae satisfecit*, et 2°) *tanquam mediator homines Deo reconciliavit, iisque gratias supernaturales, atque aeternam beatitudinem promeruit.* Quamvis autem 3.°) *actualis participatio de effectibus Redemptionis quibusdam conditionibus adimplendis sapientissime sit alligata*, nihilominus 4°) *Redemptio est universalis, quia Christus pro omnibus hominibus mortuus est.* — Doctrina haec de saluberrimis sacrificii in cruce oblati effectibus sedulo est expendenda, tum quia charitatem Dei clarissime manifestat, tum quia pro hominibus gravissimi est momenti, tum quia non paucos adversarios habet, qui illam variis modis impugnant, aut obscurant.

I. *Christus tanquam sponsor vere ac proprie, imo perfectissime, pro peccatis hominum divinae iustitiae satisfecit.*

§ 376. « Satisfactio, ut loquitur *Catechismus romanus* (2), est rei debitae integra solutio. » Debitum autem contrahi potest, vel propter rem aut commodatam, aut mutuo acceptam, aut furto subreptam, vel propter famam et honorem laesum. Pro debito priori satisfit, dum res commodata, mutuo accepta aut furto ablata, integra restituitur: pro debito posteriori satisfacere idem est ac offenso tantum praestare, quantum ipse ad reparandam iniuriam legitime exigit; atque ita satisfactio nihil aliud est, quam iniuriae alteri illatae compensatio. Et in hac posteriori significatione satisfactio in hoc tractatu sumitur, quia de delendis peccatorum debitis agitur, quibus debitus Deo honor detrahitur et atrox ipsi iniuria infertur. — Haec vero satisfactio, seu iniuriae alteri illatae compensatio bifariam sumitur, pro-

(1) Rom. 1, 30.

(2) P. 2, c. 5, § 62

prie scilicet et improprie. *Proprie* ille satisfacere censetur, qui ad iustitiae rigorem iniuriam alteri illatam per compensationem reparat; *Improprie* autem ille satisfacere dicitur, qui non tam ex iustitiae aequalitate, quam ex benignitate partis laesae, gratis iniuriam condonantis veniam obtinet. — His praemissis, doctrina de satisfactione a Christo praestita declarari, et discrimen ingens, quod inter sententiam Socinianorum et Catholicorum obversatur, ostendi potest. Sociniani enim satisfactionem in sensu proprio peractam a Christo penitus negant, quod patet ex verbis *Socini*, qui (1) dicit: « Censeo ego, et orthodoxam sententiam esse arbitror, Iesum Christum ideo servatorem nostrum esse, quod salutis aeternae viam nobis annunciarit, confirmarit, et in sua ipsius persona tum vitae exemplo, tum ex mortuis resurgendo, manifeste ostenderit. Divinae autem iustitiae, per quam nos peccatores damnari meremur pro peccatis nostris, neque illum satisfecisse, neque ut satisfaceret opus fuisse. » Impiam hanc Socini doctrinam non solum illi, qui ab ipso nomen acceperunt, sed etiam eorundem surculi, *Quakeri*, *Methodistae*, *Rationalistae* etc. amplexi sunt et passim propugnant. Haud raro quidem Christum liberatorem et servatorem humani generis nominant, atque de satisfactione ab ipso praestita loquuntur, quam autem in sensu tantum improprio intelligunt. Cum enim dicunt, Christum satisfecisse, id unum volunt, eum ob insignem pietatem et obedientiam exauditum fuisse a Deo, cum interpellaret pro nobis, idque impetrasse, ut nobis venia peccatorum gratis concederetur, et pernegant, eum pretium persolvisse debitis nostris aequale. — Catholici autem divinae Revelationi fideliter insistentes docent, Christum pro nobis vere, et proprie satisfecisse. Quam enim compensationem iustitia Patris pro iniuriis per peccata hominum sibi illatis exegit, hanc loco nostri et pro nobis charitas Filii Dei incarnati praestitit: egit nempe Christus et passus est ea, quae agere nos atque pati debuissemus, praestititque plenam in omnibus perfectamque obedientiam, legi debitam, a qua obsequendi voluntate multum eramus alieni, declives in malum: atque, quod praecipuum est, loco nostri passus est cruciatus, quos perpeti nos oportuisset ob delicta, quibus eramus contaminati, subiitque mortem, ut adinstar victimae, morte vicaria, dato pretio, fuso sanguine nos redimeret, nos a peccatis liberaret; quod iam in articulo II probatum est. Christus ergo in sensu proprio et stricto *sponsor* est, et vere ac proprie, imo perfectissime et abunde pro peccatis hominum satisfecit, ita ut divina Maiestas pro illatis sibi iniuriis plenam et superabundantem compensationem obtinuerit, et homines a peccatis et eorundem poenis fuerint liberati. — Satisfactionem vero Christi, pro peccatis hominum praestitam, veram, propriam, perfectam et superabundantem esse ex S. Scriptura, Traditione et ratione theologica probatur.

1. Iam in V. T. praedictum fuit, Messiam venturum, et occidendum esse, *ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna* (2): quibus verbis plena et perfecta satisfactio, a Messia pro peccatis praestanda, clare indicatur, quoniam sine ista tam magnifici effe-

(1) De Christo servat. l. 1, c. 1

(2) Dan. 9, 22 etc.

clus explicari non possent. — In N. T. Angelus, Iosephum de Christi conceptione erudiens, dixit: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (1). Ioannes Baptista videns Iesum venientem ad se exclamavit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (2): quae verba haud obscure significant, Christum agnum, seu victimam esse, cuius immolatione peccatum mundi, seu humani generis tollitur, aufertur, seu deletur, quod perfectam satisfactionem supponit. Clarissime autem Paulus doctrinam catholicam proponit. Nam Rom: III, cum v. 23 dixisset: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei;* de iisdem peccatoribus dicit, quod sint *iustificati gratis per gratiam ipsius* (3), i. e. per gratuitam Dei misericordiam, *per redemptionem, quae est in Christo Iesu,* seu propter redemptionem, quam appenso pretio fecit ac meruit Christus Iesus, *quem proposuit Deus propitiationem,* id est victimam irae suae propitiatoriam, *per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum* (4). Deus ergo in morte Christi, quae remissionem peccatorum obtinuit, iustitiam suam ostendit, quod dici non posset, nisi iustitia divina per sacrificium in ara crucis oblatum plenam iniuriae sibi illatae compensationem, seu perfectam satisfactionem obtinuisset. Nam si, ut volunt Sociniani, per solas preces sine pretii solutione remissio peccatorum concessa fuisset, Deus in hac misericordiam suam et bonitatem, non autem iustitiam ostendisset. II Cor. V, 19 dicitur: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum,* id est Deus mundum sibi reconciliavit per Christum, remittens hominibus peccata intuitu satisfactionis a Christo praestitae: haec autem satisfactio explicatur ibid. his verbis: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso* (5); id est, Filium suum, iustitiam ipsam, a peccato sic alienum ut illud ne nosset quidem, fecit in cruce peccatum, seu, peccatorum nostrorum hostiam, ut nos per huius hostiae meritum, remissis peccatis, iusti efficeremur. Tantum ergo erat huius hostiae meritum, quantum iustitia divina exegit, ut peccata hominibus remitterentur et mundus Deo reconciliaretur. — Gal. III, 13 ait Apostolus: *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno:* itaque Christus maledictionem ob transgressiones legis in nos latam in se transtulit, et ab illa non per solas preces, sed per passionem et mortem, quam pendens in ligno sustinuit, nos liberavit: mors ergo a Christo in cruce tolerata iuxta Apostolum fuit pretium debitis nostris aequale. Hoc idem clarissime probant eiusdem Apostoli verba Col. I, 19 etc. dicentis: In *ipso* (Christo) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem.* Tantam ergo efficaciam Paulus sanguini Christi in cruce effuso et morti ibidem toleratae adscribit, ut, deleto peccato, inimicitiarum causa omnia Deo reconciliarentur, sicque pacificata essent coelum et terra. In Epi-

(1) Matth. 1, 21. (2) Io. 1, 29. (3) Rom. 3, 24. (4) Ib. v. 25. (5) Ib. v. 21.

stola ad Hebraeos c. IX, v. 13 etc. legitur: *Si sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*, i. e. externe purificat et immunditiam legalem tollit, *quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis* (i. e. a peccatis) *ad serviendum Deo viventi?* et v. 26: *Christus semel in consummatione saeculorum ad destitutionem peccati* (id est ad penitus auferendum et tollendum) *per hostiam suam apparuit*, seu per sacrificium suum Deo se exhibuit; et v. 28: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata:* ergo Christus peccata, quae sacrificia V. T. auferre non poterant (1), unico sacrificio in cruce oblato exhausit, penitus abstulit, et delevit, plenam et perfectam satisfactionem pro iisdem praestans, unde etiam: *Melioris testamenti sponsor* (2) nominatur. Imo Paulus satisfactionem Christi non solum perfectam, sed etiam superabundantem esse docet Rom. V, 9 scribens: *Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum;* et: *Non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit;* et v. 20: *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Et generatim Paulus in toto capite ostendit, peccatum Adae non tantum obfuisse, quantum Redemptio Christi profuit, quae igitur non solum sufficiens, sed etiam superabundans fuit.

2. *Ss. Patres* passim docent, Christum per passionem suam et mortem vere et proprie pro peccatis nostris iustitiae divinae satisfecisse, et quidem adeo cumulate, ut offensionis iniuriam meriti compensationisque magnitudo non aequarit solum, sed infinito post se intervallo reliquerit. *S. Cyrillus Hier.* (3) inquit: « Assumpsit Christus peccata nostra in corpore, in lignum, ut per mortem ipsius nos peccatis mortui iustitiae viveremus. Non parvus erat, qui mortuus est pro nobis; non erat ovis sensibilis, non erat simplex homo, non erat Angelus tantum, sed Deus incarnatus. Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta pro illis morientis iustitia, non tantum nos peccavimus, quantum ille iuste egit. » *S. Basilius* (4) ait: « Inventum est pro omnibus simul hominibus sufficientissimum, quod in pretium redemptionis animae nostrae datum est, sanctus ille ac pretiosus sanguis D. N. I. Christi, quem pro nobis omnibus effudit: quamobrem pretio etiam empti sumus. » *S. Gregorius Naz.* Or. 1 (5) dicit: « Christus seipsum redemptionis pretium pro nobis, ac culpae nostrae succedaneum (seu sponsorem) dedit. » Et Or. 45 (6), cum N. 28 dixisset: « Opus habuimus Deo, qui carnem acciperet, et moreretur, ut vivamus, » n. 29 addit: « Nullum cum salutis meae miraculo conferendum est, in quo exiguae cruoris guttae orbem universum instaurarunt. » Quodsi S. Doctor exiguis guttis tam magnificum effectum adscribit, superabundantem profecto satisfactionem Christi profitetur, qui totum sanguinem suum effudit. *S. Chrysostomus* (7) observat, non dixisse Paulum *gratiam* simpliciter, sed *abundantiam gratiae, et donationis, et*

(1) Hebr. 10, 4 (2) Hebr. 7, 22.
(3) Catech. 13 (4) Hom. in Ps. 48, n. 4.
(5) Al. 41, n. 5. (6) Al. 42.
(7) Hom. 10, in Ep. ad Rom. n. 2.

iustitiae (1); « non enim quantum opus erat nobis ad extinguendum peccatum, tantum ex gratia dumtaxat accepimus, sed multo amplius: » quod similitudine declarans, inquit: « Quemadmodum ergo si quis decem obolos debentem aliquem in carcerem coniiciat, nec ipsum solum, sed cum eo pariter coniugem ipsius et filios ac servos ipsius causa: tum alius veniens non decem obolos tantum numeret, sed innumera talenta auri largiatur, ac vinctum istum in palatium introducat et in supremi magistratus solium, participemque summi honoris et reliqui splendoris faciat: non iam foenerator mentionem facere amplius possit decem obolorum illorum: ita et in nobis factum est. Nam multo plura, quam debebamus, persolvit Christus, ac tanto plura, quanto stillam exiguam immensum pelagus excedit. » *S. Augustinus* (2) exclamat: « Fudisti pro me pretium redemptionis. O pretiosum pretium perditorum !... Dicat ei terra redempta, terra irrigata, redempta sanguine, irrigata baptismate: Magna iniquitas mea, sed maior est redemptio tua. Audiat ergo vocem Domini mei humani generis adversarius, et nihil iam sibi applaudat elatus, quia pro totius mundi facinore in cruce pependit D. N. I. Christus. » *S. Cyrillus Alex.* (3) ita disserit: « Pretium pro universorum peccatis unus nequaquam persolvisset, si purus tantum homo extitisset. Quodsi ut Deus incarnatus propriaque in carne mortem perpessus mente concipiatur, universa creatura modicum quid erit ipsi comparata; atque adeo ad humani generis liberationem unius carnis mors abunde sat fuerit; propria enim erat Verbi, quod ex Deo natum est. » *S. Leo M.* (4) docet, effuso sanguine Christi, validius factum esse donum libertatis, quam debitum servitutis. — *S. Anselmus* (5) scribit: « Deus non exigit ab ullo peccatore plusquam debet. Sed quoniam nullus potest reddere quantum debet, solus Christus reddidit pro omnibus, qui salvantur, plus quam debent. » - Concilium *Tridentinum* (6), exponens causas iustificationis, ait: *Meritoria autem* (est) *dilectissimus Unigenitus suus, D. N. I. Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit.* Et iuxta mentem Concilii dicit *Catechismus romanus* (7): « Integra est, atque omnibus numeris perfecta satisfactio, quam admirabili quadam ratione Iesus Christus pro peccatis nostris Deo Patri persolvit. Neque vero pretium, quod pro nobis persolvit, debitis nostris par solum et aequale fuit, verum ea longe superavit. »

3. Doctrinam propositam *S. Thomas* (8) hac ratione theologica comprobat: « Ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod aeque vel magis diligit, quam oderit offensam. Christus autem ex charitate et obedientia patiendo maius aliquid Deo exhibuit, quam exigeret compensatio totius offensae humani generis: primo quidem, propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur; secundo, propter dignitatem vitae suae, quam pro satisfactione ponebat, quae erat vita Dei et hominis; tertio, propter generalitatem passionis et magnitudinem doloris assum-

(1) Rom. 5, 17. (2) Serm. 122, de tempore. (3) De recta fide ad Regin. c. 7. (4) Serm. 12 de Pass. Dom.

(5) L. de conc. virgin. et pecc. or. c. 22. (6) Sess. 6, c. 7. (7) P. I, c. 5, q. 15. (8) 3, q. 48 a. 2.

pti. Et ideo passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis. » Et sane - pretium ac valor actionis, aut passionis aestimari debet ex dignitate personae agentis et patientis: sed persona nos redimens Jesus Christus, Deus homo propter intimam et arctissimam carnis cum Verbo unionem fuit infinitae virtutis et dignitatis: ergo infinitum fuisse Redemptionis pretium sponte consequitur. — Christus equidem passus et mortuus est in natura humana: sed quia in Christo una est persona et unus operans; ideo recte dicitur, Deum passum et mortuum esse: ex quo immediate pleno iure infertur, passionem et mortem Christi infiniti esse valoris. Ideo S. *Thomas*(1), cum sibi obiecisset, Christum passum esse non secundum divinitatem, sed secundum carnem, iuxta I Petr. IV, 1: *Christo passo in carne* etc., praeclare respondet, quod « dignitas carnis Christi non sit aestimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam adsumentem, in quantum scilicet erat Caro Dei, ex qua habebat dignitatem infinitam »(Cf. § 308, n. 3.)

Nota 1. Sociniani negant, doctrinam Catholicorum in S. Scriptura contineri, et ex hac sua asserta probare tentant:

Obi. I. S. Scriptura nullibi dicit, Christum pro nobis satisfecisse, vel loco nostri subrogatum esse: imo istae voces: *Satisfactio, subrogatio* etc. in Scripturis sacris nullibi de Christo pronuntiatae leguntur. Doctrina ergo de satisfactione Christi perperam ex S. Scriptura probatur.

Resp. Ad aliquod dogma stabiliendum necesse non est, ut explicite et expressis terminis in Scriptura contineatur, sed sufficit, quod implicite et aequivalenter, necessaria consecutionis lege, ex verbis Scripturae deducatur. Et ita licet vox ipsa *satisfactionis* et *subrogationis*, expresse et formaliter, ut aiunt, in Scripturis non legatur, res tamen nomine significata diserte, et expresse in illis continetur. Quid enim sibi vult Scriptura, cum toties testatur, Christum esse sponsorem nostrum, propitiationem nostram, ipsum animam, seu vitam suam pro nobis posuisse, sanguine suo nos redemisse, peccata nostra portasse, ac per vulnera et attritionem sustulisse, et similia? — Et vero, si staret illa adversariorum regula, ruant necesse est plurima Socinianae doctrinae dogmata. Ostendant enim nobis, ubi legatur, Christum servatorem esse tantum exemplo et doctrina, redemptionem eius metaphoricam esse, mortem eius appendicem esse naturae, non poenam peccati etc. Haec tamen et alia, quae conceptis verbis in Scriptura non leguntur temere propugnant adversarii, qui omnia dogmata ex sola Scriptura haurienda esse contendunt. Maiori certe iure Catholici satisfactionis et subrogationis vocibus utuntur, non solum quia S. Scriptura ipsam rem illis vocibus significatam continet, sed etiam eaedem voces expresse in divina Traditione habentur, quam ut alterum Revelationis fontem venerantur; Patres enim et Concilia passim de satisfactione, et subrogatione Christi loquuntur, ut ex dictis n. 2 patet.

Obi. II. Paulus II Tim. II, 10 dicit: *Omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur:* Christus ergo non sufficientes passiones sustinuit, neque perfecte satisfecit, quia etiam Paulus pro electorum salute multa sustinere debuit. Idem Apostolus aperte insufficientiam pas-

(1) 3, q. 48, ad 3.

sionis Christi profitetur Col. I, 24 dicens : *Gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia ;* conceptis hic verbis adseveratur, aliquid passionum Christi deesse, quod Paulus per suas passiones adimplevit, seu supplevit : ergo Christus perfecte non satisfecit.

Resp. Verba Pauli recte intellecta doctrinae catholicae non adversantur. Quamvis enim Christus plene et abunde satisfecerit, necesse tamen est, ut homines doctrinam salutis partae a Christo cognoscant, credant et observent. Quod docet idem Apostolus Rom. X, 14 scribens : *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante?* quibus verbis praedicationem Evangelii, etiam posita infinita satisfactione Christi, ad salutem electorum necessariam declarat, ut isti per fidem, quae per charitatem operatur, satisfactionis a Christo praestitae participes reddantur. Cognovit autem Paulus, se quoque ad praedicandum Evangelium missum esse (1), atque in hoc ministerio obeundo fidelissimus fuit. Ideo ait : *in quo* (Evangelio praedicando) *laboro usque ad vincula* (2) etc. ; ac addit : *omnia sustineo propter electos,* non ut pro peccatis eorum satisfaciam, sed ut ipsis doctrinam salutis annuntiem, quam credentes et observantes salutem consequentur. — Eodem modo explicari potest alter locus, Col. I, 24. Paulus enim in hoc capite a v. 23-29 de praedicatione Evangelii loquitur et profitetur, se cum gaudio labores suscipere et aerumnas perpeti, non ut ipse pro peccatis hominum satisfaciat, sed ut hominibus doctrina salutis annuncietur, et sic ea adimpleantur, *quae desunt passionum Christi :* istae nempe infiniti pretii sunt, sed sine praedicatione hoc ipsis deesset, quod hominibus applicentur, atque ipsis ad salutem proficiant : quapropter per praedicationem Evangelii adimplentur ea, *quae desunt passionum Christi.* — Alii tamen putant, Paulum de semetipso loqui, et contestari, se per aerumnas in praedicatione Evangelii toleratas ea adimplere, quae *sibi* desunt de participatione passionum Christi iuxta illud, quod alibi dixit : *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur* (3) ; ita *S. Augustinus* in Ps. LXXXVI (4) dicit : « Videte, quid dixit Apostolus, quia in ipso Christus patiebatur. *Ut adimpleam,* inquit, *quae desunt pressurarum Christi in carne mea.* Ut adimpleam, quid? quae desunt ?.... ubi desunt? - in carne mea..... Passus est enim (Christus) quidquid pati deberet... In cruce enim positus... ait : perfectum est. » — *S. Thomas* (5) subtilius verba Pauli interpretatur, et in primis observat, « haec verba secundum superficiem malum posse habere intellectum, scilicet quod Christi passio non esset sufficiens ad redemptionem, sed addi debere ad complementum passiones Sanctorum. Sed hoc est haereticum, quia sanguis Christi est sufficiens ad redemptionem etiam multorum mundorum. » Exploso itaque hoc perverso sensu, ita textum Paulinum explicat Angelicus, quod Christus et Ecclesia sunt una persona mystica, cuius caput est Christus, corpus omnes iusti. Deus autem ordinavit in sua praedestinatione, quantum meritorum debebat esse per totam Ecclesiam tam in capite, quam in membris.

(1) 1 Cor. 1, 17. (2) 2 Tim. 2, 9.
(3) Rom 8, 17. (4) N. 5.
(5) In Col. I, 24, Lect. 6.

Christi merita sunt infinita, quilibet vero Sanctus exhibet aliqua merita secundum mensuram suam; et ideo dicit Apostolus: *adimpleo ea, quae desunt passionum Christi*, i. e. totius Ecclesiae, cuius est caput Christus, addendo mensuram meam. Neque enim ita Christus Dominus Patri satisfecit, ut opera nostra satisfactoria excludat, sed sua passione et morte nostris bonis operibus vim satisfaciendi a Deo impetravit. Apostoli ergo verba sic intellecta non solum nihil imminuunt de perfectione satisfactionis Christi, sed potius eiusdem efficaciam ostendunt, ex qua etiam in nostras passiones meritum redundat(1).

Obi. III. Deus, ait *Socinus* (2), ante Christi adventum ab ipso fere orbis initio consuevit condonare peccata, nulla vera satisfactione accepta: ita *protoparentes*, *Abel*, *Enos* et alii iustificati sunt, et ipse *Cain*, si sceleribus relictis pure et innocenter vixisset, scelerum condonationem sine satisfactione obtinuisset (3). Etiam a *Davide* peccatum translatum est, quin satisfactionem condignam praestiterit. Deus autem immutabilis est, atque ideo sicuti in V. T., ita etiam in N. T. peccata sine satisfactione condonat.

Resp. Falsum est, Deum ante Christi adventum consuevisse peccata condonare, nulla vera accepta satisfactione. Refellit hanc Socini exceptionem S. Petrus dicens: *Per gratiam D. N. I. Christi credimus salvari, quemadmodum et illi* (4), scilicet Patres V. T. — Neque obstat, in V. T. Christum necdum incarnatum nullamque ab eo satisfactionem praestitam fuisse. Etenim satisfactio Christi est causa impulsiva remissionis peccatorum, et huius causae ea est ratio, ut moveat etiam prius quam reipsa existat, et quando non amplius existit. Sic e. g. princeps aliquis a subditis suis laesus est, cui subditi magnam pecuniae summam post decem annos solvendam promittunt, ut in gratiam recipiantur: haec pecuniae summa movet principem, ut recipiat subditos in gratiam priusquam solvatur, et ut diu post solutionem ipsis propitius sit. Simili modo meritum et satisfactio Christi tanquam causa meritoria licet tempore V. T. actu non extiterit, tamen Deo per peccata laeso cognita fuit tanquam aliquando praestanda, et hoc modo cognita Deum movit, ut intuitu eius, remiserit etiam in V. T. peccata, sicuti haec etiam nobis condonat intuitu redemptionis iam ante multa saecula in cruce peracta. Quod eo facilius intelligi potest, si attendatur, Deo nil futurum et nil praeteritum, sed omnia praesentia esse. Caeterum Deus etiam in V. T. conversionem et contritionem cordis, observantiam legis, imo et sacrificia propitiatoria a peccatoribus, ut iustificentur, exegit: ast illa omnia vim ac virtutem suam per fidem in venturum Redemptorem obtinebant. —Nam, ait Paulus: *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi* (5); et de sacrificiis V. T. *S. Augustinus* (6) dicit: « In victimis pecorum, quas offerebant Deo, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futurae victimae, quam Christus obtulit. »

Nota 2. Satisfactionem Christi non solum veram et propriam, sed etiam condignam, sufficientem et superabundantem fuisse, omnes Theologi catholici profitentur, et contra Socinianos defendunt. Quaestio autem mota est inter Scholasticos, undenam

(1) Cf. Bernardin. a Picon. in hunc locum.
(2) De Servat. P. 3, c. 2.
(3) Gen. 4, 7.
(4) Act. 15, 11.
(5) Gal. 2, 16.
(6) In Ps. 39.

illa satisfactionis sufficientia et superabundantia repetenda sit, utrum *ab intrinseco*, quia secundum omnes rigorosae iustitiae leges peracta fuit, an *ab extrinseco*, seu ex sola Dei acceptantis liberalitate? — Nonnulli cum *Scotistis* ab extrinseco tantum, alii vero cum *Thomistis* ab intrinseco satisfactionem Christi perfectam, condignam et superabundantem esse dicunt. Controversia autem ideo enata est, quia ad satisfactionem perfectam et condignam plures conditiones requiruntur. *Prima* est, ut satisfactio sit ad alterum, cum nemo, proprie loquendo, possit exigere satisfactionem sibique eandem dare. *Secunda*, ut actus satisfacientis sit voluntarius et liber; nam dum quis invitus cogitur poenas luere, satispassio habetur, non satisfactio. *Tertia*, ut quod pro satisfactione redditur, sit aequivalens iniuriae illatae. *Quarta*, ut sit ex bonis propriis satisfacientis: quamobrem servus domino suo ex rigore iustitiae satisfacere non potest, cum nihil habeat proprium. *Quinta*, ut satisfactio sit ex bonis alias indebitis, unde qui reddit quod debet ex bonis alio titulo debitis, puta ex charitate, vel gratitudine, proprie non satisfacit plene et perfecte. *Postrema*, ut hanc satisfactionem creditor acceptare teneatur ex iustitia, alias remissio debiti semper fiet ex quadam gratia, et liberalitate. Dissentiunt iam Theologi, an omnes istae conditiones in satisfactione Christi inveniantur: negant *Scotistae*, sed potiori iure affirmant *Thomistae*. Nam quod *primam* attinet, Christus Deus est et homo, passus et mortuus est secundum naturam humanam; unde *S. Augustinus* (1) dicit: « In forma Dei sacrificium cum Patre sumit, ut homo autem sacrificium maluit esse. » Satisfecit equidem persona divina, sed, ut ait *Thomas ex Charmes* (2), « personalitas Verbi, prout terminat humanitatem, habet naturam et voluntatem distinctam a natura et voluntate divina, habet distinctum dominium, personam quoque saltem virtualiter a persona, cui facta est satisfactio, distinctam ob diversitatem dominiorum: ergo satisfactio Christi fuit ad alterum. » Quam in rem egregie loquitur *S. Leo M.* (3): « Cum alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis et unitas manifestatur et trinitas: ut essentia habens aequalitatem et non recipiens solitudinem, et eiusdem substantiae et non eiusdem intelligatur esse personae. Quod ergo salva cooperatione inseparabilis Deitatis, quaedam Pater, quaedam Filius, quaedam proprie Spiritus sanctus exequitur, nostrae dispositio redemptionis, nostrae salutis est ratio... Divisit sibi opus nostrae reparationis misericordia Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret. » — Respectu *secundae* conditionis omnes Theologi, etiam Scotistae profitentur, satisfactionem Christi voluntariam et liberam fuisse, quia Christus non coacte, sed libere passus et mortuus est (§ 373). — *Tertia* conditio hic iam probata fuit. — De *quarta* conditione dubitari non potest. Sicuti enim homines bonorum suorum, quae a Deo receperunt, domini sunt; ita Christus dominus fuit vitae suae (4), quam profundendo ex propriis satisfecit: neque obstat mandatum Patris, quia etiam homines ex praecepto quidem divino, et tamen ex propriis tribuunt. — Ideo etiam *quinta* conditio verificatur: quamvis enim Christus ut homo omnia Deo debebat, at-

(1) L. 10 de Civ. Dei.
(2) De Inc. diss. 7, c. 5, q. 3, a 4.
(3) Serm. 3 de Pentec. c. 2. (4) Io. 10, 18.

tamen ut innocens non debebat per diram passionem et mortem peccatorum poenas luere; ergo quod ipse pro se non debebat, pro aliis libere solvit. Ipsum quoque mandatum Patris non effecit, ut Christus pro se debitor fieret, sed solum voluntatem divinam manifestavit, qua decretum fuit, ut per Filii incarnati passionem et mortem pro peccatis hominum plena et superabundans satisfactio praestaretur. — Et, posita hac voluntate divina, quae immutabilis est, Deus non potuit non acceptare satisfactionem a Christo praestitam: non potest quidem dici, Deum ad aliquid teneri, et iustitiam divinam cum humana confundere non licet: sed, quia iustitia divina non est nisi liberrima voluntas divina, quae peccata punit, pro his exigit satisfactionem etc. (v. § 48), rectissime dicitur, Deum iuxta hanc voluntatem, seu ex iustitia satisfactionem Christi acceptasse, et sic etiam *postrema* conditio in satisfactione Christi invenitur. — Adduci hic merentur praeclara verba, quae circa hanc quaestionem profert Cl. *Berti* (1). Expositis enim praefatis conditionibus, haec refert: «His conditionibus non obstantibus, satisfactionem Christi fuisse ad iuris apices tenet universa Schola *Thomistarum* et *nostra*, subscribentibus *Salmant.* (2), *Sylvio* (3), *Suaresio* (4), *L'Herminier* (5), *Du-Hamel* (6), *Tournely* (7), *Witasse* (8), quos e magno numero sat est laudasse. Nec desunt, qui sententiam oppositam appellent sacrilegam, impiam et Christo Domino indignam, ut *Barth. Medina*, *Capreolus*, *Soto*, *Cabrera* (9). — Sed cum illius auctores pretii valorem non minuant, ac tantum de his conditionibus dissentiant, temperandum est a censura, quam hac ratione propulsat *Mastrius*. — Distinguenda itaque est illa quaestio, an Christi satisfactio fuerit aequivalens, et condigna, ab altera, an fuerit ad strictos apices iuris: quarum primam negative resolvere esset meritis Christi detrahere, et instaurare ad bellum confractas Socini vires: alteram affirmative propugnare, licet id catholica fides non exigat, est omnino extremos eiusdem Socini impetus confringere, cum et ipse, ut vidimus, iisdem iustitiae conditionibus obiectis tela eiaculet: quod nonnulli ad concertationem domesticam, quam ad hostium conflictum paratiores minime praeviderunt. »

Nota 3. Christus non pro originali tantum, sed etiam pro omnibus actualibus peccatis hominum pretium sanguinis obtulit, ac divinae iustitiae perfecte satisfecit. Id patet ex S. Scriptura, nam Isa. LIII, 6 de Messia legitur: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum;* Io. I, 29 de Christo dicitur: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi;* quo in loco nominatur peccatum in singulari, ut universaliter intelligatur omne, quod rationem peccati habet, totam peccati molem et omnium vitiorum *mundi* (seu cunctorum hominum) colluviem in Christum esse translatam et pro ea satisfactum. I Petr. II, 24 dicitur: *Christus peccata nostra pertulit in corpore suo.* — Paulus ita ad Iudaeos loquitur: *Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc* (Christum) *vobis remissio peccatorum annunciatur, et ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi iustificari, in hoc omnis, qui credit, iustificatur* (10). Idem scribit: *Dedit*

(1) Lib. 28, c. 6. (2) Disp. 1, dub. 7.
(3) Q. 1, a. 2, q. 3. (4) Disp. 4, sect. 5.
(5) T. 3, p. 115. (6) L. 4, diss. 1, c. 2.
(7) Q. 5, a. 3. (8) Q. 11, a. 2.
(9) Apud praecitatos Salmant. n. 214.
(10) Act. 13. 38 et

semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem (1). Discipulus, quem diligebat Iesus, dicit: *Sanguis Iesu Christi... emundat nos ab omni peccato* (2); et addit: *Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi* (3). Recte ergo *Bellarminus* (4) concludit: « Scriptura, dum absolute loquitur de peccatis, de omnibus peccatis intelligi solet, et debet; et si liceret exponere de quibusdam, non de omnibus, absurdissimae sententiae in divinis litteris invenirentur. » Idem docent Ss. Patres; ex quibus duorum testimonia adferre sufficiat. *S. Augustinus* (5) ait: « In Christo, in quo omnes iustificamur, non tantum originalis, sed etiam caeterorum, quae ipsi addidimus, peccatorum remissionem consequimur. » Et (6) subiungit: « Fuso sanguine sine culpa, omnium culparum chyrographa deleta sunt. » *S. Anselmus* (7) inquit: Christus « devit tam originalia, quam actualia peccata, et omnem iustificationem exhibuit. » Idipsum porro Ecclesia catholica semper et ubique tenuit ac docuit: constanter enim theoretice et practice professa est, sibi competere potestatem dandi omnium etiam grandium peccatorum remissionem, quae nonnisi ob merita Christi dari potest; atque ideo *Montanistas* et *Novatianos* damnavit, qui negarunt, Ecclesiam apostasiam a fide, adulteria etc., remittere posse: imo Concilium *Tridentinum* declaravit (8), Christum Iesum esse propositum a Deo *propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Accedit ratio theologica. Cum ex supradictis pretium sanguinis Christi sit valoris infiniti propter infinitam personae satisfacientis dignitatem, utique sufficiens est pro omnibus peccatis tam originali, quam actualibus; et si Christus pro solo originali peccato satisfecisset, non pro actualibus, dimidia solum pars Redemptionis Christo tribui posset, quod repugnat Scripturae, ubi dicitur quod Christus sit *unus mediator Dei, et hominum* (9); et: *Una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos* (10), seu perfectos reddidit una oblatione omnes qui sanctificantur. — Magni momenti est haec doctrina, ex ipsa enim sequitur homines omnium peccatorum remissionem recipere posse, et nullum peccatum prorsus irremissibile dari; qua de re inferius fusior sermo instituendus erit.

(1) Tit. 2, 14. (2) 1 Io. 1, 7.
(3) Ibid. 2, v. 1 etc. (4) L. 3 de Poenit. c. 4.
(5) L. de peccat. merit. et remis. c. 13.
(6) Ibid. c. 20. (7) In Hebr. 9.
(8) Sess. 6, c. 2. (9) 1 Tim. 2, 5.
(10) Hebr. 10, 14. (11) 1 Tim. 2, 5.
(12) Hebr. 8, 6.
(13) Ibid. 9, 15 et 12. 24.

II. *Christus ut mediator homines Deo reconciliavit, iisque gratias supernaturales et aeternam beatitudinem meruit.*

§ 377. Christum Dominum esse nostrum mediatorem apud Deum, adeo luculenter divina eloquia testantur, ut facile non sit reperire inter homines christiano nomine insignitos, qui id inficiari audeant. *Unus Deus*, clamat Apostolus, *unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus* (11). Accedunt ea loca, in quibus Christus vocatur *melioris Testamenti mediator* (12), item novi Testamenti mediator (13). Imo Christum veri nominis mediatorem esse, ex iis patet, quae iam probata sunt. Nam,

ut ait S. *Thomas* (1); « ad mediatoris officium proprie pertinet coniungere et unire eos, inter quos est mediator; nam extrema uniuntur in medio.» Christus autem, sublato intergerio, homines coniunxit Deo. Non enim alia ex causa Deus infensus nobis erat, nisi quod in massam damnationis inciderimus omnes, eiusque leges violando debitum contraxerimus, cui solvendo impares eramus. Ast Christus sacrificio crucis peccata tum originis, tum actualia expiavit, et, soluto pretio, pro nobis satisfecit (§ praec.); quo fit, ut causa indignationis divinae remota, nos reconciliatos Deo profiteri quisque debeat. Hinc Christus dicitur *propitiatio pro peccatis nostris* (2). Paulus ait: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii sui* (3); et: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans ipsis delicta ipsorum* (4). Ita sanctitatis et felicitatis nostrae impedimenta sublata fuerunt. Ut autem Deo perfecte coniungeremur et in aeternum ipso frui possemus, opus nobis fuit gratiis supernaturalibus, quas per peccatum perdidimus, et iure ad aeternam beatitudinem, quo privati fuimus. Sed huic quoque indigentiae nostrae Christus tanquam mediator subvenit. Nam per sanctissimam vitam et praecipue per dirissimam passionem et mortem suam non solum Deo perfectissime satisfecit, sed etiam excellentissima merita accumulavit. Promeritus enim est hominibus omnes gratias actuales disponentes ad iustificationem, ipsam gratiam iustificantem, gloriam aeternam, et ea omnia gratiarum dona, quae ad illam ducunt, et ordinantur. De saluberrimis istis Redemptionis a Christo peractae effectibus divina revelatio nos certos reddit.

1. *In S. Scriptura* clare docetur, Christum non solum iustitiae divinae satisfecisse et peccata delevisse, sed ipsum nobis etiam aeternam beatitudinem et gratiarum dona ad eam obtinendam necessaria promeruisse. Iam *Daniel* cap. IX praedixerat, per Messiam non solum iniquitatem delendam, sed etiam iustitiam sempiternam adducendam esse. *Zacharias, repletus Spiritu sancto, prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae; et erexit cornu salutis nobis... ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate, et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris* (5). Christus ipse contestatus est, se in mundum missum esse, mortemque crucis sustinuisse, ut hominibus clausum per peccata coelum reseraret. Ait enim: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum*, ut iudicet mundum, *sed ut salvetur mundus per ipsum* (6). Io. X, 10 etc., homines comparans ovibus, inquit: *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea* (7). Io. XVII, 19 etc. ita loquitur: *Pro eis ego sanctifico me-*

(1) 3, q. 26, a. 1. (2) 1 Io. 2, 2.
(3) Rom. 5, 10. (4) 2 Cor. 5, 1
(5) Luc. 1, 67 etc. (6) Io. 3, 14 etc.
(7) Ib. v. 28

ipsum, i. e. me in sacrificium offero, *ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis* (Apostolis) *autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Christus ergo per sacrificium crucis, per orationem et merita sua hominibus etiam copiosas et efficaces gratias comparavit, quibus vere sanctificantur et Deo intime uniuntur. Ideo iam de Filio Dei incarnato dictum est: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius* (1); et: *de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia* (2); id est, ut ait *Toletus* (3), in Christi gratia nos omnes sumus gratiam consecuti, et per eum grati facti Deo. S. Paulus passim contestatur, per Christi merita nos iustificari, sanctificari et aeternae beatitudinis participes reddi. Rom. V, 9 etc. scribit: *Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius: multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius;* et: *Non sicut delictum ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit* (4); *Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per Iesum Christum* (5). Rom. VI, 23: *Stipendia peccati mors. Gratia autem Dei vita aeterna in Christo Iesu Domino nostro.* I Cor. I, 30: *Vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio.* Gal. IV, 4 etc.: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater. Itaque iam non est servus, sed filius. Quodsi filius, et haeres per Deum* (6). Col. I, 12 etc. inquit: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae; in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Sicuti ergo Christus per sanguinem suum nobis remissionem peccatorum obtinuit, ita etiam gratiae divinae, sortis sanctorum, et regni coelestis participes reddidit. Hoc idem Apostolus affirmat de Christo dicens ad Tit.: *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (7). Hebr. V, 9: Christus per passionem *consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae;* ibid.: *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel* (8). S. Petrus inquit: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus* (9). Ioannes ait: *Hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis Deus. Et haec vita in Filio eius est* (10). Apoc. I, 6 etc.: Christus *dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo, et Patri suo.* Ita S. Scriptura locu-

(1) Io. 1, 12. (2) Ib. v. 16.
(3) In h. l. (4) Ib. v. 15.
(5) Ib. v. 17. (6) Cf. Rom. 8, v. 12-20.
(7) Tit. 2, 14. (8) 10, 10.
(9) 1 Ep. 2, 24. (10) 1 Ep. 5, 11.

lentissime iustificationem, seu remissionem peccatorum et gratiam sanctificantem, gratias quoque actuales et ipsam vitam aeternam meritis Christi Redemptoris nostri adscribit.

2. *Ss. Patres* eandem doctrinam proponunt, quod patet ex multis eorundem testimoniis § 371, n. 1, et § 376, n. 2 adlegatis. His addi possunt sequentia. *S. Athanasius* (1) ait: «Perierat prima per Adamum via, nec amplius in Paradisum tendebamus, sed ad mortem deflexeramus... idcirco clementissimum Dei Verbum, volente Patre, creatam carnem induit, ut quam primus homo, violata lege, morte affecerat, eidem sui corporis sanguine vitam redderet, nobisque viam novam et viventem *per velamen*, ut ait Apostolus, per carnem suam innovaret:» et alibi (2) dicit: « Dei Filius mortale corpus suscepit, ut et mors in ipso deleri, et homines ad imaginem Dei facti refici possent.» *S. Gregorius Naz.* (3) docet, Patrem sacrificium a Filio incarnato oblatum accepisse, « quia per humanitatem a Deo assumptam homini sanctitatem afferri oportebat, ut, tyranno per vim superato, nos liberaret, atque ad se per mediatorem Filium reduceret.» *S. Chrysostomus* (4) ita praeclare loquitur: «Per Christum non modo quantum opus erat ad tollendum peccatum ex gratia illa accepimus, sed multo amplius. Nam a supplicio liberati sumus et nequitiam omnem exuimus, ac primo regenerati rexurreximus, sepulto veteri homine: redempti sumus et sanctificati, atque in adoptionem adducti, iustificati, ac fratres Unigeniti effecti et cohaeredes eiusdem corporis et carnis consortes, sicut caput corpori, ita ipsi iuncti sumus. Haec itaque omnia *abundantiam gratiae* Paulus vocavit, ostendens, nos pharmacum accepisse non modo par vulneri, sed etiam sanitatem, pulcritudinem, honorem, gloriam et dignitates longe naturam nostram superantes. » *S. Augustinus* (5) clare docet, homines per Christum mediatorem filios Dei fieri et aeternam salutem consequi; ait enim: «Mediator Dei et hominum homo Christus Iesus inter mortales peccatores et immortalem iustum apparuit; mortalis cum hominibus, iustus cum Deo. Ut quoniam stipendium iustitiae vita et pax est, per iustitiam coniunctam Deo evacuaret mortem. Hic demonstratus est antiquis sanctis, ut ita ipsi per fidem futurae passionis eius, sicut nos per fidem praeteritae salvi fierent: » et dein aeterni Patris, qui proprio Filio suo non pepercit, charitatem laudans, exclamat: « Christus factus est pro nobis tibi sacerdos et sacrificium; et ideo sacerdos, quia sacrificium, faciens tibi nos de servis filios, de te nascendo, nobis serviendo.» — *S. Leo M.* (6) ait: « ampliora nos adeptos esse per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam:» ergo quae per peccatum originale perdidimus, aeternam beatitudinem, et auxilia supernaturalia ad illam acquirendam, per Christum mediatorem, abunde restituta sunt. *S. Anselmus* (7), cum de passione et morte Christi locutus esset, subiungit (8): « Ecce, anima christiana! haec est virtus salvationis tuae; haec est causa libertatis tuae; hoc est pretium redemptionis tuae. Captiva eras, sed hoc modo es redempta. Ancilla eras, et sic es liberata. Sic es exul reducta, perdita restituta, et mortua

(1) Orat. 2, c. Arian. n. 65.
(2) L. de Incarn. n. 13. (3) Or. 45, n. 22.
(4) Hom. 10, in Ep. ad Rom. n. 2.
(5) L. 10 Confess. c. 43.
(6) Serm. 1 de Ascens.
(7) Medit. de Redempt. generis hum. l. 1, cap. 4 (8) Cap. 5

resuscitata; » et mox ad Christum conversus exclamat: « Tu, Domine, qui, ut ego viverem, mortem suscepisti, quomodo laetabor de libertate mea, quae non est nisi de vinculis tuis? qualiter gratulabor de salute mea, cum non sit nisi de doloribus tuis? etc. » — *S. Thomas*(1) ait: « Passio Christi est causa reconciliationis nostrae ad Deum dupliciter. Uno modo in quantum removit peccatum, per quod homines constituuntur inimici Dei... Alio modo in quantum est sacrificium Deo acceptissimum; est enim hoc proprie sacrificii effectus, ut per ipsum placetur Deus; » et insuper addit (2): « Per passionem Christi aperta est nobis ianua regni coelestis. Et hoc est, quod Apostolus dicit Hebr. IX, 11, quod, *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum.... per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.* » Concilium *Tridentinum*. Sess. VI, cap. 2 dicit, Patrem misericordiarum Filium suum ad homines misisse, *ut et Iudaeos, qui sub lege erant, redimeret, et gentes, quae non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent.* Et ibid. cap. 7 inquit: *Iesus Christus - propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit:* in eodem vero capite docet, cum iustificatione coniunctam esse gratiam sanctificantem, et per consequens adoptionem in filios Dei et ius ad beatitudinem aeternam. Ideo *Catechismus romanus* (3) dicit: Christus, « quoniam peccata sustulit, coelorum etiam aditum, communi humani generis peccato interclusum nobis patefecit. Atque id Apostolus significavit illis verbis: *Habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi* » (4).

Nota 1. Cum Christus Deus sit et homo, quaesitum est, an ut Deus, an ut homo mediator sit dicendus. *Ariani*, *Nestoriani* et *Sociniani* officium mediatoris soli naturae humanae attribuerunt, quam sententiam etiam infelix apostata *Franc. Stancharus* defendit. E contra *Phil. Melanchthon*, *Osiander*, praecipue autem *Calvinus* aliique ex *Protestantibus* asseruerunt, Christum secundum divinam naturam esse et fuisse semper etiam ante Incarnationem nostrum mediatorem. Ast iuxta Catholicorum doctrinam Christus mediator est ut Deus et homo: quod, ut recte intelligatur distingui debet *persona* mediatoris a mediationis *opere*. Opus nempe mediationis posuit sola humana natura in Verbo subsistens; haec enim sola potuit pati, mori, pretium solvere etc. Persona autem divina contulit dignitatem et valorem eiusmodi operi. — Hanc Catholicorum doctrinam veram, utramque autem priorem sententiam falsam esse, facile probatur. Nam si officium mediatoris soli naturae humanae tribuitur tota subvertitur oeconomia Redemptionis; natura enim humana praecise et in se considerata finita est, et ideo non potuit Deo infinito condignam satisfactionem praestare: quapropter *S. Augustinus* (5) dicit: « Nam neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei, et hominum Christum Iesum nisi esset et Deus. » — A veritate autem etiam longe abhorret sententia Calvini et Protestantium, quia Christus ut Deus, seu secundum naturam divinam, non potuit pati et mori, quod ad officium mediatoris requirebatur. Necessarie

(1) 3, q. 49, a. 4. (2) Art. 5.
(3) P. I, c. 5, q. 14. (4) Hebr. 10, 19.
(5) In Enchir. cap. 108.

ergo admittitur, Christum esse mediatorem ut Deum et hominem, seu eum esse mediatorem secundum naturam humanam, non tamen praecise et in seipsa consideratam, sed ut subsistentem in persona divina. — Hanc doctrinam ipsa S. Scriptura confirmat, dum dicit (1), *Deum* Ecclesiam acquisivisse sanguine suo; eum qui *in forma Dei, et Patri aequalis erat* (2), factum esse obedientem usque ad mortem; *Dominum gloriae* (3) crucifixum esse: quibus in locis passiones naturae humanae apertissime adscribuntur personae divinae. Hoc idem docuerunt Ss. Patres. *S. Athanasius* (4) inquit: « Verus Deus est Filius et antequam homo fieret, et postquam factus est mediator Dei et hominum homo Iesus Christus, unitus Patri secundum spiritum, nobis vero secundum carnem, atque ita mediatoris partibus functus inter Deum et homines, qui non solum homo est, sed etiam Deus. » Et alibi (5): « Ipsum quoque nomen mediatoris divinitatis ibi et humanitatis exprimendae vim habet. Non enim tanquam Deus solum existens mediator est dictus. Nam quomodo mediatoris inter nos, et Deum partes impleret nihil habens nostrum? » - *S. Augustinus* (6) ait: « Mediator inter Deum et homines oportebat, ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in utroque similis hominibus longe esset a Deo, aut in utroque Deo similis longe esset ab hominibus, et ita Deus non esset. » *S. Leo M.* (7) scribit: « Nunc vero ita inter Deum et homines mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret. » Ex his colligimus, Christum ante Incarnationem improprie tantum potuisse dici mediatorem, prout a Ss. Patribus, praesertim antiquioribus, praedicatur, quatenus nempe spectabatur ut internuncius ac interpres divinae voluntatis apud homines in frequentibus illis apparitionibus, in quibus sub adspectabili specie videndum se praebuit; vel etiam quatenus Deus intuitu futurae eius mediationis et meritorum, peccata condonavit, et vitam aeternam illis impertitus est, qui in eundem Christum venturum rite credidissent (8).

Nota 2. Nihil revelationi et rationi magis repugnat, quam Christi meritum negare. Omnes enim conditiones ad meritum de condigno in Christo reperiuntur. Ad verum namque meritum de condigno requiritur ex parte *merentis*, ut sit Deo carus et viator, ex parte *actus*, ut sit honestus, liber et praemio proportionatus; et ex parte *praemiantis*, ut interveniat pactum, seu promissio. Ast Christus fuit verus homo (§ 276), Deo carissimus (9), et quamvis comprehensor esset, fuit tamen simul et viator; vitam enim terrestrem agens *habitavit in nobis* (10). Praeterea omnes illius actiones bonae et sanctae, consequenter ex gratia factae sunt, ipsemet enim dixit: *Ego quae placita sunt ei facio semper* (11): — libere quoque Patri obedivit (§ 372 etc.), et actiones eius ob dignitatem personae infiniti valoris et praemio dignissimae erant. Denique non defuerunt promissiones divinae tum respectu ipsius Redempto-

(1) Act. 20, 28. (2) Phil. 2.
(3) 1 Cor. 2, 8.
(4) Citatus a Theodoreto in Dial. 3.
(5) In Dialog. 2, in verba 1 Tim. 2, 5.
(6) L. 10, Confes. cap. 42.
(7) Ep. 165 ad Leonem Aug.
(8) Cf. Petav. l. 12, c. 3; Gazzaniga de hac sect. 2, diss. 6, c. 7; Perrone de Incarn. p. 2, c. 5, prop. 2.
(9) Matth 17, 5
(10) Io. 1, 14
(11) Io. 8, 29.

ris (1), tum respectu nostri, quibus salus promissa est (2). Recte autem Theologi docent, Christum meruisse a primo conceptionis instanti usque ad extremum vitae suae terrestris seu mortalis spiritum et non ultra. Nam Hebr. X, 5, etc. de Christo dicitur: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam, et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi... tunc dixi: Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Ergo iuxta Apostolum ingrediens mundum, id est, in primo instanti suae conceptionis, obtulit se Deo Patri, ut vita et morte sua impleret voluntatem eius de redemptione generis humani: haec autem oblatio utique fuit meritoria; et ideo subdit Apostolus: *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Quoniam autem ad meritum necessario requiritur status viae, et Christus post mortem non fuit amplius viator, ideo post emissum in cruce spiritum non amplius meruit; unde de se ipso dicit: *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est; venit nox quando nemo potest operari* (3); ubi per diem intelligitur tempus vitae, et per noctem tempus mortis. Quamvis ergo Apostolus de Christo dicat: *Resurrexit propter iustificationem nostram* (4); nullatenus inde inferri potest, eum per resurrectionem vere aliquid nobis meritum esse; nam particula *propter* non significat ibi causam meritoriam, sed causam exemplarem nostrae iustificationis, quia repraesentabat nostram resurrectionem ad vitam gratiae. Et licet Christus sedens ad dexteram Patris *interpellet pro nobis*, ut inquit idem Apostolus (5), non inde sequitur, eum novis meritis apud Patrem pro nobis interpellare, sed solum antiquis suae passionis meritis gratias nobis impetrare. Caeterum Christus meruit per omnes actus humanitatis, non vero per actus divinitatis, quod ex dictis colligitur (6).

(1) Ps. 2, 8; Is. 53, 1-10.
(2) Io. 3, 14 etc.
(3) Io. 9, 4.
(4) Rom. 4, 25.
(5) Rom. 8, 34, et Hebr. 7, 25.
(6) Cf. Gazzaniga de inc. sect. 2, diss. 4, c. 5, prop. 2; Th. ex Ch. I. c. 2.

III. *Actualis participatio de effectibus Redemptionis quibusdam conditionibus adimplendis est alligata.*

§ 378. Etsi satisfactio Christi exhauriendis omnibus delictis et poenis sufficiens, quin et superabundans sit, et merita Christi, quibus gratiarum dona, ipsamque aeternam beatitudinem nobis comparavit, infiniti valoris sint: attamen, ut homines istorum Redemptionis effectuum participes reddantur, seu ut remissionem peccatorum ac aeternam beatitudinem actu consequantur, conditiones quaedam ab ipsis adimplendae sapientissime a Deo constitutae sunt. — Equidem de istis conditionibus in quarta Theologiae theoreticae parte fusior sermo recurret, cum de iustificatione, de merito bonorum operum et de Sacramentis agendum erit: sed tamen hic eadem de re aliqua breviter dicenda sunt, tum ut difficultates, quae propositae iam doctrinae opponuntur, facilius pleniusque diluantur, tum ut pro doctrina inferius tradenda praecipua saltem fundamenta ponantur. — Christus itaque non iam ita homines redemit, ut quasi pathologico, seu necessario modo a peccatis purgati ad salutem trahantur, sed ut tanto beneficio homines digni reddantur, conditiones quasdam a Deo sapientissime praescriptas adimplere tenentur. Infantes quidem rationis usu carentes per baptismum a peccato originali purgantur aeternamque beatitudinem consequuntur. Quamvis

autem Sacramenta baptismatis et poenitentiae ad iustificandos adultos instituta sint; attamen ut isti saluberrimos redemptionis fructus percipiant, nempe ut remissionem peccatorum et aeternam beatitudinem consequantur, variae in ipsis dispositiones requiruntur. Primo enim fidem in Christum concipere, et firmiter credere debent, quae a Deo revelata sunt: deinde de praeteritis culpis poenitere, vitam emendare et charitatem, seu seriam divina mandata observandi voluntatem habere tenentur, quia solummodo peccata fugientibus, et iuxta Christi doctrinam vitam suam instituentibus beatitudo aeterna promissa est. Hisce praecipue conditionibus actualem de Redemptionis effectibus participationem alligatam esse, ex S. Scriptura, ex Traditione et ratione theologica probari potest.

1. *S. Scriptura* ante omnia fidem in Christum exigit, ut per Christum iustificatio et salus aeterna obtineantur. Ipsemet divinus Redemptor ait: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (1); et addit: *Qui credit in Filium habet vitam aeternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (2). Marc. XVI, 16 inquit: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Hinc etiam Paulus dicit: *Sine fide impossibile est placere Deo* (3): ergo sine fide etiam impossibile est iustificari et salutem aeternam consequi. Fides ergo in Christum et in ea, quae ab ipso revelata sunt, est primaria conditio ad actu de saluberrimis Redemptionis effectibus participandum. Fides autem talis esse debet, ut cum charitate coniuncta sit, quae hominem impellat ad vitam emendandam, ad mandata divina observanda, seu ad opera bona exercenda. Nam legitur: *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa* (4). Et Paulus ait: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur* (5). Ideo in S. Scriptura ad peccatoris iustificationem vera cordis conversio, emendatio vitae, seu ex statu immorali ad moralem transitus requiritur. Et tantum abest, ut opus Redemptionis a poenitentia eximat, ut potius ipse adventus Redemptoris tanquam motivum poenitendi proponatur. Praecursor enim Domini praedicans in deserto Iudaeae omnibus acclamavit: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelorum* (6). Ipseque Christus *coepit praedicare, et dicere: Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelorum* (7). Et: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* (8). Petrus quoque ait: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum* (9); et: *Poenitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra* (10). Clarissime etiam in S. Scriptura traditur, non obstantibus infinitis Christi meritis, homines mandata divina servare et bona opera exercere debere, ut vitam aeternam consequi possint. Matth. XIX, 16 etc. Christus adolescenti interroganti:

(1) Io. 3, 14 etc. (2) Ibid. v. 36.
(3) Hebr. 11, 6. (4) Iac. 2, 17.
(5) Gal 5, 6. (6) Matth. 3, 2.
(7) Matth. 4, 17. (8) Luc. 13, 3.
Act. 2, 38. (10) Act. 3, 19.

Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Io. XIV, 23 etc. Christus discipulis suis dicit: *Manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in dilectione eius.* Matth. XXV, 34 etc.: Supremus Iudex bona opera exercentibus vitam aeternam impertitur, et eadem negligentibus supplicium aeternum infert. Hinc Petrus scribit: *Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (1). Paulus dicit: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur* (2). Et Ioannes inquit: *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam iustus est, sicut et ille iustus est* (3).

2. *Ss. Patres* tanquam necessariam ad iustificationem et aeternam salutem obtinendam conditionem statuunt fidem et charitatem. *S. Ignatius M.* (4) ait: « Fides est initium, charitas vero finis vitae verae christianae; » et Ep. ad Smyrn. c. 6 dicit: « Nemo seipsum seducat... Fides et charitas, quibus nihil praeponendum est, totum conficiunt. Cavete autem ab illis, qui aliam de gratia Iesu Christi sententiam habent, videte, quomodo menti Dei repugnant: charitatem non curant etc. » *S. Hermas* (5) haec habet: « Ideo te (o Pastor) interrogo, quia peccator sum, ut sciam, quid mihi faciendum sit ut vivam, quoniam peccata mea multa sunt. Et ipse dixit mihi: Tu vives, si praecepta mea observes. Qui praecepta haec audit et facit, vivet Deo. » *S. Irenaeus* (6) ait: « Adhuc etiam manifestavit (Iesus), oportere nos cum vocatione et iustitiae operibus adornari, ut requiescat super nos Spiritus Dei; » et (7): « Quoniam sine spiritu Dei salvari non possumus, adhortatur nos Apostolus, per fidem et castam conversationem conservare Spiritum Dei, ut non participatione Spiritus sancti privati amittamus regnum coelorum. » *S. Athanasius* (8) ita loquitur: « Quandoquidem fidem habes (in Iesum Christum), et pius es, o Christi amator, gaude, et certo spera tuae pietatis et fidei fructum, si modo anima, ut eius leges praescribunt, adornata fuerit. Ut enim illorum, qui secundum eius praecepta vivunt, merces est vita aeterna: ita qui contrariam semitam elegerint, nec viam virtutis fuerint secuti, probrum ingens et inevitabile periculum in die iudicii subituri sunt, quia his, quae per fidem noverant, contraria egerunt. » *S. Hilarius* (9) ait: « De nostro beata illa aeternitas promerenda est; praestandumque est aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus, totoque affectu praeceptis coelestibus obtemperemus; » et (10) addit: « Dominus nos voluit et efficere quae iussit, et credere quae spopondit. » *S. Basilius* (11) scribit: « In primis vos adhortor, ut fidei Patrum memores sitis, illud scientes, neque accuratam vitam, si fide in Deum illuminata non sit, per seipsam prodesse, neque rectam fidei confessionem, si bonorum operum sit expers, commendare nos Deo posse; sed necesse esse utrumque concurrere..... *fides* enim, quae salvos nos facit, ea est, ut ait Apostolus, *quae per charitatem operatur.* » *S. Gregorius Naz.* ita (12) praeclare

(1) 2 Ep. 1, 10. (2) Rom. 2, 13.
(3) 1 Ep. 3, 7. (4) Ep. ad Eph. c. 14.
(5) Mandat. 4, c. 2.
(6) L. 4 adv. haer. c. 36, n. 6
(7) L. 5, c. 9, n. 3 (8) Or. c. Gent. n. 47.
(9) Comment. in Matth. c. 6, n. 5.
(10) N. 7. (11) Epist 295.
(12) Or. 2, n. 17.

disserit: « Anima per concertationem et colluctationem cum rebus inferioribus ad supernae gloriae haereditatem perveniat... eaque, quae in spe posita sunt, non solum ut Dei donum, sed etiam ut virtutis praemium obtineat. Atque hoc ipsum erat summae bonitatis efficere, ut bonum esset quoque nostrum, non natura tantum insertum, sed etiam per voluntatem liberique arbitrii in utramque partem motiones excultum. » *S. Ambrosius* (1) ait: « Scriptura vitam beatam in cognitione posuit divinitatis, et fructu bonae operationis... Gravius est scire quid facias, nec fecisse, quod faciendum cognoveris. Contra quoque strenuum esse in operibus, affectu infidum, ita est, ac si vitioso fundamento pulcra culminum velis elevare fastigia; quod quo plus struxeris, plus corruet, quia sine munimento fidei bona opera non possunt manere. » *S. Chrysostomus* (2) dicit: « Non sufficit nobis ad salutem sola rectorum dogmatum scientia, sed opus est vita quoque optima, ut per omnia gloriam Deo deferentes promissa bona consequamur. » *S. Hieronymus* (3) inquit: « Oleum habent virgines, quae iuxta fidem et operibus adornantur. Non habent oleum, quae videntur simili quidem fide Dominum confiteri, sed virtutum opera negligunt. » Et Comment. in Ep. ad Tit. (4) scribit: « Qui ista vera esse crediderint, necesse est curam habeant bonorum operum, per quae haereditas Dei et spes vitae praeparatur aeternae. » *S. Augustinus* (5) haec habet: « *Declina a malo et fac bonum*, et cum hoc feceris securus expecta vitam: et tunc bona fronte dices: Domine, feci quod iussisti, redde quod promisisti? » et (6) de verbis Apost. ait: « A fide incipit homo, sed quia et daemones credunt, necesse est addere spem et charitatem. » *S. Cyrillus Alex.* (7) ita loquitur: « Qui ad fidem bonorum quoque operum inculpatam pulcritudinem adiunxerint, seque instar vestis amictu virtutum splendido exornaverint, inibunt unacum sponso convivium, sanctaeque et spiritualis celebritatis participes erunt Qui vero praeter fidem nihil attulerint, haeserintque in sordibus improbitatis, neque veterum criminum maculas eluerint, arcebuntur hi penitus a sacris nuptiis, suamque ipsi segnitiem lugebunt; ingressi siquidem sunt non habentes vestem nuptialem (8). » — *S. Leo. M.* (9) ait: « Quamvis Deus omnium bonorum sit ipse largitor, tamen nostrae etiam quaerit fructum industriae. Non enim dormientibus provenit regnum coelorum, sed in mandatis Dei laborantibus et vigilantibus. » *S. Gregorius M.* (10) scribit: « Constat, quia post Incarnationem Domini nullus etiam ex his salvari potest, qui fidem illius tenent et vitam fidei non habent. » — *S. Anselmus* (11) inquit: « Per crucem noster Christus nos redemit. Qui ergo ad hanc gratiam volunt cum digno affectu accedere, salvantur. Qui vero illam contemnunt, quia debitum, quod debent, non reddunt, merito damnantur. » Et *S. Thomas* (12) dicit: « Passio Christi sortitur effectum suum in illis, quibus applicatur per fidem, et charitatem, et per fidei sacramenta. »

3. Homo creatus, multisque donis naturalibus et supernaturalibus praeditus fuit, ut Deo serviat mandatis

(1) L. 2 de Offic. c. 2.
(2) Hom. 9 ex ante ineditis n. 4.
(3) Comment. in Matth. c. 25.
(4) C. 3, v. 8.
(5) Serm. 39 de verbis Domini.
(6) Serm. 16.
(7) Hom Pasch. 24.
(8) Matth. 22, 11-14.
(9) Serm. 2 de Epiph.
(10) L. 7. Epist. 15.
(11) Medit. de Redempt. lib. 1, c. 4.
(12) 3. q. 49. art. 3 ad 1.

eius libere obtemperando, et sic aeternam beatitudinem consequatur (§ 202). Hanc esse hominis destinationem etiam recentiores Philosophi admittunt, qui ex ipsis nativis hominis facultatibus et stimulis probant, finem hominis perfectam esse moralitatem, per quam correspondens felicitas obtinetur (Cf. Th. gen. § 41). — Ast per peccatum originale homo in tristissimum statum delapsus et nobilissimo suo fini obtinendo impar factus est (§ 215 et 219 etc.). — Christus vero Redemptor venit, ut tanto hominum malo mederetur, naturam eorum corruptam repararet, salutis obstacula, nempe peccata, tolleret, et auxilia efficacissima meritis suis comparavit, quibus homines suffulti etiam in statu naturae lapsae finem suum consequi possint. — Nullatenus ergo Christus Redemptione sua divinum de hominis destinatione decretum aut abolevit, aut immutavit. Quamobrem homo etiam post infinitam satisfactionem a Christo praestitam tenetur ad perfectam moralitatem tendere, Deo servire mandatis eius libere obtemperando, imo et salutis media a Christo sibi comparata solerter adhibere, ut sic ad aeternam beatitudinem pervenire possit. — Quinimo si immobiliter finis hominis in perfecta moralitate consistit, per quam vera felicitas est obtinenda: quoniam divina providentia (§ 256 etc.) sicut in mundo physico, ita et in mundo morali (§ 260) omnia ad finem a se creaturis praefixum sapientissime et efficacissime ordinat: pleno iure adseveratur, integram Redemptionis oeconomiam ita institutam, ut per illam finis hominis, nimirum moralis perfectio, seu sanctitas vitae non solum non impediatur, sed promoveatur. Et sane - cum per ipsam Redemptionem a Christo peractam nova nobis charitatis erga Deum ferendae motiva proposita, mediaque efficacia, quibus etiam in statu naturae reparatae recte vivere possumus, nobis subministrata sint: tantum abest, ut per merita Christi ab obligatione ad moralem perfectionem tendendi, et a strenuo bonorum operum ac virtutum exercitio liberemur, ut potius ad utrumque magis magisque excitemur, et compellamur.

Nota. Homines non pathologico, seu necessario quodam modo per Christum ad salutem pertrahi, etiam *Protestantes* admittunt: ast pro conditione ad participandum de effectibus Redemptionis requisita solam assignant fidem, qua quis firmissime persuadet, per merita Christi sibi remitti peccata. De palmari hoc errore in tractatu de iustificatione fusior sermo instituendus erit, ubi etiam difficultates solventur, quae doctrinae catholicae opponuntur. — Interim ex ratione theologica mox allata duo summa principia recte inferuntur. Falsa est illa de redemptione et meritis Christi doctrina, quae ita proponitur, ut homines a moralis perfectionis studio et bonorum operum exercitio potius retardentur, quam ad utrumque exstimulentur. Vera autem est illa de redemptione et meritis Christi doctrina, iuxta quam non solum obligatio ad moralem perfectionem tendendi integra manet, sed etiam verae sanctitatis studium, bonorumque operum ac virtutum exercitium efficaciter promoventur.

IV. *Redemptio est universalis, quia Christus pro omnibus hominibus mortuus est.*

§ 379. Haec propositio, quae variis modis impugnata fuit, primo declaranda est, ut appareat, quid ab omnibus, qui caeteroquin recte de Christo redemptore sentiunt, admittatur, quid

vero a nonnullis negetur. Christus enim multiplici sensu dici pro omnibus mortuus potest, quia iuxta *S. Thomam* (1) ipsa passio Christi varias rationes habet: est enim *satisfactio, sacrificium, redemptio, meritum*, et *causa efficiens respectu salutis hominum*. Si passio Christi consideratur ut *satisfactio*, absque dubio Christus pro omnibus hominibus nullo prorsus excepto mortuus est, quia quidquid offensae ab hominibus in Deum commissum est, morte sua, qua Deum multo amplius glorificavit, abundantissime compensavit. Rursum quia etiam ratio *sacrificii* honorem Deo tamquam primo principio ac supremo Domino respicit: consentientibus omnibus, Christus omnium hominum personam sustinens morte sua Deo honorem divinae maiestati aequalem exhibuit, et hoc etiam pacto pro omnibus, omnino nullo prorsus excepto, mortuus est, quia sacrosancto Crucis sacrificio Deo multo maiorem honorem detulit, quam omnes omnino homines ipsi exhibere possent. — Advertendum autem est, quod sicut priores istae duae rationes satisfactionis et sacrificii Deum respiciunt, ita duae posteriores principalius ad hominem referuntur; nam per passionem Christi, uti est *redemptio*, homo a peccatis, a captivitate daemonis et ab aeterna morte liberatur: per passionem vero Christi, uti est *meritum*, homo supernaturalium gratiarum et aeternae beatitudinis particeps redditur. Redemptio autem ac meritum Christi duplici ex parte considerari possunt, nimirum vel ex parte valoris, quem redemptio ac merita Christi habuerunt, vel ex parte voluntatis et charitatis Christi, ex qua illa ortum duxerunt. Iam vero si valorem pretii et dignitatem meriti respiciamus, cum haec ex redimentis et promerentis infinitate (qui et ipse pretium erat), infinitam quamdam pretiositatem consequerentur, quis dubitet, ad omnes homines redimendos, et ad promerendas omnibus et singulis quascumque gratias sufficientissima fuisse? — Illi tantum hac de re dubitare possunt, qui divinitatem Christi, aut unam in ipso personam negant. — Restat ergo, ut redemptio et meritum ex parte voluntatis et charitatis Christi, ex qua integrum redemptionis opus ortum duxit, et iuxta quam eiusdem extensio mensuranda est. Quis autem negabit, charitatem Christi immensam fuisse, qua impulsus ut quaereret et salvum faceret, quod perierat (2), semetipsum exinanivit, formam servi accepit, et obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis (3)? — At nihilominus de Christi voluntate et charitate nonnulli male senserunt, et ideo Redemptionis extensionem maxime coarctarunt. Ita iam saeculo V *Lucidus* Presbyter in Galliis docuisse dicitur, Christum pro illis dumtaxat mortuum esse, qui absoluto Dei decreto praedestinati sunt, nullo modo autem pro illis, qui absoluto Dei decreto reprobati sunt. Eiusdem erroris saeculo IX insimulatur a multis *Gothescalcus* monachus Orbacensis. Praecipue autem *Calvinus* pravam hanc doctrinam propugnavit docens, supposito saltem peccato originali, aliquos absolute praedestinari, et alios absolute reprobari, atque Christum pro illis, non autem pro his, mortuum esse. Similem doctrinam *Iansenius* proposuit, qui, licet admitteret, Christum pro reprobis temporales quasdam gratias, seu auxilia quaedam, quibus ad tempus iustificarentur et bene viverent, promeritum esse; negavit tamen, Chri-

(1) 3 q. 48 (2) Luc. 19, 10. (3) Phil 2.

stum pro aeterna eorum salute mortem subisse et sanguinem fudisse. — Erroribus istis opponitur doctrina catholica, quae dicit, Christum non quidem quoad eventum, sed tamen quoad intentionem non tantum pro praedestinatis, sed pro omnibus omnino et singulis hominibus mortuum esse. Vere etenim Christus ita mortuus est pro omnibus omnino hominibus, ut vera et sincera voluntate mortem oppetierit, eamque Patri obtulerit pro omnium redemptione et salute aeterna, ex quo sequitur, adesse singulis hominibus beneficio Christi sufficientem gratiam, qua possint salutem consequi. Haec doctrina *ex S. Scriptura, ex Traditione*, et *ex rationibus theologicis* probatur.

1. In *S. Scriptura* clarissima testimonia inveniuntur, quae evincunt, Christum pro omnibus mortuum esse, et quidem ea voluntate et intentione, ut omnes a peccatis liberentur, et salutem aeternam consequantur. Voluntatem illam et intentionem Christus ipse manifestavit, dicens: *Venit Filius hominis salvare quod perierat* (1). Omnes autem homines per peccatum originale perierant, ergo ad omnes homines salvos faciendos Christus ut redemptor venit. Ex eadem intentione se a Patre missum esse Christus profitetur, dicens: *Sic Deus dilexit mundum* (universum nempe genus humanum), *ut Filium suum unigenitum daret* (scilicet in mortem (2)); *ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (3). Sensus apertus est, Christum eo consilio morti esse traditum, ut omnis, quicunque conditiones requisitas adimplere, nempe fidem, quae per charitatem operatur concipere voluerit, salutem consequi possit, adeoque neminem a salute exclusum esse. Paulus Rom. V, 18 delictum Adae confert cum redemptione Christi quoad extensionem, et ostendit, quod sicut illius praevaricatio omnes inficit, ita et Christi redemptio omnes complectitur, his verbis: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae;* cum autem certum sit, non omnes homines per Christum actu iustificari, et ad vitam pervenire: verba Apostoli, ne falsitatis arguantur, ita intelligenda sunt, quod redemptio Christi ea intentione facta sit, ut omnes prorsus homines, dummodo debitas conditiones adimpleant, iustificationem et vitam consequi possint. II Cor. V, 14 idem Apostolus infert, omnes esse mortuos peccato Adami, quia Christus mortuus est pro omnibus; ait enim: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. et pro omnibus mortuus est Christus;* iuxta quae verba Christus mortuus est pro iis omnibus qui mortui sunt in Adamo, sed omnes et singuli homines (excepta B. V. Maria) mortui sunt in Adamo: ergo pro omnibus et singulis hominibus mortuus est Christus. Quod autem ea intentione pro omnibus mortuus sit, ut omnes salutem aeternam consequi possint, patet ex verbis subsequentibus: *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit* (4). — Ergo propter mortem Christi omnes Christo vivere, adeoque gratiam et gloriam consequi possunt. Ideo dicitur: *Christus dedit semetipsum re-*

(1) Matth. 18, 11; Cf. Luc. 19, 10.
(2) Io. 3, 15. (3) Ib. 3, 16 et 17.
(4) 2 Cor. 5, v. 15

demptionem pro omnibus (1); et: *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium; maxime fidelium* (2); quibus verbis Christus dicitur Salvator *maxime fidelium*, quoniam isti iam iustificati copiosiores gratias percipiunt; sed dicitur *Salvator omnium hominum*, ergo etiam infidelium, qualis non esset si pro his sanguinem non fudisset, et eos salvandi nullam voluntatem et intentionem habuisset. Huc etiam spectat locus Hebr. II, 9: *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem;* quibus verbis Christus glorificatus dicitur, quia ex gratuita Dei bonitate, et propria charitate *pro omnibus* passus, et mortuus est. Denique idem confirmatur testimonio S. Ioannis I Ep. II, 2, ubi de Christo dicitur: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;* quibus verbis manifeste nil aliud vult Apostolus edisserere, quam Christum non tantum pro fidelibus, sed pro omnibus omnino hominibus se hostiam piacularem Deo Patri obtulisse: quapropter ib. ait: *Nos vidimus, et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi* (3).

2. *Ss. Patres* passim docent, Christum pro omnibus et singulis hominibus mortuum esse, ita ut omnibus gratias sufficientes promeruerit, quibus salutem aeternam consequi possent. *S. Clemens Rom.* (4) scribit: « Consideremus sanguinem Iesu Christi, et agnoscamus, quanti Deus huius sanguinem aestimet, qui pro nostris peccatis, et pro nostra salute effusus est, et toti humanitati (universo generi humano) gratiam poenitentiae attulit. » *S. Iustinus M.* (5) ait: Christus « nasci et crucifigi voluit - pro genere humano, quod Adami causa in mortem et fraudem serpentis ceciderat; » et (6) docet, Christum iuxta voluntatem Patris pro genere humano passum esse, ex quo infert, Iudaeos, si de peccatis doleant, in Christum credant, et eius mandata observent, remissionem peccatorum consecuturos esse, eosdem autem, si non convertantur, ut iniustos et peccatores puniendos esse. — *Clemens Alex.* (7) quaerit: « Quomodo autem est Servator et Dominus (Filius Dei), si non est omnium Servator et Dominus?... Servator, propter suam excellentem benignitatem et in hominem charitatem, non despecta humanae carnis imbecillitate, sed ea indutus ad communem venit hominum salutem. » *Origenes* (8) inquit: « In hoc corrigendi negotio omnes illos (Moysen et Prophetas) longe superavit Iesus, qui non unius terrarum anguli incolas, sed omnes undique quantum in se fuit, sanatos voluit. Venit enim, ut omnium hominum Salvator esset. » *S. Cyprianus* (9) daemonem adversus Christianos aeternis suppliciis addictos sic loquentem inducit: « Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis et cruoris redemi, sed nec coeleste illis regnum promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate denuo revoco etc.: » ergo iuxta mentem S. Patris, quae daemon non fecit pro suis, Christus fecit pro hominibus, et quidem etiam pro illis, qui ex propria culpa damnantur; ex quo patet,

(1) 1 Tim. 2, 6. (2) 1 Tim. 4, 10.
(3) 4, 14. — Cf. Io. 4, 42.
(4) Ep. 1, ad Corinth. n. 7.
(5) Dial. c. Tryph. n. 88. (6) N. 95.
(7) L. 7. Strom. c. 2. (8) L. 4, c. Cels. n. 4.
(9) Tract. de opere, et eleem.

Christum non pro praedestinatis tantum, sed etiam pro reprobis mortuum esse.— *S. Hilarius* (1), agens de exprobratione illa, quam in oppida Corozain et Bethsaida distrinxit Dominus, haec subiicit: « Quod ab illis coeptum, necesse est, ut in omnes eiusdem criminis par fiat: et tunc humano generi exprobret non poenitenti, nec in viam evangelicam pergenti, id quod in Psalmo XXIX, 10 continetur: *Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Exprobrat enim superbis, et maledictis, cur nihil in sacramento sanguinis sui atque mortis utilitatis suae esse existimarunt, cum ille nostri causa et natus, et passus, et mortuus sit.» *S. Gregorius Naz.* (2) inter beneficia divina omnibus impensa numerat « ipsos Christi cruciatus, per quos omnes citra ullam exceptionem restaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus, atque a serpente in fraudem lucti, et per peccatum morte affecti, ac per coelestem Adamum saluti restituti, atque ad vitae lignum, unde exciderамus, per ignominiae lignum revocati sumus. » Idem (3) canit: « Una lex, unus Deus, vocatio eadem: omnes pariter salvos fieri Christus carne exutos vult. » — *S. Cyrillus Hier.* (4) inquit: « Cum benignus sit Dominus non unam, neque alteram tantum, sed multas aeternae vitae ianuas aperuit, ut omnes, quantum in ipso est, absque impedimento illo potiri possent.» *S. Chrysostomus* (5) ait: « Quamquam non omnes lucraturus esset Christus, attamen pro omnibus mortuus est, quod suum erat implens.» Idem (6) in verba Pauli: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* docet, Christum non solum pro omnibus, sed pro unoquoque mortuum esse, ita ut quilibet verbis Pauli uti possit; ac ideo passionem Christi comparat prandio illi evangelico (7), « quod omnibus quidem paratum fuerat, sed quoniam venire noluerunt, qui erant invitati, non proposita fercula subtraxit, sed alios invitavit.» Et Hom. 16 in Ep. ad Hebr. n. 2 ita disserit: « *Oblatus ad multorum exhaurienda peccata:* cur multorum et non omnium? quia non omnes crediderunt. Pro omnibus quidem est mortuus, ut omnes servaret, quantum ad ipsum attinet. Mors quidem illa ex aequo respondebat omnium interitui, non exhausit autem et sustulit omnium peccata propterea, quod ipsi noluerint.» *S. Ambrosius* lib. de Paradiso (8) haec habet: « Venerat Dominus Iesus omnes salvos facere peccatores: etiam circa impios ostendere debuit suam voluntatem... Quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluit liberare.» Lib. 2 de Cain et Abel (9) ait: « Ideo omnibus opem sanitatis detulit, ut quicunque perierit, mortis suae causas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, quo posset evadere: Christi autem manifesta in omnes praedicetur misericordia, eo quod ii, qui pereunt, sua pereant negligentia; qui autem salvantur, secundum Christi sententiam liberentur, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.» Et lib. 3 de Offic. (10) inquit: « Christus quoque, qui pro omnibus mortuus est, mercedem suam evacuatam dolebit. » *S. Hieronymus* (11) dicit: « Solus inventus est (Christus), qui ut immaculata hostia pro omnibus, qui erant in pec-

(1) Comment. in Ps. 118.
(2) Or. 33 (al. 25) n. 10.
(3) Carm. 44, v. 19 et 20. (4) Catech. 18.
(5) Hom. 26 in Ep. ad Rom. n. 1.
(6) Comment. in Gal. 2, 20.
(7) Luc. 14, 16. (8) Cap. 8. (9) C. 3.
(10) C. 3. (11) Comment. in 2 Cor. c. 5.

catis mortui, offerretur. » Et in epistola ad Oceanum scribit (1): « Mentitur Ioannes Baptista et digito Christum, et voce demonstrans: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, si sunt adhuc in saeculo, quorum Christus peccata non tulerit. » Eandem doctrinam proponit *S. Augustinus*, quem ad partes suas invitum et obtorto collo trahit Iansenius. Nam S. Doctor (2) dicit: « Venit Redemptor et dedit pretium, fudit sanguinem suum, emit orbem terrarum. Quaeritis quid emerit, videte quid dederit, et invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est: tanti quid valet? quid nisi totus orbis, quid nisi omnes gentes? » — et (3) haec addit: « *Iudicabit orbem terrae in aequitate:* non partem, quia non partem emit. Totum iudicare habet, quia pro toto pretium dedit. » Christus autem iudicaturus est vivos et mortuos, electos et reprobos: ergo pro his et illis pretium dedit. Tract. 12, in Ioan. n. 12 scribit: « Quantum in medico est, sanare venit aegrotum. Ipse se interimit, qui praecepta medici observare non vult. Venit Salvator in mundum: quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut iudicet mundum? Salvari non vis ab ipso? ex te iudicaberis. » Et lib. 20 de Civ. Dei c. 6 n. 1 ait: « Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive originalibus, sive etiam voluntate additis vel ignorando, vel sciendo nec faciendo, quod iustum est: et *pro omnibus mortuis* vivus mortuus est unus, id est, nullum omnino habens peccatum. » Ne autem Ianseniani dicant per τὸ *omnes* intelligi tantum omnes electos, non autem omnes et singulos homines etiam reprobos; idem S. Doctor, Enarr. 2 in Psalm. LXVIII, inquit: « Iudas traditor punitus est, et Christus crucifixus est. Sed nos redemit sanguine suo, et punivit illum de pretio suo. Proiecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat; nec agnovit pretium, quo *ipse* a Domino redemptus erat. Factum est hoc in Iuda. » Ergo iuxta *S. Augustinum* Iudas, non electus utique sed reprobus, redemptus fuit a Christo. Ergo omnes homines, etiam reprobi a Christo redempti sunt, redemptione quamvis infructuosa ex eorum malitia, non ob defectum redimentis. Hoc idem docet *S. Prosper*, fidelissimus S. Augustini discipulus; nam (4) ita disserit: « Cum rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanae naturae susceptionem et propter communem in primo homine omnium perditionem; potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit... Dedit pro mundo sanguinem suum, et mundus redimi noluit. » *S. Leo M.* (5) inquit: « Dominus noster peccati mortisque destructor, sicuti nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. » Et (6) Iudaeos alloquens ait: « Tanta est bonitas nostri Redemptoris, ut etiam vos possitis consequi veniam, si Christum Dei Filium confitendo illam parricidalem malitiam relinquatis. Non enim Dominus in cruce frustra oravit, dicens: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Quod remedium nec te, Iuda! transiret, si ad poenitentiam confugisses, quae te revocaret ad Christum, non quae instigaret ad laqueum. » — *S. Thomas* (7) explicans

(1) Ep. 57, n. 1. (2) En. in Ps. 95, n. 5.
(3) Ibid. n. 15.
(4) In Responsione ad 9 capit. Gallorum.
(5) Serm. 1 de Nativ. c. 1.
(6) Serm. 1 de Pass. Dom.
(7) Lect. 1, in c. 2, Ep. I ad Timoth.

illud, *ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, haec habet: « pretium sanguinis eius est sufficiens ad salutem omnium: sed non habet efficaciam nisi in electis propter impedimentum » scilicet hominum, qui Dei voluntati resistunt. Idem (1) ait: « Quod omnes homines non reparentur, non est ex insufficientia medicinae reparantis, cum sit sufficiens quantum in se est ad reparandum omnes, qui naturam humanam habent, aut habere possunt; sed ex defectu eorum, qui reparationis effectum in se impediunt. » Et Comment. in Matth. 26, explicans verba Christi: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur*, ita loquitur: « et pro multis, et pro omnibus, quia si consideretur sufficientia, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, et non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi: sed si consideremus effectum, non habet effectum nisi in his, qui salvantur, et hoc est ex culpa hominum. »

3. *In Conciliis* quoque eadem doctrina proposita fuit. *Nicaenum I* in Symbolo profitetur: *Credimus - in Iesum Christum, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelo, et incarnatus est, et homo factus, passus est et resurrexit;* quibus verbis sine restrictione Christus propter hominum salutem incarnatus et passus dicitur: unde huic publicae fidei professioni aperte contradicunt et adversantur, quotquot mortem Christi ad aliquos tantum, solos nempe praedestinatos, limitant ac restringunt. In Concilio *Arelatensi*, anno 475, lecta et probata fuit Fausti Regiensis Episcopi ad Lucidum presbyterum epistola, in qua sex ipsi proponit erroris capita revocanda. Sextum istud est: *Anathema illi, qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes salvos esse velit.* In Concilio *Moguntino II*, anno 848, propter sententiam oppositam, quam defendebat, damnatus est *Godeschalcus*. In Conventu *Carisiaco*, anno 853, capitulum 4 dicit: *Christus Iesus Dominus noster, sicut nullus hominum est, fuit vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit; ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur:* hoc vero adscribitur culpae hominum, seu defectui *fidei, quae per dilectionem operatur*, ac demum additur: *poculum humanae salutis, quod confectum est infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.* Concilium *Tridentinum* (2) dicit, Christum a Patre missum esse *ad homines, ut et Iudaeos, qui sub lege erant, redimeret, et gentes, quae non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Et (3) sic pergit: *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur;* ex quibus verbis hoc argumentum deducit *Cl. Perrone* (4): « Certe, si qui sunt, pro quorum salute Christus non est mortuus, sunt ii, quibus meritum passionis eius non communicatur; atqui ex Tridentino etiam pro istis mortuus est Christus; ergo quum Tridentinum ait, Christum pro omnibus mortuum esse,

(1) L. 3 sent. dist. 20, q. 1, a 1, q. 1 ad 2.

(2) Sess. 6, de iustific. c. 2. (3) Cap. 3.
(4) Tract. de Deo p. 3. c. 2, n. 484.

manifeste intelligit omnes omnino, nemine prorsus excepto.» Definitionibus Conciliorum iungenda sunt decreta Rom. Pontificum, qui condemnarunt propositiones Iansenii, quarum quinta sic sonat: « *Semipelagianum est*, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. » *Innocentius X* hanc propositionem damnavit tanquam *falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem et haereticam.* Hanc condemnationem confirmarunt *Alexander VII, Urbanus VIII et Clemens XI.*

4. *Ratio* per fidem illustrata pro eadem doctrina argumenta suppeditat. *a*) Certum est, humanam Christi voluntatem perfectissime conformem fuisse voluntati Patris, unde absque dubio ita passionem suam et mortem ad salutem hominum ordinavit, prouti eandem vult aeternus Pater. Ipsa autem S. Scriptura testatur, Deum vere et sincere velle omnes et singulos homines salvos fieri. Nam Sap. XI, 24 etc. dicitur: *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. Diligis enim omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti... Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* Petrus ait: *Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti* (1). Paulus (2), cum dixisset, orationes faciendas esse pro omnibus hominibus, etiam pro regibus, qui tunc erant gentiles, mox subiungit: *Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (3). Haec testimonia biblica luculenter ostendunt, Deum vere et sincere velle, ut omnes homines salvi fiant, ac illos solos damnandos esse, in quibus necessariae ad salutem obtinendam conditiones deficiunt. Ergo etiam Christus ea sincera voluntate et intentione mortuus est, ut per ipsius passionis merita omnes salvari possint, dummodo ex parte hominum impedimenta non obsistant. *b*) Si Christus pro omnibus mortuus non esset, actum foret de fundamento et certitudine spei theologicae, quae tamen sicut fides et charitas omnibus praecepta est, quamque saepius in vita elicere tenemur. Si enim certi non sumus, Deum quantum est in se, serio velle omnes ac singulos homines salvos fieri, neque Iesum Christum Advocatum et Redemptorem nostrum sanguinem suum fudisse, ut illius intuitu gratiae nobis conferantur, quibus aeternam salutem consequi possimus; quonam pacto firmissime sperare possemus auxilia vere sufficientia, aut sine illis aeternam gloriam nos adepturos? Merito omnino timendum nobis semper foret, ne nos pariter ex illorum numero simus, quibus Christus temporarias tantum quasdam gratias promeruit, non autem tales, quibus aeterna salus actu obtineri queat. *c*) Cum Deus omnia ad gloriam suam operetur (§ 141), et ad moralitatem hominis promovendam omnia sapientissime dirigat (§ 260), illa de extensione Redemptionis et meritorum Christi sententia veritati conformis est censenda, in qua misericordia Dei (4) et charitas Christi (5) clarius elucescit, et per quam moralitas hominum efficacius promo-

(1) 2 Ep. 3, 9. (2) 1 Tim. 2. (3) Ib. v. 3 etc. (4) Io. 3, 16. (5) Tit. 3, 4.

vetur. Sed, iuxta communem hominum sensum, misericordia et charitas Christi maior esse cognoscitur, quae ad omnes extenditur, quam quae ad aliquos tantum restringitur, et hominum quoque moralitas melius promovetur, si dicitur, Christum omnibus aeternae salutis viam aperuisse et media praeparasse, et si tali modo inanibus excusationibus, ex defectu gratiarum petitis, viae penitus praecluduntur: ergo sententia a nobis proposita veritati conformis est censenda.

Nota 1. Christum non pro solis praedestinatis, sed etiam pro aliis, saltem fidelibus, mortuum esse, est dogma fide divina credendum. In S. Scriptura enim clare continetur. Christus ait: *Non pro eis* (Apostolis) *rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me* (1). Pro iis ergo mortuus est Christus ex sincera voluntate applicationis meritorum suorum, pro quibus oravit, ipsis Iansenianis fatentibus; atqui Christus oravit pro omnibus fidelibus, qui omnes certe praedestinati non sunt: ergo etiam mortuus est saltem pro illis quoque fidelibus, qui reprobandi sunt. I Thess. V, 9 etc. Apostolus scribit: *Non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per D. N. I. Christum, qui mortuus est pro nobis.* Nil hoc testimonio clarius: in isto enim agitur de voluntate Dei praeparationem mediorum includente, quae non tantum ad praedestinatos (neque enim omnes Thessalonicenses praedestinati erant), sed etiam ad quosdam reprobos extenditur. Rursum Rom. VIII, 31 etc. legitur: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Hic Apostolus de omnibus saltem fidelibus loquitur: sed aliqui ex fidelibus reprobantur (2), ergo pro his quoque Filius Dei traditus est, ita ut dona divina consequi possent. Sed absque omni ambage id ipsum constat ex iis, quae scribit idem Apostolus dicens: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est* (3); et: *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est* (4)? unde sic argumentamur: Fidelis ille, qui ex propria infirmitate scandalum passus ob aliorum imprudentiam vel malitiam perditur et perit, profecto non est praedestinatus; atqui, teste Apostolo, et pro isto, sicut et pro aliis, qui reipsa salvantur, Christus mortuus est: ergo ipsa S. Scriptura testatur, Christum non pro solis praedestinatis, sed etiam pro aliis, qui reprobantur, mortuum esse. In Symbolo *Nicaeno* omnibus credendum proponitur, Christum *propter nos homines et propter nostram salutem...* passum esse; quibus vocibus saltem omnes omnino fideles exprimuntur; unde de fide est, Christum mortuum esse pro omnium saltem fidelium aeterna salute: sed inter fideles etiam reprobi dantur: ergo etiam de fide est, Christum saltem pro his mortuum esse. Ideo *Innocentius X*, in constitutione ab universa Ecclesia recepta quintam Iansenii propositionem *intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit - ut haereticam* damnavit: ergo contradictoria: *Christus mortuus non est pro salute dumtaxat praedestinatorum;* est dogma fidei. — Propositio autem, quae dicit, Christum pro omnium prorsus hominum, etiam in infidelitate sua pereuntium salute passum

(1) Io. 17, 20. (2) Matth. 7, 14, et 22, etc. (3) Rom. 14, 15. (4) 1 Cor. 8, 11.

et mortuum esse, ac sanguinis sui pretium obtulisse, inter fidei dogmata recenseri non potest: attamen Cl. *Tournely*, *Thomas ex Char.*, Cl. *Perrone* et alii dicunt, sententiam asserentem, Christum pro omnibus et singulis hominibus, saltem adultis, mortuum esse, ac sanguinis sui pretium pro omnibus Deo Patri obtulisse, esse sententiam veram, piam, catholicam et fidei proximam, cui nihil deest, nisi solemnis definitio Ecclesiae. Haec est communis Theologorum doctrina, si quosdam Thomistas excipias, e. g. *Gazzaniga* (1). Thomistae enim, ut inferius dicetur, gratias sufficientes ex natura sua a gratiis efficacibus differre docent: has vero, per quas salus obtinetur, Christum solis praedestinatis promeruisse et praeparasse contendunt. Sed tamen etiam inter Thomistas quidam communi sententiae favent, ut e. g. *Billuart* (2), qui, loquens de supradicta propositione damnata, ait: « Ecclesia damnans hanc propositionem definivit, Christum esse mortuum pro salute aeterna reproborum, et cum non sit potior ratio unius reprobi quam alterius respective ad salutem aeternam, patet, sensum Ecclesiae esse, Christum esse mortuum pro salute aeterna omnium reproborum. Caeterum dato non esse hic definitum, Christum esse mortuum pro salute aeterna omnium reproborum, hoc tamen esse dogma catholicum urgentissimis argumentis modo probabimus etc.»

Nota 2. Plurima excogitarunt Iansenistae, ut argumenta pro doctrina catholica allata enervarent, suaque erronea placita defenderent.

Obi. I. Haec vox, *omnes*, in S. Scriptura saepe usurpatur pro aliquibus tantum, seu pro multis, ut Io. XII, 32: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum;* et tamen Christus non omnia trahit ad se, quoniam multi manent in infidelitate: item: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (3); neque tamen omnes vivificantur, sed ii solum, qui sunt viva membra Christi per charitatem. Ergo cum dicitur Christus mortuus pro omnibus, non sequitur, ipsum pro omnibus et singulis distributive mortuum esse, sed sufficit dicere, ipsum pro salute aeterna aliquorum, seu multorum, passionis et mortis suae merita obtulisse.

Resp. Negari potest, in S. Scriptura saepe per *omnes* tantum aliquos, seu multos intelligi. Neque id in citatis locis contingit: nam Christus vere omnes homines per doctrinam, per gratias interiores, et per ipsam suam charitatem in morte manifestatam trahit ad se, quamvis non omnes ab ipso attrahi velint: et Paulus de resurrectione loquitur, quae universalis erit; nam *in Christo omnes vivificabuntur*, id est immortalitati restituentur. Quodsi concedatur, τὸ *omnes* quandoque sumi accommode pro aliquibus tantum; inepte infertur, semper sic sumi, et nunquam distributive: ut autem sciatur, quando accommode, quando distributive debeat sumi, id colligendum est ex circumstantiis locorum, subiecti, argumenti et aliis. Dum autem Christus dicitur *mortuus pro omnibus*, hanc vocem sumendam esse distributive, patet ex eo, quia loco *omnium* hinc inde ponitur *mundus*, qui significat universum genus humanum (4). Idem probant argumenta superius allata; et praecipue con-

(1) De Deo, diss. 5, c. 3.
(2) De Deo, diss. 7, a. 7, § 1.
(3) 1 Cor. 15, 22.
(4) Io. 1, 29; ib. 3, 16· 2 Cor. 5. 19

stans Traditio, iuxta quam S. Scripturam exponere oportet. Traditionem istam ipse *S. Augustinus* contestatur l. 11, c. Iulian. (1), ubi, ut ostendat, omnes contraxisse peccatum originale, morte Christi pro omnibus utitur tanquam medio demonstrationis dicens: « Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide, quia consequens esse voluit (Apostolus), ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat aut dubitat esse Christianum. » Ergo certum exploratumque tunc temporis fuit apud omnes, Christum reipsa pro omnibus, nemine excepto, mortuum esse, alias nullius roboris fuisset argumentum S. Augustini ad adstruendam in omnes et singulos, nemine excepto, peccati originalis transfusionem.

Obi. II. Ipsa S. Scriptura declarat, per *omnes* non intelligendos esse nisi *multos*. Nam Christus ipse ait: *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis* (2). *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (3). Paulus inquit: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* (4); imo Christus palam profitetur, se mori tantum pro electis, dicens: *Animam meam pono pro ovibus meis* (5); et declarat, se non esse missum *nisi ad oves, quae perierunt domus Israël* (6), - per quam Ecclesiam electorum intelligit. Dum ergo Christus dicitur mortuus pro omnibus, id intelligendum est accommode de generibus singulorum, non distributive de singulis generum: nam S. Scriptura solum nobis ostendit, in omnibus hominum generibus aliquos dari electos, unde Apoc. V, 9 dicitur: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione:* non ergo omnes tribus, populi, et nationes redempti dicuntur, sed aliqui ex iisdem electi.

Resp. Si S. Scriptura dicit, redemptos esse multos, et redemptos esse omnes (7), utrumque verum est; nam omnes ac singuli homines vere sunt multi. Saepe in Ss. Bibliis multorum nomine omnes intelliguntur, ut e. g.: *unius delicto multi mortui sunt* (8), id est omnes: et *multis*, id est omnibus, *passeribus meliores estis vos* (9). *Multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt* (10), id est omnes resurgent. Liquet ergo, per multos non excludi omnes, sed potius asseri cum emphasi, quia omnes sunt in magno numero. Ipse *S. Augustinus* (11) ait: « Unus pro omnibus mortuus est, o Iuliane! non hoc Augustinus, sed Apostolus dixit, imo ipse per suum Apostolum Christus..... multi quippe isti, ipsi sunt omnes, de quibus alio loco dicit: *Sicut in Adam omnes moriuntur* etc. » Praeterea Redemptio, ut Theologi observant, sub duplici respectu considerari potest, nempe in actu primo, seu quoad affectum, seu voluntatem Christi pro omnium aeterna salute pretium sanguinis sui offerentis, et in actu secundo, seu quoad effectum seu actualem meritorum Christi applicationem, ipsamque vitae aeternae consecutionem. Redemptio in actu primo est universalis, quia Christus quoad affectum seu intentionem suam in ordine ad media salutis omnibus

(1) Cap. 4. (2) Matth. 20, 28.
(3) Matth. 26, 28. (4) Hebr. 9, 28.
(5) Io. 10, 15. (6) Matth. 15, 24.
(7) 1 Tim. 2, 6. (8) Rom. 5, 15.
(9) Matth. 10, 31. (10) Dan. 12, 2.
(11) L. 2 op. imperf. c. Iulian. n. 133.

obtinenda, et applicanda, pro omnibus, nemine excepto, mortuus est. Redemptio autem in actu secundo non est universalis, et Christus reipsa, quoad effectum, seu vitae aeternae consecutionem, non omnes redemit, quia de facto non omnes salvantur, sed multi ex culpa sua pereunt. — Iam vero si Redemptio sumitur in actu primo, tum in S. Scriptura, tum in Ss. Patribus praedicatur ut universalis, et Christus dicitur mortuus pro omnibus et singulis, nemine excepto, quod allata argumenta probant. Quandoque autem sermo est de Redemptione in actu secundo, et tunc beneficam eius extensionem S. Scriptura restringere videtur, sive cum dicit, Christum mortuum esse pro electis, vel pro ovibus suis, sive cum alibi dicit, eum mortuum esse pro credentibus, *ut omnis qui credit in eum non pereat* (1), vel pro iis, qui sunt in Ecclesia: *Seipsum tradidit pro ea* (2); haec dicuntur non in sensu *exclusivo*, sed *praecisivo*, id est praecise affirmat Scriptura, Christum mortuum esse pro electis in sensu a nobis exposito, nec tamen negat, ipsum mortuum etiam esse pro caeteris, sed solum de istis reticet, quod alibi non semel, ut vidimus, inculcat. Matth. XV, 24 Christus non loquitur de morte sua, quam pro omnibus pertulit, sed de praedicatione Evangelii, quam, iuxta voluntatem Patris, inter Iudaeos tantum suscipere debuit. Denique Apoc. V, 9 sermo est de Redemptione in actu secundo, quoniam electi Redemptori suo gratias agunt, qui ex omnibus tribubus, populis etc. eos vocavit, iustificavit et glorificavit, unde canticum claudunt dicentes: *et fecisti nos Deo nostro regnum.* Exinde autem inferri nequit, caeteros in actu primo, seu quoad affectum non fuisse redemptos aut non vocatos, cum ipse Christus dicat: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (3).

Obi. III. Si S. Scriptura Christum pro omnibus mortuum dicit, intelligendum est id hoc sensu, quod eius mors sit sufficiens delendis omnibus peccatis et salvandis omnibus hominibus, non tamen hoc sensu, quod illam ordinaverit, et Patri obtulerit pro salute omnium, hoc enim S. Scriptura nullibi asserit.

Resp. Dum S. Scriptura affirmat, Christum pro omnibus mortuum esse, sufficienter declarat, ipsum mortem suam pro omnium salute ordinasse et Patri obtulisse; nam *mori pro aliquo* manifeste importat, intentionem morientis esse ut mors sua ei prosit, quia praepositio *pro* importat causam finalem, propter quam aliquid fit. Id confirmatur ex communi usu loquendi. Sic dum dicitur, medicum venisse pro infirmo, significatur venisse in commodum et utilitatem infirmi, eiusque salutis gratia: ergo similiter, dum dicitur Christus mortuus pro omnibus, significatur mortuus in commodum et utilitatem omnium, eorumque salutis procurandae causa. Unde si Pater, cuius duo filii captivitate detinentur, solveret pretium sufficiens redemptioni utriusque, sed tamen vellet tantum natu maiorem redimere, eique soli pretium solutum applicari, non posset dici solvi pro utroque. Denique evidentissimum est, iuxta Scripturas citatas, Christum esse mortuum pro omnibus hominibus aliter quam pro daemonibus: atqui id falsum esset, si vera foret Iansenistarum obiectio; nam mors Christi, cum infiniti sit pretii, etiam salvandis daemonibus sufficiens esset: sed pro his non dicitur mortuus.

(1) Io. 3, 16. (2) Ephes. 5, 25. (3) Matth. 20, 16.

quia pro ipsis pretium sanguinis non obtulit.

Obi. IV. Eadem est ratio de morte Christi et de eius oratione, ac propterea pro illis solis mortuus est, pro quibus oravit: atqui oravit pro solis praedestinatis; nam Christus sic Patrem orat: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi* (1). Et sane si Christus orasset pro omnibus, omnibus de facto obtinuisset salutem, quia omnis oratio Christi semper fuit exaudita iuxta illud: *Ego sciebam, quia semper me audis*(2); et: *Christus exauditus est pro sua reverentia* (3). Sed non omnes salvantur; ergo Christus non pro omnibus oravit. Hinc *S. Thomas* (4) docet: « Dominum non orasse pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant crediturí in eum, sed pro his solum, qui erant praedestinati, ut per ipsum vitam consequerentur aeternam. » Concludendum est igitur cum Iansenio, Christum orasse pro quibusdam, ut salvarentur; pro aliis, ut iustificarentur; pro aliis, ut crederent sine charitate; et eodem modo pro his tribus classibus passum et mortuum esse, et sic omnia cohaerent.

Resp. Nonnulli negant, eandem esse mortis et orationis Christi rationem, quia mors Christi est beneficium generale pro reconciliatione totius generis humani oblatum, oratio autem est quid magis particulare respiciens applicationem meritorum huius beneficii generalis ad aliquos effectus particulares, unde non est eadem ratio mortis Christi et eius orationis, potuitque mori pro iis, pro quibus non oravit: idque inde patet, quod Christus mortuus sit pro iis, qui ante ipsum in iustitia defuncti sunt; ex eius namque meritis salvati sunt, et tamen non oravit pro eis, quia oratio non petit id, quod factum est, sed quod est faciendum. — Ast aliis quoque modis obiectio dilui potest. Nam concesso etiam, quod (5) Christus oraverit pro omnibus et solis praedestinatis, nihil inde concludi potest nisi probetur, Christum nunquam pro aliis orasse. At vero longe abest, ut hoc probetur, quin potius contrarium constet; nam in hac eadem oratione (6) orat pro omnibus credituris dicens: *Non pro eis autem tantum rogo, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me* (7); orat, *ut mundus credat, quia tu me misisti* (8). Orat pro suis tortoribus: *Pater dimitte illis* (9); et Luc VI, 12 legimus: *Erat pernoctans in oratione Dei.* Certum ergo est, Christum non pro solis praedestinatis, sed etiam pro aliis orasse. Ast dicere, pro his Christum ita orasse, ut crederent, sed sine charitate, ut iustificarentur, sed non perseverarent, et ut temporales gratias consequerentur, sed per exclusionem salutis, iniuriosum est Christo, et abhorrens ab idea Dei, qui in ista suppositione non alio fine eiusmodi gratia elargiretur, nisi ut homines deterius damnarentur. — Dicendum ergo profecto est, Christum non pro solis praedestinatis, sed et pro aliis orasse, et quidem in ordine ad salutem ab ipso intentam, quam credentes, et iustificati, bene utendo gratiis concessis obtinere possint. Observandum porro cum Theologis est, Christum nec oratione, nec morte sua decreta divina immutare voluisse, quibus statutum erat, Redemptionis beneficio illos tantum respectu salutis aeternae participes fieri, in quibus

(1) Io. 17, 9. (2) Io. 11, 42.
(3) Hebr. 5, 7. (4) 3. q. 21, a. 4 ad 2.
(5) Loco citato. (6) V. 20. (7) Io. 17, 20
(8) Ib. v 21. (9) Luc. 23, 34.

requisitae conditiones adimplentur; voluntas enim Christi voluntati Patris semper apprime conformis fuit. Sicuti ergo Deus voluntate antecedenti vult omnes homines salvos fieri, sed voluntate consequenti vult aliquos damnare; ita Christus voluit omnium salutem antecedenter, non consequenter, et sic oravit pro omnium salute oratione procedente a voluntate antecedente, non consequente; sicut antecedenter voluit non mori, et ea voluntate oravit, ut transiret calix; voluit autem consequenter mori, et ea voluntate oravit, ut voluntas Patris fieret. Posita hac distinctione, *S. Thomas* (1) docet, orationem Christi a voluntate consequente, seu absoluta procedentem semper fuisse exauditam; ait enim (2): « Omnis voluntas absoluta Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis, ac per consequens omnis eius oratio (ab hac nempe voluntate orta) fuit exaudita. » Et quia de hac oratione efficaci et absoluta loquitur, ideo (3) negat, talem orationem a Christo factam fuisse pro omnibus crucifixoribus et pro omnibus crediturus, « ut per ipsum vitam consequerentur aeternam. » Nullatenus autem negat S. Doctor, Christum orationem ex voluntate antecedenti et conditionata procedentem etiam pro non praedestinatis fudisse. Id enim clare profitetur in cap. 17 Ioan., lect. 2, dicens: « Christus, quantum est de se pro omnibus oravit, quia oratio sua, quantum est de se, efficax est, ut valeat toti mundo; sed tamen non in omnibus sortitur effectum nisi in Sanctis et Electis Dei, et hoc propter impedimentum mundanorum. » Similia alibi docet (4).

(1) 3, q. 21, a. 4. (2) In O. (3) Ad 2.
(4) Cf. Billuart de Deo diss. 7, art. 7, § 4; Perrone l. c. n. 519-526.
(5) Tract. 1 in Ep. Ioan.

Obi. V. *S. Augustinus* mortem Christi ad solos praedestinatos refert. Nam (5) expendens illa verba: *Ipse est propitiatio* etc., intelligit nomine *mundi* Ecclesiam, pro qua sola Christus mortuus est. Idem (6) verba Christi: *Omnia traham ad meipsum*, exponit de omnibus praedestinatis. Et (7) in verba Apostoli: *Conclusit omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*, ita loquitur: « Omnium itaque miseretur vasorum misericordiae, eorum scilicet, quos ex gentibus, et eorum, quos ex Iudaeis praedestinavit, vocavit, iustificavit, glorificavit, non omnium hominum, sed istorum omnium neminem damnaturus. » Ep. 169 (8) ad Evodium scribit: « Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus. » Et lib. 1 de adulter. coniug. (9) inquit: « Omnis, qui sanguine Christi redemptus est, homo est; non tamen omnis qui homo est, sanguine Christi redemptus est. » Ergo S. Augustinus redemptionem universalem non admittit, sed hanc ad praedestinatos restringit. *S. Hieronymus* quoque (10) dicit, « Sanguinem Agni pro Iudaeis effusum non esse; » et *S. Anselmus* (11) aperte docet, « Christum pro solis electis mortuum esse. »

Resp. Redemptio, uti iam dictum est, sub duplici respectu considerari potest, nempe in actu primo, seu quoad affectum, et in actu secundo, seu quoad effectum. *S. Augustinum* sub priori respectu redemptionem universalem propugnasse, patet ex eiusdem testimoniis supracitatis. Ast S. Doctor hincinde redemptionem considerat sub posteriori respectu, et loquitur de redemptione utili et fructuosa ad vitam aeternam actu ob-

(6) Tract. 52 in Ioan.
(7) L. 21 de Civ. Dei c. 24.
(8) Al. 102. (9) Cap. 15.
(10) Comment. in Ps. 43. (11) In Elucidario

tinendam, et sub hoc respectu redemptionem restringit ad praedestinatos. Consonat ergo S. Augustinus cum Concilio Tridentino, quod sess. VI, cap. 3 docet, Christum pro omnibus mortuum esse, sed non omnes mortis eius beneficium recipere. — Caeterum S. Augustinum mortem Christi non ad solos praedestinatos restrinxisse, patet etiam ex eius verbis, primo loco in obiectione citatis; ibi enim asserit, Christum pro Ecclesia mortuum esse, in qua, iuxta eundem S. Doctorem, iusti et peccatores, electi et reprobi dantur. Reliqua loca, si absque praefata distinctione intelligerentur, nimium probarent, ipsosque Iansenistas premerent, qui concedunt, Christum temporarias quasdam gratias reprobis quoque per passionem et mortem suam promeruisse. — Commentarium in Psalmos genuinus fetus *S. Hieronymi* non est, sicuti etiam Elucidarium falso *S. Anselmo* adscribitur.

Obi. VI. Concilium *Valentinum III*, saec. IX, damnavit quatuor Capitula Concilii *Carisiaci*, quorum ultimo definiebatur, Christum mortuum esse pro omnibus hominibus; aiunt enim Patres Concilii Valentini: « Illud nobis simpliciter, et fideliter tenendum ac docendum placet, iuxta Evangelicam et Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam... Porro Capitula quatuor, quae a Concilio Fratrum nostrorum (Carisiaci) minus prospecte suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem et errorem contrarium veritati... interdicimus. » Hu-ius Concilii Canones approbarunt Synodus *Lingonensis*, *Tullensis*, et *Nicolaus I.* — Eiusdem sententiae fuit Ecclesia *Lugdunensis*, quae in priori opere, *de tribus Epistolis*, negat, Christum mortuum esse pro illis, qui ante ipsius passionem in sua impietate mortui erant; et in posteriori opere, *de tenenda veritate*, sic loquitur: « Catholica fides tenet, quod pro omnibus credentibus, et per gratiam baptismi regeneratis, Salvator noster sit passus: » id vero de infidelibus negatur.

Resp. Concilium *Valentinum* solummodo negat, Christum mortuum esse *quoad effectum*, seu utiliter et fructuose pro impiis ante ipsum defunctis: nullatenus autem negat, esse mortuum etiam pro illis hoc sensu, quod dum viverent non potuerint salvari merito eius mortis futurae, si voluissent, denegataque eis fuerint auxilia sufficientia. Hanc esse genuinam Concilii mentem, patet ex eo, quia silet de infidelibus post Christi mortem in sua impietate morituris; quia nullatenus reprehendit tertium Capitulum Carisiacum, quo definiebatur, Deum velle omnes omnino homines salvos fieri, ex quo sequitur, Christum pariter voluisse pro omnium salute mori; ac demum quia utitur exemplo aenei serpentis a Moyse in deserto exaltati. Non enim iste serpens pro aliquibus tantum propositus est ex voluntate Moysis, sed pro omnibus, sic tamen, ut quicunque illum aspicerent, sanarentur, caeteris vero haud prodesse non defectu remedii, aut voluntatis ex parte Moysis, sed eorum culpa: ita similiter Christus pro omnibus in cruce exaltatus fuit, ita tamen, ut illis solis de facto prodesset, qui in eum oculis fidei aspicerent. — Capitula autem Carisiaca Patres Valentini damna-

runt errore facti decepti, quo existimarunt, eis asseri errorem illorum, qui contendebant, Christum omnino, qui erant in inferno, cum illuc descendit, liberasse; vel sensu Pelagiano velle Christum eadem ratione et aequali voluntate mortuum esse pro reprobis, et electis. — Detecto autem hoc errore facti, iidem Patres in Synodis *Lingonensi* et *Tullensi* praefatam Capitulorum Carisiacorum censuram expunxerunt, atque Canones ita correctos, quibus et Patres Carisiaci subscripserunt, approbavit *Nicolaus I.* Ecclesia *Lugdunensis* Christum pro solis praedestinatis, aut pro solis credentibus passum et mortuum dicit, quia loquitur de redemptione utili et fructuosa, per quam iustificatio et salus aeterna actu obtinentur. Probat enim in sua infidelitate perseverantes usque in finem non participare de saluberrimis redemptionis fructibus, ut refellat asserentes Christum damnatos ex inferno liberasse, quem errorem falso adscripsit conventui Carisiaco. Ideo in libro *de tenenda veritate* dicit: « Cesset haec nova et inaudita praesumptio, ut nullus impiorum et apud inferos irrevocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Christus passus non sit; cum pro illis solis defunctis passionem sustinuerit, qui eum dum in corpore viverent, venturum, et mundum sua passione redempturum crediderunt. » - Nonnulli recentiores critici duo opera citata falso Ecclesiae Lugdunensi adscribi contendunt (1).

Nota 3. Beneficium mortis Christi, ac seria et antecedens Dei voluntas, ut omnes homines salvi fiant, extendunt se etiam ad infantes sive intra, sive extra uterum maternum, sine baptismo ex hac vita decedentes. Nam in S. Scriptura et Patribus absque ulla restrictione ad sexum, aetatem, conditionem etc., Christus *pro omnibus* dicitur mortuus, et Deus dicitur velle *omnes homines* salvos fieri: ergo etiam de infantibus hoc idem dicendum est. Id evidenter patet ex verbis Apostoli dicentis: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus* (2). Christus itaque pro omnibus mortuus est, qui mortui sunt per peccatum originale: sed certum est, infantes mortuos esse per peccatum originale: ergo pro ipsis quoque Christus mortuus est. *S. Augustinus* ipse hoc ratiocinio utitur; nam (3) ait: « *Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Conclusio haec Apostoli invicta est, ac per hoc, quia et pro parvulis mortuus est, profecto etiam parvuli mortui sunt. » Et ibid. (4) asserit: « Clamat Apostolus: *ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est;* et vos reclamatis, non sunt mortui parvuli; clamate et quod sequitur; ergo non pro ipsis mortuus est. » Difficile autem est declarare, qua ratione Christus possit dici pro ipsis mortuus, iisque media salutis necessaria praeparasse, cum absque propria actuali culpa sine baptismo moriantur. Sed fatendum est, limitatam nostram rationem non omnia perspicere, et declarare posse iudicia Dei incomprehensibilia, et vias eius investigabiles esse: ignorantiam autem modi non tollere certitudinem facti. — Conantur tamen Theologi hanc difficultatem aliquatenus enodare. Sic Cl. *Perrone* (5) ita disserit: « Ad praeoccupandas adversariorum difficultates notandum est, hanc Dei voluntatem (salvandi praedictos infantes) antece-

(1) Cf. Billuart l. c. § 5, Sinops. histor. n. 1-6.
(2) 2 Cor. 5, 14 etc.
(3) L. 1 op. imperf. c. Iulian. c. 64.
(4) L. 2, c. 163.
(5) L. c. n. 536.

dentem sub duplici respectu conditionatam dici posse; tum scilicet ex parte parentum, tum ex parte ordinarii naturae cursus; quatenus Deus, quantum ex se est, velit quidem et hos salvos fieri, et applicari ipsis media illa generalia, quae et pro ipsis praeparavit, dummodo tamen non obsistat reali istorum applicationi aut perversa parentum voluntas, aut aliqua ipsorum culpa ac negligentia, vel dummodo non obstet ordinarius naturae cursus, quem ipse utpote provisor universalis non vult perturbare et impedire, ut istis infantibus in particulari salutis media de facto applicentur; alioquin perpetuo ad miracula confugere deberet. Hinc antecedens haec Dei voluntas iuxta nostrum concipiendi modum ratione prior est praevisione istorum impedimentorum; e contrario voluntas Dei consequens circa effectivam infantium salutem et perditionem ea est, quae eorundem impedimentorum praevisionem subsequitur. » Sed de istis infantibus etiam in sequenti Theologiae theoreticae parte sermo recurret.

Usus doctrinae.

§ 380. 1. Pro beneficiis acceptis gratum animum rependendum esse, ex ratione et revelatione cognoscimus, et istud officium eo magis, quo maiora sunt beneficia obtenta. Nullum autem maius beneficium excogitari potest illo, quod modo consideravimus; nam per atrocissimam unigeniti Filii Dei passionem et mortem ab aeternis horrendae damnationis poenis liberati, et ad immensa aeternae beatitudinis gaudia vocati sumus. Quod si nihil magis ingrati animi labem prodit, quam turpis beneficiorum oblivio; ne tam foeda inordinatione contaminemur, frequentissime passionem et mortem Redemptoris nostri meditari oportet Christus ipse, ut haec memoria inter fideles iugiter conservetur, admirabile Eucharistiae sacramentum instituit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (1); et I Cor. XI, 26 additur: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quis ergo dubitabit, piam passionis et mortis suae meditationem Christo gratissimam esse, qui ad hanc promovendam stupenda in Eucharistia miracula operatur, et, «ut iugis tanti beneficii in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum fidelibus dereliquit » (2)? Ideo Paulus nos monet, ut simus *aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta...* et *eum* sedulo recogitemus, *qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem* (3), etc. Ideo etiam sancti Ecclesiae Doctores fidelibus piam passionis et mortis Christi meditationem commendare, huiusque praestantiam, aequitatem et utilitatem praedicare non cessant. Rectissime idcirco quisque *S. Bernardum* imitabitur (4) dicentem: « Ego... mihi fasciculum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei colligare, et inter ubera mea collocare curavi. Memoriam abundantiae suavitatis horum eructabo, quoad vixero: in aeternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum... Haec meditari dixi sapientiam; in his iustitiae mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiae, in his divitias salutis, in his copias meritorum, etc.»

2. Homo in creatione ad magnam dignitatem elevatus est; unde de ipso

(1) Luc. 22, 16. (2) S. Thom. Opusc. 57. (3) Hebr. 12, 2 etc. (4) Serm. 42 in Cantica.

dicitur: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum* (1). Sed maior homini dignitas, gloria et honor ex opere redemptionis accessit. Quamobrem S. *Ambrosius* (2) inquit: « Plus, Domine Iesu, iniuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quam operibus, quod creatus sum. Non enim prodesset nasci, nisi redimi profuisset. » Et S. *Bonaventura* (3) seraphico prorsus spiritu ita verba Apostoli commentatur: « *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce D. N. I. Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (4): Est ergo mihi, mi Domine Iesu, magna gloriatio, quod pro me coelum et sidera, et alias inferiores creaturas fecisti; sed multo sine comparatione maior mihi gloriatio, quod pro me dignatus es mortalis fieri. Magna quippe gloriatio, quod me fecisti ad imaginem et similitudinem tuam; sed sine comparatione maior mihi gloriatio, quod pro me formam servi accipiens factus es similis mihi. Magna mihi gloriatio, quod tot beneficiis me gubernas et nutris; sed sine comparatione maior mihi gloriatio, quod pro me esuristi, sitisti et fatigatus super fontem sedisti, et multa incommoda sustinuisti. Magna mihi gloriatio, quod me cunctis animalibus praeposuisti; sed sine comparatione maior, quod pro me te Dominum omnium uni puellae et fabro subdidisti. Magna mihi gloriatio, quod me, si amicus tuus fuero, honorificaturus es in coelo tuo; sed multo magis est mihi magna gloriatio, quod pro me adhuc pessimo inimico tuo conviciatus, conputus et multipliciter illusus es in medio terrae. Magna mihi gloriatio, quod me, si iustus fuero, ditaturus es in regno tuo; sed sine comparatione maior mihi gloriatio, quod pro me peccatore in extrema paupertate fuisti in ligno; quia quantum ad gustum, cum sitires, fel habuisti et acetum, quantum ad operimentum corpus habuisti nudum, quantum ad reclinatorium non habuisti ubi reclinares caput tuum, imo corona spinea fuit pulvinar tuum. Magna mihi gloriatio, quod si gratiam usque ad finem habuero, me delectatione es impleturus universarum deliciarum paradisi; sed multo mihi maior gloriatio, quod pro me tuo contemptore, et pleno animi abominabili sanie, impletus es inaestimabilibus angustiis et doloribus, morte turpissima condemnatus in Calvariae loco. Magna mihi gloriatio, quod si angelicevixero in terris, Angelis es me sociaturus in coelis; sed multo maior mihi gloriatio, quod pro me diabolicam vitam ducente, cum latronibus es crucifixus in terris, cum impiis et iniquis associatus et deputatus. Mihi ergo absit nisi in cruce Iesu Christi gloriari. In quo debeo gloriari nisi in summo Dei mei honore, summa Dei mei erga me dilectione et dignatione? Haec autem sunt plene in cruce. *Mihi ergo absit gloriari nisi in cruce D. N. I. Christi.* Si enim *pretiosa* est *in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, quia patiuntur et moriuntur pro ipso; quanto magis debet esse gloriosa in conspectu nostro mors D. N. I. Christi, cum ipse patiatur, et moriatur pro nobis? Igitur *gloriari nos oportet in cruce D. N. I. Christi.* »

3. Per doctrinam expositam in spem erigi debemus, qua vitam aeternam et media ad illam obtinendam certo expectamus. Nam ait Paulus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

(1) Ps. 8. (2) L. 2 in Luc. n. 5.
(3) P. I, Stimuli amoris c. 15.
(4) Gal. 6, 14.

qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit (1)? « Qui enim id, quod maius erat (ipsum Filium Dei), inimicis dedit, quomodo non minora (gratias et beatitudinem) dabit amicis? inquit *S. Chrysostomus* » (2). Et Hebr. X, 19 dicitur: *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi*, id est *per merita sanguinis Christi* habemus fiduciam, spem magnam, imo ius ad introëundum in Sancta Sanctorum, seu in coelum. Ideo *S. Ambrosius* (3) ait: « Considera quem iudicem habeas! Nempe Christo dedit Pater omne iudicium. Poterit te ergo ille damnare, quem redemit a morte, pro quo se obtulit, cuius vitam suae mortis mercedem esse cognoscit? » — Et *S. Augustinus* (4) dicit: « Filius Dei pro nobis mortuus est! securus esto, accepturum te vitam ipsius, qui pignus habes mortis ipsius. Pro quibus enim mortuus est? numquid pro iustis? Paulum interroga. Etenim *Christus pro impiis mortuus est.* Impius eras, et mortuus est pro te: iustificatus es, et deseret te? Qui iustificavit impium, relinquet pium? »

4. Redemptionis beneficia pie recolentes amore divino inflammari debemus. Nam in passione et morte sua Christus maximam erga nos charitatem manifestavit, quod ipsemet innuit, dicens: *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (5); ex quo recte Apostolus infert: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* (6). Quanta autem sit obligatio nostra diligendi Redemptorem nostrum praeclare ostendit *S. Paulinus* (7), dicens: « Quid illi (Christo) pro malis meis, quae pertulit, quid pro bonis suis, quae contulit, referam? quid pro suscepta carne, quid pro alapis, pro opprobriis, quid pro flagellis, pro cruce, obitu, sepultura rependam? — Esto, reddamus crucem pro cruce, funus pro funere; nunquid poterimus reddere, quod ex ipso et per ipsum, et in ipso habemus omnia, et ipsi qui habemus sumus? *Ipse* enim *fecit nos, et non ipsi nos* (8), et anima nostra semper in manibus eius. Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro pecunia. Vae enim nobis nisi dilexerimus. Quando autem sperem me miserum et egenum huic Domino posse reddere, cui nec Apostoli se reddidisse profitentur. Audi denique unum de ipsis confitentem se non reddidisse, qui dicit: *Quis prior dedit ei, et retribuetur ei* (9)? Sed ipsi gratias, qui nobis tanti foenoris remittit usuras, et obligationis immensae compendium praestat, solam a nobis dilectionem sui repetens, quam inter praecepta sua principali loco ponens, ostendit, quomodo illi insolubile debitum etiam inopes solveremus. Nemo se igitur excuset difficultate solvendi, quia nemo se potest dicere, animum non habere. Non sacrificia, non munera sumptuosa, non duri labores exiguntur a nobis; in nobis est unde solvamus. Res enim potestatis nostrae est, noster affectus: hunc Domino impendamus et solvimus. Denique David liberatus de manu omnium inimicorum suorum pro salutis suae plena securitate non regni opibus sed animi solvens, ait: *Diligam te, Domine, virtus mea* » (10). Vera

(1) Rom. 8, 31 etc.
(2) In hunc locum Hom. 15, n. 2.
(3) L. 1 de Iacob, et vita beata c. 6.
(4) Enar. in Ps. 96. (5) Io. 15, 13.
(6) I Io. 4, 19. (7) In Epist. 4 (nunc 24 ut. fine) ad Severum. (8) Ps. 99, 3.
(9) Rom. 11, 35. (10) Ps. 17, 1.

autem Christi dilectio in mandatorum divinorum observatione consistit, dicente Domino: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me* (1). Per immensum ergo redemptionis beneficium impelli debemus; ut totam vitam nostram iuxta praecepta evangelica instituamus; unde Paulus inquit: *Charitas enim Christi urget nos: aestimantes hoc, quoniam...: pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit* (2). - Qui tantam obligationem non adimplet, qui Christum diligere recusat, qui per lethalia peccata rursum Filium Dei crucifigit et ostentui habet (3), horrendam profecto damnationem meretur, quoniam scriptum est: *Si quis non amat D. N. I. Christum, sit anathema* (4).

ARTICULUS V.

De saluberrimis sacrificii in cruce oblati effectibus respectu Christi ipsius.

§ 381. Christum sibi ipsi quaedam meruisse, *S. Thomas* (5) ratione theologica probat, ita disserens: « Prima causa omnium bonorum nostrorum est Deus... Potest tamen secundario aliquis esse causa sibi alicuius boni habendi, inquantum scilicet in hoc ipso Deo cooperatur. Et sic ille, qui habet aliquid, per meritum propriium, habet quodammodo illud per seipsum: unde nobilius habetur id, quod habetur per meritum, quam id quod habetur sine merito. Quia autem omnis perfectio et nobilitas Christo est attribuenda, consequens est, quod ipse per meritum habuerit illud, quod alii per meritum habent; nisi sit tale quid, cuius carentia magis dignitati Christi et perfectioni praeiudicet, quam per meritum accrescat: unde nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animae, nec divinitatem meruit. Quia cum meritum non sit nisi eius, quod nondum habetur, oporteret, quod Christus aliquando istis caruisset; quibus carere magis diminuit dignitatem Christi, quam augeat meritum. Sed gloria corporis, vel siquid aliud huiusmodi est, minus est quam dignitas merendi, quae pertinet ad virtutem charitatis. Et ideo dicendum est, quod Christus gloriam corporis, et ea, quae pertinent ad exteriorem eius excellentiam (sicut est ascensio, veneratio et alia huiusmodi), habuit per meritum. Et sic patet quod aliquid sibi mereri potuit. » Ipsa S. Scriptura testatur, Christum per passionem suam et mortem gloriam corporis, nominis exaltationem, et alia bona, quae pertinent ad eius excellentiam exteriorem sibi meruisse. Id innuit Christus ad Patrem dicens: *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam: et nunc clarifica me, tu, Pater* (6), etc.; et alibi dixit: *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* (7)? ergo Christus per passionem gloriam corporis promeruit. Neque talis assertio repugnat canoni 10 Concilii *Ephesini*, quo damnatur ille, *qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis;* hic enim solum negatur, Christum pro se satisfactionem praestitisse, qua ipse non eguit, et quam solum pro nobis obtulit: aliter autem de merito iudicandum est. Quamvis enim primarius finis Incarnationis, passionis et mortis Christi fuerit redemptio nostra, ita ut, ea cessante, non venisset, nihil tamen

(1) Io. 14, 21. (2) 2 Cor. 5, 14, etc.
(3) Hebr. 6, 6. (4) 1 Cor. 16, 22
(5) 3, q. 19, a. 3. (6) Io. 17, 4, etc.
(7) Luc. 24, 26.

impedit, quominus consequenter et secundario gloriam corporis et excellentiam exteriorem meruerit. Paulus conceptis verbis hoc testatur, dicens : *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum* (1). Praecipue vero haec doctrina praeclare exponitur his verbis: Christus *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genuflectatur coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris* (2). In celeberrimo hoc testimonio luculentissime traditur, Christum per passionem et mortem ubique locorum, seu in tota rerum universitate, nempe *apud inferos in terra et in coelo* maximam gloriam summamque Nominis exaltationem consecutum esse. Quod, ut recte intelligamus, Christi 1° *descensum ad inferos*, 2° *resurrectionem*, 3° *ascensionem ad coelos*, 4° *sessionemque ad dexteram Patris* considerare debemus.

I. *De descensu Christi ad inferos.*

382. Anima Christi a corpore separata ad inferos descendit. « Verum, ait *Catechismus romanus* (3), inferorum nomen abdita illa receptacula significat, in quibus animae retinentur, quae coelestem beatitudinem non sunt consecutae.... Neque tamen ea receptacula unius et eiusdem generis sunt omnia. Est enim teterrimus et obscurissimus carcer, ubi perpetuo et inextinguibili igne damnatorum animae simul cum immundis spiritibus torquentur, qui etiam *gehenna, abyssus*, et propria significatione *infernus* vocatur. Praeterea est purgatorius ignis, quo piorum animae ad definitum tempus cruciatae expiantur, ut eis in aeternam patriam ingressus patere possit, in quam nihil coinquinatum ingreditur. . . . Tertium postremo receptaculi genus est, in quo animae Sanctorum ante Christi Domini adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu, beata redemptionis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur. » Si autem quaeratur, ad quem inferorum locum Christus descenderit, communis et certa est Theologorum catholicorum doctrina, animam Christi realiter et substantialiter in tertium inferorum locum, seu in *limbum*, ut Sanctos ibi detentos consolaretur et liberaret descendisse eamque tamdiu in isto loco permansisse, quamdiu corpus iacuit in sepulcro. Quoniam autem anima Christi hypostatice personae Verbi unita fuit (§ 313); ideo recte dicitur totus Christus ad inferos descendisse; nam, ait *S. Thomas* (4), « corpus, quod tunc erat in sepulcro, non est pars personae increatae, sed naturae assumptae. Et ideo per hoc, quod corpus Christi non fuit in inferno, non excluditur, quin totus Christus fuerit, sed ostenditur, quod non fuit ibi totum, quod pertinet ad humanam naturam. » Recte autem etiam dicitur, Christum ad omnia tria inferorum loca pervenisse, quamvis diversa ratione, et ex vario fine. Qua de re ita disserit *S. Thomas* (5): « Dupliciter dicitur esse aliquid alicubi. Uno modo per suum effectum : et hoc modo Christus in quemlibet infernorum descendit, aliter tamen et aliter. Nam in infernum damnatorum habuit hunc effectum, quod descendens ad inferos, eos de

(1) Hebr. 2, 9.
(2) Phil. 2, 8, etc.
(3) P. 1, cap. 6.
(4) 3, q. 52, a. 3 ad 1.
(5) L. c. art. 2.

sua incredulitate et malitia confutavit. Illis vero, qui detinebantur in purgatorio, spem gloriae consequendae dedit. Sanctis autem patribus, qui pro solo peccato originali detinebantur in inferno, lumen aeternae gloriae infudit. Alio modo dicitur aliquid esse alicubi per suam essentiam, et hoc modo anima Christi descendit solum ad locum inferni, in quo iusti detinebantur, ut quos ipse per gratiam interius visitabat secundum divinitatem, eos etiam secundum animam visitaret et loco. Sic autem in una parte inferni existens effectum suum aliqualiter ad omnes inferni partes derivabit, sicut et in uno loco terrae passus totum mundum sua passione liberavit. » — Quidam autem Theologi contendunt, quod anima Christi vere et proprie secundum substantiam descenderit ad omnia loca inferorum, ac ipsum quoque damnatorum carcerem iuxta illud : *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspiciam omnes dormientes* (1); cui sententiae favere multos Patres ostendit *Bellarminus* (2). — Omnes autem Theologi catholici consentiunt, Christum ad inferos descendisse non ut poenas quasdam lueret, sed ut gloriam suam undique manifestaret. Idcirco *Catechismus romanus* (3) docet, « propterea Christum Dominum ad inferos descendisse, ut ereptis daemonum spoliis sanctos illos patres caeterosque pios e carcere liberatos secum adduceret in coelum, quod ab eo admirabiliter summaque cum gloria perfectum est: statim enim illius aspectus clarissimam lucem captivis attulit, eorumque animas immensa laetitia gaudioque implevit, quibus etiam optatissimam beatitudinem, quae in Dei visione consistit, impertivit. » Ita pariter Christus ad damnatorum sedes descendit, nihil prorsus de eorundem poenis sentiens, nullum quoque damnatorum liberans, sed istorum incredulitatem et malitiam confundens, potentiam suam ostendens, principem huius mundi in ipsa sua sede debellans, detentas in umbra mortis Sanctorum animas ipsi eripiens, et triumphum de devicto inferno concelebrans; unde Paulus de Christo inquit: *Expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso* (4). — Ab hac Catholicorum doctrina longe recessit *Calvinus*, qui docuit, Christum vere dolores animarum damnatarum passum esse ex metu salutis propriae amittendae, et quia apprehendit sibi Deum iratum : atque hunc suum ducem secuti *Calviniani* Christum vere ad inferos descendisse negant. Contra istos *ex S. Scriptura* et *Traditione* articulus fidei probandus est, Christum vere ad inferos descendisse.

1. *S. Scriptura* descensum Christi ad inferos contestatur. Ps. XV, 10 Messias de seipso praedicit: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem;* quae verba non possunt de Davide intelligi qui in sepulcro corruptioni obnoxius fuit, sed ad Messiam spectant, cuius corpus in sepulcro incorruptum mansit, et cuius anima ad inferos descendit ; nequaquam enim anima Christi non derelinquenda in inferno, sed ex isto retrahenda dici posset, nisi vere et substantialiter ad inferos descendisset. Petrus ipse praefatum vaticinium Christo applicat, dicens: *Providens (David) locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corru-*

(1) Eccli. 24, 45. (2) L. 4 de Christo c. 16. (3) L. c. n. 6. (4) Colos. 2, 15.

ptionem (1); quodsi Christus non derelictus est in inferno, ergo ibi aliquandiu fuit. Paulus de Christo scribit: *Quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? qui descendit, ipse est, qui et ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia* (2). Ubi verba: *in inferiores partes terrae*, non significant terrae superficiem, quae est pars superior, neque sepulcrum Christi, quod etiam super terram fuit, sed, ut observat *S. Hieronymus*, per inferiora terrae infernus accipitur, seu locus subterraneus, in quae animae detinentur, tum quia sic proprietas verborum salvatur, tum quia Apostolus subiungit, *ut impleret omnia*, id est, ut in omnibus regni sui partibus gloriam suam ostenderet, et in nomine suo *omne genuflectatur coelestium, terrestrium, et infernorum* (3). — S. Petrus (4) cum dixisset, Christum pro peccatis nostris mortuum esse, ita de eodem pergit: *mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu. In quo* (vivificato spiritu, seu anima) *et his, qui in carcere* (i. e. in inferno) *erant, veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë;* attamen, superveniente diluvio, in extremo periculo constituti, veram poenitentiam conceperunt. Quem in locum *Calmetus* ait: « Complures sunt huius loci explicationes. Probatissima et maxime omnium legentibus obvia est, Christum Iesum e mortuis redivivum, per virtutem eiusdem Spiritus, a quo revocatus erat in vitam, descendisse in carcerem, seu locum, quo detentae Patriarcharum animae ipsius adventum tranquille exspectaverant; illisque et suum ipsius adventum, et ipsarum libertatem nunciasse. Ita explicant Patres plerique et interpretes, ratione Symbolo Apostolorum consentanea, quo docemur, Christum ad inferos descendisse. » De eodem descensu Christi ad inferos loquitur Petrus l. c., dum dicit: *Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est* (nempe laetus nuntius de redemptione peracta, et de proxima liberatione e carcere animabus sanctis allatus est), *ut iudicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in Spiritu* (5), id est, ut, quamvis censeantur humano iudicio plane interiisse, vivant tamen coram Deo.

2. *Ss. Patres* unanimi consensu Christum ad inferos descendisse docent. *S. Ignatius M.* (6) ait: Christus « descendit ad infernum solus; regressus autem est cum multitudine; et septum illud, quod a saeculo erat, rupit, mediumque parietem illius destruxit. » *S. Irenaeus* (7) inquit: « propter hoc Dominum in ea, quae sunt sub terra, descendisse, evangelizantem et illis adventum suum, remissione peccatorum existente his, qui credunt in eum. » Et ibid. (8) ait: « Si Dominus legem mortuorum servavit, ut fieret primogenitus a mortuis, et commoratus usque ad tertiam diem in inferioribus terrae, et dein surrexit in carne, quomodo non confunduntur, qui dicunt, inferos esse hunc nundum?... Dominus in medio umbrae mortis abiit, ubi animae mortuorum erant; postea corporaliter resurrexit, et post resurrectionem assumptus est. » *Clemens Alex.* (9) dicit: « Praedicavit Dominus iis quoque, qui erant apud infe-

(1) Act. 2, 31. (2) Ephes. 4, 9, etc.
(3) Phil. 2, 10. (4) 1 Ep. 3, 18, etc.
(5) Cap. 4, v. 6. (6) Ep. ad Trallian. c. 9.
(7) L. 4, c. haer. c. 27, n. 1.
(8) L. 5, c. 31, n. 2 (9) L. 6 Strom. c. 6

ros. » *Tertullianus* (1) inquit : « Christus... descendit in inferiora terrarum ut illic Patriarchas et Prophetas compotes sui faceret. » *Origenes* (2) haec habet : « Unigenitus Filius pro salute mundi usque ad inferna descendit, et inde protoplastum revocavit. Quod enim dicit ad latronem : *Hodie mecum eris in paradiso*, non hoc illi soli dictum, sed etiam omnibus Sanctis dictum intellige, pro quibus in inferna descenderat. » Idem (3) scribit : « Christus idcirco in inferna descendit, non solum ut ipse non teneretur a morte, sed ut etiam eos, qui inibi non tam praevaricationis crimine, quam moriendi conditione detinebantur, abstraheret. » *S. Athanasius* (4) ait : « Credite interiorem nostrum hominem esse animam, quod sane — in ipsa Christi morte commonstratur, quando corpus quidem usque ad sepulcrum tantum pervenit, anima vero ad infernum usque transmeavit. » *Eusebius Caes.* (5) de Christo dicit : « Solutus a corpore abiit — aeternasque abditiorum tenebrarum portas refringens, et mortuis, qui illinc catenis mortis impliciti erant, remeandi ad vitam iter retrorsum aperiens. Ipse vero universi Salvator — in vaticiniis mortem obiurgans inducitur, et animas solvens, quae illic vinctae detinebantur. » *S. Hilarius* (6) ita loquitur : « Unigenitus Dei Filius ad explendam quidem hominis naturam etiam morti se, id est, discessioni se tanquam animae corporisque subiecit et ad infernas sedes, id quod homini debitum videtur esse, penetravit. » *S. Cyrillus Hier.* (7) inquit : « Descendit ad subterranea, ut illius iustos redimeret ; » et alibi (8) ait : « Solus hic quidem descendit ad inferos, cum multis autem inde ascendit. Descendit in mortem solus, et multa corpora quiescentium Sanctorum excitavit. Exterrita est mors, videns novum quemdam descendentem in infernum, vinculis, quae illic sunt, non ligatum. » *S. Basilius* (9) in illa verba : *Deus redimet animam meam de manu inferi*, haec habet : « Palam praedicit Domini ad inferos descensum, qui una cum aliis ipsius etiam Prophetae animam liberabit. » *S. Gregorius Naz.* (10) ait : « In infernum descendit, sed animas sursum ducit ; » et Carm. 38 (11) canit : « Hodie Christus Dominus ex mortuis, quibus admixtus est, surrexit, et mortis aculeum dissipavit, et tenebrosas portas inamoeni tartari perrupit, et animis libertatem dedit. » *S. Epiphanius* (12) dicit : « Divinitas omnia, quae ad passionis mysterium attinebant, perficere decreverat, et ad inferos cum anima descendere, ut eos, qui antea mortui erant, hoc est, Patriarchas in salutem adsereret. » — *S. Ambrosius* (13) ait : « Dominus resurrectionis suae pignore vincula solvit inferni, et piorum animas elevavit. Resurgens ex inferis Christus venit novis redimitus exuviis et spolio ex morte quaesito. » Et de myst. pasch. (14) : « Expers peccati Christus, cum ad tartari ima descenderet, seras inferni ianuasque confringens, vinctas peccato animas, mortis dominatione destructa, e diaboli faucibus revocavit ad vitam. » *S. Hieronymus* (15) dicit : « Inferiora autem

(1) L. de anima c. 55.
(2) Hom. 15, in Genes. n. 5.
(3) L. 5, Comment. in Ep. ad Rom. c. 5, n. 1.
(4) L. 1, de Incarn. adv. Apollinar. n. 13.
(5) L. 4, dem. ev. c. 12.
(6) Comment. in Ps. 53.
(7) Catech. 4, n. 11. (8) Catech. 14, n. 17.
(9) In Ps. 48, n. 9. (10) Or. 29 (al. 35) n. 20.
(11) Hymn. ad Christum post silentium in paschate v. 39 etc. (12) Haer. 69, n. 2.
(13) L. 4, de fide c. 1. (14) Cap. 4, n. 5.
(15) Comment. in Ep. ad Ephes. c. 4.

terrae infernus accipitur, ad quem Dominus noster descendit, ut Sanctorum animas, quae ibi tenebantur inclusae secum ad coelos victor abduceret. » *S. Gaudentius Brix.* (1) ita loquitur: « Corpore in sepulcro reposito, divinitas, cum anima hominis ad inferna descendens, vocavit de locis suis animas Sanctorum, quorum corpora surrexisse, Matthaeus c. 27 testatur. — Descendisse autem animam Salvatoris ad inferos visitandos non solum B. Petri Epistola (I, c. 3), verum etiam B. Davidis prophetia testatur Ps. XV. » — *S. Augustinus* (2) scribit: « Dominum carne mortificatum venisse in infernum, satis constat. — Quis ergo nisi infidelis negaverit, fuisse apud inferos Christum.... Quamobrem teneamus firmissime, quod fides habet fundatissima auctoritate firmata. — In quibus et hoc est, quod apud inferos fuit, solutis eorum doloribus, quibus eum erat impossibile teneri, a quibus etiam recte intelligitur solvisse et liberasse, quos voluit etc. » *S. Cyrillus Alex.* (3) ait: « Quemadmodum Unigenitus cum iis, qui in corporibus suis adhuc degebant, versatus est in corpore, ita et spiritibus, qui apud inferos tenebantur, animam mente et ratione praeditam secum habens, concionatus est. » *S. Fulgentius* (4) scribit: « In sepulcro idem Deus homo factus iacuit, et ab inferis idem Deus homo factus tertio die resurrexit. Sed in sepulcro secundum solam carnem idem Deus iacuit, et in infernum secundum solam animam descendit. » *S. Leo M.* (5) inquit: « Resurrectio Salvatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morata est in sepulcro. » *S. Petrus Chrysologus* (6) dicit: « Infernus, ubi ad se penetrare ipsum iudicem vidit, victus et eiulans, quos tenebat, amisit: hinc est, quod redditae corporibus suis animae resurrecturos mortuos, quos mundus putaverat deperiisse, viventibus nunciarunt. » Et Ser. 79 de Resur. Chr. docet, sine lumine coelesti neminem capere posse, « quod claudens omnia sepulcro clauditur, quod supernorum Dominus apud inferos invenitur. » *S. Gregorius M.* (7) ait: « Conditor ac Redemptor noster claustra inferni penetrans, electorum inde animas eduxit, nos illo ire non patitur, unde iam alios descendendo liberavit. » *S. Io. Damascenus* (8) ita loquitur: « Deificata anima ad inferos descendit, ut quemadmodum his, qui in terra versabantur, iustitiae sol ortus erat, ita etiam illis, qui subtus terram in tenebris et umbra mortis sedebant, illuceret. »

3. *Ecclesia* fidem suam de Christi descensu ad inferos profitetur in Symbolo *Apostolico*, in quo articulus fidei credendus proponitur: *Descendit ad inferos.* Etiam in Symbolo *Athanasiano* dicitur de Christo: *Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos.* In Concilio *Toletano IV*, anno 633, can 1, fidei professio proponitur, in qua id quoque continetur et specialiter explicatur: *Descendit ad inferos, ut Sanctos, qui ibi tenebantur, erueret.* Et *Lateranense IV* (9) dicit: *Descendit ad inferos, resurrexit a mortuis, et ascendit in coelum. Sed descendit in anima, resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque.*

Nota 1. Certum est, Christum vere mortuum, eiusque animam a corpore separatam fuisse: haec igitur neces-

(1) Tract. seu Serm. 10.
(2) Epist. 164, ad Evod. n. 3.
(3) De recta fide c. 22. (4) L. de fide c. 2.
(5) Ser. 69 de Resur. Dom., 1, c. 2.
(6) Ser. 78 de septima Christi manifestatione post Resurr. (7) L. 13 Mor. c. 43, n. 48.
(8) L. 3, de ort. fide c. 29.
(9) Cap. 1 de fide.

sario alicubi commorata fuit, usque dum in resurrectionis momento cum corpore iterum coniungeretur: ast nullus alius locus magis accommodatus assignari potest, cum nondum ad Patrem ascenderet (1), quam locus inferorum, seu limbus, ubi animae iustorum, beatam spem adventumque gloriae magni Dei expectantes asservabantur. Imo S. *Thomas* (2) ostendit, conveniens fuisse, ut Christus descenderet ad inferos, quia homo per peccatum incurrerat non solum mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos: sicut ergo conveniens fuit, ipsum mori, ut nos liberaret a morte, ita conveniens fuit, ipsum descendere ad inferos, ut nos a descensu ad inferos liberaret: cum hoc tamen discrimine, quod mors illi poena fuit, non descensus ad inferos, quia per mortem opus redemptionis consummatum erat, et superabundanter satisfactum divinae iustitiae: unde descendendo ad inferos, assumpsit quod nobis poena erat, sed non ut poenam sibi, nec sub ratione poenae. Imo descensus ad inferos Christo maximam gloriam contulit, quia de inferno triumphavit, et animas Sanctorum inde eripuit. Convenientissimum autem fuit, ut observat ibidem Angelicus, Christum etiam apud inferos maxime exaltari.

Nota 2. Absque solido fundamento nonnulli dictitant, Christum, dum ad inferos descenderet, omnes animas ex purgatorio liberasse. Contrarium docet S. *Thomas* (3), et hac ratione probat: « Descensus Christi ad inferos liberatorius fuit in virtute passionis: virtus autem passionis non habuit tunc maiorem efficaciam, quam nunc habet. Atqui nunc non liberat omnes animas, quae sunt in purgatorio, sed eas tantum, quae vel sunt sufficienter purgatae, vel quibus passio Christi, quae est velut causa universalis, applicatur per satisfactiones iustorum viventium, vel per sacrificia, et alia media ad hoc in nova lege divinitus instituta. » Descensus autem Christi ad inferos neque fuit satisfactorius, neque medium divinitus institutum ad applicandam virtutem passionis omnibus animabus in purgatorio existentibus: liberavit ergo dumtaxat eos, qui erant sufficienter purgati, vel, ut addit Angelicus (4), etiam eos, « qui, dum adhuc viverent, meruerunt per fidem et devotionem ad mortem Christi, ut, eo descendente, liberarentur a temporali purgatorii poena. » — Ex allata autem ratione patet, nullos ex damnatis, descendente Christo, ad inferos liberatos fuisse; ex inferno enim nulla est redemptio, atque ideo Ecclesia illorum sententiam semper exhorruit et damnavit, qui dixerunt, Christum ita pro omnibus mortuum esse, ut eos quoque salvaret, qui ex iusto iudicio Dei actu iam in inferno cruciantur (Cf. § 379, Resp. ad Obi. VI, etc.).

Nota 3. Calviniani doctrinam propositam variis modis impugnant: ast haud difficile est, eorum obiectiones refellere.

Obi. I. Dogma de descensu Christi ad inferos ortum est ex male intellectis verbis Ps. XV, 10: *Non derelinques animam meam in inferno*, quae de Christo accipit Petrus (5), cum tamen hebraica vox *schèol* non significet nisi sepulcrum. Item graeca vox εἰς ᾅδου pariter locum dumtaxat invisibilem innuit, ex quo male infertur locus, aut status animarum post mortem. Ex utroque ergo loco nullatenus probari potest descensus Christi ad inferos, quem illi tantum excogitarunt, et inter dogmata christiana

(1) Io. 20, 17. (2) 3, q. 52, a. 1. (3) Ibid. art. 8. (4) Ib. ad 1. (5) Act. 2, 31.

recensuerunt, qui philosophiae platonicae erroribus imbuti erant.

Resp. Vocabulum hebraicum *schèol*, quamvis interdum pro sepulcro accipiatur, frequenter tamen significat infernum, seu locum ubi animae post obitum colligebantur. Ita de rege Babylonis dicitur: *Infernus subter te conturbatus est in occursum adventus tui* (1), etc.; et Iacob, dolens de filio Iosepho, quem a bestia devoratum putavit, dixit: *Descendam ad filium meum lugens in infernum* (2); quibus verbis se post obitum cum filio suo non in ventre bestiae, sed in inferno, in sinu Abrahae, seu in limbo coniungendum fore sperat. Idem dicendum est de voce graeca, quae saepe pro inferno, seu pro loco ubi animae post obitum detinentur, sumitur (3). Imo Cl. *Berti* (4) dicit: « Nullibi invenies, hanc vocem ἅιδης accipi pro sepulcro, et innumera apud profanos scriptores invenies loca, ubi hoc nomine designatur receptaculum animarum. » Quodsi etiam admitteretur, vocem hebraicam *schèol* ambiguam esse, in loco tamen citato Ps. XV, 10 non de sepulcro, sed de inferno certe est intelligenda, quoniam *de anima* sermo est: *Non derelinques animam meam in inferno*, et quoniam sepulcrum significant partim verba praecedentia: *Caro mea requiescet in spe*, partim sequentia: *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Sicuti ergo in citato textu speciatim de anima et speciatim de corpore sermo est, ita et necessario infernus et sepulcrum distinguuntur. Ex eadem ratione etiam in verbis Petri per infernum locus est intelligendus, in quem anima Christi post mortem descendit. Doctrina ergo de descensu Christi ad inferos ex Revelatione orta est, et nequaquam ex philosophiae platonicae erroribus, quos Ecclesia semper detestata est.

Obi. II. Christus, antequam abiret, latroni poenitenti dixit: *Hodie mecum eris in paradiso* (5); anima ergo Christi fuit in paradiso ea ipsa die qua a corpore separata est, atque ideo falsum est, eam ad inferos descendisse, et illo triduo ibi permansisse.

Resp. Nomine paradisi locus gaudiorum intelligitur, unde etiam locus, in quem protoparentes in statu innocentiae collocati fuerant, hoc nomine insignitus est (6). Coelum autem, seu sedes Beatorum ideo paradisus nuncupatur, quia locus est gaudiorum. Ast quilibet locus, in quo vera gaudia inveniuntur, paradisus recte nominatur. Nullatenus ergo in verbis Christi per paradisum necessario aut paradisus terrestris, aut ipsum coelum intelligitur; sed locus denotatur, in quo per claram et intuitivam visionem Dei summa beatitudo habetur. In talem autem locum Christus limbum convertit; nam Eccli. XXIV, 45 dicit: *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino;* iuxta quae verba Christus primo statim adventus sui momento in limbum non latroni modo, sed reliquis etiam in sinu Abrahae quiescentibus animabus lumen gloriae contulit, quo adiuti Deum clare et intuitive videbant, sicque summa beatitudine perfruebantur. Atque ita verba Christi ad latronem dicta verificata sunt, quoniam hic in limbo cum Christo summam beatitudinem nactus est. Iam *S. Augustinus* (7) per paradisum in-

(1) Is 14, 9. (2) Gen. 37, 35.
(3) Luc. 16, 22; 2 Petr. 2, 4.
(4) L. 22. diss. theol. c. 7. n. 17.
(5) Luc. 23, 43. (6) Gen. 2, 8.
(7) L. 12. de Gen. ad litt. c. 34

tellexit sinum Abrahae, seu limbum; quia Christus per descensum suum fecit, ut limbus esset paradisus, ut inferi essent superi, ut infernus esset coelum; ubi enim est Christus, ibi est paradisus; ubi est visio Dei, et beatitudo, ibi est coelum.

Obi. III. De descensu Christi ad inferos nihil dicitur in Symbolo *Nicaeno Constantinopolitano*, ut legenti patet: imo iste articulus, *descendit ad inferos*, antiquitus non referebatur in Symbolo *Apostolico*, quo Ecclesia Romana et Ecclesiae Orientales utebantur. Illius non meminerunt *S. Irenaeus* (1), *Tertullianus* (2), *S. Augustinus* (3) et *S. Petrus Chrysologus* (4), licet Apostolorum Symbolum explicent. Dicendum ergo est, Christum ad inferos non descendisse, assutumque fuisse a male feriato homine hunc pannum Symbolo Apostolico.

Resp. Concilium *Nicaenum I* ea clare expressit, quae ad divinitatem Christi contra Arianos propugnandam pertinebant; descensum autem Christi ad inferos reticuit, non negavit. Hoc igitur silentium, ex quo solum argumentum negativum prodit, non infringit argumenta positiva iam allata. Quamvis porro in Symbolo *Apostolico*, quo olim Ecclesia *Orientalis* et *Romana* utebantur, haec verba, *descendit ad inferos*, non legerentur; habebantur tamen in eodem Symbolo, quo utebantur Ecclesia *Hierosolymitana*, teste *S. Cyrillo* (5), Ecclesia *Salaminae*, teste *Epiphanio* (6), et Ecclesia *Aquileiensis*, teste *Ruffino* (7). Idem articulus exprimitur in Symbolo etiam Arianorum proposito in Concilio *Ariminensi*, anno 359.— Neque mirum est descensum Christi ad inferos in veteri Symbolo desiderari, quia implicite in his verbis continetur *et sepultus est*, ut monet *Ruffinus* (8); non quod inferorum nomine sepulcrum designetur; sed quia sicut corpus Christi Domini descendit ad suum locum, nempe terram, quae est locus corporum: ita et anima ad locum animarum descenderit, nempe ad limbum, in quo animae sanctae detinebantur. Notandum praeterea est, Ecclesiam Romanam, quae semper sedulo invigilavit, ne quid innovetur, nisi quod traditum est, nunquam illas Ecclesias reprehendisse, quae praefatum articulum in Symbolo exprimebant, quoniam in fide eiusdem articuli plane consentiens fuit. Cum autem Apollinaristae inciperent dogma de anima Christi impugnare, et Ecclesia inter alia etiam inde argumentata est, Christum veram animam habuisse, quod descenderit ad inferos: articulus iste merito adiectus fuit Symbolo Apostolico, et ideo etiam in Symbolo Athanasiano, post tempora Apollinaris confecto, deprehenditur. Nullatenus autem ideo novum dogma condebatur, sed solum id in Symbolo pronunciabatur quod firma fide semper creditum est, uti ex Ss. Patrum consensu liquet.

Obi. IV. Verba Symboli, *descendit ad inferos*, metaphorice sunt intelligenda, vel de sepulcro, ad quod corpus exanime descendit, vel de infimo exinanitionis Christi statu, in quo Christus Deum sibi iratum sentiens, et de propria salute timens, vere tormenta inferorum, nempe damnatorum pertulit.

Resp. Absona sunt, quae commiscuntur Calviniani. In Symbolis enim brevissime praecipua dogmata

(1) L. 1, adv. haer. c. 2.
(2) In libris c. Praxeam, cap. 2, de praescript. c. 13, de veland. virg. c. 1.
(3) L. de fide, et Symb. et 4 lib. de Symb. ad Catechumenos. (4) Serm. 56-62, in Symb.
(5) Hier. Cat. 4 et 14.
(6) L. 3, adv. haer. in compend. fid. cath.
(7) In exp. Symb. (8) In exp. Symb.

exprimuntur; unde admitti nequit sepulturam Christi duplici sententia exprimi, atque ita, ut posterior priore obscurior esset. — Infimus porro exinanitionis status fuit in morte; unde Christus ipse morti proximus exclamavit: *Consummatum est;* et Paulus ait: *Humiliavit semetipsum — usque ad mortem, mortem autem crucis*, quo dicto ad statum exaltationis transit. Blasphemum est autem cum Calvino dicere, Christum ita sibi Deum iratum sensisse, ut sibi de propria salute formidandum fuisset: talia affirmans non solum innocentiam et sanctitatem Christi, sed et unionem hypostaticam eiusque divinitatem negat, et sic fundamentalia Religionis christianae dogmata debellat.

Nota 4. Christus in suo ad inferos descensu eximiam bonitatem manifestavit. « Considera, ait *S. Bonaventura* (1), et attende, quanta fuerit eius benignitas, in infernum descendere, quanta charitas, quanta humilitas. Poterat enim unum Angelum ad eos mittere, et omnes servos suos liberare, et sibi praesentari, ubi voluit: sed hoc non sustinuisset amor eius infinitus et humilitas sua. Per semetipsum ergo descendit, et non ut servos, sed et ut amicos visitaret Dominus omnium, et stetit cum eis ibidem usque ad diem dominicam prope auroram. » Imitemur Domini et Redemptoris nostri charitatem et humilitatem, atque miseros, pauperes infirmosque visitare, consolari, adiuvare, et quantum valemus a malis liberare non dedignemur. Praecipue autem ad animas in purgatorio detentas spiritu nostro frequenter descendere, illisque per pia suffragia nostra sedulo succurrere debemus. — Ipsas quoque animas Sanctorum in limbo a Christo visitatas *S. Bonaventura* tanquam praeclara exempla nobis proponit (2), dicens: « Iubilarunt sancti Patres in Christi adventu, et repleti sunt iucunditate immensa, omni displicentia procul expulsa, et stabant in laudibus et canticis coram eo... Et procidentes adoraverunt eum cum gaudio et laetitia magna. » Haec exempla nos imitari oportet, cum Christus in S. Synaxi in pectus nostrum descendit. Quantam enim unigenitus Filius Dei in isto descensu charitatem, quantam humilitatem ostendit, cum ideo tantum veniat, ut gratiis nos repleat, et aeternae gloriae pignus nobis tribuat? — Vere tunc dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tanto benefactori fervidas gratias agere, et perfectissimo erga ipsum amore inflammari.

(1) Medit vitae Chr. c. 85. (2) Ibidem.

II. *De Resurrectione Christi.*

§ 383. Christum vere a mortuis resurrexisse, iam alibi probatum est (Th. gen. § 133). Quaedam tamen hic addere oportet, ut appareat, Christum, quo magis in terra per atrocissimam mortem suam humiliatus et exinanitus fuit, eo magis per resurrectionem exaltatum et glorificatum esse.

1. Resurrectio Christi condigna fuit remuneratio pro doloribus et opprobriis, quos divinus Redemptor sustinuit. Unde *S. Thomas* (3) scribit: « Necessarium fuit, Christum resurgere... ad commendationem divinae iustitiae, ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant secundum illud Luc. I: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Quia igitur Christus propter charitatem et obedientiam Dei se humiliavit usque ad mortem crucis, oportebat, quod exaltaretur a Deo usque ad gloriosam resurrectionem. Unde ex

(3) 3, q. 53, art. 1.

eius persona dicitur in Ps. CXXXVIII: *Tu cognovisti*, id est, approbasti *sessionem meam*, id est, humilitatem et passionem, *et resurrectionem meam*, id est, glorificationem meam in resurrectione. »

2. Resurrectionis voce non illud solum intelligendum est, Christum e mortuis excitatum esse, quod multis aliis commune fuit, sed sua vi et virtute resurrexisse, quod proprium in illo fuit et singulare. Quam seipsum resuscitandi potestatem Christus sibi attribuit, dicens: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (1). Iudaeis etiam ad confirmandam doctrinae veritatem dixit: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (2). Quod quidem tametsi de templo illo magnifice ex lapidibus structo intelligerent, *ille autem dicebat de templo corporis sui* (3). Rectissime ergo dicitur, Christum propria virtute resurrexisse, quamvis hincinde (4) a Patre resuscitatus esse dicatur. Utrumque enim verum est. Nam, ait *S. Thomas* (5), « per mortem non fuit separata divinitas nec ab anima Christi, nec ab eius carne. Potest igitur tam anima Christi mortui, quam eius caro considerari dupliciter: uno modo ratione divinitatis; alio modo ratione ipsius naturae creatae. Secundum igitur unitae divinitatis virtutem et corpus resumpsit animam, quam deposuerat, et anima corpus resumpsit, quod dimiserat, et sic Christus propria virtute resurrexit. Et hoc est, quod de Christo dicitur quod *etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (6). Si autem consideremus corpus et animam Christi mortui secundum virtutem naturae creatae, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari a Deo. » Ideo autem tum a Patre, tum a seipso Christus suscitatus dicitur, quia (7), « eadem est divina virtus et operatio et Patris, et Filii. Unde haec duo se consequuntur, quod Christus sit suscitatus divina virtute Patris et suiipsius. »

3. Si quaeritur, cuius conditionis et qualitatis fuerit corpus Christi resurgentis, *S. Thomas* (8) respondet: « Corpus Christi in resurrectione fuit eiusdem naturae, sed alterius gloriae. Unde quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in corpore Christi resurgentis. Manifestum est autem, quod ad naturam corporis humani pertinent carnes et ossa, et sanguis et alia huiusmodi. Et ideo omnia ista in corpore Christi resurgentis fuerunt, et etiam integraliter absque omni diminutione: alioquin non fuisset perfecta resurrectio, si non fuisset redintegratum, quidquid per mortem ceciderat. » Idcirco ipse Christus, post resurrectionem discipulis apparens, inquit: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum: palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (9). Quamvis autem corpus Christi post resurrectionem naturam suam retinuerit, attamen ex passibili et mortali evasit impassibile et immortale. « Qualitas transit, inquit *S. Leo* (10), non natura defecit, et factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi, factum est immortale, quod potuit vulnerari. Et merito dicitur caro Christi in eo statu, quo fuerat nota, nesciri: quia nihil in ea passibile, nihil remansit infirmum,

(1) Io. 10, 17, etc. (2) Io. 2, 19.
(3) Ib. v. 21. (4) Act. 3, 24; Rom. 8, 11.
(5) L. c. art. 4. (6) 2 Cor. 13, 4.
(7) Ibid. ad 1. (8) 3, q. 54, a. 2.
(9) Luc. 24, 39. (10) Ser. 1, de resur. Chr.

ut et ipsa sit per essentiam, et non sit ipsa per gloriam. » Ast non solum ab omni dolore, passione et defectu longe remotum, sed etiam magna gloria circumfusum corpus Christi post resurrectionem fuit. Nam, ait *S. Thomas* (1), « Corpus Christi fuit gloriosum in resurrectione, et hoc apparet triplici ratione. Primo quidem, quia resurrectio Christi fuit exemplar et causa nostrae resurrectionis, ut habetur I Cor. XV, 43: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Unde cum causa sit potior causato, et exemplar exemplato, multo magis corpus Christi resurgentis fuit gloriosum. Secundo, quia per humilitatem passionis meruit gloriam resurrectionis; unde et ipse dicebat Io. XII, 27: *Nunc anima mea turbata est*, quod pertinet ad passionem; et postea v. 28: *Pater, clarifica nomen tuum*, quo petit gloriam resurrectionis. Tertio, quia — anima Christi a principio suae conceptionis fuit gloriosa per fruitionem divinitatis perfectam. Est autem dispensative factum — ut ab anima gloria non redundaret in corpus ad hoc, quod mysterium nostrae redemptionis sua passione impleret. Et ideo, peracto hoc mysterio passionis et mortis Christi, statim anima in corpus in resurrectione resumptum suam gloriam derivavit, et sic factum est corpus illud gloriosum. »

4. Christus cicatrices vulnerum sibi in cruce inflictorum etiam post resurrectionem in corpore retinuit. Quod ex sapientissimis consiliis factum esse, ostendit *S. Thomas* (2) dicens: « Conveniens fuit, animam Christi in resurrectione corpus cum cicatricibus resumere. Primo quidem propter gloriam ipsius Christi: dicit enim *V. Beda* (3) quod non ex impotentia curandi cicatrices servavit, sed ut in perpetuum victoriae suae circumferat triumphum: unde et *S. Augustinus* (4) dicit, quod fortassis in illo regno in corporibus Martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quae pro Christi nomine pertulerunt; non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, et quaedam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo. Secundo, ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suae resurrectionis. Tertio, ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat. Quarto, ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adiuti, propositis eiusdem mortis indiciis, insinuet. Postremo, ut (reprobis) in iudicio quam iuste damnentur, ibidem denunciet. Unde sicut Augustinus dicit (5): Sciebat Christus quare cicatrices in suo corpore servaret: sicut enim demonstravit Thomae non credenti nisi tangeret et videret, ita etiam inimicis vulnera demonstraturus est sua, ut convincens eos veritas dicat: Ecce hominem, quem crucifixistis, videtis vulnera, quae inflixistis, agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam per vos et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. » Porro cicatrices apertas esse, patet ex eo, quod dominus Thomae praecepit, ut digitos in loco clavorum et in latus manum mitteret. Denique corpus Christi resuscitatum nunquam immutandum, et cicatrices semper in illo duraturas esse, Angelicus (6) probat auctoritate *S. Augustini* et *S. Gregorii M.*; et idem confirmant Act. verba: *Iesus... sic veniet* (ad iudicandum) *quemadmodum eum vidistis euntem in coelum* (7).

(1) 3, q. 54, art. 3. (2) Ibid. art. 4.
(3) Super Luc, 24, 39.
(4) L. 22 de Civ. Dei, c. 22.
(5) L. 2 de Symb. ap. *Bedam* l. c.
(6) Ib. ad 3. (7) Act. I, 11.

5. Christus eoquod se Filium Dei esse palam profiteretur, tanquam blasphemus opprobriis et iniuriis saturatus, et morte damnatus est. Ast propria virtute resurgens, se verum Filium Dei ostendit, veritatem doctrinae suae comprobavit, et maximam in terris gloriam consecutus est. Quamvis enim suis dumtaxat amicis apparuisset, attamen etiam inimici de ipsius resurrectione dubitare non poterant, quia eius corpus in sepulcro a militibus custodito invenire non valuerunt. Per resurrectionem ergo fides discipulorum firmata, impietas et incredulitas adversariorum confusa, et gloria Christi ubique manifestata est.

Nota 1. Captu difficile nonnullis videtur, quomodo corpus Christi gloriosum ab infirmis mortalium oculis potuerit videri, et eorum manibus palpari, et qua ratione Christus post resurrectionem manducaverit et biberit etc. Sed notandum est, corpus gloriosum esse visibile, quia, cum perfecte subdatur animae, potest eius splendor ita videntibus attemperari, ut sine laesione sensus cerni possit. Est etiam corpus gloriosum palpabile, quia veram habet soliditatem, qua tangenti resistere potest, si velit anima, cui ad nutum obsequitur. Potest etiam comedere non alimenti indigentia, sed facultate naturali vitali, quae integra perseverat. Cibus vero non convertitur in substantiam comedentis, qui est extra statum generationis corruptionis et cuiusvis alterationis, sed resolvitur vi caloris naturalis in aërem et vapores, eo modo, quo sol absumit aquas, non ut sibi uniat, sed ut in aërem et vapores resolvat.

Nota 2. Christus in resurrectione sua varia attributa divina manifestavit, nempe *omnipotentiam*, dum eo pori suo doloribus consumpto, sepulcro incluso et a militibus custodito, vitam in momento restituit; *sapientiam*, quia tertia die resurrexit, seu tali tempore, quod ad veritatem mortis ipsius extra omne dubium ponendam sufficiens erat; *iustitiam* erga perfidos Iudaeos, quibus se in statu gloriae conspicuum non reddidit, sed eorum incredulitatem confudit; *misericordiam* erga discipulos, ex infirmitate tentationis tempore deficientes, quibus tamen frequenter apparuit, variasque gratias elargitus est; ac demum *bonitatem* erga nos omnes, quoniam etiam in statu gloriae et exultationis Doctoris munere functus est, *per quadraginta dies apparens, et loquens de regno Dei* (1). — Praeterea resurrectio Christi fundamentum spei nostrae constituit; dum enim videmus Christum, qui est caput nostrum, resurgere, speramus et nos resurrecturos esse. Unde I Cor. XV, 12 dicitur: *Si Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Imo resurrectio Christi, quae omnium perfectissima est, etiam exemplar nostrae dici potest; quemadmodum enim Christi corpus resurgens ad immortalem gloriam immutatum est, ita nostra etiam corpora, quae prius imbecillia et mortalia fuerant, gloria et immortalitate donata restituentur, dicente Paulo: *Salvatorem expectamus D. N. I. Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae* (2). — Denique resurrectio Christi est etiam exemplar resurrectionis spiritualis, seu animae e statu peccatorum; sicuti enim Christus vere, visibiliter et constanter resurrexit, ita etiam peccator sepul-

(1) Act. 1, 3. (2) Phil 3, 20, etc.

crum peccati relinquere, novamque vitam arripere debet, ut observat Apostolus Rom. VI, 2 etc.: *Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus*, etc.

III. *De ascensione Christi ad coelos.*

§ 384. Post resurrectionem Christus in terra per quadraginta dies commoratus est, et postmodum gloriosus in coelum ascendit. Equidem Christus, ut *Deus est*, nunquam ab eo abfuit, ut qui divinitate sua loca omnia compleat. Sed de Christo Iesu illud etiam fideles sine dubitatione credere oportet, eum, perfecto iam et absoluto redemptionis nostrae mysterio, *ut homo est*, in coelum corpore et anima ascendisse. Qua de re *Catechismus romanus* (1) docendum esse monet, Christum « ascendisse sua virtute, non aliena vi sublatum, quemadmodum *Elias* (2), qui igneo curru in coelum evectus est, vel *Habacuc* propheta (3), vel *Philippus* diaconus (4), qui divina virtute per aërem delati, longinqua terrarum spatia permearunt. Neque vero solum ut Deus praepotenti divinitatis virtute in coelos ascendit, sed etiam ut homo est. Quamvis enim naturali vi id fieri non potuerit, tamen virtus illa, qua beata Christi anima praedita erat, corpus, ut libuit, movere potuit: corpus vero, quod iam gloriam adeptum erat, moventis animae imperio facile parebat; atque hac ratione, ut Deus et ut homo est, Christum in coelum sua virtute ascendisse, credimus. » Dogma hoc *ex S. Scriptura* et *Traditione* probatur, quibus *rationes theologicae* adiungi possunt.

1. *S. Scriptura* ascensionem Christi in coelum describit. Marc. XVI, 19 legitur: *Dominus Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei.* Luc. XXIV, 50 etc.: *Eduxit eos foras in Bethaniam, et, elevatis manibus suis, benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in coelum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno.* Act. I, 9, etc.: *Cum haec dixisset* (de mittendo Spiritu sancto, ut ad ferendum de Christo testimonium apti redderentur Apostoli), *videntibus illis, elevatus est; et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis; qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum? Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.* Gloriosam Messiae ascensionem iam David vaticinatus est Ps. LXVII dicens v. 4.: *Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi:* v. 7, *qui educit vinctos in fortitudine;* v. 19, *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus.* Quae verba Paulus Christo applicans ait: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia* (5); id est, ut sicut inferos et terram, ita etiam coelum gloria sua impleret. Huc etiam spectat locus I Tim. III, 16, ubi de eodem Verbo, quod *manifestatum est in carne*, ultimo dicitur: *assumptum est in gloria.* — Quodsi Christus in S. Scriptura in coelum *e-*

(1) P. I, c. 7, n. 2. (2) 4 Reg. 2, 11, etc. (3) Dan. 15, 34. (4) Act. 8, 39

(5) Eph. 4, 8, etc.

levatus et assumptus dicitur, non ideo negatur, ipsum propria virtute in coelum ascendisse; nam, ut ait *S. Thomas* (1): « Sicut Christus dicitur propria virtute resurrexisse, et tamen est suscitatus a Patre, eoquod eadem est virtus Patris et Filii; ita etiam Christus propria virtute ascendit in coelum, et tamen a Patre est elevatus et assumptus. »

2. *Traditio* cum S. Scriptura concordat. Ecclesia ascensionem Christi semper credidit et in Symbolis professa est. In Symbolo Apostolico de Christo dicitur: *ascendit ad coelos:* idemque fidei articulus exponitur in Symbolo *Nicaeno CPtano*, in *Athanasiano*, et in professione fidei Concilii *Lateranensis IV.* Ss. Patres quoque de ascensione Christi praeclare loquuntur. *Tertullianus* (2) ait: « Quemadmodum (Christus) nobis arrabonem spiritus reliquit, ita et a nobis arrabonem carnis accepit, et vexit in coelum pignus totius summae illuc quandoque redigendae. Securae estote, caro et sanguis! Usurpastis et coelum et regnum Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent et in coelo Christum, qui vobis coelum negaverunt. » *S. Cyrillus Hier.* (3) comparationem instituit inter translationem Henoc et Eliae, ac ascensionem Christi, hancque illa longe praestantiorem fuisse dicit: « ad servandam Domino mirabilium effectorum excellentiam. Illi siquidem portabantur, Christus vero omnia portat; Henoch translatus est, at Iesus ascendit; Elias ad Orientem Iordanis adsumptus, Christus ad Orientem torrentis Cedron in coelum elevatus est. » *S. Ambrosius* (4) in illa verba: *Attolite portas principes vestras*, ita eleganter loquitur: « Veniebat novis victor redimitus exuviis Dominus in templo sancto suo. Praeibant Angeli et Archangeli, mirantes spolium ex morte quaesitum, et quamvis scirent, nihil Deo accedere potuisse ex carne, quia infra Deum omnia sunt, tamen trophaea crucis, cuius principatum super humeros eius, et triumphantis aeterni manubrias intuentes, quasi eum, quem emiserunt, coeli portae capere non possent, maiorem viam quaerebant aliquam revertenti. Adeo nihil exinanitus amiserat. Debuit tamen novo victori novum iter parari, quia non unus homo, sed totus in omnium Redemptore mundus intrabat. » *S. Chrysostomus* (5) inquit: « Christus, Apostolis non videntibus, resurrexit; sed, illis videntibus, elevatus est, quia neque aspectus hic omnia potuit. Nam resurrectionis finem viderunt, initium non item: assumptionis vero initium viderunt, non vero finem. Inutile namque fuisset in resurrectione initium videre, ipso praesente, qui haec loqueretur, et, sepulcro testificante, ipsum ibi iam non esse. Sed quae assumptionem secuta sunt, verbo discere oportebat... quia procul positum non poterant oculis cognoscere: quod autem in coelum susceptus sit, ipsi postea Angeli docuerunt. » Et (6) addit: « Nec dixit quem vidistis assumptum, sed *euntem in coelum*, ut ostendatur, assumptionem illam ascensionem fuisse. » *S. Augustinus* (7) scribit: « Ego Christi corpus ita esse in coelo credo, ut erat in terra, quando ascendit in coelum. Dixerat autem discipulis, ut in Evangelio legimus, de sua resurrectione dubitantibus, et illud, quod videbant, non corpus, sed spiritum [illegible] tibus... *Palpate et videte, quia spi-*

(1) 3, q. 57, art. 3 ad 1.
(2) L. de resur. carnis c. 51.
(3) Cat. 4, n. 25. (4) L. 4 de fide c 1.
(5) Hom. 2 in Acta Apost. n. 2.
(6) N. 3. (7) Epist. 205 ad Consentium n. 2.

ritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Sicut eorum, cum esset in terra, contrectatus est manibus, sic eorum est, cum iret in coelum deductus aspectibus. Ibi vox evangelica sonuit : Sic veniet, quemadmodum *eum vidistis euntem in coelum.* Fides adsit, et nulla quaestio remanebit. » Idem (1) ait: « Dum humanam conditionem syderibus importavit, credentibus coelum patere posse monstravit: et dum victorem mortis in coelestia elevavit, victoribus, quae sequantur, ostendit. Ascensio ergo Domini catholicae fidei confirmatio fuit. » *S. Petrus Chrysologus* (2) dicit: « Ascendit, non ut se referret in coelum, qui semper mansit in coelo, sed ut te perferret, quem taliter vinctum absolvit et subtraxit inferno. Intellige unde, ubi homo per Deum es levatus, ut esses in coelestibus stabilis, qui eras lubricus et semper mutabundus in terra. » *S. Leo M.* (3) ait: « Apostoli omnesque discipuli, qui et de exitu crucis fuerant trepidi, et de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicua roborati, ut, Domino in coelorum eunte sublimia, non solum nulla afficerentur tristitia, sed etiam magno gaudio replerentur. »

3. *S. Thomas* sequenti ratione theologica ascensionem Christi probat (4) : « Locus debet esse proportionatus locato. Christus autem post resurrectionem vitam immortalem et incorruptibilem inchoavit. Locus autem, in quo nos habitamus, est locus generationis et corruptionis; sed locus coelestis est locus incorruptionis Et ideo non fuit conveniens, quod Christus post resurrectionem remaneret in terris, sed conveniens fuit quod ascenderet in coelum. » — Praeterea certum est, ea, quae Christus praedicit, eventu carere non posse. Sed Christus non obscure suam in coelum ascensionem praenunciavit. Discipulos, quibus sermo eius de manducando pane de coelo descendenti durus videbatur, corripuit, dicens: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius* (5)? — In praeclaro sermone in ultima coena habito, cum proximum suum e mundo discessum discipulis annunciasset (6), mox subiungit: *Non turbetur cor vestrum... in domo Patris mei mansiones multae sunt... vado parare vobis locum. Et si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad meipsum* (7); *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem... Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis* (8). *Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem* (9). Et post resurrectionem Christus Mariae Magdalenae dixit: *Nondum... ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (10). — Praedictiones istae sufficerent ad ascensionem Christi probandam. Cum enim Christus ipsa veritas sit, quae falli et fallere nequit; quaecunque ab ipso praedicuntur, certissime eveniunt.

Nota I. Increduli sicuti reliqua miracula, ita etiam ascensionem Christi impugnare conati sunt: quae autem obiiciunt, facile refelluntur.

Obi I. Christus, ait *Bahrdtius*, praesentibus Apostolis, ascendit mon-

(1) Serm. 170 (al. 176) de temp.
(2) Serm. 57 de Symbolo 2.
(3) Serm. 1 de Ascens. c. 4.
(4) 3, q. 57, a. 1.
(5) Io. 6, 62 etc.
(6) Io. 13, 33.
(7) Io. 14, 1 etc.
(8) Ib. v. 28.
(9) Io. 16, 28.
(10) Io. 20, 17.

tem, cuius vertici incubuerat nebula, quam ingressus ex eorum oculis evanuit, et ex altera parte montis descendens, nunquam postea seipsum illis conspicuum reddidit. Ideo a discipulis dictus creditusque fuit, in coelum ascendisse. Hoc ergo discipulorum testimonium nullam fidem meretur, praecipue, quia, etiam Theologis catholicis fatentibus, ipsum in coelum ingressum propriis oculis conspicere non potuerunt.

Resp. Facta historica non per corruptae rationis cavillationes declaranda, aut potius corrumpenda, sed ex monumentis historicis probanda sunt. Ast Bahrdtii commento sacri libri refragantur. In his enim legitur, Christum non discessisse ab Apostolis, ut verticem montis ascenderet, sed iisdem ita propinquum fuisse, ut eum loquentem audirent, quando *assumptus est in coelum* (1). Dein non dicitur, quod montem ascenderit, sed quod *ferebatur in coelum* (2). Demum Act. I, 9 etc. expresse legitur, quod discipuli elevatum viderint Christum, quod non ipse nubem ingressus, sed a nube susceptus fuerit, et quod ipsum intuerentur, non montem ascendentem, sed *euntem in coelum*. Negari equidem non potest, Apostolos propriis oculis ipsum in coelum ingressum conspicere non potuisse; sed de hoc ingressu certiores facti sunt tum ex praedictionibus Christi, tum ex testimonio Angelorum. Caeterum iuxta Bahrdtii commentum Christus impostor fuisset, qui Apostolos decepit: sed Christum impostorem non fuisse, sat luculenter patet ex iis, quae de veritate Religionis christianae dicta sunt in Theologia gen. § 122 - § 157.

Obi. II. Ascensio Christi solummodo a Marco et Luca commemoratur, qui illi praesentes non fuerunt. Matthaeus autem et Ioannes, qui tanquam Apostoli Christum ubique comitabantur, nullam de illa mentionem faciunt. Matthaeus potius contrarium asserit, cum testatur, Christum semper cum Apostolis commoratum esse, quia dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* His accedit, quod narratio Lucae contradictionem involvat; nam in suo Evangelio cap. ult. dicit: *Eduxit eos in Bethaniam... et elevatus est;* sed Act. I, hoc idem in monte Oliveti contigisse, narrat: *Reversi sunt... a monte, qui dicitur Oliveti.*

Resp. Marcus et Lucas, dictantibus et approbantibus Apostolis, libros suos conscripserunt, atque ideo plenam fidem merentur. Omnes autem Apostolos ascensionem Christi credidisse et docuisse, patet ex Symbolo, in quo iste articulus continetur. Si in Evangeliis Matthaei et Ioannis ascensio reticetur, non ideo negatur. Silentium unius Evangelistae narrationem alterius dubiam, aut suspectam non reddit, quia argumenta negativa nequeunt infringere positiva, si adsunt. Matthaeus dicit, Christum per specialem assistentiam suam semper cum Apostolis docentibus futurum esse. Ioannes ascensionis historiam equidem non refert, sed eandem ascensionem a Christo saepius praedictam fuisse, testatur. Neque Lucas sibi contradicit; nam Bethania, ut testatur *S. Hieronymus* (3), erat in declivio montis Oliveti sita: transivit ergo Iesus Bethania, atque inde ascendit montem, unde et in coelum elevatus est. Testantur porro *S. Hieronymus* (4), *S. Augustinus* (5), *S. Paulinus* (6), *V. Beda* (7)

(1) Marc. 16, 19. (2) Luc. 24, 51. (3) De locis hebraic. (4) L. c. (5) Tract. 47, in Io. (6) Ep. 11 ad Sever. (7) De locis sanctis c. 7.

et alii, Christum in monte impressisse pedum vestigia constanter permanentia, et templum ibi a S. Helena extructum nunquam plene contegi potuisse. Haec sunt S. Hieronymi verba (1): « Mons Oliveti ad Orientem Ierosolymae, torrente Cedron interfluente, ubi ultima vestigia Domini humo impressa hodieque monstrantur: cumque terra eadem quotidie a credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuo recipiunt. Denique cum Ecclesia, in cuius medio sunt, rotundo schemate et pulcherrimo opere conderetur, summum tamen cacumen, ut perhibent, propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi et concomerari potuit; sed transitus eius a terra ad coelum usque patet apertus.»

Nota 2. Magna quae nobis attulit ascensio Christi emolumenta praeclare ostendit *S. Thomas* (2) dicens: « Ascensio Christi in coelum, qua corporalem suam praesentiam nobis subtraxit, magis fuit utilis nobis, quam praesentia corporalis fuisset. Primo quidem, propter fidei augmentum, quae est de non visis. Unde ipse Dominus dicit discipulis suis (3), quod *Spiritus sanctus* adveniens *arguet mundum de iustitia*, scilicet eorum qui credunt; ut Augustinus (4) dicit: Ipsa quippe fidelium comparatio infidelium est vituperatio; unde subdit: *quia ad Patrem vado, et iam non videbitis me:* beati enim sunt, qui non vident et credunt. Erit igitur vestra iustitia, de qua mundus arguetur, quoniam in me, quem non videbitis, credetis. Secundo, ad spei sublevationem. Unde ipse dicit: *Si abiero et praeparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis* (5). Per hoc enim, quod Christus humanam naturam assumptam in coelo collocavit, dedit nobis spem illuc perveniendi, quia *ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae*, ut dicitur Matth. XXIV, 28. Unde Mich. II, 13 dicitur: *Ascendet pandens iter ante eos.* Tertio, ad erigendum charitatis affectum ad coelestia. Unde dicit Apostolus: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram* (6); ut enim dicitur Matth. VI, 21: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Et quia Spiritus sanctus est amor, nos in coelestia rapiens; ideo Dominus dicit discipulis: *Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos* (7). Quod exponens *Augustinus* (8) dicit: Non potestis capere spiritum, quamdiu secundum carnem persistitis nosse Christum. Christo autem discedente corporaliter non solum Spiritus sanctus, sed et Pater et Filius illis affuit spiritaliter.

(1) De locis hebraic. (2) 3, q. 57, a. 1 ad 3. (3) Io. 16, 8 et 10. (4) Tr. 94 in Ioan. (5) Io. 14, 3. (6) Colos. 3, 1 etc.

IV. *De sessione Christi ad dexteram Patris.*

§ 385. Sessio Christi ad dexteram Patris non materialiter de positione corporis, sed metaphorice de quieta omnium bonorum fruitione, et de suprema regia, vel iudiciaria potestate intelligenda est. Deus Pater enim, qui est simplicissimus spiritus, latus dextrum et sinistrum non habet, quod in solis corporibus distingui potest. Neque in hoc fidei articulo credendum proponitur, Christi corpus in coelo semper sedere; nam S. Stephanus (9) Christum *stantem* vidit, et (10) Virgines dicuntur sequi

(7) Io. 16, 7. (8) Tr. 94 in Ioan. (9) Act. 7, 55. (10) Apoc. 14, 4.

agnum quocunque ierit. Recte ideo *S. Thomas* (1) dicit: « Nomine sessionis possumus duo considerare, videlicet quietem secundum illud *sedete in civitate* (2) etc.; et etiam regiam, vel iudiciariam potestatem secundum illud: *Rex, qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo* (3). Utroque ergo modo Christo convenit sedere ad dexteram Patris. Uno quidem modo, in quantum aeternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quae eius dextera dicitur secundum illud: *Delectationes in dextera tua usque in finem* (4); unde *Augustinus* dicit (5): Sedet ad dexteram Patris; sedere, habitare intelligite, quomodo dicimus de quocunque homine: in illa patria sedit per tres annos. Sic ergo credite Christum habitare in dextera Dei Patris; beatus enim est, et ipsius beatitudinis nomen est dextera Patris. Alio modo dicitur Christus sedere ad dexteram Patris, in quantum Patri conregnat et ab eo habet iudiciariam potestatem: sicut ille qui considet Regi ad dexteram, assidet ei in regnando et iudicando; unde *Augustinus* dicit (6): Ipsam dexteram intelligite potestatem, quam accepit ille homo susceptus a Deo, ut veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicandus.» Docet praeterea Angelicus, quod Christus tum ut Deus (7), tum ut homo (8) convenienter dicatur sedere ad dexteram Patris, quod breviter declarat (9), dicens: « Christus dicitur sedere ad dexteram Patris in quantum secundum divinam naturam est in aequalitate Patris, secundum autem humanam naturam in excellenti possessione divinorum bonorum prae caeteris aliis creaturis.» Itaque per sessionem ad dexteram Patris summus ac perpetuo duraturus exaltationis gradus exprimitur, seu summa maiestas, beatitudo et potestas significatur, qua Christus ut homo ratione meritorum suorum insignitus est. Christum hoc sensu ad dexteram Patris sedere, Revelatio docet.

1. In *S. Scriptura* sat luculenta huius dogmatis testimonia leguntur. Iam in V. T. sessio Messiae ad dexteram Patris praedicta fuit; legitur enim: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (10). Matth. XXVI, 64 Christus, cum a principe sacerdotum adiuratus se Filium Dei esse profiteretur, mox subiunxit: *Veruntamen dico vobis: amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli.* Marc. XVI, 19 narratur: *Christus Dominus assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei.* Act. II, 33 etc. a Petro Christus *dextera Dei exaltatus* dicitur, ipsique Davidis vaticinium Ps. CIX applicatur. Paulus Rom. VIII, 34 etc. scribit: *Quis est, qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei*, etc. Et Ephes. I, 18 etc. docet, Christum ita sedere ad dexteram Patris, ut maiestate, gloria, et virtute omnes creaturas longe superaret; ait enim: *Ut sciatis... quae sit supereminens magnitudo virtutis eius, in nos qui credimus secundum operationem potentis virtutis eius, quam operatus est in Christo suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et o-*

(1) 3, q. 58, a. 1. (2) Luc. 24, 49.
(3) Prov. 20, 8. (4) Ps. 15, 11.
(5) In lib. de Symb. c. 4.
(6) In alio sermone de Symbolo.
(7) Ib. art. 2. (8) Art. 3. (9) Art. 4.
(10) Ps. 109, 1 etc.

mne nomen, quoa nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius. Quod idem de Christo confirmat Hebr. I, 3, etc., dicens: *Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit.*

2. *Traditio,* seu perpetua Ecclesiae fides de sessione Christi ad dexteram Patris patet ex Symbolis. Nam in Apostolico de Christo dicitur: *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis;* in Nicaeno-CPtano: *Sedet ad dexteram Patris;* in Athanasiano: *Sedet ad dexteram Patris.* Eundem fidei articulum profitentur, et declarant Ss. Patres. S. *Polycarpus* (1) ait: « Credite in illum, qui D. N. I. Christum a mortuis resuscitavit, ipsique gloriam dedit et thronum ad dexteram suam, cui omnes res et coelestes et terrestres subiectae sunt, cui omnia serviunt. » S. *Chrysostomus* (2) dicit: « Vides, quam multa sit operatus! Christum suscitavit, hocne parvum? — Sed rursus vide. Sedere fecit ad dexteram suam. Ullane oratio hoc poterit explicare? — Vide autem quo extulerit: in coelestibus eum fecit superiorem omni creata natura... Hoc de eo dicitur qui est exaltatus a mortuis, quod qui dignum est admiratione... Non de Deo Verbo (i. e. de natura divina) sic dixit, sed de eo quidem, qui fuit ex nobis, hoc est vere magnum et admirabile. » S. *Augustinus* (3) ita praeclare loquitur: « Credimus etiam, quod sedet ad dexteram Patris. Nec idem tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat: aut idipsum, quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium, in quo execratur Apostolus eos qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis... Ad dexteram ergo intelligendum est sic dictum esse, in summa beatitudine ubi iustitia, et pax, et gaudium est; sicut ad sinistram haedi constituuntur, id est in miseria propter iniquitates, labores atque cruciatus. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem, sed iudiciariam significat potestatem, qua illa maiestas nunquam caret, semper digna dignis tribuendo. » S. *Petrus Chrysologus* (4) inquit: « *Sedet ad dexteram Patris,* divinae virtutis ordine, non honoris humani. Diximus, sic Filius a dextris sedet, ut nunquam Pater sedeat a sinistris. »

Nota 1. Christus in summa gloria maximaque beatitudine ad dexteram Dei sedens, pro eorum, quos redemit, salute sollicitus est, munusque suum sacerdotale continuat orando et interpellando pro nobis. Testatur id Apostolus Christum laudans: *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (5). Et Hebr. VII, 24 etc. de Christo ait: *Hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Unde S. Ioannes dicit: *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum* (6). Nonnulli putant,

(1) Ep. ad Philip. c. 2.
(2) Hom. 3 in Ep. ad Ephes. n. 3.
(3) L. de Fide, et Symbolo c. 7.
(4) Serm. 62 de Symbolo.
(5) Rom. 8, 34. (6) 1 Ep. 2, 1.

quod Christum pro nobis orare et interpellare nihil aliud sit, quam eundem seipsum sistere Patri, quae passus est palam ostendere, et per merita sua gratias nobis impetrare. Ita *S. Gregorius M.* (1) inquit: « Unigenitum Filium pro homine interpellare, est apud coaeternum Patrem seipsum hominem demonstrare: eique pro humana natura rogasse, est eandem naturam in divinitatis suae celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione. » Etiam *S. Thomas* Lect. 7 in cap. 8, Ep. ad Romanos explicat quomodo Christus dicatur interpellare pro nobis, nempe « humanitatem pro nobis assumptam et mysteria in ea celebrata conspectui paterno repraesentando, » ac suas cicatrices Patri ostendens, quas in corpore suo glorioso servavit, tanquam suae acerbissimae mortis pro nobis toleratae perpetuos testes. Neque aliter interpellationem intellexit *S. Ambrosius*, qui (2) scribit: « Quid enim tam proprium Christi, quam advocatum apud Deum Patrem adstare populorum, mortem suam offerre pro cunctis? » — Alii tamen putant quod Christus sicut est verus sacerdos in aeternum, ita etiam vere et proprie interpellet et oret pro nobis ad dexteram Patris. Ita *Didimus* (3) ait: « Salvator mediatoris et legati personam habet, ex qua Pontifex deprecetur pro peccatis nostris, salvans in sempiternum eos, qui per ipsum accesserunt ad Deum. » *S. Augustinus* (4) ita loquitur: « Nunc quoque Christus et orat pro nobis, et orat in nobis, et oratur a nobis. Orat pro nobis ut Sacerdos noster; orat in nobis ut caput nostrum; oratur a nobis ut Deus noster. » Et alibi (5) scribit: « Nam et de ipso Domino Iesu Christo dictum est quod interpellat pro nobis. Numquid interpellat et non etiam postulat? Imo verò, quia postulat, pro eo positum est interpellat... Excepto itaque nomine generali, et salva loquendi consuetudine, secundum quam sive dicas precationem, sive orationem, sive interpellationem, vel postulationem, una eademque res intelligitur. » *S. Gregorius M.* (6) inquit: « Pro membris orat caput in hoc psalmo, ut corporis sui orationem Deus Pater exaudiat, et ut eius clamor ad divinae maiestatis aures ascendat. Quotidie enim orat Christus pro Ecclesia, de quo testatur apostolus Paulus, quia sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis. » *V. Beda* (7) ita disserit: « Rogabit Patrem per humanitatem, qui dabit cum Patre per divinitatem. Neque enim putandum est, quia ante passionem suam tantummodo pro Ecclesia rogaverit, et non etiam nunc post ascensionem roget, cum dicat de illo Apostolus: *qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* » Horum sententiam celebres Theologi sequuntur: « nec, ait *Petavius* (8), ab illis dissentiendum arbitror, neque dubitandum, quin ut aeternus est mediator, id est Sacerdos et Pontifex, *ac sempiternum habet sacerdotium*, ita pro nobis assidue interpellet et roget, nec ullam causam video, cur orandi partes eidem in coelo regnanti eripi debeant. » Neque enim talis interpellatio maiestati, aut beatitudini Christi contraria est, quoniam etiam Sanctorum gloria et beatitudo ex eo non perturbatur, quod pro nobis intercedant. Etiam

(1) L. 22 Mor. cap. 13.
(2) In Ps. 39, n. 8. (3) L. 2 de Spir. S.
(4) Enar. in Ps. 85. (5) In Epist. 59.
(6) In Ps. quintum poenitentialem.
(7) In serm. de pentec.
(8) L. 10 de Incarn. c. 8. n. 11.

dictum Apostoli non obstat, quod Christus *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* (1); quae verba de merito intelligenda sunt, cuius clausula eadem ac vitae mortalis fuit. At illae preces, quas etiamnum allegat ad Patrem, non ad augendum meritum, sed ad fruendum applicandumque pertinent. Caeterum etiam qui hanc sententiam propugnant, fatentur, Christum, dum pro nobis interpellat, « non sese ad Patris pedes advolvere servilique modo abiicere, » ut ait *S. Gregorius Nazianz.* (2), nec ipsum modo, qui creaturis convenit orare, sed eo qui etiam a Sanctorum intercessione distat, et solius Filii Dei incarnati et exaltati proprius est. Quae si rite expendantur, facile patet posteriorem sententiam a priore haud multum differre. — Si autem quaeratur, an, admissa proposita doctrina, dicere liceat: *Christe, ora pro nobis?* Theologi respondent, id absolute illicitum non esse, sed a tali precandi formula abstinendum esse, quia faveret Arianis, et Socinianis, divinitatem Christi negantibus; quia Christus in reliquorum Sanctorum ordinem redigi videretur, et quia Christum invocare debemus secundum titulum magis honorificum. Insistendum ergo est praxi Ecclesiae quae, errorum Arii et Nestorii vitandorum causa, renuit hunc orandi modum usurpare (3).

Nota 2. Christus maxime exaltatus est, ut *in nomine Iesu omne genu flectatur*, etc. Frequenter igitur summam Christi gloriam et beatitudinem considerare debemus, tum ut summam reverentiam tenerrimumque amorem erga ipsum in mente concipiamus; tum ut ad eius imitationem fortiter excitemur, atque nos ipsos abnegantes crucemque tollentes ipsius vestigia sequamur, et ad eiusdem gloriae participationem feliciter perveniamus. — Doctrina autem de interpellatione Christi in nobis fiduciam nutrit, quoniam quod debile et infirmum est in precibus nostris, sustentatur et roboratur per intercessionem aeterni Sacerdotis Christi, unigeniti Filii Dei. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* (4). Merito sane carpitur nimis lugenda vecordia nostra, si *oratione ferventes* esse recusamus, cum ipse Filius Dei exaltatus sit *semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

(1) Hebr. 10, 14. (2) Or. 30 (al. 36) n. 14.
(3) Cf. Thom. ex Charm. de Deo incarn. q. 7, Concl. 2.

ARTICULUS VI.

Doctrina de redemptione rationi non repugnat, sed convenientissima est.

§ 386. Divina mysteria limitatae rationis humanae captum superare, ultro concedendum est, eaque non curiose examinanda, sed humiliter credenda esse, Ss. Patres passim monuerunt (v. Th. gen. § 298). Hoc idem etiam de doctrina dicendum est, quae piissimum Dei consilium exhibet, quo a miseria nostra liberati sumus: quod considerantes recte cum Apostolo exclamamus: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius* (5)! — Et sane, humani generis Redemptio opus iustitiae et sapientiae, misericordiae et charitatis divinae dicenda est. Istae autem perfectiones divinae earumque operationes, quoniam infinitae sunt, a mente nostra limitata perfecte comprehendi et adaequate declarari nequeunt. Mirum igitur non est, in doctrina reve-

(4) Hebr. 4, 16. (5) Rom. 11, 33.

lata quaedam contineri, in quibus omnis intellectus humanus in captivitatem redigendus est in obsequium fidei. Quodsi hoc obsequium, quo nil rationabilius est, Deo revelanti praestetur, et dogmata humili et firma fide apprehendantur et teneantur; haud deinde illicitum est, ut ratio, quantum fieri potest, ad illorum intelligentiam pervenire satagat: imo rationis quoque officium est, ut dogmata revelata contra adversariorum conatus defendat, istorum obiectiones refellat, et apparentes repugnantias diluat. Congruum itaque est, ut propositae doctrinae 1° *reflectio quaedam rationis per fidem illustratae* apponatur, et 2° *difficultates ab adversariis motae solvantur.*

I. *Reflectio rationis per fidem illustratae.*

§ 387. Si per diram passionem et cruentam mortem Filii Dei redempti sumus, ratio humana quaerere potest, an alio modo redimi potuissemus, an ad hunc finem prorsus necessaria fuerit passio et mors Christi? - Sed de hac quaestione iam actum est § 342 - § 344. Sicuti enim Incarnatio, ita et Redemptio non Deo, sed nobis necessaria dicenda est. Equidem Christus per minimam actionem, vel passionem, quae ex dignitate personae divinae pretium infinitum habuisset, pro peccatis nostris satisfacere ac nobis aeternam beatitudinem promereri potuisset. Sed quoniam ad offensum spectat modum, quo placari velit, determinare, et ex ipsa Revelatione constat, Patrem Filio suo incarnato mandatum subeundae pro hominum salute mortis imposuisse, recte dicitur, posito hoc decreto divino, mortem Christi pro nostra redemptione necessariam fuisse. Haec docet *S. Thomas* 3, q. 46, art. 2. — Et art. 3 probat, humanum genus nullo alio convenientiori modo liberari potuisse, quam per Christi passionem. Haec quidem sententia multos adversarios habet, qui catholicam de satisfactione Christi doctrinam tanquam absurdam et contradictoriam reiiciunt: ast tam perversum istorum iudicium ex falsis tantum principiis et praeconceptis opinionibus oritur, quod ex solutione obiectionum § seq. apparebit. Si doctrina catholica de redemptione, juxta sanae Philosophiae principia, et sine praeconceptis opinionibus perpenditur, facile patet, eandem rationi humanae convenientissimam esse. Id equidem iam ex iis colligitur, quae de Incarnationis convenientia § 350, § 354 dicta sunt. Sed praestat, ut eadem principia traditae de redemptione doctrinae applicentur, et eandem rationi non solum haud repugnare, verum ab ipsa convenientissimam iudicari breviter saltem ostendatur.

1. Si doctrina de redemptione theoretice consideratur, tres praecipue conceptus in illa concurrunt. Ipsa etenim nobis exhibet *Deum*, satisfactionem exigentem et accipientem, *Christum*, satisfactionem praestantem, et *genus humanum*, per satisfactionem Christi ex sua miseria liberatum. Ex nulla autem parte repugnantia, sive contradictio datur, ipsaque ratio doctrinam de redemptione indigitatis conceptibus maxime consonam agnoscit. *Deo* enim conveniens est, quidquid ejus attributa manifestat, ac gloriam promovet. Sed doctrina de redemptione clarissime manifestat infinitam sanctitatem et justitiam Dei, pro peccatis infinitam satisfactionem exigentis, atque infinitam simul misericordiam et bonitatem Dei Patris, Unigenitum suum mittentis, Dei Filii, mandatum Patris exequentis, et Spiritus sancti gra-

tias suas effundentis (§ 351). Per omnia quoque, quae Filius Dei incarnatus fecit et pertulit, ac praecipue per cruentum ipsius sacrificium in ara crucis oblatum praestantior honor exhibitus est maiorque gloria accessit, quam per omnia purarum creaturarum fidelissima obsequia exhiberi potuisset. Quis ergo negabit, iuxta rectae rationis principia, satisfactionem a Christo praestitam Deo convenientissimam esse? — *Christus* equidem maxime humiliatus et plurima passus est; sed non secundum naturam divinam, quae immutabilis mansit, sed secundum naturam humanam, in qua passionem et mortem sustinuit. Sed quo magis humiliatus fuit, eo magis exaltatus est, per dolores, quos sustinuit, ad immensam gloriam et beatitudinem pervenit, et si status humiliationis post 33 annos terminum habuit, status gloriae et felicitatis in aeternum durabit. Quodsi ratio conveniens esse cognoscit, ut labores alacriter suscipiantur, quibus magna et permanentia praemia respondent, ex eodem principio Christo quoque satisfactionem praestitam convenientissimam iudicare debet, propter quam humana eius natura ad summam ac aeternam gloriam et beatitudinem evecta est. Denique *humano generi* doctrina de satisfactione Christi convenientissima et maxime exoptata est, quoniam tam praecellenti medio superabundanter a miseria sua liberatur, atque mediis instruitur, quibus ad nobilissimum et felicissimum suum finem, nempe ad moralem perfectionem et aeternam beatitudinem pertingere possit."

2. Doctrina de satisfactione Christi, practica ex parte considerata, rationi repugnaret, si illa vel ad peccatum alliceret, vel a studio virtutis avocaret, vel moralitatis motivum infringeret, vel spem imminueret. Sed praefata doctrina ad peccatum non allicit, quia officium poenitentiae personalis non tollit, nec avocat a virtutis studio, quia fructus poenitentiae et fidei non impedit, sed iuxta exemplum Christi, cuius imitationem urget, praescribit; nec motivum moralitatis infringit, sed nobilissimum et fortissimum exhibet, dum infinitam iustitiam et charitatem Dei clarissime manifestat; ac denique spem non imminuit, sed excitat et corroborat, dum plurima et efficacissima salutis media per Christum parta ostendit (§ 354). Egregie hac de re disserit *S. Thomas* (1) dicens: « Tanto aliquis modus convenientior est ad assequendum finem, quanto per ipsum plura concurrunt, quae sunt expedientia fini. Per hoc autem, quod homo per Christi passionem est liberatus, multa concurrerunt ad salutem hominis pertinentia praeter liberationem a peccato. *Primo* enim, per hoc homo cognoscit, quantum Deus hominem diligat, et per hoc provocatur ad eum diligendum, in quo perfectio humanae salutis consistit; unde Apostolus dicit: *Commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniam, cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est* (2). — *Secundo*, quia per hoc dedit nobis exemplum obedientiae, humilitatis, constantiae, iustitiae et caeterarum virtutum in passione Christi ostensarum, quae sunt necessariae ad humanam salutem; unde dicitur: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius* (3). — *Tertio*, quia Christus per passionem suam non solum hominem a peccato liberavit, sed et-

(1) 3, q. 46, a 3. (2) Rom. 5, 8. (3) 1 Petr. 2, 21.

iam gratiam iustificantem et gloriam beatitudinis promeruit (et sic spem firmavit, *quam sicut anchoram habemus animae tutam et firmam* (1)). — *Quarto*, quia per hoc est homini inducta maior necessitas, se immunem a peccato conservandi, qui se sanguine Christi redemptum cogitat a peccato secundum illud: *Empti enim estis pretio magno: glorificate, et portate Deum in corpore vestro* (2).- *Quinto*, quia hoc ad maiorem dignitatem hominis cessit, ut sicut homo victus fuerat et deceptus a diabolo, ita etiam homo esset, qui diabolum vinceret: et sicut homo mortem meruit, ita homo moriendo mortem superaret; unde dicitur: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum* (3). Et ideo convenientius fuit, quod per passionem Christi liberaremur, quam per solam Dei voluntatem. »

Nota. Iudaei aeque ac Gentiles per mortem a Christo in cruce toleratam maxime offensi sunt, neque illi tanquam promissum Messiam, neque isti tanquam Doctorem et Salvatorem mundi eum agnoscere voluerunt, qui in patibulo crucis pependit et mortuus est. Quapropter Paulus dicit: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum: Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam* (4); sed statim Apostolus addit: *Ipsis autem vocatis Iudaeis atque Graecis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (5); id est, quod stultum Gentibus videtur, omni humana sapientia sapientius est, quia omnem tandem philosophiam devicit sibique subiecit, omnemque intellectum captivavit in obsequium Christi; et quod Iudaeis infirmum in Messia crucifixo videtur, omni humana potentia fortius est, quia omnem sibi contradicentem potentiam superavit. Crucifixus, morte quasi victus, omnem vicit, sibique subiecit mundum. Idcirco mortem crucis pro mundi Redemptore convenientissimam fuisse, Ss. Patres variis rationibus ostenderunt, quas S. *Thomas* (6) colligit, et proponit his verbis notatu dignissimis: « Convenientissimum fuit, Christum pati mortem crucis. *Primo* quidem, propter exemplum virtutis. Dicit enim *Augustinus* (7): Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte viveremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam, ea, quae non sunt metuenda, non metuere. Sunt autem homines, qui, quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt. Ut ergo nullum genus mortis recte viventi homini metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit; nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, et formidabilius. *Secundo*, qui hoc genus mortis maxime conveniens erat satisfactioni pro peccato primi parentis, quod fuit ex eo, quod contra mandatum Dei pomum ligni vetiti sumpsit. Et ideo conveniens fuit, quod Christus ad satisfaciendum pro illo peccato seipsum pateretur ligno affigi, quasi restituens, quod Adam sustulerat, secundum illud (8): *quae non rapui, tunc exsolvebam*. Unde *Augustinus* dicit in quodam sermone de passione: Contempsit Adam praeceptum, accipiens ex arbore pomum sed quidquid Adam perdidit, Christus in cruce invenit. *Tertia* ratio

(1) Hebr. 6, 19. (2) 1 Cor. 6, 20.
(3) 1 Cor. 15, 57. (4) 1 Cor. 1, 23.
(5) Ib. v. 24.
(6) L. c art. 4.
(7) Lib. 83, QQ. q. 25.
(8) Ps. 64.

est, quia, ut *Chrysostomus* dicit (1), in excelso ligno et non sub tecto passus est, ut etiam ipsius aëris natura mundetur; sed et ipsa terra simile beneficium sentiebat decurrentis de latere sanguinis stillatione mundata. Et super illud: *Exaltari oportet Filium hominis* (2), dicit: Exaltari audiens suspensionem intelligas in altum, ut sanctificaret aërem, qui sanctificaverat terram ambulando in ea. *Quarta* ratio est, quia per hoc quod in alto moritur, ascensum nobis parat in coelum, ut *Chrysostomus* dicit; et inde est, quod ipse dicit: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (3). *Quinta* ratio est, quia hoc competit universali salvationi totius mundi. Unde *Gregorius Nyss.* dicit, quod figura crucis a medio contactu in quatuor extrema partita, significat virtutem et providentiam eius, qui in ea pependit, ubique diffusam. *Chrysostomus* etiam dicit, quod in cruce expansis manibus moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos, qui in Gentibus sunt, trahat. *Sexta* ratio est, quia per hoc genus mortis diversae virtutes designantur. Unde *Augustinus* (4) dicit: Non frustra tale genus mortis elegit, ut latitudinis, et altitudinis, et longitudinis, et profunditatis, de quibus Apostolus loquitur, Magister existeret. Nam latitudo, quae est in eo ligno, quod transversum desuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo, quod ab ipso ligno usque ad terram conspicuum est: ibi enim quodammodo statur, id est, persistitur et perseveratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, quae ab illa, quae transversum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est ad caput crucifixi, quia bene sperantium superna expectatio est. Iam vero illud ex ligno, quod fixum occultatur, unde totum illud exurgit, profunditatem significat gratuitae gratiae. Et sicut *Augustinus* (5) dicit: Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis. *Septima* ratio est, quia hoc genus mortis plurimis figuris respondet. Ut enim *Augustinus* dicit (6) de diluvio aquarum: Humanum genus arca lignea liberavit: de Aegypto Dei populo recedente, Moyses mare virga divisit et Pharaonem prostravit, et populum Dei redemit. Idem Moyses lignum in aquam misit, et amaram aquam in dulcedinem commutavit. Ex lignea virga de spirituali petra salutaris unda profertur. Et ut Amalec vinceretur, circa virgam Moyses expansis manibus extenditur: et lex Dei arcae Testamenti creditur ligneae, ut his omnibus ad lignum crucis quasi per quosdam gradus veniatur. »

(1) Hom. de cruce, et latrone.
(2) Io. 3, 14. (3) Io. 12, 32.

(4) L. de gratia V. et N. Test.
(5) Tr. 19 in Ioan. (6) In serm. de nace

II. *Difficultates adversariorum solvuntur.*

§ 388. Sociniani et recentiores rationalistae impios conatus adhibent, ut ostendant, doctrinam de satisfactione a Christo pro peccatis nostris praestita absurdam, rectae rationi contrariam, aut aliis certis veritatibus repugnantem esse. Difficultates autem, quas doctrinae orthodoxae opponunt, plerumque ex falsis spuriae philosophiae principiis desumuntur; hinc inde ex eo oriuntur, quia iustitia et bonitas divina cum humana turpiter confunditur; quandoque ex falso supposito exurgunt, quia genuina Catholicorum doctrina haud recte cognoscitur; sed potius corrupta Protestantium attenditur; praecipue demum ex superbia ratio-

nis nascuntur ,quae ipsa etiam opera divina ad tribunal suum trahere, atque ea, quae ipsius captum superant, comprehendere et declarare praesumit. His de causis temere clamitant, doctrinam de satisfactione Christi tum ex parte Dei, tum ex parte Christi, tum ex parte hominum repugnare. — Quantum autem in captiosis suis argumentationibus aut fallantur, aut fallant; ex sanae rationis principiis, ex recto attributorum divinorum conceptu, et ex genuinae doctrinae catholicae consideratione facile probatur, quod ex solutione obiectionum apparebit.

Obi. I. Tota de satisfactione Christi doctrina falsis principiis, crassum anthropomorphismum sapientibus, incumbit. Deus enim proponitur ut homo, qui offenditur, irascitur, et per satisfactionem praestitam placandus est. At Deus infinitus, immutabilis, nullisque subditus affectionibus nec offendi, nec irasci potest, ac ideo haud opus est satisfactione.

Resp. Etiam Catholici fatentur, Deum non posse adinstar hominis offendi, ita ut aliquid de infinita sua perfectione, aut beatitudine deperdat: sed homo pro libero suo arbitrio a lege divina aberrare, et malas concupiscentias suas voluntati divinae praeponere potest, et haec agendo recte Deum contemnere, et offendere dicitur. Quamvis ergo nullum sit damnum ex parte Dei, vera tamen malitia est ex parte hominis, quae poenam meretur, seu pro qua satisfactio omni iure exigitur. Admittunt porro Catholici, Deum nullatenus humano modo irasci, et per iram Dei intelligunt aeternum divinum decretum, legem divinam violantibus bona denegandi et poenas infligendi. Ut igitur homo legis divinae praevaricator bona amissa recuperet, et statutas poenas avertat, satisfactio pro malo commisso, quod infectum fieri nequit, praestari debet. Sed quoniam ad offensum spectat modum, quo placari, seu satisfactionem, quam acceptare velit, determinare, modum autem illum, qui ab independenti et incomprehensibili Dei voluntate dependet, ratio humana, sibi relicta, cognoscere nequit; lubenti profecto gratoque animo Revelatio audienda est, dum nobis in doctrina de satisfactione Christi modum proponit, quo post commissum peccatum Deo reconciliari possimus. Nulla ergo falsa, seu anthropomorphitica principia occurrunt in doctrina Catholicorum; sed in obiectione adversariorum falsi de Deo conceptus traduntur, cuius iustitia, seu voluntas bonos remunerandi et malos puniendi negatur, et sic omnis ordo moralis subvertitur, qui, ipsis Philosophis fatentibus, ex harmonia moralitatis et felicitatis exurgit, quam harmoniam solummodo Deus omniscius, omnipotens et infinite iustus efficere potest (v. Th. gen. § 33 et 41).

Obi. II. Qui dicit, Deum non potuisse gratis, idest, sine praestita satisfactione peccata condonare, laedit eius potentiam: qui autem dicit, Deum potuisse quidem, sed noluisse gratis peccata condonare, laedit eius misericordiam; nemo enim negabit, excellentiorem bonitatem exerceri, si iniuriae illatae absque praevia satisfactione condonantur, quam si post obtentam dumtaxat satisfactionem remittuntur. Nos quoque admonemur, ut gratis iniurias condonemus; quanto magis haec gratuita bonitas et misericordia Deum decet, cuius perfectiones omnes infinitae sunt? — Vere ergo in doctrina de satisfactione Christi divina misericordia valde obscuratur, imo fere evane-

scit; maxime enim invicem pugnant misericordia et punitio, liberalis condonatio et debiti repetitio, beneficentissima largitas immensique pretii solutio. Admittenda igitur non est doctrina, in qua vel omnipotentia divina vel infinita eius misericordia e medio tollitur.

Resp. Adversariorum argutiis opponimus ea, quae § 52 de nexu iustitiae et misericordiae divinae dicta sunt; ex quibus manifeste patet, ex opere Redemptionis tum infinitam iustitiam, tum infinitam misericordiam Dei clarissime elucere (Cf. § 351). Difficultates autem motae partim ex non recte intellecta Theologorum doctrina, partim ex anthropomorphiticis conceptibus de Deo oriuntur, cuius iustitia et bonitas motivis et legibus subiiciuntur, et iuxta istas commensurantur. Primo enim Theologi catholici nullatenus potentiam divinam restringunt, sed docent, Deum, absolute loquendo, potuisse sine satisfactione peccata remittere, quia ipsius iustitia non ut illa hominum legibus subest. Ita *S. Thomas*, cum (1) sibi obiecisset: « Iustitia Dei exigebat, ut homo a peccato liberaretur, Christo per passionem satisfaciente; » ita respondet: « Ad tertium dicendum, quod haec etiam iustitia dependet ex voluntate divina, ab humano genere satisfactione exigente pro peccato; nam si voluisset absque omni satisfactione hominem a peccato liberare, contra iustitiam non fecisset. Civilis enim iudex non potest, salva iustitia, culpam sine poena dimittere, qui habet punire culpam in alium commissam, puta vel in alium hominem, vel in totam rempublicam, vel in superiorem principem. Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum et commune bonum totius universi, et ideo, si dimittat peccatum, quod habet rationem culpae ex eo quod contra ipsum committitur, nulli facit iniuriam: sicut quicumque homo remittit offensam in se commissam absque satisfactione, misericorditer et non iniuste agit. » — Quodsi dicitur, Deum potuisse quidem, sed noluisse sine satisfactione peccata condonare, nihil ideo eius bonitati detrahitur. Haec enim non ut illa hominum motivis et legibus subest; neque Deus adinstar hominum aliquid agit, quia bonum, aut melius est, sed omnia optima sunt, quae Deus vult, et non aliunde nisi quia vult (§ 50). Perperam ergo et solum anthropomorphitice de Deo dicitur, quod aliter agendo maiorem bonitatem et excellentiorem misericordiam exercuisset. Ipsa autem ratio humana facile perspicit, Deum in Redemptionis oeconomia optime et sapientissime processisse. Nam, si gratis peccata condonasset, misericordiam solam ostendisset; ast satisfactionem infinitam a Filio suo incarnato exigens simul cum misericordia infinitam quoque iustitiam, sanctitatem aliaque attributa divina manifestavit. Denique post revelatum nobis mysterium Trinitatis convenientissimum fuit, ut singularum divinarum personarum charitas manifestaretur. Ast ex proposita doctrina catholica clarissime resplendet infinita charitas Patris, qui *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum;* infinita charitas Filii, qui pro salute hominum *semetipsum exinanivit-factus obediens usque ad mortem crucis;* et infinita charitas Spiritus sancti, qui in utero Virginis incarnationem effecit, et gratias suas copiosissime in homines effudit. Quis igitur tam stupidus, ingratus, et blasphemus existat, ut asserat, Deum

(1) 3, q. 46, art. 2, n. 3.

per gratuitam condonationem charitatem et misericordiam suam magis conspicuam reddidisse?

Obi. III. Iniustum est innocentem pro reo plecti: hoc enim vetat recta ratio, vetat divina lex, vetant omnium plane politiorum gentium iura. Et quamvis ab eo, qui sponsorem egit, solutio debiti exigi possit; id tantum in causis civilibus admittitur, nunquam autem in criminalibus, in quibus agitur de morte subeunda; nefas enim est in causa capitali, sive sanguinis, sponsorem agere aut admittere. Deus ipse conceptis verbis, ne id unquam fiat, prohibet Deut. XXIV, 16, dicens: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur;* imo sibimetipsi Deus hanc legem posuit Ezech. XVIII, 20, dicens: *Anima quae peccaverit, ipsa morietur.... iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum.* Sed tamen iuxta asserta Catholicorum Deus Pater Filium suum innocentem loco hominum reorum poenis affecit et morti addixit: in tali ergo doctrina Deus tanquam iniustissimus tyrannus exhibetur.

Resp. Innocentem repugnantem, nullaque interveniente legitima causa, pro reo punire, absque dubio iniustum est: si vero innocens libere pro reo vadimonium praestat, et hoc a creditore acceptatur, iuxta omnia iura divina et humana hic ab illo solutionem debiti petere potest. Quamvis igitur Christus innocentissimus fuerit, attamen quia libere hominum peccata in se suscepit et sponsorem egit, iustissime Deus Pater ab ipso satisfactionem exegit et acceptavit. Nec refert, quod de morte pro hominibus subeunda actum fuerit. Nam ideo tantum homines in causis capitalibus vadimonium praestare non possunt, quia non sunt domini vitae suae, et quia talis sponsio pessimos effectus produceret, cum membrum societati noxium conservaretur, et innocuum periret: idcirco talis sponsio a nulla potestate humana admitti et acceptari potest, qua de re intelligenda sunt loca ex Deut. et Exech. citata. Sed aliter de Christo disserendum est. Christus enim utpote Filius Dei potestatem habuit vitae suae; unde dixit: *Ego pono animam meam pro ovibus meis..... et potestatem habeo ponendi eam* (1). Libere ergo Christus seipsum ad mortem loco nostro subeundam obtulit; nam: *oblatus est, quia ipse voluit* (2). Aeternus quoque Pater eiusmodi subrogationem non solum probavit, sed ipsemet nobis eam contulit, nam *pro omnibus tradidit illum* (3). Denique non solum nullus malus effectus ex morte a Christo tolerata secutus est, sed plurima et maxima emolumenta ex illa in genus humanum profluxerunt, quia per illam homines ex statu peccati ad statum iustitiae translati sunt. Imo et ipse Christus per passionem et mortem summam exaltationem, aeternamque gloriam et beatitudinem adeptus est. Absit ergo, ut Deum Patrem de iniustitia arguamus, et blasphemis vocibus impium tyrannum nominemus, quia Filium suum incarnatum ultro se offerentem in mortem tradidit, eiusque satisfactionem pro hominibus praestitam acceptavit; sed grato animo immensam eius erga homines charitatem, sicut et ineffabiles Christo exaltato collatas remunerationes admiremur, laudemus et celebremus.

Obi. IV. Si Deus decrevit mortem Filii sui, debuit etiam decernere peccata eorum, qui atrocissimam

(1) Io. 10, 15 etc. (2) Is. 53, 7. (3) Rom. 8, 32

mortem Christo intulerunt. Magna proinde absurda ex doctrina Catholicorum sequuntur. Vel enim fateri debent, Deum esse peccatorum maxime horrendorum auctorem; vel asserere coguntur, illos, qui Christum afflixerunt et interemerunt, non peccasse, sed recte egisse, quia decretum, seu voluntatem Dei executi sunt; adeoque laudandum esse Iudam, qui avaritia impulsus magistrum suum prodidit; laudandos esse Pontifices et Pharisaeos, qui mortem Christi petierunt; laudandum esse Pilatum, qui sententiam mortis tulit; laudandos esse carnifices, qui Christum flagellis caesum et spinis coronatum cruci affixerunt. Quis tales consequentias ut falsas et impias non abhorrebit?

Resp. Tam falsae et impiae consequentiae ex doctrina catholica nequaquam deduci possunt. Quamvis enim Deus decreverit mortem Filii sui, nullatenus ex hoc sequitur, quod etiam decreverit peccata eorum, qui Christum interemerunt. Deus enim omniscius est, futura omnia sicut praesentia et praeterita perspicit, atque ideo ab aeterno tempus praevidit, quo Iudaei ex propriae libertatis abusu ad tantam caecitatem et malitiam perventuri essent, ut Messiam plurimis fulgentem signis agnoscere recusarent, et ad mortem usque dire persequerentur. Deus igitur, cuius infinita sapientia novit etiam ex malis benefacere, tempore illo ab aeterno praeviso Filium suum misit, malitiam Iudaeorum non producens, sed permittens, eaque utens ad sanctissima sua consilia adimplenda. Nullo modo ergo Deus in doctrina catholica peccatorum auctor statuitur; alias etiam nauta vento secundo utens ad iter suum instituendum causa venti dicendus esset (Cf. § 241). — Neque alterum absurdum ex doctrina catholica sequitur, persecutores nempe Christi recte egisse, et laudandos esse, quia voluntatem Dei executi sunt. Talis enim consequentia tolerari posset, si ipsis voluntas divina intimata et praeceptum impositum fuisset, Christo dolores et mortem inferendi, et si tantum ad voluntatem divinam implendam hoc perfecissent. Contrarium vero accidit; Iudaei enim non voluntate divina impulsi, sed iniquis passionibus abrepti Christo dolores et mortem intulerunt: quapropter gravissime peccarunt, quamvis materialiter ad consilia divina implenda cooperati sint. In morte ergo Christi immensa charitas Dei, admirabilis obedientia Christi, et maximae iniquitates hominum concurrerunt, quod declarans S. *Thomas* (1) ait: « Eadem actio diversimode iudicatur in bono, vel in malo secundum quod ex diversa radice procedit. Pater enim tradidit Christum, et ipse semetipsum ex charitate, et ideo laudantur. Iudas autem tradidit ipsum ex cupiditate, Iudaei autem ex invidia, Pilatus ex timore mundano, quo timuit Caesarem, et ideo ipsi vituperantur. »

Obi. V. Si Christus vere pro nobis satisfecisset, tot debuisset mortes oppetere, quot homines super terra sunt, erunt ac fuerunt: debuisset praeterea poenis subiici temporalibus et aeternis; ambae enim eiusmodi poenae peccatis hominum debentur. Christus autem non omnes poenas temporales, et multo minus aeternas poenas sustinuit, sed mox post temporalem passionem et mortem maxime exaltatus est. Itaque non omnia sustinuit, quae ab hominibus ob peccata perferenda erant: atque ideo haud perfecte pro peccatis satisfecit.

(1) 3. q. 47. art. 3. ad 3.

Resp. Homines ob peccata non solum temporales, sed etiam aeternas poenas luere debuissent, quia Deo infinito pro offensa illata nunquam condignam satisfactionem praestare potuissent, atque ideo semper rei poenisque subiecti remansissent. Christus autem ob infinitam personae divinae dignitatem per temporalem passionem et mortem non solum aequivalentem, sed et superabundantem satisfactionem praestitit, longeque maiorem, quam omnes homines per universas poenas temporales et aeternas praestare potuissent. Nullatenus ergo necesse erat, ut Christus aeternas poenas sustineret. Cum enim infinitum sit pretium pro peccatis nostris a Christo oblatum, hoc ipso, quantum ex se erat, Christus omne debitum tam temporale, quam aeternum, quo universum genus humanum erga Deum obstringebatur, plene, imo cumulatissime solvit, ita ut nullo alio opus sit (Cf. § 376). Quamvis autem Christus, qui per minimam actionem, vel passionem pretium infiniti valoris solvere potuisset, aeternas poenas non sustinuerit; meminisse tamen debemus, etiam temporalem ipsius passionem, in se consideratam tam diram et atrocem fuisse, ut magnitudini debitorum generis humani proportionata recte dicatur. Quod egregie ostendit Cl. *Berti* l. 28 (1) ita disserens: « Redarguenda est Socini audacia, dum detrahit passioni Christi ex quo peracta sit exiguo temporis intervallo. Plura enim sunt quae passionem eius supra humanum captum adaugent: 1° quod in eius mortem homines cuiuscumque ordinis conspirarunt, Pontifices, Sacerdotes, Praesides, ecclesiasticum et saeculare forum, Iudaei, Ethnici, viri et mulieres. Accusarunt eum falsi testes, abnegavit Petrus, vendidit Iudas, damnarunt contribules, deriserunt milites, improperavit latro, deseruerunt propinqui. 2° A planta pedis ad verticem usque capitis dolores maximos pertulit: caput spinea corona circumdatum, facies colaphis palmisque contusa, caesum diris flagellis dorsum, extensa brachia, manus pedesque transfixi. 3° Quolibet exteriori, et interiori sensu eximiam poenam expertus est, excipiens auribus improborum convicia, labiis amaritudinem fellis, oculis piissimae Matris lacrymas (naribus Golgothae fetorem) animo peccatorum nostrorum aculeos. 4° Perpessus est famae, rei et vitae iacturam, appellatus seductor, posthabitus homicidae (contemptus ut stultus), inter latrones suffixus, venditus vili pretio, exutus vestibus, nudus expositus vitamque profundens ad ultimum usque spiritum. 5° Eius passio diuturnitate superavit caeteras, expectata a priori conceptionis momento, semper praesens menti, frequenter praenunciata, prolixam habens agoniam afflictationes innumeras et mortem, cum qua diu luctatus est, non capite truncatus, non absumptus igne, non aqua demersus, sed in cruce ad horam usque nonam blasphemiis, subsannationibus, ludibriis obiectus. 6° His accedit, corpus divina virtute formatum, ut esset hostia placaminis, sensus vegetior, mens perspicacior, vita innocentior, honoris sui maior quam dici possit existimatio, cuiusque consolationis voluntaria abiectio, ut mors in illum vehementiori atrocitate saeviret. Videat ergo Socinus, an Redemptoris nostri cruciatus leves sint et exigui, an potius de his vaticinatus sit Ieremias: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus* (2)

(1) Cap. 7. (2) Thren. 1. 12.

Obi. VI. Catholici Christum verum Deum esse contendunt, unum cum Patre. Ergo si Christus Deo pro peccatis hominum satisfecit, sibi ipsi satisfecit. At satisfactio sibimetipsi praestita absona et nulla est, ac prorsus acquivalet gratuitae donationi: sic, e. g., si Paulus centum aureos Petro debeat, quos hic sibi de suo solvit; Petrus nihil omnino acquirit, et recte dicitur Paulo debitum gratis, seu sine satisfactione remittere.

Resp. Adversarii recte argumentarentur, si Christus solummodo Deus esset; prorsus idem enim tunc esset, qui satisfactionem praestaret, et qui satisfactionem acciperet. Sed iuxta doctrinam revelatam Christus est Deus et homo, ac habet duas naturas, divinam et humanam: ergo, ut homo in natura humana potuit satisfactionem praestare, et ut Deus in natura divina potuit satisfactionem exigere et acceptare. Ideo *S. Augustinus* (1) dicit: « Verus ille mediator, inquantum formam servi accipiens mediator effectus est Dei et hominum homo Christus Iesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse, quam sumere etc. » Nec refert, quod Christi Dei hominis una sit persona, quae satisfactionem accipit, et praestat; non enim sub eodem respectu haec de eadem una persona praedicantur. Sicuti enim idem Christus sine contradictione dicitur Deus et homo, aeternus et in tempore factus etc. (§ 316), ita etiam Christus recte dicitur satisfactionem praestans et satisfactionem accipiens: Verbum enim sic ut subsistens in natura divina producit Spiritum sanctum, creat, conservat, satisfactionem accipit etc.; sic ut subsistens in natura humana obedit, patitur, moritur, satisfacit etc. Cuius rei rationem subtilius declarat Cl. *Billuart* (2), eandem difficultatem solvens: « Licet, ait, in Christo sit unum tantum suppositum secundum rem et formaliter, gerit tamen vices duplicis suppositi, ideoque est virtualiter multiplex; cum enim propter suam infinitatem possit subsistere in pluribus naturis, potest etiam praestare, quae facerent plura supposita, et quia quod est virtualiter multiplex tantam habet virtutem, quantam haberet, si foret formaliter multiplex: ideo sicut si foret formaliter multiplex suppositum in Christo, unum divinum, alterum humanum, facile conciperemus, quod suppositum humanum rigorose satisfaceret ex hac parte supposito divino; ita ex hoc quod sit virtualiter multiplex concipimus quod Verbum ut subsistens in natura humana sibi ipsi rigorose satisfecerit ut subsistenti in natura divina, serveturque conditio requisita *esse* scilicet *ad alterum* etc. » — Scholastici etiam magis obvia similitudine declarant, eandem personam sub diverso respectu sibi ipsi satisfacere posse; nam si idem homo simul creditor sit et tutor pupilli, tanquam creditor a pupillo solutionem exigere, et tanquam tutor nomine pupilli solutionem sibi praestare potest.

Obi. VII. Per peccatum, ut aiunt Catholici, in captivitatem daemonis redacti sumus, qui nobis dominabatur: pretium ergo pro nostra liberatione solutum daemoni solvendum erat: quam absonum autem est dicere, Christum Filium Dei daemoni pretium sui sanguinis obtulisse? —

Resp. Per peccatum non daemon, sed Deus offensus fuit, cuius iustitia nos poenis subiecit, daemon au-

(1) L. 10 de Civ. Dei c. 20.

(2) De Incarn. Diss. 19 a. 7.

tem nos captivos detinebat tanquam divinae iustitiae minister et poenarum executor: reus autem, vel sponsor non custodi carceris, vel carnifici, sed iudici poenas dat: ergo pretium solutum fuit Deo, non daemoni. Qua de re praeclare disserit *S. Augustinus* lib. 13 de Trin., ubi inter alia cap. 12, n. 16 dicit: « Modus iste quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri iusserit: sed quod tantum permiserit, iuste tamen. Illo enim deserente peccantem, peccati auctor illico invasit... Nec (Deus) hominem a lege suae potestatis amisit, quando in diaboli potestate esse permisit, quia nec ipse diabolus a potestate omnipotentis alienus est;» et cap. 15, n. 19 citans verba Apostoli: *qui eruit nos de potestate tenebrarum* (1), etc. inquit: « In hac redemptione tanquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto, diabolus non ditatus est, sed ligatus, ut nos ab eius nexibus solveremur. »

Obi. VIII. Absurdum est, Deum ipsum, secundam scilicet Dei personam, innumerorum systematum solarium summum moderatorem, induto corpore humano, in hanc terram, tam exiguam mundi partem, descendere decrevisse, ut cruci suffixus a Iudaeis, fatali quadam necessitate ductis, ipse sese sibi tanquam piaculum infinitum offerret. Ita cavillatur *Wegscheider* (2).

Resp. Si Deum non dedecet, etiam de minimis rebus, de ipsis quoque insectis curam habere (§ 267); multo minus ipsum dedecet, de hominibus in miseriam lapsis curam gerere. Anima enim humana rationalis dignitate reliquas res creatas visibiles, etiam innumera systemata solaria longe antecedit, quod ipsi Philosophi alias non diffitentur. Et si Deo conveniens est, quidquid eius attributa manifestat et gloriam promovet; certe etiam opus redemptionis Deo convenientissimum fuit, quoniam in illo eius attributa clarissime manifestata sunt, et gloria maxime promota fuit (§ 387, n. 1). Qui autem putant, per opus redemptionis curam Dei pro angelis, aut aliis creaturis imminutam, aut impeditam fuisse, nimis anthropomorphitice de Deo sentiunt, eiusque omnipotentem virtutem ignorant. Quod demum subditur de fatali necessitate, qua ducti Iudaei dicuntur ad crucifigendum Christum, non est nisi blasphemia, iam superius confutata (Resp. ad Obi. IV).

Obi. IX. Per se patet, reatus culpae et poenae, sicuti meriti, notiones necessario inhaerere subiecto peccanti sicut bene merenti; quamobrem nec alterius culpa in alterum quemquam, praesertim innocentissimum, nec virtus et dignitas moralis, qua unus aliquis insignis fuerit, in reliquos peccatores transferri potest. Poena enim est malum cum peccato coniunctum, quod ipsi peccanti infligitur; at malum, quod innocens sentit, perperam poena dicitur, et si qua talis innocenti imponeretur, rationi repugnaret. Nam poena, nisi peccanti imponatur, omni morali fructu destituitur, cum unicus poenae finis sit peccantis emendatio. Hinc doctrina, quae dicit, Christum peccata hominum in se sumpsisse, et pro illis poenas sustulisse, rationi contraria est, inutilis, imo et perniciosa, quae virtutis studium non tantum non promovet, sed impedit, quod longa experientia ostendit. Ita *Wegscheider*, *Eberhard* et alii.

Resp. Verum est, quod reatus culpae in alium transferri nequeat, quia

(1) Col. 1, 13 (2) Inst. theol. § 141.

fieri non potest, ut qui crimen patraverit, illud non patraverit, et vicissim: sed falsum est, quod reatus poenae et satisfactio pro culpa non ab alio in se sumi possit: hoc enim e diametro adversatur non solum divinae revelationi, ex qua novimus, non semel alios pro aliis satisfecisse, verum etiam communi gentium omnium sensui. Hominibus equidem non semper pro aliis satisfactionem praestare et acceptare licet (Cf. Resp. ad Obi. III); sed aliter sentiendum est de Deo, absoluto Domino, a cuius liberrima voluntate dependebat, satisfactionem a Filio suo incarnato exigere et acceptare, praecipue cum omnes homines condignam ipsi satisfactionem praestare non potuerint. Dummodo ergo Deus non anthropomorphitarum more cum hominibus confundatur, et iuxta principia humana commensuretur, omnis difficultas evanescit. Nullatenus autem in doctrina catholica dicitur, Christum ita reatum culpae, seu peccata in se sumpsisse, ut in se peccator constitutus sit, cum semper innocentissimus fuerit, sed reatum poenae in se suscipiens mortem sustinuit, quae, ut satisfactio considerata, recte etiam poena nuncupatur, non a se promerita, sed pro aliorum delictis tolerata. — Errant porro adversarii, dum dicunt, unicum poenarum finem esse peccantis emendationem. Nam poenae a Deo infliguntur, non solum ut peccatores corrigantur, sed etiam ut ipsius iustitia sanctitasque declarentur, ut poena exemplari publice constituta reliqui a peccando absterreantur, et ut legum auctoritas conservetur. Et sane Deus, cum Angelis peccantibus non pepercit, sed eos in tartarum tradidit cruciandos, haudquaquam illorum emendationem pro fine habuit; et humani quoque principes non tam reorum emendationem, quam potius aliorum salutarem timorem intendunt. Immerito ergo ab adversariis carpitur doctrina de redemptione, per quam atrocitas peccati, infinita Dei sanctitas et iustitia, nec non summa in genus humanum charitas, prout etiam animae nostrae pretium et dignitas, quam vivissime ob oculos collocantur, atque ideo ipsa peccatorum emendatio melius promovetur, quam si ipsi homines poenas debitas sustinuissent. Maxime denique aberrant adversarii, dum dicunt, doctrinam de redemptione moralitati perniciosam esse, et virtutis studium non tantum non promovere, sed impedire. Quod quidem admitti potest de corrupta Protestantium doctrina, qui contendunt, hominem per solam fidem iustificari, ac merita iustitiamque Christi apprehendere, quamvis interius peccator maneat, nec sensus suos legi conformes reddat. Nullatenus vero id dici potest de doctrina Catholicorum, iuxta quam peccator a via iniquitatis recedere, et sensus rectos ac legi conformes induere debet ut iustificetur et meritorum Christi particeps reddatur. Caeterum illos, qui doctrinam catholicam reiiciendam, et talem proponendam esse censent, quae, ut ait *Wegscheider*, « hominem in suo ipsius pectore salutem suam quaerere iubeat, » merito sugillat Cl. *Perrone* (1) dicens : « Quibus suadebunt rationalistae, purioribus ac sanctioribus moribus instructos evasisse suos discipulos per destructionem religionis christianae ab imis fundamentis suis? Proferant suos sanctos et heroas, si quos habent; interea Catholici ipsis perpetuo obiicient martyrologia et collectionem Bollandistarum, acta sincera innu-

(1) De Incarn. p. 2, c. 6, n. 657.

merorum plane Sanctorum, qui in avita fide omnigenis virtutibus floruerunt. »

Obi. X. Iuxta Catholicos Christus semetipsum obtulit in ara crucis; sed contra omnium sacrificiorum naturam est, unum idemque subiectum simul victimam esse et sacerdotem. Quodsi Christus, qui violenta morte in cruce obiit, verum sacrificium obtulit; hoc idem dicendum erit de Martyribus, qui voluntarie pro Christo mortem fortissime tolerarunt. Ast in horum morte veri et proprie dicti sacrificii rationem non haberi, ipsi Catholici fatentur, quorum proinde doctrina contradictionibus scatet.

Resp. Non negamus, inter puros homines fieri haud posse, ut idem simul sacerdos sit et victima, quia nullus hominum est dominus vitae suae, nec quisquam eorum ad seipsum offerendum, sacerdotali charactere insignitur. Christus autem et dominus vitae suae fuit, et ad seipsum offerendum sacerdos constitutus est, ut ex iam probatis patet: ergo nullatenus repugnat, eundem Christum et sacerdotem et victimam fuisse. Fatemur, doctrinam hanc ex sola ratione probari non posse, sed Revelatio eam clarissime tradit Hebr. X, 5-11 et alibi, ut vidimus. Hanc rationalistae revereri, ipsique intellectum suum subiicere deberent, et nullam in ea contradictionem invenirent. Caeterum ipsi Sociniani fatentur, Christum in coelis munere sacerdotali fungi et sacrificium offerre: si ergo in coelis idem est sacerdos, et victima, cur id repugnabit in terris? — Exinde autem non sequitur, etiam Martyres vera et proprie dicta sacrificia obtulisse. Nec enim Martyres instituti sunt sacerdotes ad offerendum semetipsos in veri nominis sacrificium, qualem Christum institutum fuisse declarat Apostolus (1). Neque Martyres propria potestate animam posuerunt, sicuti Christus. Omni ergo iure in eorum morte Catholici veri et proprii sacrificii rationem non agnoscunt.

Obi. XI. Si Christus plene et superabundanter pro hominibus satisfecisset, nulla ab his pro peccatis suis satisfactio praestanda foret. Ast ipsi Catholici id non admittunt, quia inter ipsos peccatoribus poenitentiae imponuntur, et satisfactio ab iisdem exigitur. Ergo Ecclesia catholica tali praxi fatetur, satisfactionem Christi plenam et sufficientem non fuisse: vel si eandem ut infinitam praedicat, et tamen satisfactionem a peccatoribus exposcit, patentem contradictionem incurrit. Ast Christum non plene satisfecisse, nec omnia pertulisse, quae ab hominibus ob peccata sustinenda erant, evidenter patet ex eo, quia etiamnum perdurant dolores, morbi, mors et aliae aerumnae, quae tanquam poenae peccati originalis considerantur.

Resp. Cum satisfactio Christi infinita praedicatur, et opera satisfactoria etiam a peccatoribus exiguntur, nulla prorsus contradictio occurrit. Nam Catholici accurate distinguunt inter oblatam a Christo Deo Patri satisfactionem, et inter applicationem, ut aiunt, oblatae satisfactionis: illa in se infinita est, nec per opera hominum bona adaugetur: sed haec opera bona improprie satisfactoria dicuntur, quia efficiunt, ut hominibus infinita satisfactio Christi applicetur. Ut nempe peccata nostra deleantur, et innocentiam induamus atque iustitiam, eiusmodi applicatione opus est, quae non in sola fide, sed praecipue in usu sacramentorum consistit, atque in operibus, per gratiam rite factis. Christus enim oecono-

(1) Hebr. 10 5

miam redemptionis ita sapientissime instituit, ut finis hominis nempe perfecta moralitas, per quam obtinetur aeterna felicitas, non impediretur, sed promoveretur (§ 378). Quapropter non ita Christus satisfecit pro nobis, ut nos otiosi et nihil agentes salutem aeternam consequeremur, sed ut operibus et satisfactionibus nostris pretium et valorem acquireret. Ipsa ratio huic doctrinae suffragatur. « Sane, ait Cl. *Perrone* (1), in debito personali non sufficit, ut sponsor convenientem pro illata iniuria satisfactionem exhibeat, sed praeterea requiritur, ut offensor cum sponsore conveniat, iniuriae eum poeniteat, ac polliceatur, velle se in gratiam redire cum persona laesa atque ab iniuria postmodum inferenda abstinere. Quae si praestare detrectet offensor, licet ingens sit solutum pretium, gratiam et reconciliationem minime consequetur. Conditiones porro, quas sponsor noster Christus servandas proposuit, ut fructum satisfactionis eius nobis applicaremus, eiusmodi sunt, ut, si compatimur et conglorificemur, ut unusquisque tollat crucem suam eumque sequatur, atque Deum toto cordis affectu in posterum diligat et mandata eius observet. » Omnes autem conditiones istas, ad applicandam nobis Christi satisfactionem in adultis requisitam, ad perfectam moralitatem promovendam ordinari, manifestum est. Eadem sapientia Christus, quamvis pro omnibus peccatis plenissime satisfecerit, illas tamen peccati poenas, quae finem nostrum non impediunt, sed promovent, non sustulit. Praesentis enim vitae miseriae et poenae temporales ad pietatis exercitium et incrementum faciunt: *Virtus enim*, ait Apostolus, *in infirmitate perficitur* (2); imo plurimi virtutum actus tribulationis tempore exerceri possunt. Sapientissime ergo Christus noluit temporales aerumnas ab hominibus auferre, quia sanguinem fudit et infinitum pretium solvit non ad temporalem felicitatem nobis comparandam, sed ad moralitatem promovendam et ad aeternam felicitatem nobis promerendam. Interim Christus per suam passionem et mortem non solum praeclarissima exempla dedit, sed etiam gratias nobis efficaces promeruit, omnes huius vitae aerumnas patienter perferendi, et sic maxima merita nobis comparandi.

Obi. XII. Si Christus pro omnibus hominibus mortuus esset, ut omnes a peccatis liberati vitam consequantur aeternam; omnes deberent salvari. Nam Christus est Sapientia divina; infinita autem Sapientia, cum qua est omnipotentia coniuncta, efficacissima media ad finem suum applicat, quem ideo semper assequitur. Sed certum est, non omnes homines salvari, et plurimos damnari. Vel igitur concedendum est, Christum noluisse omnes redimere et salvare; vel dicendum est, Christum a Sapientia defecisse, imo admodum imprudenter in suo opere redemptionis processisse, quia finem suum in plurimis hominibus non assequitur.

Resp. Ex eo, quod Christus pro omnibus mortuus est, non sequitur, omnes necessario salvari. Aeterno enim decreto divino statutum est, homines libertate pollere, et per bona vel mala opera aut ad aeternam salutem, aut ad aeternas poenas pervenire. Per peccatum autem originale homines ad tam miserum statum pervenerunt, ut sibi relicti ad salutem aeternam pervenire haud amplius possent. Filius ergo Dei ut Redemptor in mundum venit, non

(1) L. c. n. 643. (2) 2 Cor. 12, 9.

ut decreta divina circa genus humanum immutaret, aut tolleret, sed ut homines e misero suo statu eriperet, et in pristinum libertatis et gratiae statum restitueret. Finis itaque Filii Dei carnem adsumentis non fuit causarum secundarum concatenationem vertere, hominibus libertatem eripere, vel solas ipsis relinquere propensiones ad bonum. Venit, ut hominibus aditum aperiret ad coelum, non ut eos pathologice compelleret; venit, ut humanum genus a captivitate peccati et daemonis redimeret, ea tamen conditione, ut suae passionis fructus iis solum applicetur, qui suo se uniunt sacrificio, mundo, daemonique renunciant resistuntque rebelli concupiscentiae; venit, ut media salutis praepararet, quae autem homines assidue adhibere tenentur (§ 378). Christus ergo finem suum perfectissime assecutus est, quia aditum ad coelum reseravit, pretium infinitum pro peccatis solvit, et media salutis efficacissima praeparavit. Non ergo ex defectu redemptionis, sed ex culpa hominum fit, ut plurimi pereant. Redemptio enim non prodest iis, qui Magistri et Redemptoris sui vocem contemnunt, et in umbra mortis permanere volunt; unde ipsemet praemonuit, necesse esse, ut scandala veniant, multos esse vocatos, paucos vero electos. Observandum porro est, ea, quae adversarii de Sapientia Christi deficiente, blasphemo ore deblaterant, falso supposito niti, quo autumant, totalem et primarium agentis Dei finem esse felicitatem hominis: sed iste error iam alibi (§ 140) confutatus fuit. Totalis omnium rerum finis est gloria Dei (§ 141). Hunc finem etiam Christus Redemptor primario intendit, quem etiam perfectissime assecutus est, quoniam ii quoque, qui ex culpa sua pereunt, poenas condignas luentes, iustitiam divinam praedicare, et sic gloriam Dei promovere coguntur.

Obi. XIII. Iuxta doctrinam catholicam redemptio necessaria fuit, ut homines a peccatis liberarentur et salutem aeternam consequerentur. Illa autem post quatuor tantum annorum millia a Christo peracta est. Innumeri ergo homines ante Christi adventum viventes misere perierunt. Quapropter longe maiorem Deus misericordiam erga homines ostendisset, si Christus maturius in mundum venisset et redemptionem perfecisset: nequaquam igitur dici potest, immensam Dei charitatem ex redemptionis opere elucere. Imo aperta contradictio in eo continetur, quod Paulus dicat, Deum velle omnes homines salvos fieri, cum e contra dilatio Redemptoris ostendat, Deum plurimos homines salvare noluisse.

Resp. Haec obiectio iam alibi (§ 354, nota 1) soluta est, ubi variae rationes allatae sunt, ex quibus sapientissime factum est, ut Christi adventus tamdiu differretur. Imo si tota Dei circa humani generis redemptionem oeconomia consideretur, facile apparet, Deum voluisse omnes homines mediante Redemptore salvos fieri, in quo idcirco immensam charitatem patefecit. Deus enim mox post peccatum a protoparentibus commissum Messiam promisit, eandem promissionem saepius repetiit, venturum Messiam variis modis, ac praecipue per sacrificia praefiguravit, atque de eodem plurima vaticinia edidit (v. Th. gen. § 105 - § 118). Haec autem omnia facta sunt, ut homines fidem in Messiam concipere, et per istam iustificari ac salutem aeternam consequi possent. Certum enim est, iam in V. T. hominibus saltem implicitam fidem in Redemptorem necessa-

riam fuisse; per hanc autem tum iustificationem, tum aeternam salutem vere obtinere potuisse. Qua de re Ss. Litterae et Ss. Patres clara testimonia perhibent. S. Petrus ait: *Per gratiam D. N. I. Christi credimus salvari, quemadmodum et illi* (1), scilicet Patres veteris Testamenti. Paulus Gal. II, 26 inquit: *Non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi;* quamvis ergo opera legis ex se non potuerint homines iustificare; haec virtus tamen adscribitur fidei in Iesum Christum. Ibidem dicitur: *Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est; quia iustus ex fide vivit* (2). Paulus autem varios iustos in veteri Testamento agnoscit et collaudat: eorum vero iustitiam fidei adscribit, dicens: *In hac enim testimonium consecuti sunt senes* (3). Loqui vero Apostolum de fide Mediatoris liquet ex eiusdem verbis Rom. III, 22: *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio;* et paullo inferius ait: *Unus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem* (4). Et I Tim. II, 5 scribit: *Unus mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus;* sine distinctione ergo Christus unus hominum veteris et novi Testamenti mediator dicitur, in quem omnes credere debent, et per quem omnes salvari possunt. I Cor. X, 3 et 4, idem Apostolus, loquens de patribus veteris Testamenti, dicit: *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt* (*bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus*). In quae verba *S. Chrysostomus* (5) ait: « Non petrae natura aquam emittebat, alioquin etiam antea scaturiisset, sed alia quaedam petra spiritualis hoc totum faciebat, id est Christus, qui semper ipsis praesens erat, et omnia mirabiliter operabatur; ideo namque dicit: *consequente.* » Haec est etiam communis Ss. Patrum doctrina asserentium, etiam in V. T. homines per fidem, et solummodo per fidem in venturum Redemptorem salvari potuisse. *S. Augustinus* l. 1 c. duas Epist. Pelag. (6) inquit: « Quantaelibet fuisse virtutis antiquos praedices iustos, non eos salvos fecit nisi fides Mediatoris. Epist. 157 ad Hilar. (7) ait: «Etiam antiquos iustos habuisse ipsum spiritum fidei, hoc est, Incarnationis Christi.» Lib. de catech. rudibus (8) scribit: « Ipsum antiqui sancti venturum in revelatione Spiritus cognoverunt et prophetarunt: et sic salvi facti sunt credendo quia veniet, sic ut nos salvi efficimur credendo quia venit.» Et de natura et gratia (9) haec habet: « Ea quippe fides iustos sanavit, quae sanat et nos, id est, mediatoris Dei et hominum hominis Iesu Christi, fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis et resurrectionis eius.» *S. Leo M.* (10) ita praeclare disserit: « Gratia Dei, qua semper est universitas iustificata Sanctorum, aucta est Christo nascente, non coepta; et hoc magnum pietatis sacramentum, quo totus iam mundus impletus est, iam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum. Quare benignitas Dei quovis tempore eluxit, dum omnibus hominibus medium ad salutem praebuit.» *S. Gregorius M.* (11), loquens de ve-

(1) Act. 15, 11. (2) Gal. 3, 11. (3) Hebr. 11, 2. (4) Ib. v. 30. (5) Hom. 23 in 1 Cor. n. 2. (6) C. 24. (7) N. 14. (8) C. 28. (9) Cap. 44. n. 51.

(10) Serm. 22 in Nativ. Dom. 3, c. 3.
(11) Hom. 3. in Ev. n. 16

teris Testamenti electis, ait: « Sicut nos in praeterita passione Redemptoris nostri, ita illi per fidem in eadem ventura sunt salvati. » S. *Bernardus* Epist. 77 ad Hugonem plura hac de re disserit, et inter alia scribit: « Multi ergo ante Salvatoris adventum Deum omnipotentem tenentes, et diligentes suae salutis gratuitum promissorem, credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum Redemptorem, in hac fide et expectatione salvati sunt; licet quando, et qualiter, et quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent. » Audiendus hac de re est etiam S. *Thomas*, qui (1) ita loquitur: « Illud proprie et per se pertinet ad obiectum fidei, per quod homo beatitudinem consequitur: via autem veniendi ad beatitudinem est mysterium Incarnationis et passionis Christi; dicitur enim: *Non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (2). Ideo mysterium Incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes, diversimode tamen secundum diversitatem temporum et personarum... Aliter non praefigurassent Christi passionem quibusdam sacrificiis, et ante legem et sub lege, quorum quidem sacrificiorum significatum explicite maiores cognoscebant; minores autem sub velamine illorum sacrificiorum credentes, ea esse divinitus disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem. Et ea, quae ad mysterium Christi pertinent, tanto distinctius cognoverunt, quanto Christo propinquiores fuerunt. Post tempus autem gratiae revelatae tam maiores quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, praecipue quantum ad ea, quae communiter in Ecclesia solemnizantur, sicuti sunt articuli Incarnationis etc. » Idem tradit multis aliis in locis; et 1 2, q. 106 art. 1 ad 3 ita absolute pronuntiat: « Nullus unquam habuit gratiam Spiritus sancti nisi per fidem Christi explicitam, vel implicitam. » — Etiam in V. T. homines per fidem in venturum Messiam iustitiam, sanctitatem aeternamque salutem consecutos esse, ipsa Ecclesia credit et docet, quia plures ex Patriarchis et Prophetis V. Testamenti inter Sanctos venerantur. — Gentiles quoque per fidem in venturum Redemptorem salvari potuissent, si huius promissionem, quam Noë, *iustitiae praeco*, filiis suis annunciavit, vivam et puram apud se retinuissent: ast populorum ab ipsa Religione naturali deficientium, et idololatriae deditorum culpa factum est, ut traditio illa inter multos aut corrupta fuerit, aut penitus obliterata. Caeterum de Gentilibus ita scribit S. *Thomas* (3): « Multis Gentilibus facta fuit revelatio de Christo: ut patet per ea, quae praedixerunt. Nam Iob XIX dicitur: *Scio quod Redemptor meus vivit.* Sibylla etiam praenuntiavit quaedam de Christo, ut *Augustinus* (4) dicit: Invenitur etiam in historiis Romanorum, quod tempore Constantini Augusti inventum fuit quoddam sepulcrum, in quo iacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat: *Christus nascetur ex Virgine, et ego credo in eum...* Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia,

(1) 2 2, q. 2, art. 7. (2) Act. 4, 12.

(3) 2 2, q. 2, art. 7 ad 3.
(4) L. 13. c. Faust. c. 15.

credentes, Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, et secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus revelasset, secundum illud Iob XXXV: *qui docet nos super iumenta terrae.*» — His accedit quod Gentiles haud difficulter etiam a Iudaeis, quorum natio per multa et stupenda miracula in Aegypto et alibi patrata, illustris facta fuerit, respectu promissionis de Messia factae instrui potuissent. Quae si omnia attendantur, facile patet immerito divinam bonitatem ex eo reprehendi, quod Messiae adventum distulerit. Quod enim Deum attinet, optime de omnium hominum salute provisum fuerat; et certa semper manet sententia Pauli, Deum velle omnes homines salvos fieri.

CAPUT III.

DE MUNERE CHRISTI REGIO

§ 389. Christus tanquam Deus sicut omnium Creator, ita et omnium Rex ac Dominus est. Nam: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est* (1); quapropter recte etiam ad Christum dici potest: *Domine Deus... tu es Deus in coelo, et dominaris cunctis regnis gentium: in manu tua est fortitudo, et potentia* (2). Christo ergo ut Deo tota rerum creatarum universitas subiecta est, quae *regnum naturae*, seu *regnum Creatoris* vocari solet. Non autem de isto regno hoc in tractatu sermo est, sed de alio regno quod Christus acquisivit sanguine suo, et quod ideo *regnum gratiae*, seu *regnum Redemptoris* merito appellatur. Christus etenim homines, quos creavit, etiam infinito sui sanguinis pretio redemit; ac propterea etiam titulo emptionis suos fecit, iisdem legitime dominatur; atque ipsos in societatem sacram, seu Ecclesiam congregatos perpetuo gubernans vere *munus regium* exercet. Per istud itaque intelligitur ea Redemptoris potestas et auctoritas, quam in terris exercuit, dum Ecclesiam instituit, eam latis legibus fundavit ac firmavit, eidem pastores ac doctores visibiles praefecit, eamque etiamnum invisibiliter regit, perficit, et contra hostium insultus usque ad mundi finem provide tuetur, et eandem gloriosam in coelis aeternum coronabit. — Multa equidem, quae ad regnum Christi, seu ad Ecclesiam spectant, iam in Theologia generali Parte III, Sect. I, pertractata sunt; et de eiusdem Ecclesiae gloriosa consummatione in parte ultima Theologiae theoreticae disserendum erit. — Hic solum probandum est, Christum ut Redemptorem non solum Prophetam et Sacerdotem, sed 1) etiam *Regem*, 2) ac proinde veri nominis *Legislatorem* fuisse et esse, 3) *eundemque Ecclesiam suam continuo sapientissime regere et gubernare*.

(1) Io 1, 3. (2) 2 Paral 20, 6.

ARTICULUS I.

De regia Christi potestate et auctoritate.

§ 390. Sicuti homines ob ignorantiam intellectus institutione per prophetam, et ob peccatum per quod inimici Dei, ac aeternae damnationis rei facti sunt, expiatione per sacerdotem; ita etiam ob depravatam voluntatem, quae ad bonum segnis et ad malum prona per internas passiones et externas tentationes facile in devia abripitur, tutela ac gubernatione regis indiguerunt. Quamobrem Christus, ut cunctis plagis per peccatum originale hominum animis inflictis mederetur, non solum munus propheticum et sacerdotale, sed etiam regium suscipere et exercere dignatus est Ipsa idcirco Revelatio

Christum nobis tanquam *Regem verum*, et quidem tanquam *Regem excellentissimum* proponit. Quam Christi dignitatem nosse convenit, ut perfecta de Christo Redemptore notio habeatur.

I. *Christus verus Rex.*

§ 391. Christum verum Regem esse sicuti est Redemptor mundi, *sacri libri tam V., quam N. Testamenti* conceptis verbis docent, *Traditio* et *ratio theologica* confirmant.

1. In *S. Scriptura V. T.* clarissime praedictum fuit, Messiam ut Regem venturum esse. Ps. II, 6 ipse Messias ita loquitur: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*, i. e. super Ecclesiam cuius figura Sion, mons sanctus, fuit. Isaias his verbis regiam Messiae potestatem praedicit: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius... Princeps pacis* (1). Ier. XXIII, 5 legitur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen iustum: et regnabit Rex, et sapiens erit* etc.; quem locum de Messia intelligendum esse, tum ex contextu, tum ex veterum Rabbinorum et Ss. Patrum consensu constat. Ier. XXX, 9, de Iudaeis a captivitate Babylonica liberatis, dicitur: *Servient Domino Deo suo, et David Regi suo, quem suscitabo eis;* constat autem, post solutam captivitatem nullum fuisse ex stirpe davidica regem temporalem; unde merito de Messia verba Prophetae intellecta sunt. Ezechiel his verbis Messiam praedicit: *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem* (2); per pascere autem, regere, et per pastores Reges intelliguntur (3); ideo de eodem Messia legitur: *Servus meus David Rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum* (4). Michaeas, locum nativitatis Messiae praedicens, ait: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator* (5). Zacharias ita Messiae adventum praenuntiat: *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, et Salvator* (6). Haec et alia vaticinia effecerunt, ut Iudaei Messiam tanquam regem potentissimum exspectarent, et haec eorum fides veritati consona fuit: ast in hoc turpiter aberrarunt, quod crederent, Messiam Regem fore temporalem, qui Gentes debellaturus esset, quibus iuxta promissiones divinas benedictionem erat allaturus (Cf. Th. gen. § 118 in nota).

2. In *S. Libris N. T.* regia dignitas et potestas Christo tribuitur. Luc. I, 32 Mariae Christi conceptio et nativitas annuntiatur, et de eodem ab Angelo dicitur: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.* Luc. II, 11, Angelus nativitatem Christi pastoribus nuntians, ait: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David*, id est, Rex in sede David. — Magi, qui divinitus illustrati stella duce Hierosolymam venerunt, ut quaesitum invenire possint, his verbis interrogant: *Ubi est, qui natus est Rex Iudaeorum* (7)? atque ipsi Principes Synagogae et Scribae populi probe intellexerunt, Magos Messiam inquirere, qui tam verus Rex a Iudaeis expectabatur. Nathanaël, qui ut verus Israëlita lau-

(1) Is. 9, 6. (2) Ezech. 34, 23.
(3) 2 Reg. 5, 2; Is. 44, 48. (4) Ezech. 37, 24. (5) Mich. 5, 2.
(6) Zach. 9, 9. (7) Matth. 2, 2.

datur, Io. I, 47, etc. ita Christum affatur: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Isr ël* (1); quam Nathanaëlis fidem Christus approbat, dicens: *Quia dixi tibi; Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis* (2). — Matth. XXI, 4, etc. Christo applicatur, quod dictum est per Prophetam (3) dicentem: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus*, etc. Christus ipse, interroganti Pilato, an rex esset, respondit: *Tu dicis, quia Rex ego sum* (4). Apoc. I, 5, etc. Iesus Christus dicitur *testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terrae, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum*, etc.; et ibidem de eodem Christo legitur: *Habet in vestimento, et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium* (5). Frequentissime etiam in Ss. Libris N. T. Christus *Dominus* vocatur, qua denominatione supremum eius in homines, quos redemit, dominium, seu regia potestas significatur.

3. *Traditio* ostendit, Christo ut Redemptori semper regiam dignitatem et potestatem a fidelibus adiudicatam fuisse. Ecclesia Christum per excellentiam *Dominum* ac *Regem* in suis publicis precibus appellare consuevit. Genuina Martyrum acta frequenter his verbis terminantur: *Regnante Domino nostro Iesu Christo* etc. Ss. Patres passim laudant fidem Magorum, qui per tria munera mystica Christum non solum Deum et hominem, sed etiam Regem professi sunt. *S. Ambrosius* (6) dicit: « Quae sunt ista verae fidei munera? Aurum Regi, thus Deo, myrrha defuncto.» *S. Gregorius M.* (7) inquit: « Magi, quem adorant, etiam mysticis muneribus praedicant, auro Regem, thure Deum, myrrha mortalem.» *S. Hieronymus* (8) ait: « Pulcherrime munerum sacramenta Iuvencus presbyter uno versiculo comprehendit: Thus, aurum, myrrham: Regique, hominique, Deoque dona ferunt. » *S. Leo M.* (9) ita loquitur: « Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi.» — *S. Augustinus* (10) ita praeclare disserit: Christus « non ait: *Regnum meum* non est in hoc mundo, sed: *non est de hoc mundo*. Et, cum hoc probaret, dicens: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis:* non ait: *nunc autem regnum meum non est hic*, sed: *non est hinc*. Hic enim est regnum eius usque ad finem saeculi, habens inter se commixta zizania usque ad messem.» *S. Petrus Chrysologus* (11) ita loquitur: «Qui in coelo semper consedit Patri, nunc sedem David accepit in terra. Qui regnavit sibi semper, modo nobis in domo Iacob regnum sortitus est aeternum. Gaudeamus, fratres, quia qui sibi regnavit, regnaturus est nobis. Gaudeamus, quia venit regnaturus in terra, ut nos cum illo regnare possimus in coelo. Audi Apostolum: *Si compatimur, et conregnabimus.*»

4. Qui magnae hominum, unam societatem constituentium, multitudini cum plena potestate ita praeest, ut omnes se eidem subiicere teneantur, merito eorundem Rex nuncupatur. Haec autem omnia in Christo verificantur. Christus enim novam societatem instituit, quam Ecclesiam nominavit, dicens: *aedificabo Ecclesiam meam* (12); eandemque etiam nomine regni coelorum insignivit ex-

(1) Io. 1, 49. (2) Ib. v. 50.
(3) Zach. 9, 9. (4) Io. 18, 37.
(5) 19, 16. (6) L. 2, in Luc. c. 2.
(7) Hom. 10 in Evang. (8) L. 1, comment. in Matth. 2, 11.
(9) Serm. 1, de Epiph.
(10) Tract. 115, in Ioan. n. 2.
(11) Serm. 144. (12) Matth. 16, 1

clamans: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelorum* (1). Hanc autem novam a Christo institutam societatem ex magna hominum multitudine constare, patet ex eo, quia ad illam tum Iudaei, tum Ethnici vocati sunt; unde Christus ait: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile, et unus pastor* (2), et (3) Apostolos iussit docere omnes gentes, et per baptismum Ecclesiae aggregare. Huic vero Ecclesiae Christus leges praescripsit, ut mox (art. seq.) probabitur, imo et Rectores praefecit; nam: *vocavit discipulos, et elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominavit* (4). Suprema autem potestas ipsius Christi est, qui dicit: *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra* (5); et: *Ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum, et mortuorum* (6). Supremum ergo Ecclesiae caput ipse Christus est, qui fuit caput visibile usque ad ascensionem suam, et semper manet caput invisibile; quod docet Paulus de Christo scribens: *Omnia subiecit* (Deus) *sub pedibus eius, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius* (7); et Colos. I, 18: *Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Huic vero capiti supremo omnes subesse, adhaerere et inservire debent, ita ut Paulus Christianis acclamet: *non estis vestri* (sed Christi), *empti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro* (8). Imo haec obligatio tanta est, ut qui illam non adimplet, salutem aeternam consequi non possit; nam: *qui credit in Filium habet vitam aeternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (9). Quoniam ergo Christus est supremum Ecclesiae a se institutae caput, plena potestate eandem regendi praeditum, cui omnia illius membra se subiicere tenentur; omnia regiae dignitatis requisita in Christo inveniuntur, ipsumque *verum Regem* esse dubitari non potest. Ideirco Christus dicitur: *Pastor et Episcopus animarum nostrarum* (10); *Princeps Pastorum* (11); *Pastor magnus ovium* (12); quibus nominibus regia Christi dignitas significatur.

(1) Matth. 4, 17. — Matth. 3, 2; 18, 24; 20, 1, etc. (2) Io. 10 14. (3) Matth 28, 19. (4) Luc. 6, 13. (5) Matth. 28, 19. (6) Act. 10, 42 (7) Ephes. 1, 22 etc. (8) 1 Cor. 6, 19 et 20. (9) Io. 3, 36. (10) 1 Petr. 2, 25. (11) Ibid. 5, 4. (12) Hebr. 13, 20. (13) Ps 88, 28

II. *Christus Rex excellentissimus.*

§ 392. Christus rectissime dicitur *excelsus prae regibus terrae* (13); sive enim *eius attributa*, sive ipsius regni, quod gubernat, *amplitudo, duratio* et *finis* considerentur, facile patet, ipsummet omnes reges, et principes terrae longissime antecellere.

1. *Attributa* terrestrium regum, quamvis hinc inde non immerito magnis laudibus extollantur, cum infinitis tamen perfectionibus Christi Dei hominis comparari non possunt. Reges enim terrae loco circumscribuntur, maximaeque suorum subditorum parti nonnisi moraliter per ministros adsunt, atque eorum, quae ab his et illis peraguntur, plurima ignorant: Christus autem, quamvis non quoad humanitatem, tamen secundum divinitatem *immensus*, et ubique praesens est, et cum sit *omniscius*, ac scrutetur renes et corda, non solum externas actiones, sed etiam internas cogitationes subditorum suorum perfectissime cognoscit. —

Reges terrae, quantacunque potentia praediti, multa tamen efficere nequeunt, ad opera sua perficienda aliorum auxiliis indigent, ipsorumque vires ab aliis hebetari possunt: Christus autem *omnipotens* est, in animos quoque hominum potentiam suam exerit, quos ad se trahit (1), et in quibus operatur velle et perficere (2), atque Ecclesiam suam ita sustentat, ut portae inferi non possint praevalere adversus eam (3). — Reges terrae, quamvis multis consiliariis utantur, a sapientia deficere et carnis prudentiam sequi possunt; et non raro contingit, ut consilia sua sapientissime inita, deficientibus mediis aut obstantibus impedimentis, exequi non valeant: Christus autem infinita illa *Sapientia est*, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (4); haec impios adversariorum conatus eludit, efficitque, ut dirae persecutiones, quae Ecclesiam extirpare deberent, ad eiusdem augmentum maxime conferant. — Denique reges terrae, quamvis hinc inde per splendida dona bonitatem suam contestentur, attamen non omnes iuvare possunt, et persaepe quod uni tribuunt, alteri subtrahere coguntur: Christus autem, cuius *misericordia plena est terra* (5), et bonitatis infinitus est thesaurus, non solum dona sua, sed et seipsum hominibus tribuit; nam « se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in praemium, » atque ita Rex iste benignissimus fideles servos suos non solum per breves mortalis vitae dies, sed in aeternum felices reddit.

2. Regnum Christi *amplitudine* excellere, divina eloquia testantur. Ps. II, 8 Deus ad Messiam dicit: *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Ps. LXXI, 8 etc. potentia Messiae, et amplitudo regni eius graphice exprimitur: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum,... adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.* (Cf. Th. gen. § 286 et § 290 n. 3). Amplitudo eiusdem regni clarius cognoscitur, si attendatur, Christum ut hominem esse caput omnium hominum in terra viventium, in purgatorio detentorum et in coelo triumphantium. Nam ad rationem capitis mystici et moralis requiritur, ut praestet in membra ea omnia, quae caput naturale obit in corpore physico, et specialiter haec tria: ut habeat praeeminentiam supra singula et omnia membra; ut habeat plenitudinem bonorum, quae per partes dumtaxat reperiuntur in membris; et ut habeat vim in membra influendi dona vitae supernaturalis per gratiam et gloriam. — Christus autem habet omnes conditiones veri capitis respectu Ecclesiae, seu hominum in Ecclesia existentium. Habet enim praeeminentiam in totam Ecclesiam, ut ex probatis constat. Habet plenitudinem omnium gratiarum, dicente Apostolo: *Vidimus eum plenum gratiae, et veritatis* (6). Denique in omnia Ecclesiae membra gratiam et dona spiritualia influit, nam: *De plenitudine eius nos omnes accepimus* (7); et Paulus inquit: *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum... augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate* (8). De fide ideo est, Christum ut hominem esse Ecclesiae ca-

(1) Io. 6, 44. (2) Phil. 2, 13
(3) Matth. 16, 18 (4) Sap. 8, 1.
(5) Ps. 32, 5. (6) Io. 1, 14.
(7) Io. 1, 16. (8) Ephes. 4, 15 etc.

put. Quod autem concernit homines extra Ecclesiam existentes, et praecipue infideles; Christus horum caput est non quidem actu, sed potentia. Infideles enim non sunt actu membra Christi, quibus nullam vitam communicat neque perfectam per charitatem, neque imperfectam per fidem: quoniam autem infideles a Christo gratias actuales accipiunt, quibus si cooperarentur, ulterioribus auxiliis instruerentur, quibus possent ad fidem pervenire, baptizari et salvari, Christus eorum caput *potentia* recte dicitur. Solummodo damnatorum Christus nulla ratione caput est, quoniam isti a Christo in aeternum sunt separati, nec iam ullum ab eo accipiunt gratiae influxum (1). Haec doctrina traditur etiam a *S. Thoma*, qui (2) probat, Christum esse caput omnium hominum ex eo, quia dicitur: *Salvator omnium hominum, maxime fidelium* (3); et: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi* (4). Ex quibus ita infert: « Salvare autem homines, et propitiationem esse pro peccatis eorum, competit Christo secundum quod est caput. Ergo Christus est caput omnium hominum. » Postea vero per varias distinctiones declarat, Christum non eodem modo esse omnium hominum caput, et ait: « Christus est caput omnium hominum sed secundum diversos gradus. *Primo* enim, et principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur sibi per gloriam: *Secundo*, eorum, qui actu sibi uniuntur per charitatem: *Tertio* eorum, qui actu uniuntur sibi per fidem: *Quarto* vero eorum, qui sibi uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum; quae tamen ad actum est reducenda secundum divinam praedestinationem: *Quinto* vero eorum, qui in potentia sunt sibi uniti, quae nunquam reducetur ad actum, sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt praedestinati, qui tamen ex hoc saeculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi, quia iam nec sunt in potentia, ut Christo uniantur. » Imo Christus non solum hominum, sed etiam Angelorum bonorum caput est. Id testatur S. Scriptura; legitur enim: *Qui* (Christus) *est caput omnis principatus, et potestatis* (5); et I Petr. III, 22 Christus dicitur *profectus in coelum, subiectis sibi Angelis et potestatibus, et virtutibus.* Idem docent Ss. Patres. *S. Hieronymus* (6) ait: « nomine Ecclesiae non solum omnes homines, qui in Ecclesia congregantur, tam sanctos videlicet, quam peccatores, sed etiam Angelorum cunctarumque virtutum, et rationabilium creaturarum Ecclesiam intelligi posse. » *S. Augustinus* (7) inquit, fidem in Christum omnes iustos habuisse, « ut esset et ipse potius caput civitatis Ierusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem, adiunctis etiam legionibus et exercitibus Angelorum, ut fiat illa civitas sub uno Rege etc. » *S. Thomas* (8) ita argumentatur: « Ubi est unum corpus, necesse est ponere unum caput. Unum autem corpus similitudinarie dicitur una multitudo ordinata in unum secundum distinctos actus sive officia. Manifestum est autem, quod ad unum finem, qui est gloria divinae fruitionis, ordinantur et homines et Angeli. Unde corpus Ecclesiae mysticum non solum consistit ex hominibus, sed

(1) V. Th. ex Charm. diss. 7, c. 6, q. 4.
(2) 3, q. 8, a. 3.
(3) I Tim. 4, 10.
(4) I Io. 2, 2.
(5) Colos. 2, 10.
(6) In Ephes. I, 22.
(7) Enar. in Ps. 36, Serm. 3, n. 4.
(8) L. c. art. 4.

etiam ex Angelis. Totius autem huius multitudinis Christus est caput: quia propinquius se habet ad Deum, et perfectius participat dona ipsius non solum quam homines, sed etiam quam Angeli, et de eius influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli; dicitur enim constitutus a Deo *supra omnem principatum et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam* (1). Et ideo Christus non solum est caput hominum, sed etiam Angelorum. Unde et Matth. IV, 11 legitur, quod *accesserunt Angeli, et ministrabant ei.*» Neque vero obest, Ecclesiam esse congregationem fidelium, Angelos autem non posse vocari fideles, cum in ipsis, utpote comprehensoribus, non sit fides; nam, ait Angelicus Doctor (2): « Ecclesia secundum statum viae est congregatio fidelium; sed secundum statum patriae est congregatio comprehendentium. Et ideo non solum fidelium, sed etiam comprehendentium (Christus) est caput, utpote plenissime habens gratiam et gloriam. » Monent tamen Theologi, hanc S. Thomae doctrinam ita intelligendam esse, ut diverso modo Christus influat in homines ac in Angelos; nos enim a capite nostro Iesu Christo essentialem gratiae et gloriae influxum recipimus, Angeli autem nonnisi accidentalem. — Ex dictis satis patet, quanta sit amplitudo regni Christi, qui non solum hominum, sed et Angelorum bonorum caput est, supremus Rex et Gubernator, cuius potentiae etiam infideles in terra viventes subiiciuntur, quoniam morte ipsius redempti vocationi ad Ecclesiam parere tenentur. Nullum profecto regnum terrenum respectu amplitudinis et extensionis cum regno Christi comparari potest.

3. Regnum Christi etiam quoad *durationem* omnia regna terrena longe antecellit. Haec enim aliquando finem habebunt, imo quandoque ab aliis debellata cito evanescunt. Christi autem regnum perpetuum est et aeternum. Ecclesiam enim indefectibilem esse, et usque in finem mundi immobilem in fide perdurare, iam alibi probatum est (Th. gen. § 287). Ast non solum usque ad consummationem saeculi, sed etiam post mundi finem, et post iudicium Christus Deus homo regnabit, et quidem in aeternum. Id enim vaticinia (ibid. n. 1) citata evincunt, quibus addi potest locus Dan. VII, 14, ubi Propheta filium hominis per visum aspexit, cui *Antiquus dierum*, id est Deus Pater, *dedit potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient: Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur*. Idipsum Angelus Gabriel praedixit, de Christo Mariae annuntians: *Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis* (3). Praeterea comparatio, quam Paulus inter sacerdotes V. T. et sacerdotium Christi instituit, etiam inter reges terrestres et Christum Regem institui potest; ait enim Apostolus: *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium* (4). Eodem modo rectissime dicitur, reges terrae perpetuo sibi succedere *idcirco quod morte prohiberentur permanere*, Christum autem, *eo quod maneat in aeternum*,

(1) Ephes. 1, 21 etc. (2) 3, q. 8, a. 4 ad 2. (3) Luc. 1, 33. (4) Hebr. 7, 23-24

sempiternum habere regnum. Nam, ut idem Apostolus docet: *Iesus Christus heri, et hodie, ipse et in saecula* (1). — Hinc cum nonnulli cum *Origene* assererent, cum consummatione saeculi etiam regnum Christi finem habiturum esse; Ecclesia catholica, huic errori se opponens, in Symbolo *CPtano* haec verba de Christo addidit: *Cuius regni non erit finis.* — *S. Cyrillus Hier.* (2) lamentatur: « Aliud caput Draconis recens in Galatia exortum ausum est iactare, quod post finem mundi Christus non amplius regnat; » quem errorem solide refutat; quod idem praestat *Eusebius Caes.* (3). *S. Gregorius Naz.* (4), eundem errorem refutans ait: « Secundo loco opponunt: Oportet enim illum regnare — et a dextris sedere, donec hostes in potestatem redegerit. Quid vero postea? regnandi finem facere, aut e coelis expelli? Et quisnam, obsecro, eum e regno eiiciet? aut quam ob causam? quam audax enarrator es, nimiumque a regio iugo abhorrens! At regni illius nullum finem fore, audis Luc. 1, 32. Verum haec tibi erroris causa est, quod non intelligis, hanc vocem *donec*, non semper futuro tempori opponi, sed ita interiectum tempus statuere, ut interim sequens tempus non excludat. Nam nisi ita res se habeat, quonam modo illud, ut alia praeteream, intelliges: *Ero vobiscum usque ad consummationem saeculi* (5); an quasi postea minime futurus sit? et quae haec ratio esset? » Regnum Christi etiam post iudicium in aeternum perduraturum esse, propugnant *S. Epiphanius* (6), *S. Hieronymus* (7) et alii. *Gelasius I* Papa (8) fidem suam profitetur, dicens: «Nunquam post resurrectionem unitionis naturae suae discessit a proprio templo, nec discedere potest propter ineffabilem suam benignitatem. » Christus ergo ut Deus et ut homo in aeternum regnaturus est. Nec his verba Pauli adversantur: *Cum autem subiecta illi fuerint omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (9); quibus verbis nullatenus cessatio, seu finis regni Christi significatur, sed solum Filius, Deus et homo, Rex aeternus Patri subiectus dicitur: quae subiectio varie a variis exponitur. Subiectus nimirum est, vel quia Ecclesia, corpus Christi mysticum, Patri subdita est absolutissime, ut volunt *S. Athanasius*(10), *Theodoretus* et alii; vel quia humana Christi natura, tametsi Verbo hypostatice coniuncta, inferioris tamen per se divinitati ordinis infinito intervallo est, adeoque Patri subiecta, ut dicunt *S. Hieronymus*(11)et*S. Augustinus*(12). — Ex neutra expositione sequitur, regnum Christi post iudicium finem habiturum esse; sed immota manent argumenta, quae illud in aeternum perduraturum esse probant.

4. Denique regnum Christi excellentissimum esse cognoscitur, si *finis* eius spectetur. Regna enim huius terrae proxime securitatem et felicitatem temporalem intendunt; regnum autem Christi animarum sanctificationem et felicitatem aeternam pro fine habet. Idcirco ipse Messias ait: *Ego autem constitutus sum. Rex a deo super Sion montem sanctum eius* (13); in quae verba *S. Augustinus* observat: « Sed Sion ille, et mons ille non est

(1) Hebr. 13, 8. (2) Catech. 15.
(3) L. 3 de eccl. Theol. c. 13 etc.
(4) Orat. 30 (al. 36) n. 4.
(5) Matth. 28, 20. (6) In Ancor. § 121.
(7) Comment. in c. 1 Ep. ad Ephes.
(8) Epist. 2. (9) 1 Cor. 15, 28.
(10) L. de hum. natura Verbi.
(11) L. 1, Dial. adv. Pelag. c. 6.
(12) L. 5, c. Maxim. c. 18, et q. 69 inter qq. 83. (13) Ps 2 «

de hoc mundo. Quod est enim eius regnum, nisi credentes in eum? » — Isaias spiritualem finem regno Messiae assignat, ita Deum ad Messiam loquentem inducens: *Dedi te in foedus populi in lucem Gentium, ut aperires oculos coecorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris* (1). Daniel praedixit, Messiam regem venturum esse, *ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas et adducatur iustitia sempiterna* (2). Christus ipse, regni sui finem spiritualem esse, aperte declaravit. Cum enim regnum a se instituendum ovili compararet, de ovibus suis dixit: *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant* (3). (Cf. §338). Imo se dominium temporale nec appetere, nec exercere velle, Christus manifeste ostendit, dum (4) descriptus est inter Augusti subditos, dum (5) noluit arbiter sedere inter fratres de rebus terrenis litigantibus, dum coram Pilato professus est: *Regnum meum non est de hoc mundo* (6). Ss. Patres quoque tale regnum Christo adiudicant, quod ad spiritualem finem dirigitur. *S. Ambrosius* (7) ait: « Regnum eius non erat in hoc saeculo, supra saeculum erat. » *S. Chrysostomus* (8) inquit: Regnum suum dicit *non hinc* esse, non mundum privans imperio suo, sed ostendens, — non humanum vel fluxum esse — verum longe maius ac splendidius. » *S. Hieronymus* (9) scribit: « Regnum eius non erat terrenum, sed perpetuum, atque coeleste. » *S. Augustinus* (10) dicit: «Neque Regem talem se esse fatetur, cuius regnum putetur esse de hoc mundo; et alibi (11) asserit, Christum regnare non carnaliter, sed spiritualiter. » *S. Gregorius M.* (12) de Christo dicit: « Quasi in alieno nascebatur. » Non ergo Christus, qui ipsemet pauper vixit, nec habuit, *ubi caput reclinet* (13), ideo homines ad regnum suum vocavit, ut eis bona terrena tribueret, sed ut ipsis spiritualem et aeternam felicitatem conferret. Quantum ergo anima corpore praestantior, et coelum terra nobilius est, tanto regnum Christi etiam intuitu finis regna terrena praecellit.

Nota 1. Non sine solidis argumentis Theologi asserunt, Dominum Iesum Christum, quantum ad potestatem et ius regni spectat, fuisse tam spiritualis, quam temporalis regni plenissima praeditum auctoritate, etiamsi hanc exercere noluerit, eamque sinat saecularibus principibus demandari, quemadmodum spiritualis anima corporalia officia committit ministerio membrorum. Christus equidem regiam dignitatem non illis, qui inter homines obtinent, modis obtinuit, non iure successionis haereditariae, non electione populorum, non vi armorum, — sed modo longe excellentiori et perfectiori. Cum enim natura eius humana ad tam arctam cum Deo Verbo unionem assumpta est, ut fieret eadem cum ipso persona, factus est Christus Filius Dei naturalis, omnium dominus, eique universa in coelo et in terra subiecta sunt quocunque titulo servitutis ac dependentiae. His accedit, Christum omnes homines sanguine suo *redemisse*, atque etiam ex hoc titulo in eorundem et animas et corpora dominium acquisivisse plenissimum. Ideo Deus Pater ipsimet dixit: *Dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam*

(1) Is. 42, 6 etc. (2) Dan. 9, 24.
(3) Io. 10, 10. (4) Luc. 2, 1.
(5) Luc. 12, 14. (6) Io. 18, 36.
(7) L. 3, in Luc. (8) Hom. 83, in Ioan. n. 4.
(9) In cap. 22, Ierem. (10) 15 in Io. n. 3.
(11) Lib. 17 de Civ. Dei cap. 7.
(12) Hom. 8, in Evang.
(13) Luc. 9, 58.

terminos terrae(1). Ps. VIII, 7 de Christo dicitur: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Christus ipse Matth. XVII, 24se tanquam Regem a solvendo censu immunem declaravit, et Matth. XXVIII, 18 dixit: *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra;* quae verba tam universaliter enuntiata frustra ad solum regnum spirituale coarctantur. Act. X, 36 de Iesu Christo dicitur: *Hic est omnium Dominus;* idemque nominatur *Princeps regum terrae* (2) et *Rex regum, et Dominus dominantium* (3). — Recte igitur affirmatur, Christum etiam in omnia regna terrena supremam potestatem obtinuisse, eandem vero exercere noluisse. Quod docet etiam *S. Thomas*, dicens (4): « Christo sunt omnia subiecta, quantum ad potestatem, quam a Patre supra omnia accepit secundum illud Matth. XXVIII, 18. — Nondum sunt tamen omnia ei subiecta quantum ad executionem suae potestatis, quod quidem erit in futuro. » — Noluit autem Christus temporalem hanc potestatem exercere, quia divinis intendens, humana commisit hominibus. Etenim ad redemptionis opus perficiendum congruebat non *exercere* regiam potestatem; et maius erat meritum Christi Regis ornari spinea corona, quam diademate; maior gloria adorari in cruce, quam in throno; maior virtus domare orbem doctrina quam armis; maiorque sapientia homines sibi subiicere per exempla paupertatis et humilitatis, quam ad se allicere per divitiarum, et honorum temporalium splendidam pompam (5).

Nota 2. Si Christus Rex est supremus et excellentissimus, omnes reges terrae infinite superans, aequum est, ut summa ipsi reverentia exhibeatur praecipue in Ecclesiis, in quibus habitare dignatur. — Et si Christus rex est spiritualis, oportet, ut ipsum in spiritu et veritate adoremus, ipsique spiritualiter serviamus, veritates ab ipso revelatas firmiter credendo, mandata eius observando, exempla eius imitando, ipsumque ex corde diligendo. Omnia bona exspectare possumus, si fideliter tanto Regi serviamus, qui *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* (6). — Vae autem nobis! si Christo Regi servire recusemus, et cum rebellibus civibus dicamus: *Nolumus hunc regnare super nos* (7). Tristissima tunc sors obveniet nobis, quoniam iratus Iudex horrendam iam pronunciavit sententiam dicens: *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me* (8).

(1) Ps. 2, 8. (2) Apoc. 1, 5.
(3) Ibid. 19, 16. (4) 3, q. 59, a. 4 ad 2.

ARTICULUS II.

Christus est novus Legislator.

§ 393. Si Christus est verus Rex, suprema potestate praeditus, sequitur, eum verum esse Legislatorem; potestas enim legislativa non quidem per se in munere prophetico, sed in munere regio necessario continetur. Semper idcirco Christus tanquam verus Legislator habitus est, qui in Evangelio novam legem promulgavit. — Ast ex *Lutheri* schola egressi sunt, qui docerent, hominem christianum omni lege immunem esse, Evangelium nonnisi ex promissionibus constare, Christum dedisse legem nullam, sed id solum egisse, ut legem prius latam exponeret, et a pravis scribarum et Pharisaeorum interpretationibus purgaret, legisque moralis usum nunc fere unicum esse. Istius-

(5) Cf. Berti l. 27, c. 9. (6) Hebr. 5, 9.
(7) Luc. 19, 14. (8) Ib. v. 27.

modi commentis adhaeserunt nonnulli ex *Anabaptistis, Antinomi, Libertini* et *Familistae*, qui saeculo XVI Ecclesiam turbarunt, et saeculo XVIII eumdem errorem adoptarunt *Herrnhuthiani*. Repetenda autem est exitiosi dogmatis origo ex *Lutheri*, imo et *Calvini* paradoxis hoc de argumento loquendi formulis; quandoquidem et hic et ille locis variis Christianos lege liberos esse pronunciaverint, negaverintque Evangelium esse legem. — Ut tantus error praecaveatur, necesse est, ut *ex S. Scriptura V. et N. T.* et *ex Traditione* probetur, Christum non simpliciter Doctorem, sed verum etiam Legislatorem fuisse, et in doctrina eius evangelica veram novamque legem contineri.

1. Iam in *V. T.* praedictum fuit, Messiam futurum esse Legislatorem, eiusque doctrinam novae legis rationem habituram esse. Deut. XVIII, 15 Moysi dictum est: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui.* Messias ergo, qui, fatentibus ipsis Iudaeis, hic praedictus fuit, adinstar Moysis non solum Propheta, sed etiam Legislator esse debuit. *Isaias* cum praenuntiaret, doctrinam Messiae primo Hierosolymis praedicandam, et dein ad Gentes propagandam esse, his verbis utitur: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem* (1). Eodem modo doctrinam Messiae *legis* nomine decorat, dicens: *Legem eius insulae exspectabunt* (2). Idem (3) ita Messiam annuntiat: *Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos;* et Deum de Messia loquentem inducit: *Ecce testem populis dedi eum; ducem, ac praeceptorem gentibus* (4). — *Ieremias* tempore Messiae foedus vetus abrogandum, et novum instituendum esse praenunciat his verbis: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israël, et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum... sed hoc erit pactum... dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam* (5). Iuxta oracula ergo V. T. Messias debuit venire ut *Legifer, praeceptor*, et *novam legem* promulgare: Christus autem est verus Messias; ergo est etiam verus Legislator.

2. *Ss. Libri N. T.* Christum ceu verum Legislatorem clarissime ostendunt. In celeberrimo sermone, in monte habito (6), Christus, relatis variis veteris Testamenti mandatis, subiungit: *Ego autem dico vobis* etc., qui loquendi modus manifeste commonstrat, ab ipso leges eadem auctoritate ferri, qua V. T. mandata promulgata fuerunt; unde: *Admirabantur turbae super doctrina eius: erat enim docens eos sicut potestatem habens* (7). — Idipsum patet ex aliis loquendi formulis, quibus Christus usus est, dicens: *Mandatum novum do vobis* (8) etc.: *Hoc est praeceptum meum* (9) etc.; in quibus verbis utique maius quid occurrit, quam simplicis magistri documentum. Facile etiam est, novas, et in V. T. prorsus incognitas leges afferre, quas Christus tulit, et gravissimis sanctionibus firmavit. Sic Matth. XXVIII, 19 Christus Apostolis praecepit, ut omnes gentes doceant, et baptizent *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* hominibus vero hoc baptismum recipiendi tam gravem obligationem imposuit, ut Io. III, 5 diceret:

(1) Is. 2, 3. (2) Is. 42, 4.
(3) C. 33, v. 22. (4) Is. 55, 4.
(5) Ier. 31, 31 etc. (6) Matth. 5.
(7) Matth. 7, 28 etc. (8) Io. 13, 34.
(9) Io. 15, 12.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Ita pariter Christus Eucharistiam a se institutam perpetuo conficere et sumere iussit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (1); et Io. VI, 54 dixerat: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Huc referuntur, quae Christus circa alia Sacramenta a se instituta ordinavit, ac praecipue circa matrimonium, polygamiam in V. L. permissam et divortium interdicens: quod ex inferius dicendis apparebit. Christus ipse documenta a se tradita *mandata* nuncupat, vel *praecepta. Si diligitis me, mandata mea servate* (2); et: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me* (3). *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea* (4); et Matth. XXVIII, 20 ad Apostolos ait: *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis.* Quicunque ergo negat, Christum vera mandata tulisse, verumque Legislatorem fuisse, ipsius Christi verbis aperte contradicit. — Apostoli Christum non tantum ut sapientissimum Doctorem, sed etiam ut verum Legislatorem venerati sunt, eiusque doctrinam veram legem continere declararunt. Paulus Rom. III, 27 doctrinam Christi appellat *legem fidei.* I Cor. IX, 21, cum se a lege mosaica caeremoniali liberum declararet, addit: *Cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Et Gal. VI, 2 scribit: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* S. Iacobus dicit: *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit* (5). Sicuti ergo Apostoli legem veterem caeremonialem abrogatam esse defenderunt, ita Christianos *legi Christi* subiectos esse docuerunt, in Evangelio veram legis rationem agnoscentes.

3. *Ss. Patrum* constans persuasio et doctrina fuit Christum verum Legislatorem, et Evangelium veram legem esse. *S. Iustinus M.* (6), cum dixisset, Christianos non per Moysen, eiusque legem salutem suam expectare, subiungit: « Legeram, venturam esse legem novissimam et foedus firmissimum, quod nunc omnes, qui haeredes Dei fieri cupiunt, observare debent. Lex enim in Horeb data iam inveterata, et pro vobis solis destinata est: haec autem pro omnibus sine discrimine lata est. Lex autem posterius promulgata priorem tollit, et foedus recentius vetus abrogat: nobis legem aeternam et ultimam, ac foedus firmissimum Christus attulit, post quem alia lex non promulgabitur. Nonne legisti, quod Isaias LI, 4 dicit: *Lex a me exiet, et iudicium meum in lucem populorum requiescet?* etc.» *S. Ephrem Syrus* (7) docet, Christum Iesum hominibus datum fuisse non solum ut Redemptorem, sed etiam ut Legislatorem, et ait: « Deus (in N. T.) leges faciles abrogavit, promulgavit difficiles. » *S. Gregorius Naz.* Or. in Iulian. (8) ita apostatam, summam perfectionem ab omnibus Christianis exigentem perstringit: « Quomodo illud non animadvertis, quod in legibus nostris alia parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo praetermitti possunt; alia non necessitate constringunt, sed in arbitrio et vo-

(1) 1 Cor. 11, 24. (2) Io. 14, 15.
(3) Ibid. v. 21. (4) Io. 15, 10.
(5) Iac. 1, 2. (6) Dial. c. Tryph. n. 11.
(7) Serm. 48 adv. haer.
(8) Orat. 4. (al. 3) n. 109.

luntate posita sunt; ac proinde hanc rationem habent, ut qui ea custodierint, honore et praemio afficiantur: qui autem minus ea expleverint, nihil periculi pertimescant? » Et ibidem (1), legis christianae excellentiam ostendens exclamat: « Ubinam, quaeso, et apud quos homines sancitum est, ut qui maledicuntur, benedicant, et qui blasphemantur, obsecrent, — qui persecutionem patiuntur, cedant; qui vestibus spoliantur, amplius adhuc se exuant; qui maledictis afficiuntur, pro maledicentibus orent? » — S. *Chrysostomus* (2) in ista verba: *Nolite putare, quod venerim solvere legem, aut prophetas*, inquit: « Qua de causa hoc dixit? non incassum, nec frustra, sed quia veteribus praeceptis maiora laturus erat. » Et (3) in verba: *Quicunque ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum.* S. Doctor ita disserit: His verbis Christus « terret et minas graviter intentat super futura lege. Quod enim id non de antiquis legibus dixerit, sed de illis, quas ipse laturus erat, audi sequentia (v. 20): *Dico enim vobis: nisi iustitia vestra abundaverit plusquam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.* » — S. *Paulinus* (4) de obitu Celsi pueri ita canit: « Finis enim legis Christus: quia lege fideli praedictus, legi lex veniendo fuit, praescribens veteri finem, legemque fidei legem perfectam gentibus instituens. Unde Magister ait: Vetera effluxere peractis temporibus, subeunt omnia ubique nova. » S. *Augustinus* (5) in illa verba Ps. CIX. *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum*, ait: « Et ipsi quippe fatentur inimici, ex Sion missam fuisse legem Christi, quod Evangelium nos vocamus, et eam virgam virtutis eius agnoscimus. » S. *Gregorius M.* (6) inquit: « Quia Dominus ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, nova praecepta dedit mundo. » Concilium *Tridentinum* Sess. VI, can. 19 ait: *Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio, praeter fidem, caetera esse indifferentia, neque praecepta, neque prohibita, sed libera; aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Et Can. 21 addit: *Si quis dixerit, Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit.* Absque dubio ergo fidei dogma est, Christum verum Legislatorem esse, et in Evangelio novae legis rationem haberi.

Nota 1. Qui inter Protestantes Evangelium veram legem esse negarunt, pro more suo nonnullis S. Scripturae locis abusi sunt, ut errorem suum defenderent. Ast facile est eorum obiectiones refellere.

Obi. I. Io. I, 17 legitur: *Lex per Moysen data est; gratia, et veritas per Iesum Christum facta est.* Solus ergo Moyses legem dedit: Christus vero nullam legem tulit, sed solum gratiam et veritatem, seu veram doctrinam subministravit.

Resp. In citato loco dicitur, legem per Moysen, non autem, *per solum* Moysen datam esse: Christus ergo ut Legislator non excluditur. Comparatio ab Evangelista instituta qualitates tum Legislatoris, tum legis respicit. Moyses enim, ut ait S. *Augustinus* (7): « Servus secundum legem agere pot-

(1) N. 124. (2) Hom. 16 in Matth. 5. v. 17.
(3) N. 3. v. 13. (4) In Poem. 15.
(5) L. 17 de Civ. Dei c. 17.
(6) Hom. 32 in Evang.
(7) Tract. 3 in Io. n. 16.

est, solvere a reatu legis non potest. » Christus vero et leges imponere et a reatu legis solvere potest. Porro Moyses mandata quidem divina proponere, sed gratiam ad illa observanda conferre non valuit: Christus autem utrumque praestitit. In lege videlicet mosaica obtinuit rigor, neque tam luculentae erant promissiones, neque tanta gratiarum copia. Per Evangelium ablatum est iugum veteris legis, promissa accesserunt clariora et ampliora, maiorque gratiarum multitudo, hocque respectu Evangelium vocatur *gratia*, opponiturque legi, non quatenus liberaret ab obligatione colendi Deum servandique praecepta; sed quatenus rigorem sustulit. Quinimo in textu citato haud obscure indigitatur, Evangelium veram legem esse, quoniam *veritas* appellatur: in ipso ergo id impletum fuit, quod per legem veterem praefiguratum est. Non posset autem Evangelium *veritas* dici, in qua figura, nempe lex vetus impleta sit, nisi ipsam quoque rationem legis haberet.

Obj. II. Paulus clare docet, Christianos legi non esse subiectos. Rom VI, 14 ait: *Non estis sub lege, sed sub gratia.* I Tim. I, 9: *Iusto*, i. e. iustificato per Christum, *lex non est posita.* II Cor. III, 17: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.*

Resp. Ut haec Pauli verba recte intelligantur attendenda est gravissima quaestio, iam Apostolorum tempore agitata, an Christiani ad observantiam legum caeremonialium mosaicarum obligentur, quae communiter sub nomine *legis* intelligebantur. Apostoli autem in Concilio *Hierosolymitano* quaestionem diremerunt, declarantes, Christianos ad praefatam observantiam non obligari(1).—Hanc Apostolorum definitionem maximo zelo Paulus promulgavit (2), oppositumque errorem acerrime impugnavit, praecipue in Epist. ad Galatas. Eandem autem veritatem in aliis quoque Epistolis inculcat, atque ideo ad Romanos scribit: *Non estis sub lege* caeremoniali Moysis, *sed sub* lege Christi, quae merito *gratia* nuncupatur. *Iusto*, ait ad Timotheum, seu Christiano *lex* caeremonialis *non est posita;* et ad Corinthios: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas* a veteri lege caeremoniali. Paulus ergo negando obligationem observandi legalia, nullatenus negat Christianorum obligationem observandi leges Christi, quam ipsemet passim commendat.

Nota 2. Lex vetus absque dubio bona, et sancta erat, prout Paulus dicit: *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et iustum, et bonum* (3) Ex multiplici tamen capite lex nova, seu lex Christi veteri excellentior est. Nam, 1° Lex vetus figura erat legis novae a Christo ferendae, dicente Apostolo: *Omnia in figuris contingebant illis* (4), et: *Quae sunt umbra futurorum* (5). Lex autem nova est veteris legis complementum, dicente eodem Apostolo: *Finis legis Christus* (6). Quanto ergo res ipsa est excellentior sua figura, tanto lex nova legem veterem antecellit. 2° Utraque lex Deum auctorem habet; ast lex vetus data fuit per Moysen purum hominem; lex autem nova hominibus allata et annuntiata fuit per Christum Deum, et hominem; unde Hebr. I, 1 etc. dicitur: *Multifariam, multisque modis, olim Deus loquens Patribus in Prophetis novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula.* Quantae autem dignitatis est lex et doctrina a tanto

(1) Act. 15, 28. (2) Act. 15, 41.
(3) Rom. 7, 12. (4) I Cor. 10, 11.
(5) Col. 2, 17. (6) Rom. 10, 4.

praecone annuntiata ! 3° Lex vetus pro uno tantum populo destinata erat ; ad caeremonialia enim Moysis observanda soli Israëlitae, non autem reliquae gentes obligabantur. Lex autem nova pro omnibus populis destinata est, quia Christus Apostolis dixit: *Euntes docete omnes gentes* (1), et: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae* (2). 4° Lex vetus quoad praecepta iudicialia et caeremonialia non erat perpetuo duratura, sed tantum ad tempus, nempe usque ad adventum Messiae, uti scribit Paulus: *Lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen* (3), i. e. Christus. Lex autem Christi nunquam est abroganda, sed usque ad finem mundi perduratura, dicente ipso Christo Apostolis Evangelium praedicantibus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (4). Nulla ergo nova lex exspectanda est, quae huic subrogetur; unde Christus (5) monuit, cavendum esse a Pseudo-Christis et Pseudo-Prophetis, qui doctrinam novam, ab Evangelio diversam, allaturi essent. Paulus (6) adseverat, fidem habendam esse nemini, doctrinam ab Evangelio Christi diversam praedicanti, etiamsi Angelus de coelo fuerit; et (7) *aeternum* vocat testamentum novum. 5° Excellentia legis novae prae lege veteri clarissime elucet, si ipsa doctrinae capita conferantur et perfectio praeceptorum consideretur. Nam in V. T. nonnulla ob duritiam Iudaeorum tolerabantur, ut libellus repudii, poena talionis, etc. Christus autem haec omnia sustulit et perfectiora substituit, internam praecipue cordis puritatem et sanctitatem praescribens, quod patet ex eius sermone in monte habito (8). Alia quoque longe excellentiora praecepit lex evangelica, ut fidem explicitam SS. Trinitatis et Incarnationis pro omnibus adultis, oblationem sacrificii longe praestantioris omnibus sacrificiis Aaronicis, et usum Sacramentorum multo excellentiorum, utpote quae gratiam non solum significant, ut Sacramenta V. L., sed etiam ex opere operato conferunt. Denique in lege nova consilia quoque evangelica commendantur, quae homines ad summam perfectionem perducere possunt. 6° Lex nova etiam observatu facilior et suavior, quam lex vetus, dicenda est. Nam in V. T. multa praecepta caeremonialia habebantur, observatu difficilia, ita ut ea Petrus appellet *iugum . . . quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus* (9). — Christus autem figuras adimplens, ac ideo legem caeremonialem abrogans, a gravi iugo nos liberavit. Negari quidem non potest, Christum a suis exigere, ut omnes inordinatas passiones et cupiditates abnegent, perfectioresque virtutum actus ponant; et ex hoc respectu dici potest, graviora praecepta in nova lege quam in veteri imponi. Sed quia in nova lege efficaciora salutis media praesto sunt, maiores gratiae supernaturales distribuuntur, bonaque immensa legem observantibus promittuntur; facilius praecepta novae, quam veteris legis adimplentur. Et sane, iuxta dictamina evangelica seipsos abnegantes, crucem tollentes perfectasque virtutes exercentes, non solum in aeterna beatitudine copiosam mercedem recipiunt, sed etiam in hac vita dulcissima cordis tranquillitate fruuntur, suavibusque con-

(1) Matth. 28, 19. (2) Marc. 16, 15.
(3) Gal. 3, 19. Matth. 28, 20.
(5) Ma[illegible] 5, 5 etc
(6) Gal. 1, 8. (7) Hebr. 13, 20.
Matth. c. 5. 7. (9) Act. 15, 10

solationibus replentur. Ideo Christus inquit: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, et onus meum leve* (1). Denique 7° lex vetus erat lex timoris; lex nova est lex amoris; illa servorum, haec filiorum; unde Paulus scribit: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba* (*Pater*) (2). Et S. *Augustinus* (3) ait: « Brevis differentia est Legis et Evangelii, timor et amor. » Equidem etiam in V. T. charitas Dei praecepta fuit; sed cum Israëlitae dura cervice et incircumcisis cordibus essent, opus fuit, ut praecipue poenarum timore a transgressionibus legis deterrerentur, et per bonorum temporalium promissiones ad praecepta divina adimplenda incitarentur. Ast Evangelium observantibus non bona terrena et caduca, sed spiritualia ac aeterna promittuntur, hominesque praecipue per amorem erga Deum, quem *ex toto corde, in tota anima,* et *in tota mente* diligere iubentur (4), ad vitam recte instituendam excitantur.

Nota 3. Cum definiendum sit, quonam tempore lex vetus cessaverit, omnes quidem fatentur, ante Christi mortem eius abrogationem non contigisse. Qua de re minime ambigendum est, cum Christus ipse et legem apprime servaverit et servandam praeceperit Iudaeis (5). An vero in dominica passione lex desierit, an potius die solemni Pentecostes, aeque certo non constat. Plures ex Ss. Patribus legem veterem cessasse putant, dum Christus mortuus et velum templi scissum est. Ita *S. Ambrosius* (6) ait: « Velum scinditur, quo mysteriorum synagogae profanatio declaretur. » *S. Augustinus* (7) dicit: « Velum scinditur, quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur. » *S. Leo M.* (8) haec habet: « Adeo tunc a lege ad Evangelium evidens facta est translatio, ut, emittente Domino spiritum, velum vi subita scinderetur. » Istorum Ss. Patrum vestigia sectatus, *S. Thomas* (9) inquit: « Mysterium redemptionis humani generis completum fuit in passione Christi. Unde tunc Dominus dixit: *Consummatum est*, ut habetur Io. XIX, 30; et ideo tunc totaliter debuerunt cessare legalia, quasi iam veritate eorum consummata. In cuius signum in passione Christi velum templi legitur esse scissum. » — Secus opinantur *Scotistae*, qui tum legem mosaicam penitus abrogatam censent, cum primo Apostoli die Pentecostes coelesti spiritu repleti solemniter legem evangelicam Hierosolimys promulgarunt. — Utraque tamen opinio, ni fallimur, componi videtur, si prae oculis habeatur sequens ineluctabile principium. — Quemadmodum lex condita vim obligandi non habet, si nondum ea subditis innotescat; item pari ratione legis abrogatae tum tantum desinit obligatio, cum ipsius abrogatio fuerit promulgata. Hoc posito, dicimus, legales caeremonias una cum sacerdotio levitico ablatas fuisse, cum Patri seipsum obtulit Christus novae legis institutor, et Pontifex secundum ordinem Melchisedech. At quoniam non ante diem Pentecostes nunciata fuit

(1) Matth. 11, 28 etc. (2) Rom. 8, 15.
(3) Lib. c. Adamant. c. 7. (4) Matth. 22, 37.
(5) Matth. 8, 4 et 23, 3; Marc. 14, 12; Luc. 2, 21; Io. 7, 3 (6) Lib. 10. in Luc.
(7) Serm. 153. (8) Serm. 66, de pass.
(9) 1 2. q. 103 art. 3 ad 2

evangelicae legis necessitas et veteris abrogatio, inde solum cessasse legalium obligationem consequitur. — Verum eo tempore si lex vetus demortua omnino fuit, cur eam deinceps Apostoli servarunt? cur Paulus Timotheum circumcidit (1)? — cur more Nazaraeorum caput sibi totondit in Cenchris (2)?—cur purificatus cum Iudaeis in templum intravit (3)? — Ad haec brevi reponimus, legem, quamvis tunc temporis inutilem, haud tamen mortiferam statim et noxiam fuisse, dummodo ea nec haberetur ut necessaria, nec spes in ipsa reponeretur. Usurpare ergo poterant Iudaeorum ritus pro circumstantiis Apostoli, sive ad scandalum pusillorum devitandum, sive etiam ut Hebraeos facilius ad Christi fidem pertraherent. Cum vero plenam perfectamque promulgationem Evangelium in dies obtinuerit, plane illicita ac mortifera lex mosaica evasit. Quandonam id evenerit, ex Scripturis sacris, vel Patrum traditione tuto nequit ostendi: in excidio templi hierosolymitani id evenisse probabiliter arbitrantur nonnulli (4).

Nota. 4. Iam in antiquo foedere homines legem a Deo per Moysen datam maximi aestimarunt, et continuo meditati sunt. Hinc Psalmista ait: *Servus tuus exercebatur in iustificationibus tuis. Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum iustificationes tuae* (5); *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est* (6); *Mirabilia testimonia tua ideo scrutata est ea anima mea* (7). — Cum autem lex nova veteri longe excellentior sit, quam aequum est, ut nos Christiani illam maximi aestimemus, recte cognoscamus, et sedulo meditemur? Ideo autem legem Christi assidue scrutari et meditari debemus ut illam exacte observemus. Nam ait *S. Augustinus* (8): « Sciens Spiritus, qui haec dicit, multos propter aliud, non propter quod constitutum est, scrutari testimonia eius, non tantum dixit: *Beati qui scrutantur testimonia eius;* sed addidit: *in toto corde exquirunt eum*, tanquam docens, quemadmodum, vel propter quid scrutanda sint testimonia eius.... Sic enim scrutando testimonia eius, ut in toto corde exquirant eum, immaculati ambulant in lege Domini. »

(1) Act. 16, 3. (2) Act. 18, 8.
(3) Act. 21, 26.
(4) Cf. Gotti th. schol. dogm. l. 8, tract. de regibus q. 4, dub. 6 etc.; Berti l. 20, c. 10.

(5) Ps. 118, 23 etc. (6) Ib. v. 97.
(7) Ib. v. 129
(8) En. in Ps. 118; Serm. 1, n. 2.
(9) Sac. c. 1.

ARTICULUS III.

De sapientissimo Ecclesiae Christi regimine.

§ 394. Christus Ecclesiam suam, cuius supremus rex et caput invisibile semper manet, infinita sapientia, potentia et bonitate conservat, eam contra hostium insultus provide tuendo, eandemque gubernat, efficacissima media suppeditando, quibus ad nobilem finem suum pervenire possit. Rem ita se habere ipsa Ecclesiae historia luculenter demonstrat. Iam enim per novemdecim fere saecula vera Christi Ecclesia, non obstantibus plurimis et vehementissimis infensissimorum et potentissimorum inimicorum persecutionibus, immota persistit, fundata super firmam petram, hominesque ad sanctitatem et salutem aeternam dirigere non cessat. Vere ergo Christi, Ecclesiam suam regentis, sapientia, potentia, et bonitas *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (9). Imo cum reges terreni equidem leges imponere, non

autem internam eas observandi virtutem tribuere possint; Christus rex divinus non solum praecepta hominibus imponit, sed his etiam gratias internas et supernaturalia auxilia tribuit, quibus ad recte agendum excitantur et adiuvantur, operans in ipsis *velle, et perficere* (1). — Unde *S. Thomas* (2) ait: « Virtus et motus caeterorum membrorum, et gubernatio eorum in suis actibus est a capite propter vim sensitivam et motivam ibi dominantem. » Atque ita Christus, ut caput Ecclesiae, « virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiae secundum illud: *de plenitudine eius nos omnes accepimus* (3). » — Christus ergo, cuius regnum non est de hoc mundo, praecipue per gratiam suam supernaturalem, de qua in proxima Theologiae theoreticae parte sermo instituetur, homines regit, atque gubernat. — Quamvis autem Christus tanquam caput invisibile in omnia Ecclesiae membra influat, et per omnipotentiam suam cuncta bona immediate praestare possit; sapientissime tamen ordinavit, ut in Ecclesia, quae corpus visibile constituere debet (4), etiam caput visibile, seu Primas adesset (5), et cum ipso, ac sub ipso alii Praesules (6), et ministri darentur (7), per quos Ecclesia etiam externo et visibili modo regeretur, ac finis eius promoveretur. Neque in eo contradictio ulla occurrit, quod praeter caput invisibile, quod Christus est, etiam caput visibile statuatur, et Regi supremo alii Praesules ecclesiastici adiungantur. Hanc etenim difficultatem solvit *S. Thomas* (8) dum quaestionem movet: « Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christo; » et ita respondet: « Caput in alia membra influit dupliciter: uno modo quodam intrinseco influxu, prout scilicet virtus motiva et sensitiva a capite derivatur in caetera membra: alio modo secundum quamdam exteriorem gubernationem, prout scilicet secundum visum et alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in interioribus actibus. — Interior autem influxus gratiae non est ab aliquo nisi a solo Christo, cuius humanitas ex hoc, quod est divinitati coniuncta, habet virtutem iustificandi. Sed influxus in membra Ecclesiae quantum ad exteriorem gubernationem potest aliis convenire. Et secundum hoc aliqui alii possunt dici capita Ecclesiae secundum illud: *Optimates capita populorum* (9); differenter tamen a Christo: *primo* quidem quantum ad hoc, quod Christus est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent secundum omnem locum, et tempus, et statum; alii autem homines dicuntur capita secundum quaedam specialia loca, sicuti Episcopi suarum Ecclesiarum; vel etiam secundum determinatum tempus, sicut Papa est caput totius Ecclesiae, scilicet tempore sui pontificatus; et secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris. *Alio modo*, quia Christus est caput Ecclesiae propria virtute et auctoritate; alii vero dicuntur capita in quantum vicem gerunt Christi, secundum illud II Cor. II, 10: *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi;* et secundum illud II Cor. V, 20: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* » — Et ibid. (10) refert verba *S. Augustini* (11) dicentis: « Si praepositi Ecclesiae pastores sunt, quo-

(1) Phil. 2, 13. (2) 3, q. 8, a. 1. (3) Io. 1, 16. (4) V. Th. gen. § 273 etc. (5) Ib. § 251-267. (6) Ib. § 244, et seq. (7) Ib § 268-271. (8) 3, q. 8, a. 6. (9) Amos 6, 1. (10) Ad 3. (11) Tr. 46 in Ioan.

modo unus pastor est, nisi quia sunt illi omnes unius membra pastoris? » additque: « Et similiter alii possunt dici fundamenta, et capita, in quantum sunt unius capitis, et fundamenti membra. Et tamen, sicut ibidem (1) dicit: pastorem esse membris suis dedit; *ostium* vero nemo nostrum se dicit; hoc ipse sibi proprium tenuit; et hoc ideo, quia in ostio importatur principalis auctoritas, in quantum ostium est, per quod omnes ingrediuntur in domum: et ipse solus Christus est, per quem accessum habemus in gratiam istam in qua stamus. Per alia vero nomina praedicta potest importari auctoritas non solum principalis, sed etiam secundaria. » Nullatenus ergo Christi auctoritati derogatur, dum visibiles Ecclesiae Rectores et Pastores admittuntur, sed in eorundem institutione illius sapientia et bonitas maxime elucet. Ut enim homines saluberrimorum Redemptionis fructuum participes reddantur, et spiritualem ac aeternam felicitatem consequantur, non solum rectam fidem in dogmata revelata concipere, sed etiam mandata divina observare et ad perfectam moralitatem tendere debent (§ 378). — Ad hunc nobilissimum finem inter homines per peccatum originale obscuratos, infirmatos et corruptos externo quoque, et visibili medio efficaciter promovendum, Christus in Ecclesia sua instituit *magisterium authenticum*, per quod evangelica doctrina proponatur, *sacerdotium legale*, per quod media salutis administrentur, et *imperium sacrum*, per quod homines a vitiis arceantur et ad bonum dirigantur. — Satis quoque manifestum est, Christum per Ecclesiam docentem, sacra peragentem et imperantem triplex munus suum, nempe propheticum, sacerdotale et regium externo et visibili modo usque ad finem mundi continuare.

Nota. Non iam completa hic eorum pertractatio suscipitur, quae ad regimen Ecclesiae spectant, quoniam haec vel alibi in Theologia dogmatica, vel in aliis disciplinis theologicis pertractantur. Breviter hic ea tantum proponuntur, quae specialius sapientiam et bonitatem Christi in regenda Ecclesia commonstrant, nexum inter praecedentia et subsequentia ostendunt, et prima Theologiae hierarchicae, seu pastoralis, et iuris canonici fundamenta iaciunt (2).

I. *De magisterio authentico in Ecclesia instituto.*

§ 395. Christum in Ecclesia magisterium non solum authenticum, sed et infallibile instituisse, iam alibi (3) probatum fuit. Hoc magisterium, quod Praesules ecclesiastici cum suo Primate constituunt (4), omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ita a Christo, et a Spiritu sancto regitur, ut in intelligenda, declaranda, et proponenda doctrina revelata aberrare nullo modo possit (5). — Per sapientissimam hanc institutionem fit, ut saluberrima doctrina divinitus revelata numquam corrumpi possit, sed semper in vera Ecclesia catholica pura et integra conservetur, et ut omnia eiusdem Ecclesiae membra in unitate fidei conspirent, et firmam de dogmatibus revelatis persuasionem nanciscantur, quia omnes homines se magisterio, divina auctoritate constituto, subiicere tenentur, et magisterio, inerrantiae dono praedito, tuto acquiescere possunt (6). — Sed per magisterium a Christo institutum non solum do-

(1) Tract. 47. (2) Cf Dieringer Dogm. § 139. (3) Th. gener. § 209-222. (4) Ib. § 223 et seq. (5) Ibid. § 234. (6) Ib. § 217.

gmata definiuntur, errores doctrinae revelatae contrarii damnantur, et controversiae fidei infallibiliter dirimuntur; sed alio quoque modo fides, quae per charitatem operatur, seu spiritualis et aeterna fidelium salus efficacissime promovetur. Sicuti enim Apostoli, memores praecepti divini praedicandi Evangelium omni creaturae (1), et docendi omnia, quaecunque Christus mandavit (2), non solum infideles ad fidem convertere, sed etiam fideles assidue viva voce instruere, emendare et perficere studuerunt (3), et in hac evangelicae doctrinae praedicatione discipulos (4) adiutores habuerunt: ita continuo per magisterium ecclesiasticum, seu per Episcopos et Sacerdotes in Catechesibus, Homiliis et Concionibus doctrina revelata declaratur, probatur et inculcatur, seu Verbum Dei praedicatur. Neque nostris temporibus, quibus rerum spiritualium contemptus et mediorum salutis neglectus lugendo modo invaluerunt, supervacaneum reputandum est, ut *Verbi divini praedicati vis et efficacia, imo et necessitas* ad fidem, quae per charitatem operatur, producendam, conservandam et augendam, et ad spiritualem ac aeternam fidelium salutem promovendam solide demonstretur. Argumenta *ex S. Scriptura, ex Traditione* et *ex ratione theologica* petuntur.

1. *In S. Scriptura* magnifica encomia leguntur, quibus vis et efficacia verbi divini commendatur. Iam in V. T. quamvis plena Revelationis lux nondum hominibus affulserit, attamen saluberrimi verbi divini hominibus annunciati fructus praedicantur. Ps. XVIII, 8: *Lex Domini immaculata convertens animas . . . sapientiam praestans parvulis. Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Ps. CXVIII, 105 etc.: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis;* v. 130: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis;* v. 165: *Pax multa diligentibus legem tuam:* in quo quidem Psalmo, qui caeteros longitudine superat, nullus fere versiculus est, qui non praedicet laudes et efficaciam verbi divini. Sap. XVI, 12: *Tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia;* v. 26: *Ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines; sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat.* — Isa. LV, 10 etc.: *Quomodo descendit imber, et nix de coelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram . . . et dat semen serenti, et panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud.* Ier. XXIII, 29: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?* — Prov. XXX, 5: *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se.* — Necessitas quoque verbum Dei audiendi iam in V. T. asseritur. Prov. XXVIII, 9 legitur: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Amos VIII, 11 defectus verbi divini praedicati tanquam maxima poena proponitur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et emittam famem in terram; non famem panis neque sitim aquae, sed audiendi verbum Dei.* — Ier. XIX, 15, Deus verbi sui spreti poenas intentans, inquit: *Ecce ego inducam super civitatem hanc, et super omnes urbes eius universa mala, quae locutus sum adversum eam; quoniam induraverunt*

(1) Marc. 16, 15. (2) Matth. 28, 20. (3) Act. 2, 42. (4) Luc. 10, 1.

cervicem suam, ut non audirent sermones meos ; et ibid.: *Haec dicit Dominus : Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, ut audiatis sermones servorum meorum prophetarum, quos ego misi ad vos... et non audistis : Dabo domum istam sicut Silo ; et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terrae* (1). — In N. T. Christus ipse ait : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei* (2); luculenter ostendens, verbum Dei id esse animae, quod cibus est corpori. Matth. XIII, 3 et seq.: Verbum Dei comparatur *semini*, quod cadens in terram bonam *fructum* affert *aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum*. Divinus idcirco Redemptor verbum Dei audire iubens exclamat : *Qui habet aures audiendi, audiat* (3); et : *Qui ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (4). Paulus necessitatem verbi divini praedicati ostendit, dicens : *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt nisi mittantur ? sicut scriptum est* (Is. LII, 7) : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona ! sed non omnes obediunt Evangelio : Isaias enim* (53, 1) *dicit : Quis credidit auditui nostro ? ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (5). Passim praeterea doctrina evangelica hominibus annunciata iusta saluberrimos, quos producit effectus variis nominibus insignitur; nominatur enim *Verbum veritatis* (6); *Verbum reconciliationis* (7); *Evangelium pacis* (8); *Sermo iustitiae* (9); *Verbum gratiae Dei* (10); *Verbum regenerans* (11); *Evangelium salutis* (12); *Virtus Dei in salutem omni credenti* (13); *Verbum vitae* (14); *Odor vitae in vitam* (15). — Graphice autem efficaciam verbi divini describit Paulus dicens : *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis* (16); sicuti nempe gladius acutus interna penetrat et secat, ita, ut observat *Estius* (17), verbum Dei non solum externa et manifesta vitia resecat, sed etiam interna et occulta, ac mentis cogitationes cordisque affectus emendat. Ideo idem Apostolus Christianos monet, ut contra tentationes assumant *gladium Spiritus* (*quod est verbum Dei*) (18). — Ipsa itaque S. Scriptura teste, verbum Dei debito modo praedicatum et auditum efficacissimum est ad fidem, quae per charitatem operatur producendam, conservandam et perficiendam, ad mores hominum emendandos eorumque salutem promovendam. Quamobrem ipse Christus dicit : *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (19).

2. *Ss. Patres* verbi divini praedicati utilitatem et necessitatem sat frequenter ex variis rationibus probant. *Tertullianus* l. de idol. (20), cum fallaces diaboli insidias descripsisset, mox addit : « Verbum Dei homines adversus diaboli latitudines munit; »

(1) Ier. c. 26, v. 4 etc. (2) Matth. 4, 4.
(3) Ib. v. 9. (4) Io. 8, 47.
(5) Rom. 10, 13 etc. (6) Col. 1, 5.
(7) 2 Cor. 5, 19. (8) Eph. 6, 15.
(9) Hebr. 5, 13. (10) Act. 14, 3.
(11) 1 Petr. 1, 23. (12) Eph. 1, 13.
(13) Rom. 1, 16. (14) Phil 2, 16.
(15) 2 Cor. 2, 16. (16) Hebr. 4, 12.
(17) In h. l. (18) Ephes 6, 17.
(19) Luc. 11, 28. (20) C. 2.

et lib. de Resur. (1) dicit, quod sermo divinus est « in causam vitae appetendus, et devorandus auditu, et ruminandus intellectu, et fide digerendus. » *Origenes*, ut observat Erasmus (2), nusquam magis obiurgationem expromit, quam cum fideles rari ad concionem venirent, vel oscitantes essent in audiendo; et rectissime existimavit, praecipuum pietatis sive profectum, sive defectum hac ipsa praecipue ex causa provenire; sic (3) ait: « Sicuti una, et eadem species mannae aliis vermes et putredines generabat, aliis vero salubrem cibum conferebat, et vitae necessarium; ita et nostrum manna est verbum Dei, et apud nos sermo Dei aliis efficitur ad salutem, aliis ad poenam » (4). — *S. Cyprianus* (5) ait: « Evangelii praecepta, fratres dilectissimi, nihil sunt aliud, quam magisteria divina, fundamenta aedificandae spei, firmamenta corroborandae fidei, munimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, praesidia obtinendae salutis. » — *S. Basilius* Hom. 3 in Hexaem. considerans opifices laborem interrumpentes, et concioni attendentes, ita disserit: « Istis quid dicam? nimirum istam temporis partem Deo foenori datam nequaquam perdi, sed magno cum incremento ab ipso rependi. Etenim quicumque casus impedimentum afferunt, eos Deus avertet, ac corpori robur, animo alacritatem, facilitatem commercii et prosperitatem per totam vitam iis, qui spiritualia praetulerint, largiturus est. Etsi autem in praesenti non secundum spem succedunt nostra studia; at certe spiritus doctrina pro futuro saeculo thesaurus bonus est. » Idem alibi (6) inquit: « Quoties Episcopi et Sacerdotes in Ecclesia praedicant, toties convivium praeparatur: in hoc autem convivio tales potiones taliaque infirmis antidota anteponuntur, quibus caeci illuminantur, paralytici curantur, mortui resuscitantur, omnesque morbi et infirmitates sanantur. » *S. Ambrosius* (7) alludens verbis Davidis: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, inquit: « Nobis lucerna eius luceat, ne possimus errare; et lucerna verbum est, sicut verum lumen est Verbum, quod totum illuminat mundum. » *S. Chrysostomus* (8) inquit: «Ideo ad doctrinae thronum ingredimur, ut hinc externas illas sordes (domi, aut in foro contractas) deponamus. — Nemo igitur in Ecclesia res domesticas animo verset; sed domi res Ecclesiae cogitet. Haec caeteris omnibus sunt pretiosiora; haec enim ad animam, illa ad corpus pertinent; imo quae hic dicuntur, et corpori et animae competunt... Non enim solum qui post haec futuri simus, et quomodo illic vivemus, hic ediscimus; sed etiam qua ratione hic nobis sit vivendum. Nam medicamentorum officina spiritualis haec domus est, ut quae vulnera foris accepimus, hic curemus. » — Idem serm. in illud: *Si esurierit inimicus* etc., n. 3 ita loquitur: «Non potest fieri, ut qui tam negligens sit, ut ne modicam quidem diei partem sacrorum eloquiorum auditioni dignetur impendere, unquam venia dignus habeatur, licet millies saecularium negotiorum occupationes obtendat. » — *S. Hieronymus* (9) scribit: « Scriptura divina aedificat et lecta; sed multo prodest, si de literis vertatur in vocem, ut qui per epistolam docuerat, praesens instruat audientes.

(1) C. 37. (2) De vita, et scriptis eius.
(3) Hom. 3 in Num. (4) Cf. Hom. 13 in Exod., et Hom. 9 in Lev.
(5) Lib. de orat. domin.
(6) Hom. 2 de ieiun. (7) L. 7 in Luc
(8) Hom. 2 in Ioan. 1, 5.
(9) In cap. 4 Ep. ad Galat.

Magnam siquidem vim habet vox viva, vox de auctoris sui voce resonans, quae ea pronuntiatione profertur ac distinguitur, qua in hominis sui corde generata est.... Epistola non potest vocem obiurgantis exprimere, non valet irascentis resonare clamorem et dolorem pectoris apicibus exprimere. » Et (1) ad Paulin. ait: « Habet nescio quid latentis energiae viva vox, et in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat. » *S. Augustinus* primos Christianos laudat, quia in audiendo verbo divino diligentissimi fuerunt; nam, eorum mores depingens, ait (2): « Confluunt ad Ecclesiam casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione, ubi audiant, quam bene hic ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam, beate, semperque vivere mereantur. » Idem l. 15 de Trinit. (3) inquit: « Verbum, quod foris sonat, signum est verbi quod intus lucet. » Serm. (4) de Script. V. et N. T. (5) dicit: Verbum Dei « cibus est, qui reficit, nec deficit: cibus est qui insumitur, et non consumitur: cibus est, qui esurientes satiat, et integer manet. — Quia ergo ad istas epulas convenistis, bene comedite; sed cum abieritis, bene digerite. Bene enim manducat et male digerit, qui audit Verbum Dei et non facit. » Enar. in Ps. 32 (6) ait: « Si panis noster est verbum Dei, sudemus in audiendo, ne moriamur in ieiunando. » Serm. 16 de temp. ita praeclare loquitur: « Sicut caro pascitur cibo, sic reficitur anima Dei verbo, ut totus homo, id est, et exterior et interior de sancto et salubri convivio satiatus exurgat. Nam si sola caro reficitur, et anima Dei verbo non pascitur, ancilla satiatur, et domina fame torquetur. » *S. Caesarius Arel.* (7) inquit: « Lumen animae, et cibus aeternus non est aliud nisi verbum Dei, sine quo anima nec videre potest, nec vivere, quia, quomodo caro nostra moritur, si non capiat cibum, ita et anima nostra extinguitur, si non accipiat verbum Dei. » Quid de utilitate et necessitate verbi divini *S. Gregorius M.* senserit, patet ex monitis, quibus illos perstringit, qui, licet idonei essent, praedicationis tamen munus negligunt; ait enim (8): « Si indigentibus proximis ipsi, quas haberent pecunias absconderent, adiutores procul dubio calamitatis extitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum praedicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitae remedia abscondunt... Si populos fames attereret, et occulta frumenta ipsi servarent, auctores procul dubio mortis existerent. Qua itaque plectendi sunt poena considerent, qui, cum fame verbi animae pereant, ipsi panem perceptae gratiae non ministrant... Si medicinalis artis minime ignari secandum vulnus cernerent, et tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternae mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui, dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum. » *S. Bernardus* (9) in eos, qui malunt domi legere, quam in templo audire, ita accommodatissime loquitur: *Fides ex auditu.* « Dignum quippe fuerat, per superiores oculorum fenestras veritatem intrare in animam; sed hoc nobis, o anima! servatur in posterum, cum videbimus faciem; nunc autem

(1) Epist. 103 (al. 53).
(2) L. 2 de Civ. Dei c. 28. (3) Cap. 11.
(4) 28 (al. 7). (5) N. 1. (6) Serm. 2, n. 1.
(7) Serm. 97 (in ord. 303, n. 2).
(8) Reg. past. p. 3, c. 25.
(9) Serm. 28 in Cantic.

unde irrepsit morbus, inde remedium intret, et per eadem sequatur vestigia vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum veritatis... Auris prima mortis ianua, prima aperiatur et vitae. Auditus qui tulit, reparet visum. » Idem (1) ad Gaufridum Abb. scribit: « Acceptior sermo vivus quam scriptus, et efficacior lingua quam litera; oculi quippe loquentis fidem faciunt dictis: nec ita potest affectum exprimere digitus, quomodo vultus. » Universalem in Ecclesia de verbi divini praedicati efficacia et necessitate persuasionem fuisse, historia ecclesiastica testatur. Omnibus enim aevi christiani saeculis praedicatio verbi divini summi momenti habita, et pastoribus animarum in variis Conciliis graviter inculcata fuit, quorum decreta renovavit, et confirmavit Concilium *Tridentinum* (2).

3. Doctrinam Christi excellentissimam esse, iam alibi (3), probatum fuit. In ipsa enim hominum officia erga Deum, erga proximos, et erga seipsos adimplenda optime exponuntur, ac praeterea fortissima motiva timoris, spei et charitatis (4) proponuntur. Doctrina ergo haec, viva voce annunciata, efficacissima est ad intellectum hominis erudiendum, et ad voluntatem eiusdem a malo deterrendam, et ad bonum impellendam. Quapropter verbum divinum praedicatum rectissime inter praecipua media salutis recensetur. Et sane Christus, benignissimus Redemptor noster, saluberrimam doctrinam ipsemet praedicavit, eandemque ab Apostolis et eorum successoribus usque ad finem mundi praedicari iussit, ut homines ab ignorantiae tenebris, quibus per peccatum originale obvoluti sunt, liberarentur, et ut eorum voluntas per idem peccatum infirmata et depravata corrigeretur. Quicunque ergo verbum divinum praedicatum audire recusat, efficacissimum salutis medium ab ipso Christo institutum negligit; facillime culpabilis ignorantiae reus constituitur, dum aut officia sua nunquam perfecte addiscit, aut eorundem pedetentim obliviscitur; vel saltem ad recte agendum haud efficaciter movetur, dum motiva a vitiis deterrentia et ad virtutes impellentia cordi non applicantur; atque demum ipsi Christo iniuriam infert, de Apostolis docentibus dicenti: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit* (5). Quis haec considerans verbi divini praedicati utilitatem et necessitatem negare audebit? — Concedendum equidem est, solam doctrinae coelestis cognitionem auditu haustam non sufficere divinis effectibus producendis, qui potissimum in conversione animi seria, remissione peccatorum et regeneratione spirituali consistunt; nisi supernaturalis virtus divini spiritus accesserit, quae hominis animum afficiat interius, aptumque reddat ad salubriores mutationes excipiendas, quod inferius ostendetur, dum de necessitate gratiae sermo erit: at hanc gratiam cum verbo divino praedicato copiose coniungi, tum ex divina eiusdem institutione, tum ex historia probatur, quae ostendit, per Apostolorum praedicationem fidem christianam celerrime propagatam, et mores corruptissimos emendatos; imo et subsequentibus saeculis per idoneos verbi divini praecones haud raro infideles ad fidem, peccatores ad poenitentiam, tepidos ad fervorem, iustos ad perfectionem perductos fuisse.

Nota 1. Protestantes efficaciam et

(1) Ep. 66. (2) Sess. 24, de Reform. c. 4.
(3) Th. gen. § 124 et 125.
(4) V. Th. theor. § 260. n. 3. (5) Luc. 10. 16.

necessitatem verbi divini praedicati profitentur, quod apud ipsos praecipuam cultus divini publici et externi partem constituit, quamvis verbum divinum id appellari nequeat, quod a praeconibus debita missione carentibus corrumpitur, et adulteratur. At e schola Lutheri prodiit *Caspar Schwenkfeldius*, novae Fanaticorum ab ipso denominatorum sectae auctor, qui inter caeteros errores affirmavit, verbo Dei externo nullam vim hominibus salutarem inesse, sed virtutem omnem a verbo interiore, quod a Christo ipso distinctum non est, unice esse repetendam. Idem fere commenti sunt *Anabaptistae*, qui inter alios errores praedicabant, inutile esse verbum divinum, eaque persuasione occupati Scripturam sacram penitus reiiciebant. Quae isti pro absona sua sententia cum Schwenkfeldio proferunt, facile refelluntur.

Obi. I. Conversio peccatoris et profectus iusti in bono soli Deo adscribi debent. Nam *unus est mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus* (1); et: *Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (2); unde expresse dicitur: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus* (3). Non licet ergo asserere, verbum externum homines Deo reconciliare, sensus bonos ingerere, aut virtutis incrementum producere. Talia affirmans Deo ipsi iniuriam infert, qui dicit: *Gloriam meam alteri non dabo* (4).

Resp. Adversariorum argutiis opponimus loca Scripturae n. 1 citata, quibus verbi divini praedicati efficacia clare probatur. Neque istis loca ab adversariis adducta opponuntur. Ipsa enim efficacia verbi divini a Christo repetitur, qui non solum illius auctor est, sed etiam per mortem suam pro peccatis satisfecit, hominibusque gratias promeruit, quibus Deo reconciliari, et uniri possunt, unde etiam Catholici Christum unicum esse inter Deum et homines Mediatorem profitentur. — Apostolus I Cor. XII, 11 potissimum loquitur de gratia curationum, dono linguarum et his similibus, cuiusmodi dona, seclusis causis mediis, Deus largiri solet: aliter statuendum est de renovatione hominis interna, ad quam efficiendam verbum divinum praedicatum ex ipsa institutione divina tanquam salutare medium ordinatur, uti allata argumenta probant. Caeterum ipsi Catholici fatentur, solum sermonem exterius prolatum non sufficere ad hominis emendationem, sed ad hanc etiam gratiam internam requiri. Quidquid ergo boni per verbum praedicatum efficitur, Spiritui sancto adscribendum est, qui gratiam suam cum illo coniungit. Et ideo Paulus (5) dicit, Deum esse, *qui incrementum dat:* Deus nempe gratiam concedens omnis operationis supernaturalis principalis causa est, per quam autem non excluditur causa instrumentalis. Nam etiam ut naturales terrae fruges proficiant, necesse est, ut Deus incrementum det; et tamen homines a labore non eximuntur, sed plantare et rigare tenentur. Ita pariter praedicandum et audiendum est verbum divinum, quo Deus persaepe ceu organo, medio, seu instrumento utitur ad gratias efficaces hominibus distribuendas. Quidquid ergo boni per verbum divinum efficitur, in Deum redit tanquam causam principalem adeo, ut eius gloriae nihil decedat.

Obi. II Si dicitur, praedicationem verbi divini salutiferam fieri per gratiam internam; concedendum pariter

(1) 1 Tim. 2, 5. (2) 1 Cor. 12, 11. (3) 1 Cor. 3, 7. (4) Is. 42, 8. (5) 1 Cor. 3, 7.

est, Spiritum sanctum dona sua supernaturalia tunc elargiri debere, cum homini placuerit, verbum divinum annunciare. Sed Spiritus sancti maiestas non fert, ut verbo subiaceat, et in distribuendis suis donis ab hominis Evangelium praedicantis voluntate dependeat.

Resp. Omnes Catholici concedunt, Spiritum sanctum in distribuendis gratiis liberrimum et independentem esse : sed ipse liberrime verbum divinum praedicatum tanquam medium, seu instrumentum elegit, per quod gratiam conferret, intellectum illustrans, et voluntatem movens. Non ergo Spiritus sanctus verbo, sed verbum Spiritui sancto subiacet : et cum operationes divinae simplicissimo voluntatis actu perficiantur, nihil profecto maiestati Spiritus sancti detranitur, dum medio, quod sponte elegit, utitur ad hominis sanctificationem.

Obi. III. Si verbo divino vis et efficacia inesset, quam illi Catholici adscribunt, omnes converterentur, qui illud audiunt ; at ne ii quidem omnes conversi sunt, qui Christum, aut Apostolos audierunt.

Resp. Haec difficultas evanescit, si attendatur, Deum velle, ut homo libere moralitatem sectetur. Ideo verbum divinum docet, monet, prohibet, iubet, terret, solatur, excitat ; ita tamen, ut nemini pathologicam vim, aut necessitatem inferat. Potest itaque, quicumque audit, cor obdurare ac contumaciter resistere verbo. Christus ipse id declarat in parabola de seminante (1). Semen enim, licet ex se frugiferum sit, fructum tamen non refert, si *secus viam*, aut *supra petram*, aut *inter spinas* cadat. Maxime autem absurdum esset, foecunditatem ipsi semini denegare, quod cadens *in terram bonam fructum centuplum* producit. Et ita pariter absurdum esset, verbum divinum, per quod mundus ad fidem perductus est, ideo inefficax et inutile appellare, quia non omnes, illud audientes, fidem susceperunt et poenitentiam egerunt. Certe non ex defectu verbi praedicati, sed ex mala audientium dispositione factum est, ut non omnes, qui aut ipsum Christum, aut Apostolos praedicantes audierant, crederent et converterentur. — Caeterum negari non potest, sterilitatem verbi praedicati repetendam hinc inde esse ex defectu concionatoris, qui humanum potius quam divinum verbum profert, placere magis quam docere et movere studet, aut per inordinatam vitam iis, quae docet, putide contradicit.

Nota 2. Si verbum divinum praedicatum ex ipsa Christi, supremi Regis, ordinatione inter praecipua salutis media recensetur ; monendi sunt fideles, ut illud maximi aestiment, attente audiant et diligenter custodiant. Ad hoc enim omnes impellere debet charitas erga Deum, quem non vere diligunt, si eius verba vilipendunt et audire detrectant ; charitas erga proximos, quos verbis et exemplis aedificare tenentur, et charitas erga seipsos, qua intellectum suum a culpabili ignorantia praeservare et continuo illuminare, voluntatem autem a vitiis purgare ac virtutibus exornare obligantur. Idcirco Concilium *Tridentinum* (2) dicit : *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.*

(1) Luc. 8, 5 et seq.

(2) Sess. 24 de Reform. c. 4.

II. *De sacerdotio legali in Ecclesia instituto.*

§ 396. Cum Religio non solum interna, sed etiam externa sit oporteat, et in ipsa cultus Dei externus et publicus requiratur (v. Th. gen. § 47); omnino necesse est, ut in religiosa societate tales existant, qui legitima potestate cultum Dei externum dirigant et administrent. *In periodo patriarchali* patres suis in familiis officio sacerdotum fungebantur, et ideo *Noachum*, *Abrahamum*, *Iacobum*, *Iobum*, et alios pro suis familiis sacrificasse legimus. *In periodo mosaica*, quoniam natio israëlitica rudis et ad idololatriam prona magno caeremoniarum apparatu indigebat, administratio cultus externi integre tribui Levi per reliquas tribus dispersae commissa fuit. *Christus* quoque in Ecclesia sua *sacerdotium*, et quidem excellentissimum instituit, per quod *preces publicae* ad Deum dirigantur, *sacrificium* nobilissimum offeratur, et *Sacramenta* efficacissima conferantur. Per tale autem sacerdotium finem Ecclesiae seu spiritualem et aeternam hominum salutem maxime promoveri, facile probatur.

1. Ad sacerdotes spectat, *orare pro populo*, atque huic veniam peccatorum, et benedictionem divinam impetrare. Lev. IV, 20 legitur: *Rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus;* et v. 26: *Rogabit pro eo sacerdos, et pro peccato eius, et dimittetur ei* (1). Ioël II, 17 dicitur: *Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent: Parce, Domine, parce populo tuo: et ne des haereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.* —Christus ipse, sacerdos excellentissimus, et omnium sacerdotum exemplar, pro hominibus oravit (vide § 366, n. 3), quem imitati Apostoli eleemosynarum distributionem Diaconis commiserunt dicentes: *Nos vero orationi, et verbo Dei instantes erimus* (2). Rectissime igitur S. Ecclesia catholica, a Christo et Spiritu sancto directa sacerdotibus praecepit, ut divinum Officium devote recitent. Quam obligationem post multa praecedentia Conciliorum decreta urgent *Concilii Lateranensis IV* Patres *districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter, et devote.* Oratio haec, sacerdotibus, diaconis et subdiaconis iniuncta, vocalis esse debet; nam, ait *S. Thomas* (3): « Communis oratio est, quae per ministros Ecclesiae in persona totius populi fidelis Deo offertur. Et ideo oportet, quod talis oratio innotescat toti populo, pro quo offertur, quod non posset fieri, nisi esset vocalis, et ideo rationabiliter institutum est, ut ministri Ecclesiae huiusmodi orationes etiam alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire. » Neque dubitari potest, hanc ministrorum sacrorum orationem publicam et communem efficacissimam esse ad misericordiam et benedictionem divinam pro populo impetrandam, ad gratias supernaturales obtinendas, hominumque salutem promovendam. Unde *S. Chrysostomus* (4) ait: « Oratio Ecclesiae murus est, qui rumpi non potest, munimentum inconcussum, daemonibus quidem formidabile, piis vero, nimirum nobis tutum ac salutiferum. » *S. Augustinus* (5) scribit: « Ad malos docendos pigrescere non debe-

(1) Cf. v. 31, v. 35, c. 5, v. 6, etc:
(2) Act. 6, 4.
(3) 2 2, q. 83, a. 12.
(4) L. 2 de or.
(5) Epist. 106 contra Pelag.

mus. Plus eis tamen sine dubitatione praestamus, si, ut corrigantur, oremus; quia voluntas, ut ad vera credenda moveatur, non sibi sufficit, nisi per gratiam Dei opituletur. » Et *S. Bernardus* (1) inquit: « Nunc manent tria, verbum, exemplum et oratio: maior autem horum oratio. Ea namque operi et voci gratiam et efficaciam promeretur. »

2. Praecipuum sacerdotis officium est, sacrificare pro populo. Nam: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis* (2). Iam in V. T. cultus Dei externus variis sacrificiis perficiebatur, quae per sacerdotes offerebantur. In N. T. Christus ipse sacrificium cruentum in cruce obtulit, et sacrificium incruentum in Eucharistia instituit, a sacerdotibus continuo offerendum, quod in parte sequenti probabitur. Per hoc sacrificium Deo summus latriae cultus defertur, pro acceptis beneficiis gratiarum actio exhibetur, pro commissis peccatis satisfactio praestatur et gratiae uberrimae obtinentur. Sacrificium ideo a sacerdotibus N. L. oblatum praestantissimum medium dicendum est, quo salus hominum et finis Ecclesiae promoventur.

3. Christus in N. T. etiam septem *Sacramenta* instituit, quae sunt praecipua gratiae instrumenta ad sanctificandos homines ordinata, de quibus in parte sequenti fusior sermo instituendus erit. Haec autem Sacramenta administrandi potestas Episcopis et sacerdotibus collata est; ex quo patet, per sacerdotium legale, a Christo Rege sapientissime institutum, spiritualem hominum salutem et Ecclesiae sanctae finem efficacissime promoveri

III. *De imperio sacro in Ecclesia constituto.*

§ 397. Christum in Ecclesia imperium sacrum constituisse, seu Apostolis eorumque successoribus potestatem legislativam, iudiciariam et coërcitivam tradidisse, iam alibi (3) probatum fuit. Ast facile etiam ostenditur, per hoc imperium sacrum fidelium salutem maxime promoveri, et Ecclesiam mediate ab ipso Christo sapientissime regi et gubernari.

1. Potestas Ecclesiae *legislativa* ad salutem hominum et bonum Ecclesiae promovendum ordinatur. Nam etiam societates civiles ordinem conservare et finem suum acquirere nequeunt, nisi leges iustae et adaequatae a legitima potestate ferantur, et a subditis debito modo observentur. Ita etiam in societate religiosa, seu in Ecclesia leges requiruntur, quibus fidelium actiones dirigantur. Equidem Christus ipse sapientissimas et perfectissimas leges tulit (§ 393), sed multa etiam Ecclesiae commisit ordinanda, tum ut leges temporum, locorum et hominum circumstantiis accommodentur, tum ut fideles Praelatis, vicem Dei gerentibus, se submittentes, humilitatem quae omnium virtutum fundamentum est, et obedientiam, quae Deo magis placet quam victimae, exerceant, et actionibus suis maius meritum addant. — Iam Apostoli legem temporum suorum circumstantiis congruam tulerunt, dicentes: *Visum est Spiritui sancto et nobis... imponere vobis..... haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato* (4) etc.; ex qua loquendi forma recte deducitur, Ecclesiam etiam in legibus condendis Spiritus sancti assistentia

(1) Epist. 201. (2) Hebr. 5, 1.
(3) Th. gen. p. 3, cap. 3, § 244 et seq.
(4) Act. 15, 28.

gaudere (1). Ita etiam subsequentibus temporibus Ecclesia saluberrimas et fidelium indigentiis accommodatissimas leges tulit. Homines enim quoad intellectum per labem originalem obcaecati, et interna quadam superbia decepti, animae suae pericula agnoscere et fugere recusant; sapientissime ergo Ecclesia per congruas leges illos a periculis, animae ruinam parantibus, retrahere conatur: ex hoc sane motivo, e. g., libros prohibet, rectae fidei, aut moribus adversantes. —Fideles praeterea iam ex praecepto Christi se abnegare, carnem crucifigere et corpus spiritui subiicere obligantur, quod autem philautia seducti, facillime negligunt: sapientissime idcirco Ecclesia certis diebus abstinentiam a carnibus, vel etiam ieiunium praecepit, ut aliquo saltem modo corporis mortificationi assuescant. Homines denique ad bonum inertes sunt, et ea quoque, quae ipsis saluberrima sunt, leviter negligunt: sapientissime itaque Ecclesia actus quosdam praecipit, e. g., auditionem sacri diebus dominicis et festivis. Confessionem semel in anno, Communionem in Paschate etc. ne actus isti saluberrimi omnino intermittantur, imo ut fideles ad eosdem etiam sine speciali praecepto frequentandos excitentur. Quodsi eodem modo caeterae leges, pro variis hominum statibus latae, considerentur, luculentissime patet, hominum salutem, et Ecclesiae ordinem, decorem et finem per potestatem legislativam efficacissime promoveri.

2. Potestas *iudiciaria*, quatenus ad mores refertur, partim declarat, quid licitum, quid illicitum, quid vitandum, quid faciendum sit, partim de subditorum actionibus iudicium fert. Utrumque ad moralitatem conservandam et promovendam non proficuum dumtaxat, sed et necessarium est. Homines enim per amorem proprium facile decipiuntur, officia sua agnoscere detrectant, et ea, quae indomitis passionibus animi conformia sunt, leviter sibi licita putant, quamvis graviter interdicta sint, imo et qui Theologorum nomine gloriantur hisce in rebus quandoque hallucinantur, ac verbis non solum sed et scriptis propositiones defendunt, regulis morum in Evangelio traditis adversantes. Maximae idcirco et utilitatis et necessitatis est, ut tribunal existat, quod authentice et infallibiliter declaret, quid licitum, quid illicitum, quid vitandum, quid faciendum sit, et quod fideles a doctrinis falsis noxiisque praeservet. Hunc in finem Ecclesia quovis tempore potestatem iudiciariam a Christo sibi concessam adhibuit et non raro propositiones cum principiis evangelicis non convenientes damnavit. Neque minoris momenti est iudicium Ecclesiae de subditorum suorum actionibus latum. Homines enim frequentissime seipsos non cognoscunt, praevaricationes suas temere excusant, et de statu suo morali iudicantes turpiter aberrant: quapropter sapientissime a Christo iudicium in Ecclesia statutum est, quod a praeconceptis opinionibus et malignis passionibus immune rectam de hominum actionibus sententiam proferat, quam omnes audire et revereri tenentur.

3. Potestas *coërcitiva* in qualibet bene ordinata societate necessaria est. Cum enim homines per peccatum originale corrupti, persaepe virtutis amore ad bonum non trahantur; omnino necesse est, ut poenarum timore a vitiis et legis transgressionibus deterreantur. Ideo Ecclesia quoque potestate coërcitiva praedita est.

(1) V. Th. gen. § 242, n. 3.

et poenas ecclesiasticas imponere potest, quae in bonorum spiritualium privatione consistunt. Inter quas poenas praecipuum locum *excommunicatio*, per quam, ut ait S. *Augustinus* (1), « alligatur homo amarius et infelicius - quam quibuslibet gravissimis et durissimis ferreis, vel adamantinis nexibus. » Neque negare licet, hanc poenam ab Ecclesia latam salubrem esse, et non raro efficere, ut peccatores tali vindicta deterriti resipiscant. Ita incestuosus Corinthius, quem Paulus satanae tradidit - ut spiritus salvus sit (2), seriam mox poenitentiam egit (3). — Hinc inde etiam primis praecipue Ecclesiae saeculis contigit, ut innodatus excommunicatione, temporalibus quoque aerumnis, vel corporalibus infirmitatibus affligeretur. Imo etiam subsequentium saeculorum historia exempla eorum refert, qui, cum antea semper et ubique victores existerent, post latam in se excommunicationem, bellorum infortuniis pressi, misere perierint. Certo ergo Christus ipse potestatem coërcitivam, quam Ecclesiae concessit, continuo etiam sustentat, ut effectum suum sortiri, vitia praecavere, aut peccatores emendare possit.

Nota. Imperium sacrum, a Christo Ecclesiae traditum, circa res spirituales a potestate civili omnino independens est. Christus enim nullam circa negotia ecclesiastica potestatem Tiberio, Herodi, aut aliis Principibus dedit, sed solis Apostolis, et praecipue Petro tanquam Primati potestatem legislativam, iudiciariam et coërcitivam tradidit. Imo licet Christus in rebus temporalibus obedientiam erga Principes saeculares praeciperet; aperte tamen declaravit, nullam his obedientiam praestandam esse, dum se negotiis ecclesiasticis immiscent, eaque perturbare praesumunt; ait enim: *Ad praesides, et ad reges ducemini propter me* (4); *et eritis odio omnibus propter nomen meum* (5); *cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* (6); *ne ergo timueritis eos* (7); *quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, praedicate super tecta* (8). Quorum verborum Apostoli memores, a praedicatione, quam Principes Synagogae interdixerant, non cessarunt dicentes: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (9). Etiam *Ss. Patres* unanimi consensu docuerunt, circa negotia spiritualia nullam potestatem Principibus saecularibus competere, sed ea a solis Episcopis, et praecipue a Primate tractanda esse. S. *Ignatius M.* (10) ait: « Nemo aliquid agat, quod ad Ecclesiam spectat, sine Episcopo... Quod Episcopus approbat, id Deo placet, ut omnia quae fiunt, secura sint et firma. » *Osius* Cordubensis, qui ut Legatus Romani Pontificis Concilio *Nicaeno I* praesedit (11), Constantinum Imperatorem negotiis ecclesiasticis se immiscentem his gravibus verbis allocutus est: « Desine, quaeso, et memineris te mortalem esse; reformida diem iudicii, et serva te in illum purum, nec te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipe, sed potius a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quae sunt Ecclesiae concredidit, et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae; ita et tu cave, ne, quae sunt Ecclesiae ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. *Date*, scriptum

(1) L. 1, c. adversarios leg. et proph.
(2) 1 Cor. 5, 3. (3) 2 Cor. 2.
(4) Matth. 10, 18. (5) Ib. v. 22.
(6) Ib. v. 23. (7) Ib. v. 26. (8) Ib. v. 27.
(9) Act. 5, 29. (10) Ep. ad Smyrn. n. 8.
(11) Ap. Athanas. in Ep. ad Solitar.

est, *quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo.* Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu Sacrorum potestatem habes, Imperator. » — *S. Athanasius* (1) scribit: « Ista auctoritas, quam sibi arrogat Constantius, et ius, quod praesumit, praesidendi Episcopis, et negotia Religionis in suo palatio pertractandi, est illa *abominatio desolationis*, quam Propheta Daniel praedixit. » Hinc etiam Constantium *Antichristum* appellare non veretur. Et ibid. (2) dicit: « Sicut Deus Episcopis Ecclesiastica concredidit, nec illis imperare licet, ita Principes non se debent Ecclesiasticis miscere, nec de his rebus praecepta dare; nam reddenda sunt quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo, et Ecclesiae decretum ab imperatore non accipit auctoritatem. » *S. Hilarius* ad Const. (3), ait: « Provideat et decernat clementia tua, ut omnes se ubique iudices... ad quos sola cura, et solicitudo publicorum negotiorum (saecularium) pertinere debet, a religiosa observantia abstineant, neque posthac praesumant, atque usurpent se causas cognoscere Clericorum etc. » *S. Basilius* (4) inquit: « Absonum est, laicos iudices ecclesiasticas lites iudicare, et ali. (5), fideles ad eorum tribunal in similibus causis confugere. » *S. Gregorius Naz.* (6) ita Principes et Praefectos alloquitur: « Vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subiicit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo etiam praestantius ac perfectius; nisi vero aequum sit, spiritum carni fasces submittere et coelestia terrenis cedere. » *S. Ambrosius* variis in locis eadem de re praeclare disserit; Ser. c. Auxent., n. 36: « Imperator intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. » Epist. 21, n. 4: « Si Scripturarum series divinarum, vel vetera tempora retractentur, nemo abnuit, in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare. » It. (7): « Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiae. Publicorum illi moenium iuscommissum est, non sacrorum. » Insup. (8): « Si causa Religionis est, Episcopos convenio... certe si aliud statuitur, Episcopi hoc aequo animo dissimulare non possunt. Licebit tibi (Imperatorem Valentinianum alloquitur) ad Ecclesiam convenire, sed illic non invenies Sacerdotem, aut invenies resistentem. » *S. Chrysostomus* (9) ita de Ozia loquitur: « Rex cum sit, sacerdotii principatum usurpat; volo, inquit, *adolere incensum*, quia iustus sum. Sed mane intra tuos terminos. Alii sunt termini regni, alii termini sacerdotii; verum hoc illo maius est... Ille quidem (Rex) ea, quae sunt in terris sortitus est administranda; caeterum sacerdotii ius e supernis descendit. *Quaecumque enim ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo.* Regi ea, quae hic sunt, commissa sunt, Sacerdoti coelestia. Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animae. Rex residua pecuniarum remittit, Sacerdos autem residua peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur, ille necessitate, hic consilio; ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia; ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum est adversus daemones. Maior hic principatus; propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis, et ubique in veteri Scriptura Sacerdotes inungebant Reges. »

(1) In ead. Epist. ad Solitar. seu Hist. Arian. ad Monachos. (2) N. 44.
(3) L. ad Constantium n. 1.
(4) Ep. 225 (al. 385). (5) Ep. 227, (al. 29).
(6) Or. 17, n. 8. (7) Ep. 20, n. 19.
(8) Ep. 17, n. 12.
(9) Hom. 4, in illud: *Vidi Dominum* n. 4 et 5.

S. Augustinus in Exp. proposit. ex Epist. ad Rom. cap. 72 cum dixisset, in rebus temporalibus potestati civili obediendum esse, mox subiungit: « Ex illa vero parte, qua credimus Deo, et in regnum eius vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini, idipsum in nobis evertere cupienti, quod Deus ad vitam aeternam donare dignatus est... Si quis se putat esse subdendum, ut etiam in suam fidem habere potestatem putetur eum, qui temporalibus administrandis aliqua sublimitate praecellit, in maiorem errorem labitur. Sed modus iste servandus est, quem Dominus ipse praescribit, ut reddamus Caesari quae sunt Caesaris, et Deo quae sunt Dei. » *S. Io. Damascenus*(1) ait: « Ad Imperatores spectat recta rei (civilis) administratio; Ecclesiae regimen ad Pastores et Doctores. Tibi parebimus, o Imperator, in his, quae ad huius saeculi negotia pertinent.... verum ad res Ecclesiae statuendas Pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur, atque ecclesiastica instituta tradiderunt. » Eisdem principiis innixi doctrina et pietate celeberrimi Pontifices et Episcopi Principibus in ecclesiastica negotia se temere immiscentibus fortiter restiterunt, ut e. g. *Gregorius M.* Mauritio, *Felix III* Zenoni, *Gelasius I* Anastasio, *Gregorius VII* Henrico IV, *Thomas Cantuar.* Henrico II Angliae Regi et alii multi. Ex iisdem principiis strictissimum omnium Episcoporum et Sacerdotum officium est, iura Ecclesiae fortiter defendere, et praeceptorum Ecclesiae observantiam efficaciter urgere (2).

(1) Or. 2 de Imag.

(2) Cf. Card. M. G. Gousset Theol. dogm. Tom. 1, P. 2, cap. 9.

INDEX

PARS III.

De Deo lapsi humani generis Redemptore.

§ 272. Nexus et momentum doctrinae . . . . . *pag.* 3

SECTIO I.

§ 273. De Incarnatione . . » 6

CAPUT I.

§ 274. De divinitate et humanitate Christi . . . . . » 7

PROPOSITIO I.

§ 275. Iesus Christus est verus Deus » ibid.

PROPOSITIO II.

§ 276. Iesus Christus est verus homo» 8

ARTICULUS I.

§ 277. De Corpore Christi . » 10
§ 278. I. Christus verum corpus assumpsit, nobis consubstantiale » 11
§ 279. II. Corpus Christi ex substantia Matris formatum fuit . » 16
§ 280. III. Corpus Christi passioni, doloribus et corruptioni obnoxium fuit . . . . . » 21

ARTICULUS II

§ 281. De anima Christi . » 31
§ 282. I. Verbum divinum animam mentis, seu rationis participem assumpsit . . . » 32
§ 283. II. Verbum assumpsit voluntatem humanam, proindeque in Christo non una, sed duplex est voluntas divina et humana » 36
§ 284. III. De humanis affectionibus et passionibus, quibus anima Christi obnoxia fuit . . » 45

ARTICULUS III.

§ 285. De perpetua Mariae Matris Christi Virginitate . . . » 57
§ 286. I. Maria fuit Virgo ante partum Christi . . . . . » 58
§ 287. II. Maria fuit Virgo in partu Christi . . . . *pag.* 67
§ 288. III. Maria post partum Christi semper Virgo permansit . » 73

CAPUT II.

§ 289. De divinitatis et humanitatis coniunctione in Christo . » 82

ARTICULUS I.

§ 290. De unica Christi persona » 84
§ 291. I. Unica est in Christo, eaque divina persona . . . » 86
§ 292. *A.* Argumenta ex S. Scriptura deprompta . . . » 87
§ 293. *B.* Argumenta ex Traditione hausta . . . . . » 92
§ 294. *C.* Argumenta ex rationibus theologicis deducta . . » 97
§ 295. II. B. V. Maria recte appellatur, et vere ac proprie est Deipara . . . . . » 101
§ 296. III. Christus nec etiam quoad humanam naturam est aut appellari potest Filius Dei adoptivus . . . . . » 109
§ 297. IV. Quaestiones huc spectantes . . . . . » 119
§ 298. QUAEST. I. An Christus dici possit servus Dei . . . . » ibid.
§ 299. QUAEST. II. Quare Christus non dicatur Filius Spiritus sancti, cum tamen sit conceptus de Spiritu sancto? . . . . » 124
§ 300. QUAEST. III. An persona Christi post incarnationem sit composita? . . . . . » 126

ARTICULUS II.

§ 301. De duabus in Christo naturis » 130
§ 302. I. Duae sunt in Christo naturae integrae, distinctae, inconfusae, et impermixtae . . . » 132
§ 303. *A.* Argumenta ex S. Scriptura deprompta . . . » ibid.
§ 304. *B.* Argumenta ex Traditione desumpta . . . » 135
§ 305. *C.* Argumentum ex ratione theologica petitum . . » 141

§ 306. II. De duabus operationibus in Christo . . . . . *pag.* 143
§ 307. *A.* Duae sunt in Christo operationes . . . . . » 144
§ 308. *B.* Operans unus est, nempe Christus, persona divina . » 150

ARTICULUS III.

§ 309. De unione hypostatica . » 154
§ 310. I. De unionis hypostaticae excellentia, et incomprehensibilitate . . . . . » ibid.
§ 311. II. De natura unionis hypostaticae . . . . . » 158
§ 312. III. De proprietatibus unionis hypostaticae . . . . » 160
§ 313. IV. De perpetua unionis hypostaticae duratione et indissolubilitate . . . . . » 164

CAPUT III.

§ 314. De praecipuis unionis hypostaticae consectariis . . » 171

ARTICULUS I.

§ 315. De communicatione idiomatum . . . . . » ibid.
§ 316. I. Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto . . . . . » 172
§ 317. II. Non est admittenda in Christo communicatio idiomatum in abstracto . . . . . » 177
§ 318. III. Regulae reliquae in communicatione idiomatum observandae . . . . » 179
§ 319. IV. Humanitas Christi non est ubique praesens . . . » 183

ARTICULUS II.

§ 320. De Christi adoratione . » 191
§ 321. I. De adoratione humanitatis Christi . . . . . » 192
§ 322. II. De cultu sanctissimi Cordis Iesu . . . . . » 198
§ 323. III. De cultu sanctae Crucis » 203

CAPUT IV.

§ 324. De eximiis Christi hominis praerogativis . . . . . » 211

ARTICULUS I.

§ 325. De scientia Christi ut hominis considerati . . . . » 212
§ 326. I. Christus ut homo habuit perfectissimam scientiam infusam » 213
§ 327. II. Christus ut homo habuit scientiam beatificam . » 219
§ 328. III. Christus ut homo habuit etiam aliquam scientiam acquisitam . . . . . *pag.* 227

ARTICULUS II.

§ 329. De sanctitate Christi ut hominis considerati . . . » 231
§ 330. I. De gratia Christi ut hominis considerati . . . . » 234
§ 331. II. De impeccabilitate Christi » 236
§ 332. III. De virtutibus Christi » 243

ARTICULUS III.

§ 333. De potentia Christi ut hominis considerati . . . » 246
§ 334. I. Humanitas Christi omnipotens non est . . . . » 247
§ 335. II. Humanitati Christi excellentissima potestas collata est » 248

CAPUT V.

§ 336. De Incarnationis motivo, et necessitate . . . . . » 253

ARTICULUS I.

§ 337. De motivo, seu fine Incarnationis . . . . . » ibid.
§ 338. I. Motivum adaequatum, seu finis proximus Incarnationis fuit Redemptio generis humani » 254
§ 339. II. An aliae quoque finales Incarnationis causae assignari possint, inter Theologos disputatur . . . . . » 257
§ 340. *A.* Argumenta Scotistarum » ibid.
§ 341. *B.* Responsa Thomistarum » 259

ARTICULUS II.

§ 342. De necessitate Incarnationis » 262
§ 343. I. Incarnatio nullo modo necessaria fuit ex parte Dei » 263
§ 344. II. Incarnatio hypothetice necessaria fuit ex parte lapsi generis humani . . . » 269

CAPUT VI.

§ 345. De possibilitate, et convenientia Incarnationis . . » 273

ARTICULUS I.

§ 346. De Incarnationis possibilitate » 274
§ 347. I. Nulla datur repugnantia ex parte Verbi assumentis . » 275
§ 348. II. Nulla datur repugnantia ex parte naturae humanae assumptae . . . . . » 279
§ 349. III. Nulla datur repugnantia ex parte unionis . . . » 282

ARTICULUS II.

§ 350. De Incarnationis convenientia *p.* 285
§ 351. I. Incarnatio convenientissima fuit Deo . . . . . » ibid.
§ 352. II. Convenientissimum fuit Verbum, idest secundam Trinitatis personam incarnari . . » 288
§ 353. III. Incarnatio convenientissima est Religioni, Revelationi, et Ecclesiae . . . . . » 291
§ 354. IV. Incarnatio convenientissima est toti generi humano » 292

SECTIO II.

§ 355. De Redemptione . . . » 297

CAPUT I.

§ 356. De munere Christi prophetico » ibid.

ARTICULUS I.

§ 357. Christus verus, et quidem praestantissimus Propheta fuit » 298

ARTICULUS II.

§ 358. Christus per integram vitam suam munus propheticum excellentissimo modo exercuit » 300
§ 359. I. De infantia Christi . » 301
§ 360. II. De vita Christi privata » 304
§ 361. III. De baptismo, ieiunio et tentatione Christi . . . » 306
§ 362. IV. De vita Christi publica » 309
§ 363. V. De Christi passione et morte » 316

CAPUT II.

§ 364. De munere Christi Sacerdotali . . . . . » 321

ARTICULUS I.

§ 365. De Sacerdotio Christi . » 322
§ 366. I. Christus verus Sacerdos » 323
§ 367. II. Christus Sacerdos excellentissimus . . . . . » 327

ARTICULUS II.

§ 368. De sacrificio a Christo in ara crucis oblato . . . . » 329
§ 369. I. Argumenta ex V. T. petita » 331
§ 370. II. Argumenta ex N. T. deprompta . . . . . » 334
§ 371. III. Argumenta ex Traditione hausta . . . . . » 339

ARTICULUS III.

§ 372. De libertate Christi in morte perferenda . . . » 342
§ 373. I. Christus libere mortem in ara crucis subiit . . *pag.* 342
§ 374. II. Libertas Christi per eius impeccabilitatem non tollitur » 346

ARTICULUS IV.

§ 375. De saluberrimis sacrificii in cruce oblati effectibus respectu hominum . . . . » 354
§ 376. I. Christus tanquam sponsor vere ac proprie, imo perfectissime pro peccatis hominum divinae iustitiae satisfecit . . » ibid.
§ 377. II. Christus ut mediator hominum Deo reconciliavit, iisque gratias supernaturales et aeternam beatitudinem meruit . . » 364
§ 378. III. Actualis participatio effectibus Redemptionis quibusdam conditionibus adimplendis est alligata . . . . . » 370
§ 379. IV. Redemptio est universalis, quia Christus pro omnibus hominibus mortuus est . . . » 374
§ 380. Usus doctrinae . . . » 390

ARTICULUS V.

§ 381. De saluberrimis sacrificii in cruce oblati effectibus respectu Christi ipsius . . . » 393
§ 382. I. De descensu Christi ad inferos . . . . . » 394
§ 383. II. De resurrectione Christi » 402
§ 384. III. De ascensione Christi ad coelos . . . . . » 406
§ 385. IV. De sessione Christi ad dexteram Patris . . . . » 410

ARTICULUS VI.

§ 386. Doctrina de redemptione rationi non repugnat, sed convenientissima est . . . » 414
§ 387. I. Reflexio rationis per fidem illustratae . . . . » 415
§ 388. II. Difficultates adversariorum solvuntur . . . . . » 418

CAPUT III

§ 389. De munere Christi regio » 432

ARTICULUS I.

§ 390. De regia Christi potestate et auctoritate . . . . » ibid.
§ 391. I. Christus verus Rex . » 433
§ 392. II. Christus Rex excellentissimus . . . . . » 435

ARTICULUS II.

§ 393. Christus est novus Legislator *p.* 441

ARTICULUS III.

§ 394. De sapientissimo Ecclesiae Christi regimine . . . » 448

§ 395. I. De magisterio authentico in Ecclesia instituto . . *pag.* 450

§ 396. II. De sacerdotio legali in Ecclesia instituto . . . » 458

§ 397. III. De imperio sacro in Ecclesia constituto . . . » 459

V. ex deleg. D. D. Archiep.

GHIRINGHELLO

INSTITUTIONES
THEOLOGIAE THEORETICAE
SEU
DOGMATICO-POLEMICAE

CONCINNATAE

A REVERENDISSIMO

P. ALBERTO A BULSANO

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCCINORUM EX-DEFINITORE GENERALI

PROVINCIAE TIROLENSIS DEFINITORE AC LECTORE ETC. EMERITO

PARS QUARTA

DE DEO HOMINUM SANCTIFICATORE

DE GRATIA CHRISTI ET DE SACRAMENTIS IN GENERE

VOLUMEN IV.

† P. GINON

FATHERS LIBRARY, ST. JOSEPH'S CHURCH, SAN JOSE, - - CAL.

Editio Sexta.

AUGUSTAE TAURINORUM

Eq. PETRUS MARIETTI

TYPOGR. PONTIF. ET ARCHIEP.

MDCCCLXXVIII

Editor sibi vindicat jus proprietatis.

THEOLOGIAE

DOGMATICO-POLEMICAE SPECIALIS

PARS IV.

DE DEO HOMINUM SANCTIFICATORE
DE GRATIA CHRISTI ET DE SACRAMENTIS IN GENERE

Nexus doctrinae.

§ 398. Homo ideo conditus est, ut veritatem cognoscens moralitatem perfectam, seu sanctitatem libere sectetur, et per hanc felicitatem veram, summam ac aeternam consequatur (1). Ut autem homo ad nobilissimum et beatissimum istum finem pervenire possit, Deus ex gratuita bonitate eundem imagine divina decoravit (2), et varia ipsi dona tum naturalia, tum supernaturalia concessit (3). Ast iam primus homo per lugendam legis praevaricationem dona supernaturalia amisit, facultates naturales debilitavit, seu vulneravit, ac iram et indignationem Dei incurrens, aeternaeque damnationis reus finem suum, nempe sanctitatem et felicitatem, si sibi relictus fuisset, consequi nullatenus potuisset (4); et, quod tristissimum est, primi hominis peccatum ad omnes eiusdem posteros propagatum est (5), ita ut omnes *filii irae* (6) nascantur, a fine suo alieni, et prorsus inhabiles ad eundem propriis viribus acquirendum. — Ast unigenitus Dei Filius, ut homines *redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (7); *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (8). Hoc sacrificio in cruce oblato Christus pro hominum peccatis perfectissime satisfecit, illisque gratias et auxilia supernaturalia promeruit, quibus etiam in statu naturae lapsae ad veram sanctitatem et ad aeternam felicitatem pertingere possunt (9). Nullatenus ergo per Redemptionem Christi finis hominis mutatus est, qui semper idem manet, sed solum effectum fuit, ut etiam homines lapsi ad nobilissimum et beatissimum suum finem acquirendum habiles redditi essent. Habilitas ista a gratia parta per Christum repetenda est, de qua nunc, sicut rectus ordo postulat, fusius disserere oportet. Tractatio ista duplici sectione absolvitur: in 1ª *de gratia Christi*, eius natura, proprietatibus et operationibus; in 2ª *de gratiae instrumentis*

(1) § 202. (2) § 203. (3) § 205 etc.
(4) § 215 etc (5) § 210 etc. (6) Eph. 2, 3.
(7) Tit. 2, 14. (8) Phil. 2, 7 etc.
(9) § 376 et seq.

seu *de sacramentis a Christo* institutis agitur.

Nota. Sanctificatio hominum, quamvis ut opus externum tribus divinis personis communis sit, in specie tamen Spiritui sancto appropriatur, eique collatio gratiarum adscribitur. Christus ipse Apostolis suis Spiritum sanctum promisit, qui non solum eos doceat, ipsaque verba proferenda suggerat (1), sed iis etiam robur et fortitudinem concedat, ut non habeant quod timeant ante Reges et praesides ducti (2). Tenore huius promissionis Spiritus sanctus in festo Pentecostes visibili modo apparuit: cum enim Apostoli Hierosolymis congregati essent, *factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitae linguae tanquam ignis, seditque supra singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (3). Miros Spiritus sanctus in Apostolis effectus produxit; ab ignorantia enim et ab humanis defectibus eosdem purgavit, ac divina sapientia heroicisque virtutibus replevit. Unde *S. Leo* (4) scribit: « Spiritus sancti nova abundantia repleti (Apostoli), ardentius velle et efficacius posse coeperunt, proficientes a praeceptorum scientia ad tollerantiam passionum, ut sub nulla iam tempestate trepidantes fluctus saeculi et elationes mundi fide supergrediente calcarent, et, morte contempta, omnibus gentibus Evangelium veritatis inferrent. » Sicuti autem haec admirabilis Apostolorum immutatio, ita etiam gratiae supernaturales caeteris fidelibus concessae Spiritui sancto attribuuntur. Paulus enim illas recensens ait: *Haec autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (5). Praeterea Spiritus sanctus dicitur *effundi* (6), ut homines iustificentur, adiuvare infirmitatem nostram, et postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus (7). Imo etiam *charitas*, et reliquae virtutes, quibus homines sanctificantur, *fructus Spiritus sancti* dicuntur (8). Ita passim distributio gratiarum, et, quae per istas perficitur, hominum sanctificatio Spiritui sancto attribuuntur. Cum S. Scriptura hac in re Ss. Patres concordant. Sufficiat audire *S. Augustinum*, qui lib. cont. serm. Arianorum (9) sui temporis traditionem contestatur, et ait: « Spiritus sancti opus, et diligentia est, sanctitatem, et sanctos custodire, — et eos, qui ceciderunt propter suam negligentiam, ad pristinum statum revocare, ignorantes docere, obliviscentes admonere, peccantes arguere, pigros hortari de salute sua cogitare et sollicite agere, errantes ad viam veritatis deducere, infirmos curare et fragilitatem corporis per alacritatem animae continere, et ad amorem pietatis et castitatis confirmare, et omnes illuminare: super omnia fidem et charitatem praebere singulis etc. » quae omnia ipsi etiam Ariani profitebantur; sed contra ipsos S. Doctor probat, operationes istas rectissime quidem Spiritui sancto adscribi, ast huic non ita *proprias* esse, ut non etiam de Filio praedicandae sint; unde addit: « Facit haec quidem Spiritus sanctus, sed absit, ut sine Filio faciat. » Distributio nempe gratiarum supernaturalium tribus divinis personis communis est, sed tanquam opus ineffabilis charitatis Spiritui sancto ap-

(1) Io. 14, 26. (2) Matth. 10, 19; Luc. 12, 11. (3) Act. 2, 2 etc. (4) Serm. 2, de Pent. (5) 1 Cor. 12, 11. (6) Tit. 3, 6. (7) Rom. 8, 26. (8) Gal. 5, 22 etc. (9) N. 30.

propriatur. Praeclare id docet *Catechismus romanus* (1) dicens: « Quamvis sanctissimae Trinitatis opera, quae extrinsecus fiunt, tribus personis communia sint: ex iis tamen multa Spiritui sancto propria tribuuntur, ut intelligamus, illa in nos a Dei immensa charitate proficisci: nam cum Spiritus sanctus a divina voluntate, veluti amore inflammata, procedat, perspici potest, eos effectus, qui proprie ad Spiritum sanctum referuntur, a summo erga nos Dei amore oriri. Quare ex eo consequitur, ut Spiritus sanctus *donum* appelletur: nam doni vocabulo significatur id, quod benigne et gratuito, nulla spe remunerationis proposita, donatur. Ac proinde quaecumque bona et beneficia a Deo in nos collata sunt (*quid autem habemus, quod a Deo*, ut inquit Apostolus (2), *non acceperimus*?), ea nobis Spiritus sancti concessu et munere data esse, pio et grato animo agnoscere debemus. »

SECTIO I.

DE GRATIA CHRISTI

§ 399. Quanti sit momenti doctrina de gratia Christi, facile intelligimus animadvertentes, in S. Scriptura V. et N. T. nihil frequentius et efficacius inculcari, quam divini auxilii necessitatem, vim et effectus, adeo ut Ss. Litterae in id unum intendere videantur, ut veritatem hanc hominum mentibus alte infigant. Huius pleni sunt Psalmi, plena Prophetarum oracula, quorum alia sub variis symbolis divinam gratiam designant, alia perspicue praenuntiant, ut Ezech. XXXVI, 26 etc., Isa. XLVI, 9 etc. et alia passim. Libri historici clare ostendunt, in quantam malitiae abyssum homines gratiam repellentes ruant, et ad qualem perfectionem moralem gratia adiuti eique cooperantes progredi possint. — Christus idcirco, *Legem gratiae* promulgaturus in id praecipue incubuit, ut divinae gratiae necessitatem, efficaciam ac vim animis suorum fidelium imprimeret. Hanc doctrinam Iudaeorum populo palam annuntiavit; hanc adumbravit multiplici similitudinum genere; hanc discipulis suis et privatis et publicis sermonibus tradidit, qui propterea Magistri sui vestigia secuti illius sollicitudinem in eadem tradenda imitati sunt, ut liquet ex Epistolis, quàs posteritati mandarunt; maxime vero S. Paulus, quem Deus inter caeteros elegit, ut gratiae suae praeco esset et vindex, praesertim in Epistola ad Romanos, quam totam fere impendit in divinae gratiae mysterio explicando. — Ecclesia quoque catholica quovis tempore dogmata de gratia Christi maximi fecit, et pro iis populo christiano declarandis, et contra adversarios defendendis sollicite invigilavit. Hinc cum Pelagiani doctrinam de gratia corrumpere tentarent, horum haeresi « omnino totum, quod christiani sumus, destrui, » scribebant ad *Innocentium* Papam Patres *Milevitani Concilii;* « totius christianae fidei fundamenta everti, » aiebat *S. Augustinus* (3); « universi dogmatis christiani disciplinam subverti, » affirmabat *S. Hieronymus* (4), ut alias similes Ss. Patrum locutiones praeteream, ex quibus perspicuum fit, nihil esse eorum iudicio cum tota christiana Religione coniunctius, nihilque latius patere doctrina de gratia. — Et sane doctrina de gratia intimo nexu coniungitur cum dogmatibus de peccato originali, de humani generis Redemptione, de hominum praedestinatione et reprobatione, de Sacramento-

(1) P. I, c. 9, n. 7. (2) 1 Cor. 4, 7. (3) Ep. 178 ad Hilar. (4) Ep. ad August.

rum vi et efficacia, ac aliis veritatibus summi momenti. Cum eadem doctrina de gratia arctissime cohaerent, et ex eadem deducuntur gravissima officia practica, qualia sunt sensus humilitatis, diffidentia de se et confidentia in Deo habenda, necessitas orationis et gratiarum actionis, salutaris timor, et sollicitudo gratiam Dei non in vacuum recipiendi etc.: illas veritates, haecque officia nemo recte statuet, multo minus, ut par est, docere alios poterit, nisi probam accuratamque de adiutoriis supernae gratiae cognitionem sibi perceptam habuerit. — Quamvis autem dogmata de gratia ex divinae revelationis fontibus et Ecclesiae definitionibus facile cognoscere possimus, attamen cum eadem intimius perscrutari et accuratius declarare nitimur, in scopulos facile impingimus. Sicuti enim *incomprehensibilia sunt iudicia* Dei, et *investigabiles viae eius* (1), ita etiam gratiae operationes et distributiones mente nostra limitata perfecte attingere non valemus: difficile autem et periculi plenum est, ea, quae rationis captum excedunt, quoad intrinsecum nexum certo determinare et explicare velle; quibus accedit, quod doctrina de gratia, cum innatae mentis humanae de se praesumentis arrogantiae adversetur, huius saeculi sapientia, quae blanditur carni et sanguini, facile obscuretur et corrumpatur. Multi idcirco rationis suae dictamina magis quam revelationis effata secuti, circa doctrinam de gratia in gravissimos errores prolapsi sunt. Magna proinde sedulitate tractatio ista suscipienda est, tum ut dogmata catholica rite percipiantur, tum ut oppositi illis errores feliciter declinentur. Dulcis autem omnis labor nobis videri debet, si materiae, de qua agitur, dignitatem consideremus. Gratia enim immensam Dei erga nos charitatem ostendit (2), efficacem meritorum Christi virtutem manifestat (3), ac saluberrimum nobis medium suppeditat, quo a miseriis nostris liberari et salutem aeternam consequi possumus. Unde *S. Augustinus* (4) scribit: « Quid debet esse iucundius vel infirmis gratia, qua sanantur, vel pigris gratia, qua excitantur, vel nolentibus gratia, qua iuvantur? » - Ita autem gravissimum hunc tractatum suscipiemus, ut 1° *notitias quasdam de gratia Christi supernaturali* praemittamus, 2° *de gratiae actualis necessitate*, 3° *efficacia*, et 4° *distributione*, dein 5° *de gratia sanctificante*, *de iustificatione*, et *de merito bonorum operum* agamus.

(1) Rom. 11, 33. (2) Ibid. 5, 8.

(3) Ephes. 1, 3. (4) Epist. 105.

CAPUT I.

NOTITIAE PRAEVIAE DE GRATIA CHRISTI

§ 400. Ut praesens tractatio recte suscipiatur, ante omnia materiam, de qua agitur, pressius determinare, terminosque ac loquendi formas, quibus theologi utuntur, accurate exponere oportet; dein vero errores, orthodoxae doctrinae contrarii, indicari debent, ut appareat, quanam via in hoc tractatu incedendum, et quinam scopuli caute evitandi sint. Hunc in finem 1° *gratiae supernaturalis notio* evolvitur, et *variae eiusdem divisiones* declarantur; et 2° brevis *historia dogmatis de gratia* proponitur, ut appareat, quomodo haec doctrina summi momenti ab heterodoxis obscurata et corrupta, ab orthodoxis autem strenue propugnata fuit.

ARTICULUS I.

Gratiae supernaturalis notio, et divisiones.

§ 401. Cum de gratia agitur, monitum observandum est, quod Apostolus

discipulo suo inculcavit dicens: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* (1). Doctrina enim de gratia ex divina revelatione desumenda est, atque ideo profanae vocum novitates devitandae, atque eae voces adhibendae sunt, quae Ecclesiae, aut Theologorum catholicorum usu consecratae inveniuntur, et quidem eo sensu, quo ab Ecclesia et a Theologis catholicis adhibentur. Tales autem voces et genuinum earum sensum cognoscere licet, dum *recta gratiae supernaturalis notio* evolvitur, et *eiusdem divisiones* in scholis catholicis usitatae declarantur.

I. *Notio gratiae supernaturalis.*

§ 402. 1. Vox *gratiae* in Ss. Litteris diversos significatus habet. Quandoque significat venustatem corporis, ut: *Fallax gratia, et vana est pulcritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur* (2). Interdum denotat suavitatem sermonis, uti: *Verba oris sapientis gratia* (3). Indigitat etiam gratiarum actionem pro beneficiis acceptis; quo sensu adhibetur ab Apostolo, dum dicit: *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor, quod gratias ago* (4)? Saepius usurpatur pro benevolentia et charitate, quam sibi quis apud homines, aut apud ipsum Deum conciliat; uti: *Invenit Ioseph gratiam coram Domino suo* (5); *Inveni gratiam apud oculos tuos* (6); et cum Angelus ad B. Virginem ait: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum* (7). — Saepissime autem per gratiam intelligitur donum ex mera benevolentia, seu gratis concessum; quo in sensu Paulus inquit: *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia* (8). In hac ultima significatione vox gratiae in isto tractatu sumitur, quamvis cum ista etiam prior significatio coniungenda sit, quia donum gratuitum ab uno acceptum benevolentiam alterius supponit.

2. Dona gratuita aut ab ipso Deo, aut ab hominibus conceduntur, unde gratiae *divinae* et *humanae* distingui possunt. Et sane etiam ex hominum benevolentia saepe dona expectantur; quapropter Ruth II, 2 inquit: *Colligam spicas, — ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam;* et saepe homines ob beneficia benigne praestita laudantur, sicuti David ad Ethai Gethaeum dixit: *Ostendisti* (mihi) *gratiam, et fidem* (9). Non autem de gratiis humanis hic sermo instituitur, sed tantum de gratiis divinis, quae longe uberiores, nobiliores et efficaciores sunt.

3. Gratia divina, considerata *prout est in Deo* ceu fonte suo, est ipsa Dei bonitas et amor, quo nos diligit, nobisque vult benefacere; spectata vero *prout est in homine*, est divini amoris, seu bonae voluntatis, qua Deus creaturis suis vult benefacere, effectus, seu donum homini gratis a Deo concessum. — Deus autem, omnium bonorum fons et origo, ex mera benevolentia plurima dona hominibus concedit, quae vel ad naturalem prosperitatem, vel ad spiritualem et aeternam vitam ordinantur, atque ideo *gratiae naturales* et *supernaturales* distinguuntur. Gratiae naturales sunt beneficia, quae spectant ad ordinem naturae et perfectionem naturalem hominis, cuiusmodi sunt creatio hominis, conservatio, ingenium, bona

(1) 1 Tim. 6, 20 etc. (2) Prov. 31, 30.
(3) Eccl. 10, 12. (4) 1 Cor. 10, 30.
(5) Gen. 39, 4. (6) Ruth 2, 13.
(7) Luc. 1, 30. (8) Rom. 11, 6.
(9) 2 Reg. 15, 20.

valetudo, libertas etc. De istis gratiis naturalibus praeclare disserens *S. Augustinus* (1) haec habet: « Etsi quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus aliquid, ut cadaver, quod non vivit, aut arbor, quae non sentit, aut pecus, quod non intelligit; sed homines, qui et essemus, et viveremus, et sentiremus, et intelligeremus, et de hoc tanto beneficio Creatori nostro gratias agere valeamus; unde merito et ipsa gratia dici potest, quia non praecedentium aliquorum bonorum operum merito, sed gratuita bonitate donata est: alia est tamen, qua praedestinati vocamur, iustificamur, glorificamur. » Quibus ultimis verbis S. Doctor laudat gratias supernaturales: et istae sunt beneficia divina, quae sunt supra naturae ordinem, atque tendunt ad perfectionem, et finem supernaturalem, ad quem conditus est homo: seu sunt talia beneficia, quae ad salutem et felicitatem supernaturalem hominis conducunt, eam promovent et perficiunt. — Non autem de illis beneficiis naturalibus, in hoc tractatu sermo est, sed de his beneficiis supernaturalibus, quae *proprie* gratiae nominantur, ut *S. Augustinus* lib. de Praedest. Ss. (2) observat. Usu quoque receptum est apud Theologos, ut nomine *gratiae* non naturalis, sed supernaturalis, de qua hic agimus, denotetur.

4. Gratia supernaturalis recte dicitur donum Dei supernaturale ac indebitum, concessum homini ad animae sanctificationem salutemque aeternam. Dicitur ergo *donum Dei*, quae vox tenet locum generis; convenit quippe donis tum naturalis, tum supernaturalis ordinis: dicitur donum *supernaturale*, hoc est, naturae dignitatem et vires excedens, quia gratia elevat hominem ad statum supernaturalem, eumque idoneum reddit ad actus supernaturales eliciendos: dicitur donum *indebitum*, seu *gratuitum*, quod excludit omne debitum, seu obligationem ex parte dantis, et omnem exigentiam, ius ac meritum ex parte recipientis: primo nempe excludit omne debitum ex parte dantis, quia Deus nulla lege tenetur et obligatur ad gratiam conferendam; secundo excludit omnem exigentiam, ius ac meritum ex parte recipientis tum personae, tum naturae, quia si gratia personae operibus debita foret, iam non esset gratia (3); si etiam debita foret naturali hominis conditioni, et ad exigentiam naturae daretur, eo ipso supernaturalis plane dici non posset: dicitur *homini concessum*, quia cum de gratia Angelis concessa iam (§ 164) actum sit, in hoc tractatu solum de gratiis agitur, quas Deus hominibus elargitur: dicitur denique concessum *ad animae sanctificationem salutemque aeternam*, ut causa finalis gratiae denotetur; nam, ut ait *S. Augustinus* (4), « gratia est, qua praedestinati vocamur, iustificamur et glorificamur. »

(1) Epist. 177.
(2) Cap. 5, n. 10, et Serm. 26, n. 4.
(3) Rom. 11, 6.
(4) Ep. 177 (al 95).
(5) Io. 3, 16.

II. *Divisiones gratiae supernaturalis.*

§ 403. Inter gratias supernaturales primo loco ipsa humani generis Redemptio recensenda esset: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam* (5). Donum praestantius et efficacius excogitari non potest ipso Filio Dei pro hominum salute incarnato. Unde Paulus ait: *Apparuit gratia Dei Salvatoris*

nostri omnibus hominibus (1). Sed de Christo Redemptore, qui in statu naturae lapsae iustificationis et omnium gratiarum *causa meritoria* est, iam in parte praecedenti actum fuit. Huc etiam spectaret perpetua Christi et Spiritus sancti assistentia, vi cuius Ecclesia in proponenda fidelibus doctrina salutis infallibilis est. Verum de istis beneficiis supernaturalibus, quae generatim ad hominum salutem ordinata sunt, in hoc tractatu sermo non est, sed de gratiis, quae singillatim ad hominum individuorum sanctificationem aeternamque salutem ordinantur. Istae autem gratiae a Theologis varie distinguuntur et dividuntur; maximique momenti est, ut tales divisiones probe cognoscantur, tum ne idearum notionumque misera confusio oriatur, tum ut Theologorum, praecipue scholasticorum, de gratia dissertationes recte intelligantur. Praecipuae autem gratiae supernaturalis divisiones sunt sequentes:

1. Gratia dividitur in *gratiam Creatoris*, seu *Conditoris*, et in *gratiam Redemptoris*. Gratia *Conditoris*, quae etiam *gratia sanitatis* appellatur, est illa, quam Deus ex mera liberalitate homini nondum lapso, adeoque non positive indigno, atque nullo peccati vulnere aut morbo afflicto concessit, ut in statum supernaturalem elevaretur, et finem suum supernaturalem consequeretur (§ 205 etc.). Gratia *Redemptoris*, quae etiam *gratia medicinalis* dicitur, quae hominibus peccato infectis, debilitatis et corruptis conceditur, et quam iis Christus Redemptor promeritus est, ut etiam in statu naturae lapsae finem suum supernaturalem consequi possint (§ 377). — Nobis de hac posteriori, de gratia scilicet Redemptoris, sermonem tantum esse posse, innuit ipse status naturae lapsae, in quo nunc constituti sumus.

2. Gratia alia dicitur *gratis data*, alia *gratum faciens*. Illa est donum supernaturale, quod per se, et primario non in propriam recipientis, sed in aliorum spiritualem salutem conceditur. Gratias gratis datas *novem* enumerat Apostolus (2), dicens: *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem* aliorum. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae*, id est, profunda notitia rerum divinarum cum facilitate eas aliis proponendi: *Alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum*, id est, cognitio rerum creatarum visibilium, qua ascendimus ad cognitionem rerum divinarum, quae sunt invisibiles: *Alteri fides in eodem Spiritu*, id est, firma, et erudita cognitio Religionis: *Alii gratia sanitatum in uno Spiritu*, id est, donum curandi infirmos: *Alii operatio virtutum*, id est, donum patrandi miracula: *Alii prophetia*, seu donum futura praedicendi: *Alii discretio spirituum*, id est, donum internam aliorum indolem, sive occulta cordium cognoscendi: *Alii genera linguarum*, seu donum variis linguis non naturali studio apprehensis loquendi: *Alii interpretatio sermonum*, id est, donum intelligendi, et recte exponendi dicta S. Scripturae, quae saepe intellectu difficilia sunt. — Quamvis autem omnis gratia sit gratis data, quia alias non esset gratia (3); usu tamen communi invaluit, ut nomine gratiae gratis datae intelligatur ea, qua quis saluti alterius cooperatur. Cuius duplex adduci solet ratio: prima, quia Christus Dominus huius generis gratias Apostolis conferens expresse monuit, eas et gratis acceptas esse, et gratis concedendas; ait

(1) Tit. 2, 11. (2) 1 Cor. 12, 7 etc. (3) Rom. 11, 6.

enim: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eiicite; gratis accepistis, gratis date* (1). Secunda ratio est, quia vulgo solet nomen generis ignobiliori speciei accommodari; gratia autem gratis data ignobilior est gratia gratum faciente; haec enim Deo immediate coniungit, eique hominem gratum et acceptum reddit; non ita gratia gratis data; quapropter Christus discipulis suis dicit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in coelis* (2). Ideo S. *Thomas* (3) dicit: « Unaquaeque virtus tanto excellentior est, quanto ad altius bonum ordinatur. Semper autem finis potior est his, quae sunt ad finem: gratia autem gratum faciens ordinat hominem immediate ad coniunctionem ultimi finis; gratiae vero gratis datae ordinant hominem ad quaedam preparatoria finis ultimi, sicut per prophetiam, et miracula, et alia huiusmodi homines inducuntur ad hoc, quod ultimo fini coniungantur. Et ideo gratia gratum faciens est multo excellentior gratia gratis data. » — Est autem *gratia gratum faciens* donum supernaturale, quod ad propriam salutem illius, cui confertur, primario et per se ordinatur: dicitur *gratum faciens*, quia eum, cui datur, Deo gratum et acceptum reddit, sive dispositive ac praeparatorie, si sit gratia actualis, sive formaliter, si sit gratia habitualis sanctificans. — Hic non de gratia gratis data, sed de gratia gratum faciente sermo instituitur; unde indigitata iam huius divisio declaranda est.

(1) Matth. 10, 8. (2) Luc. 10, 19, 20.
(3) 1 2, q. 111, art. 5.

3. Gratia distinguitur *actualis*, et *habitualis;* illa per modum actus, seu motionis Dei transeuntis, haec vero per modum habitus, seu qualitatis fixae, et permanentis conceditur. — Variae quidem *gratiae actualis* definitiones in Theologis leguntur, quae autem facile conciliantur, si attendatur, gratiam vel in Deo, qui eam concedit, vel in homine, qui eam accipit, in sua nempe causa, aut in suo effectu considerari posse. Gratia actualis, in Deo considerata, est divina operatio, qua motus salutares in animis nostris excitantur, necessarii ad opera pietatis, nostram sanctificationem aeternamque salutem. Gratia actualis, in homine, seu in suo effectu spectata, recte dicitur illustratio intellectus et motio voluntatis ad salutarem actum in nobis producendum ordinata. Homo enim humano modo agit per intellectum et voluntatem; atque ideo gratia, ut hominem modo naturae ipsius consentaneo ad actum bonum excitet et adiuvet, intellectum eius illustrat, et voluntatem movet. Unde S. *Augustinus* lib. de gratia Christi (4), varios gratiae actualis effectus enumerans, ait: « Qua gratia agitur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. » Et c. duas Epist. Pelag. (5) S. Doctor gratiam actualem pressius definiens inquit: « Gratia est inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus; » qua in definitione amplectenda, magna consensione S. *Augustinum* secuti sunt Theologi non solum catholici, verum etiam protestantes. - *Gratia habitualis*, quae etiam *sanctificans* dicitur, ea est, qua homo immediate coniungitur Deo, fit iustus, filius Dei adoptivus, et aeternae vitae haeres: haec

(4) Cap. 12. (5) L. 4, c. 5, n. 11.

gratia per modum habitus animae inhaerentis concipitur. Qui ea ornatus est, dicitur esse in statu gratiae, quae in homine permanet, quamdiu per peccatum mortale non amittitur. De hac gratia loquitur Christus, dum ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (1). Est haec gratiae species perfectissima, per quam homo unus fit cum Deo spiritus, dicente Apostolo: *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est* (2). — Talem inhaerentem et habitualem gratiam dari, manifeste ostendit exemplum parvulorum, qui baptizantur. Non enim aliam recipere illi possunt, qua iustificentur, gratiam praeter eam, quae per modum habitus et qualitatis ipsis infundatur, ut et inhaereat. Huius habitualis gratiae duplicem effectum distinguit S. *Thomas* (3), unum formalem, alterum effectivum : prior in eo est, ut hominem Deo gratum et acceptum faciat; posterior, ut eum inclinet ad opera bona, pro naturali scilicet conditione omnium habituum, qui semper inclinant ad actus sibi conformes. — Ast de hac gratia sanctificante inferius fusior sermo instituendus erit; prius de gratia actuali agitur, ad quam sequentes divisiones pertinent.

4. Gratia actualis dividitur in *operantem*, et *cooperantem*. Gratia *operans* dicitur ea, per quam Deus primos motus salutares in animis nostris excitat illustrando intellectum et movendo voluntatem ad bonum : ideo eadem gratia dicitur etiam *excitans*, et *vocatio*, quia hominem non cogitantem et quasi sopitum vocat, excitatque ad bonum salutare, illustrando mentem, et movendo ac pulsando voluntatem. Gratia *cooperans* est illa, per quam Deus facit, ut quod per operantem gratiam excitati voluerimus, impleamus : cooperans appellatur, quia simul cum humana libertate ad bonum faciendum cooperatur; eademque etiam *adiuvans* nominatur, quia salubriter excitatos ad efficacem boni prosecutionem adiuvat. Haec divisio in S. Scriptura, Ss. Patribus et Conciliis fundatur. Gratiam operantem et cooperantem innuit Apostolus dicens : *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere* (4); et : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum* (5). Unde S. *Augustinus* lib. de grat. et lib. arb. (6) de S. Pauli vocatione, quae per gratiam operantem facta est, loquens dicit: « Ut autem de coelo vocaretur, et tam magna et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola, quia merita eius erant magna, sed mala. » De gratia vero cooperante ibidem habet : « *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*, id est, non solus, sed gratia Dei mecum : ac per hoc non gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. » Porro gratia operans dicitur *operari sine nobis*, quia primam in nobis boni voluntatem producit, et operatur sine nobis prius volentibus; gratia vero cooperans dicitur *operari nobiscum*, quia ad boni executionem nobiscum iam volentibus et agentibus cooperatur. Eleganter id declarat S. *Augustinus* l. c. (7) dicens : Deus « praeparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.... Ut ergo velimus, sine nobis operatur;

(1) Io. 14, 24. (2) 1 Cor. 6, 17.
(3) 1 2, q. 111, art. 2. (4) Phil. 2, 13.
(5) 1 Cor. 15, 10. (6) Cap. 5.
(7) Cap. 17.

cum autem volumus, et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. » De eadem divisione *S. Thomas* (1) scribit: « Operatio alicuius effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota et non movens (solus autem Deus movens), operatio Deo attribuitur: et secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animae: et secundum hoc dicitur gratia cooperans. » De utraque illa gratia tum operante, tum cooperante loquitur Concilium *Arausicanum* II, can. 9 dicens: *Quoties bona agimus, Deus in nobis et nobiscum, ut operemur, operatur;* et can. 20 inquit: *Multa Deus facit in homine bona, quae non facit homo:* nulla vero *facit homo bona, quae non praestet Deus, ut faciat homo.* — Ex S. Scriptura, Patribus et Conciliis etiam ostendi potest, gratiam operantem recte excitantem, cooperantem vero adiuvantem appellari. De priori loquitur Apostolus scribens: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (2); in quae verba sequentia commentatur *S. Augustinus:* « Apostolus excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat, ut illuminaretur a Christo. Ergo secundum ipsas vigilias dicit iste: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Non enim vigilares in te, nisi oriretur lux tua, quae de somno excitaret: illuminat enim animam Christus, et facit eam vigilare. » — Gratiae adiuvantis mentio fit Ps. LXXVIII, 9 his verbis: *Adiuva nos, Deus salutaris noster;* et Rom. VIII, 26: *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.* De utraque gratia praeclare *S. Bernardus* (3) ait: « Conatus liberi arbitrii cassi sunt, si non adiuventur; nulli, si non excitentur. » Concilium quoque *Tridentinum* Sess. VI, cap. 5 utriusque gratiae meminit, ubi dicit, quod *per eius excitantem et adiuvantem gratiam* peccatores ad iustificationem disponantur.

5. Gratia distinguitur in *praevenientem*, et *subsequentem: praeveniens* est, quae omnem voluntatis motum, qui sit ex liberi arbitrii viribus, praecedit; *subsequens* est, quae subsequitur bonum, seu bonae voluntatis motum, quem gratia praeveniens iam operata est. Utriusque gratiae meminit Psalmista his verbis: *Misericordia eius praeveniet me* (4); et: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae mae* (5); quae loca citat *S. Augustinus* in Enchir. cap. 32 et subiungit: Gratia « nolentem praevenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit. » Et *S. Gregorius M.* (6) inquit: « Ipse aspirando nos praevenit, ut velimus, qui adiuvans subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quod volumus. » — Divisionem istam cum priori penitus convenire, plerique Theologi affirmant; nonnulli tamen illam ab hac distinguendam esse censent. Ratio huius discriminis est, quia gratia sub vario respectu *praeveniens* dici potest; qua de re ita disserit *S. Thomas* (7): « Sicut gratia dividitur in operantem, et cooperantem secundum diversos effectus, ita etiam in praevenientem et subsequentem, qualitercumque gratia accipiatur. Sunt autem quinque effectus gratiae in no-

(1) 1 2, q. 111, art. 2. (2) Eph. 5, 14.
(3) Lib. de grat. et lib. arb.
(4) Ps. 58, 11. (5) Ps. 22, 6.
(6) Hom. 9, in Ezech. (7) L. c., art. 3

bis; quorum primus est, ut anima sanetur; secundus, ut bonum velit; tertius est, ut bonum, quod vult, efficaciter operetur; quartus est, ut in bono perseveret; quintus, ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia, secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur praeveniens respectu secundi effectus; et prout causat in nobis secundum, vocatur sub sequens respectu primi effectus. Et sicut unus effectus est posterior uno effectu et prior alio, ita gratia potest dici praeveniens et subsequens secundum eundem effectum respectu diversorum: et hoc est, quod *S. Augustinus* (1) dicit: «Praevenit, ut sanemur, quia et subsequetur, ut etiam sanati vegetemur; praevenit, ut vocemur, subsequetur, ut glorificemur; praevenit, ut pie vivamus, subsequetur, ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere.» — Praeterea iuxta nonnullos gratia praeveniens nihil aliud est, nisi gratia, quae nullum antecedens meritum supponit, sed omne meritum praevenit; quo sensu *S. Augustinus* gratiam praevenientem variis in locis commendat: e. g. in Epist. 217 ad Vital., n. 28, dicens: « Haec et alia testimonia divina ostendunt, Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, et praevenire in hominibus bonarum merita voluntatum; ita ut voluntas per antecedentem gratiam praeparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur. » Eodem sensu gratiam praevenientem accipit Concilium *Tridentinum*, dum (2) docet, iustificationis exordium a praeveniente gratia sumendum esse, *hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur* (3). — Ast iuxta alios gratia praeveniens non solum omne meritum, sed et omnem salubrem cogitationem et voluntatis motum antecedit, atque ideo a recentioribus praecipue Theologis nomine gratiae praevenientis intelliguntur motus illi indeliberati, qui ad bonum alliciunt, ac in nobis a Deo excitantur sine nobis, quatenus a nostra non pendent voluntate: ast gratia praeveniens hoc sensu intellecta penitus convenit cum operante, seu excitante. — Notandum pariter est, quod nonnulli gratiam *praevenientem, concomitantem, et subsequentem distinguant:* si enim gratia praeveniens ita concipiatur, ut non includat voluntatis consensum, tunc, ait Cl. *Tournely* (4), « necesse est admittere in hac divisione tertium aliquod membrum, seu genus gratiae, quae *concomitans* dicitur, quia voluntatem comitatur et adiuvat, ut bonum efficaciter velit. Cum enim ille voluntatis actus, quo consentit, seu vult bonum, sit a gratia Dei, neque includatur in praeveniente, aut in subsequente gratia, necesse est, ut sit a gratia concomitante. Hanc triplicem gratiam designare videtur Concilium *Tridentinum* (5) dicens: *Quae virtus* (Christi) *in ipsos iustificatos iugiter influit; bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur.*» Verum communiter Theologi sub uno divisionis membro gratiam concomitantem et subsequentem complectuntur, quia utraque cum voluntate humana agit, eandemque comitatur et adiuvat (6).

6. Gratia, si ut donum supernaturale ad animae nostrae sanctificationem ordinatum consideretur, dividi etiam solet in *externam*, et *internam*. *Externa* est illa, quae hominem in-

(1) Lib. de natura et gratia, cap. 31.
(2) Sess. 6, c. 5.
(3) Cf. Perrone de Grat., n. 18 in not.
(4) Q. 1, divis. grat. n. 7.
(5) Sess. 6, cap. 16.
(6) Cf. Dieringer Dogm. § 101. n. 3.

trinsece non afficit, sed extrinsece tantum, ut sunt lex divina, praedicatio Evangelii, exempla Christi et Sanctorum, miracula, occasiones bene agendi providentia supernaturali praeparatae, occasiones peccandi eadem providentia remotae, et reliqui effectus externi, providentia supernaturali ad salutem nostram ordinati. Gratia *interna* est, quae hominem intrinsece afficit, sive inhaerendo, qualis est gratia habitualis, seu sanctificans, sive movendo tantum per illuminationem mentis et excitationem voluntatis, qualis est gratia actualis. — Manifestum est, hanc gratiae divisionem maxime generalem esse, et gratiam actualem in illa duntaxat ut speciem contineri. Observandum autem est, cum gratiis externis frequenter gratias internas coniungi: sic e. g. dum praedicatio Evangelii per aures penetrat, saepe gratia interna mentem illuminat, et salubriter voluntatem movet. Quamobrem licet gratia actualis, ut ex definitione patet, necessario interna sit, attamen ipsa quoque in *externam*, et *internam* dividi potest hoc sensu: ut gratia *externa* dicatur, quae cum medio quodam externo hominem afficit, *mere* autem *interna* nominetur, quae sine medio externo, modo sensibus non subiecto, seu immediate homini illabitur.

7. Gratia actualis dividitur in gratiam *efficacem*, et *sufficientem:* gratia *efficax* dicitur, quae obtinet effectum, ad quem datur, seu cui consentit voluntas; *sufficiens* vero ea est, quae caret effectu, ad quem datur, seu cui voluntas non assentitur. Haec etiam *inefficax* appellari solet; quod non ita intelligendum est, quasi per gratiam istam nullus effectus in homine producatur, cum, ut ex definitione patet, ad naturam gratiae spectet, ut motus salutares in anima excitentur; sed inefficax gratia appellatur, quia ille effectus, seu actus, ad quem producendum motus salutares excitantur, non sequitur, resistente libero hominis arbitrio: vere igitur gratia sufficiens tribuit vires et potentiam bene agendi, sed actus bonus non sequitur, libero hominis arbitrio deficiente. — Utrum vero assensus vel dissensus voluntatis repeti debeat ex diversa gratiae efficacis et sufficientis natura, an a sola libera hominis voluntate, non consentiunt Theologi catholici, qui idcirco in definienda et describenda gratia sufficiente non conveniunt, sed in varias sententias abeunt, quae inferius exponentur. — Caeterum, si vocis etymon spectetur, quaelibet gratia ad effectum, quem intendit, producendum sufficiens est; imo haec sufficientia vel maxime illi gratiae ascribenda est, quae effectum obtinet, ad quem datur, et quae efficax nominatur; sed quia vulgo nomen generis ignobiliori speciei accommodari solet, gratia, quae non obtinet effectum, ad quem datur, simpliciter sufficiens nominatur. Haec autem gratia sufficiens a nonnullis Theologis subdividitur in *proxime*, et *remote sufficientem. Proxime sufficiens* vocatur ea, quae praebet immediate vires necessarias ad agendum; *remote* autem *sufficiens*, quae nonnisi mediate, ex. gr. per orationem, eiusmodi vires suppeditat.

8. Gratia dividitur *in gratiam simpliciter*, et *gratiam pro gratia. Gratia simpliciter* ea dicitur, quae conceditur a Deo ex meritis Christi absque ullo ex parte hominis praecedente merito etiam ex gratia comparato. *Gratia* vero *pro gratia* ea dicitur, quae datur propter meritum praecedens, quod ex gratia oritur. Talis est gloria, seu vita aeterna, quae simul et merces et gratia dicitur; mer-

ces, quia meritis rependitur, gratia, quia merita haec ex gratia profluunt. Tale pariter est augmentum gratiae in homine iustificato, quod impetrat bonis suis operibus ex gratia elicitis. De quo auxilio gratiae dicit regius Psaltes: *Iustum adiutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde* (1). Divisionem hanc agnoscit *S. Augustinus* (2) his verbis: « Si vita nostra bona nihil adiud est, quam Dei gratia; sine dubio et vita aeterna, quae bonae vitae redditur, Dei gratia est: et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illi, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia est: haec autem, quae illi datur, quoniam praemium eius est, gratia, tanquam merces pro iustitia. »

9. Denique gratia iuxta varias operationes, seu diversos effectus, quos in hominibus producit, varias denominationes sortitur. Gratia, qua quis ad orthodoxam fidem Christi adducitur, aut adduci potest, dicitur *gratia vocationis*. Gratia, qua quis peccatis irretitus ad poenitentiam agendam, et ad sensus suos pravos emendandos movetur, nuncupatur *gratia conversionis*. Gratia, qua quis a peccatis penitus mundatur, interius regeneratur et gratia sanctificante ornatur, dicitur *gratia iustificationis*. Gratia, per quam homo in statu iustitiae, seu in amicitia Dei usque ad ultimum vitae momentum conservatur, vocatur *gratia perseverantiae finalis*. Gratia, qua quis aeterno Dei decreto ad aeternam felicitatis coelestis fruitionem destinatur, nominatur *gratia praedestinationis*.

Nota. Nonnulli distinguunt *gratiam, quae intellectum salubriter illustrat*, et *gratiam, quae voluntatem ad bonum movet*: sed haec divisio merito repudiatur, quia quaelibet gratia actualis interna indigitatum duplicem effectum in homine producit. Unde Cl. *Chrismann* (3) dicit: « Gratiam, quae ad fidem et opera salutaria requiritur, non tantum in illustratione intellectus, sed etiam, imo potissimum, in motione voluntatis esse sitam, veritas adeo certa et explorata habetur, ut doctissimus *Bossuetus* (4) adfirmare non dubitaverit, posse quidem in scholis disputari de modo, quo Deus corda hominum efficaciter ad bonum movet, omnes tamen Catholicos in eo consentire debere, Deum nostras voluntates pro suo beneplacito movere. » Idem patet ex *S. Augustino*, qui gratiam actualem « inspirationem dilectionis » nominat. Ex quo *Chrismann* citatus infert, sententiam, quae dicit, Deum gratia non ipsam adgredi voluntatem, non quidem ab Ecclesia expresse proscriptam, sed tamen S. Scripturae et Traditioni contrariam esse.

(1) Ps. 7, 11.
(2) Lib. de grat. et lib. arb., cap. 8.
(3) In Regula fidei, § 185 not.
(4) Defens. de la Tradit., l. 10, c. 6.

ARTICULUS II.

Brevis historia dogmatis de gratia.

§ 404. Ecclesia Christi divinae revelationi fideliter inhaerens, constanter credidit et docuit, gratiam actualem necessariam esse ad omne opus supernaturaliter bonum et meritorium pro vita aeterna, imo etiam ad initium fidei et boni operis, et ad perseverantiam finalem; eam non secundum merita per vires naturales comparata, sed gratuito dari; eandemque in hominem efficaciter agere, sed ita, ut liberum arbitrium non tollat, quod cum gratia cooperatur, et etiam interiori gratiae resistere potest. Ex qua doctrina patet, Ecclesiam tum gratiae Christi, tum libero hominis arbitrio iura sua attribuisse.

— Ast hanc doctrinam catholicam de gratia varii variis temporibus obscurare et turbare tentarunt. In duas autem potissimum classes dividuntur, qui prava dogmata disseminarunt, coelesti huic doctrinae opposita. *Alii* videlicet *tribuerunt nimium libero arbitrio, violatis gratiae iuribus: alii* contra *nimium tribuerunt gratiae cum praeiudicio, aut interitu libertatis humanae.* Utriusque classis aberrantes hic recensendi sunt, tum ut adversarii cognoscantur, quibuscum pugna suscipienda est, tum ut veritas, quae in medio sita est, plenius intelligatur et validius vindicetur.

Nota. In hac historia praecipue illi errores enumerantur, qui dogmatibus de gratia actuali opponuntur: errores enim, qui doctrinae catholicae de iustificatione et de merito bonorum operum adversantur, opportunius tunc recenseutur, cum de dogmatibus istis specialis sermo instituitur.

I. *Aberrantes circa gratiam divinam.*

§ 405. 1. *Gentiles*, cum de Dei spiritualitate et immensitate male sentirent, Deosque colerent, loco circumscriptos et infirmitatibus obnoxios, operationes divinas, quibus motus salutares in animis nostris excitantur, comprehendere non valuerunt. Mirum proinde non est, quod supernaturalem gratiam divinam, nos ad bonum excitantem et adiuvantem, ignoraverint potius, quam negaverint. Quamvis autem philosophi ethnici meliores de Deo conceptus habuissent, plerique tamen ex ipsis a recta gratiae divinae cognitione longe remoti fuerunt, et virtutum actus a solis liberi arbitrii viribus repetendos esse censuerunt. Sic *Aristoteles* (1) dicit: « Operationum nostrarum a principio usque ad finem domini sumus. » De *Stoicis* observat Cl. *Norisius* (2) tantam fuisse eorum superbiam, « ut ad virtutem capessendam divino nos auxilio indigere stultissime pernegarent. Deum enim natura, se industria et virtute propria sapientes esse iactitabant. » Teste *Tullio* (3), academici contendebant, « Omnia in nostra potestate esse. » Hinc *Cotta* ap. eundem (4) ait: « De virtute recte gloriamur: quod non contingeret, si id donum a Deo, non a nobis haberemus. Num quis, quod bonus vir esset, gratias Diis egit unquam? » — Ipse *Cicero* l. c. (5) testatur, esse persuasionem atque confessionem omnium, caeteras res omnes illis acceptas referendas esse praeter virtutem: hanc habere quemque a se, non a Deo, et in Quaest. Tuscul. (6) inquit: « Esse ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret; » et addit de Philosophia: « Tradamus nos ei curandos, sanabimur, si volemus. » *Seneca* (7) scribit: « Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum: ille naturae beneficio, non suo sapiens est. » *Plotinus* philosophus neo-platonicus, teste *Porphyrio* (8), adeo superbiebat, ut diceret: « Non ego is sum, qui Deos quaerere debeam; sed Dii meipsum quaerere debent. » His iungendi sunt, qui cum *Epicuro* et aliis divinam providentiam penitus negarunt. Recte igitur *S. Augustinus* (9) dicit. « Omnes philosophi huius mundi hoc vehementer egerunt, ut putarentur, vel putarent, sibi beatam vitam vir-

(1) In Ethic., l. 3, c. 13.
(2) Hist. Pelag. l. 1, c. 1.
(3) Acad. quaest. l. 4, c. 38.
(4) L. 3, de nat. Deor., c. 87.
(5) Cap. 63. (6) L. 3, c. 2. (7) In Epist. 3.
(8) In vita Plotini. (9) Epist. 106

tute propria voluntatis efficere.» Negari tamen non potest, quosdam philosophos melius de gratia sensisse, eiusque necessitatem et efficaciam aliquo modo agnovisse. — Sic *Plato* (1) ait: « Divina sorte adesse virtutem, cuicunque adest, adparet.» — *Plutarchus* (2) inquit: « Deorum gentem per se propitiam, et nullius mali auctorem esse arbitramur.» *Maximus Tyrius* (3) docet, « Bonum obtingere nullum, ad quod non stimulentur (homines) a Deo.» Ipse *Cicero* (4) ait: « Nemo vir magnus sine adflatu aliquo divino fuit.» *Seneca* (5) scribit: « Bonus vir sine Deo nemo est.» *Marc. Aurelius Antoninus* dicere non dubitavit: « Esse quandam in Deo virtutem, quae in nobis agit, quae in omnes nostras actiones operatur, quaeque omnes a nobis removet actiones, quae in crimen nos detrudere possent.» Caeterum quamvis nonnulli ethnici philosophi perfectam virtutem a Deo repetendam esse existimaverint, longissime tamen aberrant a pura castaque Christianorum doctrina.

2. *Iudaei* ex divina revelatione necessitatem et efficaciam gratiae divinae cognoscere potuerunt: sed plurimi, rebus terrenis nimis inhiantes, veritates revelatas non perpenderunt, et perversa superbia obcaecati proprias suas vires ad legem implendam sufficere existimarunt, propter quam temerariam praesumptionem frequenter efficaci Dei auxilio destituti in gravissima peccata prolapsi sunt, ut ex ipsis saltem legis praevaricationibus infirmitatem suam agnoscere atque fateri cogerentur. Ideo *S. Augustinus* (6) de Iudaeis carnalibus scribit: « Ad Testamentum autem vetus, quod est a monte Sina in servitutem generans, quod est Agar, illi pertinent, qui, cum acceperint legem sanctam, et iustam, et bonam, putant sibi ad vitam literam posse sufficere, et ideo qua fiant factores legis, divinam misericordiam non requirunt, sed ignorantes Dei iustitiam et suam volentes constituere, iustitiae Dei non sunt subiecti. Ex hoc genere fuit illa multitudo, quae adversus Deum in eremo murmuravit et idolum fecit, et illa, quae in ipsa terra promissionis fornicata est post Deos alienos.» — Etiam ex Iudaeis ad Christum conversis circa gratiam errarunt tum illi, qui negabant, gratiam Christi sine legis observatione sufficere ad salutem, adversus quos scripsit S. Paulus Epistolam ad Galatas, ubi probat, Christum gratis mortuum esse, si circumcisio caeteraque legalia necessaria forent; tum illi, qui de meritis legis mosaicae superbius gloriantes gratiam Evangelii huiusmodi meritis debitam asserebant, atque Gentiles ad talem gratiam vocatos esse iniquo prorsus animo ferebant; adversus quos idem Apostolus gravissimam scripsit ad Romanos Epistolam, in qua duo demonstrat: primum, gratiam Evangelii omnibus necessariam esse, et a Deo dispensari tum Iudaeis, tum Gentilibus, apud quem non est distinctio Iudaei, aut Graeci; alterum, gratiam illam plane gratuitam esse, nullisque praecedentibus meritis dari, quia alias gratia non esset. — Iudaei recentiores ab orthodoxa doctrina longissime recesserunt. Nam, teste *Ioan. Iac. Hottingero* (7), liberum arbitrium a Iudaeis tanta fiducia exaltatur, ut asserere non erubescant, o-

(1) In Menone. (2) In Pericle.
(3) Serm. 22.
(4) L. 2, de natura Deor., c. 16.
(5) Ep. 41.
(6) L. 3, c. duas Epist. Pelag., c. 4, n. 9
(7) Fata doctrinae de praedest. et de gratia in dissert. praelim.

mnia esse in manu Dei praeter timorem Dei; homini sufficientes ad conversionem vires esse relictas; hominem suarum cogitationum esse dominum et salutis fabrum, et similia, quae apud *Lipmanum*, *Menasse Ben Israël* et alios Rabbinos passim inveniuntur.

3. Iam saeculo II ex *Gnosticis* nonnulli in doctrina de gratia aberrasse dicuntur; quod mirum non est: cum enim inter ipsos existerent, ut *Carpocrates*, *Basilides* et alii, qui transfusionem peccati originalis negarent, consequens fuit, ut etiam gratiae medicinalis necessitatem agnoscere recusarent. Saeculo III, *Origenes* necessitatem gratiae adtenuans, et vires liberi arbitrii exaltans, Pelagii errorem praeformasse creditur; nec immerito; nam *S. Hieronymus* (1) haeresin Pelagii « Origenis ramusculum, » et Origenem « Pelagiani erroris principem » nominat. Ideo *S. Thomas* (2), *Natalis Alex.* (3), *Card. Norisius* (4), *Laur. Berti* (5) aliique Origenem Pelagianorum prodromum fuisse affirmant. Ab errore autem excusatur a *P. Halloixio*, a *Theophilo Renaud.* et a doctissimo *Bossueto*. Qui mediam ineunt viam, non Pelagianis, sed Semipelagianis Origenem praecinuisse ferunt, ut *D. Huetius*, *Garnerius*, *Ceiller* et *Fr. Ballerini* (6). Ast ipse *Huetius* (7) fatetur: « Origenem nimio plus tribuisse legi naturae, et quae peculiari Dei auxilio debebantur, in generale auxilium transcripsisse, quod omnino pelagianum est. » Praetereà ante Pelagium pelagiana dogmata tradidisse dicitur saec. IV *Theodorus* Mopsuestiae Episcopus, qui cum divinitatem Christi et peccatum originale negaret, consequenter etiam docuit, Christum non venisse, ut peccatum originale tolleret, sed ut omnibus exemplo et magisterio prodesset. Inter Pelagii magistros et seductores ponitur etiam *Rufinus* Presbyter quidam a Mario Mercatore (8). Imo ipse Coelestius apud *S. Augustinum* (9) fatetur, se doctrinam suam a *Rufino* Presbytero percepisse. Quis sit iste Rufinus, an ille Aquileiensis, celebris propter graves inter ipsum et *S. Hieronymum* contentiones; an alter natione Syrus, disputant critici. Card. *Norisius*, Cl. *Berti* et alii Aquileiensem esse contendunt: *Garnerius* autem Presbyterum Syrum fuisse propugnat.

4. *Pelagius* Britannus, Monachus, anno 405 Romam delatus gravissimos errores, orthodoxae de gratia Christi doctrinae oppositos, proponere coepit. Quia enim transfusionem peccati originalis et inflicta ab hoc hominibus vulnera negavit (§ 219 n. 2); exinde intulit, homines sibi sufficere, neque eis opus esse alio subsidio, seu gratia Salvatoris sive ad mandata servanda, sive ad qualemcumque utut sublimem perfectionis gradum acquirendum. — Sed nullatenus putandum est, Pelagium cum sectatoribus suis in eadem semper doctrina proponenda constantem fuisse, quia pressus a Catholicis hincinde, quae prius negaverat, postea admisit. Idcirco a Theologis plures distingui solent pestiferae huius haeresis status, quanquam in iis explicandis eruditi non omnino consentiunt. Initio quidem, nulla facta mentione gratiae, asseruit, vires naturales liberi arbitrii sufficere ad implenda omnia praecepta, superandas quasvis tentationes, exercendaque sic-

(1) In Epist. ad Ctesiphontem.
(2) L. 3 c. Gentes, c. 89.
(3) In Saec. 3, diss. 16, a. 3.
(4) L. 1 Hist. Pelag., c. 1. (5) L. 14, c. 1.
(6) In notis ad Noris.
(7) In Origenian., l. 2, q. 7, n. 10.
(8) In Commentario ad Pintam.
(9) Lib. de peccato orig.

ut oportet, virtutum omnium officia, et obtinendam salutem aeternam. Hunc in finem tria inter se distinguebat, quibus mandata divina impleantur, possibilitatem nempe, voluntatem et actionem: possibilitatem, qua potest homo esse iustus; voluntatem, qua vult esse iustus; et actionem, qua iustus est. Possibilitatem in libero arbitrio consistentem aiebat nobis datam esse a Conditore naturae, nec esse in nostra potestate: duo reliqua vero, voluntatem et actionem, soli libero arbitrio tribuebat. — At vero cum hoc doctrinae monstrum exhorrescerent Catholici, ad declinandam publicam invidiam, necessitatem gratiae admittere visus est: sed gratiae nomine liberum arbitrium intelligebat, eoquod illud gratis, nullis nostris praecedentibus meritis, nobis a Deo in ipsa creatione concedatur (1). — Cum autem neque per hoc Catholicis satisfaceret Pelagius, aliud gratiae genus, sed externum tantum, nempe legem, doctrinam et exempla Christi admisit; istasque gratias exteriores una cum libero arbitrio ad recte vivendum sufficere docuit: ita enim Concilium *Carthaginiense*, anno 412 habitum, in Epistola synodica ad *Innocentium P.* Pelagianorum errores exposuit: « Asserunt, in eo gratiam Dei deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, quae per propriam voluntatem legem Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam. » — Ast Pelagius Catholicorum argumentis vehementius pressus, quibusdam quasi gradibus a primaevo suo errore ita recessit, ut gratiam aliquam interiorem fateretur, quae in mentis illustratione consisteret, et sic mediate etiam voluntatem ad bonum moveret: id patet ex verbis Pelagii, relatis a *S. Augustino* l. c., c 7: « Adiuvat nos, ait Pelagius, Deus per doctrinam et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne praesentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi et inefabili dono coelestis gratiae illuminat; » et in eodem libro, cap. 41, S. Doctor affirmat, Pelagium existimasse necessarias orationes, « ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur; » per hanc autem internam mentis illustrationem doctrinae externae additam intelligi, sat perspicuum est. Nonnulli cum Cl. Io. *Garnerio*, *Gazzaniga* et aliis contendunt, in ultimo statu Pelagium etiam aliquam interiorem gratiam, voluntatem afficientem et ad bonum moventem, admisisse: hoc vero multi negant, quoniam *S. Augustinus* l. c., cap. 35, de Pelagio dicit: « An credat aliquod adiutorium bene agendi, adiunctum naturae atque doctrinae per inspirationem flagrantissimae et luminosissimae charitatis, non apparet omnino. » Quodsi Pelagius interioris cuiusdam gratiae existentiam professus est, eius tamen necessitatem ad actus bonos negavit, asserens, eam duntaxat valere ad opera pietatis facilius peragenda. Hinc *S. Augustinus* lib. de haeresibus (2) scribit: « Pelagius a fratribus increpatus quod nihil tribueret adiutorio gratiae ad eius mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio praeponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quae facere per liberum iubentur arbitrium, *facilius* possint implere per gratiam. » Praeterea Pelagiani gratiam non donum gratuitum conside-

(1) V. S. Augustin., l. de gratia Christi, c. 4 et 5. (2) Haer. 88.

rabant, sed eam praecedentibus nostris meritis reddi dicebant. Hinc *S. Augustinus* lib. de grat. et lib. arbit. (1), de Pelagianis loquens, ait: « Cum fuerint convicti non defensores, sed inflatores et praecipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinae legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quae per Iesum Christum Dominum nostrum datur; sed ipsa facit, ut lex impleatur, ut natura liberetur, nec peccatum dominetur; cum ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quocunque modo possint ostendere, gratiam Dei secundum merita nostra dari. Dicunt enim, etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur; tamen secundum merita bonae voluntatis datur: quia bona voluntas, inquiunt, praecedit orantis, quam praecessit voluntas credentis, ut secundum haec mêrita gratia sequatur exaudientis Dei. » — Ex his errores Pelagianorum facile cognoscuntur, et clare patet, aberrasse Cl. *Lud. Thomassinum*, qui, relicta communi sententia (2), affirmavit, « praecipuam controversiam Augustinum inter et Pelagianos non fuisse de gratia actuali, sed de habituali. » Quamvis enim Pelagius circa gratiae habitualis effectus erraret, illam tamen admittebat, ut patet ex eius epistola ad Demetriadem virginem, cui c. 22 scribit: « Magis illa virtute gloriaris, quae filios Dei et cohaeredes Christi facit. » Ipse *S. Augustinus* (3) dicit, Iulianum gratiam confiteri habitualem, eamque necessariam esse parvulis et adultis, ut liberum haberent in regnum Christi introitum. Non ergo de ea cum Pelagianis digladiabatur *S. Augustinus*, sed de gratia actuali, cuius necessitatem constanter Pelagius cum suis gregalibus negabat. Ideo ipse *S. Augustinus* (4) asserit, nullum remanere dissertandi locum, si semel Pelagius concesserit, hominem sine praeveniente et adiuvante gratia nec velle bonum salutis, nec operari posse. — Gravissime autem circa Pelagianorum doctrinam aberravit *Iansenius*, qui (5) contendit, Pelagianos in ultimo suo statu etiam gratiam voluntatis et operationis admisisse, sed talem, quae consistat cum indifferentia liberi arbitrii, eosque in hoc statu ideo tanquam haereticos habitos fuisse, quia illam gratiam negabant, quam (ut dicit) *S. Augustinus* iuxta catholicae Ecclesiae fidem propugnavit, nempe gratiam, quae cogeret voluntatem ineluctabili necessitate ad agendum. Sed talis Pelagianae haeresis status tanquam commentum Iansenianum reiiciendus, et affirmandum est, indifferentiam arbitrii non ad Pelagiana decreta, sed ad dogmata catholica spectare. Ex inferius enim dicendis apparebit, constantem fuisse Ecclesiae catholicae doctrinam, quod per gratiam liberum hominis arbitrium non tollatur. Hanc doctrinam exponit *S. Hieronymus* in Epist. ad Ctesiph. Et *S. Augustinus* (6) ita Iulianum alloquitur: « Non itaque sicut te, atque alios fallens loqueris, si quis liberum in hominibus arbitrium dixerit, Coelestianus et Pelagianus vocatur; istud quippe catholica fides dicit: sed si quis ad colendum recte Deum, sine ipsius adiutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium, ipse Coelestianus et Pelagianus vocatur. » Certum ergo est, Pelagianos non ideo, ut haereticos habitos fuisse, quia liberum hominibus arbitrium adscri-

(1) Cap. 14. (2) In lib. *Mémoires sur la grâce*.
(3) L. 2 op. imp. (4) L. de grat. Chr., c. 48.
(5) L. 5, de haer. Pelag., c. 11.
(6) L. 2, de nuptiis, et concup., c. 3.

bebant, sed quia hoc una cum lege et doctrina ad recte agendum sufficere dicebant, gratiae interioris necessitatem negabant, eamque secundum merita nostra dari asserebant. — Praecipui Pelagii asseclae eiusdemque doctrinae propugnatores fuerunt *Coelestius* et *Iulianus* Ecclanensis Episcopus. — Impugnarunt autem haeresin Pelagianam prae caeteris *Paulus* diaconus *S. Ambrosii*, duo Episcopi Gallicani *Eros* et *Lazarus*, profecti in Palaestinam, ibidemque disputantes adversus Pelagium; sicut *Germanus* Aetiss., *Lupus* Trecensis et *Severus* Trevirensis petierunt Britanniam ad extirpandam Pelagii haeresin. — Maxime autem in Pelagianis concertationibus inclaruerunt *S. Hieronymus*, *Orosius*, *Sixtus* et *Marius Mercator*, quibus palmam facile praeripuit *S. Augustinus* « quem, ut eleganter dicit Cl. *Liebermann*, Deus ante gratiae prodigium effecerat, ut illius efficeret praesidium: » et iam *S. Prosper* (1) adseveraverat, duce potissimum Augustino, catholicam aciem contra inimicos gratiae Christi pugnasse et triumphasse. — Pelagianam doctrinam etiam condemnarunt Rom. PP. *Innocentius I* et *Zosimus*, qui equidem Coelestium catholicam fidem simulantem benigne excepit, sed eius fraudibus detectis, eundem sicut et Pelagium damnavit. Inter 24 Concilia, quae in causa Pelagianorum habita sunt, praecipue commemorari merentur *Diospolitano* (anno 415), in quo quidem Pelagius, cum fidem orthodoxam simularet, in communionem receptus est, attamen doctrina eius reiecta fuit; *Carthaginiense* (anno 416), *Milevitanum* (anno 416), cui interfuit *S. Augustinus; Romanum* (anno 417), et iterum *Carthaginiense* (anno 418), ac demum *Ephesinum* oecumenicum (anno 431), quod damnationem Pelagianorum confirmavit, non revocata ad examen causa, ut Pelagiani postulaverant.

5. Ex Pelagianae haeresis cineribus enati sunt *Semipelagiani*, ita dicti, quia ex parte Catholicis, ex parte vero Pelagio consenserunt. Admittebant isti cum Catholicis transfusionem peccati originalis, cuius tamen, ut *S. Prosper* (2) observat, vulnera et effectus attenuabant; profitebantur etiam cum iisdem gratiae supernaturalis necessitatem ad incipiendum et perficiendum opus bonum: non item ad principium credendi, et volendi. Statuebant nempe initia quaedam fidei, iustitiae et salutis, quae non essent a gratia praeveniente, sed a solis naturae viribus, nimirum voluntatem credendi, fidem inchoatam et imperfectam, desiderium sanctitatis et salutis, conatus quosdam emergendi e coeno peccati et actus virtutum exercendi; per quae initia fidei et salutis, ex solis naturae viribus elicita, dicebant infallibiliter obtineri primam gratiam, aliasque interiores, necessarias ad servanda mandata et ad opera salutaria exercenda; ita ut gratia non sit praeambula, sed pedissequa bonae voluntatis. Haec tamen salutis initia non computabant inter bona opera: quemadmodum in aegroto voluntas adhibendi medicum, vel certa de remedio concepta nondum pars esse aliqua curationis censetur. — Ex hac Semipelagianorum doctrina varii profluebant errores, et praecipue tres sequentes: omnino heterodoxe enim docebant: 1° gratiam Dei secundum merita nostra dari, id est, ob actus solis naturae viribus elicitos; ideoque gratiam, cuius ope homo se disponit ad iustificatio-

(1) Initio libri contra Collatorem.

(2) Carm. de ingrat., p. 4.

nem, dari intuitu boni usus liberi arbitrii, adeo ut homo ideo eam accipiat, quia bono naturae bene usus meruit eam accipere. Aliqui tamen ex Semipelagianis, quos inter *Cassianus*, docebant, a Deo quandoque, non tamen ordinarie, gratiam donari etiam illis, qui libero arbitrio bene usi non fuere: 2° gratiam supernaturalem ad initium fidei necessariam non esse, sed ad hoc sufficere liberum hominis arbitrium, atque ideo praedestinationem ad gratiam et fidem non esse gratuitam, sed a voluntate hominis pendere: 3° Deum omnibus hominibus ex solo vigore naturae petentibus, desiderantibus, pulsantibus, gratiam retribuere, qua adiuti perseverare possint, et, si velint, actu perseverent in statu gratiae; ipsam interim perseverantiam permittendo eorum libero arbitrio, ita ut nihil praedestinatis donetur, quod amittere, vel retinere non possint propria voluntate. — Istos fuisse Semipelagianorum errores ex scriptis *S. Augustini*, *S. Prosperi* et *Hilarii* abunde constat. — Extiterunt tamen nonnulli Theologi catholici, ut *Gazzaniga*, *Billuart* et alii, quibus probabile visum est, Semipelagianos ad initium bonorum operum, atque etiam ad initium fidei admisisse necessitatem alicuius gratiae interioris, eosque ideo errasse, quod ad initium fidei et boni operis non eam gratiam necessariam dicerent, quae ab intrinseco efficax est, voluntatem ad bonum inclinat, et ex nolentibus volentes facit. — Sed gravissimi Theologi omnino negant, Semipelagianos ad initium fidei necessitatem gratiae interioris admisisse; nam *S. Augustinus* (1) de Semipelagianis expresse dicit: « fidem et incipere habere, et in ea usque ad finem permanere, tanquam id non a Domino accipiamus, nostrum esse contendunt. » *S. Prosper* (2) testatur, iuxta Semipelagianorum doctrinam, « vitam aeternam ab his apprehendi, qui Deo sponte crediderint et auxilium gratiae merito credulitatis acceperint. » *Bonifacius II* (3) ita de Semipelagianis loquitur: « Indicas, quod aliqui Episcopi Galliarum, cum caetera iam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantum, qua in Christum credimus, naturae esse velint, non gratiae. » Concilium *Arausicanum II*, canone 5 et 7, definit, initium fidei non esse in nobis *naturaliter*, et *per naturae vigorem*: igitur Semipelagiani, quos canones illi perstringunt, putabant primordia fidei ex vigore et nativa facultate arbitrii prodire. Damnata est ab *Innocentio X* sequens Iansenii propositio: « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare. » Prima pars huius propositionis reiicitur ut falsa, altera damnatur ut haeretica. Negandum ergo est, Semipelagianos praevenientis gratiae interioris necessitatem admisisse. De iisdem equidem *S. Prosper* testatur (4), quod haec ipsorum doctrina et professio est, « omnem hominem ad credendum et operandum divinis institutionibus admoneri, » et illos, qui Evangelium non audierunt, occulta alia revelatione admoneri debere. Quamvis autem ad credendum gratiam aliquam illuminationis necessariam dicerent; attamen non admiserunt, ut probat Cl. *Berti* (5), « ad initium fidei gra-

(1) L. de dono persev., c. 7, n. 14.
(2) In Epist. ad Augustin., n. 3.
(3) In Epist. ad Caesarium Arelat. data ineunte anno 530. (4) In Epist. ad Augustin.
(5) L. 15, c. 5.

tiam, quae, ad illuminationem mentis addit inspirationem dilectionis per subministrationem Spiritus sancti. » Et si haec distinctio rite attendatur, facile argumenta eorum enervantur, qui de doctrina Semipelagianorum aliter sentiendum esse putarunt. Nam ait Cl. *Perrone* (1): « Si secernatur gratia *illustrationis*, seu *intellectus*, quam tam Pelagiani, ut diximus, quam Semipelagiani admiserunt ad initium fidei, a gratia *inspirationis*, seu *voluntatis*, cuius necessitatem utrique pertinaciter inficiati sunt; si praeterea secernatur fidei initium a fide formali, quam Semipelagiani inter *opera* ipsa recensebant, et quibus eliciendis gratiae necessitatem agnoscebant, tollitur omnis amphibologia. » — Semipelagianismus ortus est *Massiliae* in Gallia circa annum 427, unde Semipelagiani etiam *Massilienses* dicti sunt. Praecipui huius haeresis defensores erant *Cassianus*, Abbas Monasterii S. Victoris Massiliae, *Gennadius*, Presbyter Massiliensis, *Faustus*, Regiensis Episcopus, *Hilarius*, Arelatensis Episcopus, et *Vincentius* (ut multi existimant) Lirinensis. — At extiterunt etiam, qui huic haeresi fortiter restiterunt. Sicuti enim contra Pelagianos, ita etiam contra Semipelagianos gloriosus in acie stetit *S. Augustinus*, cui veritatis defensores sese iunxerunt *S. Prosper*, *S. Fulgentius*, *Hilarius*, vir laicus quidem, in fide tamen egregie eruditus, et doctrinae S. Augustini addictissimus, *Ioan. Maxentius* cum monachis Scythis, *S. Coelestinus P.* qui obtrectatoribus S. Augustini silentium indixit, et praecipue *S. Caesarius*, Episcopus Arelatensis, qui id effecit, ut in Concilio *Arausicano II* haeresis Semipelagiana condemnata fuerit; atque huic Concilio accedente approbatione *Bonifacii II*, Rom. Pontificis, universus orbis catholicus subscripsit, sicque, profligato Semipelagianismo, veritas catholica triumphavit.

6. Pelagianis plane suffragantur *Sociniani*, omnisque supernaturalis gratiae interioris necessitatem inficiantur, ut patet ex *Catechismo Racoviensi*, cap. 6. Idem tradunt *Socinus* (2), *Ostorodus* (3), aliique, in id fere consentientes, operibus pietatis peragendis, remissioni peccatorum salutique obtinendae satis esse Evangelium eiusque praedicationem. Eundem fere errorem profitentur *Arminiani;* quamvis enim istorum Theologi, ut *Episcopius*, *Limborchius*, etc., gratiam ad principium, progressum et complementum omnis boni salutaris necessariam esse dicant, verbis tamen ludere videntur, quandoquidem gratiam interiorem a lege et doctrina exteriore nullatenus distinguunt. Ex *Lutheranis* quoque multi, a *Lutheri* doctrina penitus recedentes, Pelagianorum placita adoptarunt. Iam saeculo praeterlapso *Io. Semler* asserere veritus non est, *Augustinum* novatorem fuisse, *Pelagium* orthodoxum, hunc que recte Ss. Patribus adnumerari. *Car. Frid. Bardt*, referens opinionem recentissimorum inter Protestantes reformatorum, ait: « omnem gratiam Dei, scilicet omnia Dei beneficia esse *naturalia* dicunt, illuminationemque veram ex solo usu rationis provenire, quem Spiritum Dei et Christi esse contendunt. » *August. Eberhard* contendit, supernaturalis gratiae influxum nullo modo ex S. Scriptura probari posse, et hanc ad emendandum et perficiendum hominem non aliam viam nisi viam naturae commonstrare (4). *Kant* in Relig. intra termin. ration. scribit: « De

(1) De gratia, n. 69, not. 2.

(2) De Serva., p. 4, c. 9. (3) Instit., c. 34.
(4) V. Wiest tom. 6, § 8.

gratiae divinae operationibus nihil aliud scimus, nisi quod absolute dari possint, et forte ad supplendam in nostris exercendae virtutis conatibus imperfectionem etiam reapse dentur; caeterum autem notio supernaturalis auxilii divini transcendentalis idea est, de cuius realitate nulla sensuum experientia certi reddimur, et quae cum practica ratione componi non potest.» Ita generatim sentiunt *Rationalistae* omnes, inter quos nonnulli eousque progressi sunt, ut non solum cum Pelagianis gratiae supernaturalis necessitatem, sed etiam eius existentiam, imo et eius possibilitatem negarent, cuncta inter impossibilia et absurda reiicientes, quae sensibus suis haud percipere, aut obfuscata sua ratione non comprehendere valent.

II. *Aberrantes circa liberum hominis arbitrium.*

§ 406. Quemadmodum gravissime aberrant, qui necessitatem et efficaciam gratiae divinae negant, ut liberum hominis arbitrium servent: ita ab orthodoxa fide recedunt, qui libertatem arbitrii negant, ut necessitatem et efficaciam gratiae tueantur. Qui hunc errorem tenent, *Praedestinatiani* nominari solent, quoniam ex istorum systemate sequitur, in negotio salutis nihil viribus liberi arbitrii tribuendum, sed homines absoluto Dei decreto ad bonum, vel ad malum, ad gloriam, vel ad poenam *praedestinatos* esse. Doctrina haec non minus absona, quam impia, ex falso principio orta est, quo nonnulli contenderunt, per peccatum originale liberum arbitrium penitus extinctum esse, hominemque per concupiscentiam in statu naturae lapsae necessario in peccato trahi; atque ideo etiam gratiam hominibus lapsis a divino Redemptore partam talem esse, quae sola in homine mere passive se habenti omnem actum bonum perficiat, et humanae voluntati ineluctabilem necessitatem inferat.

1. Iam saeculo V sectam Praedestinatianorum extitisse, asserunt *Iac. Sirmondus*, *D. Petavius* (1) et alii: negant autem *Norisius, Cabassutius*, *L. Berti*, *Contensonius*, *Gazzaniga* et alii, qui putant, illos tantum, qui, duce S. *Augustino*, catholicam doctrinam profitebantur, a Semipelagianis odioso Praedestinatianorum nomine notatos fuisse. Constat enim, Semipelagianos per ea, quae *S. Augustinus* de necessitate gratiae etiam ad initium fidei scripserat, maxime turbatos et offensos fuisse; unde, teste *S. Prospero* (2), dicebant, per talem doctrinam « removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas praeveniat voluntates, et sub hoc *praedestinationis* nomine fatalem quandam induci necessitatem, aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse, quam factus est. » Et in epistola, quam idem *Prosper* scribit ad *Rufinum*, de iisdem Semipelagianis cap. 3 lamentatur: « Scripta (*S. Augustini*) quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes, eum liberum arbitrium penitus submovere, et sub gratiae nomine necessitatem praedicare fatalem: adiicientes etiam, duas illum humani generis massas, et duas credi velle naturas, ut scilicet tantae pietatis viro Paganorum et Manichaeorum adscribatur impietas. » Igitur a Semipelagianis tantum *S. Augustino* Praedestinatianismi errores afflicti fuerunt, a quibus tamen, ut inferius ostendetur, longissime remotus fuit.

(1) Lib. 13, de Incarn., c. 6 et c. 12.

(2) In Epist. ad Augustin.

Simili modo ab iis tantum, qui Semipelagiana lue infecti erant, *Florus* cum aliis monachis Adrumetinis in Africa de haeresi Praedestinatianorum accusatus fuit, a qua immunis erat: quod patet ex *S. Augustino* (1) sic scribente: « Propter eos, qui, cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari, scripsi librum, cui titulus est: *de gratia et libero arbitrio.* Ad eos autem scripsi monachos Adrumetinos, in quorum monasterio de hac re coeperat esse contentio. » Similia ergo moverunt contra doctrinam *S. Augustini* Adrumetini illi et Messalienses: at nullus dixerit, Messalienses errori Praedestinatiano favisse, a quo tantopere illi abhorrebant, ut non alia de causa doctrinam *S. Augustini* acrius insectarentur. Ergo etiam quidam ex Adrumetinis non Praedestinatianorum, sed Semipelagianorum erroribus addicti erant, quod confirmatur etiam ex eo, quia S. Doctor in libro citato, et in alio libro ad eosdem directo totus in eo est, ut probet, gratiam ad quemcumque actum bonum esse necessariam: procul dubio igitur illi huius gratiae necessitatem impugnabant, aut saltem impugnare videbantur: constat autem, Praedestinatianos nusquam huius gratiae necessitatem impugnasse. Quamvis autem Monachi Adrumetini a Praedestinatianismo recte excusentur, satis solida tamen argumenta probant, haeresin Praedestinatianam commentitiam non esse, nec fictitiam, ut placet *Iansenio* et eius apologistis; sed veram, saeculo quinto in Galliis a *Lucido* quodam Presbytero, et aliis nonnullis obscuri nominis propugnatam. — Sub finem enim quinti saeculi coacta est *Arelate* Synodus 30 Episcoporum, in qua *Lucidus* Presbyter huius haereseos est accusatus. Ad hunc *Faustus* Regiensis epistolam scripsit Synodi nomine. Ex libello autem, quod *Lucidus* Patribus obtulit, certo colligitur, nonnullos tum extitisse, qui de Praedestinatione extra fidei regulam sentiebant; nam *Lucidus*, qui in illo libello pristina sua dogmata damnat, inter alia anathema pronuntiat contra eum, « qui dicit, humanae obedientiae laborem divinae gratiae non esse iungendum; qui dicit, post primi hominis lapsum ex toto voluntatis arbitrium extinctum; qui dicit, quod Christus et Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit; qui dicit, quod praescientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate, qui pereunt etc. » — Equidem praeter Iansenium etiam nonnulli Theologi catholici, ut *Cabassutius, Lud. Thomassinus, Gazzaniga* etc. censent, cum *Lucidi* retractationem, tum duas Synodos Arelatensem et Lugdunensem *Fausti* Semipelagiani commenta fuisse, ut ita pestiferam suam doctrinam facilius incautis propinaret; sed veritatem praefatae historiae *Lucidi* solide propugnant *Natalis Alex.* (2), *Card. Norius* (3), *Card. Orsi* (4), *Petavius* (5), *Tournely* (6), et alii.

2. De Praedestinatianismo saec. IX accusatus est *Godeschalcus* nobilis Saxo, primum Coenobii Fuldensis, deinde Orbacensis apud Suessiones alumnus et presbyter, quem praefatae haeresis reum fuisse, gravia argu-

(1) Lib. 2, Retract., c. 66.
(2) Diss. 5 in saec. 5, prop. 3.
(3) L. 2, Hist. Pel., c. 15.
(4) L. 35, Hist. Eccl.
(5) L. 13, de Incarn., c. 7. (6) De Gratia Chr. q. 3, de Praedestinatianis.

menta probant. Nam *Rabanus Maurus* Archiepiscopus Moguntinus, anno 848 coacto Concilio, errores *Godeschalci* proscripsit, quem in epistola synodica, ad *Hincmarum* Archiepiscopum Rhemensem data, docuisse testatur, « quod praedestinatio Dei, sicut in bono, sit ita et in malo; et tales sint in hoc mundo quidam, qui propter praedestinationem Dei, quae eos cogat in mortem, non possunt ab errore et peccato se corrigere. » Iisdem, aut magis atris coloribus *Godeschalcum* depingit in epistola ad *Nicolaum I Hincmarus*, qui etiam (1) testatur, Godeschalcum idem sensisse, quod veteres Praedestinatiani senserunt docentes, « quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum, sive ad malum praedestinatio Dei in hominibus operetur: quoniam Deus tale in hominibus plasmet arbitrium, quale est daemonum, quod proprio motu nihil aliud quid possit velle, nisi malum. » Eosdem Praedestinatianismi errores in Godeschalco reprehendit *Amolo* Archiepiscopus Lugdunensis in epistola ad eundem data. Etiam in Concilio *Carisiaco*, anno 849 habito, non solum Godeschalci doctrina damnata fuit, sed etiam « inaudito irreligiositatis et crudelitatis exemplo tamdiu ille miserabilis flagris et caedibus trucidatus est, donec accenso coram se igne libellum, in quo sententias Scripturarum, sive Ss. Patrum collegerat, quas in concilio offerret, coactus est iam pene emoriens in flammas proiicere atque incendio concremare, » ut narrat *S. Remigius* Archiepiscopus Lugdunensis (2). — Anno 853 in altera *Carisiaca* Synodo *Godeschalcus* rursus damnatus fuit, atque contra ipsum quatuor capitula edita sunt, in quibus dicitur, quod una sit praedestinatio Dei, quod liberum arbitrium per gratiam sanetur, quod Deus omnes homines salvos fieri velit, et quod Christus pro omnibus hominibus passus sit. — Porro quantum attinet ad *Godeschalci* mores, omnibus fere persuasum est tum veteribus, tum recentioribus historicis, eum turbolentum, imprudentem et pervicacis ingenii fuisse. Ipsum autem Praedestinatiana haeresi vere infectum fuisse, non omnes admittunt. Quamplures enim putant, eundem ab *Hincmaro*, teste simul et iudice, inique condemnatum fuisse; ipse enim *Nicolaus I* R. P. « superbiam, dolositatem, crudelitatem et duritiam Pharaonis » *Hincmaro* exprobravit. A Praedestinatiana haeresi Godeschalcum immunem declararunt scriptores coaevi, doctrinae et pietatis laude celebres, ut *S. Prudentius*, Ep. Tricassinus, *Lupus Servatus*, *S. Remigius* et alii. Accedunt Concilia, quae integram Godeschalci fidem declararunt, ut *Valentinum* anno 855 ex tribus provinciis collectum, cuius decreta fuerunt anno 860 in altero concilio *Lingonensi*, et post 15 dies in *Tullensi* duodecim provinciarum probata, imo confirmata a *Nicolao I* R. P., ut testatur *S. Prudentius* (3) et Annales Bertiniani. Erasa tamen fuerat in Conciliis *Lingonensi* et *Tullensi* censura Concilii *Valentini* contra capitula Carisiaca, ut pax Ecclesiae restitueretur. — Nullatenus autem putandum est, illos, qui Godeschalcum orthodoxum declararunt, Praedestinatianismi errores approbasse; hos enim omnes condemnarunt. Ita *S. Remigius*, seu Ecclesia Lugdunensis in lib. de tribus Epist., cap. 3, quartam regulam proponens ait: « Mala vero opera eiusdem creaturae, quia ipsius tan-

(1) In l. de praedestin., c. 15.
(2) In lib. de tribus Epist., c. 25.
(3) Apud Hincmarum, Ep. 24.

tummodo sunt, et ex eius vitio, non ex Dei voluntate, vel operatione procedunt, praescita a Deo dici possunt, praedestinata non possunt; » et in capite sequenti ostendit, praedestinationem Dei nulli necessitatem imponere ad malum; et cap. 24 ait: « Quod vero (Godeschalcus) dixisse firmatur, ad male tantummodo agendum liberum nos habere arbitrium, ad bene vero agendum non habere: si vere ita sensit et dixit, hoc vere non est ex divina auctoritate sumptum, neque ex Ss. Patrum auctoritatibus tractum, sed aperte ex proprio errore prolatum. » Concilium vero *Valentinum*, can. 2, docet « nec prorsus ulli malo praescientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset; sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus *qui novit omnia antequam fiant*, praescit ex sua omnipotente et incommutabili maiestate; nec ex praeiudicio eius aliquem, sed ex merito propriae iniquitatis credimus condemnari; nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt. »

3. Sub saeculi XIV finem *Ioan. Wicleffus* Praedestinatianam haeresin ab inferis revocavit; nam inter alios eiusdem errores in Concilio *Constantiensi* etiam sequentes duae propositiones, quas haeresiarcha propugnaverat, damnatae sunt, nempe 26ta: « Oratio praesciti nulli valet, » et 27ma: « Omnia de absoluta necessitate eveniunt. » Porro a librorum Wicleffi lectione deceptus *Ioann. Huss* presbyter, in Pragensi Academia magister ac rector, et post illum *Hieronymus de Praga* laicus, in eadem Academia magister artium, eundem adversus liberum arbitrium renovarunt errorem; uterque proinde a Concilio Constantiensi damnatus. Praedecessores suos secuti sunt Novatores saeculi XVI, qui asseruerunt, liberum arbitrium per peccatum originale extinctum esse (v. §199, nota 1, et § 217). *Lutherus* iam anno 1517 thesin publice sustinendam exposuit his verbis conceptam: « Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et dum facit quod in se est, peccat mortaliter. » Anno 1519 celebrem habuit cum Ioanne Eckio disputationem, in qua, ut narrat *Utembergius* in vita Lutheri, primitus « actum est de gratia, libero arbitrio et bonis operibus; atque *Eckius* adversarium vel adduxit, vel adegit, ut, contra quod in thesibus asseruerat, libero arbitrio per gratiam excitato partes suas in bonis operibus exsequendis concederet. » Sed ad id confitendum non adductus, sed adactus revera fuit *Lutherus*. Nam post eam habitam disputationem, adversus *Erasmum* scripsit librum *de servo arbitrio*, in quo liberum arbitrium in homine penitus extinctum esse et ad nihil valere pluribus in locis pronunciat. Hoc idem sentit *Calvinus*, qui l. 2 Instit. (1), scribit: « Qui liberum arbitrium titulum sine re esse aiunt, Christum habent auctorem. » Docent porro novatores isti, per gratiam simplicem necessitatem, non vero coactionem voluntati nostrae inferri, ac dure increpant eos ex Catholicis, qui necessitatem cum coactione et violentia videntur confundere. Nam *Lutherus* in l. de servo arbitrio inquit: « Sequitur, nos necessario operari..... Necessario vero dico, non coacte, necessitate immutabilitatis, non coactionis.... pro natura voluntatis, quae si cogeretur, voluntas non esset; nam coactio potius est, ut sic dicam, voluntas. » Simili modo *Calvinus* l. 2, Instit. c. 2

(1) Cap. 8.

n. 7, ait: «Libèri ergo arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni aeque, ac mali electionem; sed quia mala voluntate agit, non coactione. » Et eod. lib., cap. 3, n. 5, inquit: «Porro quod libertate abdicata voluntatem dico necessitate in malum trahi, vel duci: mirum est, si cui videatur aspera locutio.... Offendit eos, qui inter necessitatem et coactionem distinguere nesciunt. » — Ex hac doctrina necessario inferendum erat, absoluto Dei decreto aliquos quidem homines ad bonum et ad gloriam praedestinari, alios vero reprobari, seu ad malum et ad damnationem destinari. De hoc gravissimo errore etiam *Lutherus* accusatur, praecipue autem illum *Calvinus* propugnavit; ait enim l. 3, Instit. (1): Deus « consilio nutuque ita suo ordinat, ut inter homines nascantur, ab utero certae morti devoti, qui suo exitio ipsius nomen glorificent.» Etiam *Theodorus Beza*, magistri sui vestigiis inhaerens (2), ait: «Deus reprobos odio habet nondum natos et nullo indignitatis respectu exitio destinavit. » Eadem doctrina passim apud primos *Calvini* discipulos invenitur. Pedetentim vero sicut *Lutherani* a doctrina *Lutheri*, ita et *Calviniani* a doctrina *Calvini* recesserunt, et hoc ipso recessu, se in magistrorum suorum doctrina errores deprehendisse, fassi sunt: et quomodo eos tanquam fidei reformatores venerari possunt? — quomodo a Deo missi et inspirati habendi sunt, qui in re gravissima turpissime aberrarunt? —

4. *Michaël Baius* saeculo XVI, magni vir ingenii magnaeque eruditionis, in Academia Lovaniensi floruit. A Rege catholico missus, Concilio Tridentino interfuit. Ast ut laxis quibusdam opinionibus, quae tunc temporis odio novarum haeresum invehebantur, sese opponeret, in contrarios errores prolapsus est, talem gratiam Dei statuens, quae omnem nostram libertatem et cooperationem tolleret. Idcirco *Pius V*, edita Bulla anno 1567, propositiones 79, ex operibus Baii desumptas, damnavit « ut respective haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et in pias aures offensiones immittentes. » Praedestinatianismum aperte produnt sequentes Baii propositiones: 39na « Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit: » 41 ma « Is libertatis modus, qui est a necessitate sub libertatis nomine, non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato: » 65ta « Nonnisi pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; et gratiae Christi iniuriam facit, qui ita sentit et docet: » 66ta « Sola violentia repugnat libertati hominis naturali: » 67ma « Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit. » — Damnatum se intelligens a summo Pontifice *Baius* conqueri coepit, quod aliae propositiones sibi adfingantur, aliae in sensum pravum detorqueantur, missa hanc in rem Romam apologia: receptis autem inde litteris damnatas propositiones mox eiuravit. Postea cum nonnulli Bullam *Pii V* suppositiam dicerent, *Gregorius XIII* confirmavit Bullam *Pii V*, et *Baius* denuo errores suos eiuravit, ac eos damnavit « secundum intentionem Bullae, et sicut Bulla eos damnat: » atque visa tanta *Baii* obedientia Card. Franc. *Toletus*, ea de causa Lovanium missus, exclamasse dicitur: « Nullus Michaële Baio doctior, nullus humilior. » — Caeterum *Baii* propositiones *in globo*, ut dicunt, damnatae sunt: haereticas inter ipsas inveniri,

(1) C. 23, n. 6 (2) In c. 9, Ep. ad Rom.

ex ipsa Pontificis censura et ex propositionibus iam citatis patet. Dantur autem etiam aliae propositiones, quae orthodoxum sensum admittunt, et solum damnatae sunt « in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento. » Ipsa enim Piana Constitutio in fine dicit: « Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, *quanquam nonnullae ali... pacto sustineri possent*, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento haereticas, erroneas etc. praesentium auctoritate damnamus. »— Falluntur autem illi, qui dicunt, comma non post verbum: *possent*, sed tantum post illa verba: *sensu ab assertoribus intento*, ponendum esse, ut a propositionibus Baii latam censuram avertant, innuentes eas in rigore, ac proprio verborum sensu a Baio et aliis intento, sustineri posse. Sed, scribit Cl. *Tournely* (1) de *M. Baio*: « Si ita est, ut fingunt illi, ergo S. Pontifex, 1) damnavit propositiones quas ipsemet fatetur sustineri posse. Quid vero absurdius et S. Pontifici iniuriosum magis fingi potest? 2) Ergo summus Pontifex propositiones illas non damnavit in proprio verborum sensu ab auctoribus intento, sed alieno et extraneo, qui nihil ad Baium pertinebat. Attamen ipse *Baius* suas esse propositiones agnovit, et ad meliorem mentem reversus earum censurae tandem se subiecit; 3) denique hic est Ecclesiae usus, haec praxis a qua procul dubio *Pius V* non recessit, ut cum aliquas libri, vel auctoris propositiones condemnat, eas in se ipsis absolute non consideret, sed relative ad mentem auctoris et sensum libri. Quia nempe in se ipsis spectatae nullam aliquando videntur mereri censuram, sed tantum respective, et ad mentem auctoris. » Et, paucis interiectis, addit: « Quanquam qui Baii propositiones tuentur, nihil in rei veritate solatii consequi possunt ex dicta clausula Bullae *S. Pii V* inserta, atque aequaliter premuntur, et causa sua cadunt, ubicunque tandem virgulam collocare placuerit, sive immediate post verbum: *possent*, sive post ista: *in sensu ab assertoribus intento*. Si prius: propositiones Baii damnatae sunt in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, tametsi aliunde rectum aliquem sensum admittere possent. Si posterius: non obstante recto illo sensu, quo donari illae possent etiam ad mentem auctorum, nihilominus damnatae fuerunt ob pravum alium, quem habent, sensum. Ergo quocunque se convertant adversarii, propositiones in Bulla *S. Pii V* notatas vindicare, et a censura eximere merito non possunt. »

5. *Cornelius Iansenius* Lovanii Theologiae professor, postea vero Episcopus *Iprensis*, Molinistarum doctrina de gratia Christi plus aequo offensus, magno studio per annos viginti duos opus elucubravit, quod genuinam *Augustini* mentem de gratia exprimeret. Cui operi insigne titulum praefixit: « *Augustinus*, seu doctrina *S. Augustini* de humanae naturae sanitate, aegritudine, medicina adversus Pelagianos et Massilienses, » ut scilicet praeseferret, nihil aliud eo contineri, quam puram et defaecatam *S. Augustini* doctrinam. Peste infectis dum sacramenta administraret, lue contracta, ipse occubuit anno 1638, testamento relicto, quo et pauperes haeredes instituit, et sanxit, ut praefatus liber, iam praelo maturus, typis ederetur cura *Liberti Fromondi* et *Henrici Caleni*, Doctorum Lovaniensium, additis verbis, se omnia subiicere iudicio Ecclesiae; scripsit enim:

(1) De Grat. Chr., q. 3.

« Si Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiae, in qua semper vixi usque ad hunc lectum mortis, obediens sum. Ita mea postrema voluntas est. » Quam tamen supremam Iansenii voluntatem minime curarunt operis editores, cum illud, inconsulta S. Romana Sede, publici iuris fecerint. Prodiit opus *Lovanii* 1640, *Rhotomagi* et *Parisiis* 1641. — Ast, iam cum in edendo Augustino Iansenii praelum Lovaniense insudaret, singula folia recenter impressa Romam ad examen transmittebantur. Unde factum est, ut opus vix editum in lucem, et Pontifici dicatum, ab Urbano VIII, data Constitutione, cuius initium est: *In eminenti*, damnatum fuerit anno 1641, gemina potissimum de causa: 1° quia liber is editus fuerat contra *Pauli V* decretum, de non promulgandis ullis circa materiam de auxiliis divinae gratiae libris; 2° quia in eo libro multae propositiones Michaëlis Baii renovabantur *a Pio V* et *Gregorio XIII* iam proscriptae, quorum Constitutiones Apostolica auctoritate confirmavit, et approbavit in eadem Bulla *Urbanus VIII*. — Hac Pontificis Constitutione contentiones adeo sopitae non sunt, ut in Belgio, et praecipue in Gallia vehementius exarserint. Iansenii fautores clamitarunt, in libro *Iansenii* ipsam *S. Augustini* doctrinam damnari, et ab *Urbano VIII* petierunt, ut Bullam suam revocaret, aut mitigaret, quod autem obtinere minime potuerunt. Mox liber *Iansenii*, agente praecipue *Isaaco Haberto* Vabrensi Episcopo, serius examinari coepit, et quinque ex eo propositiones excerptae fuerunt, quae novam praedicti libri doctrinam quodam veluti compendio continerent. Propositiones istas 85 Episcopi Galliae tanquam atrocis discordiae segetem, anno 1650 solemni Epistola *Isaaci Haberti* manu exarata, et reliquorum nominibus subscripta, ad *Innocentium X* detulerunt tanquam causam maioris momenti, enixe flagitantes, ut de unaquaque certam atque perspicuam sententiam ferret. Acceptis his litteris *Innocentius X* voluit, ut liber *Iansenii* diligentissimo examini subiiciatur, et praecipue de quinque propositionibus, quas ex illo Galliae Episcopi excerpserant, accuratum iudicium feratur: ad quod gravissimum negotium pertractandum probatissimorum Cardinalium Congregationem instituit, quibus alii ex variis religiosis familiis additi fuerunt doctrina excellentes viri, nempe duo Dominicani, duo Augustiniani, duo Minores, duo Carmelitae, duo Theatini, unus Servita, unus Iesuita, et unus Capucinus. Tandem celebratis duorum annorum spatio triginta sex Congregationibus, sive Sessionibus, quarum decem postremis per quatuor semper horas protractis Pontifex ipse summa patientia et voluptate interfuit, praemissa diligentia, qua maior desiderari non potest, indictis praeterea publicis privatisque precibus, et implorata ope divini Spiritus, anno 1653, *Innocentius X* Constitutionem edidit, cuius initium est: *Cum occasione* etc., et in qua quinque propositiones, a Galliae Episcopis Pontificis iudicio subiectae, damnantur his verbis: *Primam* praedictarum propositionum: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant; » *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.* — *Secundam:* « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resisti-

tur; » *haereticam declaramus, et ut talem damnamus.* — *Tertiam:* « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione; » *haereticam declaramus, et uti talem damnamus.* — *Quartam:* « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei. Et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare; » *falsam, et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.* — *Quintam:* « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; » *falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.* — In propositionibus allatis libertatem indifferentiae in actibus hominis meralibus negari, putidumque Praedestinatianismum contineri, satis manifestum est. Merito igitur *Innocentii X* Constitutionem « totus orbis catholicus » magno adplausu recepit, et nullus amplius ausus est damnatas propositiones palam docere et defendere. Ast Ianseniani, pontificio fulmine prostrati, mox collectis animis et consiliis, famosam facti et iuris distinctionem excogitarunt, negaruntque, praefatas quinque propositiones esse Iansenii, sat temerario, et iniquo modo contendentes, librum Iansenii a romanis censoribus aut non debito modo examinatum, aut non rite intellectum fuisse; ex quo intulerunt, propositiones non fuisse damnatas in sensu a Iansenio intento, quas idcirco in eodem sensu tenere et propugnare non cessarunt, Pontificis Constitutionem variis tergiversationibus effugere studentes. Cum autem Clerus Gallicanus post novum examen declarasset, propositiones in libro Iansenii extare et in proprio verborum sensu, atque eo ipso, quo a Iansenio asseruntur, damnatas esse, *Innocentius X* hanc declarationem per Breve Apostolicum confirmavit. Paullo post, ut omne effugium praecluderetur haeresi, Innocentii successor *Alexander VII*, anno 1656, edita Constitutione, declaravit: « Quinque illas propositiones ex Iansenii libris extractas esse damnatas in sensu ab auctore intento, » praecepitque, ut omnibus Clericis formula fidei subscribenda proponeretur, qua iurarent, se adhaerere Constitutionibus *Innocentii X* et *Alexandri VII*, et quinque propositiones ex libro Iansenii excerptas in sensu ab auctore intento sincero animo damnare. — Verum nihil frangere potuit illorum, qui Iansenio adhaerebant, pertinaciam. Alii aperta fronte repugnarunt, asserentes formulare sine periurio subscribi non posse; inter hos praecipuus erat *Ant. Arnaldus*, qui ob suam in errore obstinationem a facultate Parisiensi e numero Doctorum expunctus est. Alii, qui molliores vocabantur, subscriptionem dederunt, non veritatem, sed erroris latibula quaerentes. Mirum, quot flexus et obliquos meatus invenerint rigidi illi restrictionum mentalium oppugnatores! Inter haec dissidia magis semper apud eos invaluit illa sententia, quod in quaestione facti *religiosum silentium* sufficeret. Id inter alios asseruerunt in Gallia quatuor Episcopi in suis pro subscriptione formularis, publicis mandatis, quod eos apud Pontificem et Regem in magnam invidiam vocavit.

Nihil ergo omiserunt, ut, fictis fraudulentisque obsequii testificationibus, impendens sibi periculum declinarent; eoque tandem res pervenit, ut *Clemens IX*, qui Alexandro successerat, non iam obsequiosum silentium sufficiens declarans, sed illorum Episcoporum, eorumque, qui pacis mediatores agebant testimoniis fidens, benevolentiam illis ac paternum affectum restituerit. Haec est celebris illa *pax Clementina*, qua mire gloriati sunt Ianseniani. Sed falso omnino; nam cum anno 1702, attrito fere religiosi silentii figmento, famosus *casus conscientiae* prodiret, in quo statuitur, absolutionem denegandam non esse Clerico declaranti se damnare quinque propositiones quoad ius, sed quantum ad factum, seu attributionem illarum quinque propositionum libro Ianseni, existimare se religiosum sufficere silentium; *Clemens XI*, anno 1705, solemnem Constitutionem edidit, quae incipit: *Vineam Domini Sabaoth*, in qua Constitutiones *Innocentii X* et *Alexandri VII* confirmat, *Clementis IX*, sicut et *Innocentii XII*, Brevia quaedam ad Episcopos Belgii data a falsis interpretationibus vindicat, doctrinam in casu conscientiae expressam damnat atque declarat, « obsequioso illo silentio minime satisfieri obedientiae, quae prae insertis Constitutionibus debetur. Sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Iansenii libri sensum, quem illarum verba praeseferunt, ut praefertur, ab omnibus Christi fidelibus ut haereticum non ore solum, sed et corde reiici ac damnari debere; nec alia mente, animo, aut credulitate supradictae formulae subscribi licite posse. » Hanc Constitutionem Clerus Gallicanus eodem, quo data erat anno, in comitiis generalibus solemniter recepit; cui suffragati sunt caeteri Ecclesiae universalis Episcopi.—Praetereundum denique non est, etiam inter eos qui doctrinam Iansenii strenue impugnabant, nonnullos iustos aequitatis limites transiliisse, atque viros omnino catholice sentientes de Iansenismo falso accusasse. Cui inordinationi ut obviaret, *Innocentius XII*, in Constitutione anno 1694 ad Belgii Episcopos data, inter alia dicit: « Caeterum ad praecavendas omnes dissidiorum causas, quae christianam pacem dilacerant... iniungimus, ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatione et invidioso nomine Iansenismi traduci, aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse constiterit, aliquam ex his propositionibus (scilicet damnatis) docuisse aut tenuisse. » Quibus verbis citatis Cl. *Petr. Gazzaniga* (1) subiungit: « Hac de causa eos, qui famosas propositiones, ubicunque inveniantur, sincere se damnare profitebantur, et solum eas in Iansenio reperiri negabant; ego Ianseniano nomine proprie infamari non posse censco, nisi aliis de causis Iansenianae haereseos tuendae fundatam praebeant *suspicionem*. Nam hi soli ex allata *Innocentii* Constitutione *Ianseniani* proprie vocari possunt. » — Legendus est de Iansenismo *Hon. Tournely* (2), qui nonnullis quidem suspectus est, sed ab aliis merito laudatur et commendatur, quia Iansenii fata et doctrinam clare enucleat, et quomodo ab hac doctrina Thomistarum et Augustinianorum differat, accurate exponit.

6. Inter Iansenii sectatores praecipuos nominandus est *Paschasius Quesnellius*, qui, Parisiis natus anno 1634, Congregationi Sacerdotum a *Card. Berullio* erectae nomen dedit: eam

(1) De Grat., p. 1, diss. 3, c. 5, n. 74.

(2) De Grat. Chr., c. 3.

tamen deserere maluit, quam formulario doctrinae in eiusdem Congregationis comitiis constituto subscribere. Primo in Hollandiam, dein in Belgium se recepit, et Bruxellis diu vixit cum *Ant. Arnaldo*. Anno 1703 *ab Humberto*, Archiepiscopo Mechliniensi, in carcerem coniectus est, sed amicorum ope pariete carceris effracto, in Hollandiam migravit, et octogenario maior mortuus est anno 1719. — Plures libros evulgavit; sed ille prae caeteris famosus fuit, cui titulus est: *Reflexiones morales in novum Testamentum*. Liber iste, cum non tam tractatus dogmatici, quam potius ascetici speciem praeferret, sine sufficiente examine primum a pluribus censoribus approbatus diligenterque conquisitus fuit. Ipse magnus *Bossuetus* istarum reflexionum moralium in N. T. iustificationem scripsisse dicebatur; sed Cl. *Languet*, Episc. Senon., ostendit (1), hoc Bossueti opus suppositicium esse. Pedetentim autem sagaciores Theologi et Episcopi agnoverunt, in Quesnellii opere Iansenianum virus summa calliditate inspersum latere. Causa ad Apostolicam Sedem delata, *Clemens XI*, anno 1708, praefatum librum proscripsit. Idem etiam *Clemens XI*, anno 1713, solemnem edidit Constitutionem, quae incipit: *Unigenitus Filius Dei*, in qua propositiones centum et unam ex eodem libro excerptas variis censuris *in globo et respective* perstrinxit, maxime propter Iansenii haeresin in iis instauratam. Celebrem hanc Bullam ab universa Ecclesia acceptatam, et ut regulam fidei summo honore habendam esse, iam alibi (§ 24, n. 3) dictum est. Extiterunt quidem, qui aliter senserant, et saltem negaverant, praedictam Constitutionem ut regulam fidei habendam esse. Imo Imperator *Iosephus II*, decreto anno 1781 edito, sanxit, ut de Bulla: *Unigenitus*, in scholis silentium observaretur, et respectu propositionum in ea contentarum neque *pro*, neque *contra* disputaretur ad lites praecavendas, et pacem conservandam. Cum vero Hungariae Episcopi, Viennae in Austria, adveniente summo Pontifice *Pio VI*, ab eodem quaererent: « Quid circa dispositionem caesareo regiam intuitu Bullae *Unigenitus* agendum sit, » anno 1782, die 23 aprilis, Papa respondit: « Oportere tradi Bullam *Unigenitus* in scholis, et quidem non *historice*, sed *dogmatice;* qualis enim Theologus, qui Bullam: *Unigenitus* » nescit? nec tamen necesse est, ut de hac fiant disputationes publicae, proinde fieri posse, ut mandatum caesareum publicetur cum declaratione, voluntatem regiam tendere ad impediendas omnes controversias. » Porro cum Episcopus Brixinensis in Tirolo *Iosephus* ex comitibus de *Spaur* in litteris encyclicis ad Clerum supra relatum mandatum caesareum anno 1781, promulgasse, Pius VI, eodem anno contra has litteras encyclicas apostolicum Breve edidit, in quo praedictum Episcopum ita instruit: « Neque tuam, neque sane ullius catholici Episcopi prudentiam fugere potest, Bullam « *Unigenitus* » a *S. P. Clemente XI*, primum editam, ab eius in S. Sede successoribus saepe confirmatam, universali Ecclesiarum, cum plurimarum expresso, tum aliarum tacito saltem consensu receptam esse, eamque dogmaticum ac irreformabile S. Sedis iudicium continere, cui nemo queat obedientiam detrectare. — Dum in globo et respective damnantur propositiones, novit quisque fidelis, eas esse perniciosas, fidei nocivas, quod sufficit, ut eas aversetur, nec ullam ex eis admittat. » Cum hoc Breve Bri-

(1) In V. Docum. Pastor., P. 2.

xinam pervenisset, supra memoratae litterae encyclicae ex Protocollo Consistorii Brixinensis deletae sunt, et Cels. Episcopus novis litteris encyclicis declaravit, se Bullam debite venerari, et in prioribus litteris abusum tantum damnare voluisse (1).

Nota 1. Ut recte intelligatur, quo in sensu propositiones tum *Iansenii*, tum praecipue *Quesnellianae* damnatae, et quinam errores, catholicae fidei repugnantes, vitandi, et in tractatu de gratia refellendi sunt; iuvat principia praemittere, quibus integrum systema *Iansenii* innititur. *a*) Iuxta *Iansenium* homini in statu naturae integrae constituto gratiae ab eius voluntate dependentes ad recte agendum sufficientes erant: ast quoniam per peccatum originale liberum arbitrium extinctum, et natura humana per concupiscentiam penitus corrupta, et nonnisi ad malum habilis et prona facta est; homini in hoc statu naturae lapsae ad recte agendum necessariae sunt gratiae efficaces voluntati humanae absolute dominantes. *b*) Nam, ait *Iansenius*, nihil modo velle, nihilque agere possumus sive boni, sive mali, nisi praevia aliqua delectatione voluntas nostra ad volendum faciendumque excitetur. Duplex autem est delectatio, quae nos ad operandum movet, terrena et coelestis: prima sollicitatur voluntas nostra ad volendum, quod iniustum est; secunda, ad volendum faciendumque quod est iustum. Quidquid ergo modo operamur, vel a terrena, vel a coelesti indeliberata delectatione, voluntatem nostram ad volendum faciendumque excitante et movente, necessario proficiscitur. *c*) Delectatio terrena ex cupiditate seu concupiscentia, delectatio autem coelestis ex gratia divina oritur. Haec gratia efficax ex mente Iansenii est ipsa delectatio spiritualis, seu motus indeliberatus delectationis coelestis, quae nos necessario movet ad bonum, sicut cupiditas est motus indeliberatus, quae nos movet necessario ad malum. *d*) Ubi delectatio coelestis est aliquo gradu superior cupiditate, seu delectatione terrena, gratia fit victrix, et nos ad bonum necessario rapit, sicut in apposita hypothesi cupiditas nos necessario rapit ad malum: quod Iansenius deducit ex eo, quia quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est; paritate sumpta a bilance, quae pro quantitate ponderis movetur. Quippe secundum Iansenium delectationes se habent instar duorum ponderum, voluntas vero se habet instar librae duas habentis lances, quarum uni semper inest pondus suum, nempe terrena delectatio, a qua proinde tamdiu voluntas ad res terrenas depressa insuperabiliter tenetur, quamdiu alteri lanci non advenit pondus alterum aut *maius* aut saltem *aequale*. Si advenit *aequale*, libra seu voluntas reddit aequilibrium, et in aequilibrio insuperabiliter manet, quamdiu lancibus incumbunt aequalia pondera. Si advenit *maius*, libra, seu voluntas in aliam partem insuperabiliter inclinatur versus spiritualia et coelestia. Quod si advenit *minus* insufficienti adeoque irrito conatu tentat in suam partem inclinare libram, seu voluntatem, quae proinde in partem adversam insuperabiliter inclinata manet versus terrena et turpia, donec minori ponderi addatur novum pondus, cuius additione potentius evadat adverso pondere. *e*) Impossibile est, ut is male agat, in quo delectatio coelestis terrenam, et vicissim, ut is operetur bonum, in quo delectatio terrena intensive excedit. Quapropter in omni actu suo voluntas

(1) V. Wiest, tom. 6, § 13, in nota prima.

necessario peccat, nisi tanta gratiae delectatio in illa fuerit, quae terrenam cupiditatem, qua deorsum indesinenter premitur, intensive excedat: quodsi gratia efficax, seu coelestis delectatio superior et relative victrix in voluntate fuerit, necessario haec bene agit. *f)* Libertatem vero per id salvam esse putat *Iansenius*, quod libertas sit ipsa voluntas, quae eo ipso, quod velit, libera est, et libertati sola obsit coactio, non vero necessitas: hanc porro distinguit in immutabilem, seu fixam et in mutabilem; prioris nomine intelligit eam necessitatem, quae in nullis circumstantiis superari potest, et per istam tolli libertatem fatetur Iansenius; per posteriorem intelligit eam necessitatem, quae absolute quidem vinci potest, non tamen relative in his vel illis circumstantiis; et hanc, quam in quolibet actu ob alterutram delectationem superiorem, seu relative victricem adesse admittit, libertati non opponi contendit, quia remanet immunitas a coactione ad merendum, vel demerendum sufficiens. *g)* In his iam principiis quinque Iansenii propositiones damnatae continentur, vel ex iis tanquam corollaria fluunt, uti etiam aliae in *Baio*, et *Quesnellio* damnatae, e. g. infideles in omni opere peccare; indeliberatos concupiscentiae motus esse peccata; peccatorem non esse liberum, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris etc. (1).

Nota 2. Ex allata historia cognoscimus, homines ingenio suo nimium fidentes circa doctrinam de gratia Christi et libero hominis arbitrio facile aberrare, et heterodoxa hac in re placita subtile et secretum virus esse, quod facile sese insinuat etiam in pios et doctos animos, nisi ab eo sese vigilantissima sollicitudine tueantur. Scimus enim hac in re deceptos fuisse non tantum rudes quosdam ingenio, vel morum licentia perditos homines, sed et viros doctrina et probitate vitae praeclaros. Ut enim *Origenem* summi ingenii hominem praetereamus, ipse *Pelagius* Monachus erat olim sanctimoniae ac religionis fama percelebris, quem et *S. Augustinus* aliquando «sanctum, bonum ac praedicandum virum» appellavit. *Coelestius* a *S. Augustino* «acerrimi ingenii homo» dictus, ex monasterio tres epistolas ad parentes suos scripsit, pietatis et eruditionis plenas. *Iulianus* olim *Augustino* carissimus fuit ob egregiam indolem, quam praeseferebat, maxime vero propter eloquentiam et perpolitam dicendi rationem, ab Innocentio P. ideo ad Episcopatum Ecclanensem promotus. *Semipelagianismi* defensores viri erant, ingenio, doctrina, pietate praestantes. *Baio* quoque, *Iansenio*, *Arnaldo*, *Quesnellio* etc. acre ingenium non modica eruditione adornatum denegari nequit; iidemque magnam vitae austeritatem, strenuum pro catholicae doctrinae puritate zelum, et eximiam morum probitatem praeseferre videbantur. Talium virorum lapsus nobis cum Apostolo acclamant: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat* (2). Magna igitur circumspectione ac spiritus humilitate opus est, dum de gratia Christi, eiusque cum libero hominis arbitrio nexu disseritur, qui cum ad mysteria recte referatur, plene et perfecte a nobis perspici nequit. Non ergo nimium hac in re humanis ratiociniis indulgendum, sed divinae Revelationi et Ecclesiae definitionibus stricte insistendum, ac pro certo tenendum est, omnes, quae his adversantur, conclusiones, utut certae videantur, spurias esse et ex falsis principiis deductas.

(1) Cf. Tournely l. c.; P. Fortunati a Brixia C. Iansenii systema.; Cl. Wiest t. 6, § 12, nota 3.
(2) 1 Cor. 10, 12.

CAPUT II.

DE NECESSITATE GRATIAE ACTUALIS

§ 407. Ut gravissimus de necessitate gratiae actualis tractatus recte suscipiatur, praemonere quaedam oportet, in hac doctrina perpetuo ante oculos habenda.

1. Doctrina de necessitate gratiae intimo nexu cohaeret cum dogmatibus de peccato originali eiusque tristissimis effectibus. Quapropter sicut alii effectus istos aut penitus negant, aut valde adtenuant, alii vero nimium exaggerant; ita etiam, dum de necessitate gratiae agitur, duplicis generis aberrantes occurrunt. Nonnulli liberum arbitrium ita extollunt, ut vel cum Pelagianis asserant, humanam naturam nulla originali labe vitiatam medici auxilio haud indigere, sed hominem propriis viribus bene agere, et salutem suam operari posse, vel cum Semipelagianis contendant, hominem noxam quidem aliquam ex protoparentibus contraxisse, sed nihilominus ad fidem concipiendam et ad perseverandum in bono naturales eiusdem vires sufficere. Alii contra per peccatum originale penitus perditum et pessum datum esse liberum arbitrium clamitant, atque ex eo inferunt, malum esse et vitiosae cupiditatis veneno infectum, quidquid non potentiore supernae gratiae virtute in mente nostra exprimitur. Inter has contrarias sententias medium tenet doctrina catholica, quae credendum proponit, per peccatum originale attenuatum quidem esse liberum arbitrium, sed non penitus extinctum (§ 216 et 217); ideoque mansisse in nobis scintillas pristini luminis bonarumque affectionum, et quaedam honestatis et bonitatis moralis semina: at quidquid supernaturalis vitae est, ex Christi merito fluere: neque agere, aut velle quidquam nos posse, quod ad pietatem et salutem pertineat, sine gratiae supernaturalis auxilio.

2. Observandum praeterea est, sicut verum, ita et bonum duplicis esse ordinis. Datur enim verum naturalis ordinis, cuius notitia mentis humanae viribus accommodata est: datur et supernaturale, quod sicut naturae ordinem, ita et naturales intellectus vires excedit. — Iterum bonum aliud mere morale est, cui naturalis tantum rectitudo inest, et honestas: aliud supernaturalis ordinis est, quod ad aeternam hominis salutem dirigitur.

3. Sicuti doctrina de propagatione peccati originalis inter veri nominis mysteria referenda est; ita etiam doctrinam de necessitate gratiae, quam Christus lapsae humanae naturae Reparator nobis promeritus est (§ 377), ex sola divina revelatione recte cognoscere, et accurate determinare licet. Quamobrem in praesenti tractatione non humanis ratiociniis indulgendum, sed S. Scripturae effatis, Ss. Patrum testimoniis, et Rom. Pontificum ac conciliorum definitionibus fideliter insistendum, et ab iisdem ne latum unguem deflectendum est. Hanc regulam secuti errores vitabimus, in quos multi incaute prolapsi sunt. Necesse igitur est ad duos, qui minitantur, scopulos declinandos, ut, Ecclesia duce iuxta divinae revelationis doctrinam: 1° *necessitatis gratiae actualis ambitum* ostendamus, et 2° *eiusdem necessitatis limites* assignemus, ut iuxta certa principia cognita, 3° *etiam varias quaestiones* solvere possimus, quae hac de re a Theologis proponi solent.

ARTICULUS I.

Necessitatis gratiae actualis ambitus.

§ 408. Mirum non est, necessitatem gratiae supernaturalis a multis

aut penitus ignoratam, aut temere impugnatam fuisse. Ex ipso enim peccato originali enatus est effraenis propriae excellentiae amor, quo fit, ut homo, licet calamitatum pondere undique opprimatur, sibi tamen magnus videri velit et ad omnia sufficiens: qua inordinata mentis arrogantia capitur maxima mortalium pars, ac vel ipsi non raro illaqueantur, qui perfectioris vitae rationem sequuntur, nisi vigilem curam adhibeant; maxime cum perversa ista praesumptio ex intimo quodam animi nostri sensu nutrimentum ac vires accipiat. Quilibet enim in seipso experitur, se velle, se agere pro nutu voluntatis suae; quo sane nihil verius est, cum nos ipsi libere velimus et operemur. At proprio sui amore deceptus homo eo animi sensu abutitur, eoque rapitur ad iudicandum, se unum esse actionum suarum dominum, nulliusque indigere, ut recte velit et salutariter operetur. Ast temerariam hanc spiritus superbiam retundit revelata de necessitate gratiae actualis doctrina. Nam dogma catholicum contra Pelagianos definitum est, *ad omnes et singulos actus salutares necessariam esse gratiam actualem:* dogma pariter contra Semipelagianos declaratum est, *gratiam actualem interiorem tum ad fidem, tum ad fidei initium necessariam esse:* dogma denique contra eosdem definitum est, *hominem iustificatum sine speciali Dei auxilio in accepta iustitia perseverare non posse.*

1. *Ad omnes, et singulos actus salutares necessaria est gratia actualis.*

§ 409. Actus salutaris dicitur, qui ad salutem, seu felicitatem supernaturalem, ad quam a Deo conditi sumus (§ 202), conducit, eamque promovet. Sed ad actum eiusmodi actualem gratiam divinam, id est, benignam Dei in anima nostra operationem, qua mens illustratur et voluntas divinitus movetur, plane necessariam esse, *ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus, ex Conciliis* et *ex ratione theologica* probatur.

1. *S. Scriptura V. T.* haud obscura pro doctrina de necessitate gratiae testimonia refert. Imo recte dici potest, hanc de gratia doctrinam totius veteris Testamenti finem ac scopum praecipuum fuisse. Huc enim illud tendit, cum nobis aperit nostrae infirmitatis originem ac profundum animae vulnus, quod ex praevaricatione primi parentis accepimus, cumque praenunciat Messiam futurum, qui solus poterat prostratis nostris rebus gratia sua succurrere: quo sane singula referuntur, quae in antiquo Foedere non solum dicta, sed etiam gesta sunt. Accedit, post Adae praevaricationem Deum eo consilio res humanas ordinasse, ut homines velut manu tangerent divinae gratiae necessitatem. Ut enim animadvertunt Ss. Ecclesiae Patres, maxime vero *S. Augustinus*, Deus humanum genus diu primum reliquit sub lege naturae, ut homines suo experimento dignoscerent, quam obscuratum esset ob peccatum originis lumen illud naturale singulis impressum, quamque enormiter abuterentur eo lumine ad turpissimos quosque errores procudendos, ut cum viderent se in summa rerum divinarum ignoratione versari, propria miseria commoti, misericordiae illuminantis necessitatem vel inviti confiterentur. Tunc dedit Dominus legem suam, praecepitque Moysi, ut eam proponeret Iudaeorum populo, qui respondit: *Cuncta, quae locutus est Dominus, faciemus* (1); putans scilicet, viribus suis naturalibus implere se posse praecepta, quae mandaverat

(1) Ex. 19, 8.

Deus, qui propterea legem quidem dedit, sed temere de se praesumentibus (1) gratiam, qua lex impleretur, non contulit, secundum illud : *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures, quae possunt audire usque in praesentem diem* (2). Hinc sub ipsa Dei lege Iudaeorum populus superbe fidens de viribus suis, praevaricator extitit, ut sic disceret propriae voluntatis infirmitatem, ac sese converteret ad futurum Liberatorem, eamque gratiam, quam passione sua promeriturus erat ille humano generi, expeteret et invocaret, ut, ea adiuvante, iustitiam assequeretur, quam noverat esse non posse per naturam ac legem. Hanc Ss. Patrum doctrinam sic exponit *S. Thomas* (3) dicens : « Primo oportuit, quod homo relinqueretur sibi in statu veteris legis, ut in peccatum cadendo suam infirmitatem cognoscens recognosceret, se gratia indigere. Et hanc rationem assignat Apostolus dicens : *Lex subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia* » (4). — Extiterunt quoque in V. T. qui infirmitatem suam et necessitatem gratiae agnoscentes, hanc humilibus precibus a Deo expeterent. Huc spectant verba Psalmistae rogantis : *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam* (5), etc. Similes precationes frequentes sunt in Psalmis, et ostendunt, ab hominibus divinum auxilium implorandum esse, quo intellectus eorum illustretur, et voluntas ad bonum moveatur. Auctor libri Sap. VIII, 21 ait : *Ut scivi, quoniam aliter non possem continens esse, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae scire, cuius esset hoc donum, adii Dominum et deprecatus sum illum;* quibus verbis divini necessitatem auxilii ad virtutem continentiae conservandam clare profitetur. — Eccli. I, 22 etc. haec leguntur : *Corona sapientiae timor Domini, replens pacem et salutis fructum : et vidit et dinumeravit eam : utraque autem sunt dona Dei :* quod si pax, et salutis fructus sunt dona Dei, homo propriis tantum viribus sibi istos comparare nequit. Is. XXVI, 12 dicitur : *Domine, dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis:* pax autem, quam Propheta promittit, rectos iustitiae sensus et actus bonos supponit; isti vero operationi divinae adscribuntur. Ieremias X, 23 ait: *Scio, Domine, quia non est hominis via eius: nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos :* necessaria est ergo homini gratia, ut recte ambulet, et in viam iustitiae ac salutis dirigat gressus suos. Daniel II, 20 etc. exclamat : *Sit nomen Domini benedictum a saeculo, et usque in saeculum, quia sapientia, et fortitudo eius sunt. Et ipse... dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam... Tibi, Deus patrum nostrorum confiteor, teque laudo, quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi.* Ita iam Prophetae V. T. spiritualia, quae ad salutem referuntur, bona, non propriis viribus, sed gratiae divinae adscribenda esse, cognoverunt.

2. *S. Scriptura N. T.* necessitatem gratiae clarissimis verbis adseverat. Christus ipse ait : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in*

(1) Iudith 6, 15. (2) Deut. 29, 4.
(3) 1 2, q. 106, a. 3. (4) Rom. 5, 20.
(5) Ps. 118, v. 37 etc.

eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere (1). Christus hic loquitur ut Redemptor de fructibus spiritualibus, seu de operibus salutaribus, quae ab hominibus per gratiam, quam ipse promeruit et communicat, perfici possunt: ad quemlibet autem talem actum gratiam suam necessariam declarat; nam, ut optime observat *S. Augustinus* (2), Christus « non ait; quia *sine me* parum potestis facere, sed: *nihil potestis facere.* Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. » Quare nisi iugiter Christus gratia sua praesto sit, nihil omnino homo ex se potest aut cogitare, aut velle, aut operari, quod salutare sit. — S. Paulus necessitatem gratiae ex miserrimo statu probat, quem homo per peccatum incurrit: ideo Rom. III, 24 inquit: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei: iustificati gratis per gratiam ipsius; per redemptionem, quae est in Christo Iesu:* homines nempe, per peccatum corrupti, et ad bonum supernaturale impotes facti, ut a miseria sua liberentur et actus salutares ponant, gratia indigent, quam ipsis divinus Redemptor promeritus est. II Cor. III, 5 idem Apostolus scribit: *Non quod sufficientes simus, cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est:* quodsi propriis viribus nihil boni, quod salutem promoveat, cogitare possumus, multo minus illud perficere valemus; sed omnis nostra ad bene cogitandum et bene agendum sufficientia ex Deo est, eiusque supernaturali auxilio adscribi debet. Ephes. II, 10 legitur: *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus;* quibus verbis fideles iustificati dicuntur Dei *factura,* non tantum secundum esse naturae, sed etiam secundum esse gratiae, per quam efficiuntur nova creatura: dicuntur *creati in Christo Iesu,* id est, per meritum Christi, a quo manat quidquid Deus nobis confert gratiae: dicuntur demum *creati in bonis operibus,* quae autem non propriis eorum viribus, sed gratiae divinae adscribuntur, quoniam *praeparavit ea Deus* decernendo ipsis gratias dare necessarias et utiles ad illa facienda. Phil. II, 13 Apostolus inquit: *Deus est enim, qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate;* quibus verbis edocemur, a Deo, seu a gratia divina non tantum perficere, seu bonum opus, sed etiam velle, seu bonam voluntatem esse: haec autem generalis sententia vera non esset, si non ad quemlibet actum salutarem gratia actualis necessaria foret; hoc enim posito, *perficere,* aut saltem velle salutare daretur, quod liberum dumtaxat arbitrium, non autem Deus per gratiam operaretur. — S. Iacobus inquit: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (3): dubitare ergo non licet, omnem actum salutarem desursum esse, a Patre luminum descendere, seu a gratia divina produci.

3. *Ss. Patres* constanti consensu necessitatem gratiae ad quemlibet actum salutarem praedicarunt. *Iustinus M.* (4) ait: « Christo non philosophi solum et litterati homines crediderunt, sed operarii etiam et omnino imperiti, qui et gloriam et metum et mortem contempserunt; quando quidem haec virtus inerrabilis Patris efficit, non humanae rationis instrumenta. » *S. Irenaeus* (5) inquit: « Dominus pollicitus est mittere Paracle-

(1) Io. 15, 4 etc. (2) Tract. 81, in Io., n. 3.
(3) Ep. 1, 17. (4) Apol. 2, n. 10.
(5) L. 3, adv. haer., c. 17, n. 2.

tum, qui nos aptaret Deo. Sicuti enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis; ita nec nos multi unum fieri in Christo poteramus sine aqua, quae de coelo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic et nos lignum aridum existentes primum, nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia;» et (1) addit: « Quapropter necessarius est nobis ros Dei, ut non comburamur, neque infructuosi efficiamur. » Idem (2) scribit: « Non a nobis, sed a Deo est bonum salutis nostrae. » *Clemens Alex.* l. 4, Strom., scribit: « Non potest aliter comparari continentia nisi gratia Dei, et ideo Christus dixit: *Petite, et dabitur vobis.* » Et lib. 5 sic loquitur: « Oportet mentem habere sanam, et quae nulla retardetur poenitentia a pulcri venatione, ad quod maxime opus habemus gratia rectaque doctrina, castaque et munda animi affectione, et Patris ad ipsum attractione.» *Tertullianus* (3) ait: « Bonorum quorumdam, sicut et malorum, intollerabilis magnitudo est, ut ad capienda et praestanda ea sola gratia divinae inspirationis operetur. Nam quod maxime bonum, id maxime penes Deum, nec alius id, quam qui possidet dispensat. » *Origenes* l. 6, c. Cels., dicit: « Nullus unquam bonum aliquod sine gratia operatus est; » et ibid. (4) addit: « Sine illius adiutorio Deum quaerere et invenire non valemus. » Idem Hom. 12 in Iosue ita disserit: « De victoria nemo se iactavit, nemo suae virtuti, quia superavit, adscripsit; sed scientes, quia Iesus est, qui victoriam tribuit, ipsi in lingua sua non mutiunt. Quod bene intelligens Apostolus dicebat: *Non autem ego, sed gratia Dei, quae in me est.* » *S. Cyprianus*, de Orat. Dom., inquit: « Dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in coelo, et in terra*, non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult... oramus, ut fiat in nobis voluntas Dei; quae ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope eius et protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est.» Idem l. 3, Testim. (5), ait: «In nullo gloriandum est, quando nostrum nihil sit. — *Nemo potest accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de coelo*» (6). *Eusebius Caesar.* (7) fatetur, « nos divino semper agere auxilio, *ut non moveantur vestigia nostra;* » et (8): « fortitudinem et patientiam non ex virtute et potestate nostra constare, sed ab eius gratia prodire. » *S. Athanasius* in illa verba: *Adiuva me, et salvus ero* (9): « Etiamsi, inquit, adiutor et susceptor meus es tu, at indesinenti auxilio opus est. Quanto enim tempore hic sumus, nondum perfectum est illud: *salvus ero.* » *S. Hilarius* necessitatem gratiae in humanae infirmitatis magnitudine fundat, unde necessaria est nedum ad intellectum illuminandum, sed et ad voluntatem movendam et corroborandam: « Hinc ait (10): « nullus est nobis relictus locus gloriandi, recordantibus omnia ex Deo esse. » *S. Basilius* in illa verba: *Domine! in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem* (11), disserens de animae decore et virtute, inquit: « Ad utramque divina gratia indigemus, tum ut anima pulcritudine ornetur, tum ut virtute officia sua implendi instruatur. » Idem Hom. de humilit., n. 4, haec habet: « Quid igitur, dic, quaeso, te ipse quasi de tuis i-

(1) N. 3. (2) Ibid. cap. 20.
(3) L. de patient., c. 1. (4) L. 7. (5) Cap. 4.
(6) Io. 3, 27. (7) In Ps. 16.
(8) In Ps. 61. (9) Ps. 118, 117.
(10) In Ps. 123, n. 2. (11) Hom. in Ps. 29.

psius bonis effers, cum deberes pro acceptis donis gratiam largitori habere? *quid enim habes, quod non accepisti?* non tu Deum cognovisti per tuam iustitiam; sed Deus cognovit te propter suam bonitatem. » *S. Gregorius Naz.* (1) in verba: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei* (2), ita praeclare disserit: « Quoniam nonnulli sunt, qui ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quidquam Creatori et sapientiae eorum auctori ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, his verbis eos docet Paulus, quod ipsum etiam recte velle divino auxilio indigeat; imo, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa et electio eorum, quae recta et cum officio coniuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans. Quod enim salvamur, id et a nobis, et a Deo esse oportet. » Idcirco ait: *Non volentis*, id est, non solum volentis, *nec currentis* solum, *sed* etiam *miserentis est Dei.* Ita, quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo iure totum Deo assignavit. *S. Gregorius Nyss.* (3) ait: « Non aliter pravam corruptionis potestatem exuere possumus, nisi vivifica gratia in nobis imperium susceperit... Ut quis peccatum invalescens effugiat, Deum in auxilium vocet. » *S. Ephrem* Serm. de pret. marg., ita Deum alloquitur: « Donum tuum perdidi, et ideo perfectam prudentiam non habeo. Perdidi consuetudinem tuam, et idcirco, quo vadam, ignoro. Nihil ergo habeo, et si quid habeo, tu mihi illud dedisti... Solummodo gratiam deposco, confitens, quod per te servabor, siquidem servabor. » Et Serm. de gratia huius necessitatem his verbis praedicat: « Illa tibi naviganti nisi adfuerit, vani labores tui erunt. Hac nisi adversus inimicos tuos inunctus fueris, multis frustra susceptis laboribus turpiter victus lugebis. Illam nisi sociam habueris, dolos serpentis ignorabis. » *S. Chrysostomus* Hom. 25 in Genes. (4) inquit: « Neque enim possibile est, bonum aliquod nos recte agere non adiutos superna gratia. » Hom. in Ps. CXLII (5) ait: « Superna ope et coelesti doctrina opus est, ut incedamus via, quae ducit ad virtutem: non nobis in otio degentibus, sed quae sunt nostra conferentibus. » Hom. 14 in Epist. ad Rom. (6) exponens verba: *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram*, subdit: « Ut discas, non in laboribus tantum et periculis tibi gratiam adesse, sed etiam in iis, quae faciliora videntur, tecum cooperari, subiungit (Apostolus): *nam quid ut oportet oremus, nescimus.* » *S. Ambrosius* l. I de Cain et Abel (7) scribit: « Quidquid sanctum cogitaverimus, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia. » Idem in Epist. 84 dicit: « Plene et veraciter confitenda est gratia Dei, de cuius hoc primum munere est, ut auxilium ipsius sentiatur. Propter quod dicit Apostolus: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis* (8). Unde si quis est, qui aliqua se habere existimat bona quorum non Deus sit largitor, sed ipse sibi auctor existat, manifestum est, hunc non spiritum Dei habere, sed mundi. » *S. Hieronymus* (9) scribit: « Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum; dicit enim Apostolus: *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere.* Et Salva-

(1) Or. 37, n. 13. (2) Rom. 9, 16.
(3) De Orat. domin., Or. 3.
(4) N. 7. (5) N. 6. (6) N. 7.
(7) C. 10, n. 15. (8) I Cor. 2, 2.
(9) Epist. 133 (al. 43) ad Ctesiph., n. 6

tor in Evangelio : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (1). Semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit, quod semel donavit, nisi semper donaverit. » Idem (2) inquit: « *Dominus illuminatio mea, et salus mea* (3)! Contra ignorantiae tenebras illuminatio, contra infirmitatem vero salus est Dominus, quando ostendit, quid debeat ad agendum appeti, et vires praebet, ut quod ostenderat, possit impleri. » *S. Augustinus* lib. de gratia Chr. (4) ait: « Gratiam Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque iustitiam, fieri posse non dubitet. » Et lib. de grat. et lib. arbitr. (5) inquit: « Sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. » — Ad hoc idem dogma contra Pelagianos propugnandum libros non paucos S. Doctor conscripsit, quibus adversarios orthodoxae doctrinae penitus contrivit. *Innocentius I. R. P.* (6) sic loquitur : « Cum in omnibus divinis paginis voluntati liberae nonnisi adiutorium Dei legamus esse nectendum, eamque nihil posse coelestibus praesidiis destitutam, quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter defendentes, sibimet, imo plurimis Pelagius Coelestiusque persuadent? » — *Zosimus R. P.* (7) inquit: « In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus adiutor et protector orandus est: superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura praesumat. » *Leo M.* (8) scribit: « Bonorum operum et spiritualium studiorum Deum auctorem esse, non dubium est, qui, quorum incitat mentes, adiuvat actiones. » *S. Petrus Chrysol.* (9) haec habet: « Lassescit mens, caro nostra deficit ad divina, nisi Deus, quae fieri iubet, impleat ipse, qui iubet. » *S. Gregorius M.* l. 1 in Ezech. (10) dicit: « Ad bona assurgere perfecte non possumus, nisi sanctus Spiritus et praeveniendo elevet, et subsequendo confortet. » Idem lib. 7 Epist. (11) ait: « Illius nobis virtus quaerenda est et gratia postulanda, sine quo nusquam absque culpa, cum quo nusquam sine iustitia. »

4. *Concilia* eandem doctrinam definierunt. Referente S. *Augustino* (12), Concilium *Diospolitanum* septimum Pelagii articulum damnavit his verbis conceptum: « Gratia Dei, atque adiutorium non ad singulos actus datur, sed de libero est arbitrio, vel in lege atque doctrina: » quam heterodoxam propositionem Pelagius eiurare est iussus. Concilium *Milevitanum II* (seu potius *Carthaginiense* anno 416), can. 4, ita loquitur: *Quisquis dixerit gratiam Dei per I. C. D. N. propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit... cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus.* Et, can. 5, ait: *Quicunque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam: tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus et-*

(1) Io. 5, 17. (2) L. 2 in Thren. c. 3.
(3) Ps. 26, 1. (4) Cap. 27.
(5) Cap. 17 n. 33.
(6) In Epist. ad Patres Concilii Milevitani.
(7) In Epist. tractoria ad omnes orbis Episcopos. (8) In Epist. 61 ad Martin. et Faust presbyt. c. 1. (9) Serm. 71.
(10) Hom. 10, n. 45. (11) Ep. 4.
(12) De gestis Pelag. c. 14.

iam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere; sed ait: Sine me nihil potestis facere. Hoc Concilium ab *Innocentio I* confirmatum, et in toto orbe catholico magna reverentia acceptatum fuit. — Concilium *Arausicanum II*, can. 7, dicit: *Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti.... haeretico fallitur spiritu.* — Concilium *Tridentinum*, sess. VI, can. 1, ait: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo; anathema sit.* Et can. 2: *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Iesum Christum dari, ut facilius homo iuste vivere ac vitam aeternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit; anathema sit.* — His accedunt *publicae orationes*, in quibus Ecclesia eandem fidem profitetur: sic Dom. 3ª p. Pent. orat: *Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum*, etc. Dom. 12ª p. Pent.: *Omnipotens et misericors Deus, de cuius munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur*, etc. Dom. 18ª p. Pent.: *Dirigat corda nostra, quaesumus, Domine, tuae miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus.* Et in Litan. Ss.: *Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et iusta sunt opera*, etc.

(1) 1 2, q. 109, a. 2.

5. *Ratio theologica* ad idem dogma probandum duplex afferri potest. *a*) Beatitudo, ad quam homo de facto ordinatus est a Deo, est supernaturalis (§ 202). Ergo etiam actus qui ad illam conducunt, debent esse supernaturales, quia inter finem et media debet dari proportio. Atqui actus supernaturalis elici non potest per vires mere naturales et absque gratia supernaturali; alias non esset supernaturalis, quia non excederet vires totius naturae creatae. Ergo ad omnem actum salutarem necessaria est gratia supernaturalis. Ideo iam protoparentibus in statu innocentiae necessaria fuit supernaturalis gratia, quam dicunt *Conditoris* (§ 203, n. 2): cum autem haec ad recte agendum in statu naturae lapsae non sufficiat, necessaria est modo hominibus gratia Redemptoris, quam Christus passione et morte sua nobis promeruit (§ 377). Ideo *S. Thomas* (1) ait: « Virtute gratuita superaddita virtuti naturae indiget homo in statu naturae integrae quantum ad unum, scilicet ad operandum et volendum bonum supernaturale; sed in statu naturae corruptae quantum ad duo, scilicet ut sanetur, et ulterius, ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium. Ulterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum. » — *b*) Deum omnium supremum auctorem esse, et de omnibus, quae fiunt, gloriam ad ipsum referri debere, Apostolus testatur dicens: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula* (2). Quod si omnia, quae recte ab homine in ordine naturali perficiuntur, Deo sunt adscribenda, qui vires naturales dedit, conservat et gubernat; multo magis eorum, quae

(2) Rom. 11, 36.

salutariter et in ordine supernaturali ab hominibus peraguntur, Deus ita auctor est dicendus, ut omnis actus salutaris gloria ad ipsum referenda sit: quod fieri non posset, nisi Deus ad huiusmodi actum per gratiam hominem excitaret, et ad illum perficiendum vires suppeditaret. — Hoc argumentum eleganter proponit *S. Augustinus* (1) ita Deum alloquens: « Fecisti, ut essem; et non tu fecisti, ut bonus essem? dedisti mihi ut sim; et potuit mihi alius dare, ut bonus sim? Si tu mihi dedisti ut sim, et alius mihi dedit, ut bonus sim; melior est ille, qui dedit mihi, ut bonus sim, quam ille, qui dedit mihi, ut sim; porro quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior, a quo accepi ut essem, ab illo accepi ut bonus essem. »

Nota 1. *Petavius* (2) contendit, Theologos plane catholicos dari, qui gratiam ad actum salutare necessariam in sola mentis illustratione reponunt; aliam autem, quae in voluntatis permotione sita est, utilem quidem esse fatentur, non tamen necessariam: iuxta quam sententiam gratia immediate solum intellectum ageret, et huic motiva agendi proponendo *mediate* duntaxat afficeret voluntatem. — Ast talem sententiam reiiciendam esse, iam alibi (§ 403, not.) dictum est. Iuxta orthodoxam doctrinam ad quemvis actum salutarem necessaria est gratia non tantum *illustrationis*, sed etiam *inspirationis*, seu quae immediate afficiat voluntatem. Et sane talem gratiam a Deo petiit David dicens: *Cor mundum crea in me Deus* (3), et: *Inclina cor meum in testimonia tua* (4). Talem gratiam necessariam pronuntiat Apostolus, per quam Deus *operatur in nobis velle et perficere*. Talis quoque gratiae necessitatem *S. Augustinus* contra Pelagium propugnavit; ait enim l. de grat. Chr. (5): « Eam gratiam volumus fateatur, qua... non solum revelatur sapientia, verum etiam et amatur; nec suadetur solum omne, quod bonum est, verum et persuadetur... Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, sed et esse Christianus. » Et l. de Spir. et litt. (6) inquit: « Nam neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: et cum id, quod agendum et quo nitendum est coeperit non latere, nisi etiam delectet et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. » Ipse *Petavius* (7) fatetur: « *Augustinus* totam illam gratiam, quae mentem solam et intelligentiam afficit, ad doctrinam referebat, praeter quam aliam esse necessariam putabat, quae voluntatem ipsam ac liberum arbitrium attingat, cum eoque et in eo fidem ac dilectionem efficiat, ita ut non tantum lucem praeferat menti nostrae, quae, quid faciendum sit ostendat, sed etiam ut faciamus, et velimus faciat: » quod multis S. Doctoris testimoniis ostendit; ast postea contendit, hanc fuisse peculiarem *S. Augustini* opinionem, non autem totius Ecclesiae doctrinam. Verum hac in re hallucinatur vir clarissimus. Nam *S. Augustinus* nonnisi doctrinam catholicam contra haereticos propugnavit, et ideo eius doctrina de gratia a Summis Pontificibus approbata, et a Catholicis maximo honore habita est. Ipsa Concilia eandem doctrinam credendam proposuerunt: Concilium *Milevitanum*, can. 4, dicit:

(1) Enar. in Ps. 58, Serm. 2, n. 11 in fine.
(2) L. unic. de Pelag. et Semipel. haeresi, cap 10, n. 12. (3) Ps. 50, 12.
(4) Ps. 118, 36. (5) Cap. 10. (6) Cap. 3.
(7) L. c., cap. 8.

Utrumque Dei donum est, scire, quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus; sicuti ergo Deus mentem illuminat, ita etiam voluntati boni dilectionem inspirat. Concilium *Arausicanum secundum*, cap. 7, eos haeretico spiritu falli pronuntiat, qui asserunt, posse hominem cogitare, aut eligere, quae pertinent ad salutem vitae aeternae *absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo veritati.* Concilium *Tridentinum* (1) definit: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse..., anathema sit.* Neque sufficienter ab adversariis probari potest, *illustrationem* et *inspirationem* in dictionario Conciliorum voces esse synonimas, eandemque rem indicare. Errant ergo, qui gratiam ad actum salutarem necessariam in sola mentis illustratione reponunt, eandemque ita describunt, ut ipsa solum motiva intellectui clare proponat, in voluntatem vero immediate non influat, cum tamen haec per gratiam Redemptoris, quia infirma est, corroboranda, et quia corrupta, emendanda sit. Sed haec luculentius patebunt ex iis, quae de efficacia gratiae dicenda erunt.

Nota 2. Quidam Theologi cum *Molina* (2) et *Thomassino* (3) in ea videntur sententia fuisse, quod iustis sanctificans gratia ad peragendum bonum supernaturale sufficiat. Haec, aiunt, est ipsa habitualis charitas, quae nos sursum erigit, ex qua boni affectus et pia desideria tanquam ex sua radice nascuntur. Aut otiosa iacebit charitas illa et iners? an non coniunctam necessario habet delectationem iustitiae, quae promptos nos efficit et expeditos ad omne bonum? — « Optime haec quidem, respondet Cl. *Liebermann*, et minime reprehendenda: verum quaecunque sit illa delectatio, non potest ea esse in ipso actu posita, sed in habitu quodam et propensione, quam illi Theologi *formalem motionem* vocant, cum sit quasi *forma* in anima. Ut ergo actus sequatur, praeter habitum actuali auxilio, *actuali motione* opus est, et quidem supernaturali, ubi id efficimus, quod naturae vires superat » (4). Dicendum ergo est, gratiam actualem necessariam esse, ad singulos actus salutares, etiam iis, qui gratiam habent habitualem. Quam assertionem probant argumenta ad necessitatem gratiae ad quemlibet actum salutarem propugnandam iam allata, in quibus praefata necessitas non ad solos infideles et peccatores restringitur, sed generatim de hominibus, quamvis iam baptismo ablutis et sanctificatis praedicantur. Speciatim huc faciunt verba Christi: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* (5). Sicuti ergo palmitibus non sufficit, ut viti uniantur, sed indigent iugi ac continuo vitis influxu, ut non arescant, sed fructum ferant; ita etiam iustis non sufficit habitualis gratia, qua Christo uniuntur, sed indigent iugi ac continuo influxu actualis gratiae per Christum. Ideo divinus Redemptor ad fructus bonorum operum producendos duo requirit dicens: *Qui manet in me* per gratiam habitualem, *et ego*, qui *usquemodo*...

(1) Sess. 6, can. 3.
(2) In Concord. q. 14, art. 13, disp. 8.
(3) In Comment. de gratia.
(4) Theol. spec. l. 5, P. 2, cap. 1, § 2
(5) Io. 15, 4 etc.

operor (1), gratiam actualem conferendo, *in eo, hic fert fructum multum.* — Etiam iustis ad quemlibet actum salutarem gratiam actualem necessariam esse, clare docet *S. Augustinus*, cuius auctoritas hac in materia maximi est facienda; ait enim S. Doctor (2): « Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere; sic et homo etiam perfectissime iustificatus, nisi aeterna luce iustitiae divinitus adiuvetur, recte non potest vivere.» His accedit, quod etiam iusti divinum auxilium continuo implorare debeant (3), ac dicere iubeantur: *Et ne nos inducas in tentationem.* Tobias filium suum, qui Angelum comitem habere meruit, exhortatur: *Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant* (4). Paulus scribit: *Deus pacis... aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se per Christum Iesum* (5); et certe hic Apostolus de iustis loquitur, atque ut Deus operetur in illis omne bonum precatur. Sed si iustis ad salutariter operandum gratia necessaria non esset, ad hanc a Deo petendam non obligarentur; nam, ait *S. Augustinus* (6): « quid stultius, quam orare, ut facias quod in potestate habes? » — Ideo S. Doctor ex ipsa oratione, ad quam etiam iusti obligantur, his quoque gratiam actualem ad salutares actus necessariam esse, rectissime intulit. *Concilia* (n. 4 citata) quin inter peccatores et iustos distinguant, gratiam actualem ad singulos actus salutares non solum utilem, sed et necessariam esse docent: quod autem de gratia actuali sermo sit, patet ex eo, quia ad singulos actus non donatur gratia habitualis, sed actualis, et quia canones contra Pelagianos directi erant, qui gratiae actualis necessitatem negabant. His addi possunt verba Concilii *Africani*, in quo, ut refert *S. Prosper* in resp. ad Capit. Gallorum, 214 Episcopi definierunt: *Gratia Dei per I. C. D. N. non solum ad cognoscendam, sed etiam ad faciendam iustitiam, nos per actus singulos adiuvari; ita ut sine illa nihil verae sanctaeque pietatis cogitare, dicere, agere valeamus.* Similiter Conc. *Arausicanum II* de fidelibus loquitur, et iustos quoque comprehendit, dum dicit, can. 9: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Clarissime denique loquitur Concilium *Tridentinum* sess. VI, cap. 16, ubi ostendit, nihil iustificatis deesse, quominus vitam aeternam promereri possint: *Cum enim*, ait, *ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto meritoria esse possent*, etc.: ubi manifestum est per ea verba: *Christus iugiter in ipsos iustificatos virtutem influit*, denotari gratiam actualem. — Verum ex iisdem Concilii verbis elucet, gratiam habitualem cum actuali intime coniungi, et utramque ad opus meritorium pro vita aeterna requiri, quod ideo hincinde uni gratiae adscribitur, quin altera negetur. Cum enim plures causae in aliquo effectu concurrunt, hic quandoque uni causae adscribitur, caeteris non exclusis nec negatis. Ita e. g. Christus ipse gratiam habitualem comparat semini, quod ex se fructificat (7), sed tamen

(1) Io. 5, 17. (2) L. de nat. et grat. c. 26. (3) Eccli. 18, 22; Luc. 18, 1; 1 Thess. 5, 17. (4) Tob. 4, 20. (5) Hebr. 13, 20 etc. (6) De nat. et grat. c. 18. (7) Marc. 4, 26, etc.

gratiam actualem non excludit, verum potius adstruit, quod ex similitudine ipsa patet; nam quemadmodum ut semen naturale crescat, et fructum afferat, requiritur ros et pluvia de coelo; ita etiam gratia habitualis ex se fructus bonorum operum producit, sed non sine rore aliarum gratiarum actualium (1).

Nota 3. Ut Theologiae polemicae officio satisfiat, difficultates solvere oportet, quas contra dogma catholicum de necessitate gratiae ad quemlibet actum salutarem *Pelagiani* moverunt, *Sociniani* recoquunt, et *Rationalistae* suis principiis sustentare tentant.

Obi. I. Paulus ait: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt* (2); ergo *naturaliter*, id est, per vires naturales sine gratia possunt, *ea, quae legis sunt*, perfici, seu mandata divina adimpleri.

Resp. Duplici modo verba Pauli intelligi solent; sed in neutro sensu dogmati catholico adversantur. *a*) Nonnulli docent, Paulum loqui de Gentibus ad fidem christianam iam conversis, quia tempore praesenti verba proferuntur, et scopus Epistolae est, dissidia inter Iudaeos et Gentiles iam conversos exorta componere: dicuntur ergo Gentes, gratia iam praeventae et adiutae, *naturaliter*, non seposita gratia, sed gratia reparante et confortante naturam, *ea, quae legis sunt*, facere. Ita *S. Augustinus* (3) hunc Apostoli locum explicans ait: « Non quod per naturam negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura. » *S. Prosper* (4) inquit: « De his Apostolus loquitur, in quorum cordibus Deus digito suo, id est, Spiritu sancto scribit novum Testamentum, ut legis plenitudinem et opera charitatis naturaliter exequantur, renovata scilicet, reformataque natura. » *b*) Alii tamen ex contextu inferunt, sermonem esse de Gentibus nondum ad fidem christianam conversis, *quae*, ut ait Apostolus, *legem* mosaicam *non habent*, sed tamen habent legem naturalem, ad quam rite observandam Deus gratias interiores distribuit, quarum auxilio etiam ii recte agere possunt, qui lege scripta destituti sunt. Quippe illud: *naturaliter*, seu natura non opponitur gratiae, sed legi scriptae: non vult ergo Apostolus dicere, quod Gentes sine auxilio gratiae faciant, quae legis sunt; sed sine auxilio legis scriptae. Sensus ergo est, quod Gentiles sine lege, sed libero voluntatis motu, gratia tamen praeventi et adiuti legem observantes *ipsi sibi sunt lex*; factisque suis ostendunt, quod legem habent scriptam in cordibus suis. Hanc quoque expositionem catholicam esse, patet ex propositione 23ª Baii, quae ita sonat: « Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli Rom. II, 14 intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus. » Utramque interpretationem proponit *S. Thomas* lect. 3 in hunc locum inquiens: « Exponendum est *naturaliter*, id est, per naturam gratia reformatam; loquitur enim de Gentibus ad fidem conversis, quae auxilio gratiae Christi coeperant moralia legis servare. Vel potest dici *naturaliter*, id est, per legem naturalem ostendentem eis, quid sit agendum... Et tamen non excluditur, quin necessaria sit gratia ad movendum affectum, sicut etiam per legem est cognitio peccati (ut dicitur Rom. III, 20), et tamen ulterius requiritur gratia ad movendum affectum. » —

(1) Cf. Tournely q. 4, art. 9; Sardagna tom. 5; Contr. 8, art. 1, n. 302; Gazzaniga de grat. P. 1, diss. 2, cap. 6.

(2) Rom. 2, 14. (3) De Spir. et litt. c. 27.
(4) C. Collator. c. 10.

Nonnulli etiam censent, Paulum docere, quod Gentes sine fide et sine gratia non omnia, sed aliqua duntaxat praecepta legis observent, eaque quantum ad substantiam solum, et *naturaliter*, seu ordine pure naturali; non autem salutariter et meritorie: pro qua expositione *Estius* citat *S. Ambrosium*, *S. Fulgentium* et alios: unde iterum dogma de necessitate gratiae ad actus salutares immotum manet.

Obi. II. Varia exempla ostendunt homines sine gratia supernaturali actiones Deo acceptas, adeoque salutares ponere, et pie vivere posse. Ita *Iob* naturalem duntaxat legem observans a Deo ipso ob pietatem suam laudatur (1). — *Paulus* nondum sub gratia constitutus, se totam legem observasse asserit; scribit enim: *Secundum iustitiam, quae in lege est, conversatus* (sum) *sine querela* (2). — *Cornelii Centurionis* pia opera, antequam a Petro fidem fuisset edoctus, a Deo ipso probata iam erant, dicente Angelo ad ipsum: *Orationes tuae, et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei* (3). His accedit, quod *Cyrus*, licet idololatra (Isa. XLVI) dicatur a Deo vir voluntatis suae. Ergo ad actus salutares gratia non est necessaria.

Resp. Si *Iob* legem scriptam non habuit, fide tamen supernaturali destitutus non fuit; ipsum enim fidem in Messiam habuisse, patet ex eius verbis Cap. XIX, 25: *Scio quod Redemptor meus vivit*, etc. Praeveniente quoque gratia excitatus, per orationes et sacrificia efficacia auxilia divina ad vitam recte instituendam obtinuit (4). Quapropter *S. Prosper* (5) recte asseruit, sine dubio pietatem, patientiam et victoriam Iobi a Deo fuisse, «a quo est salus iustorum, et qui protector eorum est in tempore tribulationis.» Imo idipsum fatebatur saepius ipse Iob, ut cum suis amicis ipsum irridentibus respondebat: *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum* (6). Nec tamen victoriae meritum propterea non habuit, quia, ut ibidem inquit *S. Prosper*, «illa mirabilis in tanta afflictione patientia et Dei adiutorio, et libero hominis adscriberetur arbitrio.»—Quae *Paulus* (7) de semetipso scribit, intelligenda sunt de observantia externorum officiorum legis, non autem de vera observantia salutari. Ideo dicit: *conversatus* sum *sine querela*, id est, nihil emisi, nihilque feci de quo homines me reprehenderent. Caeterum ipse Paulus (8) fatetur, se ante conversionem coram Deo blasphemum, persecutorem et contumeliosum fuisse, et ex misericordia divina veniam consecutum esse (9). — De *Cornelio Centurione* Concilium *Arausicanum II* dicit: *Manifestissime credendum est, quod... Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est.... tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum.* Cornelius nempe, gratia praeventus et adiutus, fidem et charitatem concepit, et opera salutaria perfecit. — Denique quod *Cyrum* attinet, hic implevit voluntatem Dei eo sensu, quod Deus per eum decretum suum executus sit tanquam per instrumentum; non vero eo sensu, quod praecepta legis naturalis observaverit, fuit enim idololatra, sanguinarius et alienorum regnorum invasor.

Obi. III. Nihil in Ss. Litteris frequentius occurrit, quam divinum mandatum de vitiis omnibus decli-

(1) Iob 1, 8. (2) Phil. 3, 6.
(3) Act. 10, 4. (4) Iob 1, 5.
(5) C. Collator. c. 15. (6) Iob 12, 4.
(7) Phil. 3, 6. (8) 1 Tim. 1, 13
(9) Cf. Tit. 3, 3.

nandis sectandisque virtutibus: ast si non est in nostra naturali potestate haec mandata servare, sed ad hoc gratia est necessaria, quae non est in nostra potestate, dicendum erit, Deum impossibilia praecipere, quod eius iustitiae et sapientiae repugnat.

Resp. Actus salutares non quidem sunt in hominis potestate viribus suis naturalibus relicti; sunt tamen in potestate hominis virtute gratiae adiuti: atque dum Deus homini actus salutares praecipit, eidem sua gratia non deest, quam non intuitu meritorum, sed ex voluntate gratuita confert, quod inferius ostendetur. Supposita ergo gratia, qua Deus homines praevenit, et quam petentibus, quaerentibus, pulsantibus large concedit, praecepta divina impossibilia non sunt, sed salutari modo observari possunt. Exemplo id illustrari potest. Impossibile posset dici Domini praeceptum, arduum laborem servo, necessariis instrumentis destituto, iniungentis: ast si haec illi suppeditantur, praeceptum nec impossibile, nec iustitiae, aut sapientiae repugnans dicendum est. Simili modo ad eandem obiectionem respondet *S. Thomas* (1), dicens: « Illud quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omnino impossibile secundum illud Philosophi (2), quod per amicos possumus, aliqualiter nos possumus. Unde *S. Hieronymus* (3) confitetur, sic nostrum liberum esse arbitrium, ut dicamus, nos semper indigere Dei auxilio. » Ipse *S. Augustinus* Pelagianis eadem obiicientibus respondit (4): « Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non iuberet Deus, quod sciret, non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? — Sed ideo iubet aliqua, quae non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quae orando impetrat, quod lex imperat. » Huc et illud pertinet tam evulgatum eiusdem Patris dictum: « Non igitur Deus impossibilia iubet; sed iubendo monet, et facere, quod possis, et petere, quod non possis » (5).

Obi. IV. In S. Scriptura, aiunt rationalistae, operationes gratiae *immediatae, et supernaturales* nec promittuntur, nec necessariae dicuntur; imo ne earum quidem nomen occurrit. Quod si Christus dicit: *Sine me nihil potestis facere*, et Apostolus: *Deus est, qui operatur velle, et perficere: non sumus sufficientes, cogitare aliquid ex nobis* etc. ac similia, haec dicuntur, ut ostendatur, Deum non modo virium humanae mentis, et legis moralis animae quasi inscriptae (6) et modi, quo quisque his facultatibus instructus est, auctorem esse, atque conservatorem, sed etiam fontem doctrinae christianae esse, quae ad mores emendandos plurimum confert. Omnis igitur de gratia divina disputatio rectius ad doctrinam de providentia Dei singulari, et concursu refertur.

Resp. Ad hanc obiectionem *Cl. Perrone* (7), citatis pluribus locis biblicis, in quibus de supernaturali Dei auxilio sermo occurrit, respondet: « Falsum igitur est, et contra omnem veritatem, quod hi monitores adstruunt, operationes gratiae *immediatas* et *supernaturales* nec promissas in Libris sacris esse, nec necessarias. Quod si haec referant adversarii ad voces *immediatas* ac *supernaturales*, certe has non habent sacrae Litterae, prout non habent voces *mediatas* ac

(1) 1 2, q. 109, art. 4, ad 2.
(2) In 3 Ethic.
(3) In expos. cathol. fidei ad Damas
(4) L. de grat. et lib. arbitr. c. 16.
(5) L. de nat. et grat. c. 43, n. 50.
(6) Rom 2, 15. (7) De grat. P. I., c. 2, n 39.

naturales, quas tamen ipsi usurpant. Quaestio porro est de *re*, non de *formulis*, quibus res significatur. Turpe autem est, et contra dialecticae leges, a formulis ad rem transitum facere.» Et sane testimonia biblica n. 1 allata clare ostendunt, gratias supernaturales vere dari, easque ad actus salutares necessarias esse. Neque loca citata ad divinum duntaxat concursum, quo omnia conservantur, referri possunt. Iste enim concursus ad omnes homines, quamdiu vivunt, pertinet, unde Act. XVII, 28 dicitur: *in ipso vivimus, movemur, et sumus;* et tamen non omnes homines fructus operum salutarium referunt. Ergo Christus non ut Conditor et Conservator, sed ut *Redemptor* loquitur, et gratias supernaturales per redemptionem partas intelligit, dum dicit: *qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere:* neque haec de sola doctrina Christi intelligi possunt, quia hanc plurimi probe cognoscunt, et tamen fructus salutarium operum haud ferunt. Paulus, postquam Phil. II, 6, 11 opus redemptionis collaudasset, et ibid. v. 12 fideles admonuisset, ut cum metu et tremore salutem suam operentur, addit: *Deus est enim, qui operatur* (1) etc., ostendens, salutem non a solis viribus naturalibus, sed praecipue a Deo operante et auxiliante dependere: quis iam dicet, eum de solo concursu providentiae divinae communi loqui? — Generatim Paulus ubique gratiam Christi ut Redemptoris ad salutem necessariam praedicat, ut Act. XV, 11: *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari*, etc.; Rom. III, 24, Eph. II, 10, etc. His accedit constantem Ss. Patrum traditionem et infallibile Ecclesiae magisterium citata loca de supernaturali gratia Redemptoris exponere, ita ut certissime aberrent, quicunque aliam expositionem proferre praesumunt. — Divinae providentiae concursu fit, ut vires naturales, quas Deus creavit, in suo esse naturali conserventur (§ 253 etc.) et gubernentur (§ 256 etc.). Sed vires naturales seipsas transcendere et supernaturaliter agere nequeunt; quapropter ad actum supernaturalem alio concursu divino, speciali auxilio, i. e. gratia supernaturali opus est. Nullatenus ergo doctrina de providentia Dei, et concursu cum doctrina de gratia Redemptoris supernaturali confundenda est.

Obi. V. Si recta ratio impossibilia et absurda admittere nequit, merito etiam reiicit doctrinam de necessitate gratiae supernaturalis. Ex ista enim sequeretur, sapientissimum Creatorem tales homini vires non dedisse, quibus finem suum assequi posset: ipsam Christi doctrinam haud adeo perfectam esse, ut homo per eam ad moralitatem dirigeretur: hominem per actus bonos nihil mereri, quoniam Deus in ipso velle et perficere operatur: vel legem continuitatis violari, si homini nonnisi naturalibus facultatibus praedito actus supernaturales adscribantur: denique miracula sine causa multiplicari.

Resp. Concedimus, rationem id admittere non posse, quod vere impossibile et contradictorium est. Sed talem non esse gratiam supernaturalem, facile ostenditur. Haec enim *logice possibilis* est, quia, ut ipse *Kant* fatetur, in eiusdem conceptu nulla contradictio occurrit. Etiam eius *physica possibilitas* negari nequit, quia Deus ordinis naturalis et supernaturalis auctor et rector sicuti naturales, ita et supernaturales vires elargiri, et immediate in animam agere potest,

(1) Phil. 2, 13.

quod si negaretur, eius omnipotentia, aut omni praesentia restringenda foret: et homo, intellectu et voluntate praeditus, talem influxum divinum recipiendi capax est, quamvis huic, ut libertas illius servetur, vel consentire, vel etiam resistere possit. Denique *moralis possibilitas* in dubium pertrahi nequit; gratia enim supernaturalis convenientissima est *Deo*, qui eam elargiendo sua attributa clarissime manifestat, nempe *omnipotentiam*, qua facultates naturales ad altiorem statum elevat, et vires supernaturales impertitur; *omnipraesentiam*, qua cuilibet animae intime adest; *sanctitatem*, quoniam nonnisi ad veri cognitionem et boni dilectionem promovendam operatur; *sapientiam et bonitatem*, quoniam per operationes gratiae hominem efficaciter ad salutem dirigit, quin liberum eius arbitrium tollat; *misericordiam*, cum indignos quoque gratia sua praevenit etc. Convenientissima pariter est gratia supernaturalis *homini*, cuius natura non destruitur, sed nobilitatur, et cuius liberum arbitrium non tollitur, sed emendatur, ad bonum inclinatur et viribus supernaturalibus donatur, quibus actus supernaturales ponere et finem supernaturalem attingere valet. Cum ergo per gratias supernaturales gloria Dei et finis hominis maxime promoveantur, quis de morali illarum possibilitate dubitabit? — Frivola sunt, quae ab adversariis opponuntur. Deus homini vires naturales ad actus naturales accommodatissimas dedit; ad actus autem supernaturales supernaturalia dona concessit, quae homo per peccatum perdidit, Christus vero recuperavit. Christus porro sanctissimam et perfectissimam doctrinam attulit; sed hominum infirmitatem et corruptionem cognoscens, internas quoque ac supernaturales gratias promeritus est, quibus ad doctrinam observandam excitarentur et adiuvarentur, per quod sapientiam et bonitatem suam clarissime commonstravit. Liberum arbitrium per gratiam non tolli, sed cum ista operari, et ideo hominem per actus bonos vere mereri, inferius ostendetur. Decantata lex continuitatis naturae non Deo est posita, atque ideo illi divinae operationes non subsunt. Si oculus ope telescopii etiam remotissima sidera considerat, homo quoque ope gratiae, seu specialis auxilii divina supernaliter agere valebit. Denique in nostra doctrina miracula non sine causa multiplicantur, quia gratiae supernaturales hominibus necessariae sunt, ut actus supernaturales ponant et finem supernaturalem attingant: neque inconveniens est, Deum sicut in ordine naturali, ita et in ordine supernaturali, cuius item Auctor et Rector est, continuo operari. Et generatim magna temeritas est, per infirmam rationem, quae etiam naturalia non omnia perspicere valet, operationes Dei supernaturales diiudicare velle, cum omnia, quae Deus vult, ideo iusta, sancta et bona sint, quia vult.

II. *Ad fidem salutarem, eiusque initium necessaria est gratia actualis.*

§ 410. Semipelagiani putabant, hominem per vires suas naturales, dum motiva credibilitatis expendit, fidem salutarem concipere, aut saltem eius initium, seu primum credulitatis affectum in se excitare posse et debere, ut dein gratia subsequatur, per quam fidei supernaturalis augmentum acquirat. Sed haec sententia falsa et haeretica est. Nam iuxta doctrinam catholicam etiam fides salutaris, qua ex pia quadam in Deum inclinatione omnia, quae revelata sunt, seu veri-

tates divinae propter auctoritatem Dei revelantis firmo assensu probantur, est donum gratiae divinae, et ad initium quoque fidei, seu primum credulitatis affectum concipiendum necessaria est gratia supernaturalis, seu illuminatio et inspiratio Spiritus sancti. Dogma hoc catholicum *ex S. Scriptura, ex Traditione* et *rationibus theologicis* probatur.

1. *In S. Scriptura* fides, eiusque initium non naturali hominis ingenio et industriae, nec soli externae fidei praedicationi et illustrationi tribuuntur, sed gratiae divinae, seu interiori Spiritus sancti operationi, illuminanti et inspiranti. Christus ipse docet, fidem in Patrem et Filium nonnisi Deo illuminante, et inspirante obtineri; ait enim: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novis nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (1). Hinc cum Petrus Christum Filium Dei vivi profiteretur, audire meruit a Christo: *Beatus es Simon,— quia caro, et sanguis*, id est, humanus intellectus *non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est* (2); quibus verbis Christus fidem et confessionem Petri ceu divinitus acceptam laudat. Idem Salvator noster inquit: *Confiteor tibi Pater, Domine coeli, et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te* (3); quae verba manifeste dicta sunt de revelatione interna, et de ea gratia, quae ad assentiendum mysteriis fidei nos movet; nam revelatio externa nedum *parvulis*, id est humilibus et simplicibus, sed etiam, imo multo magis *sapientibus et prudentibus facta est*. Clarissime rem proponit Christus Io cap. VI, ubi v. 29 interrogatus a Iudaeis: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? respondit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*, conceptis verbis fidem salutarem donum Dei appellans. De hac eadem fide loquens ait, v. 37: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* « Quid est: *ad me veniet*, ait *S. Augustinus* (4), nisi, credet in me? » — Pergit Christus v. 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, id est, nisi Pater per internam intellectus illustrationem et voluntatis motionem eum alliciat, et suaviter non necessitando, sed invitando trahat. Quod autem hoc loco Christus loquatur de necessitate gratiae divinae interioris ad fidem, patet ex verbis eiusdem ad Iudaeos, qui eum docentem audierant; inquit enim ibid. v. 65 etc.: *Sunt quidam in vobis, qui non credunt — propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum a Patre meo.* « Ergo, infert *S. Augustinus* (5), trahi a Patre ad Christum, et audire ac discere a Patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Evangelium a non audientibus, sed credentes a non credentibus discernebat, qui dicebat: *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* » Veritatem eandem Paulus ubique inculcat. Rom. XI, 35 interrogat: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* « Et ipsum igitur, ait *S. Augustinus* (6), initium fidei nostrae ex quo nisi ex ipso est? neque enim hoc excepto ex ipso sunt caetera, *sed ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia.* » Ephes. II, 8 scribit: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis*

(1) Matth. 11, 27. (2) Matth. 16, 17.
(3) Matth. 11, 25 etc.

(4) De Praedest. Ss. cap. 8, n. 1.
(5) L. c., n. 3. (6) Ibid. cap. 3.

Dei enim donum est. Phil. I, 29: *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam, ut pro illo patiamini;* quibus verbis, ait *S. Augustinus* (1), Apostolus « utrumque ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum. Nec ait, ut plenius et perfectius credatis in eum, sed *ut credatis in eum.* Nec seipsum *misericordiam consecutum* dixit(2), ut fidelior, sed *ut fidelis* esset: quia sciebat, non se initium fidei suae priorem dedisse Deo, et retributum sibi ab illo augmentum, sed ab eo se factum fidelem, a quo et Apostolus factus est. » — I Cor. IV, 7 fidenter interrogat: *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* « quo praecipue testimonio, inquit *S. Augustinus* (3), etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis. » I Cor. XII, 3 legitur: *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto,* id est, nemo potest cum debita cordis reverentia Iesum Dominum suum credere, et profiteri, nisi per gratiam Spiritus sancti. II Cor. III, 5 haec habentur: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est:* quo ex loco ita argumentatur *S. Augustinus* (4): « Attendant hic, et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei coeptum, et ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum... Quod ergo pertinet ad religionem et pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est. » Hinc fides eorum, qui per Apostolorum praedicationem conversi sunt, gratiae adscribitur divinae, ut Act. XVI, 14 de Lydia purpuraria legitur: *Dominus aperuit cor* (eius) *intendere his, quae dicebantur a Paulo;* et ibid. XIII, v. 48 generatim dicitur: *Crediderunt, quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam.*

2. *Ss. Patres* etiam ad fidem eiusque initium gratiam actualem necessariam esse docuerunt. Quod patet ex citatis § praec. n. 3 testimoniis *S. Irenaei, Origenis, S. Cypriani, S. Basilii, S. Ambrosii* et aliorum. His addi possunt alia, quae speciatim ad praesens dogma referuntur. *S. Ambrosius* lib. de fuga saeculi (5) ait: « Non in potestate nostra est cor nostrum et nostrae cogitationes. » Et in Expositione prooemii Evang. S. Lucae ad haec verba: *Visum est mihi*, inquit: « Non voluntate tantum humana visum est, sed sicut placuit ei, qui in me loquitur Christus: qui, ut id, quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit, operatur... a Deo enim praeparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honorificetur a sancto Dei gratia est. » *S. Gregorius Naz.* (6), disserens de recta in SS. Trinitatem fide eiusque confessione, ait: « Qui primum dedit, dabit et secundum, » id est, qui dedit credere, dabit et confiteri; quibus verbis ipsam fidem a Deo datam profitetur. *S. Gregorius Nyss.* (7) docet, « facile quidem esse

(1) De praedest. Ss. Cap. 2. (2) 1 Cor. 7, 25.
(3) Ibid. c. 3, n. 1. (4) Ibid. c. 2, n. 3.
(5) Cap. 1, n. 1.
(6) Or. 41, n. 8 (al. Or. 44, n. 11.) in Pent.
(7) In Orat. catechet.

credere, sed hoc praesupposito, quod proprie a divina operatione est indigentium salus. » *S. Cyrillus Hieros.* (1) inquit : « Ipsius gratiae Iesu Christi est concedere, et nobis, ut sine defectu dicamus, et vobis, ut intelligentes audiatis. » Et alibi (2) : « Sine gratia praedicatis veritatibus assentiri non possumus. » *S. Chrysostomus*, cuius auctoritate Semipelagiani abutebantur, dogma catholicum aperte profitetur. Hom. 12, in I ad Corinth., n. 1 etc., haec profert : « Nihil ex te habes, sed a Deo accepisti... Ergo cum acceperis habes, non hoc vel illud, sed omnia quae habes. Non enim haec tua recte facta sunt; sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit. » Hom 14, in Epist. ad Rom., in illa verba: *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram*, ita loquitur : « Ut discas, non in laboribus tantum et periculis tibi gratiam adesse, sed etiam eam in iis, quae faciliora videntur, tecum cooperari, et ubique suam conferre opem, subiungit: *nam quid, ut oportet, oremus, nescimus...* etenim ad eam rem Dei ope egemus; usque adeo homo infirmus est, et ex se nihil. » Hom. 4, in Epist. ad Ephes., in illud: *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis*, ita prosequitur : « Ne fides quidem, inquit, est ex nobis. Nam si non venisset, si non vocasset, quomodo potuissemus credere?... Quare nec fidei donum est nostrum, sed Dei, non ex operibus; non enim suffecisset, inquit, fides ad salutem... Hoc ipsum est Dei donum, ne quis glorietur, ut nos gratos efficiat circa gratiam. » Hom. 28, in Gen., ait: « Deum preces nostras praevenire. » Hom. 13, in Ioan., docet, « gratiam Dei semper in beneficiis priores sibi partes vindicare. » Hom. 71, in Ioan., asserit, « Deum in nobis bonum opus incipere. » *S. Augustinus* librum 2um contra duas Epist. Pelagian. terminat dicens: « Nec omnino incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita et gratuita misericordia Dei. De qua suam cogitationem recolens quidam, sicut legimus Ps. LXXVI, 10 etc.: *Nunquid obliviscetur*, inquit, *misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas? Et dixi: nunc coepi, haec mutatio dexterae Excelsi.* Cum ergo dixisset : *nunc coepi*, non ait : *haec mutatio* arbitrii mei, sed *dexterae Excelsi.* Sic itaque de gratia cogitetur, ut ab initio bonae mutationis suae usque in finem consummationis, *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quia sicut nemo potest bonum perficere sine Domino, sic nemo incipere sine Domino. » Eandem doctrinam contra Semipelagianos strenue propugnarunt *S. Fulgentius*, et *S. Prosper.* — *S. Leo M.* (3) scribit: « Bonorum operum, et spiritualium studiorum Deus auctor est, qui quorum incitat mentem, adiuvat actionem ; » quibus verbis praevenientis et subsequentis gratiae necessitatem profitetur. Idem (4) ait: « Sine gratia nihil possumus: per ipsam omnia possumus. » *S. Bernardus* (5) dicit : « Deus tria haec, hoc est, bonum cogitare, velle, et perficere operatur in nobis ; primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit ; siquidem immittendo bonam cogitationem nos praevenit, immutando etiam malam voluntatem sibi per consensum iungit, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit. Sane ipsi nos praevenire nequaquam possumus. Qui autem bonum neminem invenit, neminem sal-

(1) Catech. 16., n. 2. (2) Catech. 13, n. 8.
(3) Ep. 61 (al. 49.) (4) Ep. 167 (al. 2.)
(5) L. de grat. et lib. arbitr. c. 14.

vat, quem non praevenit. A Deo ergo sine dubio nostrae sit salutis exordium, nec per nos utique, nec nobiscum. Verum consensus et opus, etsi non ex nobis, non iam tamen sine nobis. » — Doctrina Ss. Patrum in Conciliis definita fuit. Concilium *Arausicanum II*, can. 5, ait: *Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, et ad generationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti... sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur;* et can. 7: *Si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod pertinet, ad salutem vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu.* Concilium *Tridentinum* (1) inquit: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere... posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.*

3. *Rationes theologicae* sequentes afferri solent: *a*) Ex probatis § praec. constat, gratiam ad quodlibet opus salutare necessariam esse: atqui initium fidei, seu pius credulitatis affectus inter bona opera computari debet, cum inde bonorum operum series, ac salus ipsa pendeat, quia fides totius salutis basis ac fundamentum est: ergo etiam ad initium fidei et ad pium credulitatis affectum gratia est necessaria. Secus verum non esset, quod Christus dicit: *Sine me nihil potestis facere,* et quod Apostolus adseverat: *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. b*) Fides ut salutem hominis promoveat, supernaturalis esse debet: ast intellectus et voluntas tanquam facultates mere naturales activitatis suae sphaeram transcendere nequeunt, atque ideo actum supernaturalem nec incipere, nec perficere possunt. *c*) Hac de causa Ecclesia semper donum fidei a Deo pro infidelibus postulare ac pro illo concesso gratias agere consuevit. Pro certo igitur habuit, fidem salutarem ita esse donum Dei, ut per gratiam divinam et incipiatur et firmetur. Neque enim, ut optime arguit *S. Augustinus*, ab alio poscimus, quod in nostra est potestate: « Quando enim, inquit, non oratum est in Ecclesia pro infidelibus, atque inimicis eius, ut crederent?... Nam si haec ab ipso (Deo) quidem poscit Ecclesia, sed a se ipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet; quod absit a nobis. Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere, quod orat, a Domino, si hoc a seipso se sumere existimat, non ab illo » (2)? — Etenim « Oratio, ut idem S. Doctor (3) loquitur, clarissima est gratiae testificatio. » *d*) Gratia, ut inferius probabitur, est plane gratuita, nec meritis humanis rependitur. Istud autem dogma evertitur per doctrinam Semipelagianorum. Nam si fidei initium, vel aliquis pius credulitatis affectus, desiderium, aut cogitationes salutares essent in nobis sine gratia, iam aliquo modo gratiam promereremur; « quis autem dicat, ait *S. Augustinus* (4), eum, qui iam coepit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri? » — Hoc autem iam damnatum

(1) Sess. 6, can. 3.
(2) Lib. de dono persev. c. 23, n. 1.
(3) Epist. 177, n. 4.
(4) De praedest. Ss. cap. 2

fuerat a synodo *Diospolitana*, in qua *Pelagius* ipse, ne anathema incurreret, damnavit hanc propositionem : « Gratiam secundum merita nostra dari. » Accedit et illud maxime absurdum, ut idem S. Doctor notavit, hominem quasi componere cum Deo, « ut partem fidei sibi vindicet, atque illi partem relinquat; et quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi, et in eo, quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum. » In systemate nempe Semipelagianorum primas in salutis negotio partes homo sibi vindicaret, non Deus.

Nota 1. Omnes Catholici admittunt, gratiam internam praevenientem, seu excitantem necessariam esse ad hominis conversionem sive ab infidelitate ad fidem, sive a peccato ad iustitiam. Quidam vero cum Card. *Bellarmino* (1) opinantur, iustos, iam gratia sanctificante ornatos, in singulis operibus salutaribus exercendis indigere quidem gratia adiuvante et cooperante, non tamen praeveniente et excitante. Innituntur autem notioni gratiae sanctificantis, quae est charitas Dei cordi infusa, necessario coniunctam habens delectationem iustitiae, quae promptos nos et expeditos efficit ad omne bonum, et ex qua ideo tanquam sua radice nascuntur boni affectus et pia desideria. Unde Christus ait: *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum* (2). Et Concilium *Arausicanum II* dicit can. ult.: *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere;* quibus verbis pro iustificatis necessaria declaratur gratia adiuvans et cooperans, non autem excitans et praeveniens. — Ast haec sententia merito repudiatur; graves enim rationes ostendunt, iustis quoque ad singulos actus praeter gratiam habitualem necessariam esse actualem non solum cooperantem, sed etiam excitantem, seu praevenientem. Nam habitus in actum non erumpit, nisi a facultate, in qua est, applicetur ad operandum: facultas autem ad hoc indiget vel concursu Dei generali in rebus naturalibus, vel supernaturali ac speciali in rebus supernaturalibus. Quod declarat S. *Thomas* (3) dicens: « Homo in gratia existens non indiget alio auxilio gratiae quasi aliquo alio habitu infuso: indiget tamen auxilio gratiae secundum alium modum, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum, et hoc propter duo. Primo quidem, ratione generali propter hoc, quod, sicut supra (4) dictum est, nulla res creata potest in quemcunque actum prodire nisi virtute motionis divinae; secundo, ratione speciali propter conditionem status humanae naturae, quae quidem, licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio et infectio quantum ad carnem etc. » Ergo iuxta angelicum Doctorem etiam homini iustificato necessaria est gratia actualis, ut ad salutariter operandum moveatur, seu excitetur. Citata verba Christi (5), si de sola gratia habituali intelligenda essent, etiam gratiae cooperantis necessitatem excluderent. Rectus istorum verborum sensus est, homines per gratiam sanctificantem in Christo manentes continuo et actuali influxu excitantis gratiae indigere, eoque frui, sicuti palmites indigent, et

(1) Lib. 6, de grat. et lib. arbit. cap. ult. in fine. (2) Io. 15, 5. (3) 1 2, q. 109, a. 9. (4) Art. 1. (5) Io. 15, 5.

fruuntur iugi influxu vitis, ut fructum ferant: hinc mox de Apostolis iam iustificatis (1) dicitur: *Sine me*, sine gratia mea, *nihil potestis facere*, adeoque nec bonum opus incipere. — Gratiam excitantem, seu praevenientem etiam iustis ad actus salutares necessariam esse, docuerunt Ss. Patres. *S. Augustinus* (2) ait: « In omnibus, quae quique agit secundum Deum, misericordia eius praevenit eum; » et (3): « Deus nolentem praevenit, ut velit, volentem sequitur, ne frustra velit.» *S. Gregorius M.* (4) inquit: « Ipse aspirando nos praevenit, ut velimus, qui adiuvando subsequitur, ne inaniter velimus.» — *S. Bernardus* (5) dicit: « Conatus liberi arbitrii ad bonum et cassi sunt, si a gratia non adiuventur, et nulli sunt, si non excitentur.» *Africani* Patres in responsoriis litteris ad epistolam Zosimi scribunt: « Praeparatur voluntas a Domino: et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium, » nimirum divinis inspirationibus, quae sunt gratiae actuales. Concilium *Arausicanum II*; can. 7, ait, eos haeretico spiritu falli, qui asserunt, *hominem per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, atque eligere posse absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti:* ergo ad opus salutare non solam gratiam habitualem sufficere putat, sed ad illud *cogitandum, et eligendum* illuminationem et inspirationem Spiritus sancti, seu gratiam actualem necessariam pronuntiat: et can. 9 ita statuit: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur operatur.* Unde patet, quo sensu citata verba canonis ultimi accipienda sint; ut nempe Christus auxiliari intelligatur etiam gratia praeveniente et excitante eos, quos habituali sua gratia sanctificavit: Concilium *Tridentinum* (6) ita loquitur: *Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos, iugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possunt* etc.; ubi manifestum est, per ea verba: *Christus in ipsos iustificatos iugiter virtutem influit*, denotari gratiam actualem, quae bona eorum opera non solum comitari et subsequi, sed et semper antecedere debet.

Nota 2. Cognitis argumentis, quibus necessitas gratiae ad initium fidei et boni operis probatur, audienda et refellenda sunt etiam sophismata eorum, qui dogma catholicum impugnarunt.

Obi. I. S. Scriptura passim primas partes in salutis negotio homini tribuit. Sic Prov. XVI, 1 dicitur: *Hominis est praeparare animam, et Domini gubernare linguam;* et v. 9: *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.* Zachar. I, 3: *Convertimini ad me, et convertar ad vos.* Iacob. IV, 8: *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Homo ergo animam suam praeparare, primam dispositionem ceu initium fidei ponere, et per pium credulitatis affectum se ad Deum convertere, seu Deo adpropinquare debet, ut deinde gratiam consequatur, per quam fides, ac bona opera perficiantur. Unde Apostolus de seipso dicit (7): *Velle*

(1) Io. 15, 5.
(2) L. 4 ad Bonifac. c. 6.
(3) In Enchir. cap. 33.
(4) L. 1 in Ezech. hom. 9, n. 2.
(5) De grat. et lib. arb. cap. 13.
(6) Sess. 6, cap. 16. (7) Rom. 7, 18.

adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio: quasi diceret: incipere bonum est in mea potestate, non vero illud perficere.

Resp. Citata S. Scripturae loca gratiam praevenientem non excludunt, sed supponunt: ostendunt enim, praeparationem, dispositionem et conversionem ad Deum fieri quidem per liberum arbitrium, sed non sine Deo ipsum praeveniente, excitante et ad se convertente. Hinc eaedem Ss. Litterae aliis in locis non solum operis consummationem, sed etiam initium, ipsam praeparationem, omnemque bonam voluntatem et piam cogitationem Deo largitori omnium bonorum adscribunt, uti testimonia iam antea allata probant. Quia enim in quolibet opere bono gratia et liberum arbitrium concurrunt, dum actus bonus uni causae adscribitur, altera non negatur. Hinc nempe in Ss. Libris quandoque unus idemque actus modo gratiae, et modo libero tribuitur arbitrio. Sic Ps. LXXX,11 dicitur: *Dilata os tuum, et implebo illud;* et Ps. L, 16 habetur: *Domine, labia mea aperies; et os meum annuntiabit laudem tuam.* Ezech. XVIII, 31 Deus praeceperat: *Facite vobis cor novum, et spiritum novum;* postea autem id non obtineri nisi ipso donante declarat c. XXXVI, 26 dicens: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri.* Zachar. I, 3 dicit Dominus: *Convertimini* etc.; et ab opposito Ps. LXXIX nos dicimus Deo: *Deus virtutum, converte nos.* Ier. XXXI, 18: *Converte, et convertar... postquam enim convertisti me, egi poenitentiam.* Thren. ult., 21: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Praeclare idcirco Concilium Tridentinum (1) observat: *In sacris Litteris, cum dicitur: Convertimini ad me, et convertar ad vos, libertatis nostrae admonemur; et cum respondemus: Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, Dei nos gratia praeveniri confitemur.* — Rom. VII, 18 Apostoli mens non est, quod voluntas illa sit absque auxilio gratiae; secus non scripsisset Phil. II, 13: *Deus est, qui operatur velle et perficere.* Hoc unum itaque docet, praeter gratiam, quae facit velle, aliam esse necessariam, quae det agere, atque perficere; uti observat *S. Prosper* (2).

Obi. II. In S. Scriptura iubet nos Deus orare, nostraeque postulationi se adfuturum pollicetur. *Petite,* inquit Christus, *et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* (3). A nobis igitur est, ut petamus, quaeramus, pulsemus, et sic auxilium divinum impetremus. Nam quod ab alio petimus, non est in nostra potestate: ergo quod a nobis petitur et exigitur, pendet a nobis. Atqui a nobis exigitur, ut petamus, quaeramus, pulsemus etc.; ergo petere, quaerere, pulsare etc. est in nostra naturali potestate. Nos nempe primum conatum adhibere, et ita gratiam Dei consequi debemus. Unde etiam David ita Deum affatur: *Mane oratio mea praeveniet te* (4).

Resp. Verba Christi significant tantum, quaedam esse gratiae divinae beneficia, quae orationibus nostris concedenda sint, sed perperam inde colligitur, quod nostris ea viribus petere possimus, cum idem Christus dicat: *Sine me nihil potestis facere.* Iubemur quidem orare; sed ex his praeceptis colligi duntaxat potest, orationes ita esse a Deo inspirante, ut etiam sint a nobis annuentibus, consentientibus et elicientibus: gratia autem divina praevenit nos, ut annuamus, consentiamus, et praece-

(1) Sess. 6, c. 5. (2) Contra Collat. c. 4. (3) Luc. 11, 9. (4) Ps. 87, 14.

ptum orandi impleamus. Ideo S. *Augustinus* (1) docet, etiam ipsam orationem inter munera gratiae reperiri, «praesertim, inquit, quoniam *quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus*, ait Apostolus, *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*..... quid est: *ipse Spiritus interpellat*, nisi interpellare facit *gemitibus inenarrabilibus*, sed veracibus, quoniam veritas est Spiritus? Ipse est enim de quo alio loco dicit: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba, Pater* (2)! Et hic quid est: *clamantem*, nisi clamare facientem tropo illo, quo dicimus laetum diem, qui laetos facit? — Quod alibi manifestat, ubi dicit... *accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater* (3)! Ibi dixit: *clamantem;* hic vero: *in quo clamamus*, aperiens videlicet, quomodo dixerit: *clamantem*, id est, sicut iam exposui: clamare facientem. Ubi intelligimus, et hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritualiter clamemus ad Deum. Attendant ergo, quomodo falluntur, qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quaeramus, pulsemus etc.» David (4) dicit, se summo mane tempus consuetum orationis praevenire, non autem gratiam Dei praevenientem excludit, qui Ps. LVIII, 11 ait: *Deus meus, misericordia eius praeveniet me.*

Obi. III. Christus ipse docet, gratiam iuxta dispositionem ab homine praemissam distribui. Nam Matthaeus XXV, 15, Deus dicitur talenta dedisse *unicuique secundum propriam virtutem;* et Apostolos suos circa praedicationem Evangelii instruens ait, Matth. VII, 6: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*, ac ibid. X, 11: *In quamcumque civitatem intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, et ibi manete.* Quibus verbis videtur clare significari, esse aliquos dignos, quibus Evangelium annuntietur; haec autem dignitas non potest esse nisi ex operibus factis sine gratia: ergo ad ipsam fidem homo se disponere debet, ut ad illam accipiendam dignus reddatur.

Resp. Quod verba Christi Matthaei XXV, 15 attinet, *Cornelius a Lapide* (5) putat illud: *secundum propriam virtutem*, aut ad emblema parabolae pertinere, adeoque nullam intentam peculiarem significationem praeseferre, aut spectare ad gratias gratis datas et status, ut magistratum, episcopatum, apostolatum, sacerdotium etc., quos status Deus naturae viribus attemperare solet. Alii dicunt, sermonem esse de gratia sanctificante, nihilque inde consequi; quia gratia illa datur secundum mensuram praeviae dispositionis, quae non est a natura, sed a praeveniente gratia. *S. Thomas* (6) eandem obiectionem solvens dicit, « quod illa virtus, secundum quam Deus sua dona dat unicuique, est dispositio, vel praeparatio praecedens, sive conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam dispositionem, vel conatum praevenit Spiritus sanctus movens mentem hominis plus, vel minus secundum suam voluntatem. Unde Apostolus dicit, qui dignos nos fecit in partem sortis *Sanctorum in lumine;* et: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (7). » — Matth. VII, 6 nihil aliud Apostolis praecipitur, nisi non esse sancta Religionis nostrae mysteria hominibus profanis, et impuris

(1) De dono persev. c. 23. (2) Gal. 4, 6. (3) Rom. 8, 15. (4) Ps. 87, 14.

(5) In h. l. (6) 2 2, q. 24, a. 3 ad 1. (7) Col. 1, 12. Eph. 4, 7.

communicanda, *ne forte conculcent ea pedibus suis*, ut ibidem subditur. Matth. X, 11, videtur Christus solum praecepisse Apostolis, ut apud eos diversarentur, qui inter Iudaeos digni erant dignitate famae externae, non autem dignitate occulta morum; ne scilicet, si ad infames homines divertissent, male et ipsi audirent. « Hospes, inquit S. *Hieronymus* hunc locum explicans, fama eligendus est populi, et iudicio vicinorum, ne praedicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur. » Vel fortasse, cum ibi de Iudaeis tantum sermonem habeat Christus, aliqui etiam digni esse poterant Evangelii praedicatione ex meritis gratiae, et iustitiae per fidem in Christum venturum. Nec obstat quod subdit ibidem Salvator: *Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam.* Haec enim verba hunc sensum habent: si Deus fecerit domum illam dignam gratiae suae praedestinatione etc., non autem quod a Deo inventa fuerit digna; nam, ait S. *Augustinus* (1), « Deus neminem dignum eligit, sed eligendo facit dignum: » et, ut dicitur Act. XIII, 48, praedicante Paulo, *crediderunt*, non qui iam digni ex conatu naturali erant, et dispositi, sed *quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.*

Obi. IV. S. Scriptura nonnulla exempla suppeditat eorum, qui suis bonis operibus gratiam a Deo promeruerunt. Ita *Zachaeus* publicanorum princeps desiderio videndi Christum, ipsum domi suae hospitem, et Salvatorem habere meruit (2); unde S. *Ambrosius*(3): « studio suo eam Domini gratiam impetrasse, » ait. Idem dici potest de beato illo *latrone*, qui ob Christi auxilium invocatum audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiso* (4). Christus ipse Centurionis fidem admirans, et laudans dixit: *Non inveni tantam fidem in Israël* (5); si autem illa fides fuisset donum Dei, potius dicendum erat a Christo: *Non dedi tantam fidem in Israël;* nec tunc erat ulla vel admirationis, vel laudis causa. Alter Centurio, *Cornelius* nomine (6), eleemosynis et orationibus promeruit admoneri ab Angelo, ut Petrum accerseret, a quo de Evangelio edoceretur. Ita etiam historia ecclesiastica exempla eorum exhibet, qui per opus quoddam misericordiae sanctis martyribus exhibitum fidem salutarem consecuti sunt. Haec exempla commonstrant, hominis esse incipere, Dei autem perficere fidem.

Resp. Allata exempla dogmati catholico non repugnant, quia certum est, neminem ex his vel aliis, quae similiter afferri possent, solis suis viribus, et sine Dei auxilio gratiam fuisse promeritum. *Manifestissime credendum est*, inquit Concilium *Arausicanum II*, can. 25, *quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, et Zachaei, qui ipsum Dominum accipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum.* Zachaeus ergo pium Christum videndi desiderium per gratiam praevenientem concepit, quod non negat S. *Ambrosius*, qui quamlibet sanctam cogitationem Dei munus, Dei inspirationem, Dei gratiam vocat. Idem dicendum est de latrone, de quo S. *Leo*(7) ait: « Dominum confitetur et Regem quem videt supplicii sui esse consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipsa respon-

(1) L. 5, c Iulian. cap. 3, n. 13. (2) Luc. 19.
(3) Lib. 1, de Cain et Abel cap. 8.
(4) Luc. 23, 43.
(5) Matth. 8, 10.
(6) Act. 10.
(7) Serm. 2 de pass.

sum.» — Cum Christus ipse aperte doceat, neminem ad se venire, seu credere posse sine gratia divina, ut n. 1 probatum est; certe etiam Centurionis fides tota fuit gratiae divinae donum, qua tamen non tollitur liberum arbitrium, ac proinde nec laus, nec praemium: quod si Christus fidem illam admiratus est et laudavit, non praecise ob fidem ut donum Dei, sed ob liberam eius cooperationem id fecit, in qua utique Centurio prae tot aut incredulis, aut oscitantibus Israëlitis, commendabilem se exhibuit.— Cornelium Centurionem aliquam habuisse fidem in Christum, quando orabat et eleemosynam largiebatur, pro certo habet *S. Augustinus*(1), et post ipsum *S. Thomas* (2); alioquin quomodo orationes eius et eleemosynae potuissent esse acceptae Deo, cui sine fide impossibile est placere? — Aliquam autem Messiae notitiam homo ille Romanus potuit ex diuturna cum Iudaeis conversatione haurire, salutarem autem fidem gratia divina praeventus et adiutus concepit. Quod exempla attinet ex historia ecclesiastica allata, dicendum est, homines nullatenus per opera solis viribus naturae peracta fidei gratiam promeruisse, sed ipsos aut iam gratia praeventos praefata opera suscepisse, aut per preces Martyrum conversionis gratiam obtinuisse.

Obi. V. III Reg. VIII, 17, legitur de Davide: *Voluit aedificare domum nomini Domini Dei Israël, et ait Dominus ad David...: Quod cogitasti in corde tuo aedificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans. Veruntamen tu non aedificabis mihi domum.* Unde sic colligitur: haec cogitatio Davidis certe fuit bona, alioquin Deus eam minime laudasset; atqui tamen a Deo non fuit; si enim Deus eam inspirasset, eidem non negasset effectum: ergo bona cogitatio et pium desiderium sine gratia ab homine concipi potest.

Resp. Hanc obiectionem iam *S. Prosper* (3) contrivit docens, illam Davidis voluntatem, et fuisse bonam, et fuisse a Deo, quanquam Deus iusto iudicio suo noluit eam voluntatem, quam ipse inspiraverat adimpleri; cuius rei idem *S. Prosper* plura exempla affert; ut cum Deus Apostolis bonam voluntatem immisit praedicandi Evangelium omni creaturae, et postea vetuit eos loqui verbum in Asia, et ire in Bithyniam (4). Ecclesia etiam orat quotidie pro infidelibus, et hoc acceptum est coram Deo; « et tamen quod pro omnibus petitur, non pro omnibus obtinetur; nec est iniquitas apud Deum, qui saepe postulata non tribuit, quae postulare donavit.» Et celebre est praeceptum datum Abrahae, ut filium suum Isaac immolaret, cuius tamen praecepti adimpletionem Deus ipse novo mandato prohibuit, sola voluntate et obedientia contentus.

Obi. VI. Patres Graeci, et ex Latinis quoque nonnulli in ea sententia fuerunt, quod initium fidei et salutis a nobis sit, quod bona voluntas gratiam praeveniat, et quod Deus subsequente sua gratia pios ac naturales voluntatis conatus iuvet. Ita *Hermas* in Pastore (5) ait: « Quorum viderat Dominus puras mentes futuras, et servituros ei ex totis praecordiis, illis tribuit poenitentiam. » *S. Iustinus M.* (6) scribit: « Qui cum ratione vixerunt, Christiani sunt, quamvis athei, et nullius numinis cultores habiti sunt; quales inter

(1) De Praed. Ss. cap. 7.
(2) 2, 2 q. 10, art. 4 ad 3.
(3) Cont. Collat. cap. 12. (4) Act. 16, 6 etc.
(5) L. 3, simil. 8, n. 6. (6) Apol. 1, n. 46.

Graecos fuere Socrates, Heraclitus, atque iis similes. » Censuit igitur, sine gratia potuisse homines recte honesteque vivere. Neque ab eo dissentit *Clemens Alex.*, qui (1) docet, veteres Philosophos a philosophia iustificatos fuisse, atque (2) illud memorandum subdit: « Praeparat ergo Philosophia (graeca) ei viam muniens, qui a Christo perficitur. » *S. Irenaeus* (3) docet, « Prophetas hortari homines ad iustitiam et ad bonum opus, quia hoc in nobis est. » S. *Chrysostomus* (4) dicit: « Istud ipsum, quod Patriarcha, qui ante gratiae tempus et ante legem fuit, a seipso, et scientia, quae naturae insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium, sufficit, ut omnes nostras excusationes refutet. At forte dicent aliqui: Vir ille multam a Deo gratiam consecutus est, et omnium Dominus singularem eius curam habuit? — quod et ego fateor. Verum nisi primus et ipse, quod suum erat fecisset, non tanta a Domino obtinuisset... Vidistis, quomodo ab initio quae a seipso erant, attulerit, et propterea divina quotidie ubertim susceperit!... Cum viderit (Deus) sanam mentem nostram, et nos conari et eniti ad virtutis certamina, statim nutu et subsidio suo nos adiuvat. » Idem scribit (5): « Nostrum quidem est praeeligere et velle, Dei autem est perficere... quando nos elegerimus, tum multum nobis affert auxilium. » Ex Latinis *S. Cyprianus* (6) dicit: « Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam esse. » *S. Hilarius* (7) ait: « Est quidem in fide manendi a Deo munus, sed incipiendi a nobis origo est. Et voluntas nostra hoc proprium ex se habere debet, ut velit: Deus incipienti incrementum dabit. » *S. Optatus Milev.* (8) inquit: « Est enim christiani hominis, quod bonum est, velle, et in eo, quod bene voluerit currere; sed homini non est datum perficere, quia nostrum est currere, Dei autem perficere. » *S. Ambrosius* Apol. II David. (9) ait: « Ideo hanc gratiam (Ecclesia) meruit a Christo, quia Verbum Dei, quaesivit, desideravit; » et in Luc. (10) sic loquitur: « Non enim dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur; » et l. 2 de Abraham (11) scribit: « Oportere, ut tales nos praebeamus bonis studiis et prompta fide, ut Deus nostri misereatur, et vocet nos. » *S. Hieronymus* (12) haec habet: « Hoc scito baptismum... non servare iustitiam, quae labore et industria ac diligentia, et semper super omnia Dei clementia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius tribuere, quod rogatur, nostrum incipere, illius perficere, nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus. »

Resp. Ad obiectiones istas ex Patrum auctoritate petitas solvendas quaedam observanda sunt. *a*) Unius et alterius Patris dissensus non infringit argumentum depromptum ex Traditione, quae praecipue ex universali magisterio ecclesiastico, et ex iis Patribus hauritur, quorum doctrina ab Ecclesia approbata fuit. *b*) Locis Patrum citatis opponimus alia eorum testimonia, n. 2 adducta, in quibus clare profitentur, initium fidei et salutis a Deo esse, et gratiam divinam semper bonam hominis voluntatem praevenire. *c*) Quod si Patres antiquiores non semper et ubique hoc dogma clare exprimunt, nil exinde contra istud inferri potest.

(1) L. 1 Strom., n. 20. (2) Ibid. n. 5.
(3) L. 4 adv. haer. c. 37.
(4) Hom. 42 in Gen. n. 1.
(5) In Hom. 12, in Ep. ad Hebr. n. 3.
(6) L. 3 Testim., cap. 59.
(7) In Ps. 128, lit. 14, n. 20.
(8) Hist. Donat. lib. 2. (9) C. 9, n. 47
(10) L. 9. (11) N. 74.
(12) Dial. contra Pelag. l. 3. n. 1.

Nam antequam circa dogmata aliqua nascerentur haereses, non loquebantur homines ea cautela iisque verborum limitationibus, quae postmodum fuerunt adhibitae. Controversiae nimirum exortae effecerunt, ut constituerentur et definirentur voces, certaque cautione modi loquendi circumscriberentur. Ideo S. *Augustinus* de auctoritate Patrum gloriantibus l. 1 c. Iulian. (1) dixit: « Vobis nondum existentibus securius loquebantur, et in Ecclesia Dei loquentes non aliter intelligebantur, quia Ecclesia et fideles crediderant; » et l. de Praed. Ss. (2) ait: « Quid opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui prnusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, et transeunter attingerent. » *d*) Prioribus Ecclesiae saeculis Marcionitae aliique haeretici asserebant, ex quadam fati specie pendere omnia, nihilque prorsus conferre industriam nostram ad salutem ; quos ut refellerent, Ss. Patres ad declarandam et probandam potestatem liberi arbitrii obligabantur. Hac de causa contendunt, in nobis, seu in nostra potestate esse, credere et bene operari, quod dum dicunt, gratiam non excludunt, sed supponunt. Et dum identidem asserunt, Deum non praecedere voluntatem, dumque gratiam praevenientem excludere videntur; sensus eorum est, Deum non praecedere vim inferendo, neque talem gratiam dari, quae ita ad se trahat voluntatem, ut volitio hominis non amplius sit libera, sed necessitatem inferat in sensu haereticorum. Ita intelligenda sunt citata verba *S. Cypriani*, *S. Irenaei*, imo etiam *S. Chrysostomi*, qui saepe illos oppugnat, qui liberum arbitrium negant, aut de gratiae defectu queruntur, aut talem gratiam poscunt, quae ipsis vim inferat. *e*) Generatim dum Patres docent, debere nos incipere, seu primum decernere, velle, eligere; id asserunt non negata, sed supposita gratia, quae hanc nobis clanculum suppeditat facultatem : et dum asserunt, volendo et omnem diligentiam adhibendo impetrari a nobis gratiam; id intelligunt de gratia subsequente et adiuvante. Haec confirmantur ex eo, quia indigitatae assertiones plerumque inveniuntur in Ss. Patrum homiliis seu publicis sermonibus, in quibus auditores admonendi erant, ut gratia praevenienti cooperentur, et per preces ac pia opera uberiora auxilia divina promererentur. Dum ergo Patres in huiusmodi admonitionibus gratiae praevenientis necessitatem reticent, eam tamen non negant, quam, ut *S. Ambrosius*, *S. Chrysostomus* et *S. Hieronymus* alibi clarissime profitentur. Profecto molesta et intolerabilis res foret, si omni propositioni, quae sinistre explicari posset, clausulam aliquam in publico sermone, aut etiam libris conscribendis semper adhibere deberemus. Hoc autem eo minus temporibus illis necessarium erat, quod, exorta nondum Semipelagianorum secta, gratia praeveniens tacite ab omnibus intelligebatur. Nemo dubitat, *S. Augustinum* gratiae praevenientis necessitatem propugnasse; et tamen ipse quoque etiam in libris post exortam haeresin pelagianam exaratis similibus loquendi modis utitur; sic En. in Ps. XCII scribit: « Para locum in corde tuo, ubi sedeat Deus: » l. 1 de lib. arbit

(1) Cap. 6. (2) Cap. 14.

cap. 12, dicit, « in voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur, vel careamus tanto, et tam vero bono, » vitam nimirum agendi honestam et sanctam: ad Simplic. l. 1, q. 1, ait: « Certe enim ipsum velle in nostra potestate est, quoniam adiacet nobis; sed quod perficere bonum non est in nostra potestate, ad meritum pertinet originalis peccati. » *f*) *Petavius* aliam praeclaram observationem addit (1) dicens: « Non raro veteres, dum de gratia loquuntur, plenam et perfectam intelligunt, non inchoatam ac rudem, quae prima nominatur, cuius plerumque mentionem non habent..... ut *Theodoretus*, *Photius*, *Theophylactus*, atque ipse quoque *Chrysostomus*... Non enim primum voluntatis motum et rationis in gratia numerant, veluti pia desideria, quibus ad pleniorem quaerendam (fidem), ac Dei notitiam et amorem excitamur; quae sunt excellentiora gratiae munera, proindeque gratiae nomen ac titulum praecipue merentur. » His rite perpensis, obiectiones, quae ex Patribus petuntur, facile confutantur. Supervacaneum autem non est circa singula loca ab adversariis obiecta quaedam observare. Ac imprimis *S. Hermas* nihil aliud dicit, nisi Deum concedere gratiam poenitentiae bene ad eam dispositis, non autem has bonas dispositiones ex hominibus esse sine ulla gratia Dei. *S. Iustinus M.* Socratem, Heraclitum eorumque similes in lato sensu *Christianos* vocat, non quod putaverit, istorum opera fuisse salutaria, seu ad salutem utilia, quod absque gratia fieri nequit; sed ut ostenderet ea, quae veteres Philosophi recte sapienterque docuerunt, vel egerunt, ad Religionem Christi quodammodo pertinere, quia haec a recta eorum ratione promanabant, quae est divinae rationis, seu Verbi participatio quaedam (2). Caeterum gratiae necessitatem et gratuitatem multis in locis praedicavit S. Martyr: sic Dial. cum Thryph. (3) citans verba Ps. XXI, 11: *Deus meus es tu, ne discedas a me*, inquit: « Docet, in Deum, qui omnia creavit, omnes sperare debere, et ab eo solo salutem et auxilium quaerere. » — *Clemens Alex.* tribuit quidem Philosophiae aliquam dispositionem ad fidem et iustificationem, sed omnino remotam, negativam, impropriam, et nullo pacto cum ipsa fide, vel iustificatione coniunctam; quatenus homines Philosophiae beneficio nonnullis praeiudiciis et erroribus declinatis, veluti uno gradu, ut idem Clemens loquitur (4), ad fidem accedere videbantur. De *S. Irenaeo*, *S. Chrysostomo*, *S. Cypriano* et *S. Ambrosio* difficultas iam sublata est tum per eorum testimonia supra citata, tum per ea, quae hic observata sunt. — *S. Hilarius* (5) ipse fatetur, a multis saepe dici, « proprium Dei munus esse, ut quis in Dei rebus et operibus versetur; » ex quo patet, doctrinam hanc tunc communem fuisse, quae omnia bona nostra Dei dona esse profitetur: neque hanc doctrinam negat S. Doctor, sed tantum illos impugnat, qui hac doctrina abutuntur, « excusantes infidelitatem suam, quod cessante erga se Dei voluntate maneant infideles, » cum tamen non ipsis gratia Dei, sed ipsi gratiae Dei desint. Caeterum *S. Hilarius* necessitatem gratiae praevenientis clare profitetur; nam (6) adversus humanam insolentiam proponit ac laudat Prophetae exemplum, qui « omnia vult a bonitate Dei in-

(1) L. 9 de Deo, cap. 4, n. 8.
(2) Cf. Apol 2. n. 10, et n. 15. (3) 102.
(4) L. 1 Strom. (5) Loco cit.
(6) In Ps 118 lit 6. n 4

choari;» et (1) scribit: « Misericordiam itaque primum deprecatus est, dehinc salutare. Salus enim nostra ex misericordia Dei est, et bonitatis suae hoc munus in nobis est, et inde coepit oratio, unde et salus inchoat deprecantis » (2). De textu citato *S. Optati, Natalis Alex.* scribit: « His verbis praeformatus videtur Semipelagianorum error, vixque in bonum sensum flecti possunt.» Ast Cl. *Perrone* S. Patrem ab errore vindicat (3), dicens: « *S. Optatus* non disserit de perfectione, ideoque nec de voluntate in sensu Semipelagianorum, sed de ea perfectione, quae nullum admittit peccatum, quam, excepto Christo, in terris nemo habuit, sed solum in coelis reservata Beatis est. Cum ergo dixit, hominis christiani esse bonum velle et illud operari, non de nudo arbitrio, sed de Christiano, qui iam instructus fide sit et Christi donis, intellexit » (4). Idem (5) addit: « Verba *S. Hieronymi*, si attentius introspiciantur, nullam praeseferunt difficultatem; cum ipse non excludat a labore, diligentia ac industria nostra gratiae subsidium, sed aperte includat dicens: *Semper super omnia Dei clementia iustitiam custodiri;* et clarius (6): *Ipsumque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.* Commendat itaque liberum arbitrium adiutum ac praeventum a divina gratia in facilioribus, ut deinde per orationem uberiorem gratiam ad difficiliora persequenda impetremus.» Ex quibus patet, longe Patres abfuisse a Semipelagianorum pravitate.

Obi. VII. Homo intellectu et voluntate praeditus est, ut verum cognoscere, et bonum eligere possit, atque ideo sine ulla gratia fidem concipere valet. Revelatio enim christiana tot evidentibus argumentis fulcitur, ut cum Psalmista recte dicatur: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (7). Intellectus ergo de veritatibus revelatis convinci, et voluntas ad easdem credendas inclinari potest; atque ita saltem initium fidei per vires naturales ponitur. Id confirmatur ab exemplo Iudaeorum et Haereticorum, qui aliquas saltem veritates revelatas firmo assensu credunt, quamvis haec ipsorum fides gratiae divinae adscribi nequeat.

Resp. Per facultates naturales obtineri quidem potest naturalis quaedam persuasio de certitudine revelationis factae, non autem fides supernaturalis et salutaris. Absurdum enim esset, viribus mere naturalibus actum supernaturalem adscribere, cum natura terminos suos transgredi minime possit; transgrederetur autem, si homo per liberi arbitrii vires posset se elevare ad gratiam sibi comparandam, ad credendum aliaque praestanda, quae ad ordinem supernaturalem spectant. Necesse proinde est, ut gratia hominis sive in statu naturae integrae, sive in statu naturae lapsae praeveniat quemcunque conatum, desiderium, petitionem, ut illuc pertingere possit. Ideo *S. Thomas* (8) ait: « Cum homo assentiendo his, quae sunt fidei, elevetur supra naturam suam, oportet, quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente, quod est Deus; et ideo fides, quantum ad assensum, qui est actus principalis fidei, est a Deo interius movente per gratiam.» Iudaei et Haeretici multos articulos fidei credunt fide duntaxat humana

(1) In Ps. 118, lit. 6, n. 2.
(2) Cf. Tract. in Ps. 122, et in Ps. 126.
(3) De gratia P. 1, c. 2, n. 88.
(4) Cf. eiusdem not. 2. (5) Ibid. n. 89.
(6) Epist. 130. (7) Ps. 92.
(8) 2 2, q. 6, art. 1.

et naturali, non autem fide divina et supernaturali. Haeretici enim mysteria non credunt ut a Deo revelata, sive propter revelationem divinam: cum enim contemnant iudicium Ecclesiae, quam Deus innumeris signis et prodigiis infallibilem esse ostendit, non habent causam infallibilem proponentem ipsis revelationem Dei; sed ad spiritum suum privatum confugiunt, cuius infallibilitatem nulla solida ratione probare possunt; adeoque non credunt, quia Deus id revelavit, sed ideo solum, quia ita ipsis placet credere. Neque credunt illa mysteria firmiter et ex pio affectu: si enim crederent ob auctoritatem Dei loquentis, cum haec eandem in omnibus articulis revelatis fidem mereatur, indiscriminatim crederent omnia a Deo revelata, atque ipsis sufficienter proposita; quod tamen non faciunt, cum aliqua arbitrario amplectantur, alia temere reiiciant. (Cf. § 5, nota 5.) Haec vero, quae modo diximus, intelligenda sunt de haereticis formalibus; materiales enim haereticos, qui inculpabiliter putant veram se habere fidem, parati a secta sua discedere, ubi de illius falsitate convincantur, nihil vetat, adspirante et adiuvante Deo, piam habere credulitatem, ac fide supernaturali credere mysteria revelata sufficienter sibi proposita, simul credendo fide solum humana, et propter solam praeconum suorum auctoritatem, sectae suae errores. Ex fide haereticorum igitur nullatenus inferri potest, sine gratia divina fidem salutarem concipi posse (1).

Obi. VIII. Si nullum in homine praecedit initium fidei, nullum desiderium, nulla dispositio, aut credulitatis affectus, iam tota ratio, cur Deus aliquibus fidem donet, aliis non donet, erit libera ipsius Dei voluntas; atqui hoc absurdum videtur: *primo*, quia Deus, quantum in ipso est, *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (2); *secundo*, quia aliqua apud ipsum foret personarum acceptio, contra id quod Act. X, 34 dicitur: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; tertio*, excusabiles forent, qui fide a Deo non accepta ir infidelitatis tenebris misere caecutiunt. Ad haec effugienda absurda necesse est, ut Semipelagianorum sententia adoptetur.

Resp. Negandum omnino est, ex doctrina catholica ea profluere absurda, quae adversarii sibi fingunt. Etenim non profluit *primum;* quia hoc ipso, quod Deus velit omnes homines salvos fieri, omnibus prorsus hominibus, ut inferius ostendemus, subsidia necessaria largitur, quibus si bene homines utantur, poterunt ad fidem pervenire; si iisdem obluctentur ac obsistant, sibi tantum tribuere debent, non autem Deo, si ad eam non pertingant: nempe eadem ratione ac sibi, non Deo, imputare fideles debent, si opera pia, quae fidem consequuntur, praestare negligunt, etsi ad haec, fatentibus Semipelagianis, necessaria sit gratia, quae omnibus praesto est, urgente praesertim praecepto. — Non profluit *alterum* absurdum; nam acceptor personarum iniustus dicitur ille, qui indigno, vel minus digno dat, quod digniori debetur. Gratia autem supernaturalis nemini prorsus debetur, cum donum sit omnino gratuitum, atque omnes homines ante praevisionem absolutam meriti, quae supponit collationem gratiae, sint positive indigni quolibet dono supernaturali propter peccatum Adami. Praeterea hoc ipso, quod Deus omnibus gratiam confe-

(1) Cf. Sardagna, t. 5. a. 1, contr. 8, n. 298.

(2) 1 Tim. 2, 4.

rat, sequitur, non ex Deo esse, quominus homines ulteriora auxilia non accipiant, ac ideo fidem non consequantur. — Non profluit denique *tertium* absurdum; quia si, ut diximus, Deus omnibus gratiam confert, qua rite homines utentes ad fidem pervenire possunt, iam abunde liquet, inexcusabiles esse infideles, ut vocant, positivos, hoc ipso, quod fidei gratiam immediate sibi oblatam repulerint; inexcusabiles etiam esse infideles negativos, non ob fidei defectum, sed quia primis gratiis sibi collatis obstiterunt, quibus si cooperati fuissent, et ipsi ad fidem pervenissent. Infideles propterea negativi damnantur ob peccata actualia, quibus se commaculârunt, aut saltem ab aeterna salute excluduntur ob peccatum originale, quod contraxerunt.

III. *Non potest homo iustificatus sine speciali Dei auxilio in accepta iustitia perseverare.*

§ 411. Perseverantia iuxta *S. Augustinum* duplex distinguitur, *temporalis* et *finalis*. Potest enim homo per aliquod tempus in iustitia vivere, et ab ea postmodum excidere: ut, ait S. Doctor (1), « si quis ex quo fidelis factus est, vixit, verbi gratia, decem annos, et eorum medio tempore a fide lapsus est, nonne quinque annos perseveravit? » Potest autem homo etiam in iustitia prima, vel post lapsum recuperata usque ad ultimum vitae momentum perseverare, et in statu gratiae decedere; et haec est perseverantia, « qua usque in finem perseveratur in Christo: finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est, ne cadatur. » De hac sola, quae *perseverantia absoluta*, *simplex*, et *finalis* dicitur, hic nobis agendum est. — Dupliciter contingere potest, ut quis in gratia iustificante perseveret usque ad mortem: *primo*, cum quis post acceptam gratiam iustificantem, antequam ullum actum liberum possit exercere, moritur, ex. gr. cum infans baptizatus morte abripitur ante adeptum usum rationis, vel adultus statim post acceptam iustitiam: *secundo*, cum iustus adultus aliquamdiu vivit post acceptam gratiam sanctificantem, et in observantia mandatorum Dei, tentationum victoria ac virtutum exercitio ad mortem usque iugiter perseverat. Idcirco Theologi distinguunt perseverantiam *passivam*, in qua ex parte hominis iustificati nulla actio, seu cooperatio requiritur; et *activam*, quae est continuatio in statu gratiae finalis iuncta cum actibus virtutum. — Quaestio hic non est de infantibus, qui post baptisma ante usum rationis adeptum moriuntur, nec de iustis adultis, qui e vita excedunt statim post acceptam gratiam iustificantem; omnes enim, etiam *Semipelagiani*, admittunt, erga istos tam infantes, quam adultos elucere specialem Dei protectionem et singularem providentiam, qua fit, ut nunc et in talibus circumstantiis moriantur, iuxta illud: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius... placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum* (2). Omnes etiam admittunt, in istis non necessariam esse gratiam perseverantiae internam, illustrationis nimirum et inspirationis, qua nec sunt capaces infantes, nec indigent adulti statim post acceptam iustificationem decedentes. — Quaestio ergo est de iustis, qui post iustificationem aliquamdiu vivunt, ac contra daemonem,

(1) L. de dono persev. cap. 1.

(2) Sap. 4. 11 etc.

mundum et carnem pugnare, atque actus virtutum exercere possunt et debent. Istos propriis liberi arbitrii viribus in bono perseverare posse, contendebant *Semipelagiani:* sed iuxta doctrinam catholicam ad perseverantiam finalem specialis gratia divina necessaria est. — Isthaec porro gratia non est habitualis nova; neque enim ad perseverandum in gratia habituali, seu sanctificante, nova opus est habituali gratia: neque etiam est gratia sufficiens, quae iustis, instante praecepto, nunquam denegatur; haec quippe ordinaria est ac communis omnibus iustis; gratia vero finalis perseverantiae specialis est, singularis ac propria electorum, quam idcirco post *S. Augustinum* Concilium Tridentinum *magnum* appellat perseverantiae donum. Hoc autem donum in adultis duo simul includit ac complectitur, gratiam scilicet *interiorem*, et *exteriorem:* interiorem quidem, per quam homo iustus vel a peccando retrahitur, vel a suis lapsibus certo resipiscit, ac tandem in accepta iustitia finaliter perseverat; exteriorem vero, per quam ab homine iusto, Deo protegente, occasiones peccandi, tentationes aliaque salutis obstacula removentur, ac demum innumeris huius vitae periculis subductus ex hac vita rapitur, quo momento diffusam habet in corde charitatem. — Non potest ergo homo iustificatus sine speciali Dei auxilio in accepta iustitia perseverare, quod *ex S. Scriptura*, *ex Traditione*, et *ratione theologica* probatur.

1. *S. Scripturae* argumenta *S. Augustinus* contra Semipelagianos proposuit, praecipue in libro de dono perseverantiae. Ex V. T. citavit verba Ierem. XXXII, 40, in quibus Deus ipse se perseverantiae datorem commonstrat dicens: *Timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedant a me:* « Quod, ait S. Doctor (1), quid est aliud, quam talis, ac tantus erit *timor meus*, quem *dabo in cor eorum*, ut mihi perseveranter inhaereant? » — Similiter in verba Ps. LXXIX, 18: *Fiat manus tua super virum dexterae tuae, et super filium hominis, quem confirmasti tibi, et non discedimus a te*, ita (2) loquitur: « Iste certe non est Adam primus, in quo discessimus ab eo; sed Adam novissimus, super quem fit manus eius, ut non discedamus ab eo... Hoc est enim manus Dei, quoniam opere Dei fit, ut simus in Christo permanentes cum Deo, non sicut in Adam discedentes a Deo. In Christo enim sortem consecuti sumus, praedestinati secundum propositum eius, qui universa operatur (3). Manus igitur Dei est ista, non nostra, ut non discedamus a Deo. » In N. T. Christus ipse Patrem orat, ut suos sibi servet Apostolos: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi* (4); quibus verbis divinus Redemptor perseverantiam in bono donum Dei esse declaravit. Hac fide imbutus S. Paulus II Cor. XIII, 7 dicebat: *Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis*, id est, ut in bono perseveretis. Phil. I, 6 scribit: *Confidens hoc ipsum, quod qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu.* Sicuti ergo initium fidei et salutis, ita etiam eiusdem perfectio et consummatio, seu perseverantia finalis a gratia divina est repetenda: quod confirmatur ex iis, quae ibid. v. 29 dicit: *Vobis donatum est pro Christo non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo;* « horum unum, ait *S. Augustinus* (5), pertinet ad initium, alterum

(1) L. c. cap. 2. (2) Ib. cap. 7. (3) Eph. 1, 11. (4) Io. 17, 11. (5) Ib. c. 2.

ad finem : utrumque tamen Dei donum est. » Eodem sensu *S. Petrus* Christianos electos ita alloquitur : *Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem* (1) ; quibus verbis non soli libero arbitrio, sed praecipue virtuti divinae adscribitur perseverantia illa, qua quis per fidem salutem suam consequitur. Eandem doctrinam proponit S. Iacobus dicens: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (2); datum autem optimum et donum perfectum certissime est perseverantia finalis, per quam aeterna salus obtinetur ; unde *S. Augustinus* l. de corrept. et grat. (3) dicit: « Negare non possumus etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus; nec esse nisi ab illo, de quo scriptum est: *Omne datum optimum* etc. » S. Doctor ibid. etiam firmissimum argumentum ex eo petit, quia perseverantia petitur a Deo ; ait enim: « Si dixerimus, istam perseverantiam tam laudabilem, tamque felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo; illud primitus evacuamus, quod ait Dominus Petro: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (4). Quid enim ei rogavit, nisi perseverantiam usque in finem ? quae profecto si ab homine homini esset, a Deo poscenda non esset. Deinde cum dicit Apostolus: *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali* (5), procul dubio perseverantiam eis orat ad Deum. Neque enim nihil mali facit, qui bonum deserit, et a quo declinare debet, inclinatur in malum non perseverans in bono.... Itemque ubi dicit : *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est servus Iesu Christi, semper certans pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, et pleni in omni voluntate Dei* (6) Quid est, *ut stetis*, nisi ut perseveretis etc. ? » Hoc idem argumentum urget (7) ex oratione dominica, in qua quotidie deprecamur, ut nos in tentationem non inducat, hoc est, induci non permittat. « Sancti, ait (8), quid aliud, quam ut in sanctitate perseverent, deprecantur ? » Ostendit (9) S. Doctor, omnes orationis dominicae petitiones nostras, hac una excepta, qua dicimus : *Dimitte nobis debita nostra*, etc., tendere ad obtinendum a Deo perseverantiae donum. « Cur autem, inquit (10), perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo? An et ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur, non ipsum dare, sed, ipso non dante, esse in hominis potestate; sicut irrisoria est etiam illa gratiarum actio, si ex hoc gratiae aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit. »

2. *Traditionis* argumentum petitur ex *Ss. Patribus* et *Conciliis*. *S. Ambrosius* in Luc. (11) ait: « Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit aedificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino. » Et in Ps. CXVIII (12) inquit : « Non volentis, neque currentis hominis perseverantia est non enim in hominis potestate, sed miserentis Dei est, ut possis complere, quae coepe-ris.» *S. Ephraem* (13) ita ad Deum precatur: « Solummodo gratiam deposco confitens, quod per te servabor, si quidem servabor. » *S. Chrysostomus* (14) dicit: « Gratia est, quae et praeterita condonat, et ad futura munit et confirmat.» Et in Ep. ad Philip. (15) in ver-

(1) 1 Ep. 1, 5. (2) Ep. 1, 17.
(3) Cap. 6. (4) Luc. 22, 32.
(5) 1 Cor. 13, 7. (6) Col. 4, 12.
(7) In lib. de dono persev. a cap. 2-7.
(8) Cap. 5. (9) Ibidem. (10) Cap. 2.
(11) L. 2, n. 84. (12) Serm. 10, n. 35.
(13) Serm. de Marg. pret. (T. 1 Ed. Ven. pag. 249. (14) Hom. 11 in Ep ad Rom., n 3.
(15) Hom. 4, n. 3.

ba (1): *Vobis donatum est* etc., ait: « Rursus illos componit, ut de se modeste sentiant, totum Deo adscribens, et gratiam, et charisma, et donum esse dicens, pati pro Christo. » *S. Hieronymus* (2) ait: « Hoc scito, baptismum praeterita donare peccata, non futuram servare iustitiam, quae labore et industria et semper super omnia Dei clementia custoditur. » *S. Augustinus* universalem Ecclesiae fidem de necessitate gratiae probat ex publicis eiusdem precibus; nam l. de dono persev. (3) inquit: « Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed adtendat quotidianas orationes suas. Orat, ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat, ut credentes perseverent; Deus ergo donat perseverantiam usque in finem. » Patres Concilii *Carthaginiensis II*, anno 415 (4), aiunt: « Istorum (Pelagianorum) sacrilegas disputationes necessario sequitur; ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem... Si possibilitate naturae et arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non videat ea inaniter a Domino peti, et fallaciter orari, cum orando poscuntur, quae naturae iam ita conditae sufficientibus viribus obtinentur? » — *Innocentius I* (5) scribit: « Quamvis hominem redemerit Deus a praeteritis peccatis, tamen sciens illum iterum posse peccare, ad reparationem sibi... multa servavit, quotidiana praestans illi remedia. » *S. Coelestinus I* (6) definit: « Neminem, etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit. » *S. Leo M.* (7) dicit: « Sublimitas gratiae Dei hoc quotidie operatur in cordibus christianis, ut omne desiderium nostrum a terrenis ad coelestia transferatur. Sed etiam praesens vita per Creatoris opem ducitur, et per ipsius providentiam sustinetur, quia idem est largitor temporalium, qui promotor est aeternorum. » *S. Prosper* (8) inquit: « Cum dubium non sit, donum Dei esse perseverantiam in bono usque in finem, quam istos (reprobos) ex eo ipso, quod non perseveraverunt, non habuisse manifestum est; non est calumniandum Deo, quare istis non dederit, quod aliis dedit, sed confitendum est, et misericorditer eum dedisse quod dedit, et iuste non dedisse, quod non dedit, ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex ipso oriri videatur et standi, cum illud humano fiat opere, hoc divino impleatur ex munere. » Concilium *Arausicanum II*, can. 9, haec habet: *Divini est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et iniustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Et can 10: *Adiutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Concilium *Tridentinum* sess. VI, can. 22, definivit: *Si quis dixerit, iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Et cap. 13 eiusdem sessionis loquitur *de perseverantiae munere, de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: quod quidem aliunde haberi non*

(1) V. 29. (2) L. 3 adv. Pelag. n. 1.
(3) Cap. 7. (4) In synodica ad Innocent. I Epistola. (5) In Epistola ad Conc. Carthag
(6) In Epistola ad Galliarum Episc. c. 6.
(7) Serm. 16 (al. 15), cap. 1.
(8) In Resp. ad capit. 7 Gallorum.

potest, nisi ab eo, qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum, qui cadit, restituere.

3. *Ratio theologica* petitur a S. *Thoma* tum ex naturali inconstantia et mutabilitate hominis de bono in malum, quam gratia habitualis non tollit, tum ex corruptione naturae, quae nunquam ita sanatur per gratiam, ut non remaneat semper aliqua ignorantia in intellectu, et rebellio carnis adversus spiritum (1). — Praeclare etiam hac de re disserit angelicus Doctor q. 24, de verit. c. XIII, ubi acute observat: « Quod aliud est dicere, posse abstinere a peccato, et posse perseverare usque ad finem vitae in abstinentia a peccato. Cum enim dicitur aliquis posse abstinere a peccato, potentia fertur super negationem tantum, ut scilicet, aliquis possit non peccare: et hoc potest quilibet in gratia existens, loquendo de peccato mortali, quia habenti gratiam non inest aliqua habitualis inclinatio in peccatum, quia potius inest ei habitualis inclinatio ad vitandum peccatum... Sed cum dicitur, iste potest perseverare usque ad finem vitae in abstinentia peccati, potentia fertur ad aliquid affirmativum, ut scilicet aliquis ponat se in tali statu, quod peccatum in eo esse non possit... Hoc autem non cadit semper sub potestate liberi arbitrii, quia virtus motiva exequens ad hoc non se extendit. Et ideo homo causa perseverantiae sibi esse non potest, sed necesse habet perseverantiam a Deo petere. »

Nota. Dogma catholicum de necessitate specialis auxilii divini ad perseverantiam finalem magis magisque illustrabitur, et confirmabitur ex quaestionibus, quae articulo tertio huius capitis solventur. Interim confutanda sunt argumenta, quibus proposita doctrina impugnari solet.

Obi. I. Iusti, utpote filii Dei et cohaeredes Christi, habent ius ad gloriam; ergo etiam ad perseverantiam, sine qua nequit gloria obtineri; et cum iustis infundantur omnes virtutes, etiam infunditur perseverantia, ad quam igitur iusti non indigent speciali Dei auxilio, sed hoc ipsis debitum est ex gratia habituali promanans.

Resp. Iusti habent ius ad gloriam, quamdiu gratia sanctificante ornati sunt; sed haec ab ipsis per peccatum mortale amitti potest, uti contra Calvini gregales capite quinto probabitur: ergo eorum ius ad gloriam non est immobile, sed mobile; quamvis enim habitualis gratia hominem aliqua ratione roboret in bono, non tamen aufert impedimenta perseverandi in bono tentationesque varias, quibus etiam iustus in peccatum lethale praecipitari potest: ut igitur iustus a quovis mortali peccato immunis in bono actu usque in finem perseveret, indiget speciali Dei auxilio, quod ipsi non debetur, sed ex gratuita Dei profluit bonitate. Quoad alteram obiectionis partem S. *Thomas* (2) respondet: « Quod perseverantia dupliciter dicitur. Quandoque enim est specialis virtus, et sic est quidam habitus, cuius actus est, habere propositum firmiter operandi, et sic perseverantiam habet omnis habens gratiam, quamvis non sit usque in finem perseveraturus. Alio modo accipitur perseverantia, prout est circumstantia quaedam virtutis, designans permanentiam virtutis usque in finem vitae; et sic perseverantia non est in potestate habentis gratiam. »

Obi. II. Per gratiam habitualem Deus sanat animam, et quidem eam

(1) V. l. 3, c. Gentes cap. 155, et I 2, q. 109, art. 9, et 10

(2) Q. 24 de verit. art. 15. ad 3.

sanat, ut ait *S. Augustinus* (1), « non solum, ut deleat quod peccavimus, sed ut praestat etiam, ne peccemus. » Et Conc. *Milevitanum*, can. 8, definit: *Si quis dixerit gratiam, per quam iustificamur per Christum, valere ad solam remissionem peccatorum, quae commissa sunt, et non in adiutorium, ne iterum committantur, anathema sit.* Quisquis ergo ad iustitiam perductus est, habet in ea perseverandi adiutorium. Insuper Concilium *Tridentinum* dicit: *Deus sua gratia semel iustificatus non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* At si iustificatus per gratiam habitualem et ordinaria auxilia perseverare non posset, desereretur a Deo, antequam Deum ipse desereret. Ergo iustus sine speciali Dei auxilio potest perseverare.

Resp. Non negamus, gratiam, qua iustificamur, valere in adiutorium, ne peccata committantur, ubi graves non urgent tentationes et occasiones peccati, quod patet ex verbis *S. Thomae*, supra n. 3 citatis, et ita verificantur *S. Augustini*, et Concilii *Milevitani* asserta. Ast ubi graves urgent ad peccandum illecebrae, necessaria sunt praeter gratiam habitualem auxilia specialia, quibus anima in aversione mali et boni prosecutione roboretur, ac immobiliter ad finem usque perseveret. Id vero Patres et Concilia adeo non negant, ut ad recte vivendum praeter gratiam habitualem actuales gratias necessarias esse, clarissime pronuntient. (Cf. § 409, nota 2.) — Concedimus quoque, omnes iustos adiutorium habere sufficiens, cum quo possunt usque ad finem perseverare, saltem mediate, quia habent gratiam, qua excitati et adiuti perseverantiae donum impetrare possunt: non omnes autem habent donum speciale et efficax perseverantiae, quo fiat, ut actu perseverent: neque tale auxilium eis debitum est; imo neque illud mereri possunt *de condigno*, sed tantum merito improprie dicto, seu *de congruo*, iuxta illud *D. Augustini* (2): « Hoc ergo donum Dei suppliciter emereri potest. » Neque haec doctrina cum citatis Conc. Tridentini verbis pugnat. Etsi enim perseverantia sit gratia specialis, non sequitur, quod Deus iustum, cui non conceditur, primus deserat, cum omni iusto conferat auxilium vere ac relative sufficiens, ut perseverantiae donum impetrare, seu « suppliciter emereri » possit; quodsi non impetret, necesse est praecesserit aliqua ex parte culpa iusti, sive sit negligentia et tepor in oratione, sive sit praesumptio quaedam ac occulta superbia, propter quam perseverantia a Deo denegatur; ex quo sequitur, Deum prius a iusto deseri, quam iustus a Deo iudicio occulto sed iusto deseratur, iuxta illud *S. Augustini* (3): « Gratiam Dei suscipiunt (non perseveraturi) sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt et deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiae dono, iudicio Dei iusto et occulto. »

Obi. III. Plus nobis fuit per gratiam Redemptoris collatum, quam per Adae peccatum ablatum, dicente Apostolo: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia* (4). Atqui Adam acceperat, unde perseverare posset sine speciali dono, ut asserit *S. Augustinus* (5). Ergo etiam nos per gratiam Redemptoris iustificati perseverantiam accipimus, neque ad hanc speciali auxilio indigemus.

Resp. S. Thomas (6) hanc obiectio-

(1) De nat. et grat. c. 26.
(2) L. de dono persev. cap. 6.
(3) De corrept. et grat. c. 13. (4) Rom. 5, 20.
(5) De corrept. et grat. c. 12.
(6) 1 2, q. 109, art. 10, ad 3.

nem solvit dicens: « Sicut S. *Augustinus* (1) dicit, homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem accepit, ut perseveraret: nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt et donum gratiae, quo perseverare possunt, et ulterius eis datur, quod perseverent: et sic donum Christi est maius, quam delictum Adae. » Ex alio quoque capite Christus magis nobis profuit, quam Adam nocuit, quia positive indignis gratias promeruit, quibus non ab uno tantum, sed ab innumeris prope peccatis liberaremur. Nullatenus ergo ex dicto Apostoli inferri potest, per gratiam iustificantem omnes actualem perseverantiam obtinere: quod si verum esset, iam nullus iustus a semel accepta iustitia excideret, cum tamen luctuosa experientia contrarium ostendat.

Obi. IV. Homo iustus potest ad breve tempus sine speciali gratia vitare peccatum mortale. Si ergo in eo statu moriatur, dicendus erit perseverasse usque in finem. At possunt illi causae naturales mortem inferre ab universali Dei providentia ordinatae ac directae. Igitur in eo casu non erit perseverantia donum gratiae peculiaris.

Resp. Si immunitas a peccato mortali, et mors naturaliter superveniens seorsim spectentur, non involvunt gratiam peculiarem: si autem haec duo simul coniungantur, sunt gratia peculiaris et insignis. Neque enim putandum est, haec fortuito casu coniungi, sed potius firmiter credendum ex speciali Dei benevolentia erga electos mortem cum iustitia coniungi. Quod enim homini iusto mors superveniat, antequam procellae tentationum insurgant, eumque rapiat priusquam malitia mutet intellectum eius (2), magnum est erga eundem divinae providentiae beneficium, ipsumque perseverantiae passivae donum.

Obi. V. Si perseverantia est donum Dei, si graves tentationes sine speciali Dei auxilio non superantur, et si coniunctio mortis cum statu gratiae est singulare et indebitum divinae providentiae beneficium: supervacanea plane erit quaevis hominis sollicitudo; nam si Deus donum illud largitur, iustus profecto perseverat; quod si illud Deus non largiatur, quavis adhibita diligentia labitur, ac ruinam sibi parat. Non ergo ei ad culpam imputari poterit, qui non perseverat, quo nihil fingi potest absurdius.

Resp. Certum est, perseverantiam esse speciale donum Dei, quod homo de condigno promereri nequit: sed tamen, ut iam dictum est, praestantissimum hoc donum per preces impetrari, seu, ut *S. Augustinus* ait, « suppliciter emereri potest. » Nullatenus ergo sollicitudo, quam homo iustus, gratia praeventus et adiutus, impendit ad perseverandum, inutilis est; nam, ait Cl. *Perrone* (3), « homo gratia instructus potest eam perseverantiam obtinere per attentam ac fidelem cooperationem gratiae actuali, quae pro tempore ac loco, ut inferius ostendemus, nemini deest, praesertim iusto: » et (4), proposita distinctione in perseverantiam passivam et activam, subiungit: « Perseverantia, quatenus est activa, non differt a quavis gratia actuali; cui si iustus assentiatur, illam comitatur ac subsequitur perseverantia passiva. Quod si huic gratiae iustus resistat, ac labatur, sibi soli imputare debebit ruinam, quae inde proveniet; nunquam enim nisi culpabiliter perseverantia amittitur. »

(1) L. c. de nat. et grat. c. 48.

(2) Sap. 9, 11. (3) L. c. n. 205. (4) N. 206.

Caeterum de hac eadem difficultate sermo recurret, dum de praedestinatione et reprobatione hominum agendum erit. Interim attendantur monita Christi et Apostolorum: *Petite, et dabitur vobis* etc. (1). *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem* (2). *Contendite intrare per angustam portam* (3). *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet* (4). *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (5). *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis* (6). Iubemur ergo pro perseverantia finali sollicitudinem adhibere, quae idcirco certissime sicut non impossibilis, ita nec inutilis est.

ARTICULUS II.

Necessitatis gratiae supernaturalis limites.

§ 412. Liberum hominis arbitrium per peccatum originale viribus attenuatum quidem et inclinatum (§ 216), minime autem extinctum fuit (§ 217). Homo itaque lapsus retinuit naturales, seu essentiales suas facultates, intellectum et liberam voluntatem, quibus absque speciali gratiae auxilio nonnullas ordinis naturalis veritates cognoscere, et quaedam faciliora ordinis naturalis opera bona perficere potest. Quamvis ergo gratia actualis sit necessaria ad omne opus bonum salutare et supernaturale; non tamen necessaria est ad omne opus morale ordinis naturalis. — Hanc autem necessitatis gratiae limitationem non admiserunt Protestantium antesignani. Hi enim docuerunt, liberum arbitrium per peccatum originale penitus extinctum, hominemque ad quodcunque bonum naturale, seu morale mortuum esse, neque aliam retinuisse aptitudinem nisi ad peccandum: ex hoc porro intulerunt, hominem nondum renatum in omnibus operibus suis peccare, nihilque ab eo prodire, quod damnabile non sit, ideoque omnium infidelium opera totidem peccata esse, ac philosophorum virtutes totidem vitia. Talis doctrina in libris symbolicis *Lutheranorum* proponitur; nam in Solid. Declar. (7) dicitur: « Repudiantur, qui docent, hominem ex prima sua origine adhuc aliquid boni, quantulumcunque etiam, et quam exiguum atque tenue illud sit, reliquum habere, capacitatem videlicet et aptitudinem, et vires aliquas in rebus spiritualibus. » Ibid. § 22 legitur: « Insuper etiam asserunt, quod natura corrupta ex se viribus suis coram Deo nihil nisi peccare possit. » *Melanchton* (8) ait: « Esto, fuerit quaedam in Socrate constantia, in Xenocrate castitas, in Zenone temperantia... non debent pro veris virtutibus, sed pro vitiis haberi.... Negant tamen (Pelagiani, id est, Catholici), eam esse vim peccati originalis, ut omnia hominum opera, omnes hominum conatus sint peccata. » *Calvinus* Instit. l. 2, c. 3, ita inscribit: « Ex corrupta hominis natura nihil nisi damnabile prodire. » — *Baius* et *Iansenistae*, quoniam cum Novatoribus docuerunt, per peccatum originale liberum hominis arbitrium penitus extinctum esse; caeteros quoque illorum errores, ex hoc falso principio profluentes, amplecti ac profiteri debuerunt. *Baii* vero ac *Ianseni-starum* impium systema hac in re ad sequentia reducitur. *Ex una parte* pro certo habent, hominem lapsum sine gratiae subsidio nullum omnino morale bonum — ne ordinis quidem naturalis — efficere posse; *ex al-*

(1) Luc. 11, 9.
(2) Matth. 26, 41.
(3) Luc. 13, 24.
(4) Luc. 12, 40.
(5) 2 Cor. 6, 1.
(6) 2 Petr. 1, 10.
(7) L. de pecc. orig. § 21.
(8) Loc. theol. p. 22.

tera parte statuunt, fidem formalem, seu cum charitate coniunctam, esse primam gratiam, quam Deus homini conferat, nec ullam prorsus ante fidem a Deo homini tribui: cum ergo homo, fide destitutus, neque per vires suas naturales, neque per gratiam divinam opus morale perficere possit; *inde inferunt*, omnia infidelium opera, quae in hoc systemate sine gratia fiunt, totidem esse peccata et vitia proprie dicta, quae aeternam damnationem merentur. — Hoc idem asserunt de illis, qui per fidem et baptisma iustificati fuerunt, sed per peccatum mortale gratiam habitualem perdiderunt: docent enim, fidem illam, quae in ipsorum hypothesi prima gratia est, inseparabilem esse a charitate seu iustificatione, ac propterea homines non iustificatos peccare in omnibus operibus suis; unde concludunt, desideria, conatus, orationes ipsas, quibus peccatores nituntur iustificationem adipisci, aut recuperare per sinceram conversionem, totidem lethalia peccata esse, et eo deteriores peccatores fieri, quo maiores et frequentiores sunt ipsorum conatus ad Deum redeundi. — Hanc esse praedictorum doctrinam ex propositionibus *Baii*, *Iansenii* et *Quesnellii* damnatis, quae inferius adlegabuntur, adparebit (1). — Iam perversa haec doctrina confutanda et doctrina catholica stabilienda est, iuxta quam haereticum est dicere, omnia opera infidelium, aut peccatorum vera peccata esse. Falsitas autem heterodoxae et veritas catholicae doctrinae ex duobus principiis probatur, haereticorum principiis e diametro oppositis. Iuxta doctrinam enim catholicam *ex una parte* homo lapsus, antequam fidei gratiam, seu iustificationem assequatur, per vires suas naturales, quae attenuatae quidem, sed non penitus extinctae fuerunt, aliqua opera moraliter bona in ordine naturali velle et perficere potest; *ex altera parte* ante collationem fidei, et ante iustificationem conceduntur, seu tribuuntur a Deo, gratiae supernaturales quibus homo lapsus non solum difficiliora opera moralis ordinis efficere et graves tentationes vincere, sed etiam fide concepta actus supernaturaliter bonos elicere potest, quamvis isti nondum meritorii sint in ordine ad vitam aeternam, utpote eliciti antè iustificationem. Ex hisce principiis sequitur, non omnia infidelium et peccatorum opera totidem vitia, aut peccata esse.

(1) Cf. § 406, n. 4-6, et nota 1. — Perrone, l. c., n. 101.

1. *Potest homo lapsus, antequam fidei gratiam assequatur, aliqua opera moraliter bona efficere, et propterea non omnia infidelium opera sunt peccata.*

§ 413. Quamvis quaestio hic moveatur de infidelibus, et de fidelibus peccatoribus, sufficit tamen ut de infidelibus agatur. Nam si ii, qui fidem non habent, quae *humanae salutis initium est*, *fundamentum, et radix omnis iustificationis* (2), possunt non tantum Deum agnoscere, sed etiam honesta facere et moraliter bona in ordine naturali; multo magis id de illis dici poterit, qui fidei lumine illustrati sunt, quamvis adhuc peccatorum vinculis constringantur. De infidelibus ergo hic probatur, quod aliqua opera moraliter bona efficere possint. Ut autem status quaestionis rite intelligatur, quaedam praenotanda sunt. — In omni nempe opere bono morali duo sunt distinguenda, scilicet *obiectum*, seu *officium*, et *finis*, qui duplex est; *proximus* nimirum, qui primo et per se ab agente intenditur, estque actionis motivum,

(2) V. Conc. Trid. sess. 6, cap. 8.

et *ultimus*, ad quem actu, vel virtute omnia referuntur, ipse vero ad nihil prorsus ordinari potest: ex. gr. in eleemosyna *obiectum* est ipsum opus eleemosynae, *finis proximus* est sublevatio pauperis, *finis ultimus* est Deus, ad quem opus eleemosynae refertur, vel *actualiter* et formaliter, cum quis expresse et reflexe statuit dare eleemosynam propter Deum; vel *virtualiter*, cum quis, licet actu de referenda sua actione ad Deum non cogitet, facit tamen actionem moralem rectam, et quidem quia ac quomodo eam rectam, seu moralem bonam esse cognoscit. Ast, ait. Cl. *Tournely* (1), «Quando actio moralis recta est tum ex officio, tum ex fine proximo et immediato (nempe alio quocunque particulari fine perverso ex parte operantis non vitiatur); tunc actio illa proprio et innato quasi motu et pondere in finem ultimum, Deum scilicet, relabitur ac refertur; eamque agens ad ipsum sic virtute implicite ac confuse referre dicitur, tametsi de illa referenda actu non cogitet. Ratio est, quia omne bonum tum ex sese, tum ex generali et virtuali agentis intentione ad eum refertur, a quo tanquam a fonte et auctore profluit: sed omne, quod bonum est, rectum et honestum, a Deo est tanquam a fonte et principio totius boni. » — His praemissis, observandum est, adversarios admittere, quod sine fide et gratia aliqua opera bona ex obiecto et officio possint perfici, quia vere hinc inde infideles eleemosynas dant, iustitiam servant, parentes honorant, praepositis obediunt, etc.: prorsus autem ab illis negatur, quod infideles quoddam opus morale non solum ratione obiecti et officii, sed etiam ratione circumstantiarum, et praecipue ratione finis bonum perficere valeant; et ideo contendunt omnia ipsorum opera vitia, seu peccata esse, quia, ut *Protestantes* dicunt, natura corrupta tota in malum tendit, et omnes actiones malas et damnabiles reddit, quae illis solis non imputantur, qui iustificati sunt per externam imputationem iustitiae Christi; vel quia, ut *Iansenistae* clamitant, homo lapsus, quamdiu non agatur a dominante charitate per gratiam sanctificantem, tamdiu agitur a cupiditate dominante per peccatum, quae omnes eius actiones maculat et vitiosas efficit, utpote a vitioso principio exortas. — Erroribus istis opponimus doctrinam catholicam, quae dicit, etiam infideles aliqua opera moraliter bona efficere posse, atque ideo non omnia eorum opera esse peccata. Doctrina ista *ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus, ex definitionibus Ecclesiae*, et *rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* nonnulla Ethnicorum opera commendat, et praemio aliquo digna exhibet. Exod. 1, 15 etc.: Cum obstetrices aegyptiacae mandatum accepissent a Pharaone praefocandi omnes Hebraeorum masculos, illae *timuerunt Deum*, nec fecerunt iuxta praeceptum Regis, sed mares servaverunt; quam quidem misericordiam laudat Scriptura, nec eam sine mercede reliquit Deus, nam v. 20 etc. legitur: *Benefecit Deus obstetricibus*, — et *quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit eis domos*, id est, dedit eis copiosas proles, et familias optime constitutas. Quamvis vero postea mentitae sint, hoc tamen subsequens peccatum non coinquinavit opus bonum antea peractum; unde *S. Augustinus* (2) ait: « Non est in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non ini-

(1) Q. 4, art. 2. Praenot. ob. 4.

(2) Lib. contra mendac. c. 15 n. 39.

quitas mentientis. » Ergo misericordia ab obstetricibus infidelibus exhibita, non peccatum, sed opus moraliter bonum fuit ; alias cum maxima blasphemia dicendum foret, Deum peccatum remunerasse. Sic etiam apud Ezechielem rex *Nabuchodonosor* propter bellum feliciter gestum adversus Tyrios, sicut imperaverat Deus, mercedem temporalem accepit, terram scilicet Aegypti et manubias eius; legitur enim: *Dedi ei terram Aegypti pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus* (1); et iam veluti ratio assignatur, ob quam regi terra Aegypti data fuit; ait enim Deus: *Rex Babylonis servire fecit exercitum suum adversus Tyrum... et merces non est reddita ei, neque exercitui eius, de Tyro, pro servitute, qua servivit mihi adversus eam* (2). Merito igitur S. *Hieronymus* (3) inquit: « Ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei iudicio praeteriri. Unde et per Ieremiam Nabuchodonosor columba Dei appellatur, eo quod adversum populum peccatorem Dei servierit voluntati. » Eundem porro regem Daniel excitavit ad eleemosynas dicens: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum* (4); non minus absurdum autem, quam impium esset dicere, Danielem regem ad peccandum excitasse, aut Deum per peccata placari: certe ergo rex eleemosynas distribuens opera moraliter bona exercere, et per haec a misericordia divina liberationem a flagellis temporalibus impetrare potuit. Christus, ut ostendat maximam perfectionem moralem a christianis exigi, inferiores huius perfectionis gradus assignat, quos superare tenentur ; ait enim: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est* (5); quibus verbis *salutare fratres* non ut peccatum improbatur, sed ut opus morale inferioris gradus commendatur, ac etiam ethnicis adscribitur. Paulus Rom. I, 21 gentiles reprehendit, *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*: supponit igitur Apostolus, in potestate illorum fuisse Deum glorificare, eique gratias agere, adeoque aliquid boni et recti peragere. Rom. II, 14 legitur: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt ; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* His Apostoli verbis abutebantur Pelagiani, ut probarent, nonnullos e gentilibus sine fide et gratia Christi universam legem observasse, veramque adeptos esse iustitiam : quae sane interpretatio falsa et haeretica est. Idcirco S. *Fulgentius* (6) docet, eos gratiae contradicere, qui citatum Apostoli textum intelligunt de gentibus incredulis, nempe ad mentem et sensum Pelagianorum : quem sensum ut excluderent, nonnulli Ss. Patres laudata verba interpretantur de gentibus ad fidem Christi conversis, ita ut istud naturaliter excludat tantum legem mosaicam, non evangelicam, seu gratiam fidei, ut S. *Augustinus* (7), et S. *Prosper* (8). — Sed *Tertullianus* (9), S.

(1) Ezech. 29, 20. (2) Ib. v. 18.
(3) L. 9 in Ezech. 29, 20. (4) Dan. 4, 24.
(5) Matth. 5, 46 etc.
(6) L. de Incarn. et grat. cap. 25.
(7) L. de Spir. et litt., c. 26.
(8) L. cont Collatorem cap. 22.
(9) L. de corona milit., c. 6.

Ambrosius (1), *Origenes* (2), *S. Hieronymus* (3), *S. Chrysostomus, Theophylactus*, et *Oecumenius* (4) verba Apostoli intelligunt de Gentibus nondum ad Christi fidem conversis, quae ipso naturae ductu nonnulla legis naturalis praecepta eo, quo par est, modo adimplent. Hanc interpretationem ut pelagianam carpere non licet, ut patet ex propositione 23ª Baii damnata. Ipse *S. Augustinus* eandem non improbat, quamvis priorem praeferendam esse existimet. Nam (5) ait: « Si autem hi, qui *naturaliter quae legis sunt, faciunt,* nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi iustificat gratia; sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter iusteque colentium quaedam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quae secundum iustitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus; quanquam, si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur, quae iustitiae debitam laudem defensionemve mereantur. » Rationem statim subiungit S. Doctor dicens: « Quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea veluti lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis, vel sapere. » Et paullo post isthaec Apostoli verba: *Habentes opus legis scriptum in cordibus*, sic exponit: « Id est, non omnino deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est... Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturae inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis sentit et facit: » Et paullo post: « Sicut non impediunt a vita aeterna iustum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur; sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur. » Ergo etiam iuxta *S. Augustinum* textum Apostoli de Gentibus infidelibus exponere, et dicere licet, quod istae non quidem opera salutaria pro vita aeterna perficere, sed tamen naturaliter sine fide supernaturali quaedam facere possint, quae secundum iustitiae regulam merito recteque laudantur, atque ideo non tantum ex obiecto, sed etiam ex fine bona sunt, quia alias secundum iustitiae regulam non laudari, sed potius damnari deberent. Fatetur quidem S. Doctor, quod opera infidelium, si ratione finis discutiantur, *vix*, id est raro, vera laude digna inveniantur; sed hoc ipso profitetur, talia ab illis perfici posse, et aliqua saltem, tametsi rara et infrequentia, ab ipsis fieri opera ex obiecto et etiam ex fine bona.

2. *Ss. Patres* eandem doctrinam tradunt. *Origenes* (6) inquit: « Gentilis si ratione naturali motus iustitiam teneat, vel castitatem, vel temperantiam, etc., custodiat: iste licet a vita alienus videatur aeterna, quia non credit in Christum... videtur, quod per ea, quae dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam et honorem et pacem penitus perdere non possit. » *S. Basilius* (7) ait: « Sunt et apud nos virtutes secundum naturam, ad quas familiaritas ipsi animae non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura inest. Sicuti enim nulla disciplina nos docet morbum odisse, sed spontaneam habe-

(1) Ep. 73 (al. 41, ad Irenaeum 2ae Class.)
(2) In hunc locum.
(3) Comment. in Isa. 24, et Ep. ad Algasiam, q. 8.
(4) In hunc locum.
(5) Cap. 27 et 28 citati libri, n. 48.
(6) In Rom. 2, 14.
(7) Hom. 9, in Hexameron.

mus detestationem adversus ea, quae nobis molesta sunt; sic etiam est animae quaedam declinatio et fuga vitii citra doctrinam. » Quo loco S. Doctor apertissime docet, quasdam virtutes esse naturales, ut misericordiam et similes, ac per hoc non esse semper necessariam vel fidem divinam, vel auxilium speciale, cum ad eiusmodi naturaliter inclinemur. *S. Gregorius Naz.* (1) patrem suum nondum fide christiana praeditum laudat dicens: « Illé, etiam antequam ad nostram causam se contulisset, noster erat. Mores quippe ipsum nobis adsciscebant. Ut enim multi ex nostris nobiscum non sunt, quos scilicet a communi corpore vita removet: sic contra multi exterorum ad nos spectant, quicumque nimirum fidem moribus antevertunt, ac solo nomine carent, cum rem ipsam teneant » nempe virtutes, quasdam a Christianis exercendas, de quibus tantum oratorio et emphatico modo S. Doctor loquitur, qui idcirco etiam Patris ethnici vitam laudans ait: « Quo in numero meus quoque pater erat, ramus quidem ille alienus, caeterum vita et moribus ad nos propendens: » in specie autem eius pudicitiam, iustitiam et prudentiam commendat, quas virtutes exercuisse dicitur, antequam fidem christianam consequeretur. *S. Chrysostomus* (2) ita loquitur: « Non potest malus omnino malus esse, sed evenit, ut habeat aliquid boni: neque bonus esse omnino bonus, sed nonnulla solet habere peccata. Cum igitur malus prosperis utitur rebus, ad capitis sui perniciem utitur; ut enim illorum paucorum bonorum retributionem hic capiens, illic deinde puniatur, hac de causa recipit. » Loquitur *S. Chrysostomus* de omnibus malis, etiam infidelibus; generatim enim dicit, nullum esse malum, qui non habeat aliquid boni, et loquitur de opere bono non ex genere tantum, sed simpliciter, quia opponit illud peccato, et mercedem seu retributionem illi dandam assignat, quam certe Deus non dat operi, quod sit ex genere tantum bonum, absolute autem peccatum (3). *Auctor* operis imperfecti (4) dicit: « Audi mysterium, quod Petrus apud Clementem exposuit... Si infidelis fecerit opus bonum, hic (in terra) ei prodest opus ipsius, et hic ei reddit Deus bona pro opere suo, in illo autem saeculo nihil ei prodest. Nec enim collocatur inter caeteros fideles propter opus suum; et iuste, quia naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum. » — *S. Hieronymus* (5) ait: « Ex quo perspicuum fit, natura omnibus inesse Dei notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiae et iustitiae, reliquarumque virtutum. Unde multi absque fide et Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant. » Hoc loco S. Hieronymus non solum concedit, sine fide aliqua opera sancta fieri, sed etiam sancte. Nullo autem modo sancte fieri dici potest, quod fit cum peccato. Idem (6) scribit: « Quomodo iuxta Iacobum fides absque operibus mortua est; sic absque fide, quamvis opera bona sint, mortua computantur. » Fides sine operibus non est falsa, sed vera, tametsi mortua dicatur, quia non operatur salutem aeternam: igitur et opera bona sine fide non sunt mala,

(1) Or. 18 (al. 19) n. 6.
(2) Hom. 67 ad populum Antioch.
(3) Cf. quae idem S. Doctor scribit Hom. 5 in Rom. 2, 14, etc

(4) Hom. 26, in Matth.
(5) In cap. 1 Epist. ad Galat.
(6) In cap. 5 ad Galat.

sed vere bona, mortua tamen, quia nihil prosunt ad veram vitam, quae in coelis est, comparandam. *S. Augustinus* (1) duplicem distinguens charitatem, divinam et humanam, et hanc rursum in licitam et illicitam, sic exhortatur plebem sibi commissam: « Liceat vobis humana charitate diligere coniuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. Omnia enim ista nomina necessitudinis habent vinculum et gluten quoddam charitatis. Sed videtis, illam charitatem esse posse et impiorum, id est, Paganorum, Iudaeorum et Haereticorum. » Sermo hic est de charitate, quae licite Christianis, adeoque etiam infidelibus sine peccato inesse potest. Idem S. Doctor docet (2), Deum Romanis terrenam excellentissimi imperii gloriam concessisse, « ut redderetur merces bonis artibus eorum, id est, virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. » Ac deinceps enumerat has ipsas virtutes, dicens: « Privatas res suas pro re communi, hoc est, republica et pro eius aerario contempserunt, avaritiae restiterunt, consuluerunt patriae consilio libero, neque delicto secundum suas leges, neque libidini obnoxii. His omnibus artibus tanquam vera via nisi sunt ad honores, imperium et gloriam. » Agnovit ergo S. Doctor in Romanis talia opera, quae moraliter bona, et nullo modo peccata erant: haec enim iuxta eundem ne temporalem quidem mercedem imo temporalem potius poenam merentur. — *S. Prosper* (3) ait: « Naturae humanae, cuius creator est Deus, etiam post praevaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, et sensus et ratio, caeteraque corporis et animi bona, quae etiam malis vitiosisque non desunt. Sed non in illis veri boni perceptio est, quae mortalem vitam honestare possunt, aeternam conferre non possunt. » S. Pater ergo omnibus hominibus, etiam impiis et infidelibus, talia opera adscribit, quae aeternam quidem mercedem non merentur, sed tamen vitam mortalem honestant: non autem peccata, sed solae virtutes vitam nostram honestare queunt. *S. Fulgentius* (4) inquit: « Quodsi quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sicut Deum glorificantibus cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo potuerunt hi iusti esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem christianae fidei charitatisque non referant? quibus aliqua quidem bona, quae ad societatis humanae pertinent aequitatem, inesse possunt, sed quia charitate Dei non fiunt, prodesse non possunt. » — *S. Gregorius M.* (5) in illud: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem*, etc., ita loquitur: « Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis; quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est, quod sponte impenditur naturae, aliud quod praeceptis dominicis ex charitate debetur obedientiae. » Quodsi naturali eorum dilectioni sacra eloquia non contradicunt, certe ea dilectio nihil peccati continet, ac per hoc bona est moraliter; si quidem sacra eloquia peccatis omnibus contradicunt. *S. Thomas* (6) quaerit: « Utrum omnis actio infidelis sit peccatum? » et respondet: « Non omnis actio infidelis est

(1) Serm. 349, de temp. cap. 1 etc.
(2) L. 5, de Civ. Dei, cap. 15.
(3) L. contra Collat. cap. 26.
(4) L. de incarn. et grat. Chr. cap. 26.
(5) Hom. 27 in Evang.
(6) 2 2, q. 10, art. 4.

peccatum, sed aliqua eius actio est bona; » ad quod probandum ita disserit: « Peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter corrumpit bonum naturae. Unde cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent; remanet tamen in eis quoddam bonum naturae. Unde manifestum est, quod infideles non possunt operari bona opera quae sunt ex gratia, scilicet opera meritoria, tamen bona opera, ad quae sufficit bonum naturae, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet, quod in omni opere suo peccent. Sed quandoque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando; ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis. » Idem docet *S. Bonaventura* (1).

3. *Rom. Pontifices, Pius V*, *Gregorius XIII* et *Urbanus VIII*, proscripserunt hanc *Baii* propositionem 25tam: « Omnia infidelium opera peccata sunt, et Philosophorum virtutes *sunt vitia*, » et 27mam: « Liberum arbitrium sine gratiae Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valet. » *Alexander VIII* damnavit sequentem propositionem: « Necesse est, infidelem in omni opere peccare. » *Clemens XI* proscripsit hanc *Quesnellii* propositionem 48vam: « Quid aliud esse possunt nisi aberratio, et nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, sine charitate? » — Per istarum propositionum condemnationem definita est iisdem opposita catholica doctrina, quae dicit, hominem lapsum, antequam fidei gratiam assequatur, aliqua opera moraliter bona efficere posse, nec omnia propterea infidelium opera esse peccata.

4. *Rationibus theologicis* doctrina catholica confirmatur. *a*) Per peccatum originale non omnino extinctum est lumen rationis et liberum voluntatis arbitrium (§ 217), ac consequenter non plane obliteratus quilibet boni, et recti amor, illius scilicet, qui cum natura ipsa proportionem et affinitatem habet. Unde *Estius* (2) inquit: « Sicuti non ita tenebris ignorantiae extinctum est lumen mentis humanae, quin de multis rebus sane recteque iudicet; ita non sic vitiorum labe foedata est mens humana, ut omnis scintilla boni et naturalis affectus extincta sit, ac non interdum, inter innumera licet vitae vitia, emicet appareatque, et per actiones quasdam sese exerat. » *b*) Ipsi adversarii admittunt, infideles opera perficere posse, quae ex obiecto, seu officio bona sint. Sed, ait Cl. *Bellarminus* (3): « Quod attinet ad circumstantiam finis, possunt Ethnici etiam sine fide cognoscere, Deum esse et curam nostri gerere; - proinde poterunt operari bona moralia, ut Deo auctori naturae obediant. Quomodo *M. Tullius* in somnio Scipionis monet, administrandam esse rempublicam diligenter, quia summo Deo nihil est gratius, quam ut concilia coetusque hominum bene gubernentur. Deinde non est necesse omnia referre in Deum explicite, sed satis est, ut opus referatur in bonum finem proximum; tunc enim per se dirigetur in Deum, ut in ultimum finem. Sicut enim omne agens particulare agit in virtute primi motoris, id est, Dei; sic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis. Alioquin

(1) L. 2, Dist. 41, dub. 2, et l. 4, dist. 39, art. 1, q. 3, c.

(2) In 2, dist. 41, § 3.

(3) L. 5, de grat. et lib. arb., c. 9.

non solum infideles, sed etiam fideles, et iustissimi quique, semper peccarent, cum inter operandum de Deo non cogitant, sed operantur, quia ratio dictat esse bonum et faciendum. Itaque nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per se refertur in Deum, etiamsi auctor operis id non cogitet vel intendat. » *c*) Infidelitas culpabilis maximum quidem peccatum est, sed tamen non omne opus moraliter bonum impedit. Ratio est, quia homo non semper agit ex habitu praedominante; avarus enim aliquando liberalis, impudicus interdum temperans est; imo nec homo iustus semper agit ex iustitia, sed aliquando peccat: ergo nec infidelis semper agit ex infidelitate, quemadmodum nec peccator ex malitia: ita ratiocinatur *S. Thomas* (1). Nam, apposite observat Cl. *Bellarminus* (2), opus inquinari non potest a malitia causae (seu agentis) nisi quando ab ipsa malitia procedit; quodsi ex bono naturae, non ex adiuncta malitia quis operetur, opus erit simpliciter bonum. Atque hoc modo eleemosyna hominis impudici bona esse poterit, si fiat misericordiae causa, non impudicitiae; per accidens enim opus illud est hominis impudici, per se autem misericordis. Hoc autem esse verissimum, ex eo intelligi potest, quod si semper malitia causae inquinaret effectum, oporteret, opus non solum esse malum, sed in specie malitiam ipsam causae participare: itaque eleemosyna hominis avari esset mala in specie avaritiae, et ieiunium intemperantis esset malum in specie intemperantiae; quae absurdissima sunt. *d*) Aliud quoque absurdum ex sententia adversariorum sequitur. Nam, ait Cl. *Perrone* (3), « in hypothesi adversariorum infidelis, qui sibi vim inferret ad superandam vitiosae naturae inclinationem, qui commiseratione commotus stipem indigenti tribueret, qui proximum ab imminenti mortis periculo liberaret, qui obsequeretur parentibus, ipsorum necessitatibus subveniret, atque id genus alia perageret, deterior fieret coram Deo. Consulendum proinde ei esset, quum nullo praesertim praecepto impellitur, ut ab iis se retraheret, ne in peccatum incideret, ac poenam inde promeritam incurreret; quae quam absurda sint, societati perniciosa, atque a communi hominum sensu et aestimatione aliena, nemo est qui non videat. »

Nota 1. Nonnulli Theologi catholici, praesertim *Augustiniani*, admittunt quidem, posse homines absque fide et gratia speciali bonum agere *ex obiecto*, seu spectato virtutis officio: at, si inspiciatur *finis*, negant huiusmodi opus bonum esse, cum in summum bonum minime referatur; hanc enim conditionem operi, quod nulla ex parte vitiatum sit, necessariam esse propugnant. Hanc sententiam defendunt *Gregorius Ariminensis*, *Card. Norisius*, *Franc. Macedo*, *Berti* et alii. Horum vero doctrina longe differt ab erroribus *Baii*, *Iansenii* et *Quesnellii:* isti enim contendunt, infideles neque per vires naturales, neque per adiutorium gratiae opus moraliter bonum perficere posse, atque ideo omnia eorum opera vitia esse et peccata: Augustiniani autem citati docent, non posse quidem infideles ob naturae corruptae conditionem opus undequaque bonum per solum liberum arbitrium perficere; sed ipsos tamen per gratiae adiutorium non solum respectu obiecti; sed etiam ratione finis recte

(1) 2 2, q. 10, a. 4. (2) L. 5, de grat. et lib. arbit., c. 9. (3) Loc. c. de grat. n. 142.

agere posse, ac ideo non omnia eorum opera peccatis esse adnumeranda. Et negari profecto non potest, *S. Augustinum* variis in locis docere, bona opera fieri posse sine fide, sed non sine speciali auxilio Dei, atque ideo etiam infidelium bona opera gratiae divinae adscribenda esse. Nam Epist. 53 (al. 89) ad Hilarium scribit: « Valet itaque liberum arbitrium ad bona opera, si divinitus adiuvetur: desertum vero divino adiutorio, quantalibet scientia legis excellat, nullo modo habebit iustitiae soliditatem, sed inflationem impiae superbiae et exitiosum tumorem. » Serm. XII de Verb. Apost. ait: « Prorsus si adiutorium Dei defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem, illo non adiuvante, libera voluntate; sed male adhuc idonea est voluntas tua, quae vocatur libera, et male agendo fit damnabilis ancilla. Cum dico tibi, sine adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dico. » Lib. 4, c. Iulianum (1), haeresiarcham istum, ethnicorum virtutes solis viribus naturalibus adscribentem his verbis perstringit: « Quanto ergo tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potius, quam eorum tantummodo tribueres voluntati? » et inferius (2) addit: « Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quae faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene utitur malis. » Pro certo ergo habet S. Doctor, infideles cum adiutorio divino quaedam bona opera perficere. Haec et similia loca citant iam nominati Theologi Augustiniani, ut ostendant, iuxta mentem S. Doctoris, infideles solummodo cum adiutorio gratiae divinae opera undequaque bona perficere posse. — Ast quia *S. Augustinus*, ut ex locis n. 2 citatis patet, aperte docet, per vires naturales non penitus extinctas aliqua opera moraliter bona perfici posse; communior Theologorum sententia est, quod quaedam bona opera sine fide, sed cum auxilio speciali Dei, et rursus alia sine speciali auxilio solis naturae viribus peragantur.

Nota 2. Adversarii haud pauca argumenta congerunt, quibus probare nituntur, omnia infidelium opera esse vitia et peccata. At ipsorum argumenta soliditate carent.

Obi. I. Paulus (3) scribit: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est:* ergo omnia opera, quae sine fide fiunt, peccata sunt. Idcirco *S. Augustinus* saepe, maxime autem l. 4, c. Iulian. cap. 3, citatis Apostoli verbis Iulianum premit, ut probet nullas in infidelibus esse veras virtutes.

Resp. Patres omnes, graeci et latini, ante *S. Augustinum*, et multi post ipsum Apostoli verba intelligunt non de fide theologica, sed de firma persuasione, seu de dictamine conscientiae, ita ut sensus sit, omne, quod non fit ex conscientia, dictante id esse licitum, peccatum est: et haec interpretatio omnino conformis est scopo Apostoli; agit enim ibi de ciborum delectu, et dicit, quod qui manducat cibum, quem credit illicitum, peccet, quia contra conscientiam agit: imo ipsum Concilium generale *Lateranese IV*, cap. 41, textum Apostoli de conscientiae dictamine exposuit dicens: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica, quam civilis.* Ipsemet *S. Augustinus* (4) non abnuit, sed concedit, Apostolum hic locutum esse de cibis. — Verum quia alibi S. Doctor textum Apostoli interpretatur de fide theologica, responderi potest, illum

(1) Cap. 3, n 16. (2) N. 32. (3) Rom. 14, 23.

(4) L. 4, cont. Iulian. c. 3, n. 24.

in hac interpretatione intelligere peccatum large sumptum pro opere mortuo et sterili ad salutem, quia refutat Iulianum, operibus bonis per vires naturales peractis vitae aeternae meritum adscribentem. Alii respondent, iuxta mentem *S. Augustini*, peccatum dici id, quod non fit ex fide theologica positive, seu quod est contra fidem, et fit animo infidelitatis, ut ex. gr. eleemosyna data in honorem Iovis; non autem id, quod non fit ex fide negative, seu quod fit absente fide, et nullo alio pravo fine vitiatur.

Obi. II. Hebr. XI, 6 legitur: *Sine fide impossibile est placere Deo:* ergo infidelis nullum opus moraliter bonum facere potest, quod Deo placeat.

Resp. Ex toto contextu manifestum est, Apostolum citato loco agere de fide supernaturali in ordine ad vitam aeternam; enumerat enim egregios fidei effectus, vim eius et excellentiam extollit in Sanctis: *qui*, inquit v. 23, *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* Ita Deo placere, seu tam salutares effectus consequi sine fide ab Apostolo impossibile dicitur; ast ideo non negatur, sine fide aliquid Deo placere posse in ordine ad honestatem moralem naturalis ordinis. Concedendum quidem est, hominem infidelem recte operantem Deo non placere, quia per opus suum non iustificatur, nec Deo gratus fit: sed tamen ideo opus ex obiecto et fine bonum Deo non displicet; non enim ipsi displicuit obstetricum aegyptiacarum benevolentia, nec Rahab hospitalitas.

Obi III. S. Paulus aperte docet, omnia infidelium opera vitia esse et peccata, nam (1) ait: *Coinquinatis, et infidelibus nihil est mundum; sed inquinatae sunt eorum mens, et conscientia*: quae vera non essent, si opera moraliter bona perficere possent.

Resp. S. Paulus non loquitur hic in genere de infidelium actionibus, sed refutat errorem iudaizantium, qui certos cibos immundos reputabant, quasi lex mosaica adhuc vigeret, contra quos Apostolus docet, nullum cibum aut natura sua, aut Dei praecepto, Christianis immundum esse. Itaque *mundis*, id est, christianis in sanguine Christi mundatis, *omnia munda sunt*, seu nullus cibus ex se, vel ex lege immundus est. *Coinquinatis autem et infidelibus*, id est, immundis et infidelibus, seu iudaizantibus nullus cibus est mundus, ob eorum scilicet infidelitatem et conscientiam erroneam. Putant, iuxta legis mosaicae praescriptum, sibi, ex. gr., a carne suilla abstinendum esse; vel ergo abstinent ab illa, et sic contra fidei veritatem peccant superstitione; vel non abstinent, et sic peccant contra conscientiam, dictantem sibi abstinendum esse. Hoc significant verba Apostoli: *Inquinatae sunt eorum mens et conscientia;* mens per errorem suum, *conscientia* per peccatum, quod erroris sui fructus et effectus est. Nullatenus ergo ex his verbis inferri potest omnium infidelium opera peccata esse (2).

Obi. IV. Christus (3) ait: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit:* ergo si *oculus* animae, nempe intellectus, infidelitati inhaeret, *totum corpus tenebrosum erit*, seu omnes actiones malae erunt. Quamobrem etiam S. Ioannes (4) de mundo, seu de infidelibus per oppositionem ad fideles pronunciat: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscen*

(1) Tit. 1, 15.
(2) Cf. Bernardin. a Picon. in h. l.
(3) Matth. 6, 23. (4) 1 Ep. 2, 16.

tia oculorum, et superbia vitae: quibus verbis in infidelibus nonnisi peccata agnoscit.

Resp. Verba Christi duplici sensu exponi solent; sed in neutro adversariis suffragantur. Multi per oculum intelligunt intentionem, quae si perversa fuerit, totum opus corrumpit: quapropter per haec verba non condemnantur infidelium actiones, quae ratione obiecti bonae sunt, et ex honesto fine suscipiuntur (1). Alii per *oculum nequam* intelligunt mentem inordinato divitiarum amore captam, quae nihil nisi terrena cogitabit, sapiet, amabit et quaeret; talis enim mala affectio in totam vitam influere solet: ast propterea non negatur, hominem inordinatae suae passioni resistere, aliis benefacere, et sic bonum opus exercere posse (2). — S. Ioannes non abscisse de infidelibus, sed generatim de natura humana corrupta, et de tribus praecipuis vitiosis inclinationibus, ex peccato originali ortis, loqui videtur, quibus resistendum esse monet: unde (3) Christianos admonet; *Nolite diligere mundum* etc., et rationem subiicit: *Quoniam omne, quod est in mundo*, i. e. in iis, qui diligunt mundum, et iuxta pravas suas inclinationes operantur, *concupiscentia carnis est* etc. Quod si perverse agunt, qui diligunt mundum; non iam hoc idem de iis dici potest, qui malis affectibus resistentes legem moralem observant.

Obi. V. *S. Augustinus* ipsemet docet, liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valere, ex quo concludit, nullas esse in infidelibus virtutes, sed omnia eorum opera esse peccata. Nam lib. 1 Retract. (4) ait: « Voluntatem in tantum liberam esse, in quantum liberata est... alioquin totam esse vitiosam cupiditatem, peccatoque servientem. » Lib. de Spir. et litt. (5) inquit: « Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via. » Cum S. Doctore consonat Concilium *Arausicanum II*, quod can. 22 dicit: *Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum.* Ideo S. *Augustinus*, En. in Ps. XXXI, in praef. ait: « Nemo computet opera sua bona ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. » L. de gestis Pelagii c. 14 scribit: « Quantumlibet opera infidelium praedicentur, eiusdem Apostoli sententiam veram novimus, et invictam: *omne, quod non est ex fide, peccatum est.* » Similia alibi habet. Imo *S. Prosper* (6) hanc *S. Augustini* sententiam refert: « Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono; ubi enim deest agnitio aeternae et incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus. »

Resp. Citatis *S. Augustini* locis opponimus alia eiusdem testimonia, in quibus profitetur, liberum arbitrium per peccatum non fuisse penitus extinctum (§ 217, n. 2), sed per istud opus morale in ordine naturali fieri posse (hic nota 2), imo illud etiam in infidelibus per gratiam divinam adiuvari (hic nota 1). Credidit ergo et docuit *S. Augustinus* etiam sine fide opera bona in ordine naturali fieri posse, ac ideo non omnia opera infidelium peccata esse. Neque in citatis locis huic doctrinae contradixit. Constanter enim *S. Augustinus* docuit, hominem ex se nihil esse et nihil posse, sed adiuvari debere in actibus bonis naturalibus a Deo, ut auctore naturae, et in supernaturalibus a Deo ut auctore gratiae. Ideo dixit, libe-

(1) V. Maldonat. in h. l.
(2) V. Bernardin. a Picon. in h. l.
(3) Ib. Ep. 1, c. 2, v. 15. (4) Cap. 15, n. 4.
(5) Cap. 3, n. 5. (6) In lib. Sentent. n. 6.

rum arbitrium per se non valere nisi ad peccandum, seu ad deficiendum a bono. Eodem sensu accipiendum est dictum Concilii *Arausicani:* Homo nempe de suo non habet nisi mendacium et peccatum, seu deficit a vero et a bono, nisi a Deo vel ut auctore naturae, vel ut auctore gratiae illustretur et adiuvetur (1). Cum autem his dictis auxilium Dei ut auctoris naturae, vel ut auctoris gratiae non negetur, sed potius supponatur, opera bona in ordine naturali et supernaturali non excluduntur, ac ideo ex illis inferri nequit, omnia infidelium opera peccata esse. — Praeterea dum *S. Augustinus* saepius dicit, sine fide bona opera non dari, id intelligit de operibus complete bonis, et conducentibus ad vitam aeternam; quemadmodum etiam Ezech. XX, 25 praecepta antiquae legis dicuntur *non bona;* non quod essent mala, sed quia non erant perfecta, nec hominem ad perfectionem evangelicae legis perducebant iuxta illud Apostoli (2): *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Hoc sensu tantum *S. Augustinum* infidelibus bona opera denegasse, patet ex eo, quia talia scripsit contra Pelagianos, qui ethnicorum virtutes extollebant, ut exinde ostenderent, hominem sine fide per vires naturales perfectam iustitiam consequi, et per opera bona in ordine naturali facta gratiam et vitam aeternam (quam distinguebant a regno coelorum) promereri posse. Negat ergo S. Doctor, sine fide dari opera bona in sensu Pelagianorum, scilicet perfecta, salutaria, et meritoria vitae aeternae. Ipsemet id declarat (3) dicens: « Quoniam saltem concedis opera infidelium, quae tibi eorum videntur bona, non eos ad salutem sempiternam regnumque perducere: scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quae datur per unum mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde caetera, quae videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi verae virtutes, videantur opera bona, et sine ullo peccato facta, dicantur secundum te huiusmodi voluntates arbores bonae; sufficit quod apud Deum steriles sint, ac per hoc non bonae. » Quibus verbis luce clarius patet, *S. Augustinum* hoc unum contendere, opera laudabilia infidelium hoc sensu *non bona*, seu mala esse, quia ab ordine vitae aeternae deficiunt, eisque deest haec suae perfectionis plenitudo; hoc uno concesso, permittere, ut secundum alium sensum dicantur bona et virtutes. — Denique omnia opera infidelium a *S. Augustino* dicuntur peccata duplici sensu: primo, quatenus sunt infidelium ut infidelium, seu fiunt propter pravum finem. Ita Augustinum interpretatur *S. Thomas* (4) his verbis: « Augustinus dicit (5) quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat, vel aliquid huiusmodi faciat, ordinans ad finem suae infidelitatis, » vel ad alium pravum finem. Idem observat in doctrina S. Augustini versatissimus *Estius* (6), qui addit, quod cum loqueretur Augustinus respiciens ad id, quod in pluribus accidit, nimirum homines fide destitutos ita servire dominanti cupiditati, ut vix generalem boni instinctum sequantur, dixit omnia infidelium opera esse peccata, sumendo *omnia* prout significat quod

(1) V. Faure. not. in Enchir. S. August. c. 108. (2) Hebr. 7, 19. (3) L. 4, c. Iulian. c. 3.

(4) 2 2, q. 23, a. 7, ad 1.
(5) In 4, c. Iulian. (6) In 2, dist. 41, § 2.

ut plurimum, et saepissime accidit: quo sensu dicitur: *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore* (1); et: *Omnis caro corruperat viam suam* (2); id est pro maiori et maxima parte, non omnino universaliter; certum est enim, quod cogitatio Noë non erat intenta in malum, nec ipse corruperat viam suam. Ast etiam in alio sensu verba S. *Augustini* exponi possunt: quia enim ipse agnoscebat, infideles aliquando, etsi raro, agere ex bono fine, censet nihilominus, haec eorum opera etiam esse peccata, sumendo peccatum lato sensu, iuxta quem id omne dicitur peccatum et vitiosum, quod a fine deficit, et cui deest plenitudo suae perfectionis: virtutibus enim et bonis operibus infidelium, etiam recto fine factis, deerat illa perfectio, qua prodesse poterant ad vitam aeternam. Hanc esse mentem *S. Augustini* confirmatur ex eo, quia S. Doctor generatim per malum privationem boni (§ 265), et per peccatum absentiam debitae rectitudinis (§ 238) intelligit (3).

Obi. VI. Praeceptum Domini est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (4). Huic autem praecepto aliud connexum est, referendi omnes actiones suas ad Deum tanquam ad finem ultimum, quod non minus dilucide in Scripturis exprimitur, ut I Cor. X, 31: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite;* Col. III, 17: *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Iesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum;* et I Cor. XVI, 14: *Omnia vestra in charitate fiant.* Ergo infideles in omni opere peccant, non ideo quidem, quia omnia opera eorum mala sunt in se et ex natura sua, sed peccant peccato omissionis, quia non agunt ex motivo charitatis, neque actiones suas ad Deum referre possunt, in quem debito modo non credunt.

Resp. Deus cognosci et diligi potest ut auctor naturae, atque cognosci et diligi potest ut auctor gratiae, qua de re inferius fusior sermo instituetur. Ergo etiam actiones referri possunt in Deum tanquam in auctorem naturae, et tanquam in auctorem gratiae. Distinctionem vero istam orthodoxam esse, patet ex propositione Baii 34ta dicentis: « Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris Litteris, et plurimis veterum testimoniis excogitata. »—Posita hac distinctione, difficultas facile solvitur. Etenim absurdum imprimis est contendere, omnes infideles teneri praecepto referendi omnes actiones suas in Deum tanquam in finem ultimum supernaturalem; cum hoc praeceptum ignorent. Si itaque aliquo praecepto tenentur dirigendi actus suos in Deum, satis est, ut eos referant in Deum tanquam auctorem naturae, ut huic praecepto satisfaciant. Deinde ut infideles hoc praeceptum adimpleant, necesse non est, ut singulas actiones suas *explicite*, ut aiunt, in Deum referant; verum sufficit, si *implicite*, seu virtualiter id praestent per opus bonum, quod fiat propter aliquem finem bonum proximum, nam hoc ipso eiusmodi opus cedit in gloriam Dei tanquam auctoris omnis moralis honestatis. — Eandem doctrinam proponit *S. Thomas* (5): cum enim dictum *S. Augustini* (6) sibi obiecisset dicentis: « Bonum opus intentio facit,

(1) Gen. 6, 5. (2) Ibid. v. 12.
(3) Cf. Tournely, q. 4, a. 2, Obi. ex S. Aug.
(4) Deut. 6, 5. (5) 2 2, q. 10, a. 4 ad 2.
(6) In Ps. 31.

intentionem fides dirigit;» respondet: « Dicendum, quod fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis, sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicuius boni connaturalis. » Idem (1), loquens de obligatione referendi omnes actiones in Deum, inquit: «Hoc pertinere ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur, quod omnia *virtute* referantur in Deum ; » et (2) relationem implicitam sufficere docet; ait enim: « Relatio haec intelligitur vel in actu, vel in *amplitudine referendi,* quae non est solum in bonis, sed etiam in indifferentibus. » Et quia ipsi fideles iuxta communem Theologorum sententiam non tenentur omnes actiones explicite et actualiter referre in Deum, multo minus id de infidelibus dici potest (3).

III. *Potest homo gratia actuali adiutus, ante adeptam iustificationem actus bonos et supernaturales elicere, et ideo non omnia peccatorum opera sunt peccata.*

§ 414. Non omnia infidelium et peccatorum opera vitia esse et peccata, iam ex eo patet, quia, ut probatum fuit, per vires naturales non penitus extinctas bona opera moralia perficere possunt. Multo magis illud ipsum dicendum est, si respectus habeatur ad gratiam divinam, quam tum infideles, tum peccatores consequuntur, et qua adiuti etiam graviores tentationes vincere, et difficiliora officia adimplere possunt. — Falsum enim est, quod adversarii contendunt, ante collationem fidei nullam homini gratiam a Deo concedi. Nam, si Deus *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos* (4), si infideles conservat, nutrit, et bonis terrenis replet, quis dicet, quod immortalibus eorum animabus omne supernae gratiae auxilium deneget? Ipse *S. Augustinus* bona infidelium opera gratiae divinae adiutorio adscribere non dubitat (v. § praec. nota 1). Caeterum de gratiis, quae etiam infidelibus conceduntur, fusior sermo recurret, dum capite quarto de distributione gratiae disseretur. — Verum equidem est, primam dispositionem ad iustificationem esse fidem, quae *humanae salutis initium est, fundamentum et radix omnis iustificationis:* quamobrem infidelis iustificari nequit nisi fidem concipiat (5). Falsum autem est, fidem inseparabilem esse a charitate seu iustificatione; nam iuxta Concilium *Tridentinum* (6) praeter fidem ordinarie aliae dispositiones, ut humilis miseri sui status cognitio, timor, spes etc., ipsam iustificationem praecedunt. — Quicunque ergo fidem concepit, gratia divina excitatus et adiutus, etiam ante adeptam iustificationem non quidem actus meritorios pro vita aeterna, sed tamen actus bonos in ordine supernaturali elicere potest. — Id autem cum novatoribus negant Iansenistae, docentque, amissa per peccatum charitate, etiam fidem extingui, peccatores, licet externe fidelibus adnumerentur nihil omnino boni agere posse, et omnia eorundem opera vitia esse et peccata. — Prior istorum error iam alibi (§ 243, nota 2) refutatus, et ostensum est, per peccatum mortale gratiam quidem sanctificantem, non autem semper fidem amitti. Peccatores ergo, qui fidem retinent, non solum multo facilius quam infideles actus bonos in ordine naturali, sed a gratia actuali excitati et ad-

(1) Q. unic. de char. a. 11 ad 2.
(2) Lect. 7 in 1 Cor. 10, 31.
(3) Cf. Perrone de grat., n. 155, nota 3.
(4) Matth. 5, 45.
(5) V. Conc. Trident. Sess. 6, c. 8.
(6) L. c. cap. 6

iuti, etiam actus bonos supernaturales ante iustificationem adeptam elicere possunt, quia iuxta doctrinam catholicam ad actus bonos et supernaturales necessaria est gratia actualis, non autem gratia sanctificans : ex qua doctrina sequitur, non omnia peccatorum opera totidem peccata esse. Veritas autem doctrinae catholicae ex *S. Scriptura*, ex *Traditione* et *rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* tum factis, tum dictis ostendit, peccatores actus bonos et supernaturales ante iustificationem elicere posse. Insigne exemplum habetur II Paral. XXXIII, 12 etc., ubi de *Manasse*, plurimis sceleribus contaminato, legitur: *Postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, et egit poenitentiam valde coram Deo patrum suorum, deprecatusque est eum, et obsecravit intente: et exaudivit orationem eius* etc. Dubitari non potest, *Manassen* a gratia divina excitatum, et adiutum impietatem et miseriam suam agnovisse, et misericordiam divinam implorasse; per orationem vero gratiam poenitentiae, et per poenitentiam peccatorum remissionem et pristinam salutem obtinuit. Quis iam negabit, Manassis nondum iustificati orationem opus bonum et supernaturale fuisse? — Luc. XVIII, 13 exhibetur *Publicanus* a longe consistens, qui non audebat in coelum oculos suos attollere, sed *percutiebat pectus suum dicens : Deus propitius esto mihi peccatori ;* et mox additur: *descendit hic iustificatus in domum suam.* Actibus ergo humilitatis et orationis, per gratiam actualem elicitis, iustificatio adscribitur, quod confirmatur ex eo, quia Christus hoc exemplum proponit ut humilitatem commendet, dicens, v. 14: *Qui se humiliat, exaltabitur.* De Cornelio Centurione Act. X etc. legitur : *Vir erat . . . religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper.* Orationes et eleemosynas istas, quas Cornelius fecit, antequam fidem christianam et baptismum recepisset, Deo acceptas fuisse, testatur Angelus dicens, v. 4: *Orationes tuae, et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Ipse *S. Augustinus* clare docet, Cornelium iam ante fidem et iustificationem, adiuvante gratia divina, bene operatum esse; ait enim(1): «Quidquid et antequam in Christum crederet, et cum crederet, et cum credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur. » Exempla ista penitus confundunt falsam novatorum et Iansenistarum sententiam, iuxta quam Publicanus per actus humilitatis et poenitentiae, ac Cornelius per orationes et eleemosynas non solum nihil boni egissent, sed etiam peccassent. — Imo S. Scriptura peccatores ad opera bona et salutaria ante iustificationem praestanda exhortatur, et provocat per promissiones, quas adiicit. Sic III Reg. VIII, 38 etc. dicitur: *Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in coelo, in loco habitationis tuae, et repropitiaberis.* Orationi ergo peccatoris, in templo humili corde factae, repropitiatio promittitur. Eccli. XXI, 1 legitur: *Fili ! peccasti ? non adiicias iterum, sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* II Machab. I, 5 haec habentur: *Exaudiat Dominus orationes vestras, et reconcilietur vobis.* Tantum ergo abest, ut oratio impiorum sit novum peccatum, ut illi potius exauditio et reconciliatio in divinis libris adscribantur. Eodem modo peccato-

(1) L. de praedest. Ss. cap. 7.

res etiam ad alios actus bonos excitantur, quibus ad remissionem peccatorum obtinendam disponantur. Ezech. XVIII, 30: *Ait Dominus Deus: Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Zach. I, 3: *Convertimini ad me, et convertar ad vos, ait Dominus exercituum.* Ps. L, 10: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Eccli. II, 9: *Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectationem veniet vobis misericordia.* Ipsa igitur S. Scriptura peccatores excitat ad morum, et cordis conversionem, ad timorem, spem et alios actus. Nonne autem blasphemum est dicere, ad id hortari Scripturam, quod semper peccatum est, et Deo displicet?

2. *Traditio* firmissimum pro doctrina catholica argumentum praebet. *Ss. Patres* passim docent, peccatores, antequam ad charitatem, seu iustificationem perveniant, actus bonos et salutares elicere posse. *Clemens Alex.* (1) ait: « Mihi videtur quidem esse quaedam prima salutaris mutatio, quae fit a gentibus ad fidem; secunda, quae fit a fide ad cognitionem; illa vero traiiciens ad charitatem. » *Origenes* (2) inquit: « Etsi peccatores estis, orate Dominum. Peccatores exaudit Deus. Quod si timetis illud, quod in Evangelio dicitur: *Scimus, quia peccatores Deus non audit* (3), nolite pertimescere, nolite credere. Caecus erat, qui hoc dixit. Credite potius ei, qui dicit, et non mentitur: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra, ut vermiculus, velut lana alba erunt* » (4). *S. Ambrosius* (5) dicit: « Qui expectat, sperat charitatem: ergo spes praecedit, sequitur salus: spes igitur praecurrit affectum. » *S. Chrysostomus* Hom. 5 de incompr. Dei natura, n. 6 ait: « Si onera peccatorum innumera in conscientia habes, modo tibi persuadeas, te omnium ultimum esse, magnam habebis apud Deum fiduciam: licet id nulla humilitas sit, cum peccator sis, te peccatorem existimare... Attamen Deus propter ineffabilem clementiam suam non eos modo, qui humiliter sentiunt, sed etiam eos, qui bono animo sua confitentur peccata, admittit, recipit, sicque affectis propitius est. » Et ibid. n. 7 inquit: « Vocatur Deus consolationis, et Deus misericordiarum: quoniam hoc est eius officium perpetuum, ut dolentes et afflictos consoletur et hortetur, etiamsi innumeris sint peccatis onusti... Ecquid mirum, si humanas aerumnas oratio solvere possit, quando peccatorum naturam ita facile extinguit et delet? » — *S. Augustinus* (6) in illa verba caeci nati: *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit* etc., ita disserit: « Adhuc inunctus loquitur. Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille Publicanus oculos in terram demittens, et pectus suum percutiens diceret: *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Et ista confessio meruit iustificationem, quomodo iste caecus illuminationem. » Idem l. de praedest. Ss. (7) scribit: « Ipsa fides prima datur, qua impetrentur caetera quae proprie opera nuncupantur, in quibus iuste vivitur. » Idem Epist. CLXXXVI, ad Paul., inquit: « Qui ergo habent fidem, qua impetrent iustificationem, per Dei gratiam pervenerunt ad legem iustitiae, » et Epist. CXLIX, ad Sixt., c. 3: « Sed nec ipsa

(1) L. 7, Strom. (2) Hom. 5, in Is. n. 2.
(3) Io. 9, 31. (4) Isa. 1, 18.
(5) In Ps. 118, v. 166.
(6) Tract. 44, in Io. n. 13. (7) Cap 7.

remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. » *S. Bernardus* (1) ait: « Sola virtus humilitatis est laesae reparatio charitatis. » *S. Thomas* (2) inquit: « Peccator non potest pie orare, quasi eius oratio ex habitu virtutis informetur. Potest tamen eius oratio esse pia quantum ad hoc, quod petit aliquid ad pietatem pertinens: sicut ille, qui non habet habitum iustitiae, potest aliquid iustum velle. Et quamvis eius oratio non sit meritoria, potest tamen esse impetratoria. » *S. Bonaventura* (3) dicit: « Oratio est peccatoris refugium, iram Dei placat, veniam impetrat. » Conc. *Constantiense* damnavit hanc *Hussii* propositionem ordine 16ᵐ: « Divisio immediata bonorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa; quia si homo est vitiosus, et agit quidquam, tunc agit vitiose; et si est virtuosus, et agit quidquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi. » Concilium *Tridentinum* sess. VI, can. 7 contra Protestantes definit: *Si quis dixerit, opera omnia quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.* Et sess. XIV, cap. 4, pronuntiat, attritionem, quae *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennae, et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem*; verum etiam donum Dei esse, Spiritus sancti impulsum *non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat, et ad gratiam Dei per sacramentum obtinendam se disponit.* Quod iterum definit Synodus, can. 5 eiusdem sessionis, addito anathemate adversus eos, qui contrarium asseruerint. Ex quibus definitionibus patet, de fide credendum esse, quod homo gratia actuali adiutus ante adeptam iustificationem actus bonos et supernaturales elicere possit, et quod non omnia peccatorum opera sint peccata. Hinc *Pius V* et *Gregorius XIII* damnarunt hanc *Baii* propositionem 35ᵐ: « Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. » Et *Clemens XI* in Bulla *Unigenitus* multas Quesnellii propositiones eodem veneno infectas damnavit, ut 45ᵐ: « Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones eius corrumpat; et 59ᵐ: Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos iudicium. » Denique a *Pio VI* in Const. *Auctorem fidei: Doctrina Synodi* (Pistoriensis) *de duplici amore dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis, enuncians, hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere: quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, seu in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati, et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem huius influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur, aut opera omnia quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione fiant, sint peccata,*

(1) Serm. 2, de Nativ. Dom. n. ult.
(2) 2 2, q. 83, art. 16 ad 2.
(3) In Specul. disc. P. 1, c. 12

quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati, (declaratur) *falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Baio damnatum art.* 40: (prop. 23ª).

3. Ex doctrina adversariorum magna absurda sequuntur. Nam *a*) per illam gratiae divinae limites ponuntur. Si enim prima gratia semper est fides cum charitate coniuncta; ergo nulla datur gratia, qua homo in statu peccati a malis actibus retrahatur, et ad actus bonos, ex. gr., ad miseri sui status agnitionem, ad orationem, ad poenitentiam, etc., excitetur; vel si Deus, cuius omnipotentia et bonitas limitari nequit, per gratiam suam actus bonos producit, nonnisi peccata produxisse atque multiplicasse dicendus esset. *b*) Si omnes actiones ante iustificationem elicitae vitiatae et corruptae essent, ac totidem peccata, praecluderetur omnis via peccatoribus se convertendi, sese in gratiam Dei recipiendi, ac sese disponendi ad iustificationem; quae omnia absurda sunt, ac universam iustificationis oeconomiam subvertunt. *c*) Porro peccatores irreprehensibiles essent, si non convertantur, eo quod neglexerint opera misericordiae praestare, noluerint poenitere et confiteri peccata sua, noluerint orare, caeteraque efficere, quibus veniam a Deo, ac iustificationem impetrare potuissent. Admissa enim adversariorum sententia, quis eos reprehenderet, quod actus malos non elicuerint, et peccata non multiplicaverint? — Ast S. Scriptura saepissime peccatores impoenitentes reprehendit. Stephanus Iudaeos increpat dicens: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus; vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos* (1). Et Paulus ait: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram* (2) etc. — Falsa ergo et perversa est doctrina adversariorum, ex qua tam absurda et impia corollaria eruuntur.

(1) Act. 7, 51 (2) Rom. 2, 4 etc.

Nota. Apparentes adversariorum rationes facile diluuntur.

Obi. I. S. Scriptura opera peccatorum, quae videntur bona, damnat et reprobat tanquam vera peccata. Isa. XI, 13 Deus ait: *Incensum abominatio est mihi... Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea.* Prov. XV, 8: *Victimae impiorum abominabiles Domino.* Similia aliis in locis leguntur.

Resp. Incensum, solemnitates et victimas impiorum Deus abominatur, si ex pravo fine et perversa intentione vitiantur, quales erant victimae Iudaeorum, qui legis suae praeceptis aperte repugnantes existimabant sibi omnia in tuto esse, ac cuncta sibi licere, et impunita fore scelera, modo externos ritus ac caeremonias legales observarent. Tali fine ac intentione oblata sacrificia Deus merito abominabatur, quibus Deum ipsum in partem suorum scelerum venire, ac mali quasi auctorem, aut approbatorem esse significare videbantur, quo nihil iniquius et Deo iniuriosum magis excogitari potest. De huiusmodi vero sacrificiis, fine ac intentione tam perversa oblatis loqui Prophetam, manifestum est ex adiunctis; nam iam v. 12 dixerat: *Iniqui sunt coetus vestri,* et v. 15 ait: *Manus enim vestrae sanguine plenae sunt;* quare, concludit v. 16: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse.* Illos igitur Iudaeos spem omnem suam in huiusmodi sacrifi-

ciis collocasse, postpositis animi virtutibus, patet ex Ierem. VII, 3, ubi dicitur: *Bonas facite vias vestras, et studia vestra;* et v. 4: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini... est*, quasi solo templo salvo, et peracto sacrificio, neglectis virtutum studiis ac bonis operibus, ipsi nihilominus salvi futuri essent. — Praeciso autem fine illo pravo, poterat quis victimas, et sacrificium ex praecepto legis offerre sine novo peccato, licet affectum peccandi nondum deposuisset, aut de peccatis expresse non doluisset; quia nempe circumstantia haec necessaria quidem erat ad fructum spiritualem percipiendum, non autem ad novum eo in opere fugiendum peccatum, quandoquidem opus illud tum ex obiecto, tum ex fine bonum erat, eo nempe animo factum, ut legi obtemperaretur. Quod si Iudaei toties peccassent, quoties non deposito affectu peccandi victimas et sacrificia obtulissent, longe satius et consultius ipsis fuisset ab illis omnino abstinere, quod quidem nemo sanus dixerit, nec ipsi Prophetae asseruerunt. Ex horum potius monitis apparet, quod Iudaei meliores sensus induere, et actus poenitentiae elicere potuerint, quibus positis, eorum victimas Deus nullatenus abominatus fuisset.

Obi. II. Ps. XIII, 4 legitur: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum:* quem locum allegat etiam Apostolus Rom. III, 12. Ergo peccatores, inutiles facti, nihil boni facere possunt.

Resp. Quamvis Psalmista de illis praecipue loqui, eorumque mores corruptissimos describere videatur, qui ex perversitate cordis Deum negant (v. 1); Apostolus tamen eiusdem verba interpretatur de illa originis corruptione, qua omnes homines constituti sunt peccatores. Fatendum quoque est, omnes homines esse in statu peccati (quod Apostolus eo loco probare contendit, ut necessitatem gratiae Christi manifestam faciat) et inutiles ad opera facienda, quae Deo placeant, sintque meritoria pro vita aeterna, nisi prius per Dei gratiam et redemptionem, quae est in Christo Iesu, reconcilientur et iustificentur. Illud autem: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, non significat, neminem esse, qui faciat aliquod opus bonum morale, sed neminem esse, qui iuste vivat servando totam legem moralem. Id enim praecedit: *Non est iustus quisquam, non est intelligens, - omnes declinaverunt* etc. Neque enim iustus dici potest, aut simpliciter bonum facere, qui multis peccatis unum aliquod bonum opus admiscet. Multo minus per illud dictum bona opera etiam in ordine supernaturali negantur, quae homines, gratia divina excitati et adiuti, perficere possunt. Ipsa S. Scriptura, quae dicit, *omnes declinaverunt* etc., multos etiam iustos commemorat.

Obi. III. Christus ipse dicit: *Non potest arbor mala bonos fructus facere* (1): ast arbor mala est homo peccator; ergo iuxta effatum Christi non potest peccator bona opera perficere, sed semper mala patrat, dicente eodem Christo: *Mala autem arbor malos fructus facit* (2).

Resp. Christus, ut observant interpretes, proverbium protulit inter Iudaeos usitatum. Proverbia autem ex communiter contingentibus desumuntur, et exceptionibus locum concedunt. Sicuti ergo arbores debilitatae, corruptae et semimortuae aliquos tamen fructus hincinde producunt; ita etiam peccatores aliqua bona ope-

(1) Matth. 7, 18. (2) Ibid. v 17.

ra saltem in ordine naturali, atque per gratiam actualem etiam in ordine supernaturali perficere possunt. Neque id in evangelico dicto negatur. Arbor enim mala aut bona est mala aut bona voluntas. Certum vero est arborem malam, id est, hominem ex mala voluntate, seu ex cupiditate operantem non posse facere nisi fructus malos. Sed non sequitur propterea, opera omnia peccatoris esse peccata, quoniam interdum peccator non agit ex cupiditate, sed ex bono naturae, et tunc facit opus bonum morale: sicut interdum homo iustus facit opera mala, id est, peccata venialia, quia non operatur ex charitate, sed ex corruptione naturae. Aliam addit *Bellarminus* (1) solutionem dicens: « Per fructus bonos, quos non potest facere arbor mala, intelligi opera meritoria vitae aeternae; per fructus autem malos, quos non potest facere arbor bona, intelligi opera meritoria mortis aeternae; per arborem bonam, hominem iustum; per malam, peccatorem, ut hanc similitudinem exponit S. *Augustinus* (2). Hinc enim sequetur, ut sicut iustus non potest facere peccata lethalia, nisi desinat esse iustus, et tamen potest, etiam manens iustus, facere peccata venialia; sic impius, non possit facere opera digna regno coelorum, nisi desinat esse impius, et tamen possit, etiam manens impius, facere opera bona moraliter. Et certe secundum usum Scripturae fructus boni non dicuntur nisi opera salutifera, de quibus dicitur: *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum* (3); et: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem* (4).

Obi. IV. Isa. I, 15 Deus ipse Israëlitis, multis sceleribus contaminatis, dicit: *Quum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: et quum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Similiter in N. T. Io. IX, 31 dicitur: *Deus peccatores non audit.* Recte ergo asseritur, orationem impiorum Deo displicere, et novum peccatum esse.

Resp. Etiam Catholici admittunt, quod oratio peccatoris impoenitentis exaudiri non mereatur; rectissime autem negant, quod talis oratio novum sit peccatum, nisi per malos sensus, actu perverso inter orandum elicitos, vitietur. Docent autem praeterea Catholici, peccatorem gratia divina excitatum, et adiutum de peccatis suis dolere, meliores sensus induere, et sic iam ante adeptam iustificationem talem orationem perficere posse, quae exaudiri meretur. Exemplum praeclarum habemus in Publicano. Io. IX, 31 non proferuntur verba Christi, sed, ut ait *Origenes*, verba *caeci*, seu, ut observat S. *Augustinus*, verba *inuncti*, seu nondum in christianae fidei dogmatibus satis eruditi. Vel etiam dici posset, veram esse *caeci* nati sententiam hoc sensu acceptam, quod Deus non exaudiat peccatores ad illa miracula patranda, quibus se suamque doctrinam et sanctitatem a Deo esse comprobent; agebatur enim eo loci de miraculo, quod Christus, qui tanquam peccator et blasphemus a Pharisaeis habebatur, in gratiam caeci nati operatus fuerat. Ideo autem non sequitur, Deum nunquam peccatores exaudire, cum contrarium ex iam probatis constet.

Obi. V. Ille peccat, qui agit ex cupiditate, dicente Apostolo: *Radix omnium malorum est cupiditas:* atqui peccator semper agit ex cupiditate;

(1) L. 5 de grat. et lib. arb. c. 10.
(2) L. 4, c. Iulian. c. 3, et l. de grat Chr. c. 18 et 19.
(3) Io. 15, 5.
(4) Rom. 6, 22. — Cf. Gal. 5, 22; Ephes. 5. 9.

vel enim agit ex cupiditate, vel ex charitate, nullum quippe medium est: atqui non agit ex charitate, alias iustus esset; ergo semper agit ex cupiditate, et in quolibet actu peccat. Quamobrem *S. Augustinus* (1) ait: « Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur. »

Resp. Concedimus, nullum dari medium inter cupiditatem et charitatem habitualem, seu inter statum iustitiae et peccati; prorsus autem negandum est, nullum dari medium inter cupiditatem et charitatem theologicam, et proprie dictam. Datur enim charitas improprie dicta, seu voluntas recti et honesti, iuxta quam homo, etsi peccator sit, saepe tamen adiutus praesertim gratia, bonum vult et operatur. Sicut enim iustus non semper agit ex charitate, sed quandoque ex natura corrupta, dum venialiter peccat; ita etiam peccator non semper agit ex cupiditate, sed hinc inde ex dictamine rationis non penitus extinctae, aut ex impulsu gratiae actualis, et tunc non peccat, sed bene agit. Apostolus autem loquitur de amore pecuniae, seu de avaritia quam vocat omnium malorum temporalium et aeternorum fontem. *S. Augustinus* dilectionis nomine non intelligit charitatem theologicam et proprie dictam, sed bonam voluntatem, aut piam affectionem, quo sensu saepius vocem dilectionis usurpat, ut dum (2) dicit: « Quod (liberum arbitrium) sine suo fructu admoneretur, nisi prius acciperet *aliquid dilectionis,* ut addi sibi quaereret, unde quod iubebatur impleret. »

ARTICULUS III.

Variae quaestiones de necessitate gratiae.

§ 415. Ex doctrina catholica hactenus declarata patet, magnum esse necessitatis gratiae ambitum, sed tamen quosdam eiusdem necessitatis limites agnoscendos esse. Necessaria enim est gratia Christi ad omnes et singulos actus salutares, etiam ad initium fidei et boni operis, atque ad perseverantiam finalem. Possunt autem infideles et peccatores per vires suas naturales quaedam bona opera in ordine naturali perficere; et sicut infideles per gratiam divinam fidem supernaturalem concipere, ita etiam peccatores gratia excitati et adiuti, actus bonos in ordine supernaturali iam ante adeptam iustificationem elicere queunt. His praemissis, gressus fieri potest ad varias quaestiones resolvendas, quae ad eiusdem gratiae necessitatem spectant, et quarum genuina inquisitio pro Theologo non solum utilis, sed et necessaria est. Quaeritur enim, quantum homines sine gratia praestare possint, aut non possint 1) *in veritatibus cognoscendis*, 2) *in Deo diligendo*, 3) *in lege naturali observanda*, 4) *in tentationibus vincendis*, 5) *in peccatis venialibus vitandis*, et 6) *in statu peccati deserendo.* — Dum quaestiones istae resolvuntur, veritates iam declaratae, et ab Ecclesia definitae ante oculos habendae, et iuxta illas responsiones concipiendae sunt, ut non vel cum Pelagianis gratiae iura violentur, vel cum Praedestinatianis liberi arbitrii vires penitus extinguantur.

Nota. Certum est, ad omnem actum necessarium esse generalem concursum Dei, omnia conservantis, et gubernantis (§ 249 et seq.). Qua de re *S. Thomas* (3) ita loquitur: « Quantumcunque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi

(1) L. de gratia Chr. c. 26
(2) L. de grat. et lib. arb. c. 18, n. 2.
(3) 1 2, q. 109, art. 1.

moveatur a Deo, quae quidem motio est secundum suae providentiae rationem... non solum autem a Deo est omnis motio sicut a primo movente, sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio sicut a primo actu. Sic igitur actio intellectus, et cuiuscunque entis creati dependet a Deo quantum ad duo: uno modo, in quantum ab ipso habet perfectionem, sive formam, per quam agit: alio modo, in quantum ab ipso movetur ad agendum. » Non de necessitate huius generalis concursus divini in hisce quaestionibus agitur, sed tantum de necessitate gratiae supernaturalis, quam Christus divinus Redemptor nobis promeruit.

I. *De veritatibus cognoscendis.*

§ 416. Veritates duplicis ordinis distinguuntur: aliae *naturales*, quae intra naturae ordinem continentur, et quarum notitia mentis humanae captui et viribus accommodata, seu proportionata est; aliae vero *supernaturales*, quae excedunt ordinem naturae, et vires intellectus naturales, uti sunt omnia fidei christianae mysteria. Aliquas veritates naturales homo lapsus sine speciali auxilio gratiae cognoscere potest; non tamen omnes collective sumptas: veritates autem supernaturales non potest homo apprehendere sine revelatione externa, nec illas credere sine gratia supernaturali. Utraque propositio facile probatur.

1. Homo lapsus sine gratia supernaturali actuali aliquas veritates naturales tum theoreticas, seu speculativas, tum practicas, seu morales naturali intellectus suo cognoscere potest. *S. Scriptura* testatur, homines naturae lumine in veri Dei notitiam pervenire posse. Iob XXXVI, 25 dicitur: *Omnes homines vident eum* (*Deum*): *unusquisque intuetur procul.* Sap. XIII, 5 legitur: *A magnitudine speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Et v. 9: *Si tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum: quomodo huius Dominum non facilius invenerunt?* — Act. XVII, 17 Paulus ait: *Quaerere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum;* ex quibus verbis *S. Chrysostomus* infert, tam facilem et obviam esse Dei notitiam ex rebus creatis, ut fere palpari et attrectari queat, quomodo tractantur ea, quae ante pedes et oculos iacent. Rom. I, 18 etc. haec habentur: *Revelatur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, et divinitas:* quibus verbis Paulus docet, homines ope rationis tum existentiam, tum praecipua attributa Dei cognoscere posse; ex quo recte infertur, humanam rationem sufficere etiam ad alias veritates theoreticas cognoscendas, propriam animam aut mundum visibilem concernentes. Idem de officiis practicis dicendum est. Homines enim rationis lumine praecipua sua officia erga Deum, erga se, et erga proximos suos cognoscere possunt. Nam Rom. I, 21: Gentiles dicuntur *inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt;* ergo Deum glorificandi officium perspexerunt. Et Rom. II, 14 etc. Apostolus dicit: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui osten-*

dunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus. Lex porro illa scripta in cordibus dictat, quid bonum et honestum, quidve malum sit ac turpe: quod quidem unusquisque deprehendere facile potest, si naturae ac conscientiae vox cupiditatum vehementiori strepitu non praefocetur. *Ss. Patres* quoque docent, per solam rationem homines aliquas veritates tum theoreticas, tum practicas cognoscere posse. *S. Irenaeus* (1) ait: « Ratio mentibus infixa revelat eis, quoniam est unus Deus, omnium Dominus. » *S. Hilarius* (2) inquit: « Quis enim, mundum contuens, Deum esse non sentiat? Sed fit frequenter, ut cum nos veri necessitas ad confessionem Dei cogat, oblectatio tamen vitiorum Deum nobis non esse persuadeat. » (Cf. § 4, n. 3). Veritates practicas et officia moralia ope rationis cognosci posse, docet *S. Augustinus* l. 2 confess. cap. 4 dicens: « Furtum certe punit lex tua, Domine, et lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur aequo animo furem patitur? » Et enarr. in Ps. LVII, n. 1 sic loquitur: « Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: Quod tibi non vis fieri, ne feceris alteri. Hoc et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset, unde iudicarentur et ii, quibus lex non esset data. » Et lib. 1 ad Simplic. q. 2 dicit: « Non solum bonum ingenium, sed et honestas et utiles disciplinas comparari ante gratiam salutarem. » *S. Prosper* (3) scribit: « Quis ambigat, hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitae utilitatem ex naturae a Deo conditae superesse reliquiis? Si autem nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed extincta natura. » *S. Thomas* (4) ait: « Homo indiget auxilio divino (concursu generali), ut intellectus a Deo moveatur ad suum actum: non autem indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus nova illustratione superaddita naturali illustrationi, sed in quibusdam, quae excedunt naturalem cognitionem. » Haec doctrina sequitur ex dogmate catholico, quod dicit, liberum arbitrium per peccatum originale equidem debilitatum, non autem penitus extinctum esse. Remanent ergo in homine naturales intellectus vires, quae ex ipsa Creatoris institutione ad aliquas veritates cognoscendas ordinantur. Sicuti ergo visus non indiget speciali auxilio naturae superaddito ad videndum obiectum materiale illuminatum, sibique propinquum: ita nec intellectus indiget speciali gratia supernaturali ad cognoscendas aliquas veritates naturales sibi proportionatas. Quicunque id negat, doctrinae catholicae adversatur. Hinc damnata fuit *Baii* propositio 27ª: « Liberum arbitrium sine adiutorio Dei nonnisi ad peccandum valet: » et *Quesnellii* prop. 39ª: « Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se praecipitandum, virium nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, est incapax ad omne bonum. »

2. Fatendum tamen est, quod homo sine gratia supernaturali cognoscere nequeat potentia morali omnes veritates naturales sive theoreticas, sive practicas: clare id patet ex infinita pene rerum moralium ac natura-

(1) L. 3, cont. haer. c. 6, n. 1.
(2) In Ps. 52, n. 2.
(3) Cont. collat. cap. 10, n. 3.
(4) 1 2, q. 109, art. 1.

lium multitudine, ex brevitate vitae, ex angusta humanae mentis capacitate, ex infirmitate corporis, ex innumeris prope civilis vitae officiis, impedimentis, curis, fastidiis, ex pravis cupiditatum affectibus, quibus hinc-inde intellectus in devia praecipitatur, et ex ipsa rerum naturalium indole et conditione, quarum scilicet natura tota fere in abstruso est posita. Hinc Ecclesiastes VIII, 17 dicit: *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quae fiunt sub sole, et quanto plus laboraverit ad quaerendum, tanto minus inveniet.* Quae verba, cum vera non sint de singulis veritatibus, quarum non paucas homines certo cognoscunt, debent referri ad omnes simul collective, quas experientia ipsa testificante, nemo compertas habuit, aut sine specialissima gratia compertas habere potest. Sunt etiam abstrusiores quaedam ac sublimes veritates, quae quamvis ordinem naturalem non excedant, excedunt tamen aciem nostri intellectus, hebetatam per peccatum originale. Observante enim *S. Thoma* (1): « Inter spirituales (poenas peccati originalis) est potissima debilitas rationis, ex qua contingit, quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, et de facili labitur in errorem, et appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multoties obnubilatur ab eis. » Testes sunt ethnici Philosophi, qui, licet aliquas veritates naturales theoreticas et practicas recte cognoverint, alias tamen ignorarunt, de aliis certitudinem debitam non habuerunt, et circa nonnullas aberrarunt (2).

3. Veritates supernaturales homo non potest apprehendere sine revelatione externa; cum enim huius ordinis veritates neque sub sensus cadant, neque intra rationis humanae sphaeram contineantur; sequitur, illas tantum per revelationem divinam hominibus patefieri posse. Unde Apostolus dixit: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient, sine praedicante? quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur* (3)? — Sed externa revelatio, seu praedicatio veritatum supernaturalium sufficit ad illarum apprehensionem. Illud quippe sufficit ad simplicem apprehensionem, seu ad meram notitiam terminorum, quod sufficit ad iudicium humanum, seu ad fidem humanam: atqui ad fidem humanam veritatum supernaturalium sufficit externa revelatio, seu praedicatio Evangelii, nec requiritur interior gratia, ut patet ex haereticorum exemplo, qui humana fide assentiuntur mysteriis supernaturalibus, et quidem sine gratia: alias agnoscenda in ipsis foret supernaturalis fides, quam tamen vulgo Theologi in ipsis non agnoscunt. — Homo autem non potest veritates supernaturales credere fide divina, ac prout oportet ad salutem sine gratia interiori supernaturali. Hanc enim ad salutarem fidem, et ad ipsum initium fidei necessariam esse, iam § 410 probatum est: Hinc *S. Thomas* (4) ait: « Altiora intelligibilia intellectus humanus cognoscere non potest, nisi fortiore lumine perficiatur, sicut lumine fidei, vel Prophetiae, quod dicitur lumen gratiae, in quantum est naturae superadditum. » Et iam Concilium *Milevitanum* can. 4 dixerat: *Donum Dei est scire, quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus*: et *Arausicanum II* can. 9 inquit: *Divini est mu-*

(1) L. 4, c. Gentes cap. 52.
(2) Cf. Th gen! § 58.
(3) Rom. 10, 14.
(4) Loc. cit.

neris, cum recte cogitamus; qui canones de salutari cognitione, et fide divina intelligendi sunt.

Nota. Qui negant, intellectum per peccatum originale obscuratum veritatem quamdam naturalem cognoscere posse, ad quaedam S. Scripturae, Ss. Patrum, et Conciliorum loca appellant, in quibus omnis veritatis cognitio Dei auxilio adscribitur. — Ast si in huiusmodi locis de cognitione veritatum naturalium sermo est, per auxilium Dei, quod necessarium dicitur, non gratia Christi supernaturalis, sed concursus ille divinae providentiae generalis intelligitur, sine quo a creaturis nullus actus poni potest. Ita Angelicus (1) explicat verba Apostoli: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis* (2), inquiens: « Semper indigemus divino auxilio ad cogitandum quodcunque, inquantum ipsum movet intellectum ad agendum. » Sed plerumque ex adiunctis colligitur, quod in locis adductis de cognitione veritatum supernaturalium, seu de cogitatione salutari sermo sit, et tunc omnino fatendum est, gratiam supernaturalem ad illam necessariam esse. Ita intelligenda sunt varia *S. Augustini*, et *Concilii Arausicani II* dicta, quae contra Pelagianos et Semipelagianos directa fuerunt, necessitatem gratiae ad cognitiones salutares negantes.

II. *De Dei dilectione.*

§ 417. Quemadmodum Deus duplici via cognosci potest, scilicet lumine naturae, cognitione hausta ex creaturis, quarum est auctor, et lumine supernaturali, scilicet per revelationem et fidem, prout est auctor gratiae et gloriae; ita etiam duplex esse potest Dei dilectio, videlicet una *naturalis*, qua diligitur Deus ut auctor naturae, altera *supernaturalis*, qua diligitur ut unus et trinus, auctor gratiae, et largitor felicitatis aeternae, prout divina revelatio eum nobis manifestat. Neque cuiquam catholico de hac duplicis amoris naturalis et supernaturalis distinctione dubitare fas est, postquam summi Pontifices *Pius V*, et *Gregorius XIII* illas duas Baii propositiones proscripserunt, quarum una n. 24ª haec erat: « Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris Litteris, et plurimis veterum testimoniis excogitata;» altera n. 36ª : «Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae cum iniuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus. » Posita igitur hac duplicis amoris Dei distinctione, quaestio oritur de sola dilectione Dei naturali, prout nempe Deus naturali lumine ut auctor naturae cognoscitur; nam de dilectione Dei supernaturali nulla est, aut esse potest post universalem haeresis pelagianae condemnationem controversia; de hac enim loquens *S. Augustinus*(3) dicit: «Unde est in hominibus charitas Dei et proximi, nisi ex ipso Deo? nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. » Omnes ideo Theologi catholici propugnant, dilectionem Dei supernaturalem ab homine sine gratia supernaturali elici non posse. Omnes etiam admittunt, sine speciali gratia hominibus inesse illam dilectionem naturalem, qua natura ipsa voluntatis nostrae necessario inclinatur, et fer-

(1) 1 2, q. 109, art. 1 ad 3.
(2) 2 Cor. 3, 5.
(3) L. de grat. et lib. arb. c. 18.

tur in Deum, tanquam in bonum commune, et de qua *S. Augustinus* (1) ait: « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec revertamur ad te. » De hac dilectione naturali, quae omnibus creaturis, ne daemonibus quidem exceptis, communis est, nobis modo sermo non est, sed de dilectione Dei naturali libera et actuali. Dum quaeritur, quid circa istam homo per vires naturales praestare valeat, in responsis non consentiunt Theologi, sed in duas potissimum abeunt sententias.

1. Nonnulli cum *Molina* (2) contendunt, hominem etiam in statu naturae lapsae potentia morali, absque gratia supernaturali, posse per se loquendo, et praescindendo a circumstantiis difficultatem huius actus valde augentibus, Deum super omnia amare amore concupiscentiae et benevolentiae mere naturali, ad aeternam salutem non conducente, atque in eo saltem per breve tempus perseverare. Nam, aiunt, quia homo post peccatum naturalem intellectum retinuit, ideo potest naturaliter cognoscere, Deum esse summum bonum, et propterea super omnia amandum: posita autem hac cognitione, quia etiam liberam retinuit voluntatem, quae nequaquam ex toto depravata, seu diabolica facta est, potest Deum ita cognitum naturaliter amare super omnia; nam ex cognitione boni oriri potest amor illi cognitioni proportionatus, nisi aliunde, ex. gr., ob difficultatem moraliter impossibilem talis amor impossibilis reddatur: contingere autem potest, ut quandoque non occurrant graves tentationes et difficultates, quas in amando Deo superare necesse sit; ergo homo tunc potest naturaliter super omnia amare. Id confirmatur ex eo, quia in statu naturae purae homo potuisset per vires mere naturales Deum amare super omnia amore non salutari, et mere naturali, quia praeceptum amandi Deum super omnia fuisset etiam in statu naturae purae primum, et maximum mandatum totius legis naturalis, quae naturaliter impleri potuisset, cum Deus impossibilia non iubeat. Ergo, cum natura lapsa non sit debilior natura pura, dicendum est, quod homo habeat potentiam moralem amandi Deum super omnia in sensu superius explicato (3).

2. Alii Theologi, qui pressius doctrinam *S. Augustini* et *S. Thomae* sequuntur, distinguunt amorem Dei *perfectum*, quo Deus sic diligitur, ut omnibus omnino rebus anteponatur, qui ideo dicitur amor Dei super omnia; et amorem *imperfectum*, quo Deus sic diligitur, ut nondum rebus creatis anteponatur. Posita hac distinctione, *primo* admittunt, hominem sine auxilio gratiae speciali Deum ut auctorem naturae diligere posse amore imperfecto et inchoato. Nam id tantum probant rationes a patronis prioris sententiae adductae. Idem eruitur ex Apostolo dicente, quod gentiles Philosophi *sint inexcusabiles, quia cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (4) etc.; ergo Deum, qui iuxta *S. Augustinum* (5) non colitur nisi amando, diligere potuerunt; unde in hunc locum *Estius* scribit: « Philosophi per naturae vires Deum cognitum ut Deum potuerunt aliquatenus laudare et glorificare, et gratias illi agere, non tamen sicut oportuit, hoc est, non eo voluntatis affectu, quo ad

(1) L. 1 Conf. c. 1
(2) In concordia, q. 14, art. 13, disp. 14 membr. 3.
(3) Cf. Sardagna T. 5, art. 1 Controv. 8, n. 110 etc.
(4) Rom. 1. 21. (5) Ep. 167, al. 29.

veram iustitiam appropinquarent; » et (1) addit: « Apostolus eo loco non negat illos, qui sic cognoverunt Deum, dilexisse Deum; sed negat sicut Deum glorificasse, et gratias egisse, sine quibus duobus stare potest aliqualis dilectio. Quod autem talis dilectio non sit ex gratia Dei per Christum, sic probatur; non enim habet ordinem ad beatitudinem supernaturalem, nec ad spem vitae aeternae. » Idem confirmatur auctoritate Conciliorum, quae, dum definiunt gratiam necessariam esse ad diligendum Deum, semper adiungunt has particulas: *Sicut oportet ad salutem*, vel *ut iustificationis gratia conferatur:* ergo supponunt, possibilem esse Dei dilectionem, quae non conferat ad salutem, quaeque pure sit naturalis, et fiat absque ullo gratiae auxilio. Denique ex citata *Baii* propositione 36ta damnata elucet, quod recte defendatur Dei amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur. — Ast solummodo amor Dei inchoatus et imperfectus recte defenditur, quia, ut *secundo* iidem Theologi dicunt, homo lapsus non potest absque gratia Deum ut auctorem naturae diligere amore perfecto, et super omnia. — Haec sententia gravibus innititur argumentis. Nam, ut iam § 216 probatum est, liberum arbitrium per peccatum non quidem extinctum, sed tamen attenuatum, inclinatum et vulneratum fuit. Non potest ergo homo in statu naturae lapsae id praestare, quod homo in statu naturae purae praestare posset; enata est enim ex peccato mala concupiscentia, per quam homo a Deo avertitur, et ad creaturas inclinatur. Haec porro concupiscentia, licet necessitatem non inferat, efficit tamen, ut homo lapsus non sine maxima difficultate a creaturis avellatur, et ad Deum perfecte convertatur. Posita autem magna difficultate, etiam prioris sententiae patroni admittunt, hominem non posse Deum super omnia diligere. Ex eadem ratione *S. Augustinus* negat, hominem lapsum sine speciali gratiae auxilio Deum perfecte diligere posse; scribit enim (2): « Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. » Ideo S. Doctor amorem Dei in statu naturae lapsae ex sola gratia Dei repetit; ait enim l. 4, c. Iulian. cap. 3: « Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo. Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur creaturis; sine hoc amore Creatoris nemo bene utitur creaturis; » et ibid. cap. 17 addit: « Et quis istam, quamvis parvam dare coeperat charitatem, nisi qui praeparat voluntatem? » — *S. Leo M.* (3) dicit: « Rationalis creatura ideo dilecta, ideo quaesita est, ut et ipsa ex non quaerente quaerens, et ex non diligente sit diligens, dicente Apostolo: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* » (4). *S. Gregorius M.* (5) ex iisdem S. Ioannis verbis probat, amorem Dei nonnisi per gratiam Christi haberi. *S. Thomas* (6) inquit: « Homo in statu naturae integrae non indigebat dono gratiae superadditae naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; sed in statu naturae corruptae indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiae naturam sanantis. » Concilium *Arausicanum II*, can. 25, ita loquitur: *Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit. Displi-*

(1) In 2 sent. dist. 26, par. 28.
(2) In Epist. 107 ad Vitalem.
(3) Serm. 48 (al. 10) in quadrag. c. 1.
(4) 1 Io. 4, 19. (5) L. 23 Mor. c. 20 n. 25.
(6) 1 2, q. 109, art. 3.

centes amati sumus, ut fieret in nobis, unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris, et Filii, quem cum Patre amamus, et Filio. Et postea prosequitur: *Secundum suprascriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones hoc, Deo propitiante, et praedicare debemus, et credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum et misericordia divina praevenerit.* Quae ratio probe ac diligenter notanda est; probat enim necessitatem gratiae ad diligendum Deum, non solum quia actus dilectionis Dei supernaturalis est, sed etiam quia per peccatum primi hominis liberum arbitrium ita inclinatum et attenuatum fuit, ut nullus postea potuerit diligere Deum sicut oportuit, scilicet dilectione plena, et super omnia nedum ut auctorem gratiae et gloriae, sed etiam ut auctorem naturae. — Denique amor Dei super omnia perfectus et efficax omnium praeceptorum Dei executionem importat, ita ut voluntas parata sit absolute et efficaciter Deo in omnibus placere, omniaque ei displicentia vitare; atqui, ut ex mox dicendis apparebit, non potest homo lapsus omnia Dei praecepta, etiam naturalia, sine gratia exequi: ergo sine hac non potest Deum perfecte super omnia diligere. Hanc sententiam defendunt *Bellarminus* (1), *Tournely* (2), *Th. ex Charmes* (3), *Antoine* (4), *Gazzaniga* (5), et alii.

Nota. Prioris sententiae patroni hanc potissimum pro re sua rationem urgent, quod homo lapsus ita per voluntatem Deum amare super omnia possit, sicut per intellectum cognoscit, Deum summe amabilem esse. Sed argumentatio haec soliditate caret. Nam, ut ait *S. Thomas* (6), « Humana natura magis est corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri: » idque propterea quod peccatum ipsum voluntate commissum est, ideoque voluntatem magis, quam caeteras potentias infecit. Maiorem inordinationem in voluntate, et appetitu, quam in cognitione agnovit poëta dicens: « Video meliora, proboque, deteriora sequor. » Apostolus quoque quo tempore condelectabatur legi secundum interiorem hominem, quod nolebat malum operabatur. Nos ipsi quotidiana experientia exploratum habemus, longe minorem nos difficultatem pati in veritatibus et officiis agnoscendis, quam in istis adimplendis. Quamvis ergo homo naturaliter cognoscat, Deum esse summe amabilem, non potest tamen naturaliter eum super omnia diligere. — Nimis autem liberum arbitrium restringere videntur, qui cum *Bellarmino* (7) contendunt, « non posse Deum sine ope ipsius diligi neque ut auctorem naturae, neque ut largitorem gratiae et gloriae, neque perfecte, neque imperfecte ullo modo, » quia *S. Augustinus* (8), loquens de charitate Dei, inquit: « Nec initium eius ex nobis, et perfectio eius ex Deo; sed si charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est. » Nam *S. Augustinus* hic loquitur de amore supernaturali, quo tenditur, aut pervenitur ad Deum, arguens Pelagianos, qui actus virtutum

(1) L. 6 de grat. et lib. arb. c. 7.
(2) De grat. q. 4, a. 3. (3) De grat. q. 4, a. 2.
(4) De grat. cap. 5, art. 5.
(5) De grat. diss. 6, cap. 3.
(6) 1 2, q. 109, art. 2 ad 3. (7) L. c.
(8) L. 2, ad Bonifac. c. 9.

salutares et meritorios vitae aeternae solis naturae viribus tribuebant; ita enim se explicat (1) dicens: « Amor, quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo Patre per Iesum Christum cum Spiritu sancto. » Ita pariter Concilia de amore supernaturali loquuntur, dum omnem Dei dilectionem Dei gratiae adscribunt. Non ergo ideo negatur amor naturalis et imperfectus, quem sine gratia haberi posse, argumenta superius allata probant (2).

III. *De legis naturalis observantia.*

§ 418. Praecepta legis naturalis dupliciter impleri possunt; vel tantum *quoad substantiam*, ad quod sufficit, ut actus praeceptus suam habeat bonitatem moralem; vel etiam *quoad modum*, quod contingit, dum actus non solum legi conformis est, sed etiam ex charitate ponitur, et ad finem supernaturalem refertur. Si lex naturalis quoad substantiam tantum impletur, peccatum quidem, seu praecepti naturalis transgressio vitatur, sed meritum ex condigno, seu supernaturale non comparatur; si autem lex naturalis non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum impleatur, tunc ponitur actus meritorius et salutaris pro vita aeterna.— Certa iam et indubitata est omnium catholicorum sententia nulla divinae legis praecepta sine gratia Salvatoris quantum ad substantiam, et simul quantum ad modum servari posse, quia dogma contra Pelagianos definitum est, ad omnes et singulos actus salutares gratiam necessariam esse (§ 409). Quaestio ergo solum movetur, an homo in statu naturae lapsae legis naturalis praecepta *quoad substantiam implere* possit absque gratia? — Ast ex iam dictis constat, aliqua legis naturalis praecepta absque gratia observari posse, quia (§ 413) probatum fuit, posse infidelem, et multo magis peccatorem iam credentem absque gratia aliqua opera moraliter bona efficere; opus autem moraliter bonum semper est actio legi saltem quoad substantiam conformis. Quaestio ergo sola remanet, utrum homo in praesenti statu absque gratia universam legem naturalem observare possit? Nonnulli Theologi respondent, hominem id posse potentia physica, non autem potentia morali: *per potentiam physicam* intelligunt eam, per quam simpliciter quidem potest poni actus, sed tanta cum difficultate, ut moraliter loquendo nunquam sit ponendus; *moralem* vero *potentiam* illam esse dicunt, per quam actus non solum simpliciter et absolute poni potest, sed etiam cum tali facilitate, ut probabiliter sperari possit esse ponendus (3). Ast si attendatur praesens hominis status, in quo liberum arbitrium attenuatum et inclinatum est, etiam declarata potentia physica homini lapso adscribi non potest, atque ideo sat communiter Theologi absolute respondent, in statu naturae lapsae hominem sine gratia supernaturali non posse omnia legis naturalis praecepta etiam quoad solam substantiam observare. Haec responsio *ex S. Scriptura, ex Traditione,* et *ex ratione theologica* probatur.

1. Lex naturalis continentiam, seu fugam inordinatarum delectationum praecepit. Ast auctor hagiographus Sap. VIII, 21 dicit: *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiae, scire cuius esset hoc donum;* non potest ergo homo absque speciali Dei auxilio ab omnibus inordinatis dele-

(1) L. 4, c. Iulian. c. 3.
(2) V. Tournely l. c.; Thom. ex Char. l. c., Suarez de gratia l. 1, c. 6, 23 et 26.
(3) V Sardagna l. c. n. 313.

ctationibus abstinere: hinc *S. Augustinus* (1) Deum alloquens ait: « Continentiam iubes, da quod iubes, et iube quod vis. » Lex naturalis malas locutiones interdicit; sed Apostolus Iac. inquit: *Linguam nullus hominum domare potest* (2); ergo sine speciali Dei auxilio homines nequeunt semper et ubique iuxta praecepta naturalia linguam cohibere. Infirmitatem hominis in lege tum naturali tum mosaica observanda graphice sic describit Paulus: *Scimus enim, quia lex spiritualis est; ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim, quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est* (3) etc. Ergo Paulus, ut observat *S. Chrysostomus* (4), praevaricationes legis repetit partim ab ignorantia culpabili, partim ab infirmitate et corruptione carnis, ex qua fit, ut lex non adimpleatur, nisi natura saucia per gratiam Iesu Christi sanetur. Idem Apostolus ait: *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (5); hoc est, ut docet *S. Augustinus* (6), lex non solum scripta, sed etiam naturalis peccatum non arcet, sed auget potius sine gratia, facien sscire peccatum, non tamen caveri. Denique generatim observantia divinorum mandatorum charitati Dei perfectae adscribitur. S. Ioannes scribit: *Qui servat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est* (7); et: *Haec est charitas Dei, ut mandata eius custodiamus* (8). Porro charitas Dei perfecta non potest naturae viribus comparari, sed infunditur a Deo per Spiritum sanctum (9). Ergo sine gratia Spiritus sancti homo non potest observare totam legem etiam naturalem tantum, quae merito dici potest Verbum Dei omnium cordibus inscriptum, et per lumen naturae promulgatum.

2. Patres Concilii *Carthaginensis II*, in Ep. Synodica ad *Innocentium* R. P., testantur, Pelagianos fuisse damnatos, quod dicerent, *in eo Dei gratiam esse deputandam, quod talem instituit, creavitque naturam, quae per propriam voluntatem legem Dei posset complere, sive naturaliter in corde scriptam, sive litteris datam.* Conc. *Milevitanum* seu *Carthaginense III*, in quo Coelestii blasphemiae anno 416 damnatae fuerunt, can. 5 ait: *Quicunque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius implere possimus per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. S. Augustinus* l. de nat. et grat. (10) Pelagianos refellens scribit: « Si per naturam iustitia, ergo Christus gratis mortuus est; » et ibid. (11): « Si possibilitas naturalis per liberum arbitrium, et ad cognoscendum, quomodo vivere debeat, et ad bene vivendum sufficit sibi, ergo Christus gratis mortuus est. » Et lib. de spir. et litt. c. 10 profitetur, quod iustus « credat, nullo modo posse suae infirmitati ad ea, quae lex iubet implenda nisi divina gratia subveniri. » *S. Prosper* (12) inquit: « Lex potest ne quid mali fiat iubere: a malo autem non potest liberare. Notum facit mandatum, sed obediendi non praestat affectum, nisi quod est occidens per imperium litterae, fiat vivificans per spiritum gra-

(1) L. 10, Conf. c. 29. (2) Iac. cap. 3, 8.
(3) Rom. 7, 14, etc.
(4) Hom. 13, in Rom. 7, 14.
(5) 2 Cor. 3, 6. (6) Lib. de spir. et litt.
(7) 1 Ep. 2, 5. (8) Ibid. c. 5, v. 3.
(9) Rom. 5, 5. (10) C. 2, n. 2.
(11) C. 40, n. 47.
(12) L. c. Collator. c. 7.

tiae. » *S. Thomas* (1) dicit: « In statu naturae corruptae non potest homo implere mandata divina sine gratia sanante. »

3. Ratio theologica est, quia natura per peccatum vulnerata est et infirmata: unde potest quidem homo aliquod bonum morale facile, cum nulla instat tentatio, perficere sine gratia, quia penitus extincta et obliterata non est imago Dei in nobis, ut antea probatum est: sed non potest omnia bona ne distributive quidem facere, praecipue si ex obiecto, vel ex circumstantiis specialem habent adiunctam difficultatem, ob gravissimum scilicet vulnus, quod per peccatum naturalibus viribus inflictum est. Haec porro impotentia videtur physica, non tantum moralis, cum oriatur ex imminutione liberi arbitrii, ac similis illi, quam patitur homo ex gravi morbo convalescens, qui potest quidem aliquem motum habere, sed non omnem, seu qui potest aliquod breve iter conficere, sed non longum ac laboriosum, non tantum ex morali, sed ex physica impotentia. Infirmitatem humanae naturae graphice describit *Auctor librorum de vocatione gentium* (2) dicens: « Humana natura in prima hominis praevaricatione vitiata etiam inter beneficia, inter praecepta et auxilia Dei semper in deteriorem est proclivior voluntatem, cui committi non est aliud quam dimitti. Haec itaque voluntas vaga, incerta, mutabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus caeca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriae quam virtutum avidior, famae quam conscientiae diligentior, et per omnem suiexperientiam miserior fruendo his, quae concupiverit, quam carendo, nihil in suis habet viribus nisi periculi facilitatem, quoniam voluntas mutabilis quae non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni. » Descriptio haec ex iis, quae communiter inter homines gratia destitutos observantur, desumpta ostendit infirmas voluntatis nostrae vires. A tali autem voluntate quis unquam totius divinae legis observantiam expectet?

Nota. Qui contendunt, universam legem naturalem sine gratia ab homine adimpleri posse, sequentia opponunt.

Obi. I. Deut. XXX, 11 Deus ipse dicit: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum:* sermo autem est praecipue de dilectione Dei, in qua omnia praecepta continentur (v. 16): ergo omnia praecepta ab homine observari possunt.

Resp. Duplici sensu exponi potest citatum ex Deuteronomio testimonium: *primo* de cognitione praecepti, ita ut sensus sit: mandatum dilectionis Dei non supra te est, sed facile cognosci a te poterit in ea, quam promulgo, lege. Sensum istum indicare videntur verba haec sequentia: *Nec in coelo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad coelum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut causeris, et dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre?... Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo. Secundo* exponi potest de executione praecepti, ut sensus sit: Mandatum hoc non est supra vires tuas positum mediante gratia, quae tibi datur, vel offertur; unde v. 6 dicitur: *Circumcidet Dominus Deus cor*

(1) 1 2, q. 109, art. 4. (2) L. 1, c. 6.

tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua. Uterque sensus recte cum nostra sententia cohaeret.

Obi. II. Eccli. XV, 16 dicitur: *Si volueris mandata servare, conservabunt te:* ergo si volumus, possumus omnia mandata servare sine gratia. Id praestitit adolescens, Christo mandata naturalia recensenti respondens: *Magister, haec omnia observavi a iuventute mea*(1). De ipsis Gentilibus Paulus dicit: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt* (2). Ergo homo *naturaliter*, id est naturae viribus sine gratia legis naturalis praecepta observare potest.

Resp. In textu Ecclesiastici demonstratur liberum arbitrium, per quod praecepta impleri possunt; at non excluditur gratia, sine qua universa, et difficultatibus iuncta servari non possunt, ut docet *S. Augustinus* (3) dicens: « Certum est, nos mandata servare, si volumus; sed quia voluntas praeparatur a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est, nos velle cum volumus; sed ille facit, ut velimus bonum. »—Adolescens iudaeus vel gratia praeventus et adiutus universa praecepta naturalia observavit, vel per vires naturales ea tantum implevit, quae Christus commemoravit, quae faciliora sunt, et ad quae violanda se tentatum non sensit. — Verba Apostoli intelligenda sunt non de omnibus praeceptis, sed tantum de aliquibus, iisque facilioribus, quae quandoque et aliquandiu a gentibus naturaliter possunt observari, quando nimirum non adsunt graves occasiones ab illa observantia removentes: vel eadem verba cum *S. Augustino* de gentibus ad fidem conversis exponi possunt.

Obi. III. Praecepta naturalia omnes homines obligant: ergo ab omnibus observari possunt. Nam Deus non iubet impossibilia, sed ea, quae viribus hominum proportionata sunt. Quamobrem etiam tales extiterunt, qui sine gratia omnia praecepta naturalia observarunt; quod *S. Chrysostomus* testatur dicens(4): Gentiles « admiratione dignos esse, quod nec lege ipsis opus fuerit, et tamen omnia, quae legis erant, praestiterunt. »

Resp. Quamvis universa lex naturalis observatu impossibilis sit, attentis solis naturae viribus; ipsa tamen observatu possibilis redditur per gratiam, quae hominibus conceditur. Nam, ait *S. Thomas*(5), « illud, quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omnino impossibile secundum illud philosophi (6) quae per amicos possumus, aliqualiter nos possumus. » Ideo etiam *S. Augustinus* (7) dicit: « Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere, quod possis, et petere, quod non possis, et adiuvabit, ut possis. » — *S. Chrysostomus* de gentilibus loquitur non distributive, sed collective sumptis, ita ut sensus ipsius sit, varia praecepta legis naturalis a tota gentilium collectione observata fuisse, non quidem omnia a singulis, sed a singulis aliqua cum nempe nulla, vel levis erat difficultas vel ex parte operis, vel ex parte tentationis. Idem S. Doctor (8) docet, legem non sufficere sine gratia, et mandata omnia non observari sine speciali Dei auxilio.

(1) Marc. 10, 20. (2) Rom. 2, 14.
(3) L. de grat. et lib. arb. cap. 16.
(4) Hom. 5, in Ep. ad Rom.
(5) 1 2. q. 109, art. 4 ad 2.
(6) 3 Ethic. (7) De nat et grat. cap. 43.
(8) Hom. 13 in Ep. ad Rom. n. 3.

IV. *De tentationibus vincendis*

§ 419. Tentationis nomen theologico sensu omne illud significat, quod nos provocat ad peccatum. Tentationes a carne, mundo et daemone oriuntur. Tentatio *gravis* dicitur, quae vehementer ad peccatum impellit sive ratione sui, sive ratione durationis, sive respectu personae, quae tentatur. Tentatio *levis* est, quae non vehementer, sed exigua tantum vi ad peccandum allicit. Observant Theologi, tribus modis posse quamcunque tentationem superari; *primo* ex amore Dei super omnia; *secundo* ex naturali rationis dictamine, scilicet ex naturali honesto fine, ex turpitudine peccati, ex naturali poenae timore etc.; *tertio* ex fine pravo, ut cum avarus tentationibus luxuriae et gulae propter inordinatum pecuniae amorem resistit. Sic « Philosophi saeculi, inquiebat *S. Hieronymus* (1), solent amorem veterem amore novo quasi clavum clavo expellere. » Et *S. Augustinus* (2) scribit: « Nonnunquam apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis quae putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, et quaedam sibi placendi altitudo ruinosa. » Atque hoc modo celebres illi heroës romani et graeci inordinata gloriae cupiditate alia vitia vincebant: unde de *Iunio Bruto*, qui filios suos patriae amori immolasse videbatur, cecinit *Virgilius* (3): « Vicit amor patriae laudumque immensa cupido. » Hoc modo superari posse tentationes sine aliqua gratia Dei, nemo inficiatur; quanquam isti appellari non possunt tentationum victores, cum nonnisi victi ab una aliam vincant, seu, ut *S. Prosper* canebat, « in vulnere vulnera surgant. » — Neque etiam in dubium vocari potest, nisi a Pelagianis, ad vincendas tentationes ex amore Dei super omnia, seu ex motivo charitatis, requiri gratiam Dei supernaturalem: per quam solam Dei dilectionem vera et perfecta victoria tentationum habetur, dicente *S. Augustino* (4), « tunc solum vitia nostra victa deputanda esse, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei et hominum Iesum Christum. » Et haec est vera victoria tentationum, unde meritum apud Deum exoritur, cuius gratia facit in nobis de tentatione proventum (5). Hinc *S. Thomas* (6) bene distinguit, « aliud esse peccato resistere, aliud victoriam de peccato habere... ille enim proprie vincit peccatum, qui potest pertingere ad hoc, contra quod est pugna peccati. » Talis autem victoria, quae imputatur ad meritum, non habetur sine gratia supernaturali. — His igitur duobus modis sepositis, controversia solummodo est de victoria tentationum ex amore Dei naturali aut ex fine honesto, ne lex naturalis a Deo in cordibus nostris implantata infringatur; an scilicet haec victoria solis naturae viribus sine Dei gratia obtineri queat? Communiter autem Theologi cum distinctione respondent, et dicunt, hominem lapsum absque gratiae supernaturalis auxilio posse quidem leves aliquas tentationes vincere, non posse autem gravem tentationem superare.

1. Leves aliquas tentationes hominem sine gratia vincere posse, patet ex propositione Baii damnata 30ma: « Ii fures sunt et latrones, qui docent... tentationi ulli sine gratiae illius adiutorio resistere hominem posse, sic, ut in eam non incidat, aut ab ea non

(1) Epist 125 ad Rusticum.
(2) L. 21 de Civ. Dei, c. 16. (3) Aeneid. 6.
(4) L. c. (5) 1 Cor. 10, 13.
(6) In 2 dist. 28, q. 1, art. 2 ad 6.

superetur: » quae propositio damnata est propter suam generalitatem, quatenus nimirum tam leves, quam graves complectitur tentationes. S. *Augustinus* (1) ait: « In natura vitiata parum est ad non peccandum voluntatis arbitrium; » ex quo patet, S. Doctorem non omnem prorsus vim peccatum vitandi, seu tentationes vincendi libero arbitrio abiudicasse, sed parvam ita adscripsisse, ut leves duntaxat tentationes superare possit. Idem (2), ut ostendat gratiam fidei christianae non rependi virtutibus moralibus et humanis, duos proponit infideles, unum qui vitam honestam agens praedicationem Evangelii non audit, et alterum, qui post vitam flagitiosam verbum salutis audit, suscipit, et per fidem iustificatur. De priori autem ita loquitur: « Unde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes caeteras provectior, aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei praedicari gratia christiana non possit? » Supponit ergo S. Doctor, etiam infidelem, a gratia alienum, aliquas tentationes superare posse: addit autem consulto: « ex magna parte, » ne quis opinetur, victoriam libidinum caeterasque virtutes bonas esse in illo homine undequaque, libidinibus nempe et caeteris vitiis resistere tantum potest, si leviter ad illas tentetur. Eandem sententiam propugnavit *S. Thomas* in 2 dist. 28, q. 1, art. 2, eamque in summa, aperte saltem, non revocavit. *S. Bonaventura* (3) dicit: « Quod liberum arbitrium omni gratia destitutum nec omni possit tentationi resistere, nec necesse habeat omni tentationi succumbere. » Ratio theologica eandem sententiam confirmat. Quando enim facultas aliquid potest naturaliter, id potest etiam cum levibus impedimentis; alioquin illud impedimentum, quod supponitur leve, aestimandum esset grave: atqui, ut § 413 probatum est, homo lapsus absque gratia aliquod bonum opus ordinis naturalis peragere potest: ergo tentatio levis obstare non potest, quin illud naturaliter faciat; atque ideo naturaliter vinci levis tentatio potest. Et sane per peccatum originale non omnis honestatis sensus extinctus est; qui idcirco hincinde levi tentationi praevalere potest, atque ideo homo quandoque ex honesto fine levem tentationem vincere valet, sicuti saepius graviores quoque tentationes peccaminose, seu impellente alia inordinata passione, superare solet.

2. Certum est, hominem lapsum nullam gravem tentationem absque gratiae auxilio vincere. Id patet ex S. Scripturae testimoniis, quibus generatim victoria tentationum Deo adscribitur: ita David ait: *In te exipiar a tentatione* (4). *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos* (5). *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (6). *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros* (7). *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me* (8). Imo S. Scriptura clare ostendit, tentationes vel carnis, vel mundi, vel daemonum superari non posse sine Dei adiutorio. De tentatione carnis intelligi debent

(1) Lib. de perfect. iustitiae.
(2) L. 1 de peccat. merit. et remiss. cap. 22, n. 31.
(3) In 2 dist. 28, q. 2 ad 3.
(4) Ps. 17, 30.
(5) Ps. 24, 16.
(6) Ps. 29, 8.
(7) Ps. 107, 13.
(8) Ps. 117, 13

haec Apostoli verba: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum* (1). De tentationibus mundi ista eiusdem Apostoli: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (2). De tentationibus daemonis dicitur: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli* (3). Ex hac ratione Christus in oratione dominica sic orare nos docuit: *Et ne nos inducas in tentationem;* et praecipiebat Apostolis: *Orate, ut non intretis in tentationem* (4). — Cum S. Scriptura consonant Ss. Patres. *S. Cyprianus* (5) ait: « Quando oramus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostrae, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat. » *S. Ambrosius* (6) inquit: « Quis est tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus ei adiutor assistat? » — *S. Chrysostomus* Hom. in paralyticum demissum per tectum n. 2 haec habet: « Quantumvis saepe philosophemus, quamvis omnium robustissimi simus, ac validissimi, si illius (Dei) absit auxilium, ne mediocri quidem poterimus tentationi resistere. » Et Hom. 24 in I Cor. X, 13 ita disserit: « Sunt tentationes, quae ferri non possunt, et quaenam illae? omnes, ut ita dicam; potestas enim in Dei nutu sita est. Quamobrem, ut discas et videas, quod non solum illas, quae nostram superant potestatem, sed neque hasce humanas possimus sine illius auxilio facile ferre, subiunxit: *Sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Neque enim illas moderatas, ut dixi, propria virtute feremus, sed in his quoque eius indigemus auxilio ut eas pervadamus. » *S. Hieronymus* lib. 2 c. Pelagianos in verba Christi: *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem*, inquit: « Debuisset dicere iuxta vos: Surgite, resistite, liberum enim habetis arbitrium, et semel vobis concessa a Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio. Si enim hoc feceritis, non intrabitis in tentationem. » Et initio libri tertii ait: « Nostra enim victoria, et corona victoriae illius protectione et clypeo paratur. » *S. Augustinus* Serm. 156 (7) de verbis Apostoli ait: « In hoc agone, cum confligimus, Deum habemus spectatorem; in hoc agone, cum laboramus, Deum poscimus adiutorem; si enim non ipse nos adiuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus. » Et lib. de perfect. iust. cap. ult. scribit: « Quisquis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem (negat autem hoc, qui contendit, ad non peccandum gratiae Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem), ab auribus omnium removendum, et ore omnium anathematizandum esse, non dubito. » Hoc ipsum contra Pelagianos declarant et statuunt Ss. Pontifices. *Innocentius I,* in Epist. ad Patres Conc. Carthag. dicit: « Quotidiana (Christus) praestat remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuvante vincamur. » *Zosimus* in Epist. Tractoria ad totius orbis Episcopos inquit: « Quod ergo tempus intervenit, quo eius non indigeamus auxilio? — in

(1) Rom. 7, 24. (2) 1 Cor. 10, 13.
(3) Eph. 6, 11. — Cf. 1 Petr 5, 8.
(4) Matth. 26, 41. (5) Tract. de Orat. dom.
(6) In Ps. 43, n. 71. (7) Al. 13.

omnibus igitur actionibus, causis, cogitationibus, motibus adiutor et protector orandus est; superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura praesumat. » *Caelestinus* in Epist. ad Episcopos Galliae scribit : « Nemo etiam baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, et ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit. » Eadem doctrina auctoritate Conciliorum confirmatur. *Diospolitanum* anno 415 damnavit hunc Pelagii articulum: « Victoria nostra non est ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio. » Ibidem inter orthodoxa doctrinae capita, quae ut Pelagius confiteretur, synodus exigebat, istud n. 11 recensetur : *Ut fateatur, quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, sed ex adiutorio Dei provenire victoriam ; non enim aliter verum est, quod Apostolus ait: non volentis, non currentis, sed miserentis est Dei. Carthag. II,* anno 416, in Epist. Syn. ad Innoc. I ait: *Ex sacrilegis Pelagianorum disputationibus necessario sequi, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem. Arausicanum II,* cap. 14, dicit: *Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur.* In Concilio *Tridentino* admonentur fideles (1), *ut, qui se existimant stare, videant ne cadant, et cum timore, ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationibus, in ieiuniis, et castitate; formidare enim debent..... de pugna quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt nisi cum Dei gratia etc.*

(1) Sess. 6, cap. 13.

Nota 1. Argumenta allata tanti ponderis sunt, ut graves Theologi, *Vasquez*, *Berti*, *Gazzaniga* et alii contendant, non posse ullam veram tentationem solis naturae viribus superari. Putant isti, propositionem 30am Baii damnatam esse propter acre iudicium, quod de aliorum sententia ab Ecclesia tollerata tulit (vide prop. 29), vel in sensu auctoris, qui sine sanctificante gratia nihil penitus boni fieri posse dicebat (prop. 35), et quodcunque agit peccator, peccatum esse (prop. 25). Sed quia summi Pontifices declararunt, propositiones *in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento* censura dignas esse, magni nominis Theologi, ut *Suarez*, *Tournely*, *Th. ex Charmes*, *Perrone* (2) et alii docent, admittendum esse, homines leves aliquas tentationes absque gratiae auxilio superare posse. Isti dicunt, citata S. Scripturae et Ss. Patrum testimonia intelligenda esse vel de victoria tentationum meritoria, quae absque gratiae auxilio haberi non potest, vel de universo tentationum agmine, quod non potest vinci absque speciali Dei adiutorio, sicut neque ullae graves; Concilia vero Pelagianos oppugnasse, qui indistincte victoriam tentationum naturae viribus tribuerunt. *Bellarminus* (3) dissentientes Theologos conciliare conatur dicens: « Nos cum dicimus, nullam tentationem solis naturae viribus vinci posse, loquimur de vera tentatione, non de levissima aliqua titillatione, quae nomen tentationis absolute et proprie non meretur. Praeterea sciendum est, nos non semper requirere ad vincendas tentationes auxilium speciale proprie dictum, hoc est, internam illustrationem, vel motionem supernaturalem,

(2) De grat. n. 108 in nota.
(3) L. 5, de grat. et lib. arb. cap. 7.

sed quodcunque auxilium Dei, sive consistat in eo, quod Deus singulari providentia sua removeat occasiones peccandi, sive in eo, quod non permittat diabolum saevire quantum vellet, sive quocunque alio modo Deus nos iuvet. Multae enim tentationes sunt, quae per se non superant vires humanas, et tamen si Deus prorsus destituat homines, et diabolum sinat agere quantum potest, illae fiunt gravissimae et intolerabiles; tanta est humana fragilitas ad resistendum, et diabolica potentia ad nocendum. — Atque hinc fortasse conciliari possunt auctores, qui dicunt, nullam tentationem sine auxilio Dei vinci posse, cum iis, qui dicunt aliquas posse. Nam ii posteriores loquuntur de auxilio supernaturali, et considerant mensuram virium humanarum in comparatione ad levem aliquam tentationem absolute sumptam: priores autem per auxilium Dei accipiunt quamcunque singularem Dei providentiam, quae saepe utitur rebus naturalibus ad ea, quae fieri cupit, perficienda; et vires humanas considerant per comparationem ad tentationem, non qualis est per se, sed qualis esset, si Deus permitteret, et non iuvaret aut vires nobis addendo, aut adversariis subtrahendo. Sed quamquam uterque modus dicendi bonum sensum habere possit, tam magis consentanee ad Scripturas et Patres loquuntur, qui dicunt nullam tentationem sine Dei auxilio vinci posse. »

Nota 2. Pelagiani opponebant, hominem, si ex propriis viribus tentationes vincere nequit, non peccare eis succumbendo, quia necessario ad peccatum trahitur. Ast falsa est haec conclusio. Nam si homo non potest resistere ex propriis viribus, potest tamen tentationes etiam graves vincere cum auxilio gratiae. Porro nunquam deest divinae gratiae auxilium ad tentationes superandas, vel proxime, vel remote sufficiens, gratia nimirum orationis, qua homo proxime sufficientem petere et obtinere potest; unde *S. Thomas* (1) ait: « Quia ex eius defectu est, quod homo se ad gratiam habendam non praeparet, propter hoc a peccato non excusatur, quod sine gratia peccatum vitare non potest. »

(1) 1 2, q. 109, art. 8 ad 1.

V. *De peccatis venialibus vitandis.*

§ 420. Cum homo naturae viribus nec universam legem implere, nec graves tentationes vincere possit; manifesto sequitur, eundem non posse omnia peccata mortalia diu declinare, nisi ipsius natura corrupta per gratiam habitualem sanetur, et per gratias actuales adiuvetur. Quod docet *S. Thomas* (2) dicens: « In statu naturae corruptae indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc quod omnino a peccato abstineat. » Ast si homo iustificatus est, potest cum auxiliis gratiae ordinariis omnia peccata mortalia vitare. — Si autem quaeritur de peccatis venialibus, doctrina Ecclesiae est, quod homo iustificatus possit cum auxiliis gratiae ordinariis *ad breve aliquod tempus, non autem toto vitae suae tempore, omnia peccata venialia vitare*, nisi auxiliis gratiae extraordinariis repleatur, seu *speciale privilegium obtineat*, quod *praeter B. Virginem Mariam nullus homo purus habuit.* Doctrina haec per partes probatur.

1. Homo iustus potest cum gratia ordinaria ad breve aliquod tempus omnia peccata venialia vitare. Id patet ex ipsa natura gratiae sanctificantis, quae naturam corruptam sanat et reparat, et cum gratia actuali con-

(2) 1 2, q. 109, art. 8.

iuncta efficit, ut homo mandata divina tum magna, tum parva non solum cognoscat, sed et sedulo exequatur. Unde Christus dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (1); dum quis per dilectionem mihi coniunctus est, et ex hac dilectione operatur, praecepta mea observat, et ideo nec mortaliter, nec venialiter peccat (per quod tamen non negatur, quod a dilectione in agendo defervescere, et sic venialiter peccare, aut etiam per peccatum mortale penitus ex dilectione excidere possit). — Ioan. Ap. dicit: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen eius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* (2): qui textus, ut loquuntur Theologi, in sensu composito, non autem in sensu diviso intelligendus est, scilicet: *qui natus est ex Deo*, seu qui iustus est in sensu composito, id est, quamdiu conservat iustitiam, seu gratiam sanctificantem, et ex illa operatur, non peccat, *quoniam semen ipsius in eo manet*, seu gratia divina ipsi vires tribuit ad vitanda peccata, etiam venialia: (non potest autem textus intelligi in sensu diviso, quasi homo, qui semper liber manet, non possit aliquando in iustitia deficere et venialiter peccare, aut etiam mortaliter, et iustitiam amittere). — Distinctionem hanc sensus compositi et divisi *S. Augustinus* (3) haud obscure subindicat in eundem textum dicens: « Proinde in quantum similes, in tantum regenerante Spiritu filii Dei; in quantum autem dissimiles, in tantum filii carnis et saeculi. Illinc ergo peccare non possumus: hinc vero, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus. » Alii quoque Ss. Patres docent, iustos gratia divina adiutos saltem ad tempus peccata non solum mortalia, sed et venialia vitare posse. *S. Chrysostomus* (4) inquit: « *Deponentes omne pondus*: omne, quodnam? somnum, negligentiam, viles et abiectas cogitationes omnes humanas: *et circumstans nos peccatum*.... facile enim, si velimus, possumus superare peccatum. » *S. Hieronymus* (5) ita praeclare disserit: « Hoc est, quod tibi a principio dixeram, in nostra esse positum potestate vel peccare, vel non peccare; et vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, ut liberum servetur arbitrium: sed hoc pro modo, et tempore, et conditione fragilitatis humanae: perpetuitate autem impeccantiae soli reservari Deo, et ei, qui Verbum caro factus carnis detrimenta et peccata non pertulit. Nec quia ad breve possum, coges me, ut possim iugiter. Possum ieiunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire, numquid in perpetuum? » — *S. Isidorus* Hisp. (6) ait: « Peccata levia, quae ab incipientibus quotidiana satisfactione purgantur, a perfectis viris velut magna crimina evitantur. » Concilium *Tridentinum*, dum (7) damnat eos qui dicunt, hominem iustificatum posse in tota vita omnia peccata etiam venialia vitare sine speciali Dei privilegio, innuere videtur saltem ad breve aliquod tempus posse illa cavere. Qualis vero sit illa temporis mensura, definiri vix potest. Concilium (8) peccata venialia vocat quotidiana, sive quotidiana in rigore dicantur, quia quotidie nonnulla committuntur, sive minus rigide, quia frequentia: *in quae*, ut loquitur Concilium, *quantumvis sancti et iusti, in hac mortali vita quando-*

(1) Io. 14, 23. (2) 1 Io. 3, 9.
(3) L. 2 de pecc. mer. et remiss. c. 8, n. 10.
(4) Hom. 28 in Hebr. 12, 1
(5) L. 3 c. Pelag. (6) L. 2 sent. c. 10.
(7) Sess. 6. can. 23. (8) Sess. 6. c. 11.

que cadunt. Caeterum quicunque gratiae efficaciam considerat, et media salutis a Redemptore divino in Ecclesia instituta perpendit, facile cognoscit, iustum his assidue utentem, hinc inde quidem a fragilitate humana abripi, sed tamen a multiplicatis et deliberatis peccatis venialibus immunem se servare posse, quod et Sanctorum exemplis confirmatur.

2. Homo iustus non potest toto vitae suae tempore cum auxiliis gratiae ordinariis omnia peccata venialia vitare. Id ex S. Scriptura probatur; II Paral. VI, 36 legitur: *Non est homo, qui non peccet.* Ps. XXXI, 5 etc.: *Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* « Non ergo omnis peccator, ait *S. Augustinus* (1), sed omnis sanctus; vox enim sanctorum est, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est. » Ps. CXLII, 2 dicitur: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Prov. XVIII, 7: *Iustus prior accusator est sui.* Ib. XXIV, 16: *Septies cadet iustus;* quem locum equidem *S. Augustinus* de lapsu in tribulationes, alii autem de lapsu in peccata venialia intelligunt, in quae etiam iustus *septies*, id est, multoties cadit. Eccles. VII, 21: *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* Haec Spiritus sancti oracula luculenter ostendunt, etiam iustos a peccatis venialibus immunes non esse. Hinc Christus praecepit, ut omnes orent: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (2); quae sane oratio omnium etiam iustorum est, de quibus *S. Augustinus* (3) dicit: « Nec quisquam eorum sane arroganter insanit, ut non sibi pro suis qualibuscunque peccatis dominica oratione opus esse arbitretur. » S. Iacobus profitetur: *In multis offendimus omnes* (4); et I Io. I, 8 legitur: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est;* quem locum saepe *S. Augustinus* Pelagianis opposuit, et lib. de nat. et grat. (5) dicit: « Si omnes illos sanctos, et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare, utrum essent sine peccato.... nonne una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est? » Et cum Pelagiani dicerent, sanctos ex modestia tantum et humilitate se peccatores profiteri; reposuit *S. Augustinus*, contrarium ab Apostolo affirmari (6); « propterea enim addidit: *et veritas in nobis non est*.... ac manifeste ostendit... hoc omnino verum non esse, si dixerimus, quia peccatum non habemus; ne humilitas constituta in parte falsitatis perdat praemium veritatis. » Cum *S. Augustino* consensit *S. Hieronymus*, cuius verba iam supra relata sunt: idem iam (7) scripserat: « Quamdiu ille finis adveniat, et corruptivum hoc atque mortale incorruptione ac immortalitate mutetur, necesse est, nos subiacere peccato, non naturae et conditionis, ut tu calumniaris, vitio, sed fragilitate et mutatione voluntatis humanae, quae per momenta variatur, quia Deus solus est immutabilis. » Concilium *Milevitanum II* doctrinam catholicam his verbis proponit: *Placuit, quod ait S. Ioannes Apostolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas*

(1) L. 2, de pecc. mer. et remis. c. 7.
(2) Matth. 6, 12. (3) L. c. cap. 13, n. 18.
(4) In Ep. cap. 3, v. 2. (5) Cap. 36, n. 18.
(6) Ib. cap. 34, n. 48. (7) L. 2 c. Pelag.

in nobis non est; quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, et adiungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et iustus, qui remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate. Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed et veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus quoniam non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, et humilitas in nobis non est. Sed cum ait: Nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est; satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum. Concilium *Tridentinum* sess. VI, can. 23 ait: *Siquis hominem semel iustificatum dixerit.... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.* Ratio theologica ducitur ex infirmitate naturae, qua fit, ut non possit homo erecto semper ac vigili animo esse, ut omnes obrepentes tentationes superet, concupiscentiae motus compescat, ac omnes peccandi declinet occasiones. Quamquam enim nullum sit singulare peccatum, cui vitando iustus pares vires non habeat; si tamen eorum multitudo et varietas, frequentia et vis tentationum spectetur; necesse est hominem brevi defatigatum fatiscere ac superari: tanta scilicet est naturae per peccatum depressae ac vitiatae infirmitas et corruptio. Ita *S. Thomas* (1) inquit: « Non potest abstinere homo ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cuius motus singulos quidem ratio reprimere potest (et ex hoc habent rationem peccati, et voluntarii), non autem omnes: quia dum uni nititur resistere, fortassis alius insurgit; et etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad huiusmodi motus vitandos. »

3. Ex privilegio speciali, et auxiliis gratiae extraordinariis homo iustus potest omnia peccata venialia vitare. Ipse *S. Augustinus* l. cit. de pecc. mer. et remis. (2) inquit: « Qui dicunt, esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, et hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, et Dei virtuti, vel misericordiae, qui hoc adiuvando efficit, derogabimus. » Et paullo post subiungit: « Si a me quaeratur, utrum homo sine peccato esse possit in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam et liberum eius arbitrium. » Idem patet ex citatis Concilii *Tridentini* verbis, in quibus sat luculenter innuit, *ex speciali Dei privilegio* fieri posse, ut quis in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitet. — Si autem quaeratur, cuinam praefatum privilegium concessum sit, imprimis certum est, Christum hominem propter unionem hypostaticam omnino impeccabilem fuisse (§ 331). Ast etiam B. V. Maria toto vitae suae tempore ab omni peccati personalis labe ex speciali Dei privilegio semper fuit immunis. Merito igitur ab Ecclesia Mariae applicantur verba Cantic. IV, 7: *Tota pulcra es, et macula non est in te.* Immunis autem ab omni peccato veniali Maria permansit, quia fuit *gratia plena* (3). Nam, ait *S. Petrus Damian.* (4), « quid sanctitatis, quid iustitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quae totius divinae gratiae

(1) 1 2, q. 109, art. 8. (2) C. 6, n. 7.

(3) Luc. 1, 28. (4) Hom. in Nativ. B. V. M.

charismate plena fuit? Sic namque ab Angelo, dum salutaretur, audivit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Quod, rogo, vitium in eius mente, vel corpore vindicare sibi potuit locum, quae adinstar coeli, plenitudinis totius Divinitatis meruit esse sacrarium? » — Constans etiam fuit Ecclesiae fides, Mariam ab omni peccato actuali prorsus immunem fuisse. Id probant multa Ss. Patrum testimonia, § 226, n. 2 citata, in quibus sicut originale, ita et quodvis actuale peccatum a Maria removetur. Insignis est locus *S. Augustini*, qui (1) peccatis venialibus omnes homines obnoxios esse dicit, « excepta S. Virgine, de qua, propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. » *S. Fulgentius* (2) ait: « In secundi hominis Matre gratia Dei et mentem integram servavit et carnem. » *S. Ildephonsus* (3) Mariam comparat cum Arca V. T. « supra quam propitiatorium, et Cherubim hincinde obumbrantia figurantur; quia Mariam nullum intrinsecus obrepsit peccati contagium: sed intus omnis custodia legis et manna fuit. » *S. Bernardus* Serm. de Assumpt. dicit: « Ut omnino pium est credere, proprium Maria delictum non habuit; » et in Epist. CLXXIV ad Canon. Lugdun., scribit: « Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem; quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum, singularis privilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam, quae dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitae et iustitiae omnibus obtineret. » *S. Thomas* (4) ita disserit: « B. Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei; et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod Angelus ad eam dicit: *Invenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies etc.*: Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando; tum quia honor parentum redundat in prolem... tum etiam quia singularem habuit affinitatem ad Christum, qui ab ea carnem accepit.... tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit non solum in anima, sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. I: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideo simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum actualè peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cantic. IV: *Tota pulcra es, et macula non est in te.* » Denique Concilium *Tridentinum* (5) declarat, hanc esse constantem Ecclesiae fidem, quod B. V. Maria ab omni peccato, etiam veniali et levissimo, semper immunis fuerit. — Certum tamen est, Mariam liberam fuisse, et deficere potuisse a bono, seu, ut Theologi dicunt, potestatem peccandi habuisse: ipsa autem nunquam a bono defecit, et nunquam venialiter peccavit; quia ex una parte fomitem peccati tanquam immaculate concepta non habuit, et ex altera parte in gratia confirmata

(1) Lib. de nat. et grat. cap. 36, n. 42.
(2) In Serm. de dupl. Chr. Nativ.
(3) Serm. de Assumpt. Deip.
(4) In 3 p. q. 27, art. 4. (5) Sess. 6, can. 23

uberrimisque supernaturalibus auxiliis repleta fuit. — Equidem nonnulli ex veteribus hac in re aberrarunt. Nonnulli Mariam de fidei defectu accusant, cum ex Angelo, conceptionem Christi annuntiante, quaesivit: *Quomodo fiet istud? S. Chrysostomus* putat, eam ex vanae gloriae cupedine miraculum in Cana Galilaeae petiisse, et Matth. XII, 47 se coram populo ut matrem Christi ostentasse. *Tertullianus, Origenes, S. Basilius et S. Cyrillus Alex.* autumant, Mariam tempore passionis Christi in fide titubasse, ac ideo ipsi praedictum fuisse: *Tuam animam pertransibit gladius.* — Ast, quod citatos Patres attinet, salva, quae ipsis debetur, reverentia, dicendum est, eos hic deserendos esse, cum illi a communi Ecclesiae doctrina hac in parte recesserint, nec aliunde ullo legittimo nitantur fundamento. Nam B. Virgo nuntianti Angelo conceptum prolis ac partum credidit, modum tamen, quo haec res perficienda erat, inquisivit. Quia enim filii conceptio castitatis voto videbatur contraria, ad se pertinere putavit, quis esset futurus modus talis conceptionis, interrogare, et discere quid officii in eo negotio esset praestitura. Hanc fuisse mentem et fidem Virginis satis ostendunt verba Elisabeth: *Beata, quae credidisti* (1), et Patrum encomia, quibus ut *S. Irenaeus* (2) et *S. Augustinus* (3) Mariae fidem collaudant. *S. Ambrosius* (4), *S. Bernardus* (5), *S. Thomas*, et alii in ipsa interrogatione Mariae prudentiam admirantur. — In petitione Virginis in Cana Galilaeae facta nulla elucet ambitio, sed eximia potius fides et charitas; nec verba Christi ullam reprehensionem continent; non enim verbo Matrem obiurgavit, qui eam facto honoravit, cum, licet tempus nondum adesset, ipsa tamen intercedente, primum miraculum patravit. Quodsi Mariam non matrem, sed simpliciter mulierem hac occasione appellavit, id factum est, ut observat *S. Augustinus* (6), quia « secundum quod Deus erat, matrem non habebat; secundum quod homo erat, matrem habebat.... Miraculum autem, quod facturus erat, secundum divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem (humanam): » - Matth. XII, 47 nullum peccati vestigium deprehenditur. Deipara non materna auctoritate sermonem interrupit, non importuna in domum irruit, in qua Filius verba faciebat, sed foris stabat, quaerens Filium alloqui, donec quidam de turba, non ab ipsa iussi, sed pia probabilius commiseratione moti, Christum admonuerunt, Matrem et consanguineos foris expectare. Si generatim de internis hominum intentionibus, soli Deo notis, non licet temere iudicare; quis de interna vanagloria sine solida ratione eam accusare audebit, cuius Dominus humilitatem respexit (7)? Erronea *S. Chrysostomi* sententia solum ostendit, etiam doctissimos et piissimos viros facile aberrare, si in exponenda S. Scriptura lineam traditionis deserentes spiritum suum privatum sequuntur. — Mariam tempore passionis Filii sui in fide titubasse, ne minimo quidem verbo in S. Scriptura indicatur. Cum autem ipsi dicitur: *Tuam animam pertransibit gladius*, non scandalum, quod passa fuerit, aut fidei defectus denotatur, sed potius doloris magnitudo, et acerbitas ex morte Christi concepta, ut Ven. *Beda* observat. In tanto autem animae cruciatu Maria immobilis in fide stetit,

(1) Luc. 1, 45. (2) L. 13 adv. haer. c. 23. (3) Serm. 290 (al. 44 inter 50), cap. 5. (4) Lib. 2 in Luc. (5) Serm. 52 de div. (6) Tract. 8 in Io. n. 9. (7) Luc. 1, 48.

et invictam patientiam ostendit. Ideo *S. Ambrosius* (1) de Deipara dicit: « Spectabat piis oculis Filii vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri mater spectaculo, quae non metuebat peremptorem. Pendebat in cruce Filius, mater se persecutoribus offerebat. » Idem Epist. XXV scribit: « Maria mater Domini ante crucem stabat.... sed nec minor, quam matrem Christi decebat. Fugientibus Apostolis, ante crucem stabat, et piis spectabat oculis Christi vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem... Hanc imitamini matres sanctae, quae in unico Filio dilectissimo tantum maternae virtutis exemplum edidit. » Simili modo *S. Bernardus* et alii invictam animi fortitudinem laudant, quam Maria tempore passionis Filii sui monstravit. Ipsa ergo ab omni peccato immunis fuit, et orationem dominicam recitans, verba, *dimitte nobis debita nostra*, pro aliis dumtaxat, seu pro tota Ecclesia protulit. —

4. Certum est, quod Deus singulare privilegium, B. Virgini collatum, etiam aliis concedere possit. Idcirco *S. Augustinus* non absolute negare audet, quosdam per speciale gratiae extraordinariae auxilium ab omni peccato immunes mansisse. Ait enim l. de perfectione iustitiae (2): « Si excepto illo capite nostro asseruntur, vel fuisse, vel esse in hac vita aliqui homines iusti sine peccato... non nimis existimo reluctandum. Scio enim quibusdam esse visum, quorum de hac re sententiam non audeo reprehendere, quamquam nec defendere valeam. » *S. Bernardus* autem (3) expresse docet, nemini alteri quam B. Virgini fuisse donatum, immunem esse ab omni peccato. Etiam Concilium Tridentinum solum B. V. Mariam nominat, cui singulare privilegium concessum fuisse, Ecclesia tenet. Laudantur quidem in S. Scriptura homines iusti, sine querela in mandatis divinis incedentes et ab omni opere malo abstinentes, ut *Iob* (4), *Zacharias et Elisabeth* (5), *Ioannes Baptista* (6). Verum haec intelligenda sunt vel de vita recta in comparatione aliorum, variis vitiis deditorum, vel de immunitate a peccatis mortalibus, vel de perfectione hominum ordinaria, quae licet altiorem gradum ascendere possit, ab omni tamen veniali peccato immunis semper esse nequit. (Legendus est hac de re *S. Augustinus* lib. 2, de pecc. merit. et remiss., a capite 6-28.)

(1) L. de instit. virg. cap. 7.
(2) Cap. 21, n. 44. (3) Epist. 174.

VI. *De statu peccati deserendo.*

§ 421. Hic non quaeritur, an homo possit deserere peccatum, seu cessare de actu peccandi, qua de re iam §§ praecedentibus actum est; sed quaeritur, an homo, qui per lethale peccatum gratiam habitualem amisit, sine gratia possit deserere statum peccati, et transire in statum iustitiae, seu, ut loquitur *S. Thomas* (7), an homo sine gratia possit resurgere a peccato? — Ut haec quaestio rite pertractetur, ab ipsa iustificatione in qua homo resurgit a peccato, distinguendae sunt dispositiones, quae illam praecedunt. Peccator enim, praeter fidem, timorem et spem etiam dolorem supernaturalem de suis peccatis, emendationis propositum, et initialem saltem Dei amorem concipere debet, ut sic ad iustificationem obtinendam disponatur. Ad has porro dispositiones non requiritur qui-

(4) Cap. 1. (5) Luc. 1, 6. (6) Matth. 11.
(7) 1 2, q. 109, art. 7.

dem gratia habitualis (§ 414), sed requiritur tamen gratia actualis, sine qua homo actum salutarem ponere non potest. Ipsa autem iustificatio, seu remissio peccatorum obtineri nequit sine gratia habituali, quae homini infunditur, et per quam homo regeneratur, ut fusius capite quinto ostendetur. Non potest ergo homo sine gratia a peccato resurgere, seu a statu peccati in statum iustitiae transire.

1. *Sacra Scriptura* clarissime pronuntiat, sine gratia hominem a peccato resurgere, et in statum iustitiae transire non posse. Is. XLIII, 25 Deus ita loquitur: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Deus ergo solus delet peccata, animam a morte spirituali resuscitat, eique vitam iustitiae confert. Hoc idem Paulus docet Rom. III, 23 etc. scribens: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Iesu;* et v. 30 addit: *Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat.* Et Gal. II, 21 inquit: *Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est,* id est, si absque gratia per solas vires naturales, legem naturalem, aut mosaicam observantes iustitia obtineri potest, supervacanea mors Christi dicenda est. Ast quoniam *reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius* (1), necessario infertur, remissionem peccatorum et statum iustitiae sine gratia Christi non obtineri.

2. *Traditio* hac in parte tam certa et explorata est, ut ne Pelagiani quidem, gratiae Christi hostes infensissimi, contradixerint. Ita testatur *S. Augustinus* l. de grat. et lib. arb. (2) inquiens: « Dicunt (Pelagiani), gratiam Dei, quae data est per fidem Iesu Christi, quae neque est lex, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata praeterita dimittantur, non ut futura vitentur, aut repugnantia superentur. » Quamquam nec ab omni errore puri hic etiam fuere Pelagiani, quorum sententia erat, gratiam remissionis peccatorum dari secundum merita poenitentium, non vero secundum Dei misericordiam. Doctrinam catholicam proponit Concilium *Arausicanum II*, can. 14, dicens: *Nullus miser de quantacunque miseria liberatur, nisi qui misericordia Dei praevenitur.* Et can. 19 ita loquitur: *Cum natura humana sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit: quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* — Concilium vero *Tridentinum* sess. VI, cap. 5 declarat, *ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Iesum Christum praeveniente gratia, sumendum esse*; et ibid. can. 1 inquit: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo; anathema sit.* Et can. 3 dicit: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.*

3. *S. Thomas* (3) hominem sine gratia non posse resurgere a peccato, ex eo probat, quia per peccatum triplex incurritur detrimentum, quod sine gratia reparari non potest. Nam *primo* per peccatum quaedam animi labes et macula contrahitur, quae elui plane et abstergi non potest sine gratia. Quapropter David ad Deum confugiens dicebat: *Lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo mun-*

(1) Rom. 5, 10.

(2) C. 13, n. 2. (3) L. c. l. 1 2, q. 109, a. 7.

da me(1); et: *Asperges me hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor* (2). — *Secundo* « per peccatum, ait *S. Thomas*, bonum naturae corrumpitur, in quantum natura hominis deordinatur, voluntate hominis Deo non subiecta. » At non potest ordo ille naturae restitui nisi per gratiam, quae voluntatem hominis Deo subiiciat. Hinc Deus Ezech. XXXVI, 26 inquit: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.* — *Tertio* per peccatum homo contrahit debitum poenae aeternae, quod solus Deus solvere et relaxare potest. Quamobrem de Christo Deo vero dicitur: *Donans nobis omnia delicta; delens, quod adversus nos erat chirographum decreti; et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci* (3).

Usus doctrinae de necessitate gratiae.

§ 422. Dogma de necessitate gratiae seu auxilii divini ad quodvis opus salutare, ad ipsum quoque fidei et boni operis initium, et ad perseverantiam finalem, admonet nos infirmitatis nostrae, fastum mentis deprimit, docetque nos *humilitatem*, quae, ut Ss. Patres passim docent, *opera nostra bona et praecedere et subsequi* debet, ut recte perficiantur, et nobis ad salutem prosint.

1. Ex originali peccato enatus est inordinatus ille proprius sui ipsius amor, quo homo independentiam desiderat, ac se supremum esse vellet, primumque sortis suae arbitrum et dominum. Effraenem hunc propriae excellentiae amorem nemo in seipso non sentit; quo fit, ut homo licet calamitatum pondere undique opprimatur, sibi tamen magnus videri velit, ac caeteris dominari cupiat, seipsum vero ab aliis regi impatienter ferat. Haec unicuique hominum insidet perversa cupiditas ex Adae praevaricatione prognata, qua capitur maxima mortalium pars, ac vel ipsi plerumque illaqueantur, qui perfectioris vitae rationem sequuntur, nisi vigilem curam adhibeant; maxime cum haec cupiditas ex intimo quodam animi nostri sensu nutrimentum viresque accipiat. Quilibet enim in seipso experitur se velle, se agere pro nutu voluntatis suae, quo sane nihil verius est, cum nos ipsi libere velimus et operemur. At proprio sui amore deceptus homo eo animi sensu abutitur, eoque rapitur ad iudicandum, se unum esse suarum actionum dominum, nulliusque indigere, ut velit et operetur, atque ea quoque perficiat, quae ad salutem aeternam ordinantur. Haec est illa tacita fiducia de nobis ipsis male concepta et qua Deo potissimam gloriam rapimus, nos tanquam principium boni toti causae obiicientes: cum tamen ut famulans instrumentum in manum artificis nos dare deberemus. Ob hanc animi nostri praesumptionem Deus efficacissima nobis auxilia non raro subtrahit, utpote qui, teste Propheta (4), gloriam suam alteri non dabit. Hinc Ierem. XVII, 5, etc. legitur: *Maledictus, qui confidit in homine... erit enim quasi myricae in deserto, et non videbit, cum venerit bonum.* Iudith VI, 17 Israëlitae recta fide imbuti ad Deum clamant: *Non derelinquis praesumentes de te, et praesumentes de se, et de sua virtute gloriantes humilias.* Huc etiam pertinet celebre dictum: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (5). Maximi igitur momenti est, ut proposita de necessitate

(1) Ps 50, 4. (2) Ibid. v. 9.
(3) Col. 2, 14. (4) Is. 48, 11.
(5) Iac. 4, 6; 1 Petr. 5, 5; Prov. 3, 34.

gratiae dogmata frequenter et serio perpendentes infirmitatem nostram cognoscamus, ac intime semper persuasi simus, nullum nos sine gratiae auxilio opus salutare incipere et perficere posse. Haec est illa humilitas, quam Ss. Patres et Doctores passim fundamentum omnium virtutum, gratiarum fontem, et salutis medium maxime necessarium nominant, quamque ideo negligere sine gravissimo salutis periculo non licet. Nam, ait *S. Chrysostomus* (1): « Humilitatis et simplicitatis virtute nobis opus est; quae, si non adest, salus nostra certe claudicat. »

2. Humilitas vero non solum opera nostra bona praecedere, sed et subsequi debet. Nam si quid boni a nobis factum est; ultimo loco nobis nihil tribuendum, aut relinquendum, sed quidquid id est, quod factum est, totum in solum Deum referendum est. Licet enim ex libere recteque gestis aliqua laus in voluntatem nostram omnino redundet; quia tamen haec aliquam causam priorem ante se habet, divinam scilicet gratiam, quae opus salutare non solum perficit, sed et incipit; ideo laus et gloria ista in voluntate nostra ultimo non sistit, sed tanquam per medium aliquod transit, et tota tandem in Deum desinit. Omnia quippe quae sunt bona, ex aliqua origine, quae nobis prior est, scaturiunt, ac proinde in nobis haud manentia in eandem primam sui originem necessario redeunt, fluminum instar, *quorum quaevis intrant in mare, et mare non redundat: ad locum, unde exeunt, revertuntur* (2). Universim nempe res quaelibet primae suae rationi ultimo semper imputatur. Quis ergo negabit, etiam salutarium operum nostrorum gloriam ultimo in Deum referendam, et cum Propheta regio post opera egregie peracta dicendum esse: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (3)? — Hanc humilitatem Christus a nobis, dum mandata divina observavimus, exigit dicens: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus* (4). Et Paulus, ut a Christianis, rectam vitam agentibus, omnem arrogantiam repellat, plenamque insinuet humilitatem, exclamat: *Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (5)? — Quae verba clare ostendunt, hominem gloriari non posse de suis operibus bonis, quoniam a gratia divina ad ista incipienda excitatus, et in iisdem perficiendis adiutus fuit. Hanc humilitatem post opera bona peracta maxime commendant Ss. Patres, ne per subsequentem superbiam virtutes corrumpantur, et merita abripiantur. Sic *S. Chrysostomus* (6) inquit, de humilitate disserens: « Hac posita, tuto caetera omnia superponit architectus. Hac vero sublata, si quis ex instituto vitae vel ad coelum pertingat, omnia facile ruunt, et in pessimum finem desinunt. Etsi ieiunium, etsi orationem, etsi eleemosynam, etsi castitatem, etsi aliud quodvis bonum collegeris, absque humilitate diffluunt omnia, et pereunt. » *S. Hieronymus* (vel *S. Paulinus*) (7) scribit: « Nihil habeas humilitate praestantius, nihil amabilius. Haec est enim praecipua conservatrix, et quasi custos quaedam omnium virtutum, nihilque est, quod nos ita et omnibus gratos et Deo faciat, quam si vitae merito magni, humilitate infimi simus: propter quod

(1) Hom. 29 in Matth. (2) Eccl. 1, 7. (3) Ps. 113, v. 9. (4) Luc. 17, 10. (5) 1 Cor. 4, 7. (6) Hom. 15 in Matth. n. 2. (7) In Ep. ad Celantiam.

Scriptura dicit: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam*» (1). — *S. Augustinus* (2) inquit: « Nisi humilitas omnia quaecunque bene facimus, et praecesserit, et comitetur, et consecuta fuerit, — iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Vitia quippe caetera in peccatis, superbia vero etiam in recte factis timenda est, ne illa, quae laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. » *S. Gregorius M.* (3) ait: « Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. » — Summi igitur momenti est, ut etiam post opera bene peracta humiliter de nobis sentiamus, et cum Apostolo dicamus: *Gratia Dei sum id quod sum*, etc.; *non ego, sed gratia Dei mecum*. Haec non ficta, sed vera, et solida humilitas doctrinae de necessitate gratiae propositae et probatae saluberrimus fructus sit, oportet.

CAPUT III.

DE GRATIAE EFFICACIA, EIUSQUE NEXU CUM LIBERO ARBITRIO

§ 423. Ex dogmatibus iam probatis constat, nullum opus salutare sine gratiae auxilio aut incipi, aut perfici posse. Ex his recte infertur, omnia opera salutaria, quae ab hominibus peraguntur, gratiae supernaturali, partae per Christum Redemptorem, adscribenda esse. Certum autem pariter est, eadem opera hominibus quoque merito adscribi, quoniam non sine libero istorum arbitrio perficiuntur. Constat denique, Deum benignissimum non raro hominibus gratias supernaturales elargiri, quae tamen effectus, ad quos ordinantur, non producunt. Quaeri igitur potest, quomodo gratia in homine operetur, et actum salutarem ita producat, ut in eodem liberum hominis arbitrium servetur; atque unde fiat, ut gratiae, quae conceduntur, supernaturales modo effectus, ad quos ordinantur, producant, modo autem non producant? — In quaestionibus istis solvendis non solum Novatores et Iansenistae turpissime aberrarunt, sed etiam Theologi catholici inter se dissentiunt et disceptant. Quapropter, ut arduum istud ac plenum scopulis disputationis argumentum, tot summorum ingeniorum naufragio famosum, tuto adgrediamur, diligenter observandum est, inter istas de gratia Christi disceptationes, alias pertinere ad dogmata fidei, alias vero ad opiniones scholae, quibus Ecclesiae dogmata exponuntur et illustrantur; de quibus *S. Augustinus* (4) dicebat: « Salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur, quod verum est, aut aliter quam est, infirma suspicione coniicitur. » Attendendum rursus est, in iis, quae spectant aeternam hominis salutem per auxilia divinae gratiae obtinendam, aliqua ita esse obscura et arcana, ut sciri a nobis nusquam possint; alia ita manifesta, ut nunquam debeant ignorari. Sollicite cavendum est, ne illa confundantur, quae tanto a se invicem distant intervallo. In dogmate fidei unitas perfecta, in opinionibus scholae integra libertas; hinc varietas, inde vero concordia rem catholicam mirum in modum promovent ac illustrant. Quamobrem de gratiae efficacia eiusque nexu cum libero arbitrio agentes, 1° *dogmata catholica* pertractabimus, et 2° *opiniones scholarum* proponemus.

(1) Eccli. 3, 20.
(2) Epist. 118 (al. 56) ad Dioscorum, n. 22.
(3) In Ps. 3 poenit.
(4) L. 2 de pecc. orig. cap. 23.

ARTICULUS I.

Dogmata catholica.

§ 424. Gratia actualis consistit, ut superius (§ 403, n. 3) diximus, in illustratione mentis, in impulsu, seu motu voluntatis, ac demum in auxilio ac robore addito hominis infirmitati, quae omnia sunt essentialiter supernaturalia. Omnis itaque gratia illuminat, movet et auxiliatur, atque in his homo semper passive se habet. In hoc propterea sensu omnis gratia est semper efficax *ab intrinseco*, ut dici solet; talis vero efficacia, quae praescindit a futuro hominis consensu, in scholis *efficacia in actu primo*, seu *efficacia virtutis* nuncupatur. Hac porro homo instructus potest vel bonum agere, vel a malo declinare; contra vero hac destitutus nulla ratione valet ad bonum salutare assurgere, neque si gravibus appetitur tentationibus a malo abstinere, aut bonum naturalis ordinis praestare, si arduum et difficile sit, prout iam probatum fuit. — Sed praeter efficaciam gratiae actualis modo declaratam alia quoque admittenda est, quae in scholis *efficacia in actu secundo*, seu *efficacia connexionis* dicitur, ac futurum hominis consensum respicit. Hinc si adsit haec efficacia connexionis, gratia a Theologis in sensu stricto *efficax* nominatur; sin vero haec efficacia connexionis desit, ita ut non habeatur consensus, gratia dicitur *inefficax* seu *sufficiens*. Atque exinde profluit celeberrima illa in scholis distinctio gratiae in *efficacem*, et *sufficientem* (§ 403, n. 7). Utramque gratiam dari, et per neutram liberum hominis arbitrium tolli, fides catholica docet. Ast haec quoque doctrina suos adversarios habet. Nonnulli enim ex odiernis pseudo-philosophis et rationalistis penitus negant, Deum per internas et supernaturales operationes motus salutares et actus bonos in animis nostris producere. Novatores, nempe Lutherani et Calviniani contendunt, gratiam Redemptoris physica quadam vi talem necessitatem inferre, cui humana voluntas refragari non possit: isti proinde gratiam inefficacem, seu sufficientem nullatenus admittunt. Hoc idem Ianseniani sentiunt dicentes: gratiam efficacem consistere in delectatione coelesti, indeliberata, superiori et relative ad minorem oppositam concupiscentiam victrici, voluntatem ad assensum necessario impellente. Contra istos aberrantes probandum est: 1° *gratiam efficacem vere dari;* 2° *per istam vero non tolli liberum hominis arbitrium;* imo 3° *hinc inde gratiam manere inefficacem*, seu *dari etiam gratiam sufficientem;* quibus dogmatibus probatis, 4° in specie *falsum Iansenii systema refellendum erit.*

I. *Datur gratia efficax.*

§ 425. Gratia efficax ea dicitur, cui humana voluntas consentit, et quae ideo effectum salutarem obtinet, propter quem conceditur. — Dari hoc sensu gratiam efficacem, id est gratiam, per quam aut cum qua habetur non posse tantum, sed etiam velle et perficere opus salutis, exceptis nonnullis pseudo-philosophis (iam § 409, *Obi.* V, refutatis), nullus negat. Nam ex dogmate iam probato constat, sine gratia supernaturali nullum opus salutare perfici, imo nec initium fidei haberi, nec perseverantiam finalem obtineri posse: ast, teste sacra Scriptura et Ecclesia, dantur homines, qui fidem supernaturalem tenent, opera salutaria perficiunt, et in bono perseverant: ergo datur gratia efficax, quae salutares istos effectus producit. — Necesse est autem, ut gratiae

efficacis indolem propius cognoscere satagamus, quam vero non ex humanis ratiociniis, sed, duce Ecclesia, ex ipsa divina Revelatione determinare oportet. Quam, si mente a praeiudiciis libera inspicimus, facile intelligimus, Deum per gratiam efficacem non solum intellectum illuminare, in eoque salutares cognitiones et cogitationes excitare, sed voluntatem quoque fortiter suaviterque afficere, ita ut consensus libere quidem, sed tamen certo ac infallibiliter sequatur. Recte igitur Theologi gratiam efficacem eam esse dicunt, quae certo et infallibiliter dat velle, et perficere, seu quae modo infallibili, non autem invincibili et insuperabili, cum consensu, seu effectu est coniuncta. — Talem gratiam vere dari, *argumentis biblicis* et *ecclesiasticis* probatur.

1. *S. Scriptura V. T.* insignia exhibet efficacis gratiae argumenta. Ezech. XI, 19 etc. Deus conversionis gratiam Israëlitis promittens, ait: *Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum; et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum: ut in praeceptis meis ambulent, et iudicia mea custodiant, faciantque ea: et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum.* Ut igitur peccatores convertantur, et divina mandata exequantur, Deus ipse dicitur *cor lapideum*, id est, voluntatem perversam auferre, *et cor carneum*, seu voluntatem bonam, inspirationibus divinis consentientem dare. Ezech. XXXVI, 26 etc. de gratia, quae per Christum confertur iis, qui ab idololatria resipiscunt, implentque praecepta Domini, Deus ita loquitur: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis, et iudicia mea custodiatis et operemini:* quibus verbis Deus talem gratiam promittit, quae voluntatem reluctantem in consentientem immutat, et cum effectu salutari infallibiliter est coniuncta. Unde *S. Augustinus* (1) ita disserit: « Certum est nos velle, dum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est: *Praeparatur voluntas a Domino* (2); de quo dictum est: *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam eius volet* (3); de quo dictum est: *Deus est, qui operatur in vobis et velle* (4). Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit: *Faciam, ut in iustificationibus meis ambuletis, et iudicia mea observetis et faciatis.* Cum dicit: *faciam ut faciatis*, quid aliud dicit, nisi: *auferam* a vobis *cor lapideum*, unde non faciebatis, et *dabo vobis cor carneum*, unde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, unde non faciebatis, et dabo cor obediens, unde faciatis? » Ierem. XXXI, 33 Deus de gratia, in novo foedere conferenda dicit: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*, id est, in intellectu et in voluntate, ita ut illam perfecte cognoscant, et lubentes exequantur: *Et ego ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.* Efficaciam gratiae, quae voluntatem certo sibi consentientem facit, et salutarem infallibiliter effectum obtinet, clare exprimunt verba: *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud* (5). — Similiter Iob XII, 24 laudatur omnipotentia Dei,

(1) L. de grat. et lib. arb. cap. 16.
(2) Prov 8, 35. (3) Ps. 36, 23.
(4) Phil. 2, 13. (5) Prov. 21, 1.

qui immutat cor principum populi terrae. Hinc Mardochaeus orans Deum, ut convertat cor regis Assueri Iudaeis infensi, dicit: *Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est, qui possit resistere tuae voluntati, si decreveris salvare Israël... Dominus omnium es, nec est, qui resistat maiestati tuae* (1). Item Regina Esther sic orat: *Domine Rex deorum, et universae potestatis... transfer cor illius in odium hostis nostri* (2); et subiungitur: *Convertitque Deus spiritum Regis in mansuetudinem* (3): quibus verbis gratiae Dei interiori talis efficacia tribuitur, quae sensus hominis penitus immutet, et effectum quem intendit, certo, et infallibiliter obtineat. Quamobrem iam Propheta regius oravit: *Cor mundum crea in me Deus; et spiritum rectum innova in visceribus meis* et iterum: *Inclina cor meum in testimonia tua* (4). Negari ergo non potest, iam in V. T. tam efficacem gratiam agnitam fuisse, quae certo, et infallibiliter dat velle et perficere.

2. *S. Scriptura N. T.* eandem gratiae efficaciam praedicat. Christus ipse, homines per gratiam efficacem ad se trahi testatur dicens: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (5); quae verba considerans *S. Augustinus* exclamat (6): « Magna commendatio gratiae; nemo venit, nisi tractus! » — Postea vero idem S. Doctor praeclare ostendit, hominem non invitum, nec vi necessitatem inferente, sed amore et interna delectatione ita trahi, ut libera voluntate certo et infallibiliter ad Christum veniat. Quod confirmatur ex verbis Christi sequentibus: *Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me* (7); in quae verba ita disserit *S. Augustinus* (8): « Quando Deus docet non per legis litteram, sed per spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas et ipsa operatio, non sola volendi et operandi naturalis possibilitas adiuvatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia iuvaretur, ita diceret Dominus: *Omnis, qui audivit a Patre et didicit,* potest venire ad me. Non autem ita dixit, sed: *Omnis,* inquit, *qui audivit a Patre et didicit, venit ad me...* Non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit. Sed *omnis, qui didicit a Patre,* non solum potest venire, sed *venit:* ubi iam et possibilitatis profectus, et voluntatis affectus, et actionis effectus est. » Paulus inquit: *Deus est, qui operatur in vobis velle, et perficere pro bona voluntate* (9); quibus verbis gratiae divinae tanta efficacia adscribitur, ut primo in hominibus bonam voluntatem excitet, ac deinde bonum opus perficiat. Quod idem Apostolus docet dicens: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (10); quibus verbis satis clare enuntiatur, non ab homine volente et currente dependere, ut Deus misereatur, sed per gratiam miserentis Dei effici, ut homo velit et currat. Nam, ait *S. Augustinus* (11): « Quomodo *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* nisi quia et ipsa *voluntas,* sicut scriptum est, *praeparatur a Domino?* Alioquin si propterea dictum est: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis*

(1) Esther 13, 9 etc. (2) Cap. 14, v. 12 etc. (3) Cap. 16, v. 11. (4) Ps. 50, 11, et Ps. 118, 36. (5) Io. 6, 44. (6) Tract. 26 in Io. n. 2. (7) Io. 6, 45. (8) L. de gratia Chr. c. 14. (9) Phil. 2, 13. (10) Rom. 9, 16. (11) In Enchir cap. 32.

est Dei, quia ex utroque fit, id est, et voluntate hominis et misericordia Dei, ut sic dictum accipiamus, - tamquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei: non ergo sufficit et sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis; ac per hoc, si recte dictum est: *Non volentis* hominis, *sed miserentis* est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet; cur non e contrario recte dicitur: Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet?—Porro si nullus dicere Christianus audebit: Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat; restat ut propterea recte dictum intelligatur: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adiuvandam, et adiuvat praeparatam. » Hebr. XIII, 20 dicitur: *Deus autem pacis... aptet vos*, id est, idoneos faciat *in omni bono*, *ut faciatis eius voluntatem*, *faciens in vobis, quod placeat coram se in Iesu Christo:* ubi Apostolus aperte tam efficacem commendat gratiam, quae homines ad omne opus bonum aptos reddit, efficitque, ut voluntatem Dei faciant, operaque Deo grata et accepta perficiant. Denique (1) Paulus, ut ostenderet, Ephesios iustificationem, cunctaque bona spiritualia gratiae divinae attribuere debere, inquit: *Ipsius enim factura sumus*, *creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus;* quibus verbis, ut observat *S. Chrysostomus*, clare asseritur, gratiam divinam homines, quos iustificat, regenerare, seu de novo creare, et gratiam divinam etiam efficere, ut in operibus bonis ambulent.

3. *Exempla* in S. Scriptura commemorata efficaciam gratiae luculentissime demonstrant. Multa, quae Christus docuit, *Apostoli* ante diem Pentecostes non intellexerunt (2); etiam post Christi resurrectionem falsos de ipsius regno conceptus habuerunt (3); ambitiosi (4), timidi et inconstantes erant ita, ut, capto Iesu, omnes fugam capesserent (5), et postquam Magistrum suum redivivum viderant, in loco clauso congregati permanerent *propter metum Iudaeorum* (6). Accepto autem Spiritu sancto, alii omnino homines effecti, de Regno Messiae terrestri ne cogitant quidem, mysteria divina firma cum certitudine proponunt, neque quidquam timent, sed eodem Pentecostes festo intrepidi prosiliunt, Iudaeis crimen Dei hominis crucifixi obiiciunt, et Iesum Filium Dei testantur, quem Deus a mortuis resuscitaverit; imo et de contumeliis, de verberibus aliisque persecutionibus laetantur (7). Tam stupenda Apostolorum immutatio nonnisi gratiis gratum facientibus, quas una cum gratiis gratis datis abunde acceperant, adscribi debet, et pro admirabili gratiae divinae efficacia luculentissimum testimonium praebet. — In specie commemoranda est *conversio Pauli*, quae Act. IX, 1-12 narratur. Saulus enim, falsis Pharisaeorum doctrinis imbutus, Iudaismo pertinacissime inhaerens, Christianos tanquam verae Religionis adversarios considerans, infensissimo odio persequens, atque a terra eliminare anhelans, dum *adhuc spirans minarum, et caedis in discipulos Domini*, subito prostratus in terram, audita voce de coelo, ac interna gratia repletus, illico a praeiudiciis et errori-

(1) Eph. 2, 10. (2) Luc. 18, 34. (3) Act. 1 6 (4) Luc. 22, 23. (5) Matth. 26, 56. (6) Io. 20, 19. (7) Act. 5, 41.

bus suis liberatus veritatem Religionis christianae agnovit, instrui et baptizari concupivit, atque ex persecutore Christianorum in celeberrimum Christi Apostolum transmutatus est, qui mox pro nomine Iesu plurima fecit, et dirissimas persecutiones patientissime toleravit. Tam subitanea autem hominis mutatio non est opus naturae, sed supernaturalis auxilii effectus, cuius proinde mira efficacia ex illa clarissime elucet. — Act. XVI, 14 *Lydia purpuraria laudatur, cuius Dominus aperuit cor intendere his, quae dicebantur a Paulo;* ex quibus verbis patet, ipsam bonam voluntatem, qua verbum Dei praedicatum auditur, ei fides adhibetur et obedientia praestatur, divinae gratiae beneficium esse.

4. *Ss. Patres* summam gratiae divinae efficaciam agnoscunt et praedicant. *S. Iustinus M.* (1) eam « inenarrabilem Patris virtutem » nominat, quae efficit, ut homines non solum credant, sed pro fide etiam omnia sustineant, et ipsam mortem contemnant. *Tertullianus* (2) ait: « Haec erit vis divinae gratiae potentior utique natura, habens in nobis subiacentem sibi liberam arbitrii potestatem. — Quae cum sit ipsa naturalis, atque mutabilis, quoquo vertitur, natura convertitur. » — *Origenes* (3) inquit: « Ipse Unigenitus, ipse, inquam, Filius Dei adest, ipse defendit, ipse custodit, ipse nos ad se trahit. Audi quomodo ipse dicit (4): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Sed nec sufficit eum esse nobiscum, sed quodammodo vim nobis facit, ut nos pertrahat ad salutem. Ait enim in alio loco (5): *Cum autem exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* Vides, quomodo non solum invitat volentes, sed et cunctantes trahit. » Idem (6) haec habet: « Omnipotentis Dei misericordiam deprecemur, qui nos non solum auditores verbi sui faciat, sed et factores (7); et inducat super nostras quoque animas diluvium aquae suae, et deleat in nobis, quae scit esse delenda, et vivificet, quae scit esse vivificanda per Christum Dominum nostrum, et per Spiritum suum sanctum. » *S. Cyprianus* (8) gratiam aliquando adeo potentem et efficacem esse affirmat, « ut si desuper lumen infunditur, si coelestis spiritus hauritur, quod difficile prius videbatur, quod impossibile putabatur esse, iam facile geri possit. » — Et cum idem S. Pater (9) alibi dicat: « In nullo gloriandum est, quando nostrum nihil est, » clare docet, hominem ne de consensu quidem gratiae praestito gloriari posse, quia Deus est, qui etiam velle operatur. Hoc idem sensit *S. Basilius*, qui Hom. 22, de humilit. exclamat: « Nihil tibi relictum est, o homo, de quo gloriari possis; » nam, ut loquitur Hom. in Psalmo XXIX: « Deus est, qui nos praeveniens suscipit, qui nos sustinet, qui nos erigit. » Idem in lib. de Spiritu sancto (10) vocat gratiam « Auxilium, quod per imperium suae potentiae operatur in nobis, » et Serm. de lib. arbitr.: « Gratiam insuperabilis potentiae. » *S. Gregorius Naz.* (11) disserens de conversione Cypriani, qui per S. Iustinae preces ex mago in virum sanctum, et illustrem martyrem mutatus fuit, exclamat: « O mirificam gratiae potentiam! per improbum amorem et spiritum Deum invenit, et sacra sacri gregis ovis efficitur, etc. » Et (12) eum

(1) Apol. 2, n. 10. (2) L. de anima c. 21.
(3) Hom. 20 in Numer. (4) Matth. 28, 20.
(5) Io. 12, 32. (6) Hom. 2, in Genes.
(7) Iac. 1, 22. (8) Epist. 1.
(9) L. 3 testim. c. 4. (10) Cap. 8.
(11) Or. 24, (al. 18) n. 12.
(12) Or. 44, (al. 43) n. 8.

qui perfectam morum conversionem perfecit, ita exhortatur: « Ne sic quidem magnifice de te sentias, verum dic cum Davide(1): *Haec mutatio dexterae Excelsi*, a quo promanat, quidquid ab hominibus recte et cum laude geritur. » *S. Chrysostomus* (2) dicit: «Hoc solum nobis curae sit, quomodo vincamus diabolum; imo non nostri studii opus est, sed divinae gratiae totum est. Unum nobis curae sit, quomodo nobis conciliemus illius gratiam, ut trahamus ad nos favorem illum: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* » — *S. Ambrosius* (3) scribit: « Hoc agit gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita non remaneat in languoribus suis, sed per opem miserantis medici curata revalescat. » *S. Hieronymus* (4) inquit: « Quamvis propria voluntate ad Dominum revertamur; tamen nisi ille nos traxerit, et cupiditatem nostram suo roboraverit praesidio, salvi esse non poterimus; » quibus verbis talem praedicat gratiam, quae ipsam voluntatem trahit, et pravam in nobis cupiditatem vincit. *S. Augustinus* (5) ait: « Legant ergo et intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » Praeterea gratiam appellat (6), « inspirationem flagrantissimae et luminosissimae charitatis; » l. IV c. Iulian. (7), « omnipotentissimam voluntatem; » l. I c. duas Epist. Pelag. (8), « occultissimam et efficacissimam voluntatem, ac potestatem, quae convertit et transfert corda hominum ab indignatione ad lenitatem; » et Lib. de corrept. et grat. (9), « inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem. » In Ench. (10) inquit: « Quis tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? » — Lib. de Praedest. Ss. (11) ait: « Haec igitur gratia, quae occulte cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. » Et l. de corrept. et grat. (12) de perseverantibus in bono ita disserit: « Tantum quippe accenditur Spiritu sancto voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur, ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitae huius ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut *divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur;* et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. » *S. Paulinus* (13) scribit: « Opus Dei est mutare hominem, qui solus potest instaurare, quod fecit. » *S. Petrus Chrysologus* (14) ait: «Pater coelestis non solum volentes suscipit, sed attrahit et nolentes, dicente Filio: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit illum.* » — Et Serm. 50 de paralytico, cum di-

(1) Ps. 76, 11. (2) Hom. 15 in Act. Ap. n. 3.
(3) Epist. 84. (4) L. 4 in Ier. c. 3.
(5) L. de gratia Chr. cap. 24.
(6) L. cit. cap. 36. (7) Cap. 8. (8) Cap. 20.
(9) Cap. 14. (10) Cap. 98.
(11) Cap. 8. (12) Cap. 12, n. 8. (13) Ep. 38.
(14) Serm. 10 in Ps. 28.

xisset, medicos reluctantium quoque aegrotorum curam gerere, subiungit: « Quanto magis Christus medicus bonitate divina morbis saucios peccatorum et phrenesi criminum laborantes ad salutem etiam invitos attrahit et nolentes? » *S. Leo M.* (1) haec habet: « Diligendo nos Deus ad imaginem suam nos reparat, et ut in nobis formam suae bonitatis inveniat, dat, unde ipsi quoque, quod operatur, operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suae charitatis inflammans, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus. » — *S. Gregorius M.* (2) ita loquitur: « Hominis meritum superna gratia, non ut veniat, inveniet, sed postquam venerit, facit; atque et ad indignam mentem veniens Deus dignam sibi exhibet veniendo, et facit in ea meritum, quod remuneret, qui hoc solum invenerat, quod puniret. » *S. Bernardus* (3) asserit: « Si Deus tria haec, hoc est bonum cogitare, velle, perficere operatur in nobis; primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit; siquidem immittendo bonam cogitationem nos praevenit; immutando etiam malam voluntatem sibi per consensum iungit; ministrando et consensui voluntatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit..... Ipsa (gratia) liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum. » *S. Thomas* (4) docet, Deum non solum facultatem bene agendi dare, sed etiam ipsam volitionem et actionem efficere; ait enim: « Facultatem autem dat Deus infundendo virtutem et gratiam, per quas efficitur homo potens et aptus ad operandum; sed ipsam operationem confert, in quantum operatur in nobis interius movendo, et instigando ad bonum. Et ideo hoc accipiens Apostolus dicit quantum ad primum: *Factus sum minister secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi:* quantum ad secundum dicit: *secundum operationem*, quam Deus efficit, in quantum virtus eius operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate. » Idem (5) dicit: « Omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est a voluntate ut immediate agente; sed etiam a Deo ut primo agente, qui vehementius imprimit: unde sicut voluntas potest immutare actum suum, ita et multo amplius Deus. » — Ex his testimoniis patet, non solum *S. Augustinum*, sed etiam reliquos Ss. Patres et Doctores talem gratiam agnovisse et praedicasse, cuius efficacia non a consensu dato vel negato dependeat, sed quae ipsa consensum efficiat, seu quae certo et infallibiliter dat velle et efficere.

5. *Ex orationibus Ecclesiae* validissimum ad explorandam gratiae naturam argumentum peti potest. Haec enim fuit apud Ss. Patres ab antiquis temporibus immota sententia, « ut legem credendi lex statuat supplicandi, » ut loquitur *S. Coelestinus* P. in Ep. ad Galliae Episcopos. Ecclesia quippe, ab ipso Spiritu sancto directa, in orationibus, quas publice recitandas praescribit, nonnisi ea petit, quae a Deo vere concedi et per preces impetranda esse credit. Quamobrem si victricem gratiam in orationibus ecclesiasticis postulamus, consequens est, ut eiusdem gratiae existentiam fateamur. Porro quod ad gratiam, quae est ex sese efficax, im-

(1) Serm. 1 de ieiun. 10 mensis.
(2) L. 18 Mor. c. 22.
(3) L. de grat. et lib. arbitr. c. 14.
(4) In cap. 3 ad Ephes. Lect. 2.
(5) Q. 22 de verit. art. 8

ploremus, ex ecclesiasticis precibus satis liquet. Orat enim S. M. Ecclesia Dominum Deum Fer. IV, post Dom. II Quadr. his verbis: *Dirige ad te tuorum corda fidelium, ut spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces.* Dom. V post Pascha: *Largire supplicibus tuis, ut cogitemus, te inspirante, quae recta sunt, et, te gubernante, eadem faciamus.* In Vigilia Pentecostes: *Concede nobis et nostrae voluntatis pravitatem frangere, et tuorum praeceptorum rectitudinem in omnibus adimplere.* Dom. XIX post Pent.: *Tua medicinalis operatio tuis semper faciat inhaerere mandatis.* Dom. XXIV post Pent.: *Omnium nostrum ad te corda converte.* Saepius quoque dicitur: *Ad te compelle rebelles nostras voluntates.* Huius generis sunt Ecclesiae preces quam plures. Ast gratia, quae inspirando Spiritus sancti fervorem reddit nos efficaces, quae praestat, ut recta cogitemus et faciamus, quae voluntatis nostrae pravitatem frangit; quae est medicinalis operatio, corda convertit, ac voluntatem etiam rebellem revocat ad obsequium, etc. gratia, inquam, huiusmodi ex sese efficax est, voluntatem reluctantem emendat, et ad bonum inclinat, atque ideo certo et infallibiliter dat velle et perficere: talem vero gratiam Ecclesia petit: ergo talem gratiam a Deo concedi et per preces impetrandam esse credit. Quo argumento iam *S. Augustinus* usus est (1) dicens: «Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia; sed attendat quotidianas orationes suas; orat, ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem; orat, ut fideles perseverent; Deus ergo donat perseverantiam usque in finem.»

Nota. Tradita gratiae efficacis notio rectae rationis principiis consona est. Certum est enim, homines quoque, propositis motivis suasionibusque adhibitis, hincinde efficere posse, ut alii voluntatis suae decreta immutent, et quaedam decernant, quae antea noluerunt, aut de quibus ne cogitaverunt quidem. Quis iam negabit, Deum omnipotentem et infinite sapientem immediate in hominis voluntatem agere, eam in bonum flectere, et effectum, quem intendit, certo et infallibiliter consequi posse? Congruit etiam eadem notio charitati Redemptoris qui per mortem suam hominibus uberrimas et efficacissimas gratias promeruit, ut recte vivere, et aeternam beatitudinem consequi possint (§ 377).

1) L. de dono Persever. cap. 7.

II. *Gratia efficax non est necessitans; ac ideo non officit libertati.*

§ 426. Quamvis gratia efficax sit, et in homine velle et perficere operetur; dogma tamen fidei est, hominem in actibus salutaribus liberum, et non solum a coactione, sed etiam a necessitate immunem esse, ita ut bonum opus tum gratiae, quae dat velle et perficere, tum libero arbitrio, quod vere cooperatur, rectissime adscribatur. — Hoc dogma impugnarunt Protestantium antesignani, qui aperte docuerunt, liberum arbitrium peccato primi hominis periisse, nullam homini mansisse libere se determinandi facultatem, et voluntatem necessario aut gratiae obsequi, aut cupiditati. Distinguunt quidem inter coactionem et necessitatem, et liberum hincinde vocant hominem eo sensu, quod sponte agat sua, neque cogatur, aut violenter trahatur externo motu. Verum quod ad libertatem proprie requiritur, constanter reiiciunt, nempe quod voluntas sub potestate sua habeat bonum et malum, et eligere alterutrum

suapte natura queat (1). Cum Novatoribus consentiunt *Iansenius* eiusque sectatores, de quorum systemate inferius agetur (§ 428). Contra istos aberrantes probandum est, gratiae efficaciam nullam inferre necessitatem, et hominem in actibus salutaribus liberum esse. — Hoc dogma equidem iam alibi probatum fuit, nempe § 199, dum de animae humanae libertate actum est, et § 217, ubi ostensum est, liberum arbitrium per peccatum originale minime extinctum esse. Quamquam autem argumenta ibidem allata ad convincendos adversarios sufficiant; attamen, quia de re gravissimi momenti agitur, alia quaedam argumenta hic afferenda sunt, quae propius ad praesentem quaestionem referuntur, et pressius demonstrant, hominem gratia efficaci praeventum et adiutum libere operari. Argumenta vero *ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus, ex definitionibus Ecclesiae*, et *ex sensu intimo* petuntur.

1. *S. Scriptura* praeter testimonia § 199 allata, alia quoque suppeditat, quae ostendunt gratiam efficacem necessitatem non inferre, sed hominem in actibus salutaribus liberum esse. Isti enim liberae hominum electioni adscribuntur: sic de populo israëlitico, foedus cum Deo ineunte, dicitur (2): *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis eius, et custodias caeremonias illius et mandata atque iudicia, et obedias eius imperio.* Dubitari sane non potest, eos, qui pium hoc propositum conceperunt, gratia efficaci praeventos et adiutos fuisse; et tamen hoc idem propositum bonae eorum voluntati et liberae electioni adscribitur. — Psalmista non sine efficaci gratiae auxilio unionem cum Deo cuilibet allicient hominum consortio praetulit, et tamen de seipso dicit (3): *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Isa. LVI, 4, etc.: *dicit Dominus Eunuchis: Qui elegerint, quae ego volui et tenuerint foedus meum..... nomen sempiternum dabo eis* (4). Inepte autem, imo falso ipsi homines bonum eligere dicerentur, si per gratiam efficacem ad actus salutares necessitarentur, et liberum arbitrium tolleretur. — Imo libertas indifferentiae, etiam posita gratia efficaci, clarissime in Ss. Bibliis asseritur, dum ille idem, qui actum salutarem posuit, eundem actum non ponere, seu contrarium agere potuisse dicitur. Nam Eccli. XXXI, 8, etc. sermo est de iusto *qui inventus est sine macula*, etc.; et v. 20 additur: *Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria aeterna: qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit:* ergo qui efficacis gratiae auxilio opera salutaria perfecit, haec omittere, et peccata committere potuisset. Propter istam libertatem indifferentiae, quae homini, etiam gratia efficaci praevento et adiuto, inest, opera salutaria sicuti gratiae, ita etiam ipsi homini adscribuntur. In V. T. passim Patriarchae aliique homines iusti ob opera bona et meritoria laudantur. In N. T. Christus ipse de Magdalena dicit (5): *Opus bonum operata est in me.* Paulus (6) scribit: *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit... Qui plantat et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Si autem labor dicitur noster, certe nos ipsi domini sumus actionis quam laborando poni-

(1) V. Möhler Symbol. l. 1, c. 3, § 11 et 12.
(2) Deut. 26, 17. (3) Ps. 83, 11.
(4) Cf. Deut. 30, 19; Luc. 10, 42.
(5) Matth. 26, 10. (6) 1 Cor. 3, 6 etc.

mus. Marc. XVI, 20 de Apostolis dicitur: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis:* ubi observandum est, cum agitur de praedicatione, in qua requiritur opus humanum et liberum, dici: *Domino cooperante;* cum vero agitur de miraculis, quae non sunt in potestate hominum, sed fiunt a Deo per homines ut mera instrumenta, non dici *Domino cooperante*, sed *sermonem confirmante*, et sic ea simpliciter tribuuntur Deo, quia licet fiant per homines, tamen non pendent ex libero hominum arbitrio. Hac de causa non iubentur homines miracula patrare, iubentur autem opera pietatis exercere; imo etiam peccatores iubentur ad Deum converti, ex quo patet, ad hanc conversionem et ad illa opera pietatis praeter gratiam, liberi quoque arbitrii actum requiri. Sic Zac. I, 3 dicitur: *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos.* Ioël II, 12, etc.: *Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra*, etc. Isa. I, 16: *Quiescite agere perverse, discite benefacere.* Apostolus Phil. II, 12 scribit: *Itaque charissimi mei..... cum metu et tremore salutem vestram operamini:* I Tim. IV, 7 discipulum suum hortatur: *Exerce teipsum ad pietatem.* Similia monita et praecepta plurima in S. Scriptura leguntur, et praeclare probant, hominem etiam in actibus salutaribus liberum esse. Stultum enim esset imperare, aut suadere eiusmodi opera ei, qui non haberet arbitrii libertatem, et nonnisi aut concupiscentiae illecebris, aut invincibili vi gratiae ad augendum impelleretur.

2. *Ss. Patres* sicut necessitatem et efficaciam gratiae, ita etiam liberum hominis arbitrium in actibus salutaribus profitentur. *S. Ignatius M.* (1) ait: « Si quis pietati studet, Dei homo est: si quis vero impie agat, diaboli homo est; non id factus a natura, sed per animi arbitrium a sua ipsius voluntate. » *S. Irenaeus* (2) inquit: « Qui operantur illud (bonum), gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud; hi autem, qui illud non operantur, iudicium iustum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possent operari illud. » *Tertullianus* (3) ita ratiocinatur: « Non poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate; nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. » *Origenes* (4) dicit: « Definitum est ecclesiastica praedicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrii et potestatis.... nec nos necessitate cogi, aut agere recte vel male. » *S. Ambrosius* (5) scribit: « An verendum est, ne liberum tollere videamur arbitrium, cum omnia, per quae propitiatur Deus, ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequaquam esse consequens ostenditur. Operante enim Spiritu Dei iuvatur arbitrium, non aufertur. » Et alibi (6) ait: « Non servili ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitra, sive ad virtutem propendamus, sive ad culpam inclinemur. » *S. Hilarius* (7) haec habet: « Esse filios Dei, non necessitatem esse voluit, sed po-

(1) Ep. ad Magnes. n. 5.
(2) L. 4 c. haer. cap. 37, n. 1.
(3) L. 2 c. Marci. cap. 5.
(4) L. Periarch. in prooem. (5) Ep. 84.
(6) L. 1 de Iacob. et vit. beat. c. 1, n. 1.
(7) L. 1 de Trin. n. 11.

testatem. » *S. Gregorius Naz.* (1) in verba Christi (2): *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est,* ita disserit: « His verbis, *quibus datum est,* hoc adiunge, qui digni sunt, quique, ut tales sint, non modo a Patre acceperunt, sed sibi ipsis etiam dederunt.... Bonum enim, quod a natura proficiscitur, laudem non meretur: quod autem a libera voluntate animique instituto fluit, id laude dignum existimandum est. » *S. Gregorius Nyss.* (3) clare docet, nolle Deum per gratiam necessitatem inferre; illos enim, qui obiiciunt, « Deum posse, si vellet, eos etiam qui resistunt, necessario compellendo attrahere ad suscipiendam praedicationem, » refellit dicens: « Ubi est ergo in his liberum arbitrium? ubi est virtus? ubi est laus eorum, qui se recte gerunt?.... Ad quid enim (homo) sua utetur mente et cogitatione, si potestas eius eligendi, quod suo arbitratu constituit, sita est in alio? » *S. Ephraem* de vita spirit. (4) ait: « Libero arbitrio Deus homines donavit, unde praemia et supplicia ei sunt proposita; ac bene quidem certantibus honor et corona, transgressoribus autem et contemptoribus supplicia et tormenta. » *S. Chrysostomus* (5) de diluvii temporibus ita loquitur: « Sui iuris et arbitrii naturam nostram Dominus formavit. Unde enim, dic, oro, illi ad malitiam properabant, et seipsos poenis faciebant obnoxios; ille (Noë) autem virtutem eligebat, et fugiens eorum societatem poenae non obnoxius fuit? Nonne manifestum est, sua quemque voluntate vel malitiam eligere, vel virtutem? Nam nisi ita esset, et nisi naturae nostrae potestas (libere eligendi) insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutis praemia accipere oportebat. » Et hom. 14 in I Cor. n. 3 inquit: « Regnum coelorum adipisci possumus. Ideo te namque libero arbitrio praeditum fecit Deus: quoniam sic Deus voluit; ecce enim, inquit, ignem et aquam; ad quod volueris, extendas manum tuam, ut ne postea accuses quasi necessitate colligatus. » *S. Hieronymus* (6) ait: « Si Dei praecepta custodiens filius quis efficitur Dei: ergo non est natura filius, sed arbitrio suo. » — Ipse *S. Augustinus,* cuius auctoritate adversarii abutuntur, constanter docuit, per gratiam divinam nullam humanae voluntati necessitatem inferri. Lib. 2 de actis cum Felice Manichaeo cap. 4 ita disserit: « Audi ergo de libero arbitrio ipsum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti; audi dicentem: *Aut facite arborem bonam, et fructum eius bonum, aut facite arborem malam, et fructum eius malum* (7). Cum ergo dicit: aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest; sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere quae bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere quae mala sunt, et esse arbor mala. » - Epist. 157 ad Hilar. n. 10 scribit: « Liberum arbitrium non ideo tollitur quia iuvatur; sed ideo iuvatur, quia non tollitur. » Serm. 165 (al. 7) de verbis Apostoli contra Pelagianos n. 1 et 2 ad illa verba: *Peto.... det vobis,* inducit loquentem Paulum: « Quod peto a vobis, rogo, det vobis. Peto enim a vobis propter arbitrium voluntatis; rogo, det vobis propter auxilium maiestatis.... Quia, ut Deus velit dare, debes et tu ad accipiendum accommodare

(1) Or. 37 (al. 31), n. 15 etc.
(2) Matth. 19, 11. (3) Orat. Catech. c. 31.
(4) N. 93. (5) Hom. 22, in Genes. n. 1.
(6) Comment. in Matth. 5, 46.
(7) Matth. 12, 33.

voluntatem. Quomodo vis accipere gratiam divinae bonitatis, qui sinum non aperis voluntatis? » L. de Spir. et litt. cap. 30, n. 52 dicit: « Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? absit, sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio. » Denique *S. Augustinus* integrum librum *de gratia et libero arbitrio* ad refellendum exitiosum Calvini et Iansenii errorem scripsisse visus est. Sic porro scopum suum in hoc opere exarando ab ipso limine aperuit S. Doctor: « Quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut, quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere.... compellente mutua charitate, curavi. » — *S. Prosper* post responsiones ad capitula Gallorum veram *S. Augustini*, seu catholicam doctrinam quindecim sententiis proponit, quarum sexta ita sonat: « Qui dicit, quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum, sive ad malum praedestinatio Dei in hominibus operetur, non est catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, et ab errore in viam revocat ac reducit, ut quod sua libertate erat pravum, Spiritu Dei agente sit rectum. » *Theodoretus* (1) ait: « Deus omnia procul videt, non tamen infert necessitatem, ut virtutem hi exerceant, illi autem ut otiosam vitam agant. Etenim si ad utrumvis eorum ipse vim inferret, non iure vel hunc laudat et coronat, vel illum in supplicium decernit. » *S. Leo M.* (2) dicit: « Quamvis aedificium nostrum sine ope sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio praefuerit conditoris; tamen quia rationales lapides sumus, et viva materies, sic nos auctoris nostri extruxit manus, ut cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur. » *S. Gregorius M.* (3) ita disserit: « Praeveniente ergo gratia, et bona voluntate subsequente, hoc, quod Dei donum est, fit meritum nostrum. Quod bene Paulus brevi sententia explicat dicens: *Plus omnibus laboravi*, qui, ne suae videretur virtuti attribuere quod fecerat adiunxit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quia enim coelesti dono praeventus est, quasi alienum se a bono suo opere agnovit, dicens: *Non autem ego.* Sed quia, praevenientegratia, liberum in eo arbitrium fecerat bonum, quo libero arbitrio eandem gratiam est subsecutus in opere, adiunxit: *Sed gratia Dei mecum*, ac si diceret: In bono opere laboravi non ego, sed et ego. In eo enim, quod solo Domini dono praeventus sum, non ego; in eo autem, quod donum voluntate subsecutus, et ego » (4). *S. Bernardus* (5) liberum arbitrium dicit esse « habitum animi liberi sui, siquidem non cogitur, non extorquetur; est quippe voluntatis, non necessitatis.... Alioquin si compelli valet invitus, violentus est, non voluntarius, » et (6) subiungit: « Sic autem gratia cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo praeveniat, in caeteris comitetur; ad hoc utique praeveniens, ut iam sibi deinceps cooperetur. » In eodem demum libro exclamat: « Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur: tolle gratiam, non erit un-

(1) Comment. in Ep. ad Rom. cap. 8.
(2) Serm. 43 (al. 42) cap. 1.
(3) L. 1 in Ezech. Hom 9, n. 2.
(4) Cf. lib 16 Mor. c. 10.
(5) L. de gratia et lib. arb cap. 1, n. 2.
(6) Cap. 13.

de salvetur. » Ex his Ss. Patrum testimoniis, quibus alia § 199, n. 2, et § 217, n. 2 adiungi possunt, clare probatur, semper ubique, et ab omnibus creditum esse, per gratiam efficacem liberum arbitrium nullatenus tolli.

3. *Ecclesia* semper credidit et docuit, hominem in actibus salutaribus liberum esse, et contrarium sentientes damnavit. Concilium *Arausicanum II* necessitatem gratiae praevenientis strenue contra Semipelagianos propugnavit: ut autem Semipelanorum errori non videretur favere, in fine addidit: *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati (Christo auxiliante et cooperante), quae ad salutem pertinent, possint et debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere. Aliquos vero ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoc etiam salubriter profitemur, et credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, et postea per Dei misericordiam adiuvamur.* Quibus verbis declaratur, etiam liberum arbitrium a gratia motum et excitatum, *fideliter laborare* debere: et insuper Christus *auxiliari, cooperari, adiuvare* dicitur; ex quo recte infertur, iuxta mentem Concilii liberum arbitrium vere existere, cui a Christo auxilium praestetur; et illud vere operari, cui Christus cooperetur. Clarissime autem doctrinam catholicam proposuit Concilium *Tridentinum*, quod sess. VI, cap. 5 declarat, adultos *per Dei excitantem, et adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando*, dispon: *ita ut tangente Deo, cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Et sententiam Reformatorum condemnans sess. VI, can. 4 dicit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti et vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet; neque posse dissentire, si velit; sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.* Et cum, non obstante hac definitione, *Iansenius* contrariam sententiam defenderet; sedes Apostolica, universa Ecclesia assentiente, damnavit sequentem propositionem inter Iansenianas tertiam: « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione: » et cum haec propositio damnata sit *ut haeretica*, necessario concludendum est, dogma catholicum esse, quod ad merendum et demerendum non sufficiat libertas a coactione, sed requiratur libertas a necessitate, seu vera libertas indifferentiae. Certum vero est, opera meritoria dari, quod inferius probabitur, et ab ipso Iansenio non negatur: ergo gratia efficax, cum qua illa peraguntur, necessitatem non infert, seu non tollit liberum arbitrium. — Fides Ecclesiae etiam ex aliis propositionibus damnatis cognosci potest. Sic damnatae sunt sequentes *Baii* propositiones: 39ma « Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. 66ta Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. » Huc etiam spe-

ctant *Quesnellii* propositiones: « 10ma Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare. 11ma Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei iubentis et facientis quod iubet. »

4. *Ex sensu intimo*, etiam dum recte agimus, libertatis nostrae tam certi efficimur, ut oleum et operam perderet, qui contra luculentissimum conscientiae nostrae testimonium pugnaret. Sensum autem intimum, a Deo ipso cuilibet homini inditum veritatis testem esse, nemo negabit, nisi qui putidum scepticismum profitetur (1).

Nota 1. Difficultates, quae dogmati catholico de libero hominis arbitrio opponi solent, iam alibi (§ 199 nota 2) solutae sunt. Nonnullae tamen obiectiones, quae ex proposita de efficacia gratiae doctrina ab adversariis eruuntur, in specie hic refellendae sunt.

Obi. I. Io. VI, 44 Christus dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Porro trahere non significat motionem liberam, sed necessariam. Insipidum enim esset, de illo, qui vi in carcerem trahitur, dicere, quod libere illuc progrediatur. Igitur etiam homines, dum gratia efficaci ad bonum trahuntur, liberi non sunt.

Resp. Trahi potest homo physice et moraliter, sed tractum physicum cum morali confundere non licet. In illo, qui per vim physicam invitus trahitur, manet libertas a necessitate, et deest libertas a coactione: hoc idem ergo, si paritas adducta valeret, de actibus bonis per gratiam efficacem positis dicendum foret, quod tamen ipsi adversarii non admittunt, cum potius contrarium asserant. Aliter ergo tractus moralis est intelligendus. Trahuntur enim homines moraliter etiam ab aliis hominibus seu impelluntur precibus, suasionibus, promissionibus, aliisque propositis motivis ad actiones quasdam, quin ideo eorum libertas tollatur, vel minuatur. Multo ergo efficacius, certiusque Deus, omnipotentia, et infinita sapientia praeditus homines per gratiam suam ita trahere, seu ad actus bonos inducere potest, ut eorum libertas nec tollatur, nec minuatur. Christus ergo, cum homines a Patre trahi dicit, nullatenus necessitatem hisce illatam adstruit, sed solum efficaciam gratiae praedicat, quae modo naturae humanae consentaneo operatur, et sine libertatis laesione effectum certo sortitur. Ipse S. *Augustinus* (2) eandem obiectionem solvens dicit: « Noli te cogitare invitum trahi: trahitur animus et amore... Porro si poëtae dicere licuit: *trahit sua quemque voluptas;* non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio; quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est. » Et ibid. (3) addit: « Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo. »

Obi. II. Paulus docet, in actibus salutaribus solum Deum operari. I Cor XII, 6 scribit: *Deus operatur omnia in omnibus.* Ephes. I, 11: Deus *operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Phil. II, 13: Deus est, *qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.* Gratia igitur Christi nullam in homine actionem relinquit, qui passive omnino se habet sub ipsius potentia et actione.

Resp. Deus qui est omnium creator, conservator et gubernator, rectis-

(1) Cf. § 199, n. 3 et 4.

(2) Tract. 26 in Ioan. n. 4. (3) N. 7.

sime dicitur operari omnia in omnibus. Ast Deus sapientissime omnia modo naturae agentium consentaneo gubernat (§ 258 etc.). Cum autem Deus *secundum consilium voluntatis suae* in actibus suis liberos homines esse velit (§ 201 etc.) etiam per gratiam suam ita operatur in nobis, ut liberum arbitrium non tollat, aut destruat, sed adiuvet et perficiat. Operatio ergo divina liberi arbitrii cooperationem, seu liberam hominis actionem non excludit: « Non enim, ait *S. Augustinus*, quia dixit (Apostolus) *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate,* ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, superius non dixisset: *Cum metu, et tremore vestram ipsorum salutem operamini* » (1).

Obi. III. *S. Augustinus* lib. I op. imperf. (2) definitionem libertatis, quam Iulianus ita statuerat: «Liberum non est, nisi quod duo potest velle bonum et malum, » his verbis impugnat: « Si liberum non est, nisi quod duo potest velle, idest bonum et malum; liber Deus non est, qui malum non potest velle, de quo ipse dixisti, Deus esse, nisi iustus non potest: siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? » Ergo iuxta *S. Augustinum* ad liberum arbitrium non pertinet libertas indifferentiae. Idcirco idem S. Doctor Serm. 156 (3) aperte profitetur, nos gratia excitatos non agere, sed agi.

Resp. Quia Iulianus, ut scribit *S. Augustinus* (4), amabat «Dialecticorum quasi iaculis oneratus in certamen procedere, » ideo illum tanquam ineptum Dialecticum explodit S. Doctor, quod definitionem liberi arbitrii statuisset, quae non omnibus liberum arbitrium habentibus, nimirum Deo et beatis, convenit. Ostendit igitur *S. Augustinus*, libertatem divinam, et libertatem humanam confundendam non esse: Deus enim infinitus, in actibus externis ab omni coactione, et ab interna necessitate maxime immunis, ac ideo liberrimus est, et a bono deficere, seu peccare omnino non potest: hominis autem libertas equidem etiam immunitatem tum a coactione, tum a necessitate requirit; homo autem, quia finitus est, a bono deficere et peccare potest: ac ideo non in Deo, sed solum in homine libertas indifferentiae in eo constitit, ut duo possit velle, bonum et malum. Haec est constans *S. Augustini* doctrina. Quamvis ergo S. Doctor Deum et Beatos liberos esse asseruerit, licet peccare non possint; nequaquam tamen ex eo intulit, homines quoque viatores, liberos fore, meriti et demeriti capaces, licet unum tantum ex duobus velle possent. In eodem enim libro in quo *Iuliani* definitionem reiecit (5), docet, « hominem, ex quo incipit uti voluntatis arbitrio, et peccare et non peccare posse: » et (6) contra definitiones et argumenta, quibus evincere se putabat *Iulianus*, esse etiam in homine potestatem actus boni et meritorii, responsio *Augustini* alia non fuit, quam, non negare se liberum arbitrium, sed dicere, quod esset in homine per Filium Dei liberantem: dixisse se tantum, neminem esse liberum ad bene operandum sine adiutorio Dei. Clarissime etiam S. Doctor mentem suam aperit tum in locis supra citatis, tum lib. de spir. et litt. cap. 3, ubi de libertate indifferentiae disserens dicit: « Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod

(1) Cf. de grat. et lib. arb. c. 9.
(2) N. 100. (3) N. 11.
(4) L. 3, c. Iulian. cap. 7.
(5) N. 98. (6) N. 74.

si vult facit, si non vult non facit. » Impudenter denique nobis obiiciuntur verba *S. Augustini* ex Serm. 156 (1), quasi docuisset, homines per gratiam excitatos non agere, sed agi. Si integer textus perpendatur, facile cognoscitur, iuxta mentem S. Doctoris hominem per gratiam excitatum et adiutum vere agere ; ait enim l. c.: « Dicit mihi aliquis: ergo agimur, non agimus. — Respondeo, imo et agis, et ageris, et tunc bene agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agenti adiutor est tibi. Ipsum nomen adiutoris praescribit, quia et tu ipse aliquid agis. Agnosce, quid poscas; agnosce, quid confitearis, quando dicis : *Adiutor meus esto, ne derelinquas me!* Adiutorem utique invocas Deum. Nemo adiuvatur si ab illo nihil agatur . . . . . Si non esses operator, ille non esset cooperator. »

Nota 2. Teste *S. Augustino* pluribus in locis (2), fuit hoc falsum Pelagianorum principium, nullam esse in voluntate veri nominis libertatem, nisi voluntas tanta ad bonum aeque ac ad malum indifferentia polleat, ut veluti in aequilibrio quodam constituta sit. Sed hoc aequilibrium ut figmentum et delirium explosit S. Doctor ; nam l. III, op. imperf. (3) ita Iulianum alloquitur: « Libra tua, quam conaris ex utraque parte per aequalia momenta suspendere, ut voluntas, quantum esset ad malum, tantum etiam sit ad bonum libera, urgendo in unam partem, te indicat delirantem. » Et *S. Prosper* in Epist. ad Augustin. n. 4 inter Semipelagianorum errores hoc etiam aequilibrium recenset scribens : « Et consequens putant, ut.... quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum, parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala sectantem damnatio iusta suscipiat. »— Ipsa sana ratio dictat, indigitatum aequilibrium ad essentiam libertatis neutiquam pertinere. Quis enim negaverit, esse in homine rationis compote veram libertatem se ex alta turri praecipitandi, vel lento igne comburendi, vel alio quovis modo sibi mortem consciscendi ? et tamen quis unquam somniaverit, esse in illo aequalem propensionem, seu indifferentiam sive ad vitam conservandam, sive ad eandem sponte perdendam ? — Iuxta communem et certam Theologorum et Philosophorum sententiam, homo per motiva ad agendum incitatur, non autem necessitatur, et liber manet, licet pro una parte fortissima militent motiva, et pro altera nonnisi pauca et debilia inveniantur (§ 41, n. 2). Ita pariter homo liber manet, quamvis vel per gratiam efficacem ad bonum excitetur, vel per vehementem concupiscentiam ad malum alliciatur. Certum est enim, in quolibet homine veram esse libertatem, et veram non peccandi potentiam : atqui nemo finget, esse in peccatoribus excaecatis et obduratis aequalem sive peccandi, sive bonum operandi indifferentiam, cum ad malum pravis suis consuetudinibus *quasi* violenter inclinentur, a bono autem quadam morali impotentia retardentur. Idem ex opposito dicendum est de iustis, qui bonis et sanctis habitibus, eo tandem perveniunt, ut multa facilitate bonum operentur, incredibili autem horrore aversentur malum ; nec tamen iis ademptam libertatem bene vel male agendi quisquam somniabit. Neque dici potest, supernaturalem gratiam ita conferri,

(1) N. 11 2) L. 3, op. imperf. n. 110, et n. 117 et Epist. 186 (al. 106), c. 10, et alibi.

(3) N. 177.

ut liberum arbitrium in aequilibrio servetur, et aequales essent in voluntate gratiae vel consentiendi, vel non consentiendi vires. Magna quippe exinde sequerentur absurda: cum enim iuxta dogma catholicum in omnibus hominibus ratione utentibus vera adsit libertas, necesse foret, ut in omnibus praedictum quoque aequilibrium inveniretur, ac ideo aequales essent, ut tentationi resistat, vires in homine iusto, ac in peccatore, in idololatra, pagano etc. Igitur quo magis voluntas in peccatis obdurabitur, eo magis Deus debebit gratiae suae dona multiplicare, ne scilicet, aequilibrio sublato, voluntas necessario inclinetur ad malum. E contra Deus a gratiis abundantioribus homini iusto et sancto concedendis debebit abstinere, ne iterum, aequilibrio sublato, ipsa quoque libertas in actibus bonis intercipiatur. Nulla porro causa erit, cur homines iusti a Deo augmentum gratiae petant: si enim aucta gratia vires voluntatis non augentur, sed semper remanent in aequilibrio, frustra Deum rogamus, ut maiora gratiarum suarum dona nobis largiatur; quod quam absurdum sit, nemo non videt. — *S. Thomas* equidem 1, q. 83, art. 2 docet, « liberum arbitrium indifferenter se habere ad bene agendum vel male; » et q. 24 de verit. art. 4 ad 1 inquit: « Liberum arbitrium, quantum est de se, non inclinatur in unum magis, quam in aliud. » Sed haec dicit S. Doctor de libero arbitrio per se et nude sumpto, seu in sua essentia ita considerato, ut ab omnibus motivis, et causis ipsum afficientibus abstrahatur: porro autem idem Angelicus docet, per motiva, quae intellectus proponit, hoc aequilibrium tolli, et voluntatem in unam vel alteram partem inclinari, quin ideo liberum arbitrium destruatur vel minuatur. Atque ita iuxta S. Thomae doctrinam etiam gratia praedictum aequilibrium tollit, nostram voluntatem inclinans, et determinans ad bonum; nec tamen tollitur libertas, quae in praefato aequilibrio non consistit, sed consistit in eo, ut voluntas ita unum amplectatur, ut possit etiam velle contrarium (1).

(1) Cf. Gazzaniga de Gratia, P. I. Append. ad Diss. 4. Berti in August. system. vindic. Diss. 4, cap. 1 § 7.

III. *Datur gratia inefficax seu sufficiens.*

§ 427. Sicuti certum est, dari gratiam efficacem, quae cum salutari, ad quem a Deo conceditur, effectu coniuncta est; ita pariter certum est, non omnem gratiam in hoc sensu efficacem esse, sed dari etiam gratiam internam, cui ab humana voluntate resistitur, et quae ideo cum salutari, ad quem a Deo conceditur, effectu coniuncta non est. — Huiusmodi gratiam Theologi inefficacem appellare solent, quia, licet pios in animis motus excitet, salutarem tamen, ad quem a Deo conceditur, effectum non sortitur: alio autem nomine *gratia sufficiens* vocatur, quia veram homini potentiam ad actum salutarem tribuit, qui tamen ex culpa hominis, seu ob humanae voluntatis resistentiam, non sequitur. — Talem gratiam internam dari omnes negant, quicunque liberum hominis arbitrium non admittunt; ex negata enim hominis libertate sequitur, humanam voluntatem gratiae resistere non posse. Ideo Novatores, qui gratiae internae vim tribuunt invincibilem, cui voluntas reluctari non possit, gratiam sufficientem prorsus repudiant. « Deus, ait *Calvinus* (2), voluntatem movet non qualiter mul-

(2) L. 2 Instit. c. 13. n. 10.

tis saeculis traditum est et creditum, ut nostrae postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficiendo. Illud ergo toties a *Chrysostomo* repetitum repudiari necesse est: *Quem trahit (gratia), volentem trahit.* » Sic et *Synodus Dordracena* inquit: « Distinctio illa gratiae in sufficientem, et efficacem minime nobis probatur. Retineant eam sibi *Bellarminus* et *Arminius:* quoscunque enim Spiritus sanctus trahit, illis non tantum dat posse currere, sed etiam ut reipsa currant. » Calvini vestigia pressit *Iansenius* docens, quod interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistatur. Distinctionem equidem in gratiam efficacem et inefficacem admittere videtur; sed per inefficacem, quam etiam parvam et imperfectam vocat, eam intelligit, quae boni complacentiam, vel desiderium inefficax inspirat, propter quod solum datur a Deo, et in iisdem circumstantiis, in quibus datur, non potest plenum effectum, nec alium habere propter maiorem concupiscentiae delectationem: ex quo infert, quod etiam huic gratiae non resistatur, quia proprie resistere gratiae est eam frustrare effectu, quem habere potest in iis circumstantiis, in quibus datur. Gratia ergo sufficiens a Iansenio penitus negatur; quapropter l. III de gratia Chr. (1) ita loquitur: « Nullum igitur iamiam dari hominibus lapsis adiutorium sufficiens, quin sit simul efficax, in *Augustini* principiis exploratum est. » Et ibid. (2) ait: « Sed utrumlibet fiat (id est, sive a terrena, sive a coelesti delectatione homo vincatur), non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem possit sequi, nisi eius inefficacia per aliam suppleatur. »

(1) Cap. I (2) L. 4, c. 10.

— Iansenii discipuli quidem haud recusant gratiam *sufficientem* admittere, quae potentiam ad actum salutarem tribuat, et cui humana voluntas resistere possit; ast hac in re verbis ad fallendum compositis utuntur. Nam *potentiae* nomine intelligunt potentiam absolutam duntaxat, et abstractam a praesentibus subiecti circumstantiis et dispositionibus, non vero relativam, et ad illas circumstantias comparatam. Concedunt igitur gratiam sufficientem, quae talis sit *absolute*, seu quae secundum se spectata aliquando potentiam ad actum salutarem concedat; negant vero gratiam sufficientem *relative* ad subiecti circumstantias: et ita pariter admittunt, humanam voluntatem posse gratiae resistere vel obtemperare, si gratia absolute, seu praecise secundum se spectetur, non autem si consideretur relative ad subiecti circumstantias; ex quibus patet, quod Ianseniani verbis quidem Catholicorum sententiae appropinquare videantur, reipsa autem a magistri sui erroribus non recedant. — His iam opponimus dogma catholicum, quod dicit dari gratiam sufficientem, quae veram homini potentiam ad actum salutarem tribuit, qui autem ob humanae voluntatis resistentiam non ponitur. Ad omnem vero tergiversationibus Ianseniorum viam praecludendam Theologi doctrinam catholicam his verbis concipere solent: datur in praesenti statu gratia mere, et vere sufficiens, quae homini completam, et relative ad praesentes eius circumstantias expeditam ad actus bonos eliciendos facultatem tribuit, quae inutilis redditur ex humanae voluntatis resistentia. Dogma catholicum *ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus,* atque *ex Ecclesiae definitionibus* probatur.

1. *S. Scriptura V. et N. T.* pro dogmate catholico sat luculenta testimonia refert. Isa. V, 4 Deus infidelitatem et contumaciam Iudaeorum increpans, ait: *Iudicate inter me, et vineam meam: quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?* quibus verbis Deus queritur, se fecisse quod debuit, et nihil ex parte suae bonitatis et misericordiae defuisse, quominus populus iudaicus bene ageret, et converteretur, qui tamen conversus non est, et pessime egit. Quodsi Iudaeis nihil defuit ex parte Dei; gratias ergo sufficientes acceperunt, quibus muniti potentiam completam et expeditam relative ad praesentes eorum circumstantias habuerunt: alias falso Deus diceret, nihil eis defuisse ex sua parte, si eis defuisset potentia illa relative completa; ac frustra bonos fructus poenitentiae exspectasset, si vires ad istos producendos pares gratia ipsis non suppeditasset. Dantur ergo gratiae in sensu declarato sufficientes, quae ex humanae voluntatis resistentia inutiles redduntur. Isa. LII, 2, et Rom. X, 21 Deus dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem:* quibus verbis Iudaei de sua infidelitate arguuntur, et maxime culpabiles declarantur, quia Deus tota die ad ipsos manus expandit, id est, eis gratias exteriores et interiores concessit, quibus fidem concipere, et poenitentiam agere potuissent, nisi contradixissent, seu perversa voluntate restitissent. Prov. I, 24, etc. Deus ait: *Vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis advenerit:* ubi vocatio, extensio manuum, consilium Dei etiam intus pulsantis gratiam vere et relative sufficientem indicant: humanae autem voluntatis resistentiam manifestant verba: *renuistis, despexistis, neglexistis:* ergo homines Deo vocanti, et gratias suas offerenti resistere possunt; et ideo interitu ac maximis poenis digni declarantur. Tam gravis autem increpatio et obiurgatio esset iniqua, si illi, qui obiurgantur, non habuissent gratiam interiorem vere sufficientem, sine qua Deo vocanti obsequi non poterant, et quae effectu ad quem data est, caruit ex liberae voluntatis culpa. Ps. XCIV, 8 David exclamat: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra:* quod monitum inutile et absonum esset, si homines non possent voci divinae aures obdurare, seu gratiae resistere, sed necessario aut terrenam, aut coelestem delectationem sequerentur. Matthaei XI, 20, etc. de Christo Domino legitur: *Tunc coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes eius, quia non egissent poenitentiam. Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die iudicii, quam vobis.* Poterant ergo incolae Corozain et Bethsaidae poenitentiam agere, et converti, ipsique soli in causa erant, quare revera non sint conversi, eapropter quoque poenam daturi. Non poterant autem poenitentiam agere sine gratia interna, eaque vere et relative sufficiente ad concupiscentiam oppositam: quapropter haec ipsis deesse non poterat. Matth. XXIII, 37, etc. Christus exclamat: *Ierusalem, Ierusalem... quoties volui congregare fi-*

lios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: ergo Iudaei in statu quo erant, habuerunt gratiam internam vere sufficientem ad credendum Christo, cui tamen ex propria malitia, maxima poena digna, credere noluerunt: alioquin haec Christi exclamatio esset vana et illusoria, falsaque essent haec verba: *quoties volui, et noluisti*, quibus benigna Dei voluntas perversae Iudaeorum voluntati directe opponitur. Act. VII, 51 Stephanus plenus Spiritu sancto sic Iudaeos increpat: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis; sicut patres vestri, ita et vos:* quibus verbis S. Diaconus Iudaeos publice arguit, ipsos gratias Spiritus sancti externas et internas, ad ipsorum conversionem et salutem ordinatas, sua obstinatione et pervicacia inanes et frustraneas reddere. S. Paulus, sicuti efficaciam gratiae maxime extollit, ita etiam clarissime docet, liberum hominis arbitrium gratiae, ad ipsius salutem ordinatae, resistere, magnumque idec culpae et poenae reatum contrahere posse. Hac de causa (1) dicit: *Benignitas Dei ad poenitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram.* Benignitas Dei perperam praedicaretur, si gratias ad hominis conversionem vere et relative sufficientes non concederet; et hominis duritia, et impoenitentia haud iuste increparetur, si ipse gratiae obtemperare non posset; sed per fortiorem concupiscentiam necessario in malum abriperetur. II Cor. VI, 1 Apostolus fideles monet: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Gratiam in vacuum recipere, est eam effectu, quem habere potest, frustrare: unde S. *Thomas* in h. l. scribit: « Hortatur Apostolus, ne receptio gratiae sit inutilis et vacua: quod tunc contingit, quando ex perceptione gratiae quis non sentit fructum, qui duplex est, scilicet remissio peccatorum, et ut homo iuste vivendo perveniat ad gloriam coelestem. » Ipsa ergo Apostoli admonitio manifeste ostendit, hominem gratiam in vacuum recipere, ei resistere, et sic eam effectu, ad quem a Deo conceditur, frustrare posse. Hoc idem probant verba Apostoli I Thess. V, 19, *Spiritum nolite extinguere:* Spiritum enim extinguere est repellere, seu impedire bonum pietatis motum, quem Spiritus sanctus in hominum cordibus excitat: ita citata verba exponit S. *Thomas* (2), dicens: « Spiritus sanctus est persona divina, incorruptibilis et aeterna, unde in sua substantia extingui non potest: sed tamen dicitur quis extinguere Spiritum, uno modo fervorem eius extinguendo vel in se, vel in alio; cum enim aliquis aliquid boni ex fervore Spiritus sancti vult facere, vel etiam cum aliquis bonus motus surgit, et ipse impedit, extinguit Spiritum sanctum. » Apoc. III, 20 Deus dicit: *Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo, et ipse mecum.* Ex quibus verbis patet, frequenter Deum ad ostium cordis pulsare per internas gratiae sufficientis illustrationes, ac pias excitationes voluntatis. Salutaris autem effectus, ad quem istae gratiae operationes diriguntur, non absolute praenuntiatur, sed sub conditione, *si quis audierit vocem meam;* ex quo patet, saepe quidem huiusmodi gratiae motionibus hominem resistere et reluctari, sed tamen posse eundem, his adiutum

(1) Rom. 2, 4.

(2) Lect. 2 in 1 Thess. cap. 5

gratiae subsidiis, Deo pulsanti aperire, non ea dumtaxat absoluta et abstracta, quam Ianseniani fingunt, potestate, sed relativa ad eas ipsas circumstantias, in quibus Christus stat ad ostium et pulsat. Neque hic locus cum *Estio*, quem sequuntur Ianseniani, de adventu Christi in fine vitae exponi potest. Nam de pulsatione, quae fit per gratiam sermonem esse, apparet ex contextu, quia sermo est de tepidi conversione, quae non impossibilis, sed facilis ostenditur, quia Deus stat ad ostium et pulsat. Neque Christus dicit: Stabo ad ostium, et pulsabo, sed: *Sto ad ostium, et pulso.*

2. *Ss. Patres* constanti consensu docent, hominem gratiae divinae obtemperare et resistere posse, eumque magnum culpae et poenae reatum incurrere, si gratiam divinam inutilem reddat. *S. Irenaeus* adv. haer. (1) scribit: « Aliud est quod ait: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti?* veterem legem libertatis hominis manifestavit, quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam ad utendum vocatione Dei voluntarie, et non coactum a Deo. Vis enim a Deo non fit, sed bona vocatio adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus, posuit autem in homine potestatem electionis. » Et ibid. (2) inquit: « Dei manus tuam substantiam formavit; ipsa te intus, et foris mundissimo auro et argento vestiet, ac ita ornabit, ut ipse Rex concupiscat decorem tuum..... Quodsi te ipsi per fidem, et obedientiam committas, ipsius artem consecutus perfectum Dei opus fies. Si autem in ipsum non credis, et te eius manui subtrahis; causa imperfectionis in te erit, qui non obedivisti, et non in illo, qui vocavit te. Misit enim servos suos, ut vocarent ad nuptias, et illi, qui nolebant venire, seipsos regio convivio privarunt. Haud ergo divina ars manca est, quoniam potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae: sed qui illius non fit particeps, sibi ipsi suae imperfectionis causa existit. » *S. Cyrillus Hier.* (3) inquit: « Quacunque gratia donetur homo, sibi semper liberum est vel assentiri, vel reiicere. » *S. Chrysostomus* (4), disserens de Iudaeorum obstinatione, et Gentium conversione, ait: « Ostendens id quod factum fuerat non ex sola Dei gratia esse, sed etiam ex accedentium voluntate, audi quid adiiciat. Ad Israëlem vero dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem:* diem hic totum praeteritum tempus dicit; expandere manus, vocare, attrahere et exhortari significat. Deinde ostendens totum crimen eorum esse, ait, ad populum non credentem et contradicentem. Vide quanta sit accusatio! Hi ne quidem vocanti obsecuti sunt, sed et contradixerunt non semel, non bis, non ter, sed omni tempore, dum haec facientem viderent. » Idem (5) inquit: « Non vi et necessitate quadam Deus bonos facere consuevit; neque electio eius violenta est, sed suasoria: ut enim intelligas, non cogere vocationem, multos vocatos perire continget. » — Ast Patres graecos suae sententiae adversari, ipse Iansenius fassus est: verum etiam Patres latini ab eius erroribus longissime distant. *S. Ambrosius* (6) ait: « Numquid si quis ostia domus suae claudit, solis est culpa, quod non illuminet domum eius? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis obse-

(1) L. 4, cap. 27 al. 71.
(2) Cap. 39 al. 75 etc. (3) Procatech. n. 17.
(4) Hom. 18 in Ep. ad Rom. n. 2 etc.
(5) Hom. 46 in Io.
(6) Serm. 19 in Ps. 118, n. 4.

randam mentem propriam iudicaverit, et Verbi a se splendorem stultus avertat, ac sibi inferat insipientiae caecitatem, causari poterit, quod sol iustitiae noluerit intrare, aut infirmitatem luminis coelestis arguere? » — Si autem ex mente S. Ambrosii infirmitas gratiae argui nunquam potest, necesse est, in ea vires pares et aequales agnoscere ad oppositam cupiditatem vincendam, et Dei mandatum observandum. *S. Hieronymus* (1) exclamat: « O infelicissimum humanum genus! qui peccata excusamus dicentes: victus sum a natura: cum in potestate nostra sit et peccare, et Domino adiuvante non peccare. » Et Comment. in Isa. ad illa (2) verba: *Nunc ostendam, quid ego faciam vineae meae;* observat, haec ad animam pertinere, quam Deus gratia sua excolit primum, tum fructus, quos sperabat, non ferentem, deserit: « Cuncta, inquit, quae dicuntur de vinea, possunt et ad animae humanae referri statum, quae a Deo plantata in bonum non uvas attulerit, sed labruscas. » Ipsemet *S. Augustinus*, cuius auctoritate abutitur Iansenius, multis in locis talem gratiam adstruit, quae sufficit, ut vocatus veniat, et quae tamen respuitur. Sic lib. LXXXIII Quaest. (3) dicit: « Ad illam coenam, quam Dominus dicit in Evangelio praeparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt; nec illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur..... Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate... Propterea etsi quisquam sibi tribuit, quod vocatus venit, non potest sibi tribuere, quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum praemii, ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit. » Lib. I ad Simplic. (4) ait: « Nemo credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus: » quam sententiam expendens ita de Esau loquitur: « Noluit ergo Esau, et non cucurrit; sed si voluisset et cucurrisset, Dei adiutorio pervenisset; qui etiam velle et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. » Ibidem (5) S. Doctor aperte negat, omnem gratiam efficacem esse, dicens: « Sed si vocatio ista ita est effectrix bonae voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur; quomodo verum erit: *multi vocati, pauci electi?* » — Lib. III de lib. arb. (6) haec habet: « Ex eo quod non accepit, nullus reus est; ex eo autem, quod non facit quod debet, iuste reus est. Debet autem, si accepit et voluntatem liberam et sufficientissimam facultatem. » Non potuit sane S. Pater clarius eloqui gratiae parem et plane sufficientem virtutem ad legem divinam explendam. Imo *S. Augustinus* aperte docet, homines bene vel male uti libero arbitrio, eosque, qui gratiae resistunt, gravissimas poenas mereri. Lib. de Spir. et litt. cap. 33 scribit: « Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, iustissime iudicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum eius Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt; verum seipsos fraudant magno et summo bono, malisque poenalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. » Ca-

(1) In Ps. 140. (2) Capitis 5.
(3) Q. 68. (4) Q. 2. (5) N. 13.
(6) C. 16 n. 45.

pite 34, rursus exponit S. Doctor, quomodo Deus per gratiam operetur in homine velle credere, et quomodo consentire, vel dissentire sit voluntatis hominis. « Visorum suasionibus agit Deus ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes..... sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire propriae voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat..... profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia eius praevenit nos: consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est. » Nihil profecto clarius a S. Doctore proferri potuit. S. *Prosper*, seu Auctor libri *De vocatione Gentilium* (1), postquam dixit, hominem habere de sua mutabilitate si deficit, de gratiae opitulatione si proficit, addit: « Hanc opitulationem per innumeros modos sive occultos, sive manifestos omnibus adhiberi; et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae; quod vero a multis suscipitur, et gratiae est divinae, et voluntatis humanae. » S. *Fulgentius* (2) inquit: « Homo tanti medicaminis (poenitentiae) beneficio caret, cuius gratiam contumax, atque ingratus oppugnat. » S. *Leo M.* Serm. 43 (3), c. 1, cum dixisset, cum gratia liberum arbitrium cooperari, istud monitum adiungit: « Gratiae igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo bona esse non potest, deficiat, ac si quid sit impossibile, aut arduum in mandatorum effectibus experitur, sed ad iubentem recurrat, qui ideo dat praeceptum, ut excitet desiderium, et praestet auxilium. »

(1) Lib. 2, c. 26.
(2) L. de incarn. et grat c. 17.

S. *Gregorius M.* (4) ita de reprobis loquitur: « Idcirco nequaquam coelestis patriae praemia percipiunt, quia ea nunc, cum promereri poterant, contempserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens a terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur... Bonum quippe, quod agimus, et Dei est et nostrum; Dei per praevenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, unde ei gratias in aeternum agimus? rursum si nostrum non est, unde nobis retribui praemia speramus? quia ergo non immerito gratias agimus, scimus quod eius munere praevenimur; et rursum quia non immerito retributionem quaerimus, scimus, quod, obsequente libero arbitrio, bona elegimus, quae agere mus. » S. *Bernardus* (5) de triplici custodia inquit: « Omnes nobis causamur deesse gratiam; sed iustius forsitan ipsa queratur gratia, deesse nonnullos. »

3. *Ecclesiae definitiones* adversariorum errores penitus conterunt. Concilium *Arausicanum II* definivit: *Hoc secundum fidem catholicam credimus quod, accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, et possint, et debeant si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quomodo vero possent ea adimplere, quomodo fideliter laborare si gratiam vel non haberent, vel imparem ac viribus insufficientem tum ad divina praecepta implenda, tum etiam ad implorandum auxilium quo impleantur? — Ergo iuxta citatum Concilium datur gratia vere sufficiens, cui humana voluntas resistere potest. Idem docet Concilium *Tri*

(3) Al. 42. (4) L. 33, Mor. n. 39 etc.
(5) Serm. de divers. 18.

dentinum; nam Sess. VI, cap. 5 ait: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, homo inspirationem illam recipiens, illam et abiicere potest;* et cap. 11 : *Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur;* et cap. 13: *Deus, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere:* ubi adiecta conditio, *nisi ipsi illius gratiae defuerint*, satis indicat, subinde contingere, ut homines gratiae divinae quoad consensum desint, et resistant. Idem Concilium ibid. can. 4 definit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari Deo excitanti, atque vocanti.... neque posse dissentire si velit... anathema sit:* et can. 6: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere... anathema sit. Innocentius X*, toto orbe catholico suffragante, sequentes damnavit *Iansenii* propositiones ut haereticas: primam, quae ita sonat: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. » Sed gratia, qua possibilia fiunt divina mandata, nec tamen observantur a iustis, est gratia mere et vere sufficiens; ergo de fide est dari in praesenti statu talem gratiam. Altera Iansenii propositio est: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur. » De fide pronde est, in praesenti statu dari gratiam cui resistitur; talis autem est gratia mere ac vere sufficiens. Hoc idem confirmatur ex damnatis a *Clemente XI* propositionibus *Quesnellii*, dogmati catholico oppositis. Censura enim inuruntur sequentes propositiones: 9ª « Gratia Christi est gratia suprema, sine qua Christum confiteri nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus. 10ma Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare. 11ma Gratia non est aliud quam voluntas omnipotentis Dei iubentis, et facientis quod iubet. 12ma Quando Deus vult salvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. 13ª Quando Deus vult animam salvam facere et eam tangit interiori gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit. » Eiusdem fere tenoris sunt sequentes *Quesnellii* propositiones usque ad 25am. Ex istarum autem propositionum damnatione, quaenam his opposita genuina sit doctrina catholica, facile dignoscitur.

Nota 1. Audienda et refellenda supersunt argumenta, quibus adversarii sua placita probare, et doctrinam catholicam impugnare nituntur.

Obi. I. Gratia *sufficiens* nullibi in Ss. Bibliis commemoratur: perperam ergo eius existentia asseritur.

Resp. Etiam nomen gratiae *efficacis* nullibi in S. Scriptura occurrit, et nihilominus illam adversarii asserunt et defendunt: eodem ergo iure etiam Catholici gratiam *sufficientem* propugnant. Quamvis enim nomen gratiae sufficientis non reperiatur in Scripturis, res tamen per illud significata habetur in Scriptura et Traditione, quod ex allatis argumentis patet: et hoc sane sufficit: quis enim nesciat, nova subinde nomina ab Ecclesia fuisse adhibita ad melius exprimendas res fidei iam olim creditas? — Notandum porro est, quod gratia *sufficiens*, etymologice considerata, ea sit, quae voluntati subministrat vires pares et proportionatas effectui bono, ad quem proxime movet, et quem

Deus ultimato intendit, producendo: et in hoc sensu etiam gratia *efficax* in ipsa S. Scriptura *sufficiens* vocatur, Deo ipso (1) dicente ad Paulum: *Sufficit tibi gratia mea.* Et sane quidquid est efficax, est etiam sufficiens, quia non potest causa efficienter operari, nisi sit sufficiens ad operandum eo modo, quo causa est. Nomen ergo gratiae *sufficientis*, etymologice spectatum, *genericum* est; usu autem scholarum factum est, ut nomen illud ad eam gratiam significandam restringatur, quae cum actu salutari, ad quem a Deo conceditur, coniuncta non est. Neque hic scholarum usus reprehendi potest, cum saepesaepius contingat, ut nomen genericum pro una specie vel in se, vel in effectu ignobiliori retineatur, cum species nobilior singulari quodam nomine insignitur.

Obi. II. Fatentibus Theologis catholicis, Deus vult actum salutarem, ad quem producendum gratiam concedit. Verum, teste S. Scriptura, omnipotenti Dei voluntati nemo resistere potest. Nam Isa. LV, 11 Deus ipse dicit: *Verbum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecunque volui.* Ps. CXIII, 3 dicitur: *Deus noster in coelo omnia quaecunque voluit, fecit.* Rom. IX, 19 Apostolus inquit: *Voluntati eius quis resistit?* — Recte igitur S. *Augustinus* (2) dicit: « Non est dubitandum, voluntati Dei.... humanas voluntates non posse resistere. » Ergo etiam gratiae Dei internae homo nequaquam resistere potest.

Resp. Graviter errant adversarii, quia duo confundunt quae sunt inter se distinguenda; voluntatem scilicet Dei cum gratia permiscent. Ast voluntas, seu omnipotentia Dei est aeterna et infinita; gratia vero est creata et finita. Hinc divinae omnipotentiae, et voluntati quidpiam absolute decernenti nemo profecto est qui resistat, aut resistere possit. Tot enim, ac tanta ei suppetunt adiumenta ad finem obtinendum, quem absolute intendit, ut impossibile sit, talem finem Deum non assequi. De ista autem absoluta Dei voluntate intelligenda sunt S. Scripturae, et S. Augustini loca, in obiectione citata. Nam Is. LV, 11 non est sermo de gratia actuali, sed de Messia, et redemptione generis humani absolute a Deo promissa et definita, ut *S. Hieronymus, S. Cyrillus*, aliique docent, atque ipse contextus evincit. Verba Ps. CXIII, 3 de creaturis absoluta Dei voluntate ex nihilo productis, intelligenda esse, manifestum est. Etiam dictum Apostoli Rom. IX, 19 de voluntate Dei absoluta, non de conditionata exponi debet. Hanc vero distinctionem ipsi quoque adversarii admittere coguntur. Negare enim non possunt, ex una parte Deum mandatorum suorum observantiam *velle*, et ex altera parte plurimas istorum transgressiones dari, seu peccata commit ti: ex quo necessario inferre debent, Deum non absolute, sed conditionate mandatorum suorum observantiam velle, nisi ipsa quoque peccata in absolutam Dei voluntatem refundere velint. Recte ergo Catholici dicunt, Deum, cum conditionate vult effectum salutarem, tales gratias impertiri, quibus voluntas humana obtemperare, vel resistere possit. Quamquam qui tali modo voluntati Dei resistunt, non eam vincunt, sed seipsos magno bono defraudant; voluntas enim Dei aliquo modo semper impletur. «De his enim, ait *S. Augustinus* (3), qui faciunt, quod non vult (Deus), facit ipse

(1) 2 Cor. 12, 9.
(2) L. de grat. et lib. arb. cap. 14, n. 45.
(3) L. de corrept. et grat. c. 14.

quod vult. » Et *S. Thomas* (1) ait: « Cum Dei voluntas sit universalis causa rerum omnium, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium: sicut peccator, qui quantum est in se, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinae voluntatis, dum per eius iustitiam punitur. » Hinc patet, quanti momenti sit, ut divina voluntas aeterna, et infinita a gratia creata, et finita distinguatur, et quam iuste damnata sit sequens *Quesnellii* propositio 19ma: « Dei gratia nihil aliud est quam eius omnipotens voluntas; haec est idea, quam Deus ipse tradit nobis in omnibus suis scripturis. »

Obi. III. Rom. IX, 15 etc. Deus ait: *Miserebor, cuius misereor; et misericordiam praestabo, cuius miserebor;* ex quibus verbis infert Apostolus: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Porro si daretur gratia sufficiens, cui homo obtemperare vel resistere posset, et cui consentiens uberiorem ac efficacem impetraret, volentis esset, atque currentis: ergo talis gratia sufficiens nequaquam admitti potest.

Resp. Citata Apostoli verba nonnulli intelligunt de electione hominum ad salutem. Ita *Estius* (in hunc locum) docet, « Apostolum disputare de electione divina, quam citato Scripturae testimonio reiicit in solam Dei miserentis voluntatem. Unde concludit: *Igitur neque volentis, neque currentis* etc. Quare non de causa boni operis intelligenda est haec conclusio, sed de ipsa electione hominum ad salutem, ut sensus sit: quod quis sit electus a Deo, non est ex merito bonae voluntatis, neque ex merito boni operis seu conversationis praecedentis, aut praevisae, sed ex solo ac libero beneplacito Dei miserentis. » Hac admissa *Estii* interpretatione, nihil ex verbis Apostoli contra gratiam sufficientem inferri potest. — Idem dicendum est, si verba citata de vocatione ad fidem exponantur, de qua in citato capite (2) Paulus disserit: quo posito, sensus est, Deum ex sola misericordia Redemptorem misisse, et Iudaeos ac Gentes ad eius fidem vocare. — Quod si demum verba Pauli gratiae actuali applicentur, Apostolus solum negat, actum salutarem esse hominis volentis et currentis per solas vires naturae; non negat autem, illum esse hominis volentis et currentis per auxilium gratiae, quae ipsum semper praevenire debet, et quae ideo in bono opere primas et principales partes tenet, sed cooperationem hominis non excludit. Hunc esse sensum Pauli, et ab ipso liberi arbitrii cum gratia cooperationem nullatenus negari, patet ex iis, quae de se ipso I Cor. XV, 10 profitetur. Nam, ait S. *Augustinus* (3) « ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuo cum dixisset: *Gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi,* subiunxit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum:* id est, non ego solus, sed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. » Quibus verbis significat, conversionem esse partim humanae, partim divinae voluntati tribuendam, licet primario et principaliter divinae misericordiae sit opus.

Obi. IV. Nemo potest se discernere in negotio salutis, dicente Apo-

(1) 1, q. 19, art. 6.
(2) Cf. v. 23, 24 etc.
(3) L. de grat. et lib. arb. c. 5.

stolo (1): *Quis te discernit? quid autem habes quod non accepisti?* Atqui si duobus hominibus detur gratia sufficiens, cui unus obtemperet, alter reluctetur; qui obtemperavit, se discernit ab eo qui obluctatur: ergo non datur talis gratia.

Resp. Apostolus iterum solum negat, hominem in negotio salutis se discernere posse per vires proprias naturales; non negat autem id fieri posse ab homine per gratiam excitato et adiuto. Unde fideles monet (2), ne in vacuum gratiam Dei recipiant. Neque qui sic per gratiam, qua excitatur et iuvatur, se discernit, contradicit Apostolo prohibenti solum, ne homo glorietur de bono opere, quasi principium illius efficiens non acceperit a Deo: quam interpretationem probat *S. Augustinus* (3) dicens: « Quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine... consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, proprie voluntatis est. Quae res non solum non infirmat, quod dictum est: *quid habes, quod non accepisti?* verum etiam confirmat: accipere quippe, et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc, quid habeat et quid accipiat, Dei est: accipere autem, et habere utique accipientis, et habentis est. »

Obi. V. Christus (4) ait: *Omnis, qui audivit a Patre meo et didicit, venit ad me:* quae verba expendens *S. Augustinus* (5) scribit: « Quid est: *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*, nisi, nullus est, qui audiat a Patre et discat, et non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit; profecto omnis, qui non venit, non audivit Patre, nec didicit; nam si audivisset et didicisset, veniret. » Ergo nulla datur gratia mere sufficiens, cum nemo sit, qui verae et internae vocationi resistat.

Resp. Textui citato opponimus alia S. Scripturae testimonia quae ostendunt, homines verae et internae Dei vocationi resistere; alias non dixisset Deus (6): *Vocavi et renuistis* et (7): *Pro eo, quod vocavi, et non respondistis; locutus sum, et non audistis... et quae nolui, elegistis;* et (8) *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Ergo S. Scriptura sibi ipsi contradiceret, si verba Christi in sensu adversariorum intelligerentur. Aliunde sensum Christus ipse innuit; ait enim: Omnis qui audivit, et *didicit*, id est assensum praebuit, venit ad me; et e contra, qui solum audivit, at non didicit, seu assensum recusavit, non venit ad me. Plures enim sunt, qui audiunt, at non discunt, non ex defectu loquentis, sed audientium, qui *nolunt intelligere, ut bene agant* (9). Quare *Theophylactus* illud *didicit* exponit *credidit*. - *S. Augustinus* ex verbis Christi contra Semipelagianos ostendit, fidem esse donum Dei; quapropter dicit, omnem hominem, qui per fidem venit ad Christum, habere gratiam efficacem; hanc autem non habere qui non audivit, non didicit et fidem non concepit. Ideo autem non negat dari etiam gratiam sufficientem, cui homines ex culpa resistunt; ipsemet enim hoc alibi docet, ut patet ex eius dictis n. 2 citatis.

Obi. VI. *S. Augustinus* apertissime docet, in statu innocentiae talem gratiam datam fuisse, cui humana voluntas vel obtemperare, vel re-

(1) 1 Cor. 4, 7. (2) 2 Cor. 6, 1.
(3) L. de Spir. et litt. c. 33.
(4) Io. 6, 45. (5) L. de praed. Ss. c. 8, n. 13.
(6) Prov. 1, 24. (7) Is. 65, 12
(8) Matth. 20, 16. (9) Ps. 35 4.

tere possit; in statu autem naturae apsae talem gratiam concedi, quae psum consensum producit, et cui proinde voluntas resistere nequit. Ait enim l. de corrept. et grat. cap. 12: « Ipsa adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium *sine quo* aliquid non fit, et aliud est adiutorium, *quo* aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen, cum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adiutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adiutorium est enim non solum, sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium et quo fit est, et sine quo non fit... Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseverantiae, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei praedestinatis non tale adiutorium perseverantiae datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint... Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare, vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quae sine illo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex seipso ab concupiscentiae impetu resistebat... Nunc vero, postea quam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuvanda remansit infirmitas.... Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia *indeclinabiliter*, et *insuperabiliter ageretur*. » Ex quibus verbis clarissime patet, S. Doctorem in statu naturae lapsae nullam gratiam sufficientem agnoscere, cui voluntas humana resistere possit.

Resp. Perperam *Calvinus*, *Iansenius*, eorumque asseclae de hoc argumento ex *S. Augustino* petito gloriantur, et ineptissime triumphum canunt. Nam S. Doctor in citato loco non loquitur in genere de gratia Christi et de qualibet gratia medicinali; sed solum gratiam datam Adamo ad perseverandum in statu innocentiae opponit dono perseverantiae finalis dato electis in statu naturae lapsae; seu non loquitur ibi de gratia actuali, sed de ipsa formali perseverantia finali. Colligitur id manifeste ex toto contextu: nam cap. 10 dixerat: «Hinc oritur alia quaestio non sane contemnenda... quaeritur enim a nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus: » in ipso capite citato de perseverantia passim loquitur, et clare ostendit, quod per *adiutorium quo* « illud intelligat, quo aeterna beatitudo obtinetur; » cum enim quid sit *adiutorium sine quo non*, declarasset, immediate subiungit: « At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adiutorium est enim non solum, sine quo non fit, verum etiam *quo* fit, propter quod datur.» Denique initio capitis 13 profitetur: «Haec de his loquor, qui praedestinati sunt in regnum Dei.» Manifeste ergo *S. Augustinus* l. c. loquitur de dono perseverantiae, seu de gratia finali. Docet nempe, Adamum accepisse dumtaxat *adiutorum sine quo non*, quia non

ipsam perseverantiam accepit, sed tantum gratiam intellectus sine qua perseverare non poterat, et quacum si voluisset, perseverare potuisset absque ulla praeveniente gratia voluntatis, quae cum esset sana et integra, sufficientes habebat vires ad perseverandum, « cuius proinde meritum fuisset, si permanere voluisset. » Nunc autem propter naturae nostrae sauciatae infirmitatem, ac perpetuo rebellantem concupiscentiam, opus etiam habemus gratia voluntatis, ut possimus perseverare, et ut actu perseveremus. Talis gratia, quam Christus promeruit, datur praedestinatis, qui per istam, licet per peccatum originale infirmati et vulnerati fuerint, tamen a peccatis abstinent, bona opera exercent, et aeternam beatitudinem certissime consequuntur. Hanc efficaciam gratiae, quae ex praedestinatis elucet, *S. Augustinus* admirans concludit: « Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. » Loquitur hic *S. Augustinus* de dono perseverantiae finali, atque ideo etiam de ipsa coniunctione mortis cum statu gratiae, vi cuius Deus ita ordinat et disponit causas naturales, ut mors contingat eo ipso tempore, quo praedestinatus est in statu gratiae. Hoc vero finalis perseverantiae dono homo *indeclinabiliter* et *insuperabiliter* agitur, atque ad salutem perducitur; tum quia in hominis potestate non est, ut rapiatur tunc, quando est in statu gratiae, tum quia post mortem peccare amplius non potest, et felicitate sua excidere. Hinc S. Doctor infert, quod finalis perseverantia in statu naturae lapsae, et per Christum reparatae, sit speciale donum, quod locum non habuisset in statu innocentiae. In isto enim statu, cum homo morti obnoxius non fuisset, perseverantia non debebat compleri per mortem, sed exigebat tantum omissionem cuiuslibet actus graviter peccaminosi: contra in praesenti statu finalis perseverantia in bono non tantum per omissionem actus graviter peccaminosi, verum etiam per mortem habetur eo tempore obitam, quo homo est in statu gratiae. Ut autem mors tali tempore contingat vel non contingat, non est in hominis potestate, sed in solius Dei arbitrio positum, qui ex peculiari benevolentia et favore indebito praedestinatos rapit eo tempore, quo eos in statu gratiae esse cognoscit. — Haec igitur tota vis est, et significatio verborum illorum *indeclinabiliter* et *insuperabiliter*, quae non ad gratiam actualem sunt referenda, quasi gratia naturae infirmae indeclinabilis et insuperabilis sit a voluntate, sed ad ultimam referenda sunt praedestinati hominis voluntatem, quatenus haec dono perseverantiae finalis munita, atque firmata est; ideoque a iustitia amplius declinare non potest, neque ab adversitate ulla deinceps superari. Donata enim sibi finalis perseverantiae gratia, electi non amplius in via, sed in patria sunt, ubi nisi perseverantes esse non possunt. — Verum dato etiam, et non concesso, quod *S. Augustinus* in loco adducto loquatur de gratia actuali, nihil exinde contra dogma catholicum inferri potest. S. Doctor enim solum declarat, quod omnes Catholici admittunt, dari disparitatem inter gratiam hominis innocentis, et lapsi, quod nempe illa fuerit tantum *illustrationis*, et haec sit etiam *inspirationis*, vi cuius potentius in voluntatem agat; nullatenus autem docet, quod illi resisti po-

tuisset, huic vero non possit. Atque si per *adiutorium quo* generatim gratiam efficacem intelligit, quae certo et infallibiliter effectum salutarem producit, S. Doctoris mens solummodo est ostendere, efficacem gratiam in statu naturae reparatae vere existere, et hominibus concedi; ideo autem non negat dari etiam gratiam sufficientem, quam aliis in locis adstruit, ut patet ex locis n. 2 citatis.— Neque ex illis verbis, quibus voluntas « divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter agi » dicitur, inferri potest, *S. Augustinum* gratiam *necessitantem* adstruxisse. Nonnulli enim contendunt, pro *insuperabiliter* legendum esse *inseparabiliter*, quoniam haec vox in pluribus antiquis manuscriptis reperitur (v. Perrone (1)). Quod si legatur *insuperabiliter*, dici potest, S. Doctorem loqui de efficacia gratiae *in actu primo*, seu de efficacia virtutis, quam voluntas humana declinare et superare nequit: vel cum Cl. *Perrone* (2) asserendum est, illas voces non in humanam voluntatem cadere, sed in concupiscentiam, et adversitates huius vitae, quibus voluntas, divina gratia instructa ac roborata, superari non possit, si gratiae firmiter obtemperare statuerit; unde S. Doctor subdit: «et ideo quamvis infirma etc. »

Obi. VII. Certum est ex *S. Augustino*, Pelagium admisisse gratiam possibilitatis, seu gratiam sufficientem, quae dat posse agere, sed, reluctante libero arbitrio, effectum non sortitur. At vero S. Doctor hanc gratiam impugnavit, et exegit, ut Pelagius talem gratiam confiteretur, quae ipsam voluntatem et actionem producit. — Ideo contra Pelagianos et Semipelagianos disputans nunquam admisit gratiam, cui voluntas obtemperare, vel resistere possit; sed constanter docuit, gratiam Christi semper cum bona voluntate coniunctam esse, quoniam hanc illa efficit. L. I ad Simplician. qu. 2, sic loquitur: « Manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autem nescio, quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus misereatur; ergo iam volumus: ad eandem quippe misericordiam pertinet, ut velimus. Deus enim operatur in nobis velle et operari. » Imo *S. Augustinus* aperte negat, humanam voluntatem gratiae divinae resistere posse, hanc enim l. de corrept. et grat. c. 14 vocat, « inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem, » et l. de Praedest. Ss. cap. 8 ait: « Haec itaque gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. » Similia docet aliis in locis.

Resp. Errant profecto, et calumniae rei sunt, qui gratiam sufficientem Catholicorum confundunt cum gratia possibilitatis Pelagianorum. Prior est Dei donum naturae superadditum; posterior ipsa est natura liberi arbitrii, vel lex, ac doctrina. Audiatur ipse *Pelagius* sic loquens apud *S. Augustinum* (3): « Nos, inquit, tria distinguimus, et certum velut in ordinem digesta partimur. Primo loco posse statuimus; secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est, posse, ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturae suae contulit: duo vero reliqua, hoc est, velle et esse ad hominem referenda sunt. » Ita perfidus ille, ac versipellis haereticus per possibilitatem solam naturam, quae a Deo

(1) De grat. n. 278 nota 1. (2) L. c.

(3) L. de grat. Chr. cap 4, n. 5.

est, intelligebat; per gratiam vero, quae possibilitatem illam adiuvat, legem, doctrinam, exempla Christi, et alia huius generis externa adiumenta. Porro *S. Augustinus* a Pelagio volebat obtinere, internam Christi gratiam voluntatis prorsus requiri, ut possibilitas illa adiuvetur ad bonum volendum et faciendum, quoties homo bonum illud vult et facit. Ideo S. Doctor ibid. (1) ait: « Si ergo consenserit nobis (Pelagius), non solum possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, et actionem etc. divinitus adiuvari, ut sine illo adiutorio nihil bene velimus, et agamus; eamque esse gratiam Dei per Iesúm Christum D. N., in qua nos sua, non nostra iustitia iustos facit, ut ea sit nostra vera iustitia, quae nobis ab illo est; nihil de adiutorio gratiae, quantum arbitror, controversiae relinquetur. » Quae ergo *S. Augustinus* contra gratiam possibilitatis, a Pelagio admissam, disseruit, nullo modo impugnant gratiam sufficientem, quae iuxta catholicos supernaturalis et interna est, ac omnem actum salutarem praevenire debet. — Falsum porro est, et a solis Calvinistis, et Ianseníanis excogitatum, S. Doctorem nunquam admisisse gratiam, cui humana voluntas resistere possit: contrarium evincunt testimonia n. 2 allata. Aliter ergo ipsius dicta intelligenda sunt, dum gratiam cum bona voluntate coniungit, ac bonum volendi affectum gratiae adscribit. Mens nempe S. Doctoris est gratiae praevenientis necessitatem ostendere, non autem sufficientis gratiae existentiam negare. Sic citato lib. I ad Simpl. qu. 2, S. Doctor impugnat sententiam, quae fuit postea Semipelagianorum et quorumdam Pelagianorum, Deum nempe velle frustra iuvare hominem a miseriis ipsius, nisi homo praemitteret affectum bonum volendi: unde prima boni voluntas, non a Deo, seu gratia praeveniente, sed ab homine homini inesse dicitur, quem errorem S. Doctor l. IV, c. Iulian. (2) denotat his verbis: « Vos, ut video, ponere iam coepistis merita gratiam praecedentia, quod est petere, quaerere, pulsare: ut his meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nuncupetur. . . . Docentibus vobis, ideo non omnes salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cum Deus velit dare; nolunt quaerere, cum Deus velit ostendere; nolunt pulsare, cum Deus velit aperire: » in qua quidem erronea sententia omnipotentia voluntatis divinae pendebat a praeviis dispositionibus humanis. Contra vero *Augustinus* loco, qui nobis opponitur, contendit, voluntatem humanam, seu velle nostrum non praecedere seu praevenire Dei misericordiam, imo ipsam sequi. « Nescio, inquit, quomodo dicatur frustra Deum misereri nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, ergo iam volumus: » quasi diceret, cum Deum misereri sit gratiam indigno conferre, si misereatur, ergo iam non volumus nisi praeventi. Adde quod volitio illa, de qua ibi loquitur S. Doctor, potest etiam apposite ad eius intentum intelligi de volitione indeliberata, quam efficit gratia praeveniens *in actu primo*. Quod si S. Doctoris verba intelligantur de volitione deliberata, seu de ipso voluntatis consensu cum gratia coniuncto, et a gratia producto, responderi potest, *S. Augustinum* hic loci agere de misericordia efficaci, non excludendo gratiam sufficientem, quam Deus concedit, et

(1) L. de grat. Chr. cap. 47. (2) Cap. 8, n. 41.

iam cum non ita efficaciter miseretur. Hoc idem observandum est circa reliqua loca, quae nobis obiiciuntur. Cum enim in his S. Doctor maximam gratiae efficacis vim commendet, non ideo negat gratiae sufficientis existentiam, quam aliis in locis clarissime praedicat. Et quamvis de gratia efficaci saepius adseveret, quod certo et infallibiliter dat velle et perficere, nullibi tamen adstruit gratiam *necessitantem*, quae liberum arbitrium adimat, et potentiam gratiae resistendi absolute tollat. Id patet ex eo, quia, ut ostendat gratiam efficacem certo et infallibiliter actum salutarem, ad quem a Deo conceditur, consequi, ad duplex confugit adiumentum, nempe, ad omnipotentiam Dei, et ad eius scientiam; ad omnipotentiam quidem, quatenus ipsa plures habet gratias in sua potestate, ita ut, si homo uni resistat, aliam ei tribuat; ad scientiam vero, quatenus eam tribuat, cui praevidet hominem libere consensurum. Quare duo haec semper S. Doctor coniungit, ex. gr. dum scribit ad Simplician. (1): « Quoniam non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit: quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur. » Et paullo infra: « Nullius Deus frustra miseretur; cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo *scit* ei congruere, ut vocantem non respuat. » Nec unquam destitit S. Doctor ab horum attributorum coniunctione in gratiae virtute exponenda, ita ut in postremo suorum operum adversus Iulianum scribat: « Absit ut impediatur ab homine omnipotentis et cuncta praescientis intentio » (2). Frustra autem confugisset ad Dei praescientiam, si credidisset, et docuisset, Deum necessitatem velle humanae voluntati inferre; ad hoc enim satis erat urgere solam omnipotentiam.

Obi. VIII. Gratia sufficiens est inutilis, quia nunquam sortitur effectum: est etiam perniciosa, quia ad hoc unum servit, ut hominem reum efficiat, et in culpam coniiciat graviorem: et ideo dicenda est Deo indigna: quorsum enim Deus eam daret, cum iam praeviderit, eam nonnisi in perniciem esse cessuram? — Haud male profecto videtur ille orasse, qui dicebat: *A gratia sufficiente libera nos, Domine.* Nec immerito *Iansenius* (3) scripsit: « Istud gratiae sufficientis genus, quo adiuvante, nullum unquam opus factum est, aut fiet unquam, si est verum distinctumque a gratia efficaci membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiae, solummodo peccatis faciendis, maiorique damnationi accersendae serviens, ideoque lapsis hominibus citra Dei invidiam damnandis excogitatum. » Practice hac in re omnes consentiunt; nullus enim ex Christianis est qui petat a Deo gratiam, quae salutarem actum non producit, et ipsa Ecclesia non petit a Deo nisi gratiam efficacem.

Resp. Primo observandum est, non omnes Theologos catholicos admittere, quod gratia, quae sufficiens est, et veram ac completam ad bene operandum potentiam tribuit, nunquam sortiatur effectum. Nam Molinistae contendunt, gratiam sufficientem ex natura sua non differre ab efficaci, atque ideo eandem gratiam, si ei resistat voluntas, manere inefficacem, et si ei consentiat voluntas, fieri efficacem. Iuxta hanc sententiam Cl.

(1) L. 1, qu. 2, n. 13.
(2) Op. imperf. c. Iulian. l. 1, cap. 93.
(3) L. 3 de grat. Chr. c. 3.

Perrone (1) praefatae obiectioni respondit dicens: « Omnes eiusmodi difficultates, et si quae sunt aliae, laborant, ut Logici loquuntur, falso supposito; ex eo enim oriuntur, quod ponatur intrinsecum discrimen inter gratiam efficacem, et gratiam sufficientem, quod tamen Ecclesia non docet. Si igitur gratia sufficiens nihil aliud est nisi gratia reiecta, seu gratia, quae ex sola hominis malitia, effectu suo caret, patet, nullam inde amplius peti posse difficultatem. Nihil enim eiusmodi gratiae deest, quod requiratur ad effectum obtinendum; sola siquidem perversa hominis voluntas efficit, ut ea non producat effectum, ad quem expeditam, ac plenam tribuit facultatem. » — Quamvis autem alii Theologi non admittant, efficaciam vel inefficaciam gratiae a solo dependere consensu voluntatis dato aut negato; omnes tamen profitentur, gratiam mere sufficientem seu inefficacem manere, non ex defectu gratiae, sed ex defectu hominis, nempe ex vitio voluntatis libere renitentis. Omnes idcirco tamquam impiam et blasphemam repudiant illam Iansenii sententiam, quae gratiam sufficientem monstrum quoddam singulare appellat, eamque asserit talem esse, quam velit daemon hominibus dari. Omnes quoque sequentem propositionem damnant, ab Alexandro VIII proscriptam: « Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est; sic ut merito possimus dicere: a gratia sufficiente libera nos, Domine. » Omnes denique in eo conveniunt, quod gratia sufficiens Dei donum sit cum magna salutis utilitate coniunctum. Quamvis enim gratia sufficiens non producat actum salutarem ad quem a Deo conceditur, ex. gr. actum conversionis in peccatore; excitat tamen illuminationes in intellectu, et pia desideria in voluntate, quae sunt dispositiones ad actualem conversionem, atque saepe contingit, ut pii voluntatis motus, qui debiles primum et inefficaces sunt, successive augeantur, crescant, et tandem in actum habeant, prout accidisse in *S. Augustino*, et aliis magnis peccatoribus ut plurimum accidere, notum est: ergo falsum est, quod gratia sufficiens sit inutilis et nunquam ad actum reducatur. Praeterea, dum homo se a gratia excitatum sentit, Dei se vocantis suamque salutem promovere volentis benignitatem cognoscit: suae autem voluntatis resistentiam considerans quae divinos conatus irritos reddit, propria infirmitate et malitia confunditur; atque ita, quamvis actus salutaris non sequatur, confidentia tamen in Deum, et humilitatis sensus excitari et augeri possunt; unde iterum patet, gratiam sufficientem non omni emolumento destitui. Denique sicut in caeteris rebus quibuscunque potentia agendi, etiam actu orbata, in se bona, et divinae bonitatis argumentum est ita etiam gratia sufficiens, quae potentiam ad actum salutarem confert, nec inutilis, nec noxia, sed in se bona dicenda est. Et quemadmodum Deo indignum non est, potentiam videndi, audiendi et loquendi hominibus conferre, quos praevidet his sensibus non bene, sed male usuros; ita quoque Deo indignum non est gratiam conferre, quam praevidet in perniciem cessuram esse ei, qui pervicaciter ipsi resistit. Bene enim perpendere oportet, finem totalem omnium rerum esse gloriam Dei, seu divinorum attributorum manifestationem. Deus autem concedendo gratiam, seu conferendo potentiam ad actum salutarem, semper

(1) De grat. n. 36.

bonitatem et sanctitatem suam manifestat: si autem actus ex culpa hominis non sequitur, gratias eidem subtrahendo, aut poenas infligendo, iustitiam suam ostendit, et sic finem totalem semper consequitur. Obiectionem igitur adversariorum omni soliditate destitui, sat manifestum est. — Frivola sunt etiam quae ultimo ex oratione Fidelium et Ecclesiae inferunt. Nam absonum quidem esset, a Deo petere gratiam *mere* sufficientem, quae ob resistentiam voluntatis effectum non sortitur; id enim esset implicite saltem ipsam voluntatis resistentiam velle: recte autem petitur a Deo gratia *vere* sufficiens, quae potentiam ad actum salutarem tribuit. Et sane quando fideles a Deo petunt gratiam, simpliciter petunt gratiam, qua possint superare tentationes et obtinere salutem, atque pro beneficio agnoscunt quamlibet gratiam, quae vires praestat vere sufficientes ad bonum operandum. Quodsi petunt a Deo gratiam efficacem, non ideo petunt, aut petere possunt, quasi gratia pure sufficiens esset inutilis et perniciosa, quod ex dictis falsum est; sed quia magis convenit petere beneficium maius, et auxilium, quod non tantum dat posse, sed ipsum agere. Ex eadem ratione Ecclesia praecipue quidem gratiam efficacem a Deo petit, sed tamen saepe in genere gratiam Dei ad bene agendum efflagitat, quin eius efficacia in specie exprimatur (1).

Nota. Ex dictis iam patet, dogma catholicum esse, quod homo gratiae divinae resistere possit. Gratia autem duplex distinguitur, nempe efficax et sufficiens. Quaeri ergo potest, an dogma ad utramque gratiam pertineat, vel an ad solam gratiam sufficientem restringatur. Ast dubitare non licet, dogma catholicum ad utramque gratiam pertinere, adeoque hominem etiam gratia efficaci motum et excitatum posse dissentire, si velit. Id evincunt argumenta § 426 allata, quibus probatum est, gratiam efficacem non esse necessitantem, et per eam liberum arbitrium non tolli. Et sane ipsa S. Scriptura (2) de iusto dicit: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala et non fecit:* ergo qui gratiae efficacis auxilio mandata divina adimplevit, et opera salutaria perfecit, potuit haec omittere, et peccata committere. *Ss. Patres* quoque in iustis qui recte operantur, potentiam ad oppositum agnoscunt. Concilium *Tridentinum* Sess. VI, can. 4, quin inter gratiam efficacem et sufficientem distinguat, in genere anathema dicit illi, qui negat, *liberum arbitrium a Deo motum et excitatum .... posse dissentire, si velit.* Dogma ergo catholicum est, hominem quacunque gratia motum et excitatum posse dissentire, atque etiam gratiae efficaci resistere. Neque hoc dogma cum tradita gratiae efficacis notione pugnat, qua dicitur, efficacem gratiam certo et infallibiliter dare velle et perficere. Generatim enim in homine distinguenda est potentia ab actu: illa sine isto existere potest; ita, ex. gr., multi homines habent potentiam generandi, quin unquam actus sequatur. Et sic pariter potestas dissentiendi, seu gratiae resistendi, potest esse in homine, quin in actum transeat. Ut ergo certo et infallibiliter per gratiam efficacem opus salutare producatur, haud necesse est, ut potentia dissentiendi, seu resistendi tollatur, sed sufficit, ut haec potentia certo et infallibiliter in actum non transeat. Facile autem

(1) Cf. Tournely de grat. q. 7, art. 2; Thomas ex Charm. de grat. Diss. 1, cap. 2, q. 1; Perrone l. c. Pars 1, cap. 4. Difficultates

(2) Eccli. 31, 20.

ostenditur, talem infallibilem certitudinem per gratiam efficacem obtineri. Nam ipsi quoque homines hinc inde plena fiducia iudicant et adseverant, actum quempiam certo et infallibiliter secuturum non esse, quam vis potentia ad illum nullatenus desit. Ita, ex. gr., sine omni haesitatione dicimus, hominem sapientem, mansuetum, et pietati addictum certo et infallibiliter benefactorem, aut amicum suum dilectum occisurum non esse, quamvis potentiam occidendi ei non denegemus. Quandoque etiam cum omni securitate expectamus nos, haud arduum beneficium poscentes, certo et infallibiliter ab illo exaudiendos esse, cuius benignam in nos indolem cognoscimus, et cui pro concedenda gratia validissima motiva proponere possumus, quamvis eodem tempore intime nobis persuasum sit, eidem potentiam gratiam nobis negandi nullatenus deesse. Quodsi homines, qui imbecilles sunt, et falli queunt, ad tantam certitudinem pervenire valent, quid de Deo dicendum erit omniscio et omnipotenti?— Deus utique scrutatur corda et renes, intima hominis perspicit, et infallibiliter cognoscit, quibus gratiis libera humana voluntas consensura sit: dum ergo Deus tales gratias largitur, actus salutaris certo et infallibiliter ponitur, non quia libertas seu potentia resistendi sublata est, sed quia haec potentia certo et infallibiliter in actum non transit, cum praescientia divina falli non possit. Et si homines infirmi propositis motivis efficere possunt, ut certo petitam gratiam ab aliis obtineant, quibus tamen gratiam negandi potentiam nequaquam adimunt; multo magis Deus omnipotens, qui ineffabili modo in intellectum et voluntatem operatur, efficere potest, ut, non sublata, sed conservata libertate seu potentia resistendi, actus salutaris certo ac infallibiliter, et tamen libere sequatur. Quamvis igitur homo etiam gratiae efficaci resistere possit, haec nihilominus certo et infallibiliter dat velle et perficere. Caeterum ad hanc difficultatem enodandam inserviunt systemata theologica in sequenti articulo pertractanda.

Nota 3. Contrariam traditae doctrinae sententiam propugnat *R. P. Herculanus Oberrauch* in sua Theologia morali (1), in qua Tract. 2, caput 11 (2) hanc thesin proponit: « Respondetur secundo, quod libertas nostra gratiae efficaci repugnare nequeat. » Quisque iam videt, hanc propositionem aperte pugnare cum canone 4to sess. VI *Concilii Tridentini*, in quo credendum proponitur, non solum quod liberum arbitrium Deo per gratiam moventi et excitanti cooperetur, sed etiam quod *dissentire possit, si velit*. Eadem propositio plane convenit cum propositionibus *Iansenii* et *Quesnellii* damnatis (n. 3 adlegatis). Ast citatus auctor non ideo systema Iansenianum amplectitur, sed ex aliis principiis thesin suam probare nititur. Nam l. c. (3) ita loquitur: « Nunc vero propinquius respondeo: cum Deus aliquid decernit, et proin ad id tribuit gratiam efficacem, illud nunquam deerit, liberum hominis arbitrium motui huic refragabitur nunquam. Cuius responsionis ratio est sequens: Data eiusmodi efficaci gratia, liberi arbitrii repugnantia non datur, non dabitur: quod non est, nec erit, nihil est. Quod nihil est, non habet sui causam, non potentiam, quia quod nihil potest efficere potentia non est. Non datur facultas ad nihilum: id vero, quod

(1) Bambergae et Norimbergae 1797.

(2) § 199, pag. 161, et § 199, pag. 164.

Deus non decrevit, est nihil, semperque erit nihil, imo cogitari nequidem potest. Ut quid de eo quaestionem moves? » — Ast tota haec argumentatio falso supposito laborat, quo continetur, quod non possit dari potentia quae non transit in actum, seu quae non producit effectum. Quis autem sanae mentis non intelligit, talem assertionem prorsus falsam esse? — Si Petrus per integram diem nihil omnino loquatur; locutiones huius diei nullae, seu nihil sunt; an ideo etiam potentia loquendi hac die in Petro nulla, seu non existens erit? Si Paulus castitatem vovens, et illibate conservans nunquam actum generationis exercet, qui ideo in persona Pauli semper nullus, seu nihil manet, an idcirco potentia generandi eidem deneganda erit? — Eodem modo in homine potentia dissentiendi, seu gratiae resistendi vere existere potest, licet haec potentia in actum non transeat, seu licet homo gratiae non resistat. Recte quidem citatus auctor dicit, ea, quae mere possibilia sunt, et nunquam ad existentiam vocantur, nihil esse: sed male omnino concludit, etiam potentias, seu vires, quae possibilia ad existentiam vocare possent, nihil esse. Deus enim vult, et decernit in rebus a se creatis vires ac potentias, quas ipsemet eisdem contulit, et quae vere existunt, quamvis non semper in actum transeant. Atque ita Deus vult, et decernit in homine libertatem, seu potentiam se rationaliter determinandi ad actum, vel ab hac determinatione abstinendi, ut fert catholicum dogma; et ideo vere existit in homine potentia dissentiendi, seu gratiae resistendi, quamvis, cum gratia est efficax, potentia ista in actum non transeat. — Ast citatus auctor in ipsa libertatis definitione a reliquis Theologis penitus dissentit. Nam ibid. (1) ait: « Libertas (creata) est facultas supplendi id, quod causae finali, seu rationi motrici defuit. Ut exinde actus liber sit ille, cuius motrix ratio proxima per partem aliquam est in ipsa voluntate. » Quomodo autem causa motrix concipienda sit, dum gratia est efficax et actus salutaris sequitur, brevi sententia explicat ibid. (2) dicens: « In genere causae motricis, seu moralis, primam partem confert lex aeterna in omnibus praeceptis moralibus latens: alteram partem tribuit gratia; quibus datis, liberum arbitrium ex propria vi suam quoque, id est, tertiam partem (puta semper in genere causae motricis) addit. » Ast vix intelligi potest, quomodo in tradita definitione libertas indifferentiae, seu immunitas non solum a coactione, sed etiam a necessitate exprimatur. Nam id quod causae motrici deest, suppleri etiam potest per vires, spontanee aut necessario agentes. Sic ex. gr. si duobus equis, oneri vehendo imparibus tertius iungatur, et motus sequatur; nemo dicet, hunc equum, qui supplet quod causae motrici defuit, libere agere. Etiam Ianseniani, ut actus humanus, bonus aut malus contingat, motricem rationem proximam in voluntate collocant, quam autem necessario aut coelestem, aut terrenam delectationem sequi contendunt. Ergo in adducta definitione etiam modus explicandus fuisset, quo id suppletur, quod causae motrici defuit. — Praeterea, si libertas nihil aliud est quam facultas supplendi id, quod causae motrici, defuit; quaeri potest, quid dicendum sit si voluntas gratiae non consentit, atque ideo non supplet id, quod causae motrici, nempe legi et gratiae defuit? — quomodo libera dici pot-

(1) Cap. 5, § 156. (2) Cap. 11, § 200.

est, cum id, in quo libertas consistit, in ipsa non inveniatur, praecipue cum iuxta citatum auctorem, facultas seu potentia, quae nihil efficit, ipsa quoque nihil sit? — Concedi quidem potest, quod idem auctor cum *S. Augustino* docet, malum nihil esse, atque ideo causam seu potentiam, quae illud producit, non habere; ait enim § 157 in nota: « Malum seu morale, seu quodcunque aliud, merus defectus boni planeque nihil est, ac proinde nullam sui causam habet. Voluntas nostra in eo solo peccat, quod verum bonum amplecti omittat: » admittit ergo, voluntatem deficere a bono, ac id, quod causae motrici defuit, non supplere posse; atque id in definitione exprimendum fuisset, ut libertas indifferentiae in ipsa manifestaretur. — Denique observanda quaedam sunt circa quartum corollarium; quod citatus auctor ex sua definitione libertatis deducit, scilicet: « Quilibet actus seu omissio agenti eo magis sive ad meritum, sive ad culpam imputatur, quo minor erat ratio motrix, et proinde quo plus voluntas in defectum causae finalis de suo addidit. » Notandum nempe est, duas causae finalis seu motricis partes legi aeternae, et gratiae assignari: lex vero aeterna pro omnibus aequalis est: gratia autem vel maior vel minor, prout etiam ex altera parte concupiscentia, aut magis aut minus vehemens est: iuxta praefatum ergo corollarium actio bona eo minus ad meritum imputatur, quo maior gratia, et minor concupiscentia fuerit; unde Sancti eo minora merita haberent, quo magis devicta concupiscentia gratiis abundant, et B. V. Maria, quae sine omni concupiscentia, et gratia plena fuit, minima merita habuisset. Certe multo solidius alii Theologi procedunt, dum cum *S. Augustino* docent, per gratiam intellectum illustrari, et voluntatem ad bonum moveri, ac ideo libertatem non minui, sed augeri, ac imputationem ad meritum non minorem, sed maiorem fieri, quod ex inferius dicendis clarius apparebit.

IV. *Gratiae efficacia non consistit in delectatione relative victrici ad sensum Iansenii.*

§ 428. Iuxta systema *Iansenii*, quod § 406, nota 1 expositum fuit, gratia efficax consistit in delectatione coelesti indeliberata, superiori, et relative ad minorem oppositam concupiscentiam victrici, voluntatem ad assensum necessario impellente. Nam *Iansenius* duplicem distinguit in voluntate delectationem, *coelestem* nimirum, quae ad bonum, et terrenam, quae ad malum trahit: asseritque delectationem hanc unicum esse pondus, quo voluntas nostra, per peccatum infirmata et corrupta, necessario et indeliberate determinatur sive ad bonum, sive ad malum, ita ut impossibile sit, maiorem delectationem vinci a minori. Nam, ait lib. IV de gratia c. 6, « maior delectatio nunquam sane delectatione minore superabitur. » Lib. VIII caput tertium sic inscripsit: « Adiutorium Christi determinat, ac praedeterminat etiam physice voluntatem ut velit, et ardentius velit, et ex quo capite istud accidat: » porro ibidem ostendere nititur, id accidere ex delectatione, « quae facit, ut necesse sit animum istud sequi, et secundum istud operari, quod amplius delectaverit. » Et lib. VIII cap. 8 scribit: « Perspicue apparet, impossibile esse, ut adiutorium illud coelestis delectationis non determinet, imo praedeterminet voluntatem, quia facit, ut velis, et sine illa velle non possis; facit etiam, ut ardentius velis, et sine illa arden-

tius velle non possis; facit denique, ut necesse sit animum sequi, et secundum illud operari, quod amplius delectaverit. » Tota igitur vis delectationis *relativa* est, ita ut, si maior fuerit vis gratiae, quam vis concupiscentiae, necesse sit voluntatem bene operari: e contra si maior fuerit vis concupiscentiae, quam vis gratiae, necesse sit voluntatem male operari; « vigente enim delectatione carnali, impossibile est, ut virtutis et honestatis consideratio praevaleat, » inquit *Iansenius* (1). — Ast haec doctrina *Iansenii* non solum *falsa*, sed et *haeretica* est, atque *contradictionibus scatet.*

1. Falsum est voluntatem semper sequi delectationem victricem; quia etiam per motiva timoris ad agendum impelli potest: atque ita etiam gratia, quantumvis efficax, non semper operatur in nobis delectationem stricte sumptam, sed quandoque excitando timorem nos a malo retrahit, et ad bonum pertrahit, ut Ss. Litterae docent. Nam Eccli. I, 27 dicitur: *Timor Domini expellit peccatum;* Ierem. XXXII, 40: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me;* Christus ipse (2) ait: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam:* quod monitum ostendit, ad homines a peccatis retrahendos timorem quoque poenarum salutarem esse; talis autem non esset, nisi per gratiam efficacem excitaretur. Falsum est ergo quod *Iansenius* propugnat ac pro certo sumit, delectationem nempe esse unicum medium, quo homo saltem proxime, e vitiorum coeno educitur, atque ad conversionem, ac salutem fertur; idem enim effectus etiam timori adscribitur, qui per gratiam efficacem in corde excitatur. Hoc idem docet S. *Augustinus*, qui serm. 348(3) de tempore ita loquitur: « Cum timetur poena, quam Deus minatur, discitur amari praemium, quod pollicetur; ac sic per timorem poenae bona vita retinetur. » Et l. de corrept. et grat. cap. 5 clare contestatur, non per solam delectationem, sed etiam per correptionem, quae timorem, pudorem vel dolorem producit, homines emendari; ait enim: « Non vis tua tibi vitia demonstrari; non vis, ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quaeras... quasi laudanda, vel indifferenter habenda sint vitia, ut neque laudentur, neque vituperentur; aut vero nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor. » Eodem modo S. Doctor sat perspicue docet, nullatenus peccata semper terrena impellente delectatione committi; nam l. II de peccat. merit. et remiss. (4) inquit: « Etiam illa peccata iuste imputari, quae non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandae molestiae alicuius, aut doloris, aut mortis. » Imo, quod contra Iansenium summi momenti est, ipse Sanctus de seipso profitetur, non semper se operatum fuisse pro maiori, quae eum praeveniebat, delectatione; ait enim liber VIII Confessio. (5): « Non faciebam quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat. » Eodem modo *S. Prosper*, fidissimus *S. Augustini* discipulus, claris verbis docet, hominem moveri a pluribus aliis motivis ad bene agendum praeter charitatem, et delectationem; nam lib. contra Collat. (6) ita praeclare loquitur: « Trahit timor; principium enim sapientiae timor Domini. Trahit laetitia; quoniam

(1) Lib. 4, cap. 9. (2) Matth. 10, 28.
(3) Al 214. (4) Cap. 10, n. 15.
(5) Cap. 8, n. 20. (6) Cap. 7.

laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi. Trahit desiderium; quoniam concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Trahunt divinae lectiones; quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo! Et quis perspicere, aut enarrare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quae fugiebat, sequatur; quae oderat, diligat; quae fastidiebat, esuriat; ac subito commutatione mirabili, quae clausa ei fuerant, fiant aperta; quae onerosa, sint levia; quae amara, sint dulcia; quae obscura, sint lucida? Haec autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. » Eandem doctrinam ex S. Scripturae, et Traditionis fontibus haustam *Tridentina Synodus* tradidit sess. VI, cap. 6, ubi motum timoris inter illas dispositiones recenset, quae ad iustificationem disponunt, et sess. XIV, cap. 4, ubi docet, attritionem ex gehennae metu conceptam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum (1). — Falsum ergo est, quod *Iansenius* dicit, hominem semper, et unice per coelestem, vel terrenam delectationem, aut ad bonum, aut ad malum impelli.

2. *Haereticam* esse *Iansenii* de duplici delectatione necessitante doctrinam, facile probatur. Illa enim assertio haeretica est, quae dogmati catholico e diametro opponitur; et illud principium haereticum dicendum est, ex quo necessario, et evidenter profluunt haereticae consecutiones, quodque eas includit. — Atqui dogma catholicum, in S. Scriptura et Traditione fundatum, et ab Ecclesia definitum, est, gratiam efficacem non esse necessitantem, nec tollere liberum arbitrium, sed hominem in actibus salutaribus vere liberum esse (§ 426). Huic vero dogmati e diametro opponitur *Iansenii* sententia, in qua efficacia gratiae repetitur ex delectatione coelesti indeliberata, superiori, et relative ad minorem oppositam concupiscentiam victrice, voluntatem ad consensum necessitante; hac enim sententia statuta, libertas indifferentiae in actibus salutaribus penitus negatur: ergo haec sententia est haeretica. — Praeterea ex systemate delectationis superioris relative victricis necessario, et per connexionem evidentem, profluunt quinque famosae propositiones *Iansenii* haereticae, quae sunt illius conclusiones. Nam I *Prop.* dicit: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis, volentibus, et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant: » damnata est ut *impia, temeraria, blasphema, anathemate damnata, et haeretica.* Nunc quaero, quare sint illis impossibilia, nisi quia sola parva gratia instructi, absente gratia efficaci, non habent potentiam veram, et relative expeditam ad actualem maiorem oppositae cupiditatis delectationem superandam? — ergo illa propositio, quasi e proprio fonte fluit ex systemate delectationis superioris et relative victricis. *II Prop.* ita sonat: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur: » damnata est ut *haeretica.* Coelestis enim delectatio iuxta Iansenium semper producit effectum ad quem datur, sive superior gradibus sit, sive inferior opposita delectatione. Nam si superior sit, necessario vincit terrenam delectationem; si sit inferior, producit necessario illos indeliberatos motus ad quos confertur. *III Prop.* damnata ut *haeretica* his verbis concepta est: « Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae

(1) Cf. can. 5 eiusdem sess.

non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. » Ratio est, quia voluntas agens per delectationem superiorem et relative victricem, licet non sit coacta, tamen necessitate antecedente determinatur ad unum: ergo cum mereatur per illum actum necessario positum, necesse est, ut ad merendum sufficiat libertas a coactione: inde patet connexio istius propositionis cum delectatione relative superiori. *IV Prop.* haec est: « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. » Haec propositio damnata est ut *falsa* quoad primam partem, et ut *haeretica* quoad secundam, quae manifeste sequitur, ex systemate delectationis superioris et relative victricis; si enim impossibile sit, ut minor delectatio superiorem vincat, sequitur, impossibile esse, ut voluntas resistat superiori delectationi, qua insuperabiliter ad unum determinatur. Denique *V Prop.* asserens: « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, et sanguinem fudisse; » damnata est ut *falsa*, *temeraria*, *scandalosa*, et eo sensu intellecta, quod Christus pro salute tantum praedestinatorum mortuus sit, tanquam *impia*, *blasphema*, *contumeliosa*, *divinae pietati derogans*, et *haeretica*. Haec quoque propositio cum systemate Ianseniano intime est connexa, et ex isto profluit. Etenim pro iis tantum mortuus est Christus, pro quibus gratias vere sufficientes obtinuit: atqui in systemate Ianseniano praeter delectationem gratiae relative superiorem ac victricem non dantur gratiae vere sufficientes ad actum salutarem perfectum: itaque praedestinati obtinent gratiam efficacem, cui resistere nequeunt, et quae insuperabiliter obtinet effectum; reliqui vero, qui reprobantur, gratias vere sufficientes non obtinent, atque ideo non potest dici, Christum pro his mortuum esse: vere itaque ex systemate *Iansenii* sequitur, quod ut haereticum damnatum est, Christum pro salute tantum praedestinatorum mortuum esse. — Nemini ergo dubitare licet, doctrinam *Iansenii* de duplici delectatione relative ac necessario victrice haereticam esse, quoniam ex illa haereticae consecutiones necessario ac evidenter profluunt, et in illis includuntur.

3. Systema Iansenii *contradictionibus* scatet, atque *absurdis*. Nam *a*) Iansenius contradicit sibi ipsi. Nam pro aris et focis decertat pro gratia ex natura sua, et intrinsece efficaci; nihil autem est, a quo magis abhorreat, quam ab usu scientiae mediae, quem vehementer insectatur in Molinistis. Ast in declarato ipsius systemate explicari nequit, quomodo gratia sit ex se et intrinsece efficax: iuxta principium enim ab ipso statutum, eadem entitas gratiae in uno eodemque homine varie disposito modo victrix est, modo non victrix, prout maior, vel minor fuerit in ipso oppositae delectationis, seu concupiscentiae actualis resistentia. Quapropter in hoc systemate, quod gratia sit victrix sive efficax, non provenit ex natura et vi gratiae, sed ex minori resistentia oppositae delectationis, consequenter ab eo, quod est gratiae extrinsecum. Cum autem Iansenius nihilominus contendat, Deum per delectationem gratiae victricem certo et infallibiliter, imo necessario salutarem obtinere effectum, ad usum scientiae

mediae recurrere debet. Praefatum enim effectum Deus praevidere iuxta systema Iansenii non potest in decreto dandae gratiae, cum haec non sit absolute seu intrinsece efficax, eiusque effectus a gradibus oppositae concupiscentiae dependeat. Ergo Deus, antequam statuat gratiam victricem conferre, prius explorare debet, quinam futuri sint gradus concupiscentiae in homine, et dein eam inter alias gratias eligere, quam vidit concupiscentiae fore superiorem. — *b*) Posito principio Ianseniano duarum delectationum pro graduum superioritate invincibilium, *leges* omnes vel plane *frustraneae* sunt, vel prorsus *iniustae*. Aut enim coelestis delectatio, dum urget lex, in nobis superat terrenam, aut ab illa deficit. Si superat, *frustranea* est lex, admisso memorato Iansenii principio; nam cum, hoc admisso, physice necessarium sit, ut coelesti delectationi voluntas obsequatur; ipsa tunc ageret, quod iustum est, quodque est iniustum devitaret, quamvis nulla tunc esset lex, quae bonum nobis praeciperet, nulla, quae malum prohiberet. Si vero delectatio coelestis a terrena intensive deficiat, tunc lex omnis, posito principio Ianseniano, non frustranea solum, sed prorsus *iniusta* est. Illa quippe tunc praecipit, quod nobis est physice impossibile, cum, vigente delectatione carnali, fieri minime possit, quin illi consentiamus, ac proin quin, quod iniustum est, operemur. Itaque, admisso Iansenii principio, leges omnes vel omnino frustraneae sunt, vel prorsus iniustae. *c*) Eodem modo, admisso praefato Iansenii principio, inutiles omnino sunt admonitiones, suasiones, minae terroresque, quibus, ut declinemus a malo bonumque agamus, sollicitamur. Enimvero vel dum admonitionibus, suasionibus, minis ac terroribus excitamur ad vitam nostram componendam, coelestis delectatio in nobis praevalet terrenae, vel terrena ex adverso coelestem superat. Si primum: quis non videt, posito Ianseniano memorato principio, illas omnes admonitiones etc. frustraneas esse? quippe, cum physice necessarium tunc sit, ut bene operemur, nempe ut coelesti delectationi consentiamus, vita nostra in melius mutabitur, quamvis nullus sit, qui nos admoneat etc. Sin vero alterum: quis negabit, oleum operamque perdere, quisquis nos monet, minatur, et terret, ut declinemus a malo, et quod iustum est operemur? Nemo enim non videt, admisso Iansenii principio, tunc nobis esse physice impossibile, ut vitam nostram mutemus in melius, cum voluntas nostra *necessario* delectationem terrenam relative victricem sequatur. Quapropter Iansenii principiis imbutus bona consulenti omni iure illud respondere potest, quod Manichaeus, ineluctabile fatum affirmans, vitam bonam suadenti apud *Eusebium* (1) reponit: « Non sunt potestatis haec meae, o doctor! et ideo, quid oportet, te sollicitum esse, nisi haec etiam sollicitudo mihi per fatum destinata sit? Quod si docendi, praecipiendique tibi necessitas instat, frustra tamen doces, ac praecipis. Faciam enim bona, si fata volunt: imo vero laborandum mihi non est; aderit enim necessario, quod fata volunt. » Et sane-sicuti per fatum, ita et per delectationem superiorem relative victricem libertas tollitur, et ineluctabilis necessitas imponitur: unde non immerito a Theologis catholicis dictum est, in Iansenismo Manichaeismum, seu Fatalismum resuscitatum esse. Facile porro intelligi-

(1) L. 6 Praep. Evang. cap. 6.

tur, quam absurdum illud systema sit, quo posito, inutiles dicendae sunt admonitiones, suasiones et minae, quibus tamen tum libri divini, tum scripta Ss. Patrum replentur. *d*) Posito principio Ianseniano, homo nihil agit, nec agere potest, quod praemio aut poena vere dignum sit. Res enim plane certa est, omnium prorsus tam doctorum, quam indoctorum consensu firmata, neque praemium, neque poenam homini iuste deberi idcirco, quia non agit, quod facere nequit; vel quia operatur, quod vitare non potest. « Quae enim, inquit Cl. *Andreas Vega* (1), fuit unquam gens tam barbara, et quis hominum tam stolidus et stupidus, ut putaret, se in culpa esse, aut in crimine propter ea, quae vitare non potest? » — « Nonne ista, teste *S. Augustino* (2), cantant et in montibus pastores, et in theatris poëtae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum? » Dicere proinde non dubitat idem S. Doctor (3), « peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summae iniquitatis esse, et insaniae. » Nullum itaque praemium iure meretur homo, nullaque poena iuste illi debetur, si necessario, et quidem vera, reali et physica necessitate operetur ipse, quidquid modo agit, tam boni, quam mali. Posito autem Ianseniano principio duarum delectationum pro graduum superioritate invincibilium, necessario, et quidem vera, reali et physica necessitate homo modo agit, quidquid agit tam boni quam mali, ut ex dictis abunde constat. Ergo, admisso memorato Iansenii principio, homo nihil agit, nec agere potest, quod praemio vel poena vere dignum sit. Et sic praecipua moralitatis motiva subvertuntur, ipsumque dogma de Deo remuneratore labefactatur (4).

Nota. Cl. *Liebermann* Theol. spec. Lib. V, P. 3, cap. 1, § 1, Prop. 3, allatis contra memoratam Iansenii doctrinam argumentis haec adiungit « Si cui nimia videntur, quae diximus, attendat is, quaeso, nos non vanas umbras hic persequi delirantis Philosophiae, neque contra sectam nos disputare iamdiu sepultam, et obliteratam. De re agitur ad Theologiam revelatam quam maxime pertinente, et de secta, quae vivit ad haec usque tempora, et nihilo descivit a pristino more. » Et Cl. *P. Scavini* Theol. mor. T. I (5) inquit: « Tametsi Iansenistarum doctrinae vigesies, et amplius a S. Sede iampridem diris devotae fuerint; tametsi eorum dogmata sint evidentissime ferrea, et homines in desperationem barbare trahant; adhuc tamen, heu dolor! mutato etiam nomine, asseclas habent aetate nostra non paucos, qui sententias ipsas vel suis in principiis, vel in consectariis tenere non erubescunt, et fidelibus evulgare. » Quae cum ita sint, profecto haud supervacaneum est, non solum falsam, haereticam, et absurdam Iansenii doctrinam confutare, sed etiam rationes enervare, quibus Ianseniani magistri sui errores defendere nituntur.

Obi. I. Rectissime dicitur, omnem actum voluntarium liberum esse eo ipso, quod a voluntate profluat. Id docet *S. Augustinus* l. de spir. et litt. (6) dicens: « Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult

(1) L. 11 de Iustit. cap. 13.
(2) L. de duabus anim. n. 15 (al. cap. 11).
(3) Ibid. n. 17, al. cap. 12.
(4) Cf. Tournely de grat. P. I, q. 3, de Iansen. Fortunat. a Brix. Syst. Iansen. conf. p. 2
(5) In Adnotat. ad Tract. I. Dis. 2, cap. 1 art. 2, q. 3 (pag. 119, ed. 6.a).
(6. Cap. 31.

facit, si non vult non facit; » et lib. V de civ. Dei (1): « Necesse est, ut quod volumus, libero velimus arbitrio. » *S. Prosper* quoque l. c. (2) ideo nos liberos adstruit esse sub gratia, quia « volentes oramus, volentes loquimur, volentes operamur. » Et *S. Io. Damascenus* (3) ait: « Arbitrii libertas nihil aliud est, quam voluntas. » Ex hoc autem principio sequitur, solam coactionem libertatem adimere, non autem intrinsecam necessitatem, quae ipsum voluntatis actum producit. Quam consequentiam summi Ecclesiae Doctores admittunt. Nam *S. Augustinus* (4) liberum arbitrium definit: « Animi motum cogente nullo: » cui definitioni insistens *S. Thomas* (5) haec expresse habet: « Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest; » et (6) cum quaesiisset: « Utrum voluntas aliquid ex necessitate appetat? » illudque, quod certissimum est, constituisset, in beatitudinem universos *necessario* trahi, ideoque voluntatem aliquid *ex necessitate* velle; celebri quod sibi obiecerat *Augustini* effato: « Si aliquid est necessarium, non est voluntarium » respondet: « Dicendum, quod verbum Augustini est intelligendum de necessario necessitate coactionis. Necessitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis, ut ipsemet in eodem libro dicit. » Ergo iuxta utrumque Doctorem sola vere ac proprie dicta coactio libertati adversatur; ideoque meritum, ac demeritum optime potest cum necessitate naturali consistere.

Resp. Duplici sensu *voluntatis* vox usurpari consuevit, tum nempe ad facultatem naturalem animi nostri significandam, quae per modum naturae ad unum determinatae, ac necessitate impellente movetur; tum ad liberam ipsam eiusdem voluntatis electionem, quae, praecedente deliberatione, ab eadem voluntate velut proprio motu fit. Haec distinctio iam in *S. Augustino* invenitur, qui (7) c. Felicem Manich. ait: « Cum (Dominus) dicit: aut hoc facite, aut illud facite, potentiam (id est, voluntatis facultatem libere eligendi) indicat, non naturam (id est, non naturalem voluntatis inclinationem) » (8). Clarius eandem distinctionem proponit *S. Thomas* (9) dicens: « Voluntas, in quantum voluntas, cum sit libera, ad utrumlibet se habet. Potest enim agere, vel non agere, sic vel sic facere, velle et non velle; » quibus verbis describit voluntatem proprie talem, seu formaliter sumptam. Deinde pergit dicens: « Si respectu alicuius hoc voluntati non conveniat; hoc accidet voluntati non in quantum voluntas (seu facultas libere eligendi) est, sed ex inclinatione naturali, quam habet ad aliquid sicut ad ultimum finem, quem non potest non velle: » et his delineat voluntatem, prout natura est, seu agentem per modum naturae. — Hac attenta distinctione, obiectio facile refellitur. Dum nempe Patres aiunt, omnem actum eo ipso liberum esse, quod profluat a voluntate, hanc considerant, quatenus est formaliter voluntas, id est, prout sumitur pro electiva facultate, a qua quidquid profluit, absque dubio liberum est. Hoc sensu accipienda sunt verba *S. Augustini* l. de spir. et litt. (10), in quibus libertas indifferentiae clarissime exprimitur. Lib. V de civ. Dei (11) S. Doctor ostendit, necessitatem consequentem nullo modo officere liber-

(1) Cap. 10. (2) Collat. cap. 18.
(3) L. 3 de fide cap. 14.
(4) L. de duab. anim. c. 1.
(5) In 2, dist. 25, q. 1, art. 4.
(6) 1, q. 82, art. 1. (7) Lib. 2, c. 4.
(8) Cf. ibid. cap. 7, et lib. de duab. anim. cap. 12. (9) Q. 2, de potent. art. 3.
(10) Cap. 31. (11) Cap. 10.

tati; et ideo inter alia haec profert: « Sic etiam cum dicimus, necesse esse, ut cum volumus, libero velimus arbitrio, et verum procul dubio dicimus, et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subiicimus, quae adimit libertatem. » S. *Prosper* l. c. propugnat, per gratiam Redemptoris liberum arbitrium emendari, non auferri; et ideo dicit, quod adiuti per gratiam volentes oremus etc.; imo inferius addit, « quod liberum arbitrium naturaliter homini insitum, maneat in natura, » id est in sua essentia, sed per gratiam Christi ita emendetur, ut a malo avertatur, et ad bonum convertatur. Quomodo verba S. *Io. Damasceni* sint intelligenda, patet ex eo, quod ipsemet paullo inferius in eodem capite dicit: « Enim vero cum voluntatem naturalem pronuntiamus, non eam necessitate obstrictam, sed liberam dicimus. Nam quia rationem comitatur, utique libera est. » Nullatenus ergo ex citatis Ss. Patrum dictis inferri potest, non internam necessitatem, sed solam coactionem libertati officere. Falsum quoque est, summos Ecclesiae Doctores hanc consequentiam admittere; perperam enim adversarii id ex allatis eorum testimoniis evincere tentant. Notandum enim est, quod *coactionis* vox interdum *stricte* sumatur pro vi ex principio extrinseco illata, interdum *late* pro naturali, ac necessaria ad unum inclinatione, quae facultatem ad oppositum aufert; interdum demum *latissime* pro morali quadam vi eaque vehementi, non tamen ineluctabili. Porro tum S. *Augustinum*, tum S. *Thomam* coactionis vocabulum *late*, imo *latissime* usurpasse pro quacunque *necessitate*, adeo ut, dum aiunt: « Id esse liberum, quod non est coactum, » nihil aliud sibi velint, quam: « id esse liberum, quod nulla necessitas extorserit, » ex plurimis ipsorum locis adparet. Sic S. *Augustinus* (1) scribit, primos parentes ideo esse culpandos, quia *nullo cogente*, id est, libera voluntate peccarunt: « Suasit enim, ait, tentator, ut hoc fieret, non coëgit. » Sic pariter S. *Thomas* cont. Gentes (2), cum demonstrandum suscepisset « per auxilium divinae gratiae hominem non cogi ad virtutem, » ita disputationem aggreditur: « Posset autem videri alicui, quod per auxilium divinum coactio homini inferatur ad bene agendum etc.; ubi aperte per coactionem non vim a principio externo illatam, sed internam, ad unum necessitantem, et facultatem ad oppositum auferentem inclinationem intelligit. Hanc igitur internam necessitatem S. *Augustinus* et S. *Thomas* a libero arbitrio removent, dum hoc *cogi non posse* docent. — In altero testimonio cit. (3) S. *Thomas* non considerat voluntatem *formaliter*, seu quatenus est facultas eligendi, ac respuendi vi praedita, sed accipit voluntatem *pro natura*, et docet, naturali voluntatis inclinationi, nempe innato beatitudinis desiderio, solam coactionem opponi. Talem esse mentem S. *Thomae* constat ex iis, quae *de veritate* (4) scribit; ubi, cum ipsissimam S. *Augustini* sententiam usurpasset, inquit: « Cum electio sit quoddam iudicium de agendis, vel iudicium consequatur, de hoc potest esse electio, quod sub iudicio nostro cadit. Iudicium autem in agendis sumitur ex fine, sicut de conclusionibus ex principiis. Unde, sicut de primis principiis non iudicamus, ea examinantes, sed naturaliter eis assentimus... ita

(1) L. 1 Retract. cap. 15.
(2) L. 3, cap. 148.
(3) 1, q. 82, art. 1.
(4) Cap. 24, art. 1.

et in appetibilibus de fine ultimo non iudicamus . . . sed naturaliter approbamus ; propter quod de eo non est electio, sed voluntas. Habemus ergo respectu eius liberam voluntatem, cum necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet secundum Augustinum, non autem liberum iudicium proprie loquendo, quum non cadat sub electione. » — Caeterum, quod *S. Thomas* hac in re cum Iansenianis non consentiat, sed eorum sententiam ut haereticam reiiciat, patet ex iis, quae Quaest. 6 de malo praeclare scribit. Quum enim quaesivisset : « Utrum homo habeat liberam electionem (actuum), aut ex necessitate eligat? » respondet : « Dicendum, quod quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid agendum ; nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur (quae est ipsissima *Iansenii* sententia)... Haec autem opinio est *haeretica*. Tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus ; non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philosophiae opiniones, quia non solum adversatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiae moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum et punitio, laus atque vituperium, circa quae moralis philosophia consistit. » Itaque iuxta angelicum Doctorem *dogma fidei* est, quod ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non sufficit in homine libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate. Et sane hoc dogma constat ex omnibus iis Scripturae locis, in quibus actiones humanae meritoriae aut demeritoriae illi tantum electioni adscribuntur, aut imputantur, per quam homo dominus dicitur, et est suarum actionum : qualia sunt Deut. XXX, 19, I Cor. VII, 19 (1). Ita pariter *Ss. Patres* homini lapso in actibus suis meritoriis vel demeritoriis non solum libertatem a coactione, sed etiam libertatem a necessitate vindicant (2). *Concilium Tridentinum* erroribus Lutheri et Calvini anathema dixit, dum sess. VI, can. 4, et 5, et 6 definivit, liberum arbitrium per Adae peccatum non esse extinctum, sed vere agere, gratiae cooperari, aut ab ea dissentire posse. Sed praefati haeresiarchae libertatem a coactione in homine lapso admiserunt. Nam *Lutherus* in libro *de servo arbitrio* (3) ita mentem suam aperit : « Sequitur nos necessario operari, necessario dico, non coacte ; hoc est, homo, cum vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, velut captus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte et libenti voluntate facit. » Et *Calvinus* (4) ait : « Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor, et constanter assevero, ac pro haeretico habeo, quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror. » Et quibus patet, *Iansenii* sententiam de hominis libertate in statu naturae lapsae plane consentire cum erroribus *Lutheri* et *Calvini :* et cum is in Concilio Tridentino damnati sint hoc idem de doctrina Iansenii dicendum, et confitendum est, iuxta doctrinam catholicam ad merendum vel demerendum non sufficere liberta

(1) V. § 199, n. 1, et § 426, n. 1.
(2) Ibid. n. 2

(3) Fol. 468. (4) L. 2 de lib. arbitr. (edi 3, Genev., pag. 153.

tem a coactione, sed requiri libertatem a necessitate.

Obi. II. *S. Augustinus* in suis scriptis passim duplicem statuit delectationem, coelestem quae a gratia, et terrenam, quae a concupiscentia producitur, et satis clare docet, hominem necessario illam delectationem sequi, quae altera viribus superior est, et ideo rectissime victrix appellatur. Nam in Expos. Ep. ad Galat. n. 49 ait: « Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est: » quae verba characteribus aureis scribenda esse, dicit *Iansenius* (1). — Hoc idem repetit S. Doctor l. II de peccat. merit. et remiss. cap. 17 scribens: « Nolunt homines facere quod iustum est, vel quia latet an iustum sit, vel quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius. » Vere igitur dixeris, systema delectationis relative per gradus necessario victricis germanum *S. Augustini* systema esse, quod ipse perpetuo inculcat, et quod ab eo Iansenius mutuatus est, ac luculentius explanavit.

Resp. Negari non potest, *S. Augustinum* frequentissime de duplici delectatione loqui, quae sive a gratia, sive a concupiscentia producitur, et per quam homines ad bene, vel male agendum moventur; sed probe notandum est, non solum quoad originem, verum etiam quoad internam naturam a S. Doctore duplicem distingui delectationem, alteram *obiectivam* seu inhaerentem obiecto ipsi, quod vel pulcritudine sua vel suavitate aliisque illecebris necessario, et antecedenter mentem, aut sensus allicit; et haec delectatio, quae etiam *indeliberata* dicitur, nec subest rationis imperio, nec ipsam invitam determinat ad agendum: alteram vero *subiectivam*, quae ex arbitrii seu voluntatis determinatione, ac propterea omnino libera est, et *electiva*, *consequens* seu *deliberata* vocatur. Delectatio obiectiva tam competit gratiae, quam concupiscentiae, quibus anima antecedenter, indeliberate, imo necessario urgetur; nec enim anima potest non sentire quod sentit; neque potest non allici, aut titillari ex inhaerente ipsis obiectis dulcedine ac suavitate. Delectatio autem subiectiva, cum subsit mentis imperio, ex ea pendet, ita ut ex duabus obiectivis, quae sibi offeruntur, delectationibus, et a quibus ad opposita urgetur, perpensis motivis, aliisque praestitis, quibus opus est, ad unam potius quam ad alteram se flectat, unam prae altera amplectatur et eligat, in una potius quam in altera delectetur. Hanc esse genuinam *S. Augustini* doctrinam, ex plurimis ipsius testimoniis evinci potest. Sufficiat perpendere, quae habet S. Doctor Serm. 17 de verbis Apostoli, ubi latissime et ex professo hanc versat materiam, de qua sic incipit loqui cap. 2 dicens: « Inter omnia quae delectant, plus te delectet ipsa iustitia (en duplicem delectationem, obiectivam et subiectivam); non ut alia non delectent (obiective), sed plus illa (iustitia) delectet (delectatione subiectiva, quae ab electione pendet). Delectant enim quaedam naturaliter (id est, non libere, sed necessario) infirmitatem nostram, ut cibus et potus delectant esurientes, atque sitientes: » et sic variis enumeratis obiectis, quae delectant, et ex quibus delectatio subiectiva licita, vel illicita haberi potest, denique concludit: « Videtis ergo, carissimi, esse in istis corporis sensibus licitas et illicitas delectationes. Iusti-

(1) L. 4 de grat. Chr. cap. 6.

tia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes, et ei delectationi qua licite delectaris, praepone iustitiam. » Ergo ex mente S. Doctoris ab electione nostra ac optione pendet, in uno potius obiecto quam in altero delectari, quod falsum esset, si ipse loqueretur de delectatione antecedente, ac trahente necessario assensum nostrum. *S. Augustinus* igitur sat luculenter obiectivam seu indeliberatam, et subiectivam seu deliberatam distinguit. Cum vero de utraque passim delectatione S. Doctor loquatur; qui eius auctoritate abutuntur, utramque miscent, atque perturbant, ut videantur absurdam doctrinam ex Augustino haurire, eidemque S. Doctori eam adscribere non verentur. Caeterum quoties S. Doctor loquitur de gratia aut concupiscentia, toties eis adscribit delectationem obiectivam; quoties vero de mentis assensu, ac de effectibus gratiae, et concupiscentiae disserit, toties pariter loquitur de delectatione deliberata, consequenti ac libera seu subiectiva. — His declaratis, facile est respondere ad testimonia S. Doctoris, quae nobis obiiciuntur. Et in primis perperam gloriatur *Iansenius* de dicto S. Augustini, « quod amplius nos delectat secundum hoc operemur necesse est, » quasi istud invicte probet, hominem necessario sequi delectationem superiorem et relative victricem. Nam S. Doctor in citato loco non loquitur de delectatione obiectiva, sed de subiectiva: haec scilicet verba, « quod amplius delectat, » intelligit de delectatione deliberata, subsequente liberam voluntatis electionem et determinationem: ac similiter per ista verba, « secundum hoc operemur necesse est, » intelligit necessitatem consequentem, non antecedentem, ita ut illius effati hic sit sensus: si aliquid absolute et efficaciter (delectatione deliberata et libera) amplius velimus et diligamus, necessario secundum illud operamur. Non enim dicit: secundum hoc *velimus* necesse est, sed: secundum hoc *operemur* necesse est, per quod indicat se loqui de actione externa, quam communissime saltem praecedit deliberata delectatio, et quae liberum consensum, et efficax voluntatis imperium naturaliter sequitur. Hanc esse in citatis verbis *S. Augustini* mentem, patet ex integro contextu, qui ita se habet: « Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est; ut verbi gratia, occurrit forma speciosae foeminae, et movet ad delectationem fornicationis; sed si plus delectat pulcritudo illa intima et sincera species castitatis, per gratiam, quae est in fide Christi, secundum hanc vivimus, et secundum hanc operamur; ut non regnante in nobis peccato ad obediendum desideriis eius, sed regnante iustitia per charitatem, cum magna delectatione faciamus, quidquid in ea Deo placere cognoscimus. » Quis hic non palpet, sermonem esse de delectatione deliberata? Ideo S. Doctor ibidem n. 50 nos hortatur, ne illicitas delectationes sectemur; ex quo iterum patet, sermonem esse de delectatione deliberata; actus enim indeliberati nequeunt esse materia hortationis aut praecepti. Eodem modo S. Doctor l. II de pecc. merit. et remiss. cap. 17 loquitur de delectatione subiectiva et deliberata; ait enim: « Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque (per deliberatam ac liberam voluntatis inclinationem) delectamur ardentius. » Hanc fuisse mentem *S. Augustini*, patet ex iis quae in eodem capite scribit: « Cum voluntatem humanam gratia adiuvat

te divina, sine peccato in hac vita possit homo esse; cur non sit, possem facillime, ac veracissime respondere, quia homines nolunt: sed si ex me quaeritur, quare nolunt, imus in longum. » Si *S. Augustinus* Iansenii sententiam habuisset, breviter respondisset, homines peccare ob delectationem terrenam superiorem, et relative victricem, quam vincere nequeunt: sed S. Doctor proximam peccati causam in liberam hominum voluntatem refundit, varias autem innuit causas remotas, ex quibus fit, ut voluntas a bono deficiat, ac praeterea docet, homines, dum peccant, adiuvante gratia, sine peccato esse posse. Ergo *S. Augustinus* a falsa et impia Iansenii doctrina longissime fuit remotus.

Obi. III. *S. Augustinus* de delectatione indeliberata loquitur, per quam homines ad bene vel male agendum impelluntur. Id patet iam ex eius definitione gratiae efficacis, quam *delectationem victricem* appellat. Peccata quoque hominum delectationi terrenae adscribit l. XXII c. Faust (1) dicens: « Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo, qui delectationem illiciti relaxat potius, quam refraenat: » et l. I ad Simplic. q. 2 inquit: « Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest: hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate: » quibus verbis apertissime indicat delectationem indeliberatam. Demum l. de Spir. et litt. c. 29 ait: « Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod iubet, atque inspirata gratiae suavitate per Spiritum sanctum faciat plus delectare quod praecipit, quam delectat, quod impedit. » Ergo ut praeceptum Dei impleatur, necesse est, ut praeveniat nos indeliberata delectatio gratiae maior quam sit delectatio terrena impediens.

Resp. Non negamus, *S. Augustinum* saepius loqui de delectatione obiectiva seu indeliberata, per quam voluntas excitatur, et movetur; sed nullibi asserit, quod per illam voluntas necessitetur: quinimo hoc aperte negat dum tract. 26 in Ioan. scribit: « Trahit sua quemque voluptas; *non necessitas*, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio... Videte, quomodo trahit Pater: docendo delectat, *non necessitatem imponendo.* » Gratiam efficacem S. Doctor vocat victricem, non quia semper intensione superat concupiscentiam, vel quia voluntatem necessitat, sed quia facit, ut voluntas libere vincat motus concupiscentiae, movendo voluntatem sicut ei congruit, ut reapse consentiat et agat bonum. In primo textu citato sermo est de delectatione deliberata; peccatum enim sine complacentia mala de obiecto illicito non patratur: at vero complacentia haec mala, cum ab homine superari possit, nullam inducit antecedentem necessitatem peccandi: ipse S. Doctor peccatum non gradui superiori invincibilis delectationis terrenae indeliberatae adscribit, sed deliberatae, et liberae hominis malitiae: « qui delectationem illiciti relaxat potius, quam refraenat. » In altero textu loquitur quidem de delectatione indeliberata quae hominem praevenit, et in eius potestate non est: sed illam ut moventem, non ut necessitantem proponit, et cum illa delectationem deliberatam, et liberum voluntatis consensum requirit, ut actus sequatur. In tertio textu hoc unum vult *Augustinus*, implorandam esse gratiam ulteriorem, ut libere exequamur praeceptum, et per delectationem delibe-

(1) Cap. 28.

ratam iustitiam praeferamus concupiscentiae hactenus dominanti. Et vero in principiis Iansenii frustra hortaretur S. Doctor, ut confugiamus ad misericordiam et gratiam implorandam: si enim illecebra concupiscentiae magis delectat quam motio coelestis ad orationem excitans, oratio erit impossibilis: si minus delectat, oratio necessario sequetur (Cf. *Dechamps*) (1), *Dion. Petavium* (2), *Sardagna* (3).

ARTICULUS II.

Opiniones scholarum.

§ 429. In dogmatibus de gratia hactenus probatis omnes Theologi catholici consentiunt; sed cum ulterius progrediuntur, et praeter ea quae revelata, et ab Ecclesia definita sunt, operationis etiam modum inquirunt, quo praefata dogmata concipienda, et declaranda sint, ut internos eorum nexus pro humano captu conspicuus reddatur, in varias abeunt opiniones. Disputant enim inter se de modo, quo gratia efficax operatur, de modo, quo eadem cum libero arbitrio coniungitur, et de modo, quo gratia efficax non solum quoad effectum, sed etiam quoad internam naturam a gratia sufficiente distinguitur. Hinc circa doctrinam de gratia varia enata sunt systemata theologica, quae in scholis exposita, et tanto animorum aestu propugnata fuerunt, ut ipsi Pontifices romani vigentes controversias examinandas, et diiudicandas susceperint. Celebres idcirco habitae sunt sub *Clemente VIII* et *Paulo V.* Congregationes *de Auxiliis,* in quibus autem post multas discussiones et disceptationes nihil decisum, sed a *Paulo V* anno 1606 declaratum fuit, utriusque partis litigantis sententiam in scholis catholicis tuto et impune, sed tamen sine damnatione alterius partis, doceri posse, donec aliter a S. Sede decerneretur: quam Constitutionem anno 1733 *Clemens XII* confirmavit. Ex his patet, salva fide, et sine erroris, aut temeritatis nota, varias, quae circa doctrinam de gratia propugnatae in scholis catholicis fuerunt, opiniones defendi posse, dummodo dogmata intacta maneant, et intemerata fide teneantur. Inter dissentientes autem scholarum opiniones praecipue recensenda sunt systemata *Thomistarum*, *Augustinianorum*, *Molinistarum*, et *Congruistarum.* Praecipuum vero inter haec systemata discrimen in eo consistit, quod *Thomistae* et *Augustiniani* admittant gratiam *ab intrinseco efficacem; Molinistae, et Congruistae* eam dicant *ab extrinseco efficacem.* Notandum porro est, gratiam dici *ab intrinseco* efficacem, quando infallibilis eius cum effectu connexio in ipsa gratiae natura fundatur, ita ut non idcirco gratia efficax fiat, quia ei homo consentit, sed ideo homo consentiat, velit et agat, quia gratia efficax est; *ab extrinseco* autem efficacem gratiam vocari, quando infallibilis eius cum effectu connexio non ex gratiae natura repetitur, sed ex aliqua causa gratiae extrinseca, e. g. ex praevisione consensus humanae voluntatis. Ast systematibus iam enumeratis *quintum* addere licebit, quod priora inter se aliquo modo conciliare, ac in se unire nititur. — Priusquam autem ipsa systemata exponantur, quaedam praemittenda et observanda sunt tum *de natura quaestionis* quae ventilatur, tum *de modo*, quo in illius discussione procedendum est.

1. Nemo negabit difficillime a nobis

(1) De haeresi Ianseniana lib 3, disp. 3, cap. 6 et seq.

(2) De Tridentini Concilii interpret. et S. Augustini doctrina lib. un.

(3) T. V. Diss. 1, art. 1, controv. 2.

concipi, quomodo gratia et liberum arbitrium ita in quolibet actu salutari concurrant, ut iste tum gratiae, tum libero arbitrio recte adscribatur. Nexus iste, seu concordia gratiae cum libero arbitrio, de qua in scholis quaestio movetur, res est rationem superans, captum humanum transcendens, inter Religionis mysteria merito referenda. Deus enim tum gratiae, tum liberi arbitrii auctor est: operationes autem Entis infiniti, per infinitam sapientiam, et omnipotentiam agentis a mente limitata perfecte comprehendi non posse, recta Philosophia docet. Quod si in mundo physico et visibili multos effectus, in ordine naturali contingentes, cernimus, quorum intrinsecas causas perfecte intelligere, et certo explicare non valemus; quis mirabitur similes effectus etiam in mundo morali, qui sensibus non subiicitur, et in ordine supernaturali existere, nosque perfecte comprehendere, et certo declarare non posse, quomodo Deus per ineffabilem vim gratiae supernaturalis quidquid vult, in nobis certo et infallibiliter operetur, quin libertas patiatur detrimentum? — Quo magis talis operatio non solum vires nostras, sed ipsam quoque intelligentiam nostram superat, eo humilius ignorantiam nostram fateri, eoque amplius infinitam Dei sapientiam, omnipotentiam, immensamque bonitatem admirari et laudare debemus. Idcirco Apostolus, supernaturalis gratiae operationes considerans, exclamat (1): *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* — Ita pariter *S. Augustinus*, quamvis gratiae Doctor merito nuncupetur, gratiae vim internam, operandi modum, mensuram distributionis, illiusque cum humana libertate concordiam perpendens (2) dicit: « Occultum est, altum est, inaccessibili secreto ab humana cogitatione seclusum est, quemadmodum Deus et damnet impium, et iustificet impium... Quanto convenientius, quanto accommodatius est modulo nostro expavescere, ubi Paulus expavit, et exclamare: *O altitudo* etc. » Idem I. de grat. Chr. (3) ait: « Quaestio ista, ubi de arbitrio voluntatis, et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. » *S. Prosper* quoque multa, quae gratiam divinam concernunt, a nobis intelligi non posse fatetur; nam de vocat. gent. (4) haec habet: « Cum de gratiae profunditate, et altitudine disputatur, tribus illis saluberrimis, et veracissimis definitionibus simus innixi. Quarum una profitetur aeternum, et proprium divinae esse bonitatis, ut omnes homines salvos fieri velit, et in agnitionem veritatis venire. Alia simul praedicat, omnem hominem, qui salvus fit, quique in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio iuvari et regi, utque in fide, quae per dilectionem operatur, permaneat, custodiri. Tertia vero temperanter et sobrie protestatur, non omnem voluntatis Dei comprehendi posse rationem, et multas divinorum operum causas ab umana intelligentia esse subductas... His rite pertractatis, nullius superest causa certaminis, neque ultra necesse est, nos interminabilibus quaestionibus occupari. » Ita etiam alii Patres ac Theologi candide fatentur, nexum gratiae cum li-

(1) Rom. 11, 33 etc. (2) L. 2 c. Faust. c. 3. (3) Cap. 17. (4) L. 2, cap. 30.

bero arbitrio incomprehensibilem esse, et ad fidei mysteria merito referri. Ex quo colligitur, humano ingenio non posse tale systema construi, per quod omnis obscuritas tollatur, omnis difficultas perspicue enodetur, operationes gratiae supernaturalis perfecte intelligantur, huiusque cum libero arbitrio nexus perfecte comprehendatur. Recte igitur Cl. *Contensonius* (1) dicit: « Sicut non sine spinis rosa vernat, sic difficultatum innumeris stimulis, et aculeis vallata et obsepta est elegantia gratiae; quia nimirum magis amari avet, quam disputatione tractari: ideoque dum simplicium animis lucem, cordibus suavitatem infundit, curiosos maiestatis suae, mysteriorumque suorum scrutatores gloria opprimit. »

2. Quamvis nexus gratiae cum libero arbitrio sit *supra rationem*, nullatenus tamen est *contra rationem*. Imo incassum laborat, qui in hac doctrina catholica contradictionem ostendere nititur. Ad hanc enim duae ideae clarae, distinctae et certae requiruntur, quae ita sibi opponantur, ut invicem se mutuo excludant; tales autem ideae ex praefata doctrina erui nequeunt. Mens enim limitata modum perfecte intelligere non valet, quo Deus infinita sapientia et omnipotentia praeditus in animis nostris per gratias supernaturales operatur, quas nec sensibus percipere, nec ingenio comprehendere possumus; quippe si naturales Dei operationes in conservando et gubernando mundo visibili perfecte non perspicimus, quanto minus supernaturales Dei operationes comprehendemus? Ex altera parte de existentia quidem nostrae libertatis per sensum intimum certi sumus, sed intrinsecam eius naturam nequaquam perfecte intelligimus: ideo Philosophi in ipsa libertate definienda dissenserunt; et licet cognoscamus, motiva et varias causas externas et internas influere in volitiones nostras, hasque nihilominus liberas esse, integram tamen harmoniam libertatis cum influxu causarum physicarum et moralium perfecte intelligere, et adaequate explicare non valemus. — Quae cum ita sint, manifeste patet, neque ex parte gratiae, neque ex parte libertatis claras, distinctas et certas ideas assignari posse, quae ita sibi opponantur, ut invicem se mutuo excludant. Insistendum ergo est divinae Revelationi, quae nos tum de efficacia gratiae, tum de libertate hominis in actibus salutaribus certos reddit, et propter ignorantiam modi seu nexus dogmata coelitus patefacta negare non licet.

3. Etsi nexus gratiae cum libero arbitrio inter fidei mysteria recensendus sit; non tamen omnis humani ingenii conatus praefatum nexum declarandi interdicitur; sed dum dogmata intemerata fide tenentur, functioni quoque rationali seu speculativae locus conceditur. Ita sensit *S. Coelestinus P.* qui in celebri ad Episcopos Galliae Epistola post enumerata, quae certa sunt ac rata Ecclesiae decreta, addit: « Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus eas adstruere. » Reprehendendi ergo non sunt insignes Theologi, qui non solum dogmata catholica defendere, sed etiam internum eorundem nexum aliquo modo explicare conati sunt, et hunc in finem varia systemata excogitarunt. Consentiendum porro iis

(1) In Theol. mentis, et cordis lib. 7 in Praeloquio

non est, qui omnem de praefatis scholasticorum opinionibus, et disceptationibus tractatum e scholis eliminatum volunt. Nam qui celeberrima a Theologis exarata et propugnata de gratia systemata penitus ignorat, vix Theologi dogmatici nomen meretur. Praeterea eadem systemata sine studio partium diligenter perpensa, et ad invicem collata magnam ipsis dogmatibus lucem affundunt, et contra Rationalistarum, qui mysteriis cunctis fidem detrectant, aliorumque adversariorum insultus valida arma suppeditant. Haud supervacaneum igitur, sed valde proficuum est, ut in Thelogia dogmatico-polemica dicta systemata non solum historice enumerentur, sed etiam explicentur, atque examinentur, ut solidum de iis iudicium ferri queat.

4. Ad systemata de gratia rite diiudicanda sequens regula statui potest. Systema eo praestantius habendum est, quo magis fini suo congruit, quo clarius nempe in ipso tum efficacia gratiae, tum libertas hominis vindicatur, internus utriusque nexus manifestatur, et ratio assignatur, ex qua fit, ut gratia modo efficax sit, modo effectum salutarem, ad quem a Deo conceditur, non sortiatur. — Quoniam autem Religio christiana rectissime aedificio comparatur, cuius partes pulcherrimo ordine connectuntur, et quoniam idcirco omnes doctrinae revelatae ita comparatae sint oportet, ut primario gloriam Dei, et secundario finem hominis, moralitatem scilicet et felicitatem eiusdem promoveant; altera quoque regula statuenda esse videtur. Systema enim eo excellentius dicendum erit, quo melius cum caeteris veritatibus theoreticis et officiis practicis connectitur. Quo clarius ergo in systemate attributa divina, praecipue Sapientia, Sanctitas, Bonitas et Iustitia Dei manifestantur; quo luculentius merita Christi exaltantur, et immensa eius, qui pro omnibus est mortuus, charitas ostenditur; quo apertius monstratur, hominem per moralitatem ad felicitatem pervenire posse et debere; quo melius denique officia et virtutes christianae, praecipue humilitas, confidentia in Deum, et diffidentia de se, salutaris timor, et continuum orandi studium inculcantur, eo magis censendum est, systema veritati consonum esse.

5. In hac tractatione celebre *S. Augustini* effatum solerter observandum est: « In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas. » A dogmatibus enim catholicis ne latum quidem unguem recedere licet et probe notandum est, systema veritatibus, non veritates systemati accommodari debere. Varias autem, et discrepantes circa modum explicandi vim et efficaciam gratiae opiniones, quas Ecclesia permittit, damnare ac stilo censorio inverecunde configere non licet: ita enim procedentes iudicio, atque auctoritati Ecclesiae non minus iniuriosi quam sibimetipsis contrarii sunt, quia, qua frui volunt sentiendi libertate, alios spoliare nituntur. Charitas denique praecipit, ut systema fideliter proponatur prout a patronis suis defenditur; ac propterea cavendum est, ne systema ex una, vel altera tantum parte referatur, et rationes, quae illi minus propitiae sunt, in plenissima luce collocentur; rationes vero quae eidem favent, penitus reticeantur.

I. *Systema Thomistarum.*

§ 150. Thomistarum sententiam, si non invenit, tamen explicavit uberius, et expolivit *Dominicus Bannes*, saeculi XVI Theologus ex Ordine

Praedicatorum. Qui hanc sententiam amplectuntur, ideo *Thomistarum* nomine veniunt, quia se in omnibus *S. Thomae* vestigia sequi contendunt, et doctrinam tradere, quam a tanto Magistro acceperunt. Iuxta huius angelici Doctoris principia *efficaciam gratiae* explicare, *libertatem* hominis vindicare, *discrimenque gratiae sufficientis* ab efficaci assignare nituntur.

1. Deus, qui non solum omnia creavit, sed etiam omnia continuo conservat et gubernat, recte dicitur prima causa movens omnium, quae sunt et fiunt, atque ideo etiam omnium volitionum et operationum humanarum. Id clare docet *S. Thomas* (1) dicens: « Sicut omnes motus corporales reducuntur in motum coelestis corporis sicut in primum movens corporale, ita omnes motus tam corporales, quam spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus. Et ideo quantumcunque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi moveatur a Deo. » Deus ergo non solummodo potentiam agendi tribuit, sed cum potentia in actum transit, Deus etiam huius actus est prima causa movens. Id quoque clarissime docet *S. Thomas;* nam lib. III c. Gentes (2) impugnans sententiam eorum, qui dicebant, Deum dare nobis virtutem volendi, non autem ipsum velle, eamque S. Scripturae effatis contrariam esse probans, ita loquitur: « Quibus quidem auctoritatibus S. Scripturae resistitur evidenter. Dicitur enim (3): *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine;* unde non solum virtutem volendi a Deo habemus, sed etiam operationem. Praeterea hoc ipsum, quod Salomon dicit (4): *quocunque voluerit, inclinabit illud*, ostendit, non solum divinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius. Item Deus non solum dat rebus virtutem, sed etiam nulla res potest propria virtute agere, nisi agat in virtute ipsius, ut supra ostensum est: ergo homo non potest virtute voluntatis sibi data uti nisi in quantum agit in virtute Dei. Illud autem, in cuius virtute agens agit, est causa non solum virtutis, sed etiam actus, quod in artifice apparet, in cuius virtute agit instrumentum, etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accipit, sed solum ab ipso applicatur ad actum: Deus igitur est causa in nobis non solum voluntatis, sed etiam volendi. » Sicuti ergo non sufficit, ut instrumentum virtutem, seu aptitudinem ex. gr. incidendi etc. habeat, sed etiam ab artifice applicari debet ut incisio fiat; ita etiam non sufficit, ut potentia volendi et agendi a Deo collata sit, sed ulterius requiritur, ut ab eodem Deo tanquam prima rerum omnium causa movente potentia illa ad actum applicetur. Hinc ad quemlibet actum necessaria est *praemotio physica*, seu actio divina, per quam potentia rebus creatis indita modo naturae agentis consentaneo ad actum applicatur. Dicitur autem haec actio divina *praemotio*, quia praecedit actum voluntatis « non prioritate durationis seu temporis, inquit *Gonetus* (5), sed duntaxat naturae seu causalitatis, et dependentiae; » nam *S. Thomas* (6) docet, « motionem moventis praecedere motum mobilis ratione et causalitate: » dicitur vero praemotio *physica*, « non quod forma naturalis sit, ait idem *Gone-*

(1) 1 2, q. 109, art. 1. (2) Cap. 89.
(3) Is. 26, 12. (4) Prov. 21, 1.
(5) In Clypeo Theologiae Thomist. disp. 9, art. 5, § 1, n. 66. (6) L. 3 c. Gent. cap. 149.

ius (1), seu per modum naturae ad unum determinans (absit), sed quia ex propria essentia et ab intrinseco est efficax, independenter a quocunque creato consensu, quod est esse physicum theologice, non philosophice. » Haec praemotio physica necessaria est ad actus naturales, et multo magis ad actus supernaturales, quos homo per vires naturales ponere nequit, atque ideo potentiam supernaturaliter agendi in statu naturae lapsae a Deo per merita Christi obtinere debet, ut patet ex tractatu de necessitate gratiae. Quotiescunque ergo actus bonus in ordine supernaturali ponitur, Deus est causa primi istius actus, quia praemotionem physicam ita movet, et dirigit hominem ut actus salutaris ab ipso perficiatur. Hinc S. *Thomas* gratiam actualem (2) definit : « divinum auxilium, quo nos movet ad bene volendum et agendum; » et ait *Gazzaniga* (3): « Nomine gratiae efficacis intelligitur illud auxilium, quo Deus non solum veras tribuit animae vires bene operandi, sed etiam voluntatem determinat, ut actu bonum velit, et operetur. » Ideo gratia efficax per praemotionem physicam operatur velle et perficere, ipsum consensum voluntatis producit, et actum salutarem ad quem conceditur, certo et infallibiliter consequitur. Nam, ait *S. Thomas* (4): « Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur, non tamen est impossibile simpliciter; unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur: » q. 6 de malo, art. un. ad 3 dicit : « Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest. » Et q. 22 de verit. art. 8 scribit: « Omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est a voluntate ut immediate agente, sed etiam a Deo ut primo agente, qui vehementius imprimit; unde sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ita et multo amplius Deus. » Ex his autem sequitur, quod gratia sit *ab intrinseco* efficax; sicut enim primaria causa non potest dependere a secundaria, sed haec ab illa dependet; sic etiam efficacia gratiae non potest dependere a consensu voluntatis, sed consensus voluntatis dependet ab efficacia gratiae; seu gratia non fit efficax, quia consentit homo; sed ideo consentit homo, quia gratia est efficax.

2. Deus, dum gratiam efficacem elargitur, non solum vult, ut actus salutaris ponatur, sed simul etiam vult, ut actus libere ponatur, quoniam ab aeterno decrevit, hominem per moralitatem, quae actiones liberas exposcit, ad felicitatem tendere debere. Cum autem voluntas Dei sit omnipotens, et efficacissima, ipsa actio divina, quae praemotio physica dicitur, non solum efficit, ut actus salutaris ponatur, sed etiam efficit, ut libere ponatur. Tantum ergo abest, ut praemotio physica libertatem tollat vel imminuat, ut potius eandem certo et infallibiliter efficiat. Id praeclare docet *S. Thomas;* nam 1, q. 19, art. 8, inquit : « Cum aliqua causa efficax fuerit ad agendum; effectus consequitur causam non tantum secundum id, quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, vel essendi. » Ex quo principio ita postea concludit : « Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quae Deus

(1) In Clypeo Theologiae Thomist. disp. 9, art. 5, § 1, n. 67. (2) 1 2, q. 111, art. 2.

(3) De grat. P. 1, Diss. 5, cap. 1, n. 101.
(4) 1 2, q. 10, art. 4 ad 3.

vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult: vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter » (id est, libere), et ad 2 addit: « Ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinae resistit, sequitur, quod non solum fiant ea quae Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario, quae sic fieri vult: » q. 6 de malo, art. un. ad 3 ait: « Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas. » Et quia manet libertas, Doctor angelicus agnoscit etiam in homine a gratia moto et excitato potentiam resistendi gratiae; nam *quodlibet.* 1, art. 7 ad 2 ita disserit: « Deus movet omnia secundum modum eorum, et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate, propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita, et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere. » Quod si dicatur, de ratione potentiae liberae esse, ut sit causa sui motus, ut seipsam moveat et determinet; *S. Thomas* id nullatenus negat, sed saepius affirmat, atque id principiis suis nullo modo contrarium esse ostendit. Ipse enim propositae difficultati (1) respondet: « quod equidem liberum arbitrium sit causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id quod liberum est; sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa eius. Deus igitur est prima causa movens et naturales causas, et voluntarias; et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum eius proprietatem; » in quae verba Cl. *Billuart* (2) ita disserit: « Movet ergo Deus potentiam liberam, non praecise ut moveatur, et nihil agat, neque determinat praecise ut determinetur, sed movet et determinat tanquam primum movens, ut ipsa tanquam secundum movens primo subordinatum, et in suo ordine se etiam moveat, determinet et agat, et quidem libere, nimirum sub indifferentia iudicii, et servando potentiam ad oppositum, quia operatur in unoquoque secundum eius proprietatem, movetque nedum ad substantiam, sed etiam ad modum actus. » Perperam contra hanc doctrinam argumenta rationalia procuduntur. Ipsa enim sana ratio cognoscit, hominem non sibimetipsi libertatem dedisse, sed eam a Deo accepisse. Liberum arbitrium est itaque ens contingens, quod, sicut caetera entia contingentia, continuo seu in quolibet momento a Deo conservari et gubernari, seu ad finem suum dirigi debet. Quis ergo absonum declarabit dicere, Deum, dum per gratiam efficacem actum salutarem producit, homini in eodem actu etiam libertatem conferre posse et velle, cum eundem actum non solum bonum, sed etiam liberum esse velit? « Haec est, ait ibidem Cl. *Billuart*, causa hallucinationis Adversariorum, quod fingant libertatem humanam quasi alterum Deum, quae in sui exercitio et actu excusserit de-

(1) 1, q. 83, art. 1 ad 3.

(2) Tract. de Deo et eius attrib. Diss. 8, art. 4, § 2.

pendentiam a suo Creatore: quod quantum sit alienum a fide et recta ratione, novit quisquis attenderit ad iura divinitatis, et conditionem entis creati. »

3. Praeter gratiam efficacem, quae ipsam voluntatis determinationem, seu liberum consensum operatur in nobis, datur etiam *gratia sufficiens*, quae veram bene operandi potentiam voluntati confert, ab actu tamen seiunctam. Quidam Thomistae gratiam sufficientem ab efficaci toto genere distinguunt, ita, ut sufficiens nunquam fieri possit efficax; alii vero cum Cl. *Thoma de Lemos* dicunt, gratiam sufficientem ab efficaci non distingui realiter, sed formaliter tantum, ut scilicet gratia excitans, praecise ut excitans, appelletur sufficiens, gratia autem eadem ut adiuvans et cooperans sit efficax. Caeterum quoniam in systemate thomistico, tum ob dependentiam creaturae a Creatore, tum ob infirmitatem naturae humanae per peccatum corruptae, omnia, quae ad salutares actus spectant, repetuntur a Deo prima causa movente; in homine autem potentia ad bene agendum ab ipso actu distinguitur, quia illa hunc praecedit, et illa sine isto existere potest; consequenter etiam duplex actio divina distinguenda est; nempe actio divina, quae confert potentiam, et actio divina, quae efficit actum. Hanc duplicem actionem divinam, seu hoc duplex adiutorium Dei iam distinxit *S. Augustinus*, qui lib. de corrept. et grat. (1) inquit: « Ipsa adiutoria distinguenda sunt: aliud est adiutorium, sine quo aliquid non fit, et aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit: ergo adiutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. » Sicuti ergo alimentum potest vitam nostram conservare, at vero ad vivendum necessaria est determinatio voluntatis, ut alimento utamur: eadem ratione gratia sufficiens potentiam bene operandi confert, sed praeterea necessaria est voluntatis determinatio, ut hanc potentiam reducamus ad actum, et bene operemur, quam determinationem nobis non confert nisi gratia efficax. *S. Augustino* de more consentit *S. Thomas*, qui (2) ad haec verba Apostoli: *Cuius factus sum ego minister secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi, secundum operationem virtutis eius*, inquit: « Tangit Apostolus auxilium sibi praestitum ad ministeriorum executionem: huiusmodi autem auxilium duplex fuit: unum quidem ipsa facultas exequendi, aliud ipsa operatio, seu actualitas. Facultatem autem dat Deus infundendo virtutem et gratiam, per quas efficitur homo potens, et aptus ad operandum. Sed ipsam operationem confert, in quantum in nobis interius operatur movendo, et instigando ad bonum..... in quantum virtus eius operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.» Et 1 2, q. 109, art. 1 ait: « Non solum a Deo est omnis motio sicut a primo movente, sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio sicut a primo actu. Sic igitur actio intellectus, et cuiuscunque entis creati dependet a Deo quantum ad duo: uno modo in quantum ab ipso habet perfectionem sive formam, per quam agit: alio modo in quantum ab ipso movetur ad agendum. » Vere igitur *S. Thomas* agnoscit gratiam, quae potentiam agendi confert, eamque distinguit a

(1) Cap. 12.

(2) Lect. 2, in c. 3, Ep. ad Ephes. v. 7.

gratia efficaci, quae operatur in nobis velle et perficere. Illa porro gratia recte vocatur, et vere est *sufficiens*, quamvis ad actu agendum requiratur altera efficax. Sicuti enim iuxta proprium et communem loquendi modum ignis dicitur sufficiens ad comburendum, licet ultra debeat applicari subiecto combustibili, et panis dicitur sufficiens ad nutriendum, quamvis praeterea debeat masticari, deglutiri et concoqui: ita cum dicitur, gratiam esse sufficientem ad bene agendum, ista phrasis in sensu proprio, et secundum communem loquendi modum non significat, ad actu agendum nihil aliud requiri in quovis alio genere, sed tantum quod sine quavis alia virtute eiusdem ordinis conferat nobis sufficientem facultatem bene agendi, si velimus. Quamobrem homo hanc gratiam consecutus, sic iam habet bene agendi facultatem, ut si non agat, non ideo fiat, quia non potest, sed quia non vult. Verum equidem est, hominem ut actu bene velit, indigere gratia efficaci; sed haec semper sequitur gratiam sufficientem, nisi huic resistat voluntas humana. Deus enim quantum est ex se, paratus est omnibus, qui habent gratiam sufficientem, dare efficacem, nec eam ulli denegat nisi propter culpam, quae saltem ordine et natura praecedit subtractionem gratiae efficacis. Haec est constans doctrina S. *Thomae*, qui 1, dist. 40, q. 4, art. 2 ita praeclare loquitur: « Hominem carere gratia, ex duobus contingit, tum quia ipse non vult recipere, tum quia Deus non sibi infundit, vel non vult sibi infundere. Horum autem duorum talis est ordo, ut secundum non sit nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non velit nisi bonum, non vult istum carere gratia, nisi secundum quod bonum est; sed quod iste careat gratia, non est bonum simpliciter: unde hoc absolute consideratum non est volitum a Deo. Est tamen bonum, ut careat gratia, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligenter se praeparet, quia iustum est, et hoc modo est volitum a Deo. Patet ergo, quod huius defectus absolute prima causa est ex parte hominis, qui gratia caret; sed ex parte Dei non est causa huius defectus, nisi ex suppositione illius, quod est causa ex parte hominis. » Cum magistro suo consentiunt discipuli. *Thomas de Lemos* Panopl. l. IV, p. 2, tract. 3, c. 2 inquit: « Auxilium sufficiens ita sufficientiam tribuit ad operandum, quod defectus operationis nullo modo provenit ex insufficientia talis auxilii, sed tantum ex defectu arbitrii, quod ei resistit, et impedimentum ponit. » Et cap. 6 ait: « Deus tribuens auxilium sufficiens offert efficax; sed quia homo resistit sufficienti, privatur efficaci, quod sibi offerebatur. » *Did. Alvarez* lib. XI, *De Auxil.*, disp. 113, n. 10 dicit: « Deus, quamdiu obligat praeceptum, tribuit de facto auxilium sufficiens, paratus homini dare auxilium efficax, nisi eidem auxilio impedimentum praestaret; » et disp. 80 ad 4: « Homo resistendo auxilio sufficienti impedimentum ponit, ne Deus sua gratia ulterius progrediatur; » quae doctrina omnino conformis est *Concilio Tridentino*, sess. VI, cap. 13 dicenti: *Deus, nisi homines illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet; operans velle et perficere.* Quibus testimoniis citatis Cl. *Billuart* de grat. Diss. 5, art. 4, ita responsionem suam ad Obi. 1, et Inst. concludit: « Corrigenda est itaque haec falsa gratiae sufficientis notio, quam nobis affingunt adversarii, ut scilicet sit facultas ex se

sterius, cui Deus pro libitu subtrahit influxum necessarium ad eam reducendam in actum, sicque contingat, semper eam effectu frustrari: est enim secundum nos gratia sufficiens semen evangelicum, principium boni operis, illud virtute continens, et ad quod de facto perveniret, nisi virtutis eius cursum homo sua defectiva libertate sisteret; sicut bonum semen terrae mandatum fructum ferret, nisi aliquo terrae defectu impediretur. Equidem non diffitemur, imo pro certo tenemus, quod, ut homo gratiae sufficienti non desit, eique consentiat, requiratur gratia efficax; sed (quod bene adverte) ut illi desit, ut illi resistat, ut peccet, non requiritur gratia efficax, sed sufficit defectiva eius voluntas, et quia illa resistentia, istud peccatum praecedit natura et ordine privationem gratiae efficacis, ideo verum est dicere, hominem privari gratia efficaci, quia peccando sufficienti resistit; non vero peccare, quia privatur gratia efficaci. »

Nota 1. Declaratum systema maxime commendatur auctoritate *S. Thomae*, iuxta cuius principia dogmata de gratia in illo explicantur et conciliantur. Quanta autem sit *S. Thomae* auctoritas, abunde probatur ex eo, quod *angelici Doctoris* nomine insignitus sit. Ipsi Romani Pontifices doctrinam *S. Thomae* non solum approbarunt, sed etiam magnis encomiis extulerunt. *Urbanus V* in diplomate ad Tolosanos ita de *D. Thoma* loquitur: « Nos attendentes, quanta a Deo scientia dotatus Ordinem Fratrum Praedicatorum, et universalem Ecclesiam illustraverit, ac *B. Augustini* vestigia insequens Ecclesiam eandem doctrinis et scientiis quamplurimis ornaverit, etc.; » quibus expositis haec pronunciat: « Volumus, et tenore praesentium vobis iniungimus, ut dicti *B. Thomae* doctrinam tanquam catholicam et veridicam suscipiatis, eamque studeatis totis viribus ampliare. » Non minora panxit Angelico Praeceptori encomia *Innocentius VI* (in quodam sermone ab ipsis D. Thomae adversariis recepto, ut apud Catharinum (1) videre est) dicens: « Huius Doctoris sapientia prae caeteris (excepta canonica) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam, qui eum tenuit, inveniatur a tramite veritatis deviasse, et qui eum impugnavit, semper fuerit de veritate suspectus. » *S. Pius V S. Thomam* in Doctorem Ecclesiae catholicae promovit, eius doctrinam plurimum in Constitutione anno 1567 edita commendavit, et inter alia contestatus est; « quod eius meritis orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur. » *Alexander VII* in Brevi ad theologicam Facultatem Lovaniensem eo tempore transmisso, quo disputationes de gratia magno animorum aestu fervebant, *S. Thomam* cum *S. Augustino* coniungens, inquit: « De reliquo non dubitamus, quin vos... praeclarissimorum Ecclesiae Doctorum Augustini et Thomae Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata semper, ut asseritis, ac impense revereri velitis, quorum profecto sanctissimorum virorum penes catholicos universos ingenia, et omnem laudem supergressa nomina novi praeconii commendatione non egent. » *Clemens VIII* in Brevi ad Neapolitanos, qui *S. Thomam Aquin.* in suae Civitatis Patronum elegerunt, de eodem sancto ita loquitur: « Hic siquidem honor eius virtutibus cum admirabili doctrina coniunctis iure optimo debetur. Ac doctrinae quidem

(1) Lib. de immac. Concept. pag. 51.

testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit. In quibus conscribendis interdum sanctos Apostolos Petrum et Paulum alloquentes, locosque illi quoque Dei iussu enarrantes habuit, et quos deinde conscriptos expressa Christi voce comprobatos audivit. » *Benedictus XIII* ita suos Dominicanos in Brevi anno 1724 edito alloquitur: « Magno animo contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas sententiis vestris de gratia praesertim per se et ab intrinseco efficaci, ac de gratuita praedestinatione ad gloriam sine ulla praevisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, et quas ab ipsis Ss. Doctoribus *Augustino* et *Thoma* se hausisse, et verbo Dei summorumque Pontificum et Conciliorum decretis, et Patrum dictis consonas esse schola vestra commendabili studio gloriatur. » Denique *Benedictus XIV* in generalibus Ordinis Fratrum Praedicatorum Comitiis, quibus anno 1756 ipse praefuit, inter alia dixit: « Hoc profitemur, nullo unquam tempore evenire potuisse, ut e memoria nostra dilaberetur Theologorum Princeps, scholarum Angelus, Ecclesiae Doctor, praeclarum Ordinis vestri sidus, S. *Thomas Aquinas*, cuius doctrinae complures Romani Pontifices praedecessores nostri perhonorifica dederunt testimonia, quemadmodum etiam nos ipsi in libris, quos de gratiae argumentis conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus atque perspeximus, admirabundi semper atque lubentes eidem adhaesimus, atque subscripsimus, candide profitentes, si quid boni in eisdem libris reperitur, id minime nobis, sed tanto Praeceptori totum esse adscribendum. » Ex tam magnificis encomiis inferunt, qui primum systema defendunt, a veritate certo illos non aberrare, qui Angelici Doctoris principia fideliter sequuntur. Et sane sicuti *S. Thomas* omnia a prima causa, nempe a Deo, repetenda esse constantissime docuit, ita et in declarato systemate omnia, nempe bona voluntas et potentia et actus et liber consensus et operatio a Deo repetuntur, qui per praemotionem physicam cuncta efficit. Sat luculenter ergo hic patefiunt tum influxus primae causae, nempe Dei, in secundarias, tum dominium supremum Creatoris in creaturas, tum efficacia gratiae certa et infallibilis, tum simul libertas hominis, quoniam idem omnipotens Deus per praemotionem physicam efficit, non solum ut actus bonus fiat, sed etiam ut libere fiat. Maxime demum, aiunt, in eodem systemate commendatur humilitas, quandoquidem homini nihil supersit, in quo glorietur, iuxta Apostoli sententiam: *Quid habes quod non accepisti?* etc.

Nota 2. Multi sunt, qui declarato systemati adversantur. Extiterunt quoque, quibus sententia Thomistarum nimis accedere visa est ad Novatorum ac Iansenistarum placita. Talis autem calumnia ex eo satis propellitur, quod Novatorum et Iansenii errores constanter ab Ecclesia damnati fuerint, Thomistarum vero sententias Romani Pontifices non solum nunquam damnaverint, sed easdem in scholis defendi posse declaraverint, imo hincinde etiam commendaverint, et obtrectatoribus silentium imposuerint. Et sane omnes Thomistae adseverant, ad merendum vel demerendum requiri libertatem non solum a coactione, sed etiam a

necessitate, hancque per praemotionem physicam non tantum non tolli, sed potius effici docent : omnes pariter admittunt, hominem interiori gratiae resistere posse; atque ideo a Novatorum et Iansenistarum erroribus longissime distant. — At non acquiescunt adversarii, et aiunt (1) : « Si subtiliter huius praedeterminationis physicae disquisitio instituatur, planum fit, reipsa hominem sub tali praedeterminatione non posse non velle, aut aliter operari quam id, ad quod determinatur, cum ipsa includat actum ipsumque efficiat, imo producat et faciat voluntatis *flexum:*» ex quo inferunt, secundum Thomistas, posita praemotione, hominem non posse gratiae resistere, seu non posse dissentire, si velit: quae propositio damnata est a *Concilio Tridentino*. —Ad hanc obiectionem sic respondet *Gonetus* (2) : « Efficaci Dei motione posita in voluntate, liberum arbitrium potest dissentire in sensu diviso, quia etiam prout stat sub tali motione, semper retinet potentiam proximam et expeditam ad dissentiendum. Non potest tamen dissentire *in sensu composito*, quia cum talis motio inferat infallibiliter consensum, et ille sit in eodem instanti temporis cum illa, nunquam potest componi cum actuali dissensu. » — Ast non pauci allatam distinctionem sensus compositi et divisi ut implicatam et obscuram reiiciunt, eamque non satis cohaerere dicunt cum Tridentino Canone, qui clare innuit, hominem etiam *in sensu composito* gratiae Dei moventis et excitantis, id est eo ipso momento, quo Deus voluntatem incipit movere, posse dissentire, si velit: quemadmodum nemo, latini sermonis gnarus, audiens dici avem volare posse, non statim intelligit, fieri posse, ut nunc actu avis volet ; ita cum dicitur, liberum arbitrium posse Dei motioni resistere, sensus sit, id actu contingere posse. — Ad hanc obiectionem Cl. *Gazzaniga* (3) respondet retorquendo argumentum : « Quemadmodum enim, ait, cum dico: Avis in ramo quiescens volare potest, id non intelligitur *in sensu composito*, quasi simul in ramo quiescere et volare possit, sed *in sensu diviso*, nempe quod avis in ramo quiescens veram habeat potentiam ad volandum, divisim tamen a quiete: ita non alio modo intelligitur, hominem motum et excitatum a Deo dissentire posse *in sensu diviso*, et non *in sensu composito*. Et ut acute observat *P. Antoninus Reginaldus* (4), cum Concilium definierit, liberum arbitrium non solum motum et excitatum, sed plane cooperans et assentiens, illi motioni atque excitationi posse dissentire, sane ridiculum et contradictorium videtur asserere, liberum arbitrium posse dissentire *in sensu composito*, quasi posset componere cooperationem et consensum cum dissensu. Restat ergo ut dicamus, hanc potentiam dissentiendi non esse nisi *in sensu diviso*, quatenus simul cum cooperatione et consensu coniungitur potentia ad dissentiendum, non autem actualis dissensus, quod contradictionem involvit. — Neque aliquis urgeat, mentem Patrum Tridentinorum in hac definitione fuisse, posse nos gratiae efficaci *in sensu composito* dissentire, quia si *in sensu diviso* tantum hanc potentiam intellexissent, dicere oportebat, posse nos resistere gratiae, quando gratia non amplius adest. Non, inquam, etenim haec obiectio oritur ex mala *sensus*

(1) Ap. Perrone n. 311.
(2) In opere citato, Clyp. Theol. Tom.
(3) De gratia P. I. Diss. 5, c. 5, n. 249 etc.
(4) De mente Conc. Trid. c. 56.

divisi intelligentia: quasi vero cum Calvino doceamus, tunc solum esse potentiam resistendi divinae vocationi, quando gratia efficax adiuvans abest; cum potius constanter doceamus, simul cum gratia efficaci, imo cum ipso consensu manere potentiam ad dissensum, sicuti cum sessione manet potentia ambulandi; et quamvis sessio, et ambulatio simul componi nequeant, possunt tamen componi sessio, et potentia ambulandi: eodemque modo etsi componi non possunt gratia efficax ad consentiendum, et actualis dissensus, bene tamen cohaerent gratia efficax ad consentiendum, et dissentiendi potentia » (1).

Nota 3. Summa systematis thomistici principia a nullo negari posse videntur qui admittit, Deum omnium entium contingentium non solum Auctorem, sed et Conservatorem et Gubernatorem esse, praecipue si attendatur id quod cum *S. Augustino S. Thomas* docet, nempe Deum omnia entia contingentia cognoscere non quia sunt, sed omnia esse, quia Deus ea cognoscit (§ 29, n. 2); ex his enim principiis sequitur, omnem potentiam et omnem actum, ipsamque libertatem, quae cum actibus humanis coniuncta est, a Deo prima causa movente, repeti debere. Atque haec principia etiam ordini supernaturali applicanda esse, patet ex verbis Apostoli, qui, cum Rom. XI, 28-35 de operationibus gratiae locutus esset, v. 36 inquit: *quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia;* et Phil. II, 13: *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere.* Iuxta quae principia rectissime dicitur, Deum et potentiam ad recte agendum concedere, et ipsum actum producere: imo Deum efficere, ut non solum actus salutaris fiat, sed etiam ut libere fiat, atque ideo, posita gratia efficaci, non solum actum salutarem certo et infallibiliter poni, sed etiam liberum arbitrium, ut causam secundariam, certo et infallibiliter in eodem actu adesse. — Nonnulli autem observarunt, in doctrina Thomistarum optime quidem dogmata catholica de gratia et libero arbitrio enunciari et demonstrari; nexum vero istorum dogmatum indigitari duntaxat, non autem explicari, quoniam non declaratur modus, quo Deus, dum per praemotionem physicam actum salutarem efficit, simul etiam libertatem in eodem actu confert: hinc quidam, licet principia Thomistarum maxime venerarentur, in ipsorum tamen adsertionibus veri nominis systema ad nexum gratiae et liberi arbitrii explicandum agnoscere recusarunt. — Contra systema Thomistarum haud contemnendam difficultatem proposuit *S. Alphonsus Ligorius* (2). Ait enim, omnes obligari ad certam spem beatitudinis aeternae, quae autem sine gratia efficaci obtineri nequit: et ideo hominem obligari ad orationem, per quam gratiam efficacem obtinere potest iuxta verba Christi: *Petite et accipietis.* Ast si gratia sufficiens ad orandum non omnibus datur, aut haec gratia solam potentiam tribuit; ad actu vero orandum gratia efficax requiritur, quam Deus nemini debet, et quae multis negatur, actum est de certa spe beatitudinis; nam in systemate thomistico ita tantum spes concipienda foret: « Si Deus mihi dabit gratiam orandi, spero per orationem, si eam perficere velim, me consecuturum esse auxilium efficax, praeceptum spei, et alia praecepta adimplendi, et salutem obtinendi: ast si Deus mihi

(1) Cf. § 427, nota 2.

(2) *Opere dommatiche tratt.* 4, § 1.

gratiam efficacem orandi dare non decernet, prouti eam mihi dare non tenetur; nullo modo, ne per orationem quidem, vires obtinere potero, praeceptum spei et reliqua praecepta adimplendi, et in hoc casu salutem aeternam sperare non possum.» — Negari non potest, gravem esse hanc obiectionem, qua admissa, Thomistarum systema penitus repudiandum esset, eoquod certo officio morali opponeretur, et virtutem spei in Ss. Litteris maxime commendatam et praeceptam labefactaret. Sed observandum est, adductam obiectionem non tam expositum Thomistarum systema attingere, quam potius ad doctrinam de gratiarum distributione pertinere, quae in capite sequenti fusius pertractabitur. Interim haec notare sufficiet. *S. Thomas*, ut ex allato ipsius testimonio (n. 3) patet, aperte docuit, nullum hominem sine propria culpa carere gratia, qua actu orare, praecepta adimplere et salutem aeternam consequi possit. Cum Magistro suo etiam cordatiores Thomistae consentiunt. Quodsi quidam duriorem doctrinam profitentur, isti a sententia angelici Doctoris recedunt, et perperam de Thomistarum nomine gloriantur. Si autem gratia sufficiens nemini negatur, quilibet, Deo adiuvante, actu orare et gratias efficaces impetrare potest; quoniam, ut cum Magistro suo fidissimi discipuli docent, cum gratia sufficienti, quae solam potentiam confert si illi obex non ponatur, seu si humana voluntas non resistat, semper coniungitur gratia efficax, quae ipsum tribuit actum. Igitur etiam iuxta systema Thomistarum quilibet gratiam sufficientem ad orandum sperare potest et debet, atque, dummodo huic obicem non ponat, seu non resistat, certo obtinebit gratiam efficacem, per quam actu orare, et auxilia efficacia praecepta adimplendi, et salutem consequendi impetrare valebit. — Denique mirum omnino videri debet, non paucos Theologos de eo vel maxime indignari, quod Thomistae praeter gratiam sufficientem, quae potentiam ad agendum confert, ad actum salutarem etiam gratiam efficacem requirant; cum tamen omnes Theologi catholici ad opus salutare praeter gratiam praevenientem seu excitantem, etiam adiuvantem seu cooperantem necessariam esse profiteantur; inter Thomistas autem complures asserant, gratiam sufficientem cum excitante, et efficacem cum adiuvante recte comparari posse. — Caeterum post *Bannez* systema thomisticum strenue propugnarunt *Gonetus* (1), *Did. Alvarez* (2), *Thomas de Lemos* (3), *Billuart* (4), *Gazzaniga* (5) et alii.

II. *Systema Augustinianorum.*

§ 431. Dogmata catholica de gratia, quae *S. Augustinus* contra Pelagianos et Semipelagianos invicte propugnavit, ipsaque Ecclesia definivit, omnes orthodoxi Theologi credunt, tradunt et defendunt. Extiterunt autem Theologi, qui, *S. Augustino* duce, nexum quoque qui inter dogmata obversatur, pro captu humano explicare conati sunt, ea, quae S. Doctor sparsim de gratia et libero arbitrio disputavit, operose colligentes et in systema redigentes, *Augustiniani* propterea in specie dicti. Quamvis vero inter hos ipsos divergentes hinc inde opiniones inveniantur; plerique tamen, duce potissimum Clariss.

(1) In Clypeo Theologiae Thomisticae tom. 1, disp. 9.
(2) In op. de auxiliis divinae gratiae.
(3) In Panoplia gratiae.
(4) De Deo diss. 8, et tract. de gratia.
(5) Tract. de gratia.

Berti, in sequentibus fere conspirant, dum *de gratia efficaci, de libero hominis arbitrio in actibus salutaribus*, et *de gratia sufficiente* seu *inefficaci* disserunt.

1. Protoparentes nostri in statu innocentiae eximiis atque incorruptis intellectus et voluntatis viribus praediti (§ 206) ad supernaturaliter agendum non indiguerunt nisi *adiutorio sine quo non*, seu gratia illa *versatili* aut *sufficiente*, quae dato consensu efficax fit, istoque negato, inefficax manet. Nam, ait *S. Augustinus* (1) de primo homine: « Nec ipsum Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono.... Tale quippe erat (in primo homine) adiutorium, quod desereret, cum vellet, in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet. » — Ast per peccatum originale vires hominis spirituales attenuatae et vulneratae sunt; intellectus nempe per ignorantiam obscuratus, et voluntas infirmata, ac per concupiscentiam corrupta fuit (§ 216). Pro homine igitur lapso ad supernaturaliter bene agendum non sufficit *gratia Conditoris*, sed necessaria est *gratia Redemptoris*, quae id efficit, ut intellectus, propulsa ignorantia, illuminetur verumque cognoscat, et voluntas, devicta concupiscentia, ad bonum inclinetur, istudque velit et perficiat. Id operari gratiam Redemptoris clarissime docet *S. Augustinus*, qui c. duas Epist. Pelag. (2) dicit: « Gratia est inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus; » et l. de gratia Christi (3) ait: « Qua gratia agitur, non solum, ut facienda noverimus, verum etiam, ut cognita faciamus; nec solum, ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. » Cum autem gratia universim accepta in mentis illustratione, et in pio motu ac sancta delectatione consistat, consequens est, effectricem gratiam eam esse, quae certam scientiam, et victricem delectationem inspirat. Ideo *S. Augustinus* l. de Spir. et litt. cap. 29 inquit: « Inspirata gratiae suavitate per Spiritum sanctum facit (Deus) plus delectare, quod praecipit, quam delectat, quod impedit; » et cap. 35 docet, tunc fieri, quod praecipitur, « si et nihil eorum quae pertinent ad iustitiam, nos lateret, et ea sic delectaret animum, ut quidquid aliud voluptatis, dolorisve impedit, delectatio illa superaret. » Haec vero delectatio victrix semper adest, cum à Deo conceditur gratia efficax; nam S. Doctor (4) exponens, quomodo gratia Conditoris, seu *adiutorium sine quo non* minoris sit virtutis *adiutorio quo*, seu gratia Redemptoris, ita loquitur: « Secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. » Ex quibus manifeste patet, iuxta *S. Augustini* doctrinam gratiam esse *ab intrinseco* efficacem, id est, non ideo gratiam fieri efficacem, quia consentit voluntas, sed ideo voluntatem consentire, quia gratia est efficax. Ideo S. Doctor variis in locis dicit gratiam Redemptoris « occultissimam, internam, mirabilem, ac ineffabilem potestatem: inspirationem flagrantissimae ac luminosissimae charitatis: voluntatem efficacissimam et omnipotentissimam, quae ex nolentibus volentes facit, humanasque voluntates agit insuperabiliter et indeclinabili-

(1) L. de corrept. et grat. c. 11.
(2) L. 4, cap. 5, n. 11. (3) Cap. 12.
(4) L. de corrept. et gratia cap. 11.

ter.» (Cf. § 424, n. 4). Ipsa ergo gratia quae est efficax, seu delectatio victrix, consensum voluntatis producit, et certo ac infallibiliter operatur velle et perficere. Quamobrem si Deus absoluto decreto vult, actum salutarem ab homine poni; talem ipsi confert gratiam, per quam ignorantia et concupiscentia vincuntur, intellectus illustratur, et voluntas ita ad bonum inclinatur, ut non quidem necessario, sed tamen certo et infallibiliter istud eligat et perficiat. Et sic patet quomodo Deus per gratiam efficacem quam impertitur, indeclinabiliter et insuperabiliter effectum, quem intendit, semper consequitur.

2. Quamvis gratia sit efficax, illaesa tamen manet in actibus salutaribus libertas indifferentiae, qua possumus agere et non agere, sive actum exercere aut suspendere: imo per gratiam efficacem, seu delectationem victricem libertas a necessitate non solum non tollitur, sed potius promovetur. Negari enim non potest liberum arbitrium esse veram potentiam, seu facultatem rationis et voluntatis, ut interdum definitur a *S. Augustino*: nam quia voluntas non potest ferri in incognitum, ut inquit S. Doctor (1), assentiendum est scholasticis asserentibus, liberum arbitrium esse radicaliter in intellectu et formaliter in voluntate; et cum iisdem dici potest, liberum arbitrium esse facultatem voluntatis eligentis vel respuentis quod illi ab intellectu proponitur; cui notioni etiam suffragatur *S. Augustinus* l. de Spir. et litt. (2) dicens: « Nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est. » Notandum vero est, necesse esse ut omnis potentiae seu facultatis obiectum quid positivi sit; nam id quod est mere negativum seu nihilum, non potest esse obiectum potentiae seu facultatis, cum ad nihilum faciendum potentia non requiratur, imo ne cogitari quidem possit. Certum igitur est, obiectum intellectus esse *verum*, quod is cognoscere potest, et obiectum liberae voluntatis esse *bonum*, quod haec diligere et eligere valet. Ex his porro inferendum est, liberum arbitrium eo perfectius esse, quo perfectius intellectus verum cognoscit, et quo magis voluntas in bonum inclinatur; et sicut falsum cognoscere posse non est perfectio intellectus sed defectio; ita malum, seu peccatum (quod iuxta *S. Augustinum* in mera privatione consistit § 238) eligere posse non est perfectio liberae voluntatis, sed libertatis defectus. — Iuxta haec principia S. Doctor l. I, op. imperf. n. 100, et l. XXII de Civ. Dei cap. ult. ostendit, Deum liberrimum esse, quia ut omniscius falsum cognoscere nequit, et ut sanctissimus peccare non potest. Christo quoque in actibus theandricis libertatem vindicat lib. de Praedest. Ss. (3) dicens: « Numquid metuendum fuit, ne antecedente aetate homo ille libero peccaret arbitrio? aut ideo in illa non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat? » — Et in Enchir. (4) etiam respectu hominum dicit: « Multo liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato. » Cum S. Doctore consentit fidus eius discipulus et interpres *S. Thomas*, qui 1, q. 62, art. 8 ad 3 inquit: « Quod liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius. Sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet

(1) L. 10 de Trinit. cap. 3. (2) Cap. 34. (3) Cap. 15. (4) Cap. 105.

ad defectum libertatis. Unde maior libertas arbitrii est in Angelis, qui peccare non possunt, quam in nobis, qui peccare possumus. » — His iam praemissis, declarari potest, quomodo gratia Redemptoris liberum hominis arbitrium non tollat, sed promoveat. - Nam primus homo in statu innocentiae perfectam adeptus est libertatem, non quidem talem, qualis est in Beatis, ut a bono deficere seu peccare non potuisset; ita enim constitutus et tali gratia praeditus erat, ut « eam tamen per liberum arbitrium deserere posset, » ait *S. Augustinus* (1). Quia autem vires integras habebat, quia eius intellectus perspicacissimus, nullaque ignorantia obvolutus veritates facillime cognoscebat, et quia eiusdem voluntas, nulla concupiscentia deorsum trahente, suapte natura in bonum inclinabatur, rectissime dicitur, ipsius liberum arbitrium integrum et perfectum fuisse. — Ast per peccatum originale liberum arbitrium non quidem extinctum (§ 217), sed tamen attenuatum et inclinatum fuit (§ 216). Intellectus enim hominis lapsi non quidem omnem veritatis cognitionem perdidit; sed ignorantiae tenebris obfuscatus multas veritates recte perspicere non valet, et ab aliarum clara, accurata et certa cognitione facillime deficit (§ 416); et voluntas, quamvis non omni amore boni destituta sit, tamen per tristem lapsum infirmata, et per concupiscentiam depravata a bono facillime deficit, et per fallaces boni apparentias in devia abripitur. In statu ergo naturae lapsae ignorantia, et concupiscentia sunt liberi arbitrii impedimenta, ac veluti duo vincula, quibus homo a cognoscendo vero, et ab appetendo bono vehementer retinetur. Ast gratia Redemptoris, quae et *medicinalis* dicitur, praefata liberi arbitrii impedimenta tollit, ac vincula solvit, quia intellectum illustrando ignorantiam propellit, et suavi delectatione voluntatem ad bonum inclinando concupiscentiam vincit. Tantum ergo abest, ut gratia efficax liberum arbitrium adimat, ut potius impedimenta tollendo, seu vincula solvendo, istud pristino vigori restituat, et eo perfectius reddat, quo magis per delectationem victricem cognitionem veri, et amorem boni promovet. Ideo Apostolus (2) ait: *Ubi spiritus, ibi libertas.* Christus ipse (3) dicit: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis;* et *S. Augustinus* l. de corrept. et grat. (4) inquit: « In bono liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis:* » quod clarius explicat l. I c. duas Epist. Pelag. (5), ubi obiicientibus Pelagianis, auferri liberum arbitrium, si ad non peccandum indigeat supernae gratiae adiutorio; ita respondet: « Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam: propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis;* utique liberi ad bene iusteque vivendum. » — Quod si gratia efficax id operatur, ut homo a bono non deficiat: nullatenus tamen talem eum constituit, ut a bono deficere non possit. Quamvis enim voluntas ad bonum, et ad beatitudinem in communi moveatur naturaliter et necessario; nihilominus, ait *L. Berti* (6),

(1) L. de corrept. et grat. cap. 11.

(2) 2 Cor. 3, 17. (3) Io. 8, 36. (4) Cap. 1. (5) Cap. 2. (6) Quaest. de grat. Repar. Dilucidatio p. 2, cap. 5.

« circa bona quaelibet particularia voluntas habet illam plenissimam libertatem, quam appellamus indifferentiae, quaeque nullo constringitur vinculo necessitatis, qua ita eligat unum ut non possit illud deserere, vel seligere pro suo libitu ac potestate. Rationem profert *S. Thomas*, propterea quod sicut intellectus erga id, quod non est summe verum, vel si tale est, non cognoscitur perfectissimo modo, potest decipi iudiciumque falsum elicere; ita voluntas illud, quod non est summe bonum, aut si est summe bonum, plena sui ipsius delectatione non trahit, neque omnem aliam voluptatem comprimit et extinguit, fastidire potest, suamque appetitionem ad alia delectabilia convertere, inquieta semper atque flexibilis, donec in illo, qui fecit omnia delectabilia, quiescat. » Neque gratia efficax hanc liberi arbitrii naturam immutat, neque hominem mortalem ad statum Beatorum evehit, ac ideo manet in homine libertas indifferentiae, et dissentiendi potentia. Actus salutaris equidem certo et infallibiliter ponitur, quia ut docet *S. Augustinus* sub adiutorio *quo* humana voluntas agitur *indeclinabiliter* et *insuperabiliter;* sed, ait Cl. *Berti* ibid., « haec indeclinabilitas et infallibilis positio actus ipsum actum comitatur, et non coarctat potentiam. » Neque contradictio ulla in eo invenitur, quod actus certo et infallibiliter, et tamen libere fiat, ita ut potentia ad oppositum non excludatur. Nam etiam vir sanae mentis et probae indolis certo et infallibiliter non vult nudo corpore per plateas et vias currere, vel oculos sibi effodere praecise ad ostendendam libertatem suam, aut iocandi causa; vel mortem sibi inferre sine violento passionis motu. Quis autem negabit, eidem viro libertatem indifferentiae, et physicam potentiam circa eosdem actus inesse, qui certo et infallibiliter non contingunt? Eodem igitur modo etiam gratia efficax, seu delectatio victrix certo et infallibiliter actum salutarem producit, et tamen libertatem indifferentiae non laedit, et potentiam dissentiendi e medio non tollit.

3. Ut intelligatur quomodo gratia modo sit efficax, modo autem maneat inefficax, considerandum est, varios esse gradus concupiscentiae ex una, et gratiae ex altera parte. Nam gratia est medicinalis et sanans: ut ergo infirmitas est maior vel minor, et concupiscentia carnis plus aut minus intensa; ita oportet magis minusve exhiberi aegrotis medicamentum. Deinde concupiscentiae motus non sunt eiusdem rationis, sed varii: aliquando enim tenuis in nobis excitatur cupiditas; interdum pugnax est et robusta; quandoque adeo vehemens, ut ad eam repellendam magna sint adhibenda remedia, non semel etiam in eius lucta robustiores, Deo permittente, succumbant. Ergo nec eiusdem rationis sunt motus gratiae, quae nobis in remedium infirmitatis subministratur; nunc enim eiusdem inspirationes vix sentiuntur; nunc pulsant animum vehementius; nunc ad eo alliciunt, ut vincant carnalem omnem tentationem; nunc tanto ardore voluntatem accendunt, ut minacia quaeque, et horrenda parvipendat et vincat. Varios istos gratiae gradus agnoscit et profitetur *S. Augustinus* (1) dicens: « Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit, ut sit homo bonae voluntatis, qui prius fuit voluntatis malae. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas quae iam esse coepit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, quae

(1) L. de grat. et lib. arb. cap. 15.

voluerit, cum valde perfecteque voluerit. » Et (1) addit: « Qui ergo vult facere Dei mandatum, et non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit et robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est magna charitate fecerunt: de qua charitate ipse Dominus ait: *Maiorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* » Et (2) de peccat. merit. et remiss. inquit: « Cur autem (Deus) illum adiuvet, illum non adiuvet; illum tantum, illum non tantum; istum illo, illum isto modo, penes ipsum est, et aequitatis tam secreta ratio, et excellentia potestatis. » Tunc itaque gratia est efficax, si gradus gratiae maiores sunt, quam gradus ignorantiae et concupiscentiae: tunc enim voluntas, sublatis impedimentis seu vinculis solutis, libere delectationem victricem sequitur et actus salutaris ponitur. — Ast si gradus gratiae minores sunt quam gradus ignorantiae et concupiscentiae; per haec impedimenta seu vincula voluntas retinetur, quominus gratiam sequatur, quae igitur inefficax manet, et *sufficiens* dicitur. Hanc quoque gratiam, quae, reluctante hominis voluntate, actum salutarem non producit, agnoscere et profiteri *S. Augustinum*, patet ex eius testimoniis § 427 n. 2 allatis. Est autem gratiam *sufficiens* sensu Augustiniano illa, quae dat posse, non velle; aut si dat velle, istud adeo est invalidum et imperfectum, ut desideria carnis, contrariasque concupiscentias non vincat nisi superveniente flagrantissima et potentissima charitate. Huiusmodi sunt inspirationes et pia animi desideria, quae perversam animam movent atque excitant aliquantulum, sed illam ad conversionem non trahunt. Hanc *sufficientem* gratiam in seipso expertus est *S. Augustinus* ipsemet paullo ante conversionem suam, eamque his verbis (3) expressit: « Voluntas autem nova, quae mihi esse coeperat, ut tibi gratis colerem, fruique te vellem Deus! sola certa iucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. » Ex quibus liquet, gratiam sufficientem aliquem semper effectum producere, nempe pium animi motum et bonam voluntatem, sed invalidam, et cui liberum arbitrium resistit. Sequitur etiam gratiam, quae in uno est sufficiens, in altero, cuius vetus et carnalis voluntas non adeo cum nova et spirituali conflictat, ut discordando dissipet animam, esse efficacem; atque eandem gratiam talem esse respectu unius operis, ex. gr. orationis, quae efficax non est respectu ad alia opera, ex. gr. observantiam omnium mandatorum divinorum; et demum constat, omnem Dei gratiam, quantumvis minimam, esse in se ad opera salutaria sufficientem, id est non efficere actus salutares propter obicem carnalis et robustioris delectationis, cum tamen tribuat voluntati posse eam superare, si velit. Ut autem velit, requiritur in hoc statu sancta delectatio victrix, quae a nullo duro corde respuitur, ac ideo gratia efficax appellatur (4).

Nota 1. Doctrina de gratia eo magis veritati consona habenda est, quo magis cum doctrina convenit, quam *S. Augustinus* de gratia Christi proposuit, et contra Pelagianos et Semipelagianos propugnavit. Illa etenim a summis Pontificibus adprobata, et ab

(1) Cap. 17. (2) L. 2, cap. 6. (3) L. 8 conf. cap. 5. (4) Cf. Berti de theolog. discipl. lib. 14, cap. 8.

Ecclesia catholica suscepta fuit. Iam S. *Innocentius I* in responsione ad synodum *Carthaginensem* et *Milevitanam*, quarum Augustinus anima et ingenium fuit, non solum acta synodalia adprobat et confirmat, sed et litteras utriusque Concilii, ab Augustino scriptas, « plenas fidei, totoque catholicae religionis vigore firmatas » appellat. *S. Bonifacius I*, « cum esset doctissimus, tamen adversus libros Pelagianorum B. Augustini responsa poscebat, » ut refert *S. Prosper* (1). — *S. Coelestinus I* in Epist. ad Episc. Galliae Augustini scripta et doctrinam sua approbatione firmat his verbis: « Augustinum sanctae recordationis virum pro vita sua, atque pro meritis in nostra communione semper habuimus; nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis Praedecessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi senserunt, utpote qui ubique cunctis amori fuit et honori: » *S. Hormisdas* a Possessore Episcopo consultus, respondit: « De arbitrio libero et gratia Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur et asseveret Ecclesia, in variis libris B. Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum posse cognosci. » *Felix IV* ad Pelagianorum reliquias ex Gallia extirpandas misit ad Concilium *Arausicanum* viginti quinque capitula de gratia et libero arbitrio, ex libris S. Augustini verbatim decerpta, quae voluit ab Episcopis illis recipi atque subscribi, quod et factum est. *Ioannes II* in Epist. 3 ad quosdam senatores ait: « S. Augustini doctrinam secundum Praedecessorum meorum statuta Romana sequitur, ac servat Ecclesia. » *Alexander VII* Lovanien-

(1) Adv. Collator. can. 31.

ses Doctores commendat in Brevi 7 augusti 1660 quod « praeclarissimorum Ecclesiae Doctorum Augustini et Thomae Aq., inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper, ac impense revereri velint. » *Clemens VIII* in celeberrimis congregationibus de divinis auxiliis sancte decrevit, ut tota controversia de gratia, quae tunc magno contentionis aestu fervebat, ad normam doctrinae S. Augustini, tanquam ad lydium lapidem exigeretur, idque tribus de causis: « Prima est, inquit (2), quod, si, teste *B. Prospero* (3), viginti annorum spatio acies Ecclesiae ita dimicavit contra Pelagianos, ut tandem, Augustino duce, vicerit, oportet, in causa simili eundem Ducem agnoscamus et sequamur. Secunda est, quod idem Sanctus nihil videatur praetermisisse eorum, quae ad praesentes controversias pertinent... Tertia tandem ratio est, quod cum multi Pontifices, praedecessores nostri, doctrinae S. Augustini de gratia tam acres fuerint assertores ac vindices, ut quasi haereditario iure eam in Ecclesia relinqui voluerint; aequum non est, ut patiar, illam hac quasi haereditate privari. » Sapientissimi Praedecessoris sui exemplum *Paulus V* imitatus, eadem religione Augustinum controversiae illius iudicem esse voluit. De maxima hac S. Augustini auctoritate gloriantur, qui se Augustinianos nuncupant, suumque de gratia systema prae caeteris commendandum esse putant, eo quod principiis *S. Augustini* apprime conforme, et maxime accommodatum sit tum ad infallibilem gratiae efficaciam ostendendam, tum ad libertatem cum ipsa conciliandam.

Nota 2. Qui systemati Augustiniano refragantur, candide profitentur,

(2) Ap. Serry Hist. de auxil. l. 3, c. 8.
(3) Fere initio libri adv. Collator.

se a doctrina S. Augustini, ab Ecclesia approbata et ad credendum proposita, ne latum quidem unguem declinare; simul autem observant, non omnia quae S. Doctor subtilius de gratia disputavit, eiusdem esse auctoritatis, quoniam, ut innuit *S. Coelestinus*, profundiores difficilioresque doctrinae de gratia disquisitiones Ecclesia non contemnit quidem, sed neque illas suis definitionibus firmare necesse habet. Nimis ergo magnifice sentiunt, qui omnia, quae *S. Augustinus* scripsit, tanquam inconcussa dogmata recipienda esse putant. Contrarium ostendit propositio XXX ab *Alexandro VIII* damnata, ita sonans: « Ubi quis invenerit doctrinam in *Augustino* clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. » Iidem porro contendunt, illos, qui se *Augustinianos* nuncupant, non semper genuinam S. Doctoris sententiam sequi, verum in suis declarationibus et deductionibus multa ex proprio ingenio desumpta immiscent, quae perperam *S. Augustino* adscribuntur. — Non pauci systema Augustinianum doctrinae Iansenii affine dixerunt, quia in illo, sicut in ista, efficacia gratiae reponitur in delectatione coelesti victrice, hoc tantum discrimine, quod praefata delectatio iuxta Ianseniauos *necessario*, iuxta Augustinianos autem *moraliter* determinet ad actum bonum. Idcirco R. Archiepiscopus Viennensis systema de gratia a cl. *Berti* concinnatum, in speciali opere edito impugnavit, illudque *Baianismum* et *Ianseuismum redivivum* appellare non dubitavit. — Ast cl. *Berti* (1) notam Iansenismi his verbis a systemate Augustiniano amolitur: « Haec doctrina, ait, nihil habet affinitatis cum haeresi Iansenia-

(1) De theol. disc. lib. 14, c. 8, Prop. 4.

na. Nam Iansenius, ut consentiunt omnes Anti-Ianseniani, statuit efficaciam gratiae in delectatione victrici, quae a deliberatione et indifferentia liberi arbitrii penitus seiuncta est. Nos vero dicimus, indeliberatam quidem esse hanc delectationem, quatenus inspiratur a Deo; et proinde per primum actum indeliberatum nos nihil mereri, nisi accedat liberi arbitrii deliberatus assensus, firmissime tenemus, cum meritum haberi nequeat sine indifferentia libertatis. At haec delectatio victrix coniuncta est cum deliberatione comparate ad opera, quae efficiuntur, libero arbitrio hac delectatione excitato. Quamvis enim sit haec efficax gratia antecedens, et Deus sine nobis faciat, ut velimus; nihilo tamen minus per illam non proponitur nobis bonum sub omni ratione boni quemadmodum proponitur Beatis per lumen gloriae, ideoque remanet indifferentia iudicii, et vera libertas, quam habere nequeunt Beati in patria, ut explicavi lib. IV, cap. 13. Quamobrem sequitur quidem ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum, quod magis delectat, sed sequitur libere, quia non adeo in hac vita delectat bonum aliquod, ut nequeat in eo apprehendi ratio aliqua mali. Et si quidam ex nostris tenent, posse nos mereri etiam per primum actum dilectionis, quem in nobis excitat gratia efficax; contendunt, hunc actum esse deliberatum, et cum indifferentia iudicii, et posse eundem actum, prout inspiratur a Deo, necessarium esse, et prout elicitur a voluntate, indifferentem et liberum. Non ergo nos, neque nostratium aliqui propugnamus delectationem victricem iuxta Ianseniana decreta. — Pari iure discrepamus circa gratiam inefficacem. Primo enim fatemur

qualemcunque gratiam in hoc statu sive parvam sive magnam, esse gratiam Christi. Deinde defendimus, dari gratiam inefficacem, cui voluntas resistit; ac tandem per gratiam sufficientem dari nobis potestatem implendi divina mandata, eamque veram et propriam, sed non taliter validam et expeditam, ut ad ponendum actum non sit necessaria gratia efficax. » — Ultimo provocat ad Card. *Norisium* in Ianseniani erroris calumnia sublata, et ad auctoritatem *Innocentii XII*, qui ad reprimendam audaciam eorum, qui Thomistas et Augustinianos Theologos Ianseniani erroris insimulant, in Brevi Apostolico dato anno 1694 ad Episcopos Belgii, haec opportune mandavit: « Ad extinguenda Theologorum iampridem inter se excitata dissidia, fraternitatibus vestris iniungimus, ne ulla ratione quempiam vaga ista accusatione et invidioso nomine Ianseniismi traduci, aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse legitime constiterit, aliquam ex his (quinque damnatis Iansenii) propositionibus docuisse aut tenuisse. »

Nota 3. Augustiniani dicunt, se delectationem admittere moraliter tantum determinantem: sed adversarii reponunt, etiam per hanc moralem determinationem, quae infallibiliter actum bonum producit, et cui nunquam humana voluntas resistit, potentiam dissentiendi extingui, libertatem tolli, et non moralem tantum, sed et physicam et absolutam necessitatem induci, quia absolute fieri non potest, ut vires superiores ab inferioribus vincantur. Nam, ait *S. Alphonsus Ligorius* (1): « Si una lanx librae ob praeponderans pondus descendit, altera lanx necessario ascendere debet. » Idem citat *Honoratum Tournely*, qui (2) ita argumentatur: « Ea gratia est necessitans, quae supponit voluntatem destitutam vera potentia resistendi: atqui talis est gratia infallibiliter efficax ex virium graduali superioritate. Nam huiusmodi gratia supponit, voluntatem non habere ad resistendum, nisi vires inferiores. Repugnat autem, ut vires superiores, quae agunt, ut superiores, vincantur ab inferioribus; alias necesse esset, ut inferiores operentur ultra suae activitatis gradus. » — Ast haec argumentatio falso videtur supposito niti, quo statuitur, aequilibrium virium ad libertatem necessario requiri: quod quam falsum sit, iam alibi (§ 426, nota 2) probatum fuit. Praeterea si argumentatio valeret, actum esset de plurimorum hominum libertate. Omnes enim admittunt, per multiplicata peccata concupiscentiam malosque habitus augeri, gratiam vero et aptitudinem ad bonum minui: quapropter, admissis principiis in argumentatione expositis, dicendum foret, inveteratum peccatorem, in quo ex propria culpa vires concupiscentiae longe praeponderant vires gratiae, recte agere omnino non posse, et in actibus malis liberum non esse. E contra vir probus, qui, devicta concupiscentia, ad actus bonos promptissimus est, in his liber dici non posset, et B. V. Maria, quae utpote gratia plena vires maximas ad recte agendum, et tanquam immaculata nullam concupiscentiam habuit, omni libertate penitus destituta fuisset. Cum autem tales consequentias adversarii ipsi non admittant, necesse est ut fateantur, potentiam ad oppositum, et libertatem indifferentiae etiam tunc adesse, cum vires agendi ex una parte superiores, ex altera inferiores sunt. Fal-

(1) L. c. § 6, n. 131.

(2) Theol. t. 5, p. 2, q. 5, art. 1, Concl. 5.

sae notiones et apparentes difficultates ex eo hincinde oriri videntur, quod entia spiritualia cum materialibus comparentur et confundantur, cum inter haec et illa maxima discrimina obversentur. Nam entia materialia modo pathologico, non autem ita entia spiritualia, sed modo naturae suae congruo a Deo gubernantur. Ideo dum una lanx librae ob maius pondus deprimitur, altera lanx necessario elevatur, quia bilanx utpote ens materiale legibus physicis et necessitantibus subiecta est. Non autem ita motiva in rationalem animam, uti pondera in materiam agunt: illa non, sicut ista, necessitatem imponunt. Ipsa gratia divina, quae recte ad causas motrices refertur, modo humanae naturae consentaneo operatur, et quia liberum arbitrium radicaliter in intellectu, et formaliter in voluntate consistit, et ad actum humanum cognitio intellectus, et consensus voluntatis requiruntur, gratia divina intellectum illustrando, et voluntatem suavi delectatione ad bonum inclinando, liberum arbitrium sanat potius et reficit, quam impedit aut e medio tollit. Atque ideo per gratiam divinam, quae naturam liberi arbitrii non immutat, neque hominem ad statum Beatorum elevat, necessitas non imponitur, nec potentia deficiendi seu dissentiendi aufertur, sicut haec non tollitur per prudentem et eloquentem consiliarium, qui, propositis motivis gravissimis, alterum moraliter ad agendum determinat.— Equidem nonnulli ei libertatem denegare videntur, qui ex fortissimis motivis ad actum determinatur, vel ab actu retinetur. Sic cl. *Thomas ex Charmes* (1) cum Augustinianum sibi obiicientem induceret: « Viro sapienti et suo compoti nudo corpore per urbis plateas luce meridiana currere, moraliter ita est impossibile, ut nunquam id fiat: atqui tamen in hoc omittendo est liber; ergo libertas stat cum impossibilitate, vi cuius res nunquam sit: » respondet: « Nego maiorem, quae falso supponit, impossibilitatem illam esse tantum moralem, cum vere et realiter sit impossibilitas physica: illa enim impossibilitas est physica, quae procedit ex defectu unius ex physice praerequisitis ad agendum: atqui impossibilitas, qua vir sapiens et sui compos nudo corpore per urbis plateas luce meridiana currere non potest, procedit ex defectu rationalis motivi, quod est unum ex physice praerequisitis ad agendum; ergo est impossibilitas physica, qualem habet homo ad amandum malum, quatenus malum; ergo in hoc nullo modo est liber. » — Ast in hac argumentatione propositio minor cum suo consequenti penitus est neganda. Nam rationale motivum est requisitum ad moraliter agendum, non autem ad physicam actus possibilitatem: haec sine illo existere potest; et, ut allato exemplo insistamus, vir sapiens ex sensu intimo cognoscit, physicam potentiam nudo corpore per plateas currendi sibi non deesse, atque risu exciperetur, qui diceret, *physice* talem actum impossibilem esse. In sensu composito quidem recte dicitur, virum sapientem et probum talem actum perficere non posse, qui cum sapientia et probitate componi non potest; in hac autem sententia sapientia et probitas sunt moralia, non physica actus indecentis impedimenta: ast in sensu diviso semper verum manet, hominem a sapientia et probitate deficere, et voluntatem quoque ad actum turpem flectere posse. Quamdiu ergo homo

(1) Tract. de gratia, Diss. 1, cap. 2, q. 2, art. 2, syst. 2.

ex rationali honestatis motivo ab actu indecenti abstinet, in hoc agendi modo omnino liber est, quamvis rationale motivum ad oppositum non habeat. Qui contrarium tenet, et, ut actus sit bonus, semper rationale motivum ad actum oppositum incitans, requirit, nescio, quomodo iustorum in mandatorum divinorum observantia libertatem vindicet, cum ad eorundem trangressionem, seu ad peccatum rationale motivum moveri nequeat? — Homines quidem per fallaces apparentias decipi possunt: at per has B. V. Maria immaculata, et gratia plena decipi non potuit; an ideo in actionibus suis sanctissimis libera non fuit, quia rationale motivum ad deficiendum, aut peccandum nullum percepit? — Ne igitur ad plurima absurda perveniatur, et libertas in plurimis actibus negetur, admittendum est, hominem libere agere, licet per fortissima motiva, vel per efficacissimam gratiam ad actum bonum moraliter determinetur, quia ipsa gratia intellectum illustrando, et voluntatem ad bonum inclinando libertatem non minuit, sed adiuvat et perficit. — Cum vero Augustiniani gratiam in delectatione victrici reponunt, nullatenus negant, quod gratia salutarem quoque timorem, pudorem, dolorem, etc. in homine excitet; per istos enim salutares affectus divina gratia liberum arbitrium sanat, ignorantiam propellit, et concupiscentiam vincit, ut, sublatis impedimentis, bonum libere diligatur et perficiatur. — Circa hoc systema consuli possunt Card. *Norisius*, t. I, continens sacra; et t. II, Diss. 5 Ianseniani erroris calumnia sublata. *Belelli:* Mens Augustini de modo reparationis humanae naturae post lapsum. *Laur. Berti* de theol. disc. l. IV, c. 13 et l. XIV, cap. 8 et seq. idem in Augustiniano systemate vindicato.

III. *Systema Molinistarum.*

§ 432. *Ludovicus Molina* celeber saeculi decimi sexti Theologus e Societate Iesu, putans eorum sententiam, qui gratiam *ab intrinseco efficacem* propugnant, nimis difficultatibus obnoxiam esse, contrariam viam ingressus novi systematis auctor extitit. Docuit nempe, unam et eandem esse gratiae *efficacis* et *sufficientis* naturam, a nostro arbitrio et libero consensu pendere, ut, consentientibus nobis, efficax fiat, aut inefficax sit, nobis dissentientibus. Mentem suam clare aperit in opere, quod titulum gerit: *Liberi arbitrii concordia cum gratiae donis* etc., in quo (1) ita loquitur: « Quinto loco asserimus, auxilia praevenientis et adiuvantis gratiae, quae lege ordinaria viatoribus conferuntur, quod efficacia aut inefficacia ad conversionem seu iustificationem sint, pendere a libero consensu et cooperatione arbitrii nostri cum illis, atque ideo in libera nostra potestate esse, vel illa efficacia reddere consentiendo et cooperando cum illis ad actus, quibus ad iustificationem disponimur, vel inefficacia illa reddere, continendo consensum et cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum. » Iuxta hanc doctrinam gratia non est *ab intrinseco efficax*, sed fit *efficax ab extrinseco*, nempe a consensu voluntatis libere dato; nam secundum *Molinam* non ideo consentit voluntas, quia gratia est efficax, sed idec gratia fit efficax, quia voluntas consentit. Evidentissime in hoc systemate vindicatur libertas hominis a gratia moti et excitati, quia eius liberum arbitrium motionibus gratiae vel consentire, vel resistere potest. Prompta

(1) Disp. 40 in q. 14, art. 13.

est etiam responsio, dum quaeritur, quare gratia modo efficax sit, modo inefficax, seu mere sufficiens maneat? — respondetur enim, id pendere ex consensu voluntatis dato, vel negato, quia gratia efficax est, dum voluntas consentit; inefficax seu sufficiens manet, dum consensus voluntatis negatur. Exinde etiam sequitur, eandem gratiam, natura seu viribus aequalem, in uno homine efficacem fieri posse, et in altero inefficacem manere; imo et minorem quandoque gratiam cum actu salutari coniungi, maiorem vero effectu carere posse. Id docet *Molina* (1) dicens: « Quod e duobus qui aequali motu gratia praeveniuntur ac moventur unus consentiat, concurrat cum gratia, eliciat actum et convertatur, alter vero non, certe solum provenit ab innata et propria et intrinseca libertate utriusque bonis et malis, praedestinatis et reprobis communi. Gratia namque praeveniens ex parte sua aequaliter utrumque movet, naturaeque necessitate ex parte sua agit: ex eo autem, quod unus eorum libere adhibere vult influxum illum sui arbitrii proprium, alter non, unus eorum convertitur, alter non item. » Et alibi (2) inquit: « Fieri potest, ut duorum, qui aequali auxilio interius a Deo vocantur, unus pro libertate sui arbitrii convertatur, et alter in infidelitate permaneat..... Imo fieri potest, ut aliquis praeventus et vocatus longe maiori auxilio pro sua libertate non convertatur. » — Quando autem quaeritur, quomodo, si gratiae efficacia a libero voluntatis consensu pendeat, fieri possit, ut Deus, quae vult in nobis certo et infallibiliter operetur; *Molina* id fieri respondet per *scientiam mediam*, qua Deus actus nostros conditionate futuros, liberos et contingentes ante omne decretum infallibiliter cognoscit. Quippe vi huius scientiae Deus cognoscit, cuinam gratiae homo certo quidem, sed tamen omnino libere consensurus sit: quapropter si Deus misericors vult, actum salutarem ab homine poni, talem isti gratiam elargiri decernit, cui eius voluntatem certo consensuram esse praevidet: quae autem ita conceditur gratia, efficax est, et tam infallibiliter certum est, eam effectum esse habituram, quam infallibiliter certum est, falli non posse Dei praescientiam. Cl. *Sardagna* Theolog. dogm.-polem. (3) declarare nititur, qualis in systemate Molinae sit ordo actuum divinorum circa actus salutares, et malos; ait enim: « Molinianum systema circa actus salutares; v. gr., poenitentiam S. Petri, ita ordinatur: 1° Deus per scientiam simplicis intelligentiae cognoscit omnia sua auxilia supernaturalia possibilia, ac conversionem S. Petri esse possibilem; 2° per scientiam mediam praevidet, quibus auxiliis de se omnino indifferentibus S. Petrus libere consensurus esset, et quibus libere esset dissensurus; 3° Deus pro singulari sua benevolentia decernit S. Petro dare auxilium A, cui eum praevidet libere cooperaturum, si daretur; huiusque decreti specialiter benevoli haec est tendentia: Cum videam Petrum consensurum auxilio A, si illud haberet; dabo illi auxilium A, ut sequatur salutaris consensus; 4° per scientiam visionis cognoscit Deus poenitentiam Petri in tempore absolute futuram; 5° tempore opportuno, atque a divina providentia constituto, confert Deus Petro auxilium A, cui infallibiliter Petrus consensurus praevidetur: ille cooperatur dato auxilio, et con-

(1) Q. 23, art. 4 et 5, Disp. 1, membr. 10.
(2) Q. 14, art. 13, Disp. 12.
(3) Tom. 5, a. 1. Controv. 3, n. 165 et seq.

vertitur. — Contra circa actus malos, v. g., derelictionem Iudae Deus in hoc systemate ita tendere concipitur: 1° Per scientiam simplicis intelligentiae cognoscit Deus omnia auxilia possibilia, conversionem et impoenitentiam Iudae esse possibilem; 2° per scientiam mediam cognoscit, quaenam auxilia essent receptanda, et quaenam abiicienda a Iuda; 3° inscrutabili quidem, iustissimo tamen iudicio decernit ex serie auxiliorum sufficientium concedere Iudae auxilium A, quod praevidet a Iuda libere et malitiose repudiandum esse, huiusque decreti haec est tendentia: Quamvis videam, Iudam ex malitia sua dissensurum auxilio A, si illud haberet; decerno tamen illi dare auxilium A, et permittere ipsius finalem impoenitentiam; 4° per scientiam visionis cognoscit Deus impoenitentiam Iudae absolute futuram; 5° Iudae datur in tempore auxilium A; Iudas illi non cooperatur, impoenitens moritur. — Atque haec est series actuum divinorum nostro captui accommodata; quamvis a parte rei omnia ista in Deo nonnisi unus, ac simplicissimus actus sint. » — Ex hac declaratione intimius perspici potest, quomodo in systemate Molinae efficacia et inefficacia gratiae explicetur, humanaque libertas cum illa concilietur. Caeterum totius systematis fundamentum est assertio, qua dicitur, gratiam *non ab intrinseco*, sed *ab extrinseco esse efficacem*, adeoque efficaciam aut inefficaciam gratiae pendere ex libero voluntatis humanae consensu dato vel negato. — Gratiam autem vere huius naturae et indolis esse, *Molinistae* variis argumentis probant.

1. *S. Scriptura* huic doctrinae suffragatur. Satis clara enim sunt eius testimonia, quibus probatur, dari gratiam, quae homini completam et relative ad praesentes eius circumstantias expeditam ad actus bonos eliciendos facultatem tribuit, quae inutilis redditur ex humanae voluntatis resistentia. (V. § 427, n. 1). Tali porro gratiae certe homo potest consentire, actum salutarem, ad quem datur, perficere, et sic gratiam efficacem reddere; quod si negetur, ipsa notio gratiae sufficientis tolleretur, et sapientiae divinae iniuria inferretur: verum eidem gratiae homo resistere potest, sicut eidem actu resistit, eamque inefficacem reddit: ergo eadem gratia per consensum voluntatis datum efficax, per consensum voluntatis negatum inefficax reddi potest. Hoc idem ex aliis locis probatur. Post promulgatam populo Israëlitico legem Deus dixit (1): *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata eius, quae ego praecipio tibi hodie — venient super te universae benedictiones* etc.; et (2) addit: *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata eius et caeremonias, quas ego praecipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones* etc. Ergo iidem Israëlitae, ad quos Deus locutus est, vel mandata divina observando benedictionem obtinere, vel illa violando maledictionem incurrere potuerunt. Ast sine gratia interiori et supernaturali mandata Dei observare non valuissent; talem ergo interiorem et supernaturalem gratiam habuerunt, quae consentiente eorum voluntate fieret efficax, et resistente eorum voluntate maneret inefficax seu mere sufficiens. Matth. XI, 21 Christus exclamat: *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sydone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poe-*

(1) Deut. 28, 1 etc. (2) V. 15.

nitentiam egissent; ex quibus verbis liquet, eandem gratiam futuram fuisse efficacem apud Tyrios Sidoniosque, quae inefficax fuit apud cives Corozain et Bethsaida; alioquin Christus frustra, imo iniuste prorsus eos obiurgasset, quia id non praestiterunt, quod in eorum potestate non erat, ut facerent. Paulus (1) inquit: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis:* talem ergo gratiam in Corinthiis agnoscit, quam, renitente sua voluntate, in vacuum recipere potuerunt; per ipsam vero exhortationem ostendit, quod eandem gratiam non in vacuum recipere, sed cum salutari effectu coniungere potuerint; nam si hoc impossibile fuisset, exhortatio inutilis et absona dicenda foret. Paulus ergo agnoscit talem gratiam, quae consensu dato efficax redditur, et consensu negato in vacuum recipitur. Simile argumentum ex verbis Iosue (2) inferri potest ad Israëlitas dicentis: *Optio vobis datur: eligite hodie, quod placet, cui servire potissimum debeatis;* haec enim verba supponunt in Israëlitis gratiam, per quam veri Dei servitium actu eligere, sed cui etiam resistere, et ad inanium deorum cultum divertere potuerunt. Denique cum Christus (3) adolescenti dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et veni sequere me;* nemo dubitabit, divinum Redemptorem eidem adolescenti praeter externum monitum etiam interiorem gratiam dedisse, qua adiuvante, divinum consilium sequi potuisset; nam Marc. X, 21 expresse legitur: *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum*, quae dilectio certe de collatione gratiarum intelligenda est (§ 40, n. 1). Nullatenus autem data fuit adolescenti illi gratia ab intrinseco efficax, aut physice determinans; tunc enim, relictis omnibus, Christum secutus esset; sed data illi fuit gratia, quae, consentiente voluntate, facta fuisset efficax, dissentiente autem voluntate (*nam contristatus in verbo, abiit moerens*), mansit inefficax.

2. *Ss. Patres* sicuti necessitatem gratiae ad quemlibet actum salutarem ubique propugnant, ita passim affirmant, gratiae efficaciam aut inefficaciam a libero consensu voluntatis dato vel negato pendere. *S. Irenaeus* (4) ait: « Homo rationalis, et secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus et suae potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat: » loquitur de homine gratia praevento, sine qua frumentum fieri nequiret, sed ex libero hominis consensu dato vel negato repetit, ut aliquando bene, aliquando male agat. *S. Cyprianus* (5) scribit: « Credendi vel non credendi libertas in arbitrio est posita. » *S. Ephraem* (6) inquit: « Divina gratia semper corda nostra visitat, et si locum, ubi quiescat invenerit, ingreditur semperque in anima habitat. Sed si cor immundum offenderit, illico recedit. » *S. Cyrillus Hier.* (7) haec habet: « Quacunque gratia donetur homo, sibi semper liberum est, vel assentire, vel reiicere, vel cor Deo praebere. » *S. Chrysostomus* Hom. 10 in Ioan. (8) in illa verba: *In propria venit* etc., ita disserit: « Venientem illum alii receperunt, alii non. Nullum enim vult invitum, vel necessitate coactum servum habere, sed omnes libenter, et ex voluntatis proposito venire. » Et Hom. 47 (9) ait: « Non enim neces-

(1) 2 Cor. 6, 1. (2) Cap. 24, v. 15.
(3) Matth. 19, 21. (4) L. 4 adv. haer. c. 9.
(5) L. 3 Testimoniorum adv. Iudaeos ad Quirinum cap. 1.
(6) Hom. de compunctione tom. 1, pag. 70, ed. Venet.
(7) Procatech. n. 7.
(8) Al. 9, n. 1. (9) Al. 46, n. 4.

sitate, aut vi Deus bonos facere solet, neque electio eius est violenta, sed a suasione perficitur. Ut autem discas vocationem non vim inferre, perpende, quot vocati perierint. Unde palam est, in nostro situm esse arbitrio salutem, vel perniciem nostram.» *S. Hieronymus* sub finem tertii libri dialogorum in persona Attici ait Critobulo: « Hoc est quod tibi a principio dixeram, in nostra positum esse potestate, vel peccare vel non peccare, et vel ad bonum vel ad malum extendere manum, ut liberum servetur arbitrium. » Idem in c. 55, Isaiae dicit: « Denique infertur: aut facite arborem bonam, et fructus eius bonos: ex quo perspicuum est, unumquemque propria voluntate facere animae suae bonam et malam arborem, cuius fructus varii sunt. » — Cum autem certum sit, citatos Patres necessitatem gratiae ad singulos actus salutares propugnasse (v. § 409, n. 2), mens eorum non est, affirmare, liberum arbitrium per proprias tantum vires bonum eligere posse, sed id intelligunt sub conditione gratiae praevenientis, cui liberum arbitrium vel consentire vel resistere potest, ut sic aut actus bonus sequatur aut non sequatur. — Ipse *S. Augustinus* talem gratiam admittit, cuius efficacia aut inefficacia petenda est a libero voluntatis consensu dato aut negato. L. de Spir. et litt. (1) ait: « Misericordia Dei praevenit nos: consentire autem vocationi Dei aut ab ea dissentire, propriae voluntatis est. » Lib. I ad Simplician. (2) luculenter affirmat, cum eadem gratia alium converti, alium vero non item ex voluntatis affectu; ait enim: « Noluit Esau, et non cucurrit, sed et si voluisset, et cucurrisset Dei adiutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus praestat, ut velimus, aliter praestat, quod voluerimus. Ut velimus enim et suum esse voluit et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo. » Idipsum scribit (3) de Tyriis et Sidoniis, qui « etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. » Lib. XII de Civ. Dei (4) inquit: « Si duo eadem tentatione tententur, et unus ei cedat atque consentiat, alter idem, qui fuerat, perseveret, quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? Unde nisi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, et animi affectio?» — Lib. de Spir. et litt. (5) scribit: « Liberum arbitrium naturaliter attributum a Creatore animae rationali, illa media vis est, quae vel intendi ad fidem vel inclinari ad infidelitatem potest; et ideo nec istam voluntatem, quae credidit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; quandoquidem, vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, accepit. » Perperam etiam dicitur, haec verba non doctrinam *S. Augustini*, sed obiectionem *Pelagii* continere, tum quia fides, quae surgit de libero arbitrio, Deo vocanti, seu gratiae praevenienti adscribitur, quam negavit Pelagius, tum quia S. Doctor ea, quae dixerat, in subsequentibus non refellit, sed confirmat, immediate subiungens: « Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut adimat eis liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes iustissime iudicentur. » Denique *S. Augustinus* omnipotentiam et scientiam Dei coniungit, ut gratiae ef-

(1) Cap. 34. (2) Q. 2, n. 10.
(3) L. de dono persev. c. 14, n. 34.
(4) Cap. 6. (5) Cap. 33.

ficaciam seu infallibilem eius effectum amice cum libertate consociet in eo, quem decrevit Deus absolute convertere. Nam ad Simplician. (1) inquit: « Quoniam non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur et intelligerent et sequerentur. » Et paullo infra: « Nullius Deus frustra miseretur, cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat. » — *S. Io. Damascenus* (2) ait: « In nobis est virtuti immanere, et sequi Deum nos ad illam vocantem, aut deserere virtutem.» *S. Thomas* et ipse pro certo et explorato assumit, ex hominum cooperatione fieri, ut eadem gratia praeventi et adiuti alii aliis magis proficiant. Decretoria plane sunt eius verba summae (3) dicentis: « Quia etiam aequalem gratiam (duo) percipiant, non aequaliter ea utuntur, sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiae Dei deest. »

3. *Rationes theologicae* eandem doctrinam confirmant. *a*) Ex sensu intimo, ex quo omnes pro hominis libertate argumentum petunt, frequentissime omnino evidenter cognoscimus, quod gratiae aut inspirationi divinae aut consentire, aut resistere possimus. « Hoc ipsum est, ait *Molina* (4), quod vel ipsa experientia in unoquoque nostrum testatur, dum ad Deum convertimur. Quivis enim in seipso experitur dum de peccatis propter Deum dolet, in sua potestate esse, continere eum actum, quo dolet, non solum divertendo ad alia, sed etiam dissentiendo, complacendoque tunc in iis ipsis peccatis, de quibus dolet: eaque ratione inter iusti laudes reputatur, quod potuerit transgredi et non est transgressus, et facere mala et non fecit.» *b*) Augustiniani ipsi asserunt, homini in statu innocentiae talem gratiam datam fuisse, cuius efficacia a libero voluntatis consensu penderet: Christus autem naturam humanam per peccatum corruptam reparavit ita, ut nec libertatem hominis tolleret, nec eius destinationem immutaret. Unde recte infertur, per Redemptionem Christi id effectum esse, ut homini etiam in statu naturae reparatae talia supernaturalia auxilia sufficerent, quorum efficacia, aut inefficacia a consensu voluntatis dato vel negato dependerent. Recte ideo *Thomassinus* (5) quaerit: « An reparatus homo dici potest, si nihil prorsus potest cum eo auxilio, quo cum ante omnia poterat? — Restituta nobis est ex *Augustino* per iustificationem libertas boni, hoc est, facilitas bene operandi, quam in Adamo amiseramus. Si haec restituta nobis est facilitas, aliquid ergo boni moliri poterimus, eodem muniti adiutorio, quo Adamus innocens. Ex eodem *Augustino*, quinimo ex *Scripturis*, *Conciliis* et *Patribus*, Baptismo non aboletur tantum peccatum, sed nova inditur vita, resculpitur imago Dei primaeva, in novam excitamur creaturam. An is vero innovatus, et redintegratus est, qui de pristino suo ad bonum operandum robore ne tantillum quidem recuperavit? Ex *Paulo* et *Augustino*, per baptismum non tantum commorimur Christo, sed et una resuscitamur, inserte nobis vita,

(1) L. 1, q. 2, n. 13.
(2) L. 2 orth. fid. c. ultim.
(3) P. 3, q. 69, art. 8 ad 2.
(4) Disp. 40, in q. 14, art. 13.
(5) Th. dogm. tract. 3, consensus scholae de gratia c. 13.

vi, fortitudine, quae respondeat membro Christi a mortuis suscitati. Non ergo charitas hominis cum Christo suscitati et redivivi tam elanguida erit, vel tam mortua, ut nihil omnino agere possit boni cum eodem auxilio, quo Adamus ante lapsum omnia poterat.» *c*) Sententia eorum, qui docent, gratiam sufficientem nunquam cum effectu salutari coniunctam esse, sed ad hunc semper praemotionem physicam, seu delectationem victricem requiri, magnis difficultatibus obnoxia est, cum videatur potentia agendi statui, quae tamen vera potentia non est, quoniam in actum nunquam transire valet. Facile quidem intelligi potest, quod talis gratia in sensu composito, quando nempe voluntas resistit, actum salutarem efficere non possit: sed quod in sensu diviso hoc idem nunquam fieri possit, vel quod tali gratiae voluntas semper resistat vel resistere debeat, id rationi et revelationi haud satis consonum esse videtur. Recte ideo iterum cl. *Thomassinus* l. c. (1) de gratiis, quae ab intrinseco efficaces non sunt, sed tamen ut supernaturales, et ut a Christo Redemptore promeritae a Theologis praedicantur, interrogat: « Si auxilia haec vere sufficientia auxilia sunt: qui fieri potest, ut inde nihil utilitatis redeat ad innumerabiles homines, qui illis donantur innumerabilium annorum spatio? Porro si sufficientia dicuntur auxilia, et vere proximam dant potestatem: qui fit, ut ex innumerabili tamdiu hominum, qui ita iuvantur, multitudine vel peccatum declinet vel praeceptum observet omnino nemo? — Atque quo tandem modo vere sufficientia sunt illa adiutoria, si praeterea gratia efficax modis omnibus est necessaria? Non is habet potestatem proximam, sufficientem, et completam, cui aliud deest auxilium necessarium, quod in eius potestate non est. » *d*) Aliam rationem affert cl. *Schwetz* (2) dicens: « Ad doctrinam Ecclesiae catholicae pertinet, hominem etiam sine speciali Dei auxilio opera bona naturalis ordinis perficere posse, et etiam aliquando perficere. Per gratiam autem divinam iustificantem, et actualem, quae nemini iusto urgente praecepto negatur, id, quod naturae quoad opera salutaria supernaturalis ordinis deest, suppletur. Num ergo auxilia supernaturalia fructu suo semper destituentur, dum naturalia suo haud destituuntur? An non essent in hoc casu praecepta divina etiam iustificato, et sub gratia constituto vere, ni physice, saltem tamen moraliter impossibilia? Sententia disertis verbis a Concilio *Tridentino* condemnata sess. VI, can. 18, (Cf. cap. 11, ei. sess. » *e*) Denique appellari etiam potest ad communem Fidelium sensum, quibus intime persuasum est, gratias et inspirationes omnes a Deo sibi conferri; non ut mandata divina observare dumtaxat possint, sed ut actu illa observent. Solent propterea viri pii seipsos negligentiae accusare, quod cum accepta divina gratia ea pietatis opera non exercuerint, quae exercere revera poterant, et alii certo exercuissent. Concionatores quoque, Confessarii, et Ascetae omnes continuo clamitant, ad gratias et inspirationes divinas non solum probe attendendum, sed illis etiam fideliter obtemperandum esse. Utilitas autem talium exhortationum vix intelligi potest, si non dantur gratiae, quarum efficacia, vel inefficacia a consensu voluntatis libero dato vel negato dependet. Nam si dantur gratiae ab intrinseco efficaces, quae pro-

(1) Cap. 8.

(2) Theol. dogm. t. 2. d. 4. § 108.

pria virtute liberum voluntatis consensum producunt, non opus est, ut Fideles ad istum excitentur, quia certo et infallibiliter illum non denegant. Si autem conferuntur gratiae sufficientes, quae nunquam cum salutari operatione coniunguntur, incassum Fideles admonentur, ut per promptum consensum acceptam gratiam fructiferam reddant. — Gravissimae ergo rationes suadent, admittendas esse gratias interiores et supernaturales, quae libero voluntatis consensu dato efficaces fiunt, eodem vero negato inefficaces seu mere sufficientes manent.

Nota 1. Iuxta *Thomistas* et *Augustinianos* gratia sufficiens nunquam cum effectu salutari coniuncta est, quia illa confert quidem potentiam agendi, sed ad ipsum actum semper praemotio physica, seu delectatio victrix requiritur. Ab hac vero sententia *Molinistae* longissime distant. Equidem etiam isti gratiam efficacem et sufficientem distinguunt, et hanc eam esse dicunt, quae cum actu salutari, ad quem datur, coniuncta non est: ast id dicunt in sensu composito, nempe, posita resistentia voluntatis, quacum actus salutaris coniungi non potest; in sensu vero diviso eadem gratia cum consensu et cum actu salutari coniungi potest. Quia enim ipsi docent, gratiam efficacem natura sua a sufficiente non distingui; ideo iuxta ipsorum systema omnis gratia in se spectata talis est, ut consensu dato efficax fiat, negato mere sufficiens maneat. — Gratiam ita a Molina descriptam Thomistae vocitare solent *versatilem*, utpote a nostrae voluntatis nutu pendulam. Sed contra denominationem istam protestantur Molinistae, et aiunt cum cl. *Perrone* (1): « Nonnisi summa iniuria *versatilem* eiusmodi gratiam posse vocari; versatile enim illud censeri debet, quod in utramque partem flectitur, hoc autem in gratia contingere nequit; si enim homo eidem pareat, illa obtinet suum effectum; quod si ei resistat, eamque respuat caret effectu suo; neque enim ad peccandum gratia opus est. Alioquin si versatilis nuncupanda esset gratia, cui homo reluctari potest et obsistere malitia sua, versatilis esset dicenda gratia, qualis a Tridentina Synodo asserta ac definita est adversus Novatores, cui scilicet homo semper resistere potest, quod tamen nemo catholicus dicet; versatilem gratiam consecuti essent Iudaei illi, quos S. Stephanus arguit, quod semper Spiritui sancto restiterint. Adeo verum est, aiunt, in disputationis aestu minus considerata verba proferri! »

Nota 2. Non defuerunt, qui *Molinae* doctrinam Semipelagiani erroris insimularent. Sed perperam ipsi haec nota inuritur. *Molina* enim constanter docuit, gratiam praevenientem ad quemlibet actum salutarem, atque ad initium etiam fidei et salutis necessariam esse, et impiam sententiam, qua dicitur, gratiam secundum merita dari, semper reiecit. Quamvis igitur Molinistae, dum de conferenda gratia efficaci agitur, ad scientiam mediam recurrant, cum Semipelagianis consentire dicendi non sunt. Isti enim adstruebant in ordine ad actus salutares talem scientiam conditionalium, cuius ope praviderentur illi actus extituri a libero arbitrio non praevento per gratiam supernaturalem, sed naturae viribus relicto: at vero Molinistae, isto errore reiecto, docent, Deum per scientiam mediam non praevidere meritum quoddam naturale, seu actum bonum per solas naturae vires sub conditione ponen-

(1) L. c. n. 987.

dum, sed praevidere voluntatis consensum per gratiam praevenientem supernaturalem eliciendum, ac ideo in se iam supernaturalem: et praeterea iuxta Molinistas, ait cl. *Sardagna* (1), « consensus hominis conditionate futurus, a Deo praevisus, non est causa, cur homini conferatur auxilium A, coniungendum cum consensu, sed est mere praerequisitum aliquod; Deus enim non confert auxilium A, quia homo est consensurus, sed ut homo consentiat. » Caeterum doctrinam *Molinae* Semipelagianam, seu fidei catholicae contrariam non esse, satis patet ex eo, quia in Congregationibus *de Auxiliis* diu examinata, solerter discussa, nunquam autem a S. Sede damnata fuit. Nonnulli equidem ex earundem Congregationum actis probare tentarunt, Constitutionem pontificiam iam paratam fuisse, in qua doctrina Molinae damnationi subiiceretur, et solum externas quasdam causas et circumstantias obstitisse, quominus illa publicaretur. Ast huiusmodi Acta spuria declaravit *Innocentius X* solemni decreto, die 23 aprilis 1654 edito, dicens: « Caeterum, cum tam Romae, quam alibi circumferantur quaedam Acta manuscripta et forsitan typis excusa, congregationum habitarum coram fel. rec. *Clemente VIII*, et *Paulo V*, super quaestione de auxiliis divinae gratiae, tam sub nomine Francisci Pegnae, olim Rotae Romanae, quam Fr. Thomae de Lemos Ord. Praed. aliorumque Praelatorum et Theologorum, qui, ut asseritur, praedictis interfuerunt congregationibus, nec non quoddam autographum, seu exemplar assertae Constitutionis eiusdem *Pauli V*, super definitione praedictae quaestionis *de Auxiliis*, ac damnationis sententiae, seu sententiarum *Ludovici Molinae* Soc. Iesu, eadem sanctitas sua praesenti hoc decreto declarat, ac decernit, praedictis assertis actis tam pro sententia FF. Ordinis S. Dominici, quam Ludovici Molinae, aliorumque Soc. Iesu Religiosorum, et autographo sive exemplari praedictae assertae Constitutionis *Pauli V*, nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu a quocunque alio allegari posse vel debere; sed super quaestione praedicta observanda esse decreta *Pauli V* et *Urbani VIII* suorum praedecessorum. »

Nota 3. Contra Molinae doctrinam gravis difficultas ex ipsa S. Scriptura repeti solet. Audiamus cl. *Gazzaniga*, qui (2) ita contra praefatam doctrinam argumentatur: « In sacris paginis minus saepe, quam luculenter et expresse docemur, nihil nos habere boni quod a Deo non promanet, nihil in quo gloriari possimus (3): *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* et (4): *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Ad quae S. Pauli verba respiciens Concilium *Tridentinum* sic loquitur (5): *Non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est.* — At vero si gratia a consensu nostro totam suam efficaciam desumeret, profecto homo iustus sese a peccatore discerneret, aliquid haberet non acceptum a Deo, et posset in seipso non insipienter gloriari. Etenim in hoc systemate eadem est gratia sive in eo, qui convertitur, sive in illo, qui pertinax in malo induratur; imo in isto maior quandoque, quam in illo; in utroque suffi-

(1) L. c. n. 167. (2) De grat. P. 1, Diss. 5, cap. 2, Pr. 1, n. 118 etc.
(3) 1 Cor. 4, 7. (4) Eph. 2, 8. (5) Sess. 14 cap. 8.

ciens, indifferens, flexibilis, et a voluntatis nutu suspensa. Quod ergo unus ea bene utatur prae altero, non gratiae adscribi debet, quae eadem est in utroque et indifferens: siquidem, ut recte *S. Augustinus* ait (1): « Nunquid per haec dona, quae omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus? » Restat ergo, ut tota unius ab altero discretio sit ab arbitrio repetenda; ut pro ille iustus possit prae peccatore gloriari, quod seipsum discreverit, et aliquid habeat, a Deo minime sibi datum, scilicet bonum gratiae usum. Quemadmodum miles, quamquam sine armis repugnare non possit, quod tamen armis strenue utatur, sibi ipsi debet, et nulli alteri, quia arma potentiam quidem pugnandi praebent, sed non ipsum actum seu bonum usum. » Negari non potest, gravem esse hanc difficultatem, quae a Thomistis et Augustinianis multiplici modo urgetur. At Molinistae eam e medio tollere conantur, dum ostendunt, quod ex suo systemate nullatenus sequatur, hominem in ordine salutis seipsum discernere, aliquid habere non acceptum a Deo, et de hoc gloriari posse, tum quia necessitatem gratiae praevenientis et subsequentis seu adiuvantis profitentur, tum quia docent, Deum ex gratuita benevolentia homini talem gratiam conferre, cui homo consensurus per scientiam mediam praevidetur. Ideo cl. *Sardagna* (2), allatam difficultatem solvens, dicit: « Discernere se *in actu primo* est dare sibi aliquod auxilium antecedenter ad consensum absolutum, seu est dare sibi virtutem aliquam praeviam ad actum, vi cuius possit se infallibiliter separare a male operantibus. Discernere se *in actu secundo* seu discretione secunda est ponere actum praeceptum quem potuisset omittere aut ad illum concurrere. Homo non potest se discernere in actu primo, quia, quamvis praevideatur consensurus auxilio A, si illud daretur, consensus tamen hic conditionate futurus non est causa, cur homini detur auxilium A; sed mere gratuito conceditur atque idcirco datur, ut sequatur consensus. Solus itaque Deus discernit hominem in actu primo discretione physica, dando ipsi auxilium praevisum congruum; et discretione morali ex affectu specialiter benevolo, eligendo ac dando creaturae auxilium congruum prae incongruo. In actu secundo discernit se homo, quia libere ac meritorie consentit gratiae et actum ponit, quem potuisset omittere; ita tamen, ut causa principalis huius discretionis in actu secundo sit ipse Deus, qui ad actionem salutarem concurrit non solum per suam omnipotentiam, sed etiam per supernum auxilium congruum, a quo voluntas creata habet vires ad salutariter operandum. » Discretio hoc sensu declarato ab homine in actu secundo facta, certe non repugnat Apostolo, cuius mens solum fuit asserere, hominem sine gratia Redemptoris in ordine salutis nihil habere et nihil efficere posse. Quodsi homo, etiam a gratia motus et excitatus nullo prorsus modo se discernere posset, libero arbitrio nihil omnino tribuendum ac dicendum esset, istud non posse dissentire, si velit, aut nihil agere et mere passivum se habere, quod Concilio Tridentino aperte repugnat.

Nota 4. Maxima difficultas, quae systemati Moliniano opponitur, ex eo repetitur, quod in isto gratia ab intrinseco efficax, seu gratia, quae ipsam voluntatem salutariter conver-

(1) De Praedest. Ss. c. 5. (2) L. c. n. 174.

tit, ad bonum potenter inclinat, et consensum infallibiliter producit, penitus negetur. Hac de causa non solum Thomistae et Augustiniani, sed etiam alii gravissimi Theologi illud admittendum non esse censent, illudque variis modis impugnant. *a*) *S. Alphonsus Ligorius* (1) citat locum Pauli Eph. II, 10: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus*, ac dicit: « Notanda sunt verba: *creati in operibus bonis*, quodsi creati sumus in operibus bonis, Deus igitur suo decreto efficit, ut opera nostra effectum obtineant quem habent; porro: *quae praeparavit Deus;* quodsi Deus opera nostra bona praeparavit, ipse igitur illa praedestinavit, quae a nobis facienda sunt, denique ait: *ut in illis ambulemus*, nimirum praeparavit opera nostra bona, non quia praevidit, quod in illis ambulare velimus, sed ipse voluntate sua efficit, ut in illis ambulemus. » Ex isto et aliis S. Scripturae locis ostendit, necessario admittendam esse gratiam ab intrinseco efficacem, seu gratiam, quae sine libertatis laesione efficit, ut voluntas consentiat, et opus salutare perficiat. Talem gratiam existere, clarissime docuit *S. Augustinus*, qui c. duas Ep. Pelag. (2) inquit: « Trahitur ergo voluntas miris modis ut velit, ab illo, qui novit in ipsis hominum cordibus operari; non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. » Hoc idem probant argumenta § 425 ex S. Scriptura et ex Ss. Patribus allata; ex quibus inferendum est, repudiandum esse systema, in quo gratia ab intrinseco efficacis existentia penitus negatur. *b*) Cl. *Gazzaniga* (3) systema Molinianum impugnat ex absurdis, quae ex illo dimanant. Ait enim: « Si gratia nostrae voluntatis consensum exspectat, ut fiat efficax, inutiles esse videntur tot, et tam saepe repetitae Ecclesiae preces, quibus Deum rogamus, ut nostras voluntates ad bonum convertat, ac in bono stabiliat. Quid enim, amabo, tanto fervore a Deo petimus? an gratiam sufficientem? atqui ista ex Molinistarum sententia omnibus semper adest, ut nullus sit tam impius et sceleratus, cui gratia sufficiens denegetur. An gratiam efficacem? Sed haec a nostri arbitrii consensu dependet. An ipsum consensum, et bonum gratiae usum seu nostri arbitrii cooperationem? Sed haec cooperatio unice a nobis proficiscitur, nullatenus a gratia: solum provenit ab innata et propria et intrinseca libertate, ait *Molina* (4). Nihil ergo est, quod a Deo petimus; siquidem, ut inquit *S. Augustinus* (5), nihil stultius, quam orare, ut facias, quod habes in tua potestate. Eadem ratione probari potest, non maiores esse Deo gratias agendas ab eo, qui tentationi fortiter restitit, quam ab eo, qui eidem tentationi infeliciter succubuit; si quae enim in his duobus est diversitas, ut certe est magna, haec tota non a gratia, quae fuit in utroque aequalis, sed a libero uniuscuiusque arbitrio repeti debet. Ad rem nostram *Augustinus* (6). Irrisoria petitio est, inquit, cum a Deo petitur, quod scitur, ipsum non dare... Sicut irrisoria est etiam illam gratiarum actio, si ex hoc gratiae aguntur Deo, quod non donavit ipse nec fecit. » *c*) Deo omnipotenti virtus denegare nequit, voluntatem a se creatam ad bonum inclinandi et liberum consensum ad opus salutare requisitum in illa

(1) L. c. § 2, n. 116. (2) L. 1, cap. 19.
(3) L. c. n. 120. (4) In Conc. q. 23, art. 4 et 5, disp. 1. membr. 10.
(5) De nat. et grat. cap. 18.
(6) L. de dono persev. cap. 2.

producendi. At in systemate Molinae illa virtus divina si non negatur, saltem obscuratur. Nam iuxta ipsius dictamina Deus actum salutarem certo et infallibiliter producere valet, non quia insuperabiliter ed indeclinabiliter in voluntatem agit, eiusque liberum consensum producit, sed quia per scientiam mediam praevidet, quibus auxiliis humana voluntas ex innata et propria libertate consensura sit. Posito autem hoc principio, vix intelligi potest, quomodo Deus actum salutarem, quem vult, certo et infallibiliter semper efficere queat. Nam, ait cl. *M. Marcellius* (1): « Non datur metaphysica necessitas, quod creatura quaelibet consensura praevideatur alicui vage auxilio versatili. Infinita enim illa divinorum series auxiliorum omnes continet modos, quibus creatura vocari potest. Ast humana creatura omnibus resistere potest modis, quibus a Deo vocari potest. » Nam S. *Augustinus* (2) ad Simplician. scribit: « Tanta potest esse obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdurescat mentis aversio. Quae ab *Augustino* dicta profecto sunt non de efficaci, sed de inefficaci et versatili gratia. Verum iuxta adversarios innumerabiles illi modi vocandi nil aliud sunt, quam auxiliorum versatilium series. Unde in illorum opinione nec metaphysica necessitas consentiendi uni vage auxilio, nec supremum Dei in creaturas suas dominium salvatur. Idcirco ut dominium illud salvum consistat, recurrendum est ad gratiam natura sua efficacem, cui certe humana voluntas non resistet. Hinc S. Pater ibidem subdit: Quis dicat, modum, quo ei persuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti defuisse? Quem modum explicans (3) ait, esse gratiam quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, et a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. »

d) Doctrina, qua dicitur, Deum, ut actum salutarem, quem vult, efficere possit, per scientiam mediam indagare debere, cuinam auxilio supernaturali voluntas humana consensura sit, divinae maiestati adversa esse. Deumque cum hominibus confundere videtur. Homines enim, quia imbecilles sunt, modos et media indagare debent, quibus desideratum effectum consequi valeant; Deus autem infinita sapientia et omnipotentia praeditus non eligit media, quia efficacia sunt, sed media efficacia fiunt, quia Deus ea elegit. (V. § 43, n. 2). Praeterea scientia divina est efficax rerum; Deus enim, ut *S. Angustinus*, *S. Thomas* aliique docent, ac ipsa sana ratio confirmat, non cognoscit res, quia sunt, sed res sunt, quia eas Deus cognoscit. (V. § 29, n. 2). Deus ergo per scientiam mediam non praevidet consensum, quia independenter ab ipso datur; sed consensus datur, quia Deus eum cognoscit: ex isto autem principio nullatenus inferri posse, actus humanos liberos non esse, iam § 33, n. 3 ostensum fuit. Si contrarium asseritur, Dei scientia ab obiecto cognito dependens statuitur, et quia scientia Dei eius essentia est, haec quoque undequaque independens dici non potest. *e*) Doctrina Molinae tum in facultate Lovaniensi, tum alibi multos adversarios nacta est. Ipse Card. *Bellarminus* illam nedum S. Augustino, sed etiam S. Scripturis aperte repugnare affirmavit l. I, de grat. et lib. arb. cap. 12 scribens: « Prima opinio est eorum, qui gratiam efficacem constituunt in assensu

(1) Instit. theol. lib. 29, c. 10, concl. 3.
(2) L. 1, q. 2.
(3) L. de praedest. Ss. c. 8.

et cooperatione humana, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, et ideo sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur. Itaque existimant hi auctores, in potestate hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem, quae alioquin ex se non esset nisi sufficiens. Haec opinio aliena est omnino a sententia B. Augustini, et quantum ego existimo a sententia etiam Scripturarum divinarum.» Ideo *Claudius Aquaviva* Praepositus Generalis Societatis Iesu anno 1613 systema pure Molinisticum docere et propugnare prohibuit, ac ordinavit, ut a Theologis Societatis nonnisi illud systema tradatur et defendatur, quod summa quidem Molinae principia retinet, sed ope circumstantiarum congruarum efficaciam gratiae divinae clariore luce proponit, systema Congruistarum ideo dictum, ac modo breviter exponendum.

IV. *Systema Congruistarum.*

§ 433. Ad praecavendas magnas difficultates, quae systemati Molinae opponebantur, cl. *Suarez*, eximius Societatis Iesu Theologus, aliud systema construere, seu potius illud Molinae mitigare et emendare nisus est. Duplicem idcirco gratiam distinxit, unam *congruam* et alteram *incongruam*. Prima congrua dicitur, quia est accommodata indoli, inclinationibus et aliis circumstantiis illius, qui eam recipit et in quibus Deus per scientiam mediam ab aeterno praevidit, ipsum infallibiliter consensurum, ita ut haec gratia congrua semper sit efficax; alias non foret congrua, et Deus in sua praescientia falleretur. Altera dicitur incongrua, quae non est satis accommodata indoli, inclinationibus, passionibus, habitibus, tempori, loco aliisque circumstantiis, in quibus versatur is, qui eam recipit, ut ab illo consensum obtineat, et ideo non est, nisi sufficiens. Posita hac distinctione, *Suarez* accuratius, divinaeque Scripturae ac Ss. Patrum effatis conformius *efficaciam gratiae* ostendere, *libertatem* hominis in actibus salutaribus vindicare, *discrimenque gratiae efficacis et sufficientis* declarare conatus est.

1. Imprimis ergo *Suarez* statuit, Deum per voluntatem antecedentem salvandi omnes praeparasse omnibus tales gratias, quae per consensum voluntatis efficaces fieri possunt et ad salutem sufficiunt. Si autem Deus indeclinabiliter et insuperabiliter vult actum salutarem, tunc ipsas circumstantias ita ordinat, ut sint gratiae tribuendae congruae, et gratiam indoli hominis attemperat, eamque in talibus circumstantiis congruis largitur, in quibus humanam voluntatem libere consensuram esse ope scientiae mediae infallibiliter cognoscit. Ita *Suarez* (1) efficaciam gratiae explicat, dicens: « Vocatio efficax illa est, quae... includit quamdam congruitatem respectu personae, cui datur, ut sit illa ita proportionata et accommodata, sicut oportet, ut in tali persona, in tali tempore et occasione infallibiliter effectum habeat, et per hoc habet illa vocatio, quod congrua et efficax sit. » Atque certe a nemine negabitur, externas et internas circumstantias magnam in hominis voluntatem vim exercere, et ab illis persaepe liberum consensum dependere. Ita frequentissime homo in mala societate, aut turpis occasionis illecebris constitutus peccatum committit, quod in aliis circumstantiis fugit et odit. Repentina alterius morte perterritus bona monita attendit,

(1) L. 5 de auxiliis cap. 25, n. 4.

quae recreationibus dissipatus contemnit. Interno gaudio affectus, preces indigentis exaudit; ast ob acceptam iniuriam interius commotus et perturbatus supplicum preces audire et exaudire recusat. Exempla bona homines emendare, mala vero eosdem pervertere consueverunt. Tempore infirmitatis non pauci tentationes luxuriae vincunt, quibus tempore sanitatis misere succumbunt. Ex his aliisque innumeris exemplis facile cognosci potest, eidem gratiae in quibusdam circumstantiis, quae eidem congruae sunt, consensum ab homine praestandum, in aliis vere denegandum esse. Dum ergo Deus, cuius sapientia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, ita circumstantias ordinat ut sint gratiae congruae, id est, dum tentationes et occasiones ad peccatum allicientes ab homine removet, et eundem in talia adiuncta reponit, in quibus pro naturali sua indole ad bonum inclinatur, atque ideo supernaturali gratiae in circumstantiis tam congruis concessae non resistit, sed consentit: rectissime ipse Deus dicitur consensum producere, seu operari velle et perficere. S. *Augustinus* quoque docet, Deum gratias suas efficaces reddere, removendo ab hominibus tentationes et occasiones peccati; nam Serm. 99 de verb. Evang., Deum ita ad hominem, qui ab adulteriis se immunem servavit, loquentem inducit: « Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium committeres, suasor defuit; ut suasor deesset, ego feci. Locus et tempus defuit, et, ut haec deessent, ego feci. » Idem S. Doctor clarissime docet, Deum, dum certo et infallibiliter vult actum salutarem, gratiam in circumstantiis congruis conferre; nam (1) inquit: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem... Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur et intelligerent et sequerentur; verum est ergo: *multi vocati, pauci electi*. Illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, quia, etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit: Igitur *non miserentis Dei, sed volentis, ac currentis* est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur; cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. » Quae omnino consonant doctrinae, quam proponit *Suarez* Lib. III de concursu, motione et auxilio Dei (2) dicens: « Omnimodam efficaciam huius vocationis in hoc consistere, quod Deus infinita sua sapientia praevidens, quod unaquaeque causa, seu voluntas in omni eventu et occasione operatura sit, si in ea constituatur, etiam cognoscit, quando, et cui vocationi sit unaquaeque voluntas assensum praebitura, si ei detur. » Et quia Deus, dum vult actum salutarem, gratiam in talibus circumstantiis concedit, in quibus hominem libere consensurum praevidet, certo et infallibiliter sequitur effectus, ad quem gratia datur, quia praescientia Dei falli non potest.

2. Libertas hominis in actibus salutaribus, posito hoc systemate, clarissime elucet. Nam efficacia gratiae

(1) L. 1 ad Simpl. q. 2, n. 13.

(2) Cap. 14, n. 9.

in illo repetitur ab ipsa virtute gratiae tanquam a principio activo, a circumstantiis congruis, quae in consensum voluntatis influunt, et a scientia Dei tanquam a principio directivo. Gratia autem talis est, ut ex intrinseca sua virtute nullatenus liberum arbitrium necessitet, cum eadem gratia in aliis circumstantiis minus congruis inefficax maneret. Circumstantiae porro in consensum hominis equidem influunt, sed eidem necessitatem non inferunt; nam etiam negotiator, qui ad evitandum naufragium merces in mare proiicit, iuxta omnes liberam actionem ponit. Et licet ex suppositione praescientiae divinae necesse sit necessitate absoluta, gratiam, quam Deus cum praevisione boni exitus decernit, esse illaturam effectum, haec necessitas est tantum consequens, orta nimirum ex praescientia infallibili, quae liberam voluntatis determinationem supponit; atqui necessitas consequens est amica libertatis; ergo libertas nullatenus labefactatur sub potenti notione gratiae efficacis.

3. Discrimen inter gratiam efficacem et sufficientem in hoc systemate non petitur a solo consensu dato vel negato, sed iste consensus dependens statuitur a circumstantiis congruis, vel incongruis. Cum autem Dei sit circumstantias ordinare, et gratiam suam in circumstantiis congruis potius, quam incongruis conferre, consensum ipsum et actum salutarem operationi divinae, et speciali Dei beneficio, quod nemini debetur, adscribere oportet. Inde iam clarius apparet, quomodo homo non seipsum discernat, sed a Deo discernatur, quia gratia efficax est, si in circumstantiis congruis confertur, inefficax autem seu mere sufficiens manet, si in circumstantiis minus congruis conceditur. Iuxta hoc systema ergo gratia efficax a sufficiente distinguitur non solum *in actu secundo*, sed iam etiam *in actu primo*, quod aperte colligitur ex verbis *Claudii Aquavivae*, qui in citato suo decreto ita loquitur: « Statuimus et mandamus, ut in tradenda divinae gratiae efficacitate.... nostri in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quae effectum reipsa habet atque efficax dicitur, et eam, quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse *in actu secundo*, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed *in ipso actu primo*, quod posita scientia conditionalium ex Dei proposito, atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligat, atque eo modo et tempore conferat, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si haec inefficacia praevidisset. Quare semper moraliter et in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia et *in actu primo* contineri: atque hac ratione efficere Deum, ut reipsa faciamus, non tantum quia dat gratiam qua facere possimus: quod idem dicendum est de perseverantia quae procul dubio donum Dei est (1).

Nota 1. Systema a *Suarez* propositum a multis magno applausu receptum et propugnatum fuit; ast etiam graves difficultates contra illud motae sunt. *a*) Concedendum quidem est, magnum esse circumstantiarum in voluntatis humanae consensum influxum, neque negari potest, Deum pro infinita sua bonitate et sapientia etiam circumstantias ita ordinare, ut in electorum salutem dirigantur; nam (2), *diligentibus Deum omnia*

(1) V. Billuart de gr. Diss. 5, a. 2, § 2.

(2) Rom. 8, 28.

cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nimis autem procedunt, qui docent Deum, ut gratiam suam efficacem reddat et effectum quem intendit obtineat, semper ad circumstantias attendere, istas ordinare et in circumstantiis congruis gratiam conferre debere, quasi virtute non polleret, immediate in voluntatem humanam agendi, eam convertendi ac in bonum inclinandi. Tali principio statuto, gratia ab intrinseco efficax penitus negatur, et ipsa omnipotentia Dei restringi videtur. *b*) Praeterea, ait cl. *Gazzaniga* (1): « Haud decere videtur summum absolutumque Dei in creaturas dominium, ut si peccatorem ad se trahere gratia sua voluerit, debeat prius explorare, quibus modis aut in quibus circumstantiis id queat obtinere, quasi instar sagacis consiliarii, qui molles aditus, qui congrua tempora expiscetur et captet. Itane vere supremus rerum omnium Creator et Dominus, qui, ut *Augustinus* (2) ait, « habet humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem? Sed quid, si aliquis ita pervicax esset, ut tali loco vel tempore, vel quocunque demum auxilio flecti nollet? Anne Deus hunc minime trahere ad se posset? Quid, si aliquis nollet toto vitae suae tempore? Vinceretne vitio humano Deus? — Non me latet, id a nonnullis adversariis concedi; sed contra S. *Augustinus* id sine impietate dici non posse clamat: Quis tam impie desipiat, inquit in Enchir. (3), ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? » — *c*) Etiam experientia systemati Congruistarum contraria est; videmus enim in iisdem omnino circumstantiis effectus sibi ipsis oppositos: ex duobus latronibus in cruce cum Christo pendentibus unus convertitur et salvus fit; alter induratur et perit. Videmus aliquos in circumstantiis maxime congruis propria voluntate perdi, ut *Iudam;* alios contra in circumstantiis omnino incongruis efficaci gratia converti, ut *Paulum*, de quo *S. Augustinus* (4) scribit: « Aversus quippe a fide, quam vastabat, eique vehementer aversus, repente est ad illam gratia potentiore conversus, convertente illo, cui hoc ipsum facturo per Prophetam dictum est: Tu convertens vivificabis nos; ut non solum ex nolente fieret volens credere, verum etiam ex persecutore persecutionem in eius fidei, quam persequebatur, defensionem pateretur. » Idem S. Doctor Serm. 99 de verb. Evang. (5) dicit, Deum ab homine, ne adulterium committeret, suasorem, locum et tempus removisse; ast immediate Deum iterum loquentem inducens subiungit: « Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes et quod non admisisti. » Ergo iuxta *S. Augustini* doctrinam tanta est gratiae efficacis virtus, ut etiam in circumstantiis minus congruis aut omnino incongruis effectum suum consequatur. Quod egregie docet insignis Societatis Iesu Theologus, Card. *Toletus*, qui (6) illa verba Pauli *Cum autem placuit ei, qui me... vocavit per gratiam suam* (7), ita explicat: « Non dicit Paulus, quando me novit obediturum, sed quando illi placuit... Non expectat Deus sem-

(1) De grat. P. 1, Diss. 5, c. 3. n. 135.
(2) L. de corrept. et grat. c. 14.
(3) Cap. 98. (4) L. de praedest. Ss. c. 2.
(5) Hom. 22, inter 50.
(6) Adnot. 34, in cap. 5 Lucae.
(7) Gal. 1, 15.

per arbitrium nostrum, quia sua gratia ipsum excitat, ipsi dat velle et perficere, et qui etiam rebelles convertit et compellit voluntates. Tunc ergo vocavit, quando illi placuit: et si ante vocasset, utique respondisset et obtemperasset... Existimo, tunc vocasse discipulos multos, et praesertim Matthaeum quando plus erant impediti, magisque detinebantur, ut venirent... Sic Paulum vocavit, dum opus fervebat, minusque ad observandum paratus erat.» *d*) In systemate declarato officium et obiectum orationis haud convenienter proponi potest. « Non enim, inquit cl. *Gazzaniga* (1), Deus ad Congruistarum mentem rogandus erit, ut sua nobis gratia praesto sit, sed potius ut opportunas circumstantias seligat in quibus gratiam largiatur, quod tamen a communibus Ecclesiae precibus alienum est. Imo cum in adversariorum (quin etiam plurium Thomistarum) sententia Deus omnibus et semper et ubique gratiam suam liberalissime distribuat, non video, quomodo rogandus sit, ut eam in circumstantiis congruis largiatur; si enim eam semper confert, neque in circumstantiis congruis deerit.» Acrius eandem difficultatem urget *Petrus Tamburini* in Dissert. de praestantia etc. doctrinae de gratia (2) dicens: « Si confugias ad Congruismum, aliqua quidem precandi necessitas tibi superest, sed aliam precandi formulam adhibeas necesse est, quam fieri soleat. Ad summum enim postulare a Deo potes, ut te ad bonum hortetur et excitet, teque constituat in circumstantiis propitiis, in quibus ille praevidit, te esse consensurum gratiae oblatae; sed ab eo non peteres nisi irrisorie voluntatis tuae consensum, quo gratia oblata redditur efficax, cum ille consensus a gratia non pendeat, sed a te ipso: irrisoria autem petitio est, si hoc a Deo petitur, quod ipse non facit. Ergo ad Deum confugere potes, non ut illum exores, ut nostras etiam rebelles ad se compellat voluntates; ut omnipotentia sua auferat a nobis cor lapideum, detque cor carneum; ut corda nostra mutet, et efficaciter ad bonum inclinet, sed ad Deum confugias necesse est, ut ad Principem quemdam politicum summaeque dexteritatis, eumque exores, ut animi tui inclinationes exploret, opportunaque tempora captet, quibus ille praevidet, te gratiae suae assensum praestiturum esse. His se contineat oratio tua necesse est, ne sit irrisoria, Deoque iniuria. At interea vides, quanti periculi res plena sit. Si enim vel ipse voluntatis consensus Dei donum est, nec illum tamen a Deo petis, a quo non credis illum accipere, iam in summo periculo tuae salutis negotium versatur; ut enim saepe monuimus, nemo quidquam obtinet (exceptis primis et extraordinariis gratiis), nisi petat; nemo veraciter petit, nisi noverit se a Deo accipere, quod petit. Ergo velis nolis, fateri cogeris, tua maxime interesse scire, quid de gratia Christi sentiendum sit.»

Nota 2. Systemati Congruistarum adiungi aliud potest a cl. *Lud. Thomassino* exaratum. Hic mediam quandam viam Thomistas inter et Molinistas inire studuit, ab utrisque recedens. Itaque ablegata tum praemotione physica Thomistarum, tum scientia media Molinistarum, statuit gratiae efficaciam in multitudine, congruitate, varietate, consonantia et conspiratione plurium auxiliorum Dei, cum internorum tum externorum, quibus Deus cum intus tum foris ita voluntatem obsidet, pulsat ac concutit, ut quamvis singula

(1) De grat. n. 129. (2) Cap. 5. n. 4.

possit sua pertinacia eludere ac superare, omnia tamen non possit. Nam si prima cadant inutilia, alia praesto sunt, donec voluntas tandem fatigata cedit, bonoque consentit. Quod exemplo aquae illustratur, quae quamvis mollis et fluida, saepius tamen iteratis suis ictibus durissima saxa excavat; unde illud *Senecae* (1) affert distichon: « Quid magis est saxo durum, quid mollius unda? Dura tamen molli saxa cavantur aqua. » — Ast hoc systema plerasque difficultates incurrit quae contra systema Congruistarum moventur. Concedendum omnino est, Deum pro sua omnipotentia et sapientia infinita maxima auxiliorum suorum multitudine et varietate uti posse ad hominum voluntates convertendas, et in bonum inclinandas, admitti autem non potest, Deum multitudine et varietate auxiliorum suorum uti debere, ut consensum hominis obtineat et gratiam efficacem reddat. Hinc *S. Alphonsus Ligorius* (2) Thomassini systema recensens ait: « Difficultas est in eo, quod tali modo non daretur quoddam auxilium singulare gratiae infallibiliter efficacis, cum secundum tale systema omnis efficacia reponeretur in aggregatione multorum auxiliorum: ast communiter Ss. Patres cum *S. Augustino*, *S. Thoma* et caeteri Theologi auxilium quoddam, seu causam singularem assignant, ex qua gratia suam efficaciam habet. » Et dum in allato systemate gratiae efficacia obscuratur, etiam libertati humanae haud optime consulitur, dum affirmatur, voluntatem singulis quidem auxiliis, non vero omnibus simul sumtis resistere posse. Parum enim refert, num quis una forti fune ligatus vel multis tenuibus funibus, a quibus se extricare nequeat, circumseptus incedere non possit.

(1) Lib. 4, Nat. Quaest. cap. 3.

Collatio systematum expositorum.

§ 434. Operae pretium est, ut systemata declarata invicem conferantur, atque inde cognoscatur, in quibus sibi invicem opponantur et in quibus conveniant.

1. Primarium inter recensita quatuor systemata discrimen in explicanda duplici modo gratia efficaci consistit. *Thomistae* enim et *Augustiniani* gratiam *ab intrinseco efficacem* defendunt, ac docent, ideo a voluntate humana liberum consensum praestari, quia a Deo conceditur gratia efficax: *Molinistae* vero et *Congruistae* contendunt, gratiam esse *ab extrinseco efficacem*, et propterea in ipsorum systemate gratia fit efficax, quia a voluntate humana libere consensus praestatur. Ex quibus facile colligitur, efficaciam gratiae clarius proponi a *Thomistis* et *Augustinianis*, quam a *Molinistis* et *Congruistis*, quia ex illorum systemate manifeste apparet, ipsum consensum hominis esse donum Dei, Deum operari velle et perficere, ac gratiam omnipotentissimam esse ita ut omnem cordis duritiam vincat, et ex nolentibus volentes faciat. — Libertas autem hominis in actibus salutaribus facilius intelligitur in systemate *Molinistarum* et *Congruistarum*, quam in systemate *Thomistarum* et *Augustinianorum*, quia iuxta illorum sententiam gratia tunc tantum efficax fit, cum consentit voluntas, quae eidem gratiae consensum negare, seu resistere potest: talis autem sententia communi hominum sensui maxime accommodata est. — Gratiam sufficientem dari eamque agendi potentiam conferre omnes admittunt: ast

(2) Op. Dog. cont. haeret. Sess. 6, § 4, n. 125.

iuxta *Thomistas* et *Augustinianos* potentia agendi, quae per gratiam sufficientem confertur, nunquam in actum transit, sed semper iuxta *Thomistas* gratia alterius naturae et iuxta *Augustinianos* validiori gratiae gradu opus est, ut ab homine consensus praestetur, et actus salutaris sequatur. Etiam iuxta *Congruistas* gratia in circumstantiis incongruis collata nunquam effectum consequitur, sed gratia in circumstantiis congruis conferenda est, ut consensus ab homine praestetur et actus salutaris sequatur. Igitur in systemate dumtaxat Moliniano gratia pro captu humano, et iuxta etymologiam vocis vere sufficiens adstruitur, quia in hoc tantum systemate docetur, eandem natura et indole gratiam efficacem fieri, si voluntas consentit, vel inefficacem manere, si voluntas resistit.

2. Systemata *Thomistarum* et *Augustinianorum* reipsa sibi non opponuntur, sed gratiam sub vario respectu consideratam explicant. *Thomistae* gratiam in sua causa seu in Deo, a quo conceditur, considerant, et operationem divinam explicare nituntur: generali quippe principio innixi, Deum in ordine naturali et supernaturali primam esse causam moventem, tum potentiam agendi tum ipsum actum, imo et libertatem in actu divinae operationi adscribunt: ultro autem fatentur, Deum, dum gratiam confert, agere seu omnipotentiam suam applicare modo naturae humanae consentaneo. Hunc porro explicant *Augustiniani*, qui gratiam in homine considerant, et quid supernaturalis operatio divina in anima hominis efficiat, declarare student. Naturae enim humanae, rationali et liberae maxime consentaneum est, ut ad agendum incitetur proponendo motiva et removendo obstacula, illustrando intellectum et movendo voluntatem, quod utrumque praestat gratia Redemptoris iuxta systema *Augustinianum*. Neque ab hoc systemate multum distare videtur sententia *Congruistarum*, qui efficaciam gratiae ex circumstantiis congruis repetunt. Nam circumstantiae, ut in naturam rationalem et liberam salubriter influant, et gratiae, quae illi ad actum salutarem confertur, congruae sint, vix aliter intelligi possunt, nisi tamquam media, quibus vel remote vel proxime cognitio boni ex parte intellectus, aut dilectio boni ex parte voluntatis promoveatur, aut impedimenta et obstacula boni removeantur. Multis idcirco *Congruistae* gratiam ab intrinseco potius quam ab extrinseco efficacem propugnare videntur. Negari saltem non potest, multa esse, in quibus allata tria systemata conveniunt.

V. *Systema ultimum, seu Systematum declaratorum Synthesis.*

§ 435. Si homines ingenio et veritatis amore praestantes inter se dissentiunt et altercantur, saepissime contingit, ut variae, quas propugnant, sententiae sub aliquo respectu verae, sub alio autem falsae sint, atque in eorum medio veritas inveniatur. Simile iudicium etiam de Theologis oeconomiam gratiae per varia systemata explicantibus, haud immerito fertur. Constat enim pro quolibet systemate stetisse viros, doctrina et pietate eximios, ac de Ecclesia optime meritos. Ab omni igitur prudentia et charitate recederet, qui asserere non vereretur, aut unam aut alteram istorum Theologorum partem a veritate penitus aberrasse, argumenta nullius ponderis pro re sua adduxisse, et nonnisi falsas, spuriasque opiniones propugnare tentasse. Tam teme-

rarium iudicium eo minus ferre licet, quo certius constat, ipsam Ecclesiam neutram Theologorum partem iudicio suo reprobasse. Censendum potius est, in quolibet systemate talia inveniri, quae vera sunt, et ad oeconomiam gratiae explicandam idonea, atque idcirco ex istorum collectione, seu ex systematum synthesi illum dogmata gratiae conciliandi modum inveniri posse, qui veritati magis appropinquaret. Hac de causa celebres Theologi, ut Card. *Norisius*, *Alphonsus Moynius*, *Isambertus*, praecipue vero *Honoratus Tournely* ex variis systematibus illas sententias adoptarunt, quae minoribus difficultatibus obnoxiae ac veritati magis conformes esse videntur, et ex illis novum systema construxerunt, in quo dogmata *de gratia efficaci* et *sufficienti*, ac *de libertate* hominis in actibus salutaribus sequenti fere modo declarantur et conciliantur.

1. Admittenda est duplex gratia efficax; una *ab intrinseco efficax*, quae efficit, ut libera hominis voluntas consentiat; altera *ab extrinseco efficax*, quae ideo effectum sortitur, quia libera hominis voluntas ipsi consentit. Existere gratiam ab intrinseco efficacem *Thomistae* et *Augustiniani* invictis probant argumentis (1); verum etiam *Molinistae* sat solidis argumentis probant, existere gratiam ab extrinseco efficacem, quae nulla alia superaddita gratia ideo effectum sortitur, quia voluntas ipsi consentit (2). Cum neutrum systema ab Ecclesia reprobatum sit, catholice affirmari potest existere gratiam ab intrinseco efficacem, et catholice pariter affirmari potest, existere gratiam ab extrinseco efficacem. Istae autem duae sententiae, quae in nominatorum Theologorum systematibus sibi oppositae videntur, facile conciliantur dicendo, utramque gratiam existere ab intrinseco et ab extrinseco efficacem, et modo hanc modo illam a Deo clementissimo concedi. Hac conclusione admissa, gravissimae difficultates declinantur, quae praefatis systematibus opponuntur. *Molinistae* enim ideo vel maxime acri stylo exagitantur, quia omnem gratiam ab extrinseco efficacem esse dicunt, et, hoc principio posito, gratiam ab intrinseco efficacem penitus excludunt. In systemate autem *Thomistarum* et *Augustinianorum* illa praecipue sententia displicere et impugnari solet, qua gratia quidem sufficiens admittitur, sed talis, quae nunquam salutarem sortitur effectum, nisi gratia ab intrinseco efficax superaddatur. Ad duplicem hunc scopulum evitandum existentia tum gratiae ab intrinseco efficacis in sensu *Thomistarum* et *Augustinianorum*, tum gratiae ab extrinseco efficacis in sensu *Molinistarum* rectissime admittitur. In eodem autem hoc systemate recte etiam dici potest, Deum pro infinita sua sapientia et bonitate quandoque hominem in talibus circumstantiis congruis vocare, in quibus liberum voluntatis consensum secuturum esse praevidet, quandoque vero auxiliorum suorum multitudine, varietate et conspiratione ita voluntatem pulsare, ut haec tandem fatigata cedat atque consentiat.

2. Gratia, quae *sufficiens* appellatur, natura sua non distinguitur a gratia ab extrinseco efficaci; haec enim efficax fit, si voluntas consentit; inefficax autem manet, si voluntas resistit. Gratia autem ista, si consideretur quatenus ad actum salutarem et ad hominis salutem ordinatur vere *sufficiens* est et quidem *proxi*

(1) V. § 425, Cf. § 430, n. 1, § 431, n. 1.

(2) § 427 et § 432.

ime ac *remote*. Ipsa etenim praecepta et opera pietatis distinguere oportet: alia enim sunt facilia, quae nullam vel parvam habent sive ex obiecto, sive ex tentatione aliisve circumstantiis difficultatem, uti sunt primo quidem oratio seu mentis ad Deum elevatio et divini auxilii imploratio, dein etiam levis mortificatio, aut exiguus charitatis actus: alia vero opera sunt ardua et difficilia, quae vel ratione obiecti, vel ob graves tentationes, vel ob alias circumstantias, magnam in se difficultatem continent, uti sunt perfecta totius legis observatio, victoria in gravibus tentationibus, patientia in magnis tribulationibus etc.— Iam gratia ab extrinseco efficax, quae homini benigne conceditur, *proxime sufficiens* est ad opera facilia, ad quae ordinatur, ita ut homo ab illa excitatus et adiutus, dummodo libere consentiat, sine alia superaddita gratia actum salutarem ponat, e. g. oret, mentem ad Deum elevet, eiusque auxilium imploret. Eadem autem gratia *remote sufficiens* dici potest etiam ad opera ardua et difficilia, et ad salutem hominis promovendam, quia homo per supplicem orationem, quam gratiae sufficienti consentiens ad Deum fundit, uberiora auxilia et gratias efficaces obtinere potest, quibus munitus etiam ardua praecepta divina adimpleat, graves tentationes vincat, dirasque tribulationes fortiter sustineat. Haec enim auxilia efficacia per orationem obtinenda esse, ipsa S. Scriptura testatur. « Ex hac enim, ait cl. *Tournely* (1), tria certa et explorata videntur: primum, nos, ut oportet, orare Deum non posse sine gratia: Rom. VIII, 6, *quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Alterum, gratiam illam orationis omnibus paratam dari, vel saltem offerri, sine qua impositum nobis orandi praeceptum implere non possumus. Matth. VII, 7: *Petite-quaerite-pulsate*. Luc. XVIII, 1: *Oportet semper orare, et non deficere*. Matth. XXVI, 41: *Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem*. I Thess. V, 17: *Sine intermissione orate*. Denique gratiam illam orationis, si ea ut oportet quis utatur, effectum suum obtinere; Matth. VII, 7: *Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur:* quae verba postquam repetit Lucas c. XI, v. 9, addit v. 13: *Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se*. Io. XIV, 12: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam;* et Io. XVI, 23 etc.: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis... Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* » — Non negatur autem in hoc systemate, Deum, qui in conferendis suis gratiis liberrimus est, hominem etiam sine praecedenti oratione per gratiam ab intrinseco efficacem ad conversionem, et ad actus salutares impellere posse, atque id actu quandoque contingere: ultro praeterea conceditur, fervidam quoque orationem hincinde opus esse gratiae ab intrinseco efficacis et singulare donum Dei, nullis praemissis precibus impetratum. Ea tantum in systemate asseruntur, quae iuxta ordinariam divinae Providentiae oeconomiam fieri consueverunt. Iuxta istam vero hominibus primo gratiae ab extrinseco efficaces ad opera facilia, praecipue ad orationem, frequentissime ideo in S. Scriptura et enixe commendatam, conceduntur: qui illis consentiunt, et accepto talento bene utuntur, ulteriora et uberiora auxi-

(1) De grat. Chr. c. 7, a. 4, Concl. 5.

lia, et gratias ab intrinseco efficaces acquirunt, quibus etiam opera bona ardua perficiunt et saluti suae consulunt: qui autem easdem gratias negligunt, iisque resistunt, uberiora auxilia non obtinent, a tentationibus ideo facile vincuntur et a via salutis recedunt.

3. Ut ostendatur hominis libertas in actibus salutaribus, coniungenda sunt tum ea, quae *Molinistae*, tum ea, quae *Thomistae* et *Augustiniani* ad eandem vindicandam proponunt. Dum enim homini conceditur gratia ab extrinseco efficax in sensu *Molinistarum*, manifestum est, libertatem humanam nullo modo imminui vel laedi, cum talis gratia non ipsum consensum producat, sed efficax fiat, quia libere consensus datur. (Cf. § 432. Ast etiam dum homini gratia ab intrinseco efficax datur, facile ostenditur, libertatem humanam illaesam integramque manere. Nam si gratia ista in Deo consideretur, rectissime dicitur omnipotentissimam et sapientissimam operationem divinam, quam *Thomistae* praemotionem physicam vocant, non solum efficere, ut actus bonus fiat, sed et, ut libere fiat (§ 430). Si autem eadem gratia in suo effectu, seu in homine consideratur, convenientissime cum *Augustinianis* dicitur, gratiam efficere, ut intellectus illustretur, et voluntas ad bonum inclinetur, ita ut libertas, quae in cognitione et amore boni consistit, non solum non tollatur, sed potius perficiatur. Quamobrem etiam posita gratia ab intrinseco efficaci, sicut libertas non tollitur, ita etiam in homine potentia dissentiendi seu resistendi permanet, quamvis haec potentia, dum gratia est ab intrinseco efficax, in actum non transeat (§ 431 et § 427, nota 1). Imo in praesenti systemate, saltem cum de ordinaria divinae providentiae oeconomia agitur, etiam pro captu humano aliquo modo explicari potest, quomodo homo liberrimus manet, dum per gratiam ab intrinseco efficacem ad actus salutares trahitur. Homo enim gratia ab extrinseco efficaci excitatus et adiutus, bonam voluntatem concipit, et a Deo gratiam ab intrinseco efficacem libere petit, ut opera ardua perficere, et salutem suam consequi possit. Qui ergo per orationem illam gratiam obtinet, eodem modo in actibus salutaribus liber dicendus est, sicut homo, ob humiles preces ab altero exceptus et curru tractus liberrime iter suum instituere dicitur.

Nota 1. Exposito huic ultimo systemati *Ss. Patres* suffragantur, qui communi consensu docent, homines orare posse et debere, ut gratias efficaces obtineant, quibus praecepta divina observare, tentationes vincere, tribulationes perferre, et salutem suam operari valeant. *S. Cyprianus* (1) ait: « Subdimus: *Sanctificetur nomen tuum:* non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo, ut nomen eius sanctificetur in nobis. Quia ipse dixit: *Sancti estote, quia ego Sanctus sum* (2); ideo petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse coepimus, perseveremus... Haec sanctificatio ut in nobis permaneat, oramus. Et quia Dominus, et iudex noster sanato a se et vivificato comminatur iam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationem precibus facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio, quae de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur. — Addimus quoque et dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in coelo, et in terra*,

(1) L. de orat. domin. (2) [illegible]

non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quominus quod velit faciat? Sed quia nobis a diabolo obsistitur, quominus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus ut fiat in nobis voluntas Dei, quae ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est ope eius et protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est. » *S. Gregorius Nyss.* (1) multitudinem peccatorum ab orationis defectu repetit dicens: « Idcirco abundat in vita peccatum... quoniam orationis bonum rebus seriis ab hominibus simul non adhibetur. Quod si oratio negotium praecesserit, peccatum adversus animam aditum non inveniet; » et post magna orationis encomia, quae gratias efficaces impetrat, et per has omnes virtutes producit; observat, Deum aliquando exigua bona terrena petentibus tribuere, « ut per haec fiducia erga Deum stabiliatur, ac paullatim per minores petitiones, experientia ipsa discentes, quod supplices Deus exaudiat, erigamur tandem aliquando ad sublimium pariter, et Deum decentium donorum desiderium atque cupiditatem. » Vult nempe S. Pater, ut dona spiritualia, et gratias efficaces, quibus recte vivere possimus, a Deo efflagitemus; eos enim stultissimos dicit, « qui a sempiterno temporalia rogant, a coelesti terrena, ab Altissimo humilia atque abiecta etc. » Hinc (2) prima petitionis verba: *Sanctificetur nomen tuum*, explicat dicens: « Qui sic dicit, vi verborum haec orat: auxilii tui adiumento fiam irreprehensibilis, inculpatus, iustus et pius, abstineam ab omni malo facinore, faciens quod iustum est, in rectitudine ambulans... institutis angelicae vitae clarescens... Non enim aliter per homines Deus glorificari potest, nisi virtus eius testetur, divinam potentiam atque virtutem esse causam bonorum. » *S. Ambrosius* docet, orationem necessariam esse peccatoribus, ut gratiam conversionis obtineant, ac iustis, ut victoriam de tentationibus referant; ait enim in Ps. 1 (3): « Dominus etsi vult ignoscere, vult rogari; » et (4) in Luc. inquit: « Scriptorum memores noctibus ac diebus orationi instantes peccatis nostris veniam postulemus. Nam si ille (David) tam sanctus, et qui erat regni necessitatibus occupatus septies in die laudem Domino dicebat... quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius carnis ac mentis fragilitate delinquimus? » — *S. Ephraem* de vita religiosa tract. dicit: « Si quis per ignaviam seipsum relaxans gratiam Dei in auxilium invocare neglexerit, se ipsum accuset et non gratiam, si ab ea deseratur. » *S. Chrysostomus* (5) inquit: « Oratio est portus tempestate iactatis, fluctuantibus anchora, scipio titubantibus... Oratio simul et bona nobis immota conservat et confestim mala transmutat, sive tentatio invaserit, facile propulsatur, sive pecuniarum iactura, sive quodlibet aliud eorum, quae molestiam animae nostrae inurunt, cuncta quamprimum repellit... Qui diligenter potest orare, licet omnium sit pauperrimus, tamen omnium est ditissimus; ut, qui oratione destitutus est, licet in ipso regio throno sedeat, omnium est pauperrimus. » Idem scribit (6): « Magnum oratio telum est in tentationibus, et

(1) Homil. 1, de Orat.
(2) Homil. 3, de Orat (3) N. 15.
(4) L. 7, n. 88. (5) Hom. 7 de consubstant. seu de incompr. Dei natura n. 7.
(6) Hom. 3, in Acta Ap. n. 1.

ad hoc (Apostoli) a Magistro suo satis fuerunt instituti. » Ibidem (1) orationem nominat « auxilium et subsidium invictum. » Et Homil. de 10,000 talent. debitore n. 6 ait: « Audiamus, quotquot ignavi sumus ad precandum, quanta sit obsecrationum vis; (servus ille) non ieiunium ostentavit, non ultroneam paupertatem, non aliquid istiusmodi, sed desertus, sed nudus omni virtute, ubi se ad obsecrandum convertit, eo solo potuit Dominum ad misericordiam pertrahere. Ne igitur deficiamus in fundendis precibus... Ne animum despondeamus, neve nos segnes timidosque ad preces exhibeamus; etiamsi detrusi simus ad barathrum malitiae, facile inde nos extrahere poterimus... Non enim (oratio) sola est, quae omnia conficit, sed habet sociam et auxiliatricem maximam humanitatem Dei, qui preces accipit, cuius viribus omnia fiunt, et quae orationem efficacem reddidit. » Idem praeclare docet, gratiam orationis numquam deesse, et homines quovis loco et tempore orare posse. Serm. 4 de Anna, n. 6 inquit: « Ubicumque fueris, poteris erigere altare, si sobriam modo voluntatem afferas, nec te aut locus, aut tempus impedit; sed etiamsi nec genua flectas, nec pectus tundas, nec manum ad coelum tendas, si mentem solum afferas fervidam, nihil tibi ad precationem deerit. » Et (2) in verba Pauli: *per omnem orationem, et obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu* etc. (3), ait: «Quia dixit: *poteritis tela diaboli ignea extinguere*, ne ipsos inflaret, ostendit, eos maxime omnium ad hoc Deo opus habere. Quid enim dicit? — *per omnem orationem, et obsecrationem;* ac si diceret, haec erunt, et totum recte geretis orantes... Ne mini definias tempora diei. Audi enim quid dicat? in omni tempore accede, *sine intermissione*, ait, *orantes.* » *S. Hieronymus* (4) adv. Pelag. scribit: « Hoc scito, baptismum praeterita donare peccata, non futuram servare iustitiam, quae labore et industria ac diligentia, et semper super omnia Dei clementia custoditur; ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus. » Et (5) ad Ctesiph. ait: « Non mihi sufficit, quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto ut accipiam, et dum accepero, rursus peto. Avarus sum ad accipienda Dei beneficia. Nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo. Quanto plus bibero, tanto plus sitio. » *S. Paulinus* (6) inquit: « Magno adiutorio atque praesidio nobis opus est, atque multarum et indeficientium orationum patrociniis indigemus. » Praecipue autem citandus est *S. Augustinus* cuius auctoritas, dum de gratia agitur, maxima est. Ipse autem, sicut gratiam *ab intrinseco efficacem* invictissime propugnat, ita etiam gratiam profitetur, quae effectum non sortitur, resistente humana voluntate. (V. § 425, n. 2, et § 427, n. 2). Frequentissime porro S. *Augustinus* docet, per orationem auxilia efficacia obtineri et homines semper orare posse, atque debere. Sic Enarr. in Ps. 118 (7) dicit: « Haec est fides, quae per dilectionem operatur; quoniam quaerendo, petendo, pulsando impetrat spiritum bonum, per quem dilectio ipsa diffunditur in cordibus nostris. » Simul autem docet, gratiam petendi, quae-

(1) Hom. 11, n. 1.
(2) Hom. 24, in Ep. ad Ephes. n. 3.
(3) Ephes. 6. 18.
(4) L. 3 initio.
(5) Ep. 133.
(6) Ep. 34. de Gazophyl.
(7) Serm. 22, n. 1.

rendi et pulsandi cuique praesto esse; ait enim l. I ad Simplician., q. 2: « Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia et petere et quaerere et pulsare ille concedit, qui ut haec faciamus, iubet? » — Lib. div. quaest. ad Simplic. (1) scribit: « Hoc restat in ista mortali vita, non ut impleat homo iustitiam, cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum, cuius dono eam possit implere. » Tract. 26 in Ioan., n. 2 dicit: «Semel accipe et intellige: nondum traheris? ora ut traharis.» Lib. de nat. et grat. (2) inquit: « Non igitur Deus impossibilia iubet; sed iubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis. » L. I op. imperf., n. 93 haec habet: « Convenit autem scriptura plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet, vel non potest, admonitus sentiat, et ab eo, a quo sunt bona omnia, indigens poscat. » — Praesertim vero S. Doctor eandem doctrinam clare proponit in lib. de grat. et lib. arbit.; nam (3) ait: « Propter quod dicit et coelestis magister: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.* Ergo quisque contra suam concupiscentiam dimicans oret, ne intret in tentationem, id est, nè sit ab illa abstractus, et illectus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanae, nisi a Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentationem. Quid vero evidentius, quam Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur? Si enim dixisset Salvator noster: *vigilate, ne intretis in tentationem*, admonuisse videretur tantummodo hominis voluntatem; cum vero addidit: *et orate*, ostendit Deum adiuvare, ne intretur in tentationem. Dictum est libero arbitrio: *Fili, noli deficere a disciplina Domini* (4); et Dominus dicit: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua* (5). Homo ergo gratia adiuvatur, ne sine causa voluntati eius iubeatur. » « Ex quibus inferas, ait cl. *Favre* (6), quod unusquisque sive Christianus in statu gratiae, sive Iudaeus in statu legis gratiam orandi habuit et habet. » — In eodem libro (7) S. Doctor scribit: « Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua quae non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quae orando impetrat, quod lex imperat.... Certum est enim, nos mandata servare si volumus, sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. » Et ibid. (8) disserens de praecepto charitatis ita loquitur: « Admonitum est liberum arbitrium, ut quaereret Dei donum. Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quaereret, unde quod iubebatur impleret. » Ergo iuxta doctrinam *S. Augustini* homines divina auxilia implorare debent, ac ideo gratiam orandi habent, qua si recte utuntur, per orationem gratias ab intrinseco efficaces obtinent, quibus graves tentationes vincere et praeceptum charitatis adimplere valent. Quare (9) c. Pelagian. dicit: « Ad medicum curras, medicum implores, qui ubique est, et ut implorares, excitavit cor tuum, et posse implorare donavit tibi. »

(1) Q. 1, n. 14. (2) Cap. 43, n. 50.
(3) Cap. 4, n. 9. (4) Prov. 3, 11.
(5) Luc. 23, 32. (6) In cap. 119, Enchir.
(7) Cap. 16, n. 32. (8) Cap. 18, n. 37.
(9) Serm. 176, al. 10, de verb. Anost. n. 5.

Nota 2. Quamvis longo temporis spatio in Scholis moris fuerit, ut unum, vel alterum ex quatuor declaratis systematibus omni ex parte proponeretur, et contra aliter sentientes operose defenderetur; extiterunt tamen graves Theologi, qui nulli ex dictis systematibus serviliter inhaerentes, sed ea, quae sibi magis consona veritati videbantur seligentes, docuerunt, gratiam dari tum ab intrinseco, tum ab extrinseco efficacem, hanc pendere a consensu dato, vel negato, et proxime ad actus faciles, remote vero ad arduos sufficere. Sic Cardin. *Norisius*, doctrinae S. Augustini addictissimus (1), inquit: « Etiam in statu naturae lapsae datur *adiutorium sine quo*, secus ac Iansenius contendit, quod quidem adiutorium efficit in nobis actus debiles, nempe orationes minus fervidas pro adimplendis mandatis; in ordine ad quorum executionem *adiutorium sine quo* est tantum auxilium remotum, impetratorium tamen *auxilii quo*, sive gratiae efficacis qua mandata implentur. » Deinde subiungit, per orationem tepidam, si non ipsam gratiam efficacem, saltem orationem magis fervidam obtineri, quae gratiam efficacem impetrat; ait enim: « Colligo ipsammet tepidam orationem fieri a nobis cum *adiutorio sine quo non*, ac ordinario Dei concursu, cum sit actus debilis etc... et tamen tepida oratione impetramus spiritum ferventioris orationis, qui nobis *adiutorio quo* donatur. » Id confirmat auctoritate S. *Augustini*, qui (2) scribit: « Ego libera et valida intentione preces ad te direxi, quoniam ut hanc habere possem, exaudisti me infirmius orantem. » Idem ibidem affirmat, quemlibet habere potentiam proximam orandi, per quam impetrare potest potentiam proximam bene operandi; nam ait: « Manifestum est potentiam ad orandum debere esse proximam in iusto, sive fideli; nam si fidelis sit in potentia remota ad simpliciter orandum (non enim hic loquor de fervida oratione), non habebit aliam potentiam pro impetranda oratione; alias procederetur in infinitum. » — Cardin. *Gotti*, doctrinae S. *Thomae* addictissimus (3), quaerit, quomodo homo possit perseverare si velit, cum auxilium speciale perseverandi in sua potentia non habeat; et respondet, quod licet hoc speciale auxilium in sua potentia non habeat, « in potestate tamen hominis dicitur esse, quod ipse per Dei gratiam potest ab eo petere ac obtinere; et hoc modo in hominis potestate potest dici esse, ut habeat auxilium ad perseverandum necessarium, illud impetrando orationibus. » *Dionysius Petavius* Dogm. theol. tom. I, lib. 10, cap. 19 et 20 totus in eo est, ut probet, hominem per solam gratiam sufficientem, sine alio auxilio bene operari posse, et asserere non dubitat, quod contrarium dicere monstruosum esset, ac quod illa doctrina non Theologorum tantum sit, sed etiam Ecclesiae. Ex quo concludit, quod gratia divina praecepta actu observandi obtineatur per orationem, et quod Deus donum orationis eodem tempore concedat, quo praecepta imponit: « Donum istud, inquit, quo Deus dat, ut iusta faciamus, effectum orationis subsequitur, et talis effectus legi comes datur. » *Isaacus Habertus*, Doctor Sorbónicus, et postea Episcopus Vabrensis (4) ita disserit: « Censemus primo, quod immediate cum ipso effectu consensus completi sufficiens

(1) In Op. Ians. error. calumnia sublata c. 2, § 1. (2) In Ps. 17.

(3) Ap. S. Alph. Ligor. op. dogm. Sess. 6, § 7, n. 152.

(4) Lib. 2 Theol. PP. graecor. c 15. n. 7

(gratia) non habet habitudinem nisi contingenter vel mediate. Arbitramur proinde et dicimus, gratiam sufficientem esse gratiam dispositionis supernaturalis ad gratiam efficacem, utpote ex cuius bono usu et effectu incompleto Deus postea gratiam completi effectus certe productivam seu effectivam creatae voluntati concedat; quo fit, ut accurate sit animadvertendum, gratiam efficacem duobus modis a Deo conferri, primo quidem solitarie et immediate absque gratia dispositionis, seu gratia sufficiente praecedente; secundo vero, ut plurimum, et mediate et praecedente gratiae sufficientis vel semel vel pluries oblatae, paullatimque auctae acceptatione bonoque usu tanquam praevia dispositione. Uterque modus suis apud Scripturam, et Ss. Patres argumentis non caret. » Ibid. (1) dicit: « Auxilia igitur gratiae sufficientis sunt dispositiva ad efficacem, et efficacia secundum quid, effectus videlicet incompleti, inchoati, dispositivi et praeparantis, et impetrantis primo remote, secundo autem proxime, qualis est actus fidei, spei, timoris, atque inter haec omnia orationis. Unde cel. *Alphonsus Lemoynus* gratiam illam sufficientem docuit esse gratiam petendi, seu orationis, de qua toties *B. Augustinus.* » — *Lud. Thomassinus* in Tr. Consensus Scholae de gratia (2) ostendit, Deum, qui vult omnes homines salvos fieri, talia omnibus auxilia conferre, quae ad eorum salutem sufficiant, et ideo gratiae sufficientes dicantur; eodem autem modo certum esse, quod ad totam legem adimplendam gratia efficax necessaria sit; ast veritates istas conciliari non posse, nisi dicatur, quod auxilia omnibus communia sufficiant ad actu orandum, et ad similes actus faciles ponendos, per quos gratia efficax obtinetur ad ardua quoque praecepta observanda: pro hac porro doctrina citat *S. Bonaventuram, Scotum* et alios dicens: « Omnibus ea placuere sufficientia auxilia, vere sufficientia, quibus assentitur quandoque voluntas, quandoque non. » Pro eadem sententia citari possunt *Alphonsus Moynius*, *Phil. Gammachaeus*, *Andr. Du-Vallius, Isambertus, Peretius, Andreas Vega, Fortunatus a Brixia*, *Ant. Boucat* (3) et *Domin. Viva*, qui (4) in I Prop. *Quesnellii* damnatam ita loquitur: «Liquet in quonam sensu intelligendum sit illud Apostoli: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis* (5). Non enim potest esse sensus, quod non permittet a concupiscentia nos allici, et a daemone tentari supra id, quod possumus *physice:* nam succumbere huic impotentiae non verteretur culpae. Sensus itaque est, quod non permittat ex sua misericordia hominem lapsum tentari supra id, quod *moraliter* potest; non quasi vero nulla detur tentatio, quae necessitet moraliter ad peccandum, et cuius victoria moraliter sit impossibilis; sed quia si quando victoria isthaec esset moraliter impossibilis, si petatur auxilium gratiae, expugnabitur ista moralis impossibilitas iuxta illud *Tridentini* (6): *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat, ut possis.* Impossibilitatem autem moralem ad orandum et ad petendum divinum auxilium Deus secundum se non permittit; aliter pateretur, nos tentari supra id, quod moraliter possumus, quod adversatur benignissimae suae promissioni expresse nobis

(1) In eodem cap. n. 3. (2) Cap. 8, tr. 3. (3) Theol. Patrum Diss. 3. Sect. 5
(4) In Trutina theol. Tom. 2, P. 4, n. 10. (5) 1 Cor. 10. (6) Sess. 6, can. 11.

ab Apostolo factae per illa verba: *Fidelis Deus qui* etc. Quinimo Deus aliquando impossibilia praecipit, ut excitet nos ad orandum et ad implorandum auxilium suum, ut expresse habet *S. Augustinus* (1) dicens: « Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri: quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua quae non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.»— Idem cl. *Viva* (2) cum dixisset, iuxta *Iansenium* non solum peccatoribus, sed etiam iustis legem transgredientibus tum gratiam sufficientem ad legem servandam, tum gratiam sufficientem ad orandum deesse, subiungit: « Quod apertissime contradicit *Tridentino* docenti, Deum impossibilia non praecipere, praecipiendo autem monere ut faciamus quod possumus, et petamus quod non possumus. Et sane si ne petere quidem et orare possemus ad impetrandum auxilium necessarium ad legem servandam, delusorie Deus moneret ut oremus; sicut delusorie dicitur claudo ut fugiat a ruina, si vires non habet ad fugiendum. Verum quidem est, quod, ut oratio sit supernaturalis et meritoria, procedere debet ab auxilio superno, ut proinde peccator, qui tenetur v. gr. contritionem elicere, quae viribus naturalibus poni nequit, non possit vi orationis tale auxilium de congruo mereri ac impetrare, nisi oratio procedat ab auxilio supernaturali: at ex hoc tantum fit, quod, dum peccator monetur a Deo, ut auxilium petat ad ponendam contritionem perfectam, destitui non possit auxilio requisito ad orandum; aliter hoc ipsum auxilium esset petendum ab alia et alia oratione in infinitum, et sic etiam delusorie Deus moneret facere quod possumus, et petere quod non possumus. » — *Honoratus Tournely* declaratum hoc ultimum systema in suis praelectionibus theologicis ita proposuit et defendit, ut a nonnullis illius auctor haberetur. Nam de gratia Christi disserens q. 7, art. 4, concl. 5 dicit: « Admittenda est gratia sufficiens, quae ita immediate sufficiat, seu ad facilia quaedam implenda, seu ad impetrandum per orationem uberius Dei auxilium, quo difficiliora impleantur, ut aliquando suum de facto producat effectum, » quod quidem probat omni auctoritatum genere. Sed quaest. 8 probat, omnibus conferri gratiam sufficientem, quae proxime et immediate ad opera facilia, remote vero et mediate ad opera ardua sufficit, quia per opera facilia, et praecipue per orationem obtinetur gratia ab intrinseco efficax, quae certo ac infallibiliter dat velle et operari, cuius gratiae existentiam probat (3). — Pro eodem systemate citari etiam potest *S. Alphonsus Ligorius*, qui eidem toto corde innaeret. Ait enim (4): « Nostra sententia est, quod ad recte operandum, et ad praecepta servanda non sufficiat gratia sufficiens, quae dumtaxat ad opera facilia auxilium praebet; sed quod necessaria sit gratia ab intrinseco efficax, quae voluntatem humanam ad recte operandum determinet, ut probavimus § 2, n. 115, sententiam Molinae refellentes. Dicimus etiam, quod haec gratia efficax plerumque operetur et operari faciat per delectationem victricem, sed aliquoties nos ad operandum determinet per alia quoque motiva, ut spei, timoris etc., sicut docet *S. Augustinus*, id pro certo habentes, Deum efficaciter homines ad se trahere innumeris et admirabi-

(1) L. de grat. et lib. arb. c. 16,
(2) Ibid. n. 13. (3) Quaest. 9, art. 1.

(4) *Op. dommat. tratt.* 4, *o tr. aggiunto alla Sess.* 6, § 7, *n.* 141.

nibus modis. Ast nihilominus dicimus, quod gratia sufficiens in quolibet, si velit, actum orandi producat, et quod quilibet per orationem gratiam efficacem obtineat. » Et (1) doctrinam hanc ex Concilio Tridentino (2) probans, in fine concludit dicens: « Concilium dicit, Deum non imponere praecepta impossibilia, quia aut auxilium ea observandi confert, aut ad hoc auxilium impetrandum gratiam orandi concedit, et ipse nos adiuvat ad unum aut alterum faciendum. Iam si verum esset, quod Deus non omnibus daret gratiam saltem mediate efficacem ad praecepta actu observanda; id verificaretur, quod *Iansenius* dixit, quod pro nonnullis praeceptis etiam homini iusto gratia desit ad ea actu observanda. »

Nota 3. Iam ex iis, quae nn. 1-3 exposita fuerunt, satis patet, hoc ultimum systema fini suo maxime congruere, quoniam in ipso tum de gratia efficaci, tum de libertate hominis, tum de gratia sufficiente clarae notiones traduntur, et istorum dogmatum nexus, quantum fieri potest, manifestatur. Ex eodem systemate attributa divina clarius pro captu nostro elucent; nempe *omnipotentia*, quae multiplici modo in homine operatur, et partim ita eum adiuvat, ut gratiae efficacia, vel inefficacia a consensu dato vel negato dependeat, partim vero per gratiam ipsam consensum simul cum libertate producat; *sapientia*, quae modum invenit, quo fit, ut in ordine salutis nihil quidem sine gratia fieri possit, et tamen eadem salus, quae est opus gratiae, etiam meritum hominis recte dicatur, imo quilibet actus salutaris tum gratiae, tum libero arbitrio adscribendus sit; *bonitas*, quae gratias sufficientes omnibus elargitur eosque ad preces, aliaque opera facilia exhortatur, quibus auxilia ab intrinseco efficacia, et effectus salutares indeclinabiliter et insuperabiliter producentia obtinere queant; ac demum *iustitia*, quae sicut debito modo petentibus, quaerentibus, pulsantibus gratias efficaces concedit, ita easdem orationem aliaque opera facilia negligentibus iustissimo iudicio denegat; quamvis hincinde Deus etiam non petentibus gratias ab intrinseco efficaces concedens, eosque convertens, et ad se trahens nullatenus iustitiam laedat, sed summam suam *clementiam* et *misericordiam* manifestat (§ 52). In eodem systemate facilius declaratur, quomodo Deus velit omnes homines salvos fieri, et non sit acceptor personarum, quia omnibus hominibus tales gratias elargitur, quae proxime ad opera facilia et remote ad opera ardua, ad omnia praecepta divina observanda, et ad salutem operandam sufficiunt: ex eadem ratione merita Christi exaltantur, quibus non solum gratiae sufficientes omnibus concessae, sed etiam gratiae ab intrinseco efficaces adscribendae sunt, quibus salus hominum mire promovetur. Denique hoc ultimum systema ad moralitatem promovendam efficacissimum est. Cum enim in isto dicatur, gratiam sufficientem cuilibet adesse (quod capite sequenti probabitur), maximum illud moralitatis obstaculum tollitur, quo homines gratiam ad observanda divina mandata necessariam sibi deesse dictitant, desidiam suam inique excusantes. Posita hac doctrina, homines potius quovis tempore cavere debent, ne ipsimet gratiis acceptis desint, atque ideo continuo vigilare, ad inspirationes adtendere iisdemque obtemperare tenentur, ut tali modo actus pietatis faciles ponentes, ac praecipue sine intermis-

(1) Ib. n. 153. (2) Sess. 6, cap. 11.

sione cum vera humilitate et firma confidentia orantes gratias ab intrinseco efficaces obtineant, quibus muniti, etiam graves tentationes superabunt, ardua quoque praecepta observabunt et salutem suam aeternam operabuntur. Convenit profecto haec doctrina cum Ss. Patribus et Ascetis, qui perpetuo clamitant, minimis inspirationibus adtendendum et obtemperandum, leves quoque defectus fugiendos, acediam praecipue in oratione maxime vitandam, ac qualibet recte operandi occasione solerter utendum esse, ut uberiora ac efficaciora auxilia divina obtineantur et salus aeterna promoveatur. Imo eadem ista ad promovendam moralitatem efficacissima doctrina plane convenit cum gravissimo monito Concilii Tridentini (1) dicentis: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat, ut possis.*

Usus doctrinae de efficacia gratiae.

§ 436. Dogmata de gratia efficaci et sufficiente, ac de libero arbitrio, quod gratiae resistere potest, summi sunt momenti, ut doctrina moralis de *spe* in Deo collocanda, et de *timore salutari* cum ipsa coniungendo recte proponi possit.

1. Imprimis ex dogmatibus de gratia efficaci exurgit spes, quae est virtus theologica divinitus infusa, per quam aeternam beatitudinem, et eius media promissionibus divinis innixi certa cum fiducia expectamus. Quia enim Deus *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*, ideo *unus mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (2); et salutis media cunctis promeruit. Quamvis ergo homines sine gratia supernaturali nullum prorsus actum salutarem perficere possint; certo tamen a divina misericordia propter infinita Redemptoris merita gratias sufficientes expectare possunt, quibus excitati et adiuti, actus faciles ponere, ac imprimis orationes ad Deum fundere, atque per istas gratias uberiores et ab intrinseco efficaces impetrare queant. Has equidem Deus nemini debet, sed per gratiam supernaturalem petentibus, quaerentibus et pulsantibus benigne promisit (§ praec. n. 2); unde Apostolus (3) dicit: *Non est distinctio Iudaei et Graeci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (4). Saluberrimum istum orationis effectum, praecipue iusti, qui gratia sanctificante ornantur, certo expectare possunt; nam, ait Apostolus Ioan.: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: et quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata eius custodimus, et ea, quae sunt placita coram eo, facimus* (5). — Ast etiam peccatores, si gratia divina excitati resipiscant, de peccatis doleant et ad Deum revertendi sincerum desiderium concipiant, per orationes aliosque actus, ope gratiae sufficientis elicitos, uberiora et ab intrinseco efficacia auxilia impetrare possunt, quibus perfecta conversio feliciter perficiatur. Nam Ps. L, 18 legitur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies;* et Apoc. III, 20 divinus Redemptor ait: *Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et coenabo*

(1) Sess. 6, cap. 11. (2) 1 Tim. 2, 4 etc. (3) Rom. 10, 12 etc. (4) Cf. Ioël. 2, 12. (5) 1 Io. 3 21 etc.

cum illo, et ipse mecum. Ipsa S. Scriptura teste, homo, quo magis infirmitatem et indignitatem suam cognoscens et de propria miseria confusus ad Deum convertitur, eo facilius et largius dona Dei, efficacesque gratias impetrare valet; nam Iudith (1) ait: *Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Eccli. (2): *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Iac. (3): *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quamvis vero homo candide semper fateri cogatur, se in ordine salutis ex propriis viribus nihil habere, nihil posse, nihilque mereri; plena tamen fiducia exspectare debet, quod per gratiam divinam petens, quaerens et pulsans a Deo clementissimo, et in promissionibus suis fidelissimo efficacia ad salutem operandam auxilia obtenturus sit. Quae fiducia ita necessaria est, ut sine ipsa oratio quoque effectu suo frustretur. Nam, ait S. Iacobus (4): *Si quis vestrum indiget sapientia postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil haesitans. Qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quod accipiet aliquid a Domino.* Christus ipse firmam a petentibus fiduciam exegit, eique omnia bona promisit. Marc. IX, 21 homini dicenti: *Si quid potes, adiuva nos misertus nostri,* reposuit: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti;* et Marc. XI, 22 etc. inquit: *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti: tollere, et mittere in mare, et non haesitaverit, in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quaecunque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.* Imo iam in V. T. firmae in Deo confidentiae omnia bona promittuntur. Ps. XXXI, 13: *Sperantem in Domino misericordia circumdabit.* Ps. LXI, 9: *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in aeternum.* Thren. III, 25: *Bonus est Dominus sperantibus in illum, animae quaerenti illum.* Eccli. II, 11: *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Ex quibus omnibus patet, hominem debito modo petentem, quaerentem et pulsantem plena fiducia Deo expectare posse, et debere efficacia illa auxilia, quibus ad perfectam moralitatem et ad aeternam felicitatem perveniat. Quamvis igitur gravia praecepta observanda et ardua opera perficienda sint, gratiis Dei efficacibus adiutus recte cum D. Paulo dicit: *Omnia possum in eo, qui me confortat* (5). Etsi vehementibus tentationum procellis quatiatur, Dei tamen auxilio fretus certam sibi victoriam polliceri potest cum Davide dicens: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo* (6). Si uti aurum et argentum in igne, ita in camino humiliationis probetur, et tribulationum pondere obruatur; auxiliante Deo, omnia fortiter et constanter perferre ac dicere potest: *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?... Certus sum, quia neque mors neque vita.... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu* (7). — Rectissime igitur S. Paulus firmam in Deo con-

(1) Cap. 9, 16. (2) Cap. 35, 21. (3) Cap. 4, 6. (4) Cap. 1, 5. (5) Phil. 4, 3

(6) Ps. 26, 3. (7) Rom. 8, 35 etc.

fidentiam anchorae comparat, quae navim saevas inter procellas a naufragio praeservat. — Ait enim (1) Deum promissiones suas iureiurando confirmasse, *ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam, ac firmam.* Cohaerenter huiusmodi saepe repetitis sacrorum codicum phrasibus S. *Augustinus* (2) dicebat: « Spes nostra tam certa est, quasi iam res perfecta sit. Neque etiam timemus promittente veritate. Veritas nec falli potest, nec fallere: bonum est, ut haereamus illi: illa nos liberat, sed si manserimus in verbo eius. »

2. Cum Deus in promissionibus suis adimplendis fidelissimus sit (§ 47); omnia, quae ab ipso promissa sunt, plena certitudine expectari debent; nefas enim esset, cogitare Deum ea quae promisit, non adimpleturum esse, ac propterea vel minimam de ipso diffidentiam habere. Recte igitur Theologi docent, circa ea quae salutem nostram aeternam attingunt, spem ex parte Dei omnino certam et infallibilem esse, ast eandem talem certitudinem non habere, si ad nosmetipsos et ad nostram infirmitatem oculos convertamus. Dogmata enim catholica sunt, quod etiam in actibus salutaribus liberi simus, et quod gratia divina moti et excitati dissentire possimus, si velimus. — Timere ergo debemus, ne nos gratiis a Deo benigne concessis resistamus, et a bono deficientes iusto Dei iudicio auxiliis efficacibus privemur. Idcirco eadem S. Scriptura, quae nos ad firmam in Deo confidentiam ubique excitat, salutarem quoque timorem Dei frequenter commendat. Iosue (3): *Timete Dominum, et servite ei corde perfecto.* Prov. (4): *Time Dominum et recede a malo.* Eccle. (5): *Deum time, et mandata eius observa; hoc est enim omnis homo.* Luc. (6): *Ostendam vobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Nullatenus quidem de irrefragabili Dei fidelitate in promissionibus adimplendis, aut de eius omnipotentia, immensa bonitate et misericordia dubitare licet; sed timere debemus, ne nos misericordiae divinae dona negligentes, iisque abutentes, iustitiae divinae, quae pariter infinita est, effectus experiamur. Ideo monemur, occultam superbiam (7), praesumptionem (8), negligentiam et teporem (9) timere et cavere; ad continuam autem vigilantiam et orationem obligamur, ut non intremus in tentationem. Ideo etiam Paulus dicit: *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (10); et: *Cum metu, et tremore salutem vestram operamini* (11); quae verba exponens S. *Chrysostomus* (12) ita loquitur: « Dic, rogo, Paule! quid tibi vis? Non ut me audiatis, sed ut cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operemini. Non potest enim is, qui sine timore vivit, praeclarum quidpiam et admirandum edere. Neque tantum dixit: *timore*, sed addidit: *et tremore*, qui maior quidam et vehementior timor est, nimirum id studens, ut illos attentiores reddat. Hunc habebat timorem Paulus; propterea etiam dicebat: *Timeo, ne cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar* (13). Nam, si quae ad vitam hanc pertinent, sine

(1) Hebr. 6, 18. (2) Praefat. in Ps. 123. (3) 24, 14. (4) 5, 7. (5) 12, 13. (6) 12, 5. (7) Tob. 4, 14; Iac. 4, 6. (8) Iudith 6, 15. (9) Apoc. 3, 15. (10) 1 Cor. 10, 12. (11) Phil. 2, 12. (12) Hom. 8, in Ep. ad Philip. n. 1. (13) 1 Cor. 9, 27.

timore recte acquiri non possunt, quanto minus spiritualia? dic enim, quis litteras sine timore didicit? quis artem tenuit sine timore? Quod si, ubi non imminet diabolus, sed sola negligentia impedimento est, tanto opus est labore, ut solam illam naturalem negligentiam vincamus; ubi tantum impendet bellum, tanta impedimenta; qui fieri unquam poterit, ut sine timore salutem consequamur?... Ergo et tu qui credidisti, multis virtutis officiis functus es, ad excelsum quemdam gradum pervenisti, teipsum in tuto contine, et cum timore sta, atque oculos aperi, ne inde decidas.» *S. Cyprianus* confidentiam cum timore coniungendam esse, docuit dicens: «Deus, quantum Patris pietate indulgens semper et bonus est, tantum iudicis maiestate metuendus est.» *S. Augustinus* l. de natur. et grat. (1) cum citasset verba Apostoli Phil. II, 12 et 13, ita prosequitur: « Quare ergo cum timore et tremore, et non potius cum securitate, si Deus operatur; nisi quia propter voluntatem nostram sine qua bene non possumus operari, cito potest obrepere animo humano, ut quod bene operatur, suum tantummodo existimet, et dicat in abundantia sua: *Non movebor in aeternum?* — Idcirco qui in voluntate sua praestiterat decori eius virtutem, avertit paullulum faciem suam, ut qui hoc dixerat, fieret conturbatus: quoniam ipse est ille tumor sanandus doloribus. » Lib. de sancta Virginitate (2) inquit: «Bonum est tibi, o anima virginalis! ut sic, quomodo virgo es, sic omnino servans in corde quod renata es, servans in carne quod nata es, concipias tamen a timore Domini, et parturias spiritum salutis. *Timor* quidem *non est in charitate, sed perfecta*, sicut scriptum est (3), *charitas foris mittit timorem*, sed timorem hominum, non Dei, timorem temporalium malorum, non divini in fine iudicii: *Noli altum sapere, sed time* (4). Ama Dei bonitatem, time severitatem: utrumque superbam te esse non sinit. Amando enim times, ne amatum et amantem graviter offendas.... Ille alius timor non est in charitate; iste autem castus non recedit a charitate. Si non amas, time ne pereas; si amas, time ne displiceas. » Serm. 348 secund. de timore Dei (5) ait: « Est alius *timor Domini castus, permanens in saeculum saeculi* (6). Non ergo perfecta charitas eum foras mittit; alias non permaneret in saeculum saeculi: nec frustra, cum dictum esset: *timor Domini*, additum est: *castus*, atque ita coniunctum est: *permanens in saeculum saeculi*. Quare, nisi quia ille timor, quem foras mittit charitas, propterea pungit animam, ne amittatur aliquid, quod in creatura diligitur, vel ipsa salus et requies corporalis. — Cum vero cavet anima, ne Deus illam desertus deserat, timor est castus permanens in saeculum saeculi.» *S. Gregorius M.* (7) inquit: « Vae! miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognoscimus, et iam in otio quasi de securitate torpemus; debet profecto, debet non solum in spe esse securitas, sed etiam timor in conversatione, ut illa certantes foveat, et iste torpentes pungat.» *S. Bernardus* (8) ait: « In veritate didici, nihil esse aeque efficax ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris *non altum sapere, sed timere.* » Con-

(1) Cap. 27, n. 31. (2) Cap. 38, n. 39.
(3) 1 Io. 4, 18. (4) Rom. 11, 20.
(5) Al. 214 de tempore, n. 4. (6) Ps. 18.
(7) L. 29, Mor. cap. 9.
(8) Serm. 44 sup. Cantica.

cilium *Tridentinum* sess. VI, cap. 13 inter alia dicit: *Nemo sibi certi aliquid* (de perseverantiae munere) *absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere.* Concilium igitur firmissimam spem in Deo collocantibus perseverantiam in bono non absoluta certitudine, sed sub conditione pollicetur, si ipsi gratiae a Deo concessae non defuerint. Quapropter dicendum est, etiam firmissimam spem nullatenus timorem de propriae voluntatis infirmitate excludere. Unde Concilium ita pergit: *Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant, et cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationibus, in ieiuniis et castitate: formidare enim debent scientes, quod in spem gloriae et nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti* (1): *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* S. Concilium grave hoc monitum addit, ne fideles gratiis divinis desint, quae ideo dantur, ut homines infirmi adversarios salutis vincere, et indigitata bona opera perficere valeant.

Nota. S. *Augustinus* nexum gratiae cum libero arbitrio considerans (2) ait: « Ista quaestio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. » Ex eadem ratione etiam quaestio, ubi de officiis spei et timoris disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando firma in Deum fiducia commendatur, salutaris timor excludi videatur; quando autem salutaris timor excitatur, spes concuti aut infirmari putetur. Arduum sane est, mediam ita inire viam, ut nec spes a timore, nec timor a spe seiungatur; et nonnulli aut unum aut alterum officium indebito modo extollentes, a via veritatis recesserunt. His accensendus esse videtur R. P. *Herculanus Oberrauch*, cuius ingenium praestans, eiusdem opera et insignem pietatem omnes, qui eum noverunt, contestantur. Hic in sua *Theologia morali* (3) de spe theologica inquit: « Altera ad spem theologicam necessaria dos est firmitas, qua, Dei promissione firmissime nixi, omne bonum a Deo sine omni titubatione expectamus. Nam mille velut vicibus in sacris litteris fidem suam nobis obstrinxit Deus confidentibus in se nunquam defuturum se esse; » quod pluribus S. Scripturae testimoniis probat. Dein (4) haec sibi obiicit: « Attamen Deus, quaevis bona nonnisi sub aliqua conditione promisit: scilicet, si ea nos conferamus, quae nostrarum partium sunt. Divina auctoritate certum est, bona opera et egregium conatum ad salutem consequendam requiri. Unde notissimum illud *S. Augustini:* - Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te. Denique receptissima doctrina est, quam etiam in institutione christiana parvulis propinamus, qua dicimus, spem ex parte Dei, non item ex parte

(1) Rom. 8. (2) L. de grat. Chr. c. 47.

(3) Tom. 3, tract. 9, c. 5, § 1106.
(4) Ibid., c. 6, § 1111.

nostra esse certam. » Ad quam obiectionem (1) ita respondet: « Grandis, prout opinor, error in hac doctrina latet. Sic spem divinae promissioni et nostro conatui imponentes, eandem reddimus velut bipedem, utpote quam duplici rationi insistere facimus. Verum absit, ut in capite fiduciae nostrae duas rationes statuamus, cum sit unica, solus scilicet Deus. Equidem ii, qui usum rationis aliquando adepti sunt sine propria contentione et opera salutem haud consequentur; sed hoc ipsum scilicet ut partem suam ad tantum opus conferant, invicta fiducia a Deo expectare debent, ne scilicet haec industria, aut quodcunque bonum existat, quod non a Deo solo incipiat et in eundem solum ultimo non desinat. Ut quid igitur primo loco id a duobus expectas, quod nonnisi ab uno principio venire potest? — Denique hoc ipsum in Deo confidendi, id est, spei eminens donum nemo nisi solus Deus largiri potest: licet ille, qui hoc acceperit, de salute et de suo ad eam conatu non parum securus sit. — Equidem ex trita institutione spes fere sequentem in modum concipienda foret: Deus ex sua parte promisit mihi salutem aeternam, si ego operam meam rite conferam. Iam Deus promisso suo firmissime stabit; ego vero fideliter collaborabo; quare ob utramque hanc rationem sat tuto salutem meam expecto. En quomodo hoc spei simulacrum duplici fundamento, divinae scilicet fidelitati et nostrae iustitiae insistat, et ut nihil dicam, quam gracilis sit pes alter, cui tanta moles incumbit, ipsum in hac doctrina initium salutis ex parte nostrae industriae tribui videtur, id quod vehementer Semipelagianismum olet. — Quare pro negotio spei legitima constructio ita est ordienda ac prosequenda: Deus confidentibus in se promisit salutem aeternam: et ob hanc promissionem eandem secure spero. Quia vero nullum tribuitur bonum, nisi per Christum, ideo imprimis spero copiosam participationem meritorum Christi; per hanc vero participationem spero efficaces gratias, per has gratias iuxta opera mea (utique libere a me edenda), ex iustis operibus merita, et denique ex meritis gloriam. En merita, gratia et ipsa participatio meritorum Christi non sunt id propter quod speratur, sed sunt id quod speratur: haec omnia sunt effectus spei, neutiquam eiusdem causae. Non ipsa ex his nascitur, sed spes haec omnia ex se gignit; ipsa vero nobilissimos natales suos ad solam fidelitatem Dei refert, tanquam theologica virtus, divina origine illustris. Scilicet theologica ac divina virtus ratione aliqua creata niti nullatenus potest: et primo loco in Deo solo necessario sperandum, *ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo* (II Cor. I, 9).» — Ita citatus Auctor probare nititur, etiam propriae voluntatis consensum, seu ipsam cooperationem infallibiliter a Deo sperandam, imo eandem certum firmae in Deo fiduciae effectum esse; ex quo concludit, firmitatem spei in eo consistere, ut aeterna salus sine titubatione a fidelitate Dei expectetur. Haec doctrina etiam non paucis arridet, iisque pia, solida, et consolationis plena esse videtur. — Ast multa sunt, quae huic doctrinae recte opponuntur. Nam *a*) Temerarium omnino est, communem Theologorum catholicorum sententiam, consuetas spei formulas, auctoritate Episcoporum publico usui dicatas, et « receptissimam doctrinam, quam etiam in institutione christiana parvulis no-

(1) Tom. 3, tract. 9, c. 6, § 1112 et seq.

stris propina .us, » tanquam falsam, et erroneam improbare (1). Nonne principia omni iure suspecta habentur, ex quibus talis conclusio promanat? — Ipse R. P. *Herculanus* tom. 4, tract. 1°, § 1543 in nota praeclare ait: « In statuendis principiis, quae nova sunt, cautissimum esse oportet. At tale quid longissimae meditationes et innumerae illationes praemittendae, et specialis quaedam mentis serenitas requiritur, si quis visu mentis aliquid cernere velit, quod tot acutissimarum mentium intuitum subterfugit. Plausum ab imperitis sibi facile quis comparabit, sed recentes eiusmodi doctrinae aetatem non ferent et eadem facilitate haec lumina disparebunt, qua primum splendere inceperunt. » — *b*) Citatus Auctor ideo communem, quam Theologi et animarum pastores propinant, spei notionem corripit, quod « hoc spei simulacrum duplici fundamento, divinae scilicet fidelitati et nostrae iustitiae insistat, » ac ita velut *bipes* reddatur, cum tamen spes ut virtus theologica soli fidelitati Dei inniti debeat. At haec criminatio iusta esset, si Theologi docerent, nos sine gratia supernaturali per solas vires naturales iustitiam operari aut salutarem conatum adhibere posse; omnes autem Theologi catholici adseverant, gratiam praevenientem et subsequentem ad quemlibet actum salutarem necessariam esse, ac ideo iuxta ipsorum doctrinam ipsa cooperatio et quilibet actus meritorius gratiae divinae adscribendus est, ex quo sequitur, spem quoad ordinem salutis in Deo solo collocari. Id tantum addunt praefati Theologi, hominem a gratia motum et excitatum dissentire posse, si velit ac in vanum gratiam Dei recipere, et propterea non asserunt in propria industria seu conati sperandum, sed docent de propri infirmitate timendum esse; neuti quam ergo spei fundamentum dupl catur, sed iuxta doctrinam Revela tionis spes cum timore coniungitur *c*) His accedit, quod eadem difficulta etiam contra theoriam R. P. *Hercu lani* militet. Etenim secundum han spes fere sequentem in modum con cipienda foret: « Deus ex sua part promisit mihi salutem aeternam, s ego sine titubatione firmiter in ips confidam. Iam Deus promisso suo fi missime stabit; ego vero sine tituba tione firmiter sperabo; quare ob u tramque hanc rationem sat tuto salu tem meam expecto. » En quomodo e iam hoc spei simulacrum dupli fundamento, divinae scilicet fidel tati et nostrae spei insistat, ac ide *bipes* reddatur! — Et sane — ide Auctor ibid. (2) fatetur, nos a firm tate spei deficere posse, imo nos ne scire, an legitimam spem concepe mus et ideo de nostra salute secur non esse: ex hac igitur parte t morem de propria infirmitate admi tit, eumque etiam a firmissima sp seiungi non posse fatetur; nonne h ipso concedit, spem aeternae beatit dinis ex parte nostra incertam ess — ut quid ergo doctrinam alioru Theologorum, qui timorem propri infirmitatis non solum ex defec spei, sed et generatim ex eo repetu quia homines a gratia deficere s gratiae resistere possunt, tam gra ter insectatur? quomodo assere audet, « in hac doctrina initiu salutis ex parte nostrae industri tribui, idque vehementer Semip lagianismum olere, » cum omn Theologi catholici necessitatem g tiae praevenientis ad initium fi et boni operis propugnent, omne conatum et actum salutarem a gra

(1) Cf. Th. gen. § 232. (2) Cap. 9.

supernaturali repetant, et idcirco a Semipelagianismo longissime remoti sint? — *d*) Quamvis R. P. *Herculanus* in nonnullis elucubrationibus magnum ingenii acumen ostenderit; eius tamen tractatio de spe theologica firmis haud nititur argumentis. Nam iuxta ipsius principia spei theologicae fundamentum est fidelitas Dei in promissis. Spes ergo theologica promissiones divinas supponit, et tunc solum vera spes theologica concipitur, dum id quod Deus promisit, et ea ratione qua promisit, certo ob eius immobilem fidelitatem expectatur. Inepte igitur nominatus Auctor pro sua doctrina citat et saepe repetit verba Apostoli (1): *Spes autem non confundit*, aliaque huius generis testimonia biblica. Haec enim solummodo probant, illum, qui sperat id quod Deus promisit, et ea ratione qua istud promisit, certissime non confundi; non autem ostendunt, quid Deus promisit, et sub quibus conditionibus promissiones suas fecit. Haec imprimis statuenda et probanda sunt, ut obiectum spei determinetur. Equidem ex omnium Theologorum consensu obiectum spei constituunt aeterna beatitudo, et huius assequendae media, ad quae praecipue gratia supernaturalis refertur. Sed dogma catholicum est, gratiam non esse necessitantem, et homines a gratia motos et excitatos posse dissentire si velint. Ergo non possum sperare gratiam, quae tollat meum liberum arbitrium et cui resistere non possim, quia talis gratia non datur, et nullibi promissa est.— Datur quidem gratia ab intrinseco efficax, quae dat certo et infallibiliter velle et perficere, et cui homines, licet resistere possint, certo tamen non resistunt. An autem talis gratia omnibus datur? an absolute, an conditionate promissa est? si istae quaestiones solutae non sunt, quomodo illam certo expectabo? — Ast, « si confidam, respondet cl. *Herculanus*, illam certe obtinebo, quia *spes non confundit:* » sed ut confidam, et spem theologicam concipiam, prius promissiones divinas cognoscere deberem, quia tunc solum non confundar, cum ob promissiones divinas spem concepero: has vero in ipsius opere declaratas et probatas non invenio. — Imo dantur Theologi, qui gratias ab intrinseco efficaces non admittunt et omnes gratias ab extrinseco efficaces esse statuunt, a consensu voluntatis dependentes. His etiam cl. *Herculanus* suffragari videtur, dum libertatem dicit facultatem supplendi id quod rationi motrici deest. Cum autem nulla gratia libertatem extinguat, semper aliquid supplendum manet per liberum arbitrium, quod utpote finitum deficere, ac illud non supplere potest, quod causae motrici deest. Qua ratione igitur talis gratia expectari potest, quae certo et infallibiliter det velle et perficere, seu ipsam cooperationem producat? et si donum Dei, gratia seu causa motrix tam efficax est, ut nihil per liberum arbitrium supplendum maneat, quomodo libertas intacta manet? magnis proinde difficultatibus haec doctrina involvitur. — Existunt quidem etiam Theologi, qui docent, dari gratias ab intrinseco efficaces, istasque liberum arbitrium non solum non extinguere, sed potius emendare et augere: sed iuxta horum systema gratias ab intrinseco efficaces Deus nemini concedere tenetur, sed illas praedestinatis benignissime praeparavit, per quas certo et infallibiliter salvantur. Istorum vero systema doctrinae R. P. *Her-*

(1) Rom. 5, 5.

culam de firmitate spei minime favet. Quod idem etiam de ultimo systemate theologico dicendum est: iuxta istud enim gratiae sufficientes omnibus dantur, sed istis mediantibus non sperandum duntaxat, verum et petendum, quaerendum et pulsandum est, ut gratiae ab intrinseco efficaces obtineantur. Et sane ex ipsa S. Scriptura et Ss. Patribus patet, orationi, puro aut saltem contrito corde, cum humilitate et confidentia factae, omnia bona promissa esse. His promissionibus divinis fiducia nostra recte innititur, quae tamen timorem de propria infirmitate non excludit, quoniam vereri debemus, ne gratiis sufficientibus desimus et orationes nostras debito modo non perficiamus. *e*) E contra citatus Auctor ideo tantum de futura salute nos certos non esse dicit, quia nescimus an debito modo speremus: caeterum omnem timorem de propria infirmitate, tanquam debitae spei defectum considerat, ac penitus eliminatum vult (§ 1145 etc.); ideo inter qualitates spei *firmitatem* recenset et officium hominis esse declarat, ut omne bonum a Deo sine titubatione et sine propriae infirmitatis timore expectet. Ast haec doctrina *Concilio Tridentino* conformis non est, quod sess. VI, cap. 9 dicit: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet: ita quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest* etc. Et can. 13: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit.* Et cap. 13, iuxta doctrinam P. *Herculani*, Concilium dicere debuisset *In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent, et Deus,* quia tunc certo non deerunt, *sicut coepit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere;* sed omnino aliter loquitur. *f*) Notandum vero est, citatum Auctorem pro tertia dote spei requirere *sanctitatem*, qua nil nisi Deum, et reliqua nonnisi in ordine ad Deum expectamus (§ 1150). Spei igitur etiam charitas adiungitur, quia iudicium intellectus sequitur voluntatis affectus. Talis vero spes, charitati iuncta, quae actu omnia praecepta divina observare vult, certe non confundit, sed salutem in tuto collocat, et a tali spe deficere est a charitate deficere seu gratiae deesse vel resistere. Et sub hoc respectu considerata doctrina cl. P. *Herculani* a doctrina caeterorum Theologorum non differt, nisi novo et inusitato modo loquendi.

CAPUT IV.

DE GRATIAE DISTRIBUTIONE

§ 437. Cum tanta urgeat gratiae necessitas, ut sine ipsa in ordine salutis nihil perficere valeamus, tanta autem sit gratiae efficacia, ut omnia possimus in eo, qui nos confortat; maximi nobis interest, ut cognoscamus, *qua ratione*, et *quibusnam* gratiae supernaturales a Deo clementissimo conferantur. Ideo de supernaturalium gratiarum distributione tractationem suscipere, eiusque 1) *modum*, et 2) *ambitum* ostendere oportet. — Probe vero notandum est, in hac inquisitione solam Revelationem ducem nos sequi debere; Deus enim sicut in omnibus operibus suis externis, ita etiam in collatione gratiarum supernaturalium independens et liberrimus est; quapropter ratio humana nunquam *a priori* determi-

nare potest, quid Deum facere, et quaenam eum dona dispensare deceat. Quoniam autem, teste S. Scriptura, *universa propter semetipsum operatus est Dominus* (1); dubitari nullatenus potest, Deum etiam in gratiarum supernaturalium distributione attributa sua, praecipue omnipotentiam, sapientiam, bonitatem et iustitiam manifestare. Sedulo igitur ea investigare debemus, quae de gratiarum distributione in Ss. Litteris et in Traditione proponuntur, quamvis memores limitatae nostrae rationis, fateamur necesse sit, nos ne gubernationem quidem divinam in ordine naturali (§ 248, n. 6), et multo minus divinam hominum gubernationem in ordine supernaturali perfecte perspicere posse, sed frequenter cum Propheta regio (2) exclamare debere: *iudicia Dei abyssus multa*, et cum Apostolo: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* (3).

ARTICULUS I.
De distributionis gratiarum modo.

§ 438. Si modum expendamus, quo gratiae supernaturales distribuuntur, fides catholica docet, Deum istas non ex debito, sed ex mera liberalitate seu *omnino gratuito* conferre; ex Ss. Litteris autem, ex Ss. Patribus et ipsa experientia edocemur, Deum *vario et multiplici modo* gratias dispensare.

I. *Gratia omnino gratuito a Deo confertur.*

§ 439. Gratia iuxta vocis etymologiam est donum gratis concessum. Gratia igitur opponitur debito, quod ex praecedentibus operibus seu meritis oritur. Meritum vero duplex distinguitur, nempe *meritum de condigno*, quod ius tribuit ad mercedem, sive dein ius illud ex sola Dei promissione derivetur, sive ex operum, quae ex gratia dimanant, dignitate, sive ex utroque simul; et *meritum de congruo*, cui merces debetur non ex iure, sed ex aliqua convenientia seu congruitate. Utrumque autem meritum locum non habet, ubi de gratiae supernaturalis distributione agitur, quoniam Deus gratias supernaturales, non ut mercedem pro praecedentibus operibus et meritis, sed ut dona indebita ex mera liberalitate, seu omnino gratuito confert. — Primo quidem aspectu hoc dogma pugnare videtur cum alio dogmate, quod inferius (cap. 6) proponetur, et quod *Concilium Tridentinum* definit sess. VI, can. 32 docens, hominem iustificatum vere mereri tum augmentum gratiae in hac vita, tum gloriam in coelo aeternam, et huius quoque gloriae augmentum. Sed haec difficultas facile tollitur distinguendo opera ordinis naturalis, et opera ordinis supernaturalis. Illis, non autem istis meritum denegatur. Nam homo iustificatus, ope gratiae actualis opera salutaria perficiens, vere meretur augmentum gratiae, ipsam vitam aeternam et augmentum gloriae: imo etiam peccator a gratia praeventus et adiutus, opera bona perficiens, uberiorem gratiam actualem ad conversionem perficiendam de congruo mereri potest: nec ideo labefactatur dogma de gratuitate gratiae; nam gratiae augmentum, quod bonis operibus promeretur, nihilominus donum est Dei gratuitum, quia merita, quibus tribuitur, ipsa sunt gratiae dona; unde *S. Augustinus* (4) scribit: « Vita etiam aeterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, ab Apostolo tamen gratia nuncupatur; nec

(1) Prov. 16, 4. (2) Ps. 35, 5. (3) Rom. 11, 33. (4) Ep. 194 (al. 105) n. 19.

ideo, quia meritis non datur, sed quia data sunt ipsa merita, quibus datur ;» et *Concilium Tridentinum* (1) dicit: *Absit tamen, ut Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona.* Opera autem naturalis ordinis, quae sine gratia per solas vires humanas seu naturales perficiuntur, gratiam supernaturalem nec de condigno, nec de congruo merentur. Hoc est dogma, quod in praesens pertractatur, et quod cum cl. *Perrone* de gratia (2) his verbis recte enuntiatur: Gratia est omnino gratuita, seu nulla opera ordinis naturalis possunt mereri gratiam sive de condigno, sive de congruo. — Argumenta vero pro hoc dogmate *ex S. Scriptura, ex Traditione, et ex ratione theologica* petuntur.

1. Dogma catholicum, de quo disserimus, probant *S. Scripturae* testimonia ad demonstrandam necessitatem gratiae praevenientis allata (§ 410): quod praeclare ostendit cl. *Perrone* l. c. (3) dicens: « Si aliquod desiderium, aliquis conatus, aliqua actio naturalis ordinis vim meriti sive proprie, sive improprie dicti apud Deum prae se ferret, ita ut eum determinaret aut positive moveret ad gratiam suam illorum intuitu conferendam hominibus; iam homines hoc ipso sibi primas vindicarent (partes) in negotio salutis, Deus eis gratiam concedendo retribueret, homines propriis viribus se discernerent, atque ab ipsis penderet propria electio ad fidei vocationem et ad gloriam, ac destrueretur ipsa gratiae idea. Atqui haec hypothesis aperte adversatur Scripturis » — quae « docent, Deum priorem esse ad nos diligendum, ut I Io. IV, 19: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos;* et Rom XI, 35 Paulus absolute interrogat: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Quin potius Is. LXV, 1 dicitur: *Inventus sum a non quaerentibus me; palam apparui iis, qui me non interrogabant;* tum I Cor. IV, 7: *Quis te discernit?* scribit Apostolus, *quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* et Rom. IX, 16 concludit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Dixi: *concludit*, siquidem gratuita vocatio ad gratiam est argumentum totius partis dogmaticae epistolae ad Romanos. » Et sane scopus Apostoli in hac epistola est, ostendere, quod Christi gratia nec Iudaeis data sit ob mosaicae legis observantiam, nec Gentilibus ob legis naturalis custodiam, sed mere gratis et ex pura Dei misericordia. Ideo Rom. XI, 5 etc. de Iudaeis in Christum credentibus dicit, eos non propter praecedentia merita, sed ex Dei bonitate et gratuita electione ad fidem vocatos esse; ait enim: *In hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt;* ac immediate subiungit: *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia;* quibus verbis apertissime declarat, gratiam non propter praecedentia ordinis naturalis opera conferri. Eandem doctrinam Paulus in aliis quoque Epistolis inculcat. Ephes. II, 8 inquit: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Phil. I, 6 scribit: *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu;* quibus verbis Deo gratiam conferenti etiam initium boni operis adscribitur. Dein

(1) Sess. 6, cap. 16.

(2) P. 1, cap. 3, n. 221. (3) N. 223 etc.

II Tim. I, 9 ait: *Deus nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam:* ergo operibus nostris non meremur gratiam. Tandem Tit. III, 5 hoc idem Apostolus confirmat dicens: *Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

2. *Ss. Patres* in eadem doctrina consentiunt; quod patet ex eorum testimoniis, quibus gratiae praevenientis necessitatem profitentur (§ 410, n. 1). His sequentia addi possunt. *S. Basilius* (1) inquit: « Deus est, qui nos praeveniens suscipit, qui nos sustinet, qui nos erigit. » Et Ep. 38 (2) scribit: « Quodcunque ad nos ex divina potestate bonum venerit, omnia in omnibus efficientis gratiae opus esse dicimus: » *S. Gregorius Nyss.* Orat. de pietatis scopo ait: « Hominis virtutis vis per se non sufficit ad animos gratiae expertes ad vitae formam absolutam extollendos: *nisi Dominus aedificaverit domum* etc. » *S. Cyrillus Hier.* (3) dicit: « Non ideo spernas gratiam, quia gratis datur, sed religiose potius, cum acceperis, custodito. » *S. Chrysostomus* (4) ait: « Neque enim possibile est, bonum aliquod nos recte agere non adiutos superna gratia: » ergo iuxta S. Doctoris mentem etiam nihil boni perficere possumus, per quod gratiam supernaturalem mereamur. Idem (5) ita disserit: « Ne beneficiorum magnitudo te extollat, vide quomodo (Apostolus) te coërcet et comprimit; *Gratia enim,* inquit, *estis salvati per fidem.* Deinde rursus, ne liberum perimeretur arbitrium, posuit etiam (dicendo: *per fidem*) quae sunt nostra. Et rursus ipsum sustulit et dicit: *et hoc non ex nobis.* Ne fides quidem, inquit, est ex nobis... Dixit, quod salvos fecerit fides, sed per Deum. Quoniam Deus voluit, salvos fecit fides. Alioquin quomodo salvos facit fides absque operibus? hoc ipsum est Dei donum, *ne quis glorietur,* ut nos gratos efficiat circa gratiam. » — *S. Ambrosius* in Ps. CXVIII (6) loquens de gratiarum distributione eleganter dicit: « Deus otiosum provocat et dormientem excitat: » et l. *de bon. mort.* (7): « Sequimur te igitur, Domine Iesu, sed ut sequamur, accersi, quia sine te nullus ascendit. Tu enim via es, veritas et vita, possibilitas, fides, praemium. » *Victorinus* (8) haec habet: « Omnis enim virtus in Christum credentis in gratia est Dei. Gratia autem non ex meritis, sed ex Dei pietate est. » *S. Hieronymus* (9) ad Demetr. ait: « Ubi autem gratia, non operum retributio, sed donantis est largitas, ut impleatur dictum Apostoli: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis* » (et epist. 97), « tamen velle et nolle nostrum est, ipsumque, quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est. » *S. Augustinus* Epist. 194 (10) ad Sixtum inquit: « Quaerimus meritum obdurationis, et invenimus. Merito namque peccati universa massa damnata est... Quaerimus autem meritum misericordiae, nec invenimus, quia nullum est; ne gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur. » Enarr. 2ª in Ps. XXX, n. 6, his verbis adversarios perstringit: « Quare gratia? quia gratis datur. Quare gratis datur? quia merita tua non praecesserunt. Illi ergo gloria, qui nos liberat. » Enarr. 2ª in Ps. LXX, n. 1 di-

(1) Hom. in Ps. 29, n. 2. (2) Al. 43 n. 4. (3) Catech. 1. (4) Hom. 25 in Genes. n. 7. (5) Hom. 4, in Ep. ad Ephes. n. 2, in Ephes. 2. 8. (6) Serm. 12, n. 13. (7) C. ult. n. 55. (8) In Gal. 5, 4. (9) Epist. 30, n. 12. (10) Al. 105.

cit: « Si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tuum praecessit, ut acciperes. Nam si aliqua bona opera tua praecesserunt, pretium accepisti, non gratis; pretium autem quod nobis debetur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non nostris meritis, sed illius gratia est. » Idem in lib. *de praedest. Sanct.*, et *de dono persev.* ex professo hanc doctrinam de gratuita electione et praedestinatione ad gratiam tuetur. Celebre denique est eiusdem S. Doctoris dictum (1): « Gratia non invenit, sed efficit merita. » — *S. Prosper* (2) inquit: « Omnia, quae ad vitam et pietatem pertinent, non per naturam quae vitiata est, habemus; sed per gratiam qua natura reparatur, accepimus. » *S. Fulgentius* (3) ait: « Unus Deus est, qui gratis et vocat praedestinatos, et iustificat vocatos, et glorificat iustificatos. » *S. Gregorius M.* (4) ita loquitur: « Hominis meritum superna gratia, non ut veniat, invenit; sed postquam venerit facit. Atque et ad indignam mentem veniens Deus dignam sibi exhibet veniendo, et facit in ea meritum quod remuneret, qui hoc solum invenerat quod puniret. »

3. *Ex condemnatione Pelagianorum et Semipelagianorum*, atque *ex definitionibus Conciliorum* doctrina catholica clarissime elucet. Communis enim fuit error Pelagianis et Semi-Pelagianis, gratiam iuxta merita dari, quae ex libero hominis arbitrio oriantur. In eo tamen a se invicem discedebant, quod Pelagiani contenderent, opera liberi arbitrii meritum constituere proprie dictum seu *de condigno*, Semipelagiani autem tantum de congruo merita illa esse autumarent; quod iuxta illos semper gratia secundum merita retribuere-

(1) Tract. 86, in Ioan. n. 2.
(2) Lib. contra Collatorem cap. 13.

tur; iuxta istos non semper; sed, in hypothesi quod adessent, Deus his moveretur ad gratiam conferendam; quod demum illi in quibusvis operibus sive ante, sive post adeptam fidem censuerint, praecedere bonam hominis voluntatem, cui subsequeretur gratia; isti bonam voluntatem existimaverint solum praecedere initium fidei et salutis. Istos errores Ecclesia, statim ac exorti sunt, exhorruit ac condemnavit. Perversa Pelagii doctrina in pluribus mox Conciliis damnata est, et in Synodo *Diospolitana* (5) Pelagius compulsus est confiteri, *gratiam Dei - non dari secundum merita nostra*. Contra Semipelagianos autem in Concilio *Arausicano II* sequentes definitiones editae sunt: cap. 3: *Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae Prophetae, vel Apostolo* (Rom. X) *idem dicenti: Inventus sum a non quaerentibus me* etc. Cap. 6: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem, ut credamus, velimus* etc., *vel haec omnia, sicut oportet, facere valeamus, per infusionem, et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur... resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti? et gratia Dei sum id quod sum.* Cap. 17: *Fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quae diffusa est in cordibus nostris non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam praecedentibus.* Cap. 18: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia,*

(3) L. ad Monim. cap. 16.
(4) L. 18, Moral. cap. 40 (5) Cap. 7.

quae non debetur, praecedit ut fiant. Eandem doctrinam *Concilium Tridentinum* profitetur, quod sess. VI, cap. 5 declarat, *ipsius iustificationis exordium in adultis a Deo per Christum Iesum, praeveniente gratia, sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.*

4. Ut veri nominis meritum exurgat, necesse est, ut inter opus praestitum et mercedem acquirendam proportio detur, vel saltem pro illo ex parte remunerantis certa promissio habeatur. Ast inter opera ordinis naturalis et gratias seu dona ordinis supernaturalis nulla proportio datur, quia natura seipsam vincere nequit, et ideo ne infimum quidem gradum ordinis supernaturalis attingere potest. Opera igitur ordinis naturalis gratias supernaturales mereri non possunt. Neque Deus illis has promisit. Talis enim promissio ex ratione probari non potest, quod manifestum est; et multo minus ostendi potest ex revelatione, quae potius contrarium docet, nempe hominem per solas vires naturales actum salutarem perficere non posse. Hoc argumentum affert *S. Thomas* 1 2, q. 112, art. 3, et dicit operibus, quae fiunt a solo libero arbitrio, seu quae per solas vires naturales perficiuntur, nunquam deberi gratiam supernaturalem, « quia donum gratiae excedit omnem preparationem virtutis humanae. »

Nota 1. Si quaeritur an homo se ad gratiam praeparare et disponere possit, respondendum est, hominem gratia actuali praeventum posse et debere se disponere ad gratiam habitualem recipiendam, quod capite sequenti ostendetur; ast nullo modo posse hominem gratia actuali destitutum se praeparare et disponere ad hanc acquirendam. Clare id docet *S. Thomas* (1) dicens: « Gratia dicitur dupliciter. Quandoque quidem ipsum habituale donum Dei, quandoque autem auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, praeexigitur ad gratiam aliqua gratiae praeparatio, quia nulla forma potest esse, nisi in materia disposita. Sed si loquamur de gratia, secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla praeparatio requiritur ex parte hominis quasi praeveniens divinum auxilium, sed potius, quaecunque praeparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et secundum hoc ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis praeparatur ad donum gratiae suscipiendum, est actus liberi arbitrii moti a Deo. Et quantum ad hoc dicitur homo se praeparare secundum illud (2): *hominis est praeparare animum:* et est principaliter a Deo movente liberum arbitrium, et secundum hoc dicitur a Deo voluntas hominis praeparari, et a Domino gressus hominis dirigi. » Et lib. III, c. Gent. (3) ait: « Non propter hoc datur nobis auxilium divinum, quia nos ad illud per bona opera promovemur, sed potius nos ideo per bona opera proficimus, quia divino auxilio praevenimur... praevenitur igitur anima divino auxilio ad bene operandum magis, quam divinum auxilium praeveniat merendo illud vel se praeparando ad illud. » Doctrina haec tanquam corollarium fluit ex dogmate contra Pelagianos et Semipelagianos iam probato: unde idem Doctor angelicus (4) dicit: « Ad errorem Pelagianum pertinet dicere, quod homo possit se ad gratiam praeparare absque auxilio

(1) 1 2, q. 112, art. 2. (2) Prov. 16 (3) Cap. 149. (4) Quodlib. 1, art. 7.

divinae gratiae: et est contra Apostolum, qui dicit (1): *Qui coepit in vobis opus bonum, ipse perficiet.* »

Nota 2. Extiterunt nonnulli Scholastici, qui fatebantur quidem, gratiam Dei proprie meritis non reddi, contendebant tamen, posse nos saltem de congruo, et per modum alicuius dispositionis sive propinquae sive remotae eandem aliqua ratione mereri et impetrare. Hinc celebre et usitatissimum illud principium: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam,* de eo intelligebant, qui solis naturae viribus bene operatur, et ad salutem obtinendam conatur, quatenus ipsis congruum videbatur, ut Deus aliquam istorum conatuum rationem habeat, eisque suppetias ferat. Et isti quidem *positivam* quamdam dispositionem ad promerendam de congruo per vires naturales gratiam admiserunt. Eandem sententiam, sed novo et singulari modo, propugnavit *Lud. Molina*, qui docuit, facientibus quod est in se per vires naturae inditas, Deum suam gratiam largiri, non quod opera naturalia aut illam mereantur, aut ad illam positive disponant, sed lege quadam et pacto a Deo cum Iesu Christo, ut bene utentibus ratione ac lumine naturali, promissione quadam ex divino beneplacito supernaturale auxilium minime denegetur. Ita enim loquitur in Concord. (2): « Quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, praestove est ad conandum totum id, quod ex sese potest, tam circa ea quae fides habet addiscenda et amplectenda, quam circa dolorem de peccatis ac iustificationem, a Deo conferri gratiam praevenientem, auxiliave, quibus id faciat ad salutem, non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullave ratione ea promereatur, sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita, atque inter leges, quas tam ipse, quam Pater aeternus statuerunt de auxiliis et donis, quae nobis Christus promeruit, mere gratis conferendis, una eaque rationi maxime consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis est, praesto in nobis essent auxilia gratiae, quibus ea ut oportet, ad salutem efficeremus, ut ea ratione, dum essemus in via, semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra. » — Ast haec doctrina, qua dicitur, hominem per vires naturales *positive* se ad gratiam disponere posse, merito sat communi Theologorum consensu reiicitur. Videtur enim illa concordare cum erroribus Semipelagianorum ac ideo damnata censetur per *Concilium Arausicanum II* quod cap. 6 definit, misericordiam divinam non conferri sine gratia desiderantibus, conantibus etc. Contraria illa etiam est *Concilio Tridentino* declaranti, quod *iustificationis exordium a praeveniente gratia sumendum est;* dispositio autem ad gratiam est iustificationis exordium: ergo nequit esse dispositio aliqua istiusmodi, nisi a gratia praeveniente. — Admitti etiam nullatenus potest sententia *Molinae*. Dum enim quaeritur de lege aliqua, aut promissione divina, non est aliquid pro libito affirmandum, sed ex S. Scriptura vel traditione probandum: sed ex his divinae Revelationis fontibus nullo modo probari potest, Deum Patrem cum Christo huiusmodi iniisse pactum, quod ideo plane fictitium est dicendum. Imo si vera esset *Molinae* sententia, Deus vi pacti seu promissionis deberet conatus naturales adhibenti gratias supernaturales tri-

(1) Phil. 1, 6. (2) Q. 14, art. 13, disp. 10.

nuere, et quis non videt, tali assertione dogma de gratuitate gratiae labefactari? — Merito igitur *Clerus Gallicanus* tam sententiam eorum, qui dicebant, Deum obligari ad dandam gratiam facienti, quod est in se viribus naturae, quam sententiam *Molinae* anno 1700 in Comitiis generalibus damnavit dicens: « Hae duae propositiones, qua parte causam discernendi inter iustos et non iustos, in opera mere naturalia referunt, Semi-Pelagianismum instaurant mutatis tantum vocibus. Pactum autem, quod inter Deum et Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scriptura et Ss. Patrum traditione prolatum. » Inter illos quoque, qui cum *Molina* scientiam mediam propugnant, eiusque doctrinam de caetero tuentur, ducis sui vexilla hac in parte deserunt. *Suarez* de Praedest. Ss. (1) doctrinam *Molinae* de pacto Dei cum Christo inito reiicit, et (2) nititur demonstrare, quod, si vera sit, opera naturalia gratiam de congruo promereantur. *Vasquez* (3) scribit, illam accedere ad errorem Massiliensium. Hoc idem multi sentiunt, Molinianae caeteroquin scholae addicti. Quamvis autem isti penitus negent, hominem per opera mere naturalia *positive* se ad gratiam disponere posse; asserunt tamen, hominem *negative* se ad recipiendam gratiam disponere posse. Hanc vero dispositionem negativam in eo reponunt, quod homo, minus peccatis indulgens, minus quoque excaecatus et obduratus existat, gratiae obicem non ponat, et sic gratuita divinae misericordiae dona facilius obtineat. Audiatur cl. *Suarez*, qui tract. *de div. grat.* (4) ea, quae de gratuitate et distributione gratiae fuse disseruerat, veluti in compendium redigens ita loquitur: « Ostendimus, excitantem gratiam necessariam ad salutem generali lege omnibus esse per Christum oblatam et promissam, non absolute, sed sub conditione ab ipso homine pendente. Haec autem conditio non est meritum aliquod vel dispositio proportionata supernaturali gratiae; ergo tantum potest esse conditio non ponendi obicem. Patet consequenter, quia nulla alia potest cogitari, quia licet interdum bona aliqua actio sit necessaria, cum illa per se nihil ad gratiam conducat, solum potest esse necessaria, ut obicem peccati impediat, vel potest esse utilis, ut pravas dispositiones et vitia, quae hominem ad opera gratiae ineptiorem reddunt, impediat. Confirmatur, quia si aliquis adultus omnino caret hac gratia excitante interna; id non est primario ex parte Dei, quia ipse maxime cupit illam omnibus conferre; ergo est ex parte hominis. Causa autem ex parte hominis esse non potest, quod illam non mereatur, vel ad illam se moraliter non praeparet, cum id facere non possit ante primum auxilium; ergo solum potest esse causa, quia ponit aliquod impedimentum gratiae Dei; ergo e contrario conditio in dicta lege inclusa solum est, ut homo non ponat obicem gratiae Dei. Denique haec conditio est iustissima et non repugnat dignitati vel liberalitati gratiae Dei; ergo ita est intelligenda. » — Hanc sententiam non pauci Theologi amplexi sunt; alii autem, praecipue *Thomistae* et *Augustiniani* varias illi difficultates opposuerunt. Aiunt enim, iuxta doctrinam catholicam non posse hominem omnia legis naturalis praecepta observare (§ 418), neque

(1) L. 2, c. 7, n. 24. (2) Ibid. n. 25.
(3) P. 1, disp. 91, cap. 10.
(4) P. 2, lib. 4, cap. 15, n. 41.

graviores tentationes vincere (§ 419): quapropter, ut homo a peccatis abstineat animumque suum a vitiis illibatum custodiat, iam supponitur gratia supernaturalis. — Paulus de gratia vocationis ad fidem disserens ne uno quidem verbo innuit, hac gratia illos dignos iudicatos fuisse, qui minora peccata commiserant, minus indurati et obcaecati, seu negative melius dispositi fuerant, sed totus ipsius scopus eo tendit, ut demonstret, omnes peccatores et gratia vocationis indignos fuisse: unde Rom. III, postquam v. 9-20 peccata hominum recensuerat, v. 23 etc. concludit: *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu;* et cap. V, v. 20 addit: *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* — *S. Augustinus* ad Simplic. (1) probat, neque maius ingenium, neque minora peccata, neque honestas utilesque doctrinas esse causam electionis, gratiae, et inter alia quaerit: « Nonne videmus quosdam homines cuiusque sexus in coniugali castitate viventes sine querela, et tamen haereticos vel paganos? » — Et lib. I de peccat. merit. et rem. (2) inquit: « Unde enim fit, ut homo ab ineunte iuventute modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes caeteras provectior aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei praedicari gratia Christi non possit. . . Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis et facinoribus coopertus ita gubernetur, ut audiat, ut credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter vivat? » — in quibus docet exclamandum esse: *O Altitudo* etc. quod sane non fieret consequens, si minora peccata et negativa dispositio divinam liberalitatem ad elargiendum gratias attraherent. Cl. *Billuart* (3) hoc dilemmate utitur: « Non ponere obicem vel iuvat ad consequendam gratiam, vel non iuvat: si iuvat, ergo gratia datur ex meritis, et contra militant, quae hucusque diximus: si non iuvat; ergo perperam dicitur, Deum infallibiliter sic facienti quod in se est conferre gratiam: quae enim infallibilitas formae introducendae haberi potest ex eo, quod ad istam formam habendam nihil iuvat? » — Tandem, ut observat idem Auctor, nec in S. Scriptura, nec in Traditione fundatum est, non ponenti obicem gratiae ex solis naturae viribus Deum infallibiliter conferre gratiam. Quamvis igitur humanae rationi magis congruum esse videatur, ut Deus gratiam suam illis potius, qui hac se minus indignos reddiderunt, quam aliis qui magnis vitiis coinquinati sunt, elargiatur; nullatenus tamen asserere licet, negative dispositis infallibiliter gratiam conferri, aut Deum ad hanc illis tribuendam ex iustitia, aut fidelitate obligari. Concedi tamen potest, Deum pro infinita sua sapientia et bonitate in distribuendis gratiis haud raro negativae dispositionis rationem habere, vel potius asserendum est, gratias, quae omnibus peccatoribus ex gratuita misericordia conceduntur, in illis, qui negative dispositi sunt, facilius et certius effectum suum operari.

Nota 3. Quae a Pelagianis et Semipelagianis dogmati catholico opponuntur, magna ex parte iam § 410, nota 2 confutata fuerunt. Nonnullae tamen difficultates in specie hic solvendae supersunt.

(1) L. 1, quaest. 2. (2) Cap. 22, n. 31. (3) De grat. Diss. 3, art. 7.

Obi. I. Matth. X, 11 Christus praecipit Apostolis, ut ingressi in civitatem interrogent, *quis in ea dignus sit* Evangelium audire, et Matth. VII, 6 prohibet, ne istud indignis annuntient dicens: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos:* ergo Deus dat gratiam secundum merita. Confirmant id porro sequentia. Isa. XXX, 18 dicitur: *Exspectat Dominus, ut misereatur;* et Iacob. IV, 8 ait: *Adpropinquate Deo, et adpropinquabit vobis.* Homines ergo piis conatibus se dignos reddere debent, quibus Deus misericordiam exhibeat, et per gratiam suam adpropinquet.

Resp. Christus non praecipit Apostolis, ut dignis dignitate morum Evangelium praedicent, sed ut apud dignos dignitate famae hospitentur, ne, si apud infames divertant, Evangelium male audiat: ita haec verba exponit *S. Hieronymus* dicens: « Hospes eligendus est fama populi, et iudicio vicinorum, ne praedicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur » (1). Alter ex Matthaeo citatus locus ad summum probat, Deum in conferenda gratia negativae dispositionis rationem habere. Ex contextu autem apparet, Christum loqui de praecepto corrigendi proximum aberrantem, et vetare, ne quis eos, qui in sceleribus suis obstinati sunt, et incorrigibiles ut canes et porci, docere velit et corripere; cum talis conatus magis obesse, quam prodesse soleat. Multi per *Sanctum* intelligunt baptismum et Eucharistiam, quae Sacramenta peccatoribus obstinatis conferenda non sunt, et per *margaritas* summa fidei mysteria, quae patefacere non licet iis, qui illa contemnunt, et ignominiis afficiunt. — Sensus verborum Isaiae est: Deus qui per gratiam praevenientem vos ad poenitentiam vocat, expectat conversionem vestram, ut vestri misereatur, calamitates a vobis avertat et benedictionem suam vobis impertiatur, ut patet ex v. 19 etc. S. Iacobus scribit ad Christianos gratia divina iam praeventos, eosque monet, ut gratiis acceptis bene utentes uberiora auxilia obtineant ac magis magisque Deo adpropinquent. Certe autem gratiam praevenientem non excludit, qui cap. I, v. 17 dicit: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*

Obi. II. Ipsemet *S. Augustinus* docet, Deum in conferenda gratia, ad dispositionem seu dignitatem hominis adtendere. Ait enim (2): « Salus Religionis huius, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, et cui defuit, dignus non fuit. » Item tract. 10, in Ioan. Catechumenos monet, « ut ad gratiam se praeparent. » Tract. 26, in Io. inquit: « Si non traheris, ora, ut traharis. » Hom. 16, inter 50 (3), dicit: « In tuo arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo, an diabolo? » — Demum (4) *Molinae* pactum totidem verbis tradere videtur, dicens, Deum hominibus dedisse « quaedam bona huic vitae congrua... eo pacto aequissimo, ut quicunque mortalis talibus bonis recte usus fuerit, accipiat ampliora et meliora (hoc est spiritualia dona gratiae), et ipsam immortalitatis pacem. »

Resp. S. Augustinum dogma de gratuitate gratiae propugnasse ex eiusdem testimoniis iam citatis abunde constat. Integros enim libros con-

(1) Cf. S. Augustinum de fide et oper. cap. 17, et Estium in h. l.

(2) Opusc. c. Porphir. c. 8 (seu Epist. 102, olim 49, q. 2, n. 15.)

(3) Seu Serm. 252 in Append.

(4) L. 19 de Civ. Dei, cap. 13.

scripsit, ut Pelagianos refelleret dicentes, gratiam secundum merita dari. Neque in locis adductis sibi contradixit. Nam quoad primum locum S. Doctor seipsum explicat (1) dicens: « Quod dixi: Salus Religionis huius etc. non ita dixi, tanquam ex meritis suis quisquam dignus fuerit, sed quemadmodum ait Apostolus: *Non ex operibus* etc. » Et sane idem S. Doctor. l. de Praedest. Ss. (2) inquit: « Si discutiatur et quaeratur, unde quisque sit dignus, non desunt qui dicant, voluntate humana, nos autem dicimus, gratia vel praedestinatione divina. » Secundus locus, ut ex contextu patet, agit de gratia baptismatis et sanctificante, quae in adultis utique praeparationem requirit, non tamen, quae sit ex viribus naturae sine adiutorio gratiae. — Quod tertium locum attinet, certum est ex doctrina *S. Augustini*, imo totius Ecclesiae, nos non posse orare sine gratia. « Etiam ipsa oratio, inquit S. Doctor in Epist. 194 ad Sixtum, inter gratiae munera reperitur. » Unde sensus est: Si non traheris gratia uberiore et vitrice, ora, ut eandem gratiam obtineas, iuxta illud, quod alibi (3) S. Doctor dicebat: « Admonemur et in facilibus, quid agamus, et in difficilibus, quid petamus. » Quartus locus adstruit quidem nostrum liberum arbitrium ab bonum et malum, sed salvis gratiae iuribus. Homo nempe iuxta mentem S. Doctoris gratiae, a qua praevenitur, consentire vel resistere, ac concupiscentiae indulgere, et sic aut Deo aut diabolo locum parare potest. In ultimo loco *S. Augustinus* loquitur de iis, qui, non ex solis viribus liberi arbitrii, sed ex gratiae adiutorio bene utuntur naturalibus bonis, quibus proinde Deus « ex pacto aequissimo » tribuat « ampliora atque meliora, scilicet ipsam immortalitatis pacem. » Haec sunt verba S. Doctoris: male autem in Congregationibus de Auxiliis a *Molinae* patrono particula *et* substituta fuit pro *scilicet;* qua immutatione totus invertebatur sensus *Augustini*. Nam ponendo *et* significatur, quod homo bene utens bonis temporalibus sine gratia, accipiat gratiam et gloriam: restituendo autem *scilicet* significatur, quod homo bene utens cum gratiae adiutorio bonis naturalibus, accipiat meliora, scilicet ipsam gloriam: certum enim est, usui naturalium sine gratia non dari gloriam.

Obi. III. Celebre est axioma in scholis catholicis receptum: *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam:* quod quidem effatum, cum potissimum infideles negativos respiciat, de eo necessario exponi debet, qui facit, quod in se est ex naturae viribus; unde sequitur, per opera ordinis naturalis gratiam supernaturalem obtineri. Huius sententiae fuit etiam *S. Thomas* (4), inquiens: « Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis, taliter (in sylvis) nutritus, ductum rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. » Idem in 1, Sent. (5) dicit: « Opus bonum praecedens gratiam non est causa meritoria gratiae, sed solum dispositio ad illam: » in 2, Sent. (6)

(1) Lib. 2 Retract. c. 31. (2) Cap. 10.
(3) L. de nat. et grat. c. 69.

(4) Q. 14 de Verit. art. 11 ad 1.
(5) D. 41, q. 1 ad 3. (6) D. 5, q. 1, art. 1.

ait : « Ad eliciendum actum conversionis, sufficit liberum arbitrium, quod se ad habendam gratiam per hunc actum praeparat et disponit; » et ibid. (1) inquit : « Quia praeparatio, quae est ad gratiam, non est per actus, qui sint adaequandi ipsi gratiae aequalitate proportionis, sicut meritum adaequatur praemio; ideo non oportet, ut actus, quibus se homo ad gratiam praeparat, sint naturam humanam excedentes. » Eandem sententiam propugnarunt veteres scholastici, praefatum axioma eodem modo exponentes.

Resp. Praefatum axioma nonnulli exponunt de faciente quod est in se, per naturales liberi arbitrii vires; alii illud intelligunt de faciente quod est in se per liberum arbitrium a gratia praeventum et adiutum, et hoc sensu recepto difficultas evanescit. Ast etiam qui axioma in priori sensu intelligunt, ab errore Semipelagianorum longe sunt remoti. Non enim dicunt : Deus facienti quod est in se per vires naturales, certo dat, aut conferre debet gratiam, quasi opera naturalia meriti alicuius vim in se includerent, quod Semipelagianismum redoleret; sed dum asserunt : Deus facienti quod est in se non denegat gratiam, hoc ipso innuunt, non ex debito aliquo aut merito quod supponatur in eo, qui facit quod in se est, aut ex aliqua positiva dispositione Deum moveri ad conferendam gratiam, sed ex solo suo motu, seu ex gratuita bonitate istam tribuere. Quia enim Deus, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, propter merita Christi omnibus gratias sufficientes elargitur, has certissime etiam illis elargitur, qui facultatibus suis naturalibus recte utuntur. Nonnulli putant, huic sententiae etiam S. *Thomam* aliquandiu adhaesisse, sed illam postea retractasse, quia in summa theologica, quae est postremum illius opus, et in quo (2) de famoso axiomate : *Deus facienti quod est in se non denegat gratiam*, data opera agit, aperte declarat : « Deus facienti quod est in se, cum auxilio gratiae a qua movetur, non denegat ulteriorem gratiam : » atque hoc axioma sibi obiiciens, respondet : « Nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Io. XV : *Sine me nihil potestis facere;* et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo. » Imo multi contendunt, S. Doctorem hoc idem semper et ubique docuisse, ipsumque modum dumtaxat loquendi, non autem sententiam mutasse. Ad quod probandum observant, S. *Thomae* tempore duplicem viguisse opinionem : quidam enim dicebant, ad hoc ut homo se praepararet ad gratiam, requiri aliquod donum habituale gratis datum, quod vocabant lumen supernaturale gratiae sanctificanti praeambulum : alii negabant, huiusmodi donum habituale supernaturale requiri. Et haec est gratia, cuius necessitatem negat S. Doctor, subscribendo huic secundae sententiae ut communiori : id patet ex eius verbis in 2 Sent. (3) : « Si accipiatur gratia pro aliquo munere habituali animae infuso : sic est duplex opinio : quidam enim dicunt, quod nullus potest se ad gratiam gratum facientem praeparare, nisi per aliquod lumen menti infusum, quod est donum gratiae gratis datum : istud autem videtur inconveniens, » quod probat ratione posita in argumento, et etiam quia secun-

(1) D. 28, q. 1, art. 4.

(2) 1 2, q. 109, art. 6.

(3) D. 28 q. 1. art. 4.

dum hoc esset abire in infinitum. Manifestum est igitur, quod quando S. Doctor dicit cum communiori opinione sui aevi, hominem posse se praeparare ad gratiam per virtutes naturales sine gratia, intelligat sine illo habituali dono, non excludens gratiam per modum motionis transeuntis, quam quidem ibi non exprimit, sed quam in operibus posterioribus expressit, quia vidit, priorem loquendi modum, suo aevo communem, non satis recedere ab errore pelagiano, ut dicit quodlibet. 1. — Eodem modo intelligendi sunt veteres scholastici, qui dum de praeparatione et dispositione ad gratiam loquuntur, necessitatem doni habitualis praeambuli, non autem necessitatem gratiae praevenientis negant, sed hanc ut de fide certam admittunt, quamvis verbis non exprimant. Interdum etiam, dum viribus naturalibus dispositionem ad gratiam adscribunt, per illas naturam a Christo reparatam intelligunt, atque gratiam medicinalem omnibus oblatam supponentes, ab errore Semipelagianorum recte vindicantur (1).

Obi. IV. Si Deus in conferenda gratiam non adtendit ad merita naturalia, acceptor personarum est, ex diverso affectu uni tribuens, quod alteri negat. Sed ipsa S. Scriptura (2) testatur, Deum personarum acceptorem non esse in gratiis conferendis, quas ergo non caeco modo, sed iuxta dignitatem et merita naturalia distribuit. Et nonne bonitati et sapientiae divinae conveniens est, merita naturalia habenti prae altero dare gratiam, quia talis saltem minus indignus est? —

Resp. Deus esset acceptor personarum, si debitum intercederet, et negaret alicui quod ipsi debetur; cum vero gratiam eo ipso quod gratia sit, nemini conferre debeat, Deus nequit dici acceptor personarum, quia uni ex gratuita bonitate gratiam tribuens, nullam alteri iniuriam infert. In S. Scriptura negatur, Deum personarum acceptorem esse, quia non solum Iudaei, sed etiam Gentiles redempti sunt et ad Christi fidem vocantur. Si autem gratia divina ex gratuita misericordia omnibus offertur, nullatenus sequitur, aliquem per opera naturalia illam promereri. Neque id ex consideratione divinorum attributorum deduci potest. Divinae enim sapientiae conveniens dici nequit, ut pro operibus naturalibus gratiae supernaturales quasi ex debito conferantur, cum inter illa et istas proportio non detur. Bonitas autem eo magis elucet, quo largius dona hominibus sine praecedentibus meritis vel etiam post praecedentia demerita tribuuntur. Caeterum a priori determinari non potest, quid divinae sapientiae et bonitati conveniens sit; Deus enim non adinstar hominum ideo quidquam vult, quia bonum et sapientiae conforme est; sed omnia bona et sapientiae conformia fiunt, quia Deus ea vult et decernit (§ 43 et § 50). Certum igitur est, Deum non caeco aut improvido modo, sed maxima sapientia gratias suas dispensare, quamvis hanc limitata nostra ratione perspicere non valeamus, quia incomprehensibilia sunt iudicia Dei et investigabiles viae eius.

Obi. V. Catholica doctrina de dispensatione gratiae ex solo divino beneplacito, nulla habita ratione praecedentium operum, nos perducit in absurda virtuti perniciosa. Etenim homini idem esset, sive in omni vitiorum coeno volutaretur sive integrum se ab omni inquinamento ser-

(1) Cf. Billuart de gratia diss. 3, art. 7; Gazzaniga de grat. P. 1, diss. 9. can. 5.

(2) Act. 10, 34.

varet; cum tamen experimento compertum sit, homines corruptissimos longe remotiores esse a fide illis, qui honestam ac morigeratam vitam vivunt. Simili modo nullum discrimen intercederet inter illos, qui ex destinata malitia delinquunt, et eos, qui ex ignorantia aut infirmitate peccant; cum tamen Apostolus de se profiteatur: *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (1). Admittendum igitur est, Deum in conferenda gratia ad mentis et cordis dispositionem attendere, quoniam alios homines nullo motivo a vitiis retinerentur et ad virtutis studium impellerentur.

Resp. Multi ut hanc obiectionem refellant, concedunt, Deum in conferenda gratia dispositionis negativae rationem quamdam habere. Ita cl. *Perrone* hanc difficultatem solvens dicit: « Etsi Deus gravi peccatorum sarcina onusto possit gratiam conferre et quandoque etiam conferat ad divitias bonitatis suae patefaciendas; iuxta consuetum tamen suae providentiae ordinem iis ut plurimum confert, qui minora obstacula eidem gratiae opponunt. Atque hinc ratio habetur, quare illi, qui ad honestatis normam mores suos componunt, minus alienos se exhibeant ab amplectenda evangelica doctrina. Qui vero cupiditatibus obsequuntur, maxime eandem doctrinam aversantur cum eis annunciatur, aut eam amittunt, si iam receperunt, aut saltem ita languescit eius vis in sceleratis quibusdam hominibus, ut nulla pene in eis esse videatur, quod superiori saeculo ac aetate nostra in non paucis factum esse lugemus. Pariter — qui ex infirmitate atque ex ignorantia delinquunt, minora impedimenta divinae gratiae opponunt, quam ii qui ex malitia in peccata proruunt; quo sensu aiebat Apostolus, se misericordiam a Deo consecutum esse, minime vero se ob ignorantiam dignum exhibuisse ea misericordia, quam ei Deus ex sola liberalitate sua tribuit, quamque potuisset denegare » (2). Ast etiam in sententia eorum qui negant, Deum in conferenda gratia dispositionis negativae rationem habere, ex doctrina catholica absurda virtuti perniciosa deduci non possunt. Certum enim est, Deum ex misericordia gratuita maximos quoque peccatores ad poenitentiam vocare, iisque gratias conferre quibus a peccatis absterreantur, et ad actus quosdam bonos, imprimis vero ad orationem excitentur. Homines igitur quovis tempore ad motus gratiae adtendere, iisque obtemperare debent, quod agentes uberiora et ab intrinseco efficacia auxilia recipiunt, veramque conversionem perficiunt. Verum qui rebus terrenis tantum inhiantes, inordinatis cupiditatibus continuo indulgere solent, inspirationibus divinis neque adtendunt, neque obtemperant, ac propterea uberiora auxilia non obtinentes in miserrimo suo statu permanent. Et sic iterum patet, qua de causa vitam honestam agentes, aut ex sola ignorantia vel infirmitate peccantes facilius, quam alii convertantur, etsi obstacula, quae gratiae opponuntur, non tam ex praeterita eorum dispositione, quam ex praesenti eorundem conditione repetantur.

(1) 1 Tim. 1, 13.

(2) De grat. P. 1, cap. 3, n. 235 et 236.

II. *Gratia vario et multiplici modo a Deo confertur.*

§ 440. Cum generatim operationes divinas mente nostra limitata perfecte intelligere non possimus, atque Apostolus praecipue vias Dei in collatione gratiae investigabiles dicat,

mirum profecto non est, a nobis modum, quo divinae gratiae conferuntur, intime perspici et adaequate declarari non posse. Id Christus congrua similitudine edocet dicens: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex Spiritu* (1); quae verba Christi ita *S. Chrysostomus* interpretatur: « Si venti, inquit, quem sensu nempe auditu et tactu percipis, impetum explicare non potes nec viam eius nosti, cur divini spiritus operationem curiose exploras, qui venti vim non intelligis, etsi sonum audias?.... Atque ventus est corpus licet tenuissimum ; nam quod sensui subiicitur, corpus est. Si ergo non aegre fers, quod corpus non videas, neque ideo ipsum esse diffiteris, cur de Spiritu audiens turbaris, et tot rationes exigis, cum tamen id circa corpus non agas? » — Quamvis autem modus, quo divinae gratiae conferuntur, intime perspici et adaequate declarari nequeat, ipsa tamen revelatione edocti rectissime asserimus, Deum vario ac multiplici modo gratias suas conferre, quod iam ex iis patet, quae de divisionibus gratiae (§ 403) dicta sunt. Deus nempe, ut infideles ad fidem, peccatores ad poenitentiam, tepidos ad debitum fervorem, iustosque ad maiorem provocet perfectionem, ordinarie *externis mediis utitur, quibuscum gratiam suam internam coniungit*, quandoque autem sine mediis externis per gratiam suam *mere interne seu immediate in animam agit.*

1. Quoniam homo ex anima et corpore constans ope sensuum plerasque notiones acquirit, Deus pro infinita sua sapientia etiam in operationibus gratiae mediis externis seu instrumentis, quae sensibus subiiciuntur, uti solet. Talia instrumenta sunt septem Sacramenta, de quibus in sequenti sectione sermo instituetur. Ordinarium quoque medium infideles ad Christi fidem vocandi est *verbum Dei* a legitimis ministris praedicatum. Nam Apostolus ait: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (2). Efficacia autem verbi divini patet ex praedicatione Apostolorum, per quam celerrime Religio christiana longe lateque propagata fuit, quod fieri haud potuisset, nisi copiosae gratiae divinae cum verbo praedicato coniunctae fuissent. Eodem modo verbum Dei praedicatum ordinarium medium peccatores convertendi dici potest. Quotiescunque enim Israëlitae a recto tramite deviarunt, a Deo ad ipsos missi sunt Prophetae, qui admonitionibus et increpationibus ipsos ad poenitentiam evocarunt. Etiam Gentiles Ninivitae seria praedicatione *Ionae* commoti, poenitentiam egerunt, per quam Deum placarunt, et ab excidio urbis liberati sunt. Absque dubio ergo gratia divina cum verbo Dei praedicato coniuncta est ; unde *S. Augustinus* asserere non veretur, ipsum Spiritum sanctum audiri, cum verbum divinum praedicatum auditur ; ait enim Tract. 12, n. 5, in Ioan. III, 8: « Nemo videt Spiritum, et quomodo audimus vocem Spiritus? Sonat Psalmus, vox est Spiritus: sonat Evangelium, vox est Spiritus: sonat sermo divinus, vox est Spiritus, *vocem eius audis et nescis, unde veniat et quo vadat.* » Verbo

(1) Io. 3, 8. (2) Rom. 10, 14 etc.

autem divino a legitimo Evangelii praecone annunciato adiungi potest *correctio fraterna*, legitimo modo peracta, quacum etiam gratia divina coniungitur; alias Christus haud diceret (1): *Si te audierit* (frater ob peccatum correptus) *lucratus eris fratrem tuum;* non enim verba humana sine gratiae auxilio hominis delinquentis emendationem operarentur. Idem dicendum est *de correptione publica* et *de censura ecclesiastica*, quae per gratiam, quam Deus cum illa coniungere solet, praeclaros effectus producit. Ita incestuosus Corinthius, quem Paulus Satanae tradidit (2), tali obiurgatione emendatus est (3); et *Theodosius M.* Imperator, publica *S. Ambrosii* increpatione perculsus, rigidae se poenitentiae subiecit. Etiam *lectio librorum sacrorum* vehiculum esse solet, quo gratia divina menti ingeritur. « Perspicuum est, inquit *S. Chrysostomus* (4), spirituali lectione animam sanctificari et gratiam Spiritus sancti affatim infundit: » et sane *Victorinus*, senator romanus, lectione S. Scripturae ad fidem christianam suscipiendam, et *S. Ignatius* legendo vitas Sanctorum ad terendam perfectionis viam adductus est. Quemadmodum autem exempla Sanctorum, quae leguntur, ita etiam — et quidem efficacius *exempla piorum, quae cernuntur*, gratia cooperante, homines emendare et ad virtutis studium incitare valent. Ideirco Christus bonum exemplum (5) lucem appellat, quae salutariter homines afficit ita, ut Patrem coelestem glorificent. Ita *Bonifacius*, qui cum Aglaë Matrona in turpi commercio vixerat, constantem Martyrum in perferendis cruciatibus patientiam considerans, non solum de veritate Religionis christianae convictus fidem suscepit, sed et amore divino succensus ipsemet martyrium intrepide sustinuit. — Saepissime autem Deus tribulationibus utitur, ut peccatores convertat et iustos ad maiorem perfectionem perducat, uberiores iisdem gratias tempore adversitatis concedens. Ideo Eccli. (6) legitur: *In die tribulationis commemorabitur tui, et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua.* Ibid. (7): *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviae in tempore siccitatis.* Ps. XXXIII, 19: *Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde.* Tob. III, 13: *Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.* Istorum veritatem testimoniorum experti sunt *Israëlitae*, qui magnis oppressi calamitatibus meliores sensus induerunt. Impius quoque *Manasses* e throno deiectus, et carceri mancipatus, resipuit per verae poenitentiae lacrymas purgatus. Et *filius prodigus* in maxima egestate fame tabescens, ad Patrem redire decrevit. Ideo *S. Augustinus* (8) dicit: « Intelligat homo, medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum esse ad salutem, non poenam ad damnationem. Sub medicamentum positus ureris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. »

2. Homines immediate in animam alterius agere nequeunt, quamvis verborum ope non solum aliorum intellectum docendo illustrare, sed et voluntatem movere possint. Deus autem, licet gratiam suam cum mediis, seu instrumentis coniungere soleat, istis tamen nullatenus indiget,

(1) Matth. 18, 15. (2) 1 Cor. 5, 5.
(3) 2 Cor. 2, 6 etc. (4) Hom. 31, in Ioan.
(5) Matth. 5, 16. (6) 3, 17. (7) 35, 26.
(8) Enarr. 2, in Ps. 21, n. 4

sed mere interne seu immediate in animam agere, atque multo efficacius ac perfectius intellectum illustrare et voluntatem ad bonum movere potest, quam homines verbis id efficere valeant: quod qui negaret, non revelationi tantum, sed et rectae rationi repugnaret. Ipsa experientia testatur, quam excellens sit magister, qui intus loquitur. Sicuti enim Apostoli in die Pentecostes per Spiritum sanctum perfecta rerum divinarum cognitione repleti sunt; ita hincinde homines simplices, humiles mundique corde ad pleniorem mysteriorum fidei scientiam pervenerunt, quam Theologi perpetuo rerum theologicarum studio addicti. Unde Christus inquit: *Confiteor tibi, Pater... quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (1); et Paulus ait: *Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* (2). - Deus autem per gratiam suam non solum intellectum illustrat, sed et voluntatem movet suaviterque ad bonum pertrahit: quod egregie S. *Augustinus* (3) declarat in verba Christi: *Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit*, ita disserens: « Ista revelatio (facta Petro Matth. XVI, 17) ipsa est attractio. Ramum viridem ostendis ovi et trahis illam. Nuces puero demonstrantur, et quo currit trahitur, amando trahitur, sine laesione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo illa, quae inter delicias et voluptates terrenas revelantur amantibus trahunt, quoniam verum est: trahit sua quemque voluptas, non trahit revelatus Christus a Patre? quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem? etc. » — Ast non semper per suavitatem amoris, seu per delectationem victricem Deus ad se attrahit homines, sed saepe etiam per timorem, quem excitat in cordibus eorum. Nam, ait idem S. *Augustinus* (4): *Initium sapientiae timor Domini*. « Timor quasi praeparat locum charitati... Si nullus timor, non est quo intret charitas. Opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas. » Et de grat. et lib. arbitr. (5) inquit: « Cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est donum Dei... Non quo timore Petrus Christum negavit, sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus: *Eum timete qui habet potestatem animam et corpus perdere in gehennam.* » — Ut autem timor iste salutaris in corde excitetur, gratia divina efficit, ut qui a via salutis alienus est, diris conscientiae remorsibus crucietur; unde Deut. (6) legitur: *Dabit tibi Dominus cor pavidum, et deficientes oculos et animam consumptam moerore, et erit vita tua quasi pendens ante te.* Et S. *Chrysostomus* (7) ait: « Benignus Deus eiusmodi nobis accusatorem assistere voluit, ut nunquam soli relinquamur, sed indesinenter ille congrediens clamet, et poenam exigat delictorum. » — Notandum vero est, quod gratia divina persaepe ad parva et facilia opera nos provocet, ut illi consentientes, ad uberiora auxilia recipienda disponamur. Ita dubia quandoque de morali animae nostrae statu insurgunt, ut veritatem inquirendi propositum in mente concipiamus: hincinde ad sacram concionem audiendam vel ad pium librum legendum nos allectos

(1) Matth. 11, 25. (2) 1 Cor. 1, 27.
(3) Tract. 26, in Io. n. 5.
(4) Tract. 9 in Ep. Ioan. (5) Cap. 18.
(6) 28, 65. (7) Hom. 20 in Gen

sentimus, ut inspirationem divinam secuti, magna pro anima nostra emolumenta capiamus. Praecipue vero frequentissime a gratia divina ad orationem excitamur, per quam efficacia auxilia obtinere possumus. — Ex quibus omnibus patet, vario ac multiplici modo gratiam divinam in homine operari, eiusque salutem promovere, quod probe attendendum est, ut doctrina de distributionis gratiae ambitu facilius intelligatur.

ARTICULUS II.

De distributionis gratiarum ambitu.

§ 441. Ut quaestiones, quae circa gratiarum supernaturalium distributionis ambitum seu extensionem agitantur, recte intelligi ac solide dirimi possint, quaedam necessario praenotanda sunt.

1. Quoniam gratia Dei gratuita est, potest Deus absque ulla iniustitiae aut crudelitatis nota omnibus hominibus non iustificatis nullum prorsus divinae gratiae auxilium conferre. Haec propositio, inquit em. *Bellarminus* (1), « certissima est apud eos, qui ex divinis litteris peccatum originale noverunt. Nam cum per peccatum primi hominis nascamur omnes *filii* irae, ut inquit Apostolus (2), nihil aliud nobis debetur, quam poena. Unde Sap. (3) dicitur: *Quis stabit contra iudicium tuum? Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? Aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Et Paulus (4) ostendit, uni divinae misericordiae esse adscribendum, quod Deus ex corrupta humani generis massa aliquos seligat, ut sint vasa in honorem, qui propterea etiam vocantur *vasa misericordiae*. *S. Augustinus* totus est in hac veritate contra Pelagianos asserenda, ut integri pene eius essent exscribendi libri. Sufficiant ea verba in lib. de dono persev. (5): « Non itaque simus ingrati, quod secundum placitum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset iniustus. » Clara sunt etiam verba *S. Thomae* (6) dicentis: « Humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiae, » et ideo « quibuscunque non datur, hoc est ex iustitia, quibuscunque autem datur, hoc est ex gratia, » ut ait *S. Augustinus* (7).

2. Quamvis nullum in Deo gratias hominibus lapsis conferendi debitum adstrui possit, neque liberrima eius voluntas, qua misericorditer gratias suas dispensare decrevit, a priori definiri queat; attamen hanc eandem voluntatem ex iis cognoscere licet, quae benignissime nobis a Deo revelata sunt. Ipsa autem Revelatio nos certos reddit, Deum omnium hominum, etiam postquam peccato originali inquinati fuere, salutem velle. Ait enim Apostolus (8): Deus *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire:* quodsi omnes homines vult salvos fieri, cum voluntas Dei sterilis non sit, certe etiam omnibus vult salutis subsidia necessaria conferre. Ideo Christus pro omnibus mortuus est (§ 379), pro omnibus peccatis satisfecit (§ 376), et omnibus hominibus gratiam divinam et salutis media promeruit (§ 377). Istae veritates revelatae ante oculos habendae sunt, ut quaestiones, quae de distributionis gratiarum ambitu

(1) L. 2 de grat. et lib. arb. cap. 4.
(2) Eph. 2, 13.
(3) 12, 12
(4) Ad Rom. cap. 9.
(5) Cap. 8.
(6) 1 2, q. 106, art. 3 ad 1.
(7) L. de perfectione iustit.
(8) 1 Tim. 2, 4.

moventur, legitimo modo solvantur. - Attendendum porro est, Deum omnia propter semetipsum operari, et in omnibus divina sua attributa manifestare (§ 141); quapropter rectissime concluditur, Deum in conferenda gratia omnipotentiam, sapientiam, et praecipue immensam suam bonitatem et misericordiam ostendere; in subtrahenda vero et neganda gratia iustitiam suam manifestare. Dum igitur de gratiarum distributione agitur, inter varias Theologorum sententias illae veritati magis consonae censendae sunt, in quibus attributa divina clarius manifestantur et gloria Dei magis promovetur.

3. Notandum praeterea est, non hic agi de distributione gratiae efficacis, cum nemo sit qui contendat hanc omnibus dari, sed solum de distributione gratiae proxime aut remote sufficientis, iuxta notionem, quam de ea praebuimus, quae nempe veram, completam ac relate ad praesentes subiecti circumstantias sufficientem bene operandi facultatem tribuat. — Neque hic agitur de sola gratiae *oblatione*, ut nonnulli minus accurate loquuntur, aut etiam subdole, ut fucum faciant imperitis, sed de reali gratiae *collatione*. « Ille enim, ait cl. *Perrone* (1), qui esurienti panem offerret, quem tamen ipse attingere nequiret, ei illuderet; ita enim esuriens fame interiret. Sic etiam Deus, si solum offerret gratiam, quam tamen reipsa non conferret, homini illuderet, non autem ipsum adiuvaret, quod vel etiam cogitare absurdum est. » — Cl. *Thomas ex Charmes* (2) observat, « hic non esse quaestionem, utrum omni tempore et momento singulis hominibus detur gratia sufficiens; certum est enim, gratiam sufficientem quae est inspiratio transiens, non perpetuo et indesinenter, sed certis tantum vicibus et temporibus dari iuxta illud Psalmi XC: *Cum ipso sum in tribulatione,* id est, pro loco et tempore opportuno (praecipue cum urget praeceptum, dum pulsat tentatio etc.); quod sufficit, ut homo dicatur habere gratiam sufficientem ad salutem consequendam. » Alteram observationem apponit dicens: « Non est quaestio, utrum singulis hominibus ea semper detur gratia sufficiens, per quam proxime et sine ulteriori auxilio possint bonum salutare operari, tentationes superare etc. Certum est enim, quandoque dari gratias remote tantum sufficientes, quibus si bene uterentur homines, proxime sufficientem obtinerent ut docet *S. Augustinus* (3) dicens: Dum quis ignorat, quod sibi agendum, ex eo est, quod nondum accepit: sed hoc quoque accipiet, si, quod accepit, bene usus fuerit; accepit autem, ut pie et diligenter quaerat: nimirum per gratiam orationis. » Et sane Christus ipse ad Apostolos dixit: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (4): contulit ergo ipsis gratiam proxime sufficientem ad vigilandum et orandum; qua si bene usi fuissent, per ipsam orationem gratia divina roborati fuissent ad ingruentem tentationem fortiter perferendam (5).

4. Variae quaestiones circa distributionis gratiarum ambitum moventur, quia homines in vario statu considerari possunt. Vel enim sunt non fideles tantum, sed et iusti, quibus gratiae actuales necessariae sunt ad implenda praecepta, ad tentationes

(1) De grat. Pars I, c. 5, n. 372.
(2) De gratia Chr. diss 1, cap. 3.
(3) L 3 de lib. arbitr. c. 22.
(4) Matth 26, 41.
(5) Cf. § 435, et Cl. Schwez Theol. dogm vol. 2 § 116

superandas etc.: vel sunt fideles quidem, sed peccatores gratia sanctificante privati, ast nondum in malo obdurati, quibus gratia divina opus est tum ad seriam poenitentiam agendam, tum ad ulteriora peccata praecavenda: vel sunt peccatores, rectam quidem fidem retinentes, sed in peccatis obdurati, qui plurimas iam gratias neglexerunt, iisque inique restiterunt: vel sunt infideles sive positivi, qui oblatam sibi fidei notitiam respuerunt, sive negativi, qui nihil unquam de fide audierunt: vel sunt infantes rationis usu nondum praediti, sed labi originali subiecti. Circa varias istas hominum conditiones quaeritur an iisdem gratia sufficiens ad salutem offeratur. — Observandum autem est, in hac controversia quaedam esse ad fidem pertinentia; alia non ita. — Ad fidem pertinet, iustis non deesse gratiam qua possibilia sint ipsis mandata Dei. An autem aliis quibuscunque fidelibus, qui iusti non sunt, an peccatoribus excaecatis et obduratis, an infidelibus cunctis, an etiam infantibus adsit auxilium gratiae sufficiens ad salutem, nondum est Ecclesiae iudicio definitum. Observat tamen *Bellarminus* (1) catholicos Theologos quam plurimos ac fere omnes pro certo habere, omnibus hominibus pro loco et tempore sufficiens auxilium non deesse, quamvis non omnes illud admittant aut admissum retineant. Ut vero doctrina haec legitime pertractetur, agendum erit, 1° *de iustis*, 2° *de peccatoribus nondum obduratis*, 3° *de peccatoribus excaecatis et obduratis*, 4° *de infidelibus*, 5° *de infantibus, et* 6° aliqua dicenda sunt de quaestione: *an gratia omnibus aequaliter detur.*

(1) De grat. et lib. arb. lib. 2, c. 1.

I. *De iustis.*

§ 442. *Iansenius* lib. III de Grat. Chr. cap. 3, post varia *S. Augustini* testimonia citata, et sinistro sensu exposita ita concludit: « Haec igitur omnia plenissime, planissimeque demonstrant, nihil esse in *S. Augustini* doctrina certius ac fundatius, quam esse praecepta quaedam, quae hominibus non tantum infidelibus excaecatis, obduratis, sed fidelibus quoque et iustis, volentibus, conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia. Hoc enim S. Petri exemplo, aliisque multis manifestum est, qui tentantur ultra quam possunt sustinere. » Cum autem haec doctrina, quatenus iustos concernit, a Rom. Pontificibus damnata fuerit; *Iansenii* discipuli subdole procedentes fateri non recusarunt, iustis gratiam ad observanda divina mandata non deesse, sed per iustos intellexerunt vel solos praedestinatos vel illos dumtaxat, qui actu tentationes superant et actu mandata observant; per gratiam vero, quam iustis praesto esse admiserunt, talem intellexerunt, quae absolute quidem quoad vires suas considerata, non autem relative et comparate ad vires delectationis terrenae praesentis sit vere sufficiens et potentiam expeditam constituat resistendi gravi tentationi et actum salutarem eliciendi. Ast damnatio pontificia non evitatur per tales cavillationes, quibus admissis etiam concedendum est, dari iustos, qui ob gratiae sufficientis defectum mandata divina adimplere non possunt. — Ut autem subdolis Iansenianorum interpretationibus et exceptionibus omnis locus occludatur, dogma catholicum his verbis enuntiandum est: Iustis omnibus, praesertim vero volentibus et conantibus

urgente praecepto, datur a Deo gratia vere ac relative sufficiens ad servanda omnia praecepta. Dogma hoc catholicum *ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus, ex Ecclesia definitionibus,* et *ex ratione theologica* probatur.

1. *S. Scriptura* V. et N. T. testatur, observantiam mandatorum divinorum impossibilem non esse, iustisque, ut officia sua impleant, sufficientem gratiam concedi. Postquam Deus populo israëlitico legem suam promulgaverat eique mandaverat, ut Deum in toto corde diligat et praecepta eius custodiat (1), addit: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum... sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum.* Israëlitae ergo quae Deus mandavit, non solum cognoscere, sed etiam facere potuerunt, atque ideo gratiae sufficientes ad observantiam mandatorum necessariae, ipsis non defuerunt. Quod si illas Deus in V. T. hominibus recta fide imbutis non negavit, quis dicere audebit, easdem in N. T. in lege gratiae et quidem iustis gratia sanctificante ornatis negari? — Propheta regius ait: *Diverte a malo, et fac bonum: inquire pacem, et persequere eam* (2); et ut homines ad coelestem hanc doctrinam observandam animentur, mox addit (3): *Oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum;* quibus verbis clare significatur, Deum curam habere iustorum non oculis corporeis eos aspiciendo, sed gratias ipsis conferendo, quibus excitati per orationem uberiora auxilia obtinere possint. Ps. XXXVI, 24 de iusto dicit: *Cum ceciderit*, sive in peccata venialia, sive in tribulationes, *non collidetur, quia Dominus supponit manum suam... Non vidi iustum derelictum.*

(1) Deut. 30, 11-14.

Paterna vero Dei cura pro iustis praecipue in Ps. XC describitur, in quo de iusto legitur v. 2: *Dicet Domino: susceptor meus es tu, et refugium meum*, quod iustus dicere non posset, si sufficientes ad recte vivendum gratias a Deo non obtineret; v. 11: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum;* et versu 14 etc. Deus ipse ita loquitur: *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.* Absonum autem esset dicere, Deum in negotiis tantum temporalibus iustum protegere, et a malis corporalibus eripere, in summo autem salutis negotio relinquere. Spiritualem praecipue Dei assistentiam iustis promissam esse, alia S. Scripturae loca ostendunt. Prov. IV, 11 Deus dicit: *Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas aequitatis... currens non habebis offendiculum;* quibus verbis non solum cognitio mandatorum divinorum, sed etiam gratia promittitur, quae per semitas rectas ducit, et a lapsu retinet. Sap. XII, 13 legitur: *Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniam non iniuste iudicas iudicium:* quodsi Deo cura est de omnibus, praecipua profecto est de iustis, quos ut filios amat, et quibus ideo absque dubio gratias relative sufficientes confert, quibus mandata sibi imposita observare possint; secus enim horum transgressiones iuste punire non posset: quae conclusio, ut clarius appareat, v. 15 additur: *Quum ergo sis iustus, iuste omnia disponis; ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum aestimas a tua*

(2) Ps. 33, 14. (3) V. 16.

virtute. Eccli. II, 12 etc. dicitur: *Quis permansit in mandatis eius, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? Quoniam pius et misericors est Deus, — et protector est omnibus exquirentibus se in veritate;* quae verba manifeste ostendunt, iustis omnibus, praesertim vere volentibus et conantibus, gratias vere et relative sufficientes ad mandata divina servanda non deesse. Idcirco ibid. (1) legitur: *Si volueris mandata servare, conservabunt te;* ex quo apparet, mandata divina observatu impossibilia non esse, sed hominem ita per gratiam adiuvari, ut possit mandata divina exequi ac in amicitia divina conservari. — In N. T. Christus ipse inquit: *Iugum meum suave est; et onus meum leve* (2); et I Io. V, 3 legitur: *Mandata eius gravia non sunt:* haec autem, quibus suavitas et facilitas mandatorum divinorum commendatur, nisi saltem in iustis vera essent, in nullo alio locum haberent. Iam vero iuxta ipsos adversarios, gratia non opitulante, praecepta Dei non modo levia non essent, sed prorsus impossibilia evaderent; cum tamen contrarium de Dei praeceptis in Scripturis clare praedicetur, argumento est ineluctabili, saltem iustis non deesse gratiam, qua possibilia fiant ac levia. I Cor. X, 13 scribit Apostolus: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere;* quorum verborum hic est sensus: Fidelis Deus est, qui non permittet vos supra vires tentari, sed in tentatione ipsa vos roborabit, ac confirmabit gratiae suae abundanti praesidio, quo possitis tentationem sustinere et victoriam referre. Atque haec praecipue de iustis dicuntur, ut patet ex verbis immediate praecedentibus (v. 12), *qui se existimat stare, videat ne cadat.* Atqui nisi iusti haberent veram et expeditam potentiam resistendi tentationi in illis circumstantiis, tentarentur supra vires: cum autem id dicto Apostoli aperte opponatur, concludendum est, iustis nunquam deesse gratiam relative sufficientem, qua tentationes vincere et mandata divina adimplere possint.

2. *Ss. Patres*, sicut necessitatem gratiae ad quemlibet actum salutarem profitentur, ita etiam docent, gratiam sufficientem hominibus non deesse, et eorum sententiam detestantur, qui dicere non verentur, observantiam mandatorum divinorum impossibilem esse. *Clemens Alex.* (3) inquit: « Quin etiam praecepta sunt eiusmodi, ut a nobis possint fieri vel non fieri; quod consentaneum est, ut consequatur laus vel vituperatio. » *Origenes* (4) ait: « Qui dicit: quae mandantur implere non possum, quid tibi videtur aliud, quam inter mulieres, quae nihil virile possunt, numerandus? » *S. Hilarius* in haec verba: *Latum mandatum tuum nimis* (5), ita disserit: « Latum igitur mandatum Dei est, et in omnia spei nostrae genera diffunditur, ut non difficile sit, si voluntas adsit, praecepto Dei obtemperare. » *S. Basilius* in Regulis brev. (6) scribit: « Nos quoque ad idem faciendum hortatur Paulus, cum dicit: *Imitatores estote Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione* etc. Sine dubio autem non praecepisset hoc, qui bonus ac iustus est, nisi etiam facultatem, qua id faceremus, fuisset largitus; » et in Homil., *Attende tibi ipsi*, ait: « Impium est asserere, praecepta Spiritus san-

(1) Eccli. 15, 16. (2) Matth. 11, 30.
(3) L. 4. Strom. cap. 8.
(4) Hom. 9 in Iosue. (5) Ps. 118, v. 96.
(6) Reso. 176.

cti impossibilia esse observatu. » *S. Chrysostomus* (1) de laudibus S. Pauli inquit: « Possibile enim est, Dei iussa perficere, si modo velimus omnem naturae trepidationem alacriter virtute superare, nihilque impossibile est eorum, quae a Christo hominibus imperantur. Si enim, quantum est in nobis velimus virium exprimere, maximum etiam nobis Deus adiungit auxilium, atque ita, etsi omnia in nos adversa concurrant, tuti tamen in medio periculorum, intactique servabimur. » Idem (2) commendans virtutis studium, ita loquitur: « Non licet dicere: non possum; id esset accusare opificem. Nam si nos fecit imbecilles, et iubeat, ipsius est accusatio. Quomodo ergo, inquis, multi non possunt? quia nolunt. Quomodo ergo multi nolunt? prae desidia; nam si velint, poterunt omnino... Habemus quippe cooperatorem et adiutorem Deum: tantum velimus, tantum opere accedamus ad rem ipsam. » — *S. Hieronymus* (3) dicit: « Multi praecepta Dei imbecillitate sua, non sanctorum viribus aestimantes, putant esse impossibilia, quae praecepta sunt... Sciendum est ergo, Christum non impossibilia praecipere, sed perfecta. » — *S. Augustinus* l. de nat. et grat. (4) scribit: « Deus cum per mediatorem Dei, et hominum hominem Iesum Christum spiritualiter sanat aegrum, vel vivificat mortuum, id est, iustificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam iustitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper iusteque vivatur; » et ibid. (5) ait: « Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis. » Insuper addit (6): « Eo ipso quo firmissime creditur, Deum iustum et bonum impossibilia non potuisse praecipere; hinc admonemur et in facilibus, quid agamus, et in difficilibus, quid petamus. » Idem tract. 53 in Ioan. inquit: « Audiamus Dominum et praecipientem et opitulantem, et iubentem quod facere debeamus, et adiuvantem ut implere possimus. » Enarr. in Ps. XXXIX, n. 27 sic hominem iustificatum alloquitur: « Iam enim fidelis es, iam ambulas in via iustitiae: curam tui non habebit, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos? te iam iustum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo vero et hic fovet, et hic adiuvat, et hic necessaria subministrat et noxia resecat. Dando consolatur ut permaneas, auferendo corripit ne pereas. Dominus curam habet tui, securus esto. Ille protegit, qui te fecit... Nusquam tibi deest; tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse. » — *S. Leo M.* (7) ait: « Gratiae Dei se obedientia humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest esse bona, deficiat. At si quid sibi impossibile, aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad iubentem recurrat, qui ideo dat praeceptum, ut excitet desiderium, et praestet auxilium, dicente Propheta (8): *Iacta in Deum cogitatum tuum, et ipse te enutriet.* » Idem (9) inquit: « Nihil habemus, nisi quod accepimus, et iugiter admonemur, ut dona gratiae Dei non negligenter habeamus: iuste enim nobis instat praecepto, qui praecurrit auxilio. » *S. Bernardus* (10) dicit: « Spiritus — tam multipliciter filiis

(1) Hom. 6.
(2) Hom. 16 in Ep. ad Hebr. n. 4.
(3) In cap. 5, Matth. (4) Cap. 2.
(5) Cap. 43. (6) Ibid. cap. 69.
(7) Ser. 5 de quadrag. cap. 1.
(8) Ps. 54.
(9) Ser. 16 de pass. Dom. c. 6.
(10) Serm. 3 in die Pentec

hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat a calore eius. Siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem.... Ad auxilium datur, cum in omni colluctatione adiuvat infirmitatem nostram. » Et alibi (1) ait: « Omnes nobis causamur, deesse gratiam; sed iustius forsitan ipsa sibi queritur gratia deesse nonnullos. » *S. Thomas* (2) dicit: « Quod praecepit Deus non est impossibile homini ad servandum; quia et substantiam actus potest ex libero arbitrio servare, et modum, prout scilicet fit ex charitate, potest servare ex dono gratiae. » Idem lect. 1 in Ep. 1 ad Corinthios haec habet: « Debetis sperare, quia Deus est fidelis... Non autem videretur esse fidelis, si nos vocaret ad societatem Filii, et nobis denegaret, quantum in ipso est, ea, per quae ad eum pervenire possemus; unde Iosue I dicit: Non te deseram, neque derelinquam. » *S. Bonaventura* (3) inquit: « Ad illud, quod obiicitur, mandatum Dei non esse supra hominem, sed prope: dicendum, quod hoc intelligitur de observantia, quantum ad genus operis. Si autem intelligatur quantum ad intentionem mandantis, tunc dicitur esse prope, non quia liberum arbitrium possit illud per se sine dono gratiae; sed quia gratia Dei praesto est unicuique; nec aliquis caret gratia quia gratia desit ipsi, sed quia ipse deest gratiae. » Idem (4) ait: « Alio modo dicitur aliquis aliquid posse, non solum quia potest illud per se et in se; sed quia potest cum illo, quod sibi praesto est: et hoc modo accipiendo *posse*, omne quod Deus praecipit, in nostra potestate est; quia ipse, qui praecipit, praesto est praebere gratiam adiuvantem, per quam possumus perficere. »

3. *Ecclesia* mentem suam iam aperuit in Concilio *Milevitano II* can. 3 dicens: *Placuit, ut quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua iustificamur per I. Chr. D. N., ad solam remissionem peccatorum valere quae iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committantur, anathema sit;* quibus verbis definitur hominem iustificatum recipere gratias sufficientes ad praecavenda peccata seu ad mandata divina observanda. Concilium *Arausicanum II* can. 25 ita loquitur: *Secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Concilium *Tridentinum* sess. VI, can. 18, ait: *Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam iustificato et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit;* et cap. 11 eandem doctrinam fusius proponit dicens: *Nemo* (audeat) *temeraria illa, et a patribus sub anathemate prohibita voce uti; Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis. Cuius mandata gravia non sunt, cuius iugum suave est et onus leve: qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones eius, quod utique cum divino auxilio praestare possunt... Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Huc etiam spe-

(1) Serm. 17, de diversis n. 1.
(2) Q. 24, de verit. art. 14 ad 1
(3) L. 2, dist. 28, art 1, q. 3 ad 1.
(4) Ibid. dub. 3.

ctant verba Concilii cap. 13: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent; Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet:* quae verba clare ostendunt, iustis gratias sufficientes non negari, quibus divina praecepta observare et in statu iustitiae perseverare possint. Ideo *Pius V* et *Gregorius XIII* damnarunt hanc *Baii* propositionem 54am: « Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum sit Pelagii. » *Innocentius X* et *Alexander VII* primam *Iansenii* propositionem: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis, volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant » — proscripserunt ut *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam* et *haereticam*. Ergo fide divina credendum est, iustos non destitui gratia vere sufficienti ad observanda omnia mandata Dei.

4. *Ratio theologica* petitur ex ipsa natura gratiae sanctificantis, qua iusti praediti sunt. Certum enim est, iustos Deo acceptos esse. Ps. CXLV, 8 legitur: *Dominus diligit iustos*. Amare autem in Deo non est, nisi bona tribuere (§ 40, n. 1). Itaque si Deus diligit iustos, bona ipsis tribuit, et quidem praecipue illa, quae ad eorundem felicitatem spiritualem et aeternam salutem requiruntur. Et sane, qui habent ius ad haereditatem ut filii, a patre debent accipere media quae necessaria sunt, ut ad haereditatem pervenire possint: sed iusti sunt filii Dei, et eius haeredes iuxta illud (1): *Si filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi:* certissime ergo gratiae ad observantiam mandatorum requisitae iustis conferuntur, quia sine hac observantia aeternam haereditatem consequi non possent. Ideo Christus de iis, qui per gratiam sanctificantem Deo uniti sunt dicit, quod multa bona opera perficiant; ait enim (2): *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum;* et rationem addit dicens: *quia sine me nihil potestis facere;* sed sicut palmes a vite cui unitur, succum attrahit, quo uberes fructus fert; ita per gratiam sanctificantem mecum uniti manentes, auxilia supernaturalia obtinebitis ad mandata divina observanda et bona opera perficienda.

Nota. Non solus *Iansenius* in hoc dogmate cum suis gregalibus aberravit; sed iam Protestantium antesignani docere non erubuerunt, homines mandata divina observare non posse. *Lutherus* in confutatione rationis Latomianae ait: « Tot scripturae testimonia probant, mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius. » Et in responsione ad Dialogum Sylvestri Prieratis inquit: « Pessime facis quod negas, Salvatorem impossibilia iussisse: plusquam pessime facis quod hoc falsitatem audes appellare. Non possumus in hac vita mandata Dei implere. » *Melanchton* (3) ita loquitur: « Cum mandat lex diligi Deum, perinde impossibilia iubet, atque si praecipiat nobis transvolare Caucasum. » *Calvinus* (4) scribit: « Sit extra controversiam, impossibile esse in hac carne legis implementum. » Inter illos quoque, qui caeteroquin orthodoxam fidem profitentur, quidam non tam per argumenta theoretica, quam potius per praeiudicia practica in eandem fere sententiam abripiuntur. Ut enim iniquas, quas

(1) Rom. 8, 17 (2) Io. 15, 5.

(3) Ad cap. 4 Ep. ad Rom. (edit. 1).
(4) L. 2 Instit. cap. 7.

multiplicant, legis transgressiones excusent, facile sibi persuadent, mandata divina nimis ardua et observatu impossibilia esse; imo et gratiam deesse, per quam possibilia fiant. Magni idcirco momenti fuit, ut dogma catholicum solide probetur et operae quoque pretium est, ut difficultates solvantur, quae praesertim a Iansenianis nobis opponuntur.

Obi. I. Per verba Apostoli I Cor. X, 13 dogma catholicum nullatenus probatur. Nam S. *Augustinus* variis in locis, imo et *Hormisdas P.*, *Leo M.*, *Gregorius M.* aliique latini et graeci Patres, quos citat *Estius* in Comment., docent, verba Pauli intelligenda esse de solis praedestinatis, quos a finali perseverantia Deus excidere non sinit. Ergo ex iis inferri non potest, omnibus iustis conferri gratias sufficientes: et sic cadit primarium argumentum, de quo theologi maxime gloriantur.

Resp. Quae adversarii obiiciunt, firmitatem argumenti ex verbis Pauli deducti, non infringit. Nam inter iustos numerandi sunt vel maxime praedestinati, quibus idcirco verba Pauli peculiari modo applicari possunt, quoniam in ipsis assistentia Dei maxime conspicua fit. Dum igitur Ss. Patres verba Pauli ad praedestinatos pertinere dicunt, qui, Deo protegente, finaliter perseverant, non ideo negant, tenore verborum Pauli omnibus iustis sufficientes gratias conferri, ut tentationem sustinere possint. Id quoque Patres expresse docent: ita S. *Cyprianus* (1) verba Pauli refert dicens: « Faciet cum tentatione evadendi facultatem; » quae verba certe intelligi debent de gratia sufficiente, et quidem omnibus iustis collata; nam prosequitur S. Martyr: « Permittit Deus tantum *unumquemque* tentari, quantum potest sustinere. » Ipse S. *Augustinus* dictum Apostoli universaliter de omnibus iustis intelligit, dum (2) non solos praedestinatos, sed omnes fideles alloquens inquit: « Humilis esto Deo, ut non permittat te tentari supra id, quod potes: » et Enar. in Ps. CXX, n. 14 omnes fideles instruens, docet, iuxta verba Pauli, non solum *exitum*, sed et *introitum* a Deo custodiri; ait enim: « Audi Apostolum: — *Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra quam potestis ferre:* Ecce introitus tuus custoditur: quando non sinit Deus tibi accidere tentationem, quam non potes ferre, introitum tuum custodit: videte, si custodit et exitum. Sed *faciet*, inquit, *cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere.* Numquid possumus nos Fratres, interpretari aliter, quam ipsa verba Apostoli docuerunt? Custodite ergo vos, sed non a vobis, quia Dominus tegumentum, qui custodit, qui non dormitat, nec dormit. » Omnes ergo fideles ad sperandum divinum in tentationibus auxilium per verba Pauli excitat. Et hunc esse citatorum verborum sensum, ex scopo Apostoli patet. Paulus enim eo fine verba illa protulit, ut Corinthios solaretur eosque in firmam spem erigeret. At vero, si de solis praedestinatis loqueretur, sublatum esset consolationis ac spei fundamentum, quia nullus certe novit, se esse de numero praedestinatorum. Sicuti ergo tota Epistola ad omnes fideles Corinthios, qui certe non omnes erant praedestinati, directa est, ita etiam citata verba ad omnes et non ad solos praedestinatos spectant, praecipue cum Paulus generatim de tentationibus loquatur et assistentiae divinae promissionem non ad solam tentationem finalem restringat. Denique omne du-

(1) L. 3 testim. cap. 91.

(2) L. de catech. rudibus cap. 25.

bium removet *Concilium Tridentinum*, quod (1) ad omnes Clericos maiores et Regulares illud testimonium spectare affirmat, quoties ipsos urget servandae castitatis praeceptum, et gravis eos sollicitat carnis tentatio; ait enim: *cum Deus id* (donum castitatis) *recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.* Atqui certum est, non omnes Regulares et Clericos maiores esse praedestinatos.

Obi. II. Christus Io. VI, 44 ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Itaque qui trahitur per gratiam efficacem a Deo, observat mandata et venit ad Christum: qui vero non trahitur per gratiam efficacem, non observat mandata et non venit ad Christum; imo non potest observare mandata et venire ad Christum. Certum autem est iuxta omnes, iustum non semper trahi a Patre; nam quando iustus peccat, non habet gratiam efficacem, alias certissime non peccaret: ergo non trahitur a Patre, ac ideo non habet veram potentiam, veniendi ad Christum, seu abstinendi ab actu peccaminoso, et mandatum divinum adimplendi. Hoc idem argumentum ex aliis Scripturae locis eruitur, in quibus omnis actus salutaris gratiae efficaci adscribitur.

Resp. In verbis Christi necessitas gratiae divinae clare asseritur, quia tractio significat motionem divinam, seu gratiam sine qua nullum prorsus actum salutarem elicere possumus. Deus autem trahit vel per gratiam efficacem quae cum actu salutari coniuncta est, vel per gratiam sufficientem quae veram et expeditam potentiam agendi confert, sed ob defectum liberi arbitrii cum actu salutari non coniungitur. Falluntur ergo *Ianseniani*, dum ex eo, quia actus salutaris non ponitur, inferunt etiam potentiam ad eundem actum deesse. Ipsi *Thomistae*, qui ad omnem actum salutarem gratiam ab intrinseco efficacem requirunt, admittunt tamen, per gratiam sufficientem veram potentiam ad agendum conferri, ita ut nunquam dicere liceat, iustum non posse divinum observare mandatum. Praeclare ipse *S. Thomas* difficultati occurrit, dum (2) textum citatum ita interpretatur: « Respondeo dicendum, quod vere nullus venire potest, nisi tractus a Patre. Nam sicut grave per naturam non potest per se sursum ferri, nisi trahatur ab alio, ita cor humanum ex se ad inferiora tendens non potest sursum elevari, nisi tractum. Si vero non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, qui quantum in se est nulli deficit, sed est propter impedimentum eius, qui non trahitur... Deus autem ad trahendum omnibus manum porrigit, quantum in se est: et, quod plus est, non solum attrahit manum recipientis, sed etiam aversos ad se convertit. » Tota demum difficultas facillime solvitur dicendo, praeter gratiam ab intrinseco efficacem dari etiam gratiam ab extrinseco efficacem, quae reluctante voluntate sterilis manet; illa autem consentiente actum salutarem producit. Iustus enim saltem hanc gratiam semper obtinet ad mandatum divinum observandum, ac ideo dum peccat, id non ex defectu gratiae, sed ex defectu iusti contingit.

Obi. III. Petrus quando tentatus fuit ut Christum negaret certe iustus erat, cum illi non minus, quam aliis dixerit Christus (3): *Et vos mundi estis*, et iterum: *Manete in me, et ego in vobis:* ast nihilominus tunc omni fuit divina ope destitutus, ita ut

(1) Sess. 24, can. 9.

(2) In cap. 6 Ioann. Lect. 1. (3) Io. 15, 3.

tentationem vincere, et fidelitatem erga Christum servare non potuisset. Id Ss. Patres testantur. S. *Hilarius* (1) affirmat, « Petrum non potuisse vitare culpam. » S. *Chrysostomus* (2) inquit: « Petrus, etsi bene animatus fuerat, divino tamen subtracto auxilio stare non potuit; » et (3) in Ep. ad Hebr. dicit: « Negatio Petri non tam erat socordiae et negligentiae, quam ex eo, quod Deus eum deseruerat. » S. *Augustinus* (4) ait: « Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum?... Ideo B. Petrum Dominus paullulum subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere nihil se sine gratia Dei valere. » *Origenes* quoque (5) dicit, Petrum fuisse « abundantius derelictum. » Imo id ipsum non obscure Christus insinuavit, dum illi dixit (6): *Non potes me sequi modo*, significans, vel ipsam Christum confitendi potentiam illi fuisse subtractam. Ergo hincinde iustis deest gratia, per quam observantia mandatorum divinorum possibilis fieret, et recte *Arnaldus* hanc propositionem defendit: « Scriptura et Patres nobis in B. Petro exhibent hominem iustum, cui gratia, sine qua nihil possumus, defuit in ea occasione, in qua dici non potest eum non peccasse. »

Resp. Citata Ss. Patrum testimonia nihil aliud evincunt, quam Petro gratiam efficacem seu proxime sufficientem defuisse, quod a nobis minime negatur. Certum autem est, Petrum habuisse gratiam remote sufficientem, per quam, si illam in vacuum non recepisset, potuisset gratiam efficacem obtinere ad tentationem superandam. Christus enim Petrum (7) admonuit, ut vigilaret et oraret, ne intraret in tentationem: haec autem externa admonitio cum interna gratia coniuncta fuit; alias Christus somnolentiam Petri non tam graviter reprehendisset (8). Habebat igitur Petrus gratiam humilitatis et orationis, qua si bene usus fuisset, obtinuisset gratiam efficacem per quam tentationi restitisset, nec Christum negasset, quod ex ipsa admonitione Christi recte infertur. Neque id Ss. Patres negant. Ita, dum S. *Hilarius* (9) dicit: « Amarissime flevit, recolens trepidationis culpam se nec admonitum potuisse vitare: » haec verba « non potuisse » non significant impotentiam agendi, sed defectum affectionis faciendi; quo sensu Christus (10) dixit: *Non potuistis una hora vigilare mecum?* sic enim communiter dicimur nos aliquando non posse, quia sic affecti sumus, ut nolimus, vel certe, ut acturi non simus. S. *Chrysostomus* (11) Petrum ideo ait stare non potuisse, quia propter internam arrogantiam et neglectam orationem auxilium divinum non obtinuit; ideo immediate subiungit: « Totum sibi attribuebat, dicens: *Etsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor*, cum dicere debuisset: patrocinio tuo iuvabis etc.; » quibus verbis S. Doctor gratiam Petro sufficientem adscribit, humiliter de se sentiendi et in Deo confidendi: in altero loco S. *Chrysostomus* dicit, Deum deseruisse Petrum, « quia elato erat animo, » et de se praesumpserat; subdit enim immediate haec verba: « Erudiens, ut humanam sciret mensuram, et non repugnaret iis, quae dicebantur a magistro, neque magis quam alii altum saperet » etc.

(1) In Matth. cap. 32, n. 4.
(2) Hom. 33 in Matth.
(3) Hom. 31, n. 3.
(4) Serm. 124, de temp. n. 1.
(5) Tract. 35 in Matth. (6) Io. 13, 36.
(7) Matth. 26, 41. (8) Marc. 14, 37.
(9) L. c. (10) Matth. 26, 40.
(11) Hom. 83 in Matth.

Verba *S. Augustini*, ab adversariis citata, ex sermone petuntur, qui a criticis S. Doctori abiudicatur et a PP. Maurinis ad Appendicem reiectus est: in l. de unitate Eccl. cap. 9 S. Doctor ita loquitur: « Quis dubitaverit, quod Iudas Christum, si voluisset, non utique tradidisset, et Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset? nam dum se perculsum sensit, deponere potuit mentis tumorem, et Deo cum Propheta dicere: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me:* » agnoscit ergo S. Doctor in Petro etiam ante lapsum gratiam sufficientem, qua uberiora poterat auxilia ad non peccandum impetrare. Inepte denique ab adversariis adducuntur verba Christi, quibus, ut ex contextu patet, solum innuitur, Petrum non posse cum Christo mori, quia post Christi ascensionem, visibile Ecclesiae caput fieri debuit. Et si illis verbis significatur, Petro tunc illam gratiam defuisse, qua homines ad perferendum martyrium corroborantur, nil tamen exinde inferri potest, quia tunc Petro impositum non fuit praeceptum moriendi pro Christo. Merito igitur adlegata *Arnaldi* propositio a s. Facultate Parisiensi damnata fuit.

Obi. IV. *S. Augustinus* docet, iustis saepe gratiam deesse, per quam mandata divina observare possint. Nam Epist. (1) ad Vitalem ait: « Scimus (gratiam Dei) non omnibus dari... Scimus eis, quibus datur, misericordia Dei gratuita dari. Scimus eis, quibus non datur, iusto Dei iudicio non dari. » L. de grat. et lib. arb. (2) scribit: « Qui ergo vult facere mandatum Dei, et non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam: poterit autem, cum habuerit magnam et robustam. » L. de dono persev. (3) ut veram agnoscit sententiam monachorum Adrumetinorum dicentium: « Si qui obeditis, si praedestinati estis reiiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis. » Hinc S. Doctor concludit, hinc inde ob gratiae defectum divinorum observantiam mandatorum impossibilem esse, et ex naturae corruptione peccandi necessitatem enasci. Ait enim l. de nat. et grat. c. 53: « Fideles orantes dicunt: et ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo. Si adest possibilitas, ut quid orant? » et ibid. c. 66: « Quod autem ex vitiis naturae, non ex conditione naturae sit quaedam peccandi necessitas, audiat homo. »

Resp. Cum *S. Augustinus* asserit gratiam non omnibus dari, loquitur de gratia iustificante in baptismo, vel de gratia efficaci, id est, de potentia coniuncta cum actu, vel certe de potentia proxime tantum sufficiente, qua non peccatores modo, sed iusti etiam saepe carent: ideo vero S. Doctor non negat, omnes vere sufficientem gratiam orationis habere, qua impetrare dein possint potentiam proximam ad resistendum tentationi et ad observanda mandata; id enim saepe affirmat, ut patet ex eius verbis § 435 nota 1 citatis. Totus quippe semper in eo est, ut contra Pelagianos ostendat, gratiam ad quemlibet actum salutarem necessariam esse, nec secundum merita dari, sed gratuito concedi, ac ideo per humiles et fervidas preces implorandam esse. Quapropter l. de nat. et grat. c. 53, n. 62 solum negat possibilitatem resistendi tentationibus per vires naturales, non autem negat possibilitatem resistendi tentationibus, et mandata divina observandi per gratiam, quam omnes homines orando obtinere pos-

(1) 217 (al. 107) c. 5.

(2) Can. 17.

(3) Can. 99.

sunt: hinc ibidem Pelagio obiicienti: « Non iuberet Deus quod sciret, non posse ab homine fieri, » respondet: « Ideo iubet (Deus) ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. » Supponit igitur, omnes iustos habere semper saltem gratiam orationis. Ita pariter in eodem libro c. 66 nullatenus peccandi necessitatem simpliciter et physice inevitabilem adstruit, sed solum docet, hominem *sine gratia* in peccata praecipitari, *cum gratia* autem peccata evitare posse; ideo ibidem immediate subiungit: « Atque ut eadem necessitas non sit, discat Deo dicere: *De necessitatibus meis educ me....* ac per hoc opitulante gratia per Iesum Christum et mala necessitas removebitur, et libertas plena tribuetur. » Equidem S. Doctor. lib. I ad Simpl. (1) negare videtur, ipsam orationis gratiam omnibus concedi; ait enim: « Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida et pene nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus... Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia et petere, et quaerere, et pulsare ille concedit, qui ut haec faciamus iubet? » — Sed manifestum est, S. Patrem hic non loqui de ipsa gratia seu potentia orandi, sed de eiusdem gratiae usu seu effectu; nam iuxta S. Doctorem omnes habent gratiam ad orandum proxime sufficientem; sed quia ea vel non utuntur omnino, vel negligentius orant, idcirco uberius auxilium, seu potentiam proximam ad praeceptum actu observandum non impetrant. — Denique quod attinet propositionem monachorum Adrumetinorum *S. Augustinus* eam non approbavit, sed correxit. Eandem enim, ut a monachis efferebatur, reiecit ut *abominabilem* non solum quoad modum, quia in persona secunda proferebatur, sed etiam quoad rem ipsam, quia veritati consona non erat: quod enim abominabile est, semper tale est, sive in secunda sive in tertia persona proferatur. Dum vero eam emendavit, sustulit penitus illam *subtractionem virium*, in qua sita est vis difficultatis; sic enim eandem propositionem emendatam proponit: « Quid sententiae deperit, inquit, si dicatur: si qui autem obediunt, et non sunt praedestinati in regnum eius et gloriam, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt. » Tunc enim sensus hic redditur: Si qui obediunt, et non sunt praedestinati, culpa sua a perseverantia excident atque ex praevisa hac culpa damnabuntur. Ita mentem *S. Augustini* exponit *S. Prosper* in Resp. ad Obi. XII Gallorum dicens: « Vires itaque obedientiae non ideo cuique subtraxit (Deus), quia eum non praedestinavit, sed ideo eum non praedestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse praevidit. » Quo sensu propositio vera est, nec ex ista inferri potest, sufficientem gratiam ad mandata Dei servanda iustis deesse.

Obi. V. Ipsi iusti saepe conqueruntur, se necessitate quadam in vitia abripi, et deesse sibi gratiam, qua bonum perficere possint. Ipse Paulus (2) lamentatur: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed, quod nolo malum, hoc ago etc.* Ita pariter *S. Hieronymus* ad Ctesiphontem (3) fragilitatem suam ita ingenue confitetur dicens: « Novi me multa velle, quae facienda sunt, et tamen implere non posse, » non alia certe de causa, nisi quia ipsi gratia operandi deerat.

Resp. Inique hincinde homines

(1) Q. 2. n. 2 (2) Rom. 7, 18 etc. (3) Cap. 33, n. 9.

conqueruntur sibi deesse gratiam, cum potius fateri deberent, gratiae se deesse, ut recte *S. Bernardus* observavit. S. Paulus (1) nihil aliud significat, nisi corruptionem naturae et exortam inde difficultatem, quam experiuntur iusti in comprimendis concupiscentiae perduellis motibus, quos tamen ope gratiae compesci posse docet; ideo (2) dicit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.* Eidem Paulo roganti, ut sibi auferretur stimulus peccati, responsum fuit: *Sufficit tibi gratia mea.* Sancti pariter conquerebantur de carnis fragilitate, spem tamen in divina gratia reponebant; unde *S. Hieronymus* l. c. ita prosequitur: « Audio Dominum commonentem: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* etc. »

Obi. VI. Concilium *Tridentinum* (3) damnat errorem Calvini et Lutheri asserentium, mandata Dei esse homini iusto impossibilia non quia gratia illi saepe deest, sed quia concupiscentia inquinat omnia iustorum opera: ergo ex hoc canone probari nequit, gratiam iusto nunquam deesse.

Resp. Concilium damnat omnes illos, qui quocunque demum ex capite asseruerint, mandata Dei esse homini iustificato hic et nunc impossibilia. Ergo cum Ianseniani asserant, ex defectu gratiae mandata Dei esse homini iustificato hic et nunc impossibilia, iam praedamnati fuerunt a Tridentino. Praeterea absurdum illum Lutheri et Calvini errorem fabulantium, iustum in omni opere peccare, damnavit S. Synodus can. 25 eiusdem sessionis: ergo hunc ipsum errorem non proscripsit can. 18. Concilia enim non solent eundem prorsus errorem pluribus canonibus confodere, praecipue in eadem sessione. — Denique ipsae rationes, quibus Tridentinum cap. 11 veritatem catholicam confirmat, manifeste ostendunt, mandata divina eo ex capite esse possibilia homini iustificato, *quia gratia sufficiente non destituitur;* dicitur enim, mandata divina non esse impossibilia, *quia Deus iubendo monet facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis... quia mandata eius gravia non sunt.... quia Deus sua gratia semel iustificatos non deserit* (4).

(1) Rom. 7, 13-24. (2) Ibid. v. 24 etc.
(3) Sess. 6, can. 18.

II. *De peccatoribus nondum obduratis.*

§ 443. Quicunque, postquam per fidem et baptisma iustificatus fuit, graviter delinquit, gratia sanctificante privatur, inimicus Dei et aeternae damnationis reus constituitur (§ 243). Certum pariter est, peccatorem sine gratia divina statum peccati deserere, poenitentiam agere et in statum iustitiae transire non posse (§ 421). Quaeritur iam, an Deus huiusmodi peccatoribus, qui nec infideles, nec omnino obdurati sunt, gratias vere sufficientes impertiatur, quibus a peccatis resipiscere et in viam salutis redire possint. Ad hanc vero quaestionem affirmative respondendum esse, communis est Theologorum sententia: unde recte haec propositio statuitur: Deus omnibus fidelibus peccatoribus non obduratis gratias sufficientes tribuit, quibus a peccatis resipiscere, poenitentiam agere et Deo reconciliari possint; quae propositio non ita accipienda est, quasi Deus singulis quibusvis momentis gratias conferat, sed pro loco, tempore, caeterisve adiunctis, in quibus Deo placuerit, illas concedere. Pro-

(4) Cf. Tournely de grat. Chr. qu. 8. a. 1.

positionis autem veritatem probant *S. Scriptura*, et *Traditio*, et *ratio theologica*.

1. *S. Scriptura* misericordiam Dei erga peccatores frequenter praedicat (§ 51), et varia in ipsa testimonia inveniuntur, ex quibus eruitur, Deum illis, qui per peccatum ex statu gratiae exciderunt, auxiliis suis adesse, quibus a peccatis resipiscere, seriamque poenitentiam agere possint. Siquidem Ezech. (1) legitur: *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* et ibid. (2): *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini domus Israël?* — Cum autem homo sine gratia actuali converti non possit, irrisoria, ut ait *Bellarminus* (3), seu ironica esset exhortatio Dei ad conversionem, quae pro peccatore gratia destituto impossibilis esset, et Deus, si sufficientia ad conversionem perficiendam auxilia negaret, recte diceretur velle mortem impii, quam se nolle iuramento affirmat. Admittendum ergo est, peccatoribus sufficientes saltem gratias, qua converti possint, conferri. Similes ad conversionem peccatorum exhortationes etiam in aliis Prophetis inveniuntur, ut Is. (4), Osee (5), Ioël. (6); neque praeterire licet verba Dei Ierem. XXXV, 15: *Convertimini unusquisque a via sua pessima, et bona facite studia vestra;* ex quibus patet, unumquemque peccatorem, saltem fidelem et non obduratum, ad conversionem excitari, ac ideo etiam sufficiente gratia donari. — Plura hac de re testimonia leguntur in libro Sapientiae, in quo (7) dicitur: *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam*, id est, ultionem differs, ut resipiscendi tempus peccatoribus relinquas (8): *Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti:* ac ideo peccatorum vis conversionem, iisque ad hanc perficiendam sufficientia auxilia praebes; dilectio enim tua gratiarum collatio est (9): *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* Item (10): *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis et, de quibus peccant, admones et alloqueris, ut, relicta malitia, credant in te, Domine:* quae verba clare ostendunt, Deum illos, qui peccant, non deserere; sed talia ipsis auxilia praebere, quibus a malitia sua recedere, et ad Deum converti possint. — In N. T. Christus ait: *Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam* (11); quibus verbis Christus docet, se ut Redemptorem venisse, non solum ut Deo pro peccatis satisfaceret, sed etiam, ut redemptionis suae merita peccatoribus applicet, eos ad poenitentiam vocando. Talis autem vocatio gratiam internam supponit, sine qua externa salutarem effectum producere nequit. Recte ergo dicitur, quovis tempore peccatoribus gratiam vocationis concedi, quoniam immutabilis est *Iesus Christus heri, et hodie, ipse et in saecula* (12). Et sane hac de causa (13) Christus se bono comparat pastori, qui si perdiderit unam ex ovibus, *vadit ad illam, quae perierat, donec inveniat eam;*

(1) Cap. 18, v. 23. (2) C. 33, v. 11.
(3) L. 2 de grat. et lib. arb. c. 5.
(4) C. 1, v. 16, et 55, 7. (5) C. 14, v. 2 etc.
(6) C. 2, v. 12 etc. (7) Cap. 11, v. 24.
(8) V. 25. (9) V. 27.
(10) Cap. 12, v. 1.
(11) Luc. 5, 31. (12) Hebr. 13, 8
(13) Luc. 15, 4 etc

qua similitudine praeclare ostenditur gratia, qua Deus peccatores praevenit, ut eos ad poenitentiam perducat. Ideo idem divinus Redemptor exclamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (1); unde sic argumentamur: Non potest peccator converti, neque ad Christi sinum se recipere, nisi per gratiam; Christus autem omnes homines, praecipue miseriis et peccatis oneratos ad se vocat: ergo peccatoribus omnibus, saltem fidelibus et non obduratis gratiam conversionis impertitur. Hoc idem docent Apostoli. Petrus (2) inquit: *Patienter agit (Dominus) propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Et Paulus (3) ait: *An divitias bonitatis eius, et patientiae, et longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis iusti iudicii Dei;* quae verba commonstrant, non solum Dei longanimitatem peccatorum poenas diu diferre, sed etiam benignitatem divinam iisdem auxilia conferre, quibus ad poenitentiam adducantur.

2. *Ss. Patres* passim Dei misericordiam praedicant, quae peccatores per gratias internas et externas ad poenitentiam vocat. Gratias istas copiose conferri, docet S. *Cyprianus* (4) scribens: « Non qui beneficiorum terrestrium mos est, in capessendo munere coelesti mensura ulla vel modus est. Profluens largiter spiritus nullis finibus premitur... manat iugiter, exuberat affluenter: nostrum tantum sitiat pectus et pateat; quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiae inundantis haurimus. » S. *Basilius* Hom. Exhort. ad baptis. totus in eo est, ut peccatores ad conversionem exhortetur, et inter alia dicit: « Nunc cum servus sis, non hominum, sed peccati, Redemptor te ad libertatem vocat, ut a servitute libereris,—et tu dicis, nondum adesse tempus dona divina acceptandi. O infelicia obstacula!... Si multa sunt peccata tua, ob multitudinem animo non concidas; nam *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia,* dummodo gratiam acceptare velis. Multum debenti multum remittitur, ut ardentius diligat... Ubi voluntas consentit, nullum adest impedimentum... Qui te vocat, amicus est hominum, cuius gratia copiose redundat. Esto consentiens, et impedimenta evanescent... Daemon nobis consulit, ut peccatum hodie committamus, iustitiam vero in crastinum differamus; Deus autem, ut impia ipsius consilia destruat, dicit: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* » Idem (5) exponens illud: *Diligit misericordiam et iudicium,* ait: « Deus ante iudicium diligit misericordiam, et post misericordiam procedit ad iudicium... Iudex vult tui misereri, teque miserationum suarum participem reddere. » S. *Ambrosius* (6) inquit: « Deus otiosum provocat et dormientem excitat. Qui enim venit et ianuam pulsat, semper vult intrare... Illud verum lumen omnibus lucet... et si possit intrare, non vult tamen importunus irruere, non vult invitos cogere. » Paria habet S. *Hilarius* (7) scribens: « Stat ad ostium Verbum Dei et pulsat ostium animae nostrae... vult ergo semper introire... Ipse quidem, ut

(1) Matth. 11, 28. (2) 2 Ep. 3, 9.
(3) Rom. 2, 4 etc. (4) Epist. 1.
(5) Hom. in Ps. 32, v. 5.
(6) In Ps. 118, Serm. 12, n. 13.
(7) In Ps. 118, lit. 12, n. 5.

illuminet promptus est; sed lumen sibi domus ipsa, obseratis aditibus, excludit.» — *S. Chrysostomus* (1) ad Theodorum lapsum cum dixisset, homines hincinde foeminarum in lupanar deductarum misereri, easque a foeda ignominia liberare, ita prosequitur: « Quod si tanta est apud homines misericordia... quanto maior apud Deum erit erga animas, quae per tyrannidem diaboli a prisca illa nobilitate in praesentis vitae lupanar deductae sunt? —... Et si Deus (Hierosolymam) saepe conspurcatam libidine, a poenitentia non exclusit, multo magis animam tuam amplexabitur, quae nunc primum lapsa est. Nemo enim, nemo corporeae amator formae, quantumlibet insanus, tanta amicae suae ardet concupiscentia, quanto studio Deus animarum nostrarum appetit salutem. quod tum ex iis quae quotidie accidunt, tum ex divinarum Scripturarum dictis videre licet. » *S. Augustinus* (2) ait: « *Misericors Dominus* vocat undique ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam, vocat beneficiis creaturae, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis. *Longanimis et multae misericordiae.* Sed observa, ne longitudine misericordiae Dei male utendo tu tibi thesaurizes, quod ait Apostolus, iram in die irae. » Idem alibi (3) scribit: « Cum ubique sit praesens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentes adhortetur, conantem adiuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, neque illud, quod vulnerata membra non colligis; sed quod volentem sanare contemnis.» *S. Prosper* (4) inquit: « Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat. » Idem, seu Auctor librorum de vocat. Gent. (5) dicit: « Credimus, nullis hominibus opem gratiae in totum fuisse subtractam; » et (6) addit: « Quae beneficia, licet obduratis nihil remedii attulerint, probant aversionem illorum non divinae fuisse constitutionis, sed propriae fuisse voluntatis.» Concilium *Coloniense I*, anno 1536 (7), ita loquitur: *Quamquam nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem; attamen nemo hic excusationem praetexat*, quod non trahatur: quod ille semper stet ante ostium *pulsans, nimirum per internum et externum verbum commonens, ut convertamur a via nostra pessima.* Concilium *Tridentinum* adversus Lutherum et Calvinum negantes, posse quemlibet poenitentiam agere, haec habet: *Qui accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum, excitante Deo, per poenitentiae Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint.* Pro certo igitur habet Concilium, peccatoribus omnibus praesto esse divinae gratiae subsidium, quo ipsi possint a peccato resipiscere.

3. *Ratio theologica* petitur ex gratiis externis quae ad peccatorum conversionem ordinantur. Ad hanc ordinatur *verbum Dei*, quod publice annuntiandum est; unde in Is. (8) dicitur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta*

(1) Exhort. 1, n. 13.
(2) En. in Ps. 102, n. 16.
(3) L. de nat. et grat. cap. 67, n. 80.
(4) Resp. 15 ad Obiect. Vincent.
(5) Lib. 1, c. 21. (6) L. 2, c. 28.
(7) P. 7, cap. 32. (8) Cap. 58, v. 1.

vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum (1). Ad eandem promovendam praescribitur *correctio fraterna*, dicente Christo: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum* (2) etc. Denique *Sacramentum poenitentiae* ideo institutum est, ut peccatores e statu peccati ad statum iustitiae transferantur. Certum est autem, nec verbum Dei praedicatum, nec correctionem fraternam salutares effectus producere posse, si Deus internam peccatoribus gratiam non impertiatur; imo etiam sacramentum poenitentiae iustificationem non conferre, nisi gratia interna in peccatoribus supernaturalem contritionem et firmum emendationis propositum produxerit. Quod si Deus peccatoribus, etiam fidelibus et non obduratis, gratias internas negaret; ipsa conversionis media inutiliter instituta essent, quod sapientiae et bonitati divinae repugnat. Dicendum igitur est, gratias conversionis internas omnibus peccatoribus fidelibus conferri, sicuti externa conversionis media pro omnibus instituta sunt. Et sane quomodo Ecclesia peccatores ad resipiscentiam exhortari atque omnibus fidelibus saltem semel per annum sacramenta poenitentiae et eucharistiae suscipiendi officium iniungere posset, si peccatorum quidam ob defectum gratiae necessariae resipiscere et ad digne suscipienda sacramenta se praeparare non possent? —

Nota 1. Ex dictis patet, peccatoribus fidelibus non obduratis gratiam, saltem sufficientem, conferri, per quam ad Deum converti et iustificari possint. Quaestio autem de iisdem movetur, an, quamdiu in statu peccati versantur, gratiam sufficientem habeant ad divina praecepta observanda? Iustis hanc gratiam non deesse, fides catholica docet (§ praec.): an autem hoc idem de peccatoribus dicendum erit, qui temeraria legis transgressione gratiis divinis se indignos reddiderunt? — Ast ad hanc quoque quaestionem affirmative respondendum esse, sat firma argumenta ostendunt. Nam (3) ad Cain invidia tabescentem et ira frementem Deus ipse dixit: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius:* ex quibus verbis *S. Augustinus* (4) et Auctor de vocat. Gentium (5) inferunt, Cain, qui per malos affectus iam a Deo recesserat, inordinatos concupiscentiae motus refraenare et legem divinam implere potuisse, ac ideo necessariam ad hoc gratiam habuisse. Deut. XXX, 11 etc., Deus populo israëlitico, in quo peccatores quoque extitisse indubium est, dicit: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est* etc.; his verbis satis manifestans, non solum iustis, sed et peccatoribus non deesse gratiam, qua praecepta divina possibilia fiant. Quamobrem *Tertullianus* (6) ait: « Non poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic et in posteris legibus Creatoris invenias, proponentis ante hominem bonum et malum, vitam et mortem: sed nec alias totum ordinem disciplinae per praecepta di-

(1) Cf. Ier. 23, 29; Ezech. 33, 6-10; Hebr. 4, 12. (2) Matth. 18, 15.
(3) Gen. 4, v. 5. & c.

(4) L. 1 ad Simplician. q. 2.
(5) L. 2, c. 5.
(6) L. [illegible] Marc. cap. 5.

spositum, avocante Deo, et minante, et exhortante, nisi et ad obsequium et ad contemtum libero et voluntario homine.» Iuxta mentem ergo *Tertulliani* peccatores gratiam habent, qua debita Deo obsequia praestare possunt. Dein etiam quoad peccatores vera esse debent Christi verba, quibus affirmat: *Iugum meum suave est et onus meum leve*, tum Ioannis effatum: *Mandata eius gravia non sunt;* iam vero nec suave reddi potest peccatoribus Christi iugum, nec onus mandatorum eius leve, nisi per gratiam, qua praeveniuntur et adiuvantur atque per orationem uberiora auxilia obtinere possunt, dicente Christo ad omnes: *Petite, et dabitur vobis* etc. Hinc Ss. Patres et Concilia docent, sufficientem ad mandata divina observanda gratiam omnibus concedi, atque ideo hanc ne peccatoribus quidem deesse. *Innocentius I* (1) scribit: « Quotidiana (Deus) praestat illi (homini) remedia, quibus, nisi freti confisique nitamur, nequaquam humanos vincere poterimus errores.» *S. Augustinus* (2) ait: « Neminem peccare in eo, quod nullo modo caveri potest: peccatur autem; caveri igitur potest, sed opitulante illo, qui non potest falli. » *S. Leo M.* (3) inquit: « Iuste instat praecepto qui praecurrit auxilio.» Concilium *Valentinum III*, anno 855 (4), dicit: *Malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt. Senonense*, anno 1528 (5), haec habet: *Neque tamen tanta gratiae necessitas libero praeiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem praetereat, in quo Deus non est ad ostium et pulsat.* Denique *Tridentinum* (6) de iustif. dicit: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat, ut possis.* Certum autem est, ad observanda mandata divina etiam peccatores obligari: quod si in genere verum est, Deum impossibilia non iubere, rectissime infertur, peccatores quoque gratiam ad observanda mandata divina necessariam aut habere, aut per orationem obtinere posse.

Nota 2. Doctrinae propositae sequentia opponi solent:

Obi I. S. Scriptura testatur, non omnibus peccatoribus poenitentiae salutaris gratiam concedi. Nam Eccli. VII, 14 legitur: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit;* ergo dantur peccatores, qui a Deo despecti et derelicti corrigi salutaremque poenitentiam agere nequeunt. Christus ipse apud Matthaeum inquit: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo neque in futuro* (7): ac ideo blasphemo in Spiritum sanctum gratia quoque conversionis negatur. Paulus Hebr. VI, 4 etc. ait: *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati.... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam;* et ibid. (8): *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia;* dantur ergo etiam peccatores fideles, qui salutariter poenitere nequeunt.

Resp. Cum S. Scriptura, quae sibi contradicere nequit, in locis supra citatis clarissime testetur, cunctis peccatoribus, saltem fidelibus et non

(1) In Epist. ad Concilium Carthaginense.
(2) L. de nat. et grat. c. 67.
(3) Serm. 16, de Passione Dom. cap. 6.
(4) Can. 2. (5) Par. 13 in decretis fidei c. 1.
(6) Sess. 6, cap. 11.
(7) C. 12, 32. (8) C. 10, 26.

obduratis, conversionis gratiam concedi, sequitur, eiusdem testimonia in obiectione adducta non in adversariorum sensu intelligenda esse. Et sane alium sensum praeseferunt, si iuxta lineam traditionis exponantur. — Verba Eccli. VII, 14 cum *S. Hieronymo* et aliis de vitiis naturalibus intelligenda sunt, ita ut sensus eorum sit: Si hominem aliquo naturae vitio laborantem nasci permiserit Deus, omnes medicorum artes minime illi reddent, quod illi non dedit Deus. Quodsi eadem verba a nonnullis vitiis moralibus applicantur, eorundem sensus est: Omnium hominum conatus non convertent impium, quem Deus gratiae suae beneficio non instruxerit; unde recte verba haec prolata dicuntur ad necessitatem gratiae adstruendam et non ad subtractionem gratiae indicandam. — In textu Matth. (1) per blasphemiam in Spiritum sanctum *Athanasius*, *Hilarius*, *Hieronymus* et alii Patres intelligunt malitiosam impugnationem veritatis fidei sufficienter manifestatae, quae irremissibilis dicitur, non quod ea absolute remitti non possit, sed quia difficillime remittitur, subtrahente plerumque Deo gratias efficaces, ut docent *S. Chrysostomus* (2) et *S. Ambrosius* (3). Exinde autem non sequitur, huiusmodi peccatori ne gratias quidem sufficientes concedi; sed Christus solummodo innuit eum qui veritatem agnitam impugnat et non solum dona, sed et personam Spiritus sancti contemnit, gratias quoque negligere, quibus a Spiritu sancto ad poenitentiam vocatur, impoenitentem manere ac ideo neque in hoc saeculo, neque in futuro remissionem obtinere. — Hebr. VI, 4 iuxta *S. Chrysostomum*, *S. Ambrosium*, *S. Hieronymum*, *S. Augustinum*, *Theodoretum* et alios (ap. *Calmet*) Paulus docet, eos, qui semel baptismate initiati sunt, criminumque veniam impetrarunt, novum alterum aquae baptismum non manere, adeoque plane fieri non posse, ut novam peccatorum expiationem obtineant adeo facilem pronamque, uti prius, cum per baptismum intra christianae Religionis adyta admissi sunt. Non excludit autem hic Apostolus baptismum lacrymarum et poenitentiae, quo commissa post regenerationem crimina expientur; ipse enim non semel id alibi commendat, virumque Corinthium, incesti reum, qui censura mulctari meruit, in Ecclesiam recepit; ac ideo etiam gratias non excludit, quibus peccatores a misericordissimo Deo ad poenitentiam agendam excitantur et adiuvantur. Alii autem Interpretes verba Pauli de apostasia a fide intelligunt et Apostolum docere dicunt, difficillimum esse, ut apostatae resipiscant. Vox enim illa *impossibile* denotare non potest impossibilitatem absolutam, sed moralem tantum, seu magnam difficultatem, cum certum sit, et Ecclesia contra Novatianos definierit, nullum peccatum absolute esse irremissibile, sed per poenitentiam deleri posse quamcunque iniquitatem: ex quo recte colligitur, quemlibet peccatorem ad poenitentiam obligari et per gratias remote saltem sufficientes vocari. — Eadem responsio danda est quoad alterum locum Hebr. X, 26, nam sensus horum verborum est. Quemadmodum Christus iterum mori non potest; ita et vos iterum ablui baptismo, mortis Christi symbolo, non potestis; quippe qui cum eo aquis salubribus sepulti estis, atque in vitam quodammodo revocati, dum una cum Christo ex iis

(1) C. 12. 32. (2) In hunc locum. (3) L. 2 de Poenit. cap. 4.

aquis emersistis: ubi iterum non negatur altera tabula, per quam peccatores salvari possunt, seu poenitentia, ad quam rite peragendam intuitu meritorum Christi gratiae saltem sufficientes peccatoribus conceduntur. Interpretes vero qui Apostolum etiam in isto loco de defectione a fide loqui putant, eundem affirmare contendunt, voluntarie peccantibus, seu apostasiae pertinaciter inhaerentibus, non relinqui hostiam, seu ipsam mortem Christi inutilem reddi; ipsum vero non negare, quod iisdem gratiae sufficientes dentur, quibus excitati et adiuti, ab apostasia revocari et ad Deum converti possint.

Obi. II. Ss. Patres passim docent, gratiam non omnibus concedi. *S. Augustinus* (1) dicit: «Scimus, gratiam non omnibus hominibus dari. Scimus, eis quibus datur, misericordia Dei gratuita dari. Scimus, eis quibus non datur, iusto iudicio Dei non dari.» Et alibi (2) de gratia Adamo innocenti concessa (quae sufficiens dumtaxat erat) ait: «Nunc, quibus deest tale adiutorium, iam poena peccati est.» *S. Prosper* (3) canit: « Dic unde probes, quod gratia Christi nullum omnino hominem de cunctis, qui generantur, praetereat, cui non regnum vitamque beatam impertiri velit?» — Praesules Africani in Sardinia exules, in Epist. synod. aiunt, « de gratia non digne sentire, quisquis eam putat, omnibus hominibus dari.» Quodsi gratia non omnibus hominibus datur, certe ea vel maxime peccatoribus negatur, qui peccando ea se indignos reddiderunt.

Resp. Ss. Patres citati toti in eo erant, ut impugnarent errores Semipelagianorum, qui contendebant, Deum gratia sua semper omnibus praesto esse, neque expectare, nisi naturales conatus nostrae voluntatis ad eam conferendam. Dicunt igitur, non dari gratiam omnibus ad sensum Semipelagianorum, idest, non dari omnibus aequaliter, aut propter initium fidei, quod ex solis naturae viribus concipiatur; minime autem negant, gratiam sufficientem dari omnibus in sensu catholico, ut superius a nobis probatum fuit.— Praeterea Patres hinc inde per gratiam, quae non omnibus conceditur intelligunt gratiam iustificantem seu gratiam baptismi: ita *S. Augustinus* saepius dicit, « naturam esse communem, non autem gratiam,» ubi nomine gratiae non actualem intelligit, sed gratiam iustificantem aut baptismum; de proxime enim baptizandis (4) ait: « quod accessuri sint ad gratiam,» et l. I de pecc. merit. et remis. (5), « praedicare gratiam idem est ei, quod fidem annuntiare.» *Innocentius I* de illis in Epist. 3 loquitur, « qui post acceptam gratiam (id est, postquam baptizati fuerant) in forensi exercitatione versati sunt.» *Leo M.* (6) « de die legitimo celebrandae gratiae,» id est, conferendi baptismatis loquitur. Denique Patres quandoque per gratiam, quae non omnibus communis est, intelligunt gratiam efficacem seu perfectam, quae cum actu salutari coniuncta est, seu ipsam salutem aeternam operatur; non autem ideo negant, gratiam remote saltem sufficientem omnibus adesse. Ita *S. Augustinus* (7) Monachis Adrumetinis querulis immerito se corripi, eo quod id non facerent, ad quod faciendum gratiam non perceperant, respondens, non ne-

(1) Ep. 217 (al. 107) ad Vital. cap. 5
(2) L. de corrept. et grat. cap. 11.
(3) Carm. de ingratis cap. 1.
(4) L. 8 confes. cap. 2.
(5) Cap. 22. (6) Epist. 18.
(7) l. de corrept. et grat. c. 2, n. 4.

gat gratiam efficacem hincinde hominibus deesse, sed apertissime declarat, gratiam saltem remote sufficientem ipsis adesse, ita ut mediante oratione gratiam efficacem obtinere valeant; ait enim: « Aguntur (Spiritu Dei) ut agant, non ut ipsi nihil agant; et ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant, ut quando id agunt, sicut agendum est... accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent, ut quod nondum habent accipiant.» Verum equidem est, peccatores gratia divina indignos esse; sed observare oportet, Deum gratiam distribuere non secundum dignitatem nostram, sed secundum benignitatem et misericordiam suam, hanc vero tantam esse, ut etiam peccatoribus gratias saltem sufficientes conferat, quod allata iam argumenta commonstrant.

Obi. III. Ideo statuitur, Deum peccatoribus gratia sufficiente adesse quoties urget praeceptum, quia alioquin praecepta forent impossibilia, nec ad culpam imputari posset illorum transgressio: atqui contrarium plane docet S. *Augustinus*, siquidem in lib. de perfect. iustit. (1) inquit: « Cum videmus claudum, qui sanari potest, recte utique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione et si debet, potest. Nec tamen, cum vult, continuo potest; sed cum fuerit adhibita curatione sanatus et medicina adiuverit voluntatem: » ergo iuxta S. Doctorem, ut mandata alicui possibilia dicantur, satis est, quod ea sint in se possibilia et quod gratiam, qua mediante illa valeat observare, recipere possit, quamvis in praesenti statu illam non habeat. Atque ideo talium praeceptorum transgressio recte ipsi in culpam imputatur; nam idem S. *Augustinus* docet, nonnulla esse mala, quae caveri non possunt et tamen vera sunt peccata; ait enim l. c. (2): « Peccatum est cum vel non est charitas quae esse debet, vel minor est, quam debet; sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia, si potest, praesens voluntas hoc facit; si autem non potest, praeterita voluntas hoc fecit; » ac demum de lib. arb. (3) generatim pronunciat: « Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere, et non potest. » Cum vero ab hac doctrina recesserit Pelagius, eius articulus damnatus est in Concilio *Diospolitano* asserens: « Oblivionem et ignorantiam non subiacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem » (4). Admitti ergo nullatenus potest, omnibus peccatoribus gratias sufficientes ad observanda divina praecepta conferri.

Resp. Locis ex S. *Augustino* allatis opponimus alia eiusdem testimonia, in quibus apertissime docet, Deum impossibilia non iubere, sed iubendo admonere et facere quod possis, et petere quod non possis. S. Doctor enim, constanter suae doctrinae inhaerens, negat quidem, omnibus semper gratiam efficacem vel proxime sufficientem ad observanda divina praecepta concedi; admittit autem, imo propugnat, omnibus semper praesto esse gratiam saltem remote sufficientem seu gratiam orationis, per quam gratiam efficacem obtinere possint; quod si negligant, ipsos in culpa esse, et transgressionem mandatorum ipsis recte imputari. Neque alia doctrina ex locis in obiectione citatis erui potest. Nam quae oppo-

(1) Cap. 3, n. 5.
(2) Cap. 6, n. 15.
(3) L. 3, c. 18, n. 15. (4) Ap. Aug. lib. de gestis Pelagii cap. 18, n. 42.

nuntur ex l. de perf. iust. (1) magis favent quam nocent assertioni nostrae. Claudus enim ille, de quo S. Doctor loquitur, potest sanari a claudicatione, si peritum adire medicum voluerit: ita et potest quilibet homo sanari a peccato, si ad Christum, supremum animarum medicum, per orationem confugere voluerit. Aliquid ergo possibile est, saltem mediate per orationem, ad quod immediate et proxime praestandum nondum vires habentur. In altero loco eiusdem libri (2) *S. Augustinus* loquitur de eo, quod non potest vitari, non quidem absolute, sed ex hypothesi, quia, ait *Bellarminus* (3), non potest vitari dominante prava cupiditate, sed potest per gratiam Dei dominatus cupiditatis auferri, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore. Certe qui odit aliquem, non potest illi ex animo benefacere, durante odio; tamen absolute potest, quia potest odium deponere. Sic intelligitur illud Evangelii (4): *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ad invicem accipitis?* et illud Prophetae Ier. (5): *Quomodo vos potestis benefacere, cum didiceritis mala?* Sicut etiam intelligit *S. Augustinus* illud Io. (6), *non poterant credere, quia dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum.* Et hunc sensum innuit ipse *Augustinus* in eo loco, qui obiicitur: « Et tamen, inquit, vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adiuvatur: » id est, vitari quidem non potest stante superbia, seu, ut aiunt, in sensu composito superbiae: at cum illa superbia deponi possit per gratiam, quae non deest, idcirco merito asserit S. Doctor, vitari posse illud peccatum. In loco de lib. arb. (7) *S. Augustinus* non loquitur de peccato, quod sit ex necessitate et tamen vere imputetur ad culpam, seu non loquitur de peccato proprie ac formaliter dicto, sed improprie de motibus indeliberatis concupiscentiae, qui peccata dicuntur, quia a peccato sunt, nempe originali, et ad peccatum inclinant, quem sensum eius verba praecedentia et subsequentia manifestant. Denique Concilium *Diospolitanum* hoc unum statuit contra Pelagium, ignorantiam, quae per naturam non potest vinci sed per gratiam, subiacere peccato, quia in potestate hominis est, per orationem impetrare gratiam, qua illuminentur tenebrae nostrae. Pelagiani enim eam tantum ignorantiam culpabilem esse volebant, quae naturae viribus depelli posset (8).

(1) Cap. 3. (2) Cap. 6.
(3) L. 2 de grat. et lib. arb. cap. 8.
(4) Io. 4, 44. (5) C. 13, 23. (6) C. 12, 40.
(7) L. 3, c. 18. (8) V. Tournely de grat. q. 8, art. 2; Perrone l. c., n. 398 etc.
(9) L. 1 de consid. c. 2, n. 3.

III. *De peccatoribus excaecatis et obduratis.*

§ 444. Quamvis Deus pro infinita misericordia sua peccatores tum internis, tum externis vocibus ad poenitentiam vocare dignetur; multi tamen vocationi divinae temere resistentes a via iniquitatis desistere recusant. Quo longiori autem tempore inordinatis suis passionibus indulgent, eo minus lugendam status sui miseriam agnoscere, eoque difficilius a vitiis suis retrahi solent. Tales iam peccatores excaecati et obdurati nominantur, quos graphice depingit *S. Bernardus* (9) dicens: « Quid ergo cor durum? Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur: ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia saevum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pe-

ricula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, praeteritorum obliviscens, praesentia negligens, futura non providens.» Quaestio igitur est, utrum ab huiusmodi hominibus excaecatis et induratis omnis penitus subtrahatur gratia sufficiens, qua paullatim duritiem mentis deponere seriamque poenitentiam agere possint, an vero saltem levis quaedam coelestis aura ipsis interdum aspiret, subluceat veri notitia et amor recti arrideat. Qua in controversia duplex generatim est opinio: affirmat una, negat altera et pro utraque sententia gravia proponi solent argumenta. Istae vero duae sententiae conciliari posse videntur, si dicatur, peccatoribus excaecatis et obduratis *multas quidem gratias subtrahi seu negari*, sed nihilominus *aliquas ipsis gratias, remote saltem sufficientes, concedi*, ita, ut eorundem conversio valde quidem difficilis, sed nullatenus plane impossibilis dicenda sit.

A. *Peccatoribus excaecatis et induratis multae gratiae subtrahuntur.*

§ 445. Propositio haec sat luculentis *S. Scripturae* et *Ss. Patrum* testimoniis probatur.

1. *In S. Scriptura* Deus peccatores vocationi suae resistentes excaecare et indurare dicitur; ut Ex. (1) legitur: *Induravit Dominus cor Pharaonis;* et Io. XII, 39 etc.: *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias* (2): *Excaecavit oculos eorum et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde et convertantur et sanem eos:* Deus autem non excaecat et indurat, impertiendo malitiam, quod sanctitati eius repugnaret, sed subtrahendo gratiam, per quam intellectus illustratur et voluntas ad bonum inclinatur; unde *S. Augustinus* (3) scribit: « Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.» Certum est ergo, Deum gratias illis subtrahere, qui vocationi divinae pertinaciter resistunt. Hoc idem Deus ipse praedixit ore Isaiae cap. V, ubi postquam sub figura vineae, quae loco uvarum fecit labruscas, exposuit nefandam populi iudaici pro acceptis beneficiis ingratitudinem, ita concludit v. 5 etc.: *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineae meae: auferam sepem eius, et erit in direptionem; diruam maceriem eius, et erit in conculcationem et ponam eam desertam; non putabitur, et non fodietur et ascendent vepres et spinae, et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Quae verba de spirituali derelictione seu de gratiarum subtractione Patres intellexerunt. Etenim *S. Hieronymus* (4) inquit: « Tollitur Dei auxilium ab his, qui indigni sunt, ut, quia non senserant Deum per beneficia, sentiant per supplicia.» *S. Cyrillus Alex.* (5) ait: « Dimittam vineam meam, non putabitur, non fodietur,» id est, nulla ei cura impendetur, quae eam possit corrigere et in melius reducere. Demum *S. Thomas* (6) scribit: « Auferam sepem eius, id est, auxilia Angelorum, quibus contra hostes protegebatur... Non putabitur admonitionis aut correptionis vomere, quando peccat etc.:» quae omnia satis dilucide ostendunt, peccatores obstinatos et induratos illis gratiis privari, quibus alii ad salutem suam perducuntur. Ier. LI, 9 Deus ita loquitur: *Curavimus Babylonem et non est sanata; derelinquamus eam;* quae verba interpretatur

(1) Cap. 9, v. 12. (2) C. 6, v. 9.
(3) L. 2 quaest. in Exod. q. 23, c. 194, n. 14.
(4) L. 2 in Is. 5, 5 etc.
(5) Comm. in Is. l. 1, Orat. 3.
(6) Expos. in Isa. cap. 5.

Hieronymus (1) de subtractione gratiarum divinarum, proferens exemplum medici, qui videns infirmitatem resistentem remediis adhibitis, aegroto nulla alia medicamenta ministrat. Christus ipse in fine parabolae de talentis ait: *Omni habenti dabitur et abundabit; ei autem, qui non habet et quod videtur habere, auferetur ab eo* (2). Sicuti igitur illi, qui gratiis divinis bene utitur, novae conceduntur, ita auxilia divina illi subtrahuntur, qui accepta per malae suae voluntatis resistentiam inutilia reddit. Denique Paulus de illis, qui *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* etc. (3) dicit: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam* etc.: provocatus nempe illorum contemptu et nequitia Deus, probrosissimis illos affectibus tradidit, nova in flagitia ruere passus est, non impellens certe aut ducens, inquit *S. Augustinus* (4), sed auxilia non largiens ipsosque sibi relinquens: belli ducis instar, ait *S. Chrysostomus* (5), seditiosam militum cohortem ibi destituens, ubi praelium gravius est, seu, ut loquitur *Theodoretus* (in h. l.) more nautae, navim in mediis fluctibus relinquentis, necessario pondere destitutam quo in aestu regatur. Ex ipsa ergo S. Scriptura constat, peccatoribus excaecatis et obduratis multas gratias subtrahi, nempe gratias efficaces et proxime sufficientes, imo et protectionem externam, quae pericula removet, e malis liberat etc.

2. *Ss. Patres* cum doctrina S. Scripturae apprime concordant. *S. Augustinus* (6) in illa verba: *excaecavit oculos eorum* etc., inquit: « Sic enim excaecat, sic indurat Deus, deserendo et non adiuvando: quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest. » Lib. 5 c. Iulian. (7) scribit « Caecitas cordis, quam solum removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur, et poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, et causa peccati, cum mali aliquid caeci cordis errore committitur. » Enar. in Ps. CXLVII (8) ait: « Ecce (Deus) deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam. » Lib. de nat. et grat. (9): « Nec cogitat, praevaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis, qua desertus utique fit caecus, et plus necesse est, ut offendat, et cadendo vexetur vexatusque non surgat; » et, paucis interpositis, pergit: « Utique ista obscuratio vindicta et poena iam fuit, et tamen per hanc poenam, id est, per cordis caecitatem, quae fit deserente luce sapientiae, in plura et gravia peccata prolapsi sunt. » Lib. de perf. iust. (10) asserit: « desertum omni lumine veritatis velle non posse. » Denique l. XVII, quaest. in Matth. (11) dicit: « Cogimur fateri, aliis quibusdam peccatis ita eos excaecari meruisse, qua tamen excaecatione non potuerunt credere. » *S. Cyrillus Alex.* (12) inquit: « Si Deus nos iniuriam facere volentes relinquat et cura superna nudet et destituat, in omnium malorum discrimen veniemus, et quivis nos ac bona nostra facile invadet. » *S. Prosper* (13) scribit: « Cum aliquos a Deo aut traditos desideriis suis aut obduratos legimus aut relictos; magnis peccatis suis hoc ipsos meruisse profitemur: quia talia eorum crimina praecesserunt, ut ipsi sibi poe-

(1) Comment. in h. l. (2) Matth. 25, 29.
(3) Rom. 1, 24. (4) L. 5 c. Iulian. cap. 3.
(5) Hom. 3 in Ep. ad Rom. n. 3.
(6) Tract. 53 in Io. (7) Cap. 3 n. 8.
(8) N. 26. (9) Cap. 22.
(10) C. 19, n. 41. (11) Q. 14, n. 3.
(12) In cap. 5 Isaiae.
(13) Resp. ad capitula Gallorum c. 11.

na fieri debuerint, quae eis etiam supplicium verteret in reatum. Atque ita nec de iudicio Dei querimur, quo deserit meritos deseri, et misericordiae eius gratias agimus, qua liberat non meritos liberari. » *S. Gregorius M.* (1) ait: « Omnipotens Deus humanum cor destruit, cum relinquit; aedificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Unde plerumque fit, ut cum audientis cor exigentibus culpis omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius a praedicatore moneatur. » *S. Thomas* (2) ita disserit: « Excaecatio et obduratio duo importat, quorum unum est motus animi humani inhaerentis malo et aversi a divino lumine, et quantum ad hoc Deus non est causa excaecationis, sicut non est causa peccati... Est autem considerandum, quod Deus est causa universalis illuminationis animarum secundum illud (3): *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* sicut sol est universalis causa illuminationis corporum aliter tamen et aliter: nam sol agit illuminando per necessitatem naturae, Deus autem agit voluntarie per ordinem suae sapientiae. Sol autem, licet quantum est de se, omnia corpora illuminet, si quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum, sicut patet de domo cuius fenestrae sunt clausae; sed tamen illius obscurationis nullo modo causa est sol; non enim suo iudicio agit, ut lumen interius non immittat, sed causa eius est solum ille, qui claudit fenestram. Deus autem proprio iudicio lumen gratiae non immittit illis, in quibus obstaculum invenit. Unde causa subtractionis gratiae est non solum ille qui ponit obstaculum gratiae, sed etiam Deus, qui suo iudicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus est causa excaecationis et aggravationis aurium, et obdurationis cordis. » Idem c. Gentes (4), cum multis rationibus ostendisset, Deum nemini esse causam peccati, explicat quaedam testimonia scripturarum, ex quibus videtur, quod Deus sit aliquibus causa peccandi, et dicit, « ea omnia intelligenda esse, quod Deus aliquibus non confert auxilium ad vitandum peccatum, quod aliis quibusdam confert. Hoc autem auxilium est non solum infusio gratiae, sed etiam exterior custodia, per quam occasiones peccandi homini ex divina providentia tolluntur et provocantia ad peccatum comprimuntur. Adiuvat etiam Deus hominem contra peccatum per naturale lumen rationis, et alia naturalia bona quae homini confert. Cum ergo haec auxilia aliquibus subtrahit pro merito suae actionis, secundum quod eius iustitia exigit, dicitur Deus eos obdurare vel excaecare. »

Nota. Ex citatis S. Scripturae et Ss. Patrum testimoniis sat manifestum est, peccatoribus, qui vocationi divinae diu resistentes iniquitatem sicut aquam bibunt, multas gratias intellectum illustrantes et voluntatem ad bonum moventes subtrahi, eosque ideo *excaecatos* et *obduratos* recte nominari. Neque putandum est, istis efficacia tantum auxilia negari. Nam si S. Scriptura et Ss. Patres nomine excaecationis et obdurationis non intelligerent, nisi subtractionem gratiae efficacis, omnes illi, quibus gratia efficax non tribuitur (ut saepe etiam iustis deest, dum in peccata labuntur), dicerentur excaecati et obdurati, quod est contra communem

(1) L. 11 Mor. n. 12. (2) 1 2, q. 79, art. 3. (3) Io. 1, 9. (4) L. 3. c 162

sensum: quapropter ut debita inter peccatores communes, et illos qui vere excaecati et obdurati audiunt, distinctio servetur, confitendum erit, istis praeter efficacia etiam alia auxilia divina subtrahi, nempe gratias proxime sufficientes, et protectionem divinam, qua tentator cohibetur, occasio peccati amovetur, terror incutitur, circumstantiae congruae ordinantur etc. Talium auxiliorum divinorum subtractio poena maxima dicenda est, validumque motivum manet, quo omnes legis praevaricatores salutari timore repleantur, ne vocationi divinae resistentes, gratias in vacuum recipientes et poenitentiam continuo differentes, in tristissimum excaecationis et obdurationis barathrum ruant. — Nimium autem procedunt, qui ex citatis S. Scripturae et Ss. Patrum testimoniis inferunt, peccatoribus excaecatis et obduratis omnes gratias sufficientes subtrahi, ita ut eorum conversio non solum perquam difficilis, sed etiam impossibilis dicenda sit (1). Adlegata enim testimonia satis verificantur si dicitur, peccatoribus obduratis gratias efficaces, proxime sufficientes aliosque favores subtrahi, illique ideo a gratia deserti appellantur, sicuti etiam nos in temporalibus quandoque dicimus, benedictionem divinam ab homine, qui continuis infortuniis premitur, penitus recessisse, quamvis vita aliisque beneficiis Dei communibus non destituatur. Imo hunc esse citatorum testimoniorum sensum, suadent alia S. Scripturae et Ss. Patrum loca, quae, ut mox videbimus haud obscure docent, non omnes gratias sufficientes peccatoribus obduratis negari, eorumque conversionem difficilem quidem, sed non impossibilem esse. — Imo ad sententias, quae sibi adversari videntur, conciliandas, iuvat etiam cum cl. *Antoine* (2) observare, quod non omnibus momentis, sed solum certis temporibus detur gratia sufficiens ad conversionem: dantur ergo tempora, quibus peccatores obdurati carent omni gratia sufficiente ad poenitentiam agendam; et his temporibus verificantur S. Scripturae et Ss. Patrum testimonia iam allata: dantur autem etiam tempora certa, quibus peccatores obdurati per gratias sufficientes ad poenitentiam agendam excitantur; et talia tempora dari, evincunt argumenta modo afferenda.

B. *Peccatoribus obduratis et excaecatis gratiae vere sufficientes conferuntur pro loco et tempore, quibus a peccatis resipiscere possint.*

§ 446. Negari profecto non potest, Deum cuius misericordia infinita, cuius iudicia incomprehensibilia et viae investigabiles sunt, hincinde etiam peccatoribus inveteratis gratias efficaces concedere, quibus illico convertuntur et e peccatoribus in sanctos mutantur, quod in *Magdalena*, in *Zachaeo*, in *Latrone in cruce*, in *Paulo* et in aliis factum fuisse constat. Ast de his miraculis gratiae, quae Deus operari potest, quae autem ordinarie non contingunt, hic sermo non est, sed solum quaeritur, an iuxta ordinariam divinae Providentiae oeconomiam peccatores excaecati et obdurati omni prorsus gratia destituantur, an aliquae saltem gratiae, quibus a peccatis resipiscere possint, ipsis concedantur? — Rectissime autem dicitur, etiam peccatoribus excaecatis et obduratis aliquas gratias vere sufficientes certis temporibus conferri, ut a peccatis resipiscant et poenitentiam salutarem agant. Id e-

(1) V. Gazzaniga P. I de grat. diss. 5, cap. 7, prop. 5, n. 341 etc.

(2) Th. dogm. de grat. c. 4, art. 3, § 3.

vincunt argumenta *ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus et ex rationibus theologicis* petita.

1. *S. Scripturae testimonia*, iam § 443, n. 1 allata, etiam ad praesentem propositionem probandam inserviunt, quia generatim misericordiam Dei erga peccatores ostendunt, nulla facta inter peccatores obduratos et non obduratos distinctione: ex quo recte colligitur, illos quoque a misericordia Dei, quae per gratias internas et externas peccatorum conversionem promovere satagit, non penitus et quovis tempore exclusos esse. Quaedam autem S. Scripturae loca in specie hic adduci merentur. Is. LXV, 2 etc. Deus dicit: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Populus, qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper* etc.; quo in loco de peccatoribus obduratis sermonem esse, dubitari nequit, et tamen ad istos Deus dicitur manus suas expandisse, id est, auxilia ad eorum conversionem promovendam praestitisse. Prov. I, 20 etc legitur: *Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam; in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua dicens: Usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea, quae sibi sunt noxia, cupient, et imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea. Quia vocavi et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* His verbis maxima sollicitudo describitur, qua misericors Deus illos quoque peccatores convertere studet, qui in malo obdurati sunt et vocationibus divinis obtemperare recusant. Exemplum huius misericordiae divinae exhibetur Sap. XII, 20, ubi de Chananaeis scelestissimis et obduratis hominibus dicitur: *Si inimicos servorum tuorum et debitos morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum, per quae possent mutari a malitia; cum quanta diligentia iudicasti filios tuos?* Si autem Deus peccatoribus istis induratis tempus et locum poenitentiae concessit, absque dubio gratias quoque sufficientes eis contulit, sine quibus tempus et locus ipsis prodesse non potuissent. Eandem misericordiam experti sunt Iudaei, quos S. Stephanus ita alloquitur: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus vos semper Spiritui sancto resistitis* (1). At illi Iudaei dici non poterant semper resistere Spiritui sancto, nisi quia a Spiritu sancto per gratiam internam excitabantur ad poenitentiam, quam tamen agere nolebant. Afferre etiam hic licet exemplum Christi, qui Iudam furem et proditorem post plurimas gratias neglectas tamen non penitus deseruit, sed ad eius conversionem varios conatus adhibuit. Paulus (2) adseverat, Deum maxime commendare suam benignitatem, patientiam et longanimitatem erga peccatores obduratos, eos identidem excitando ad poenitentiam per gratiam interiorem, cui resistendo augent mensuram suppliciorum in die iudicii. Denique omitti hic non potest textus II Petr. III, 9: *Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*, ubi nulla fit exceptio peccatorum, sed omnes ideoque etiam obdurati hoc textu comprehenduntur.

2. *Ss. Patres* quoque, dum misericordiam Dei erga peccatores commendant, peccatores obduratos ab

(1) Act. 7, 51 (2) Rom. 2, 4 etc.

ista penitus excludere non solent, ut patet ex eorum testimoniis § 443, n. 2 allatis. His sequentia addi merentur. *S. Chrysostomus* (1) in illa verba: *quoniam in saeculum misericordia eius*, ita loquitur: « Quid est, *in saeculum?* Non aliquando quidem beneficio afficit, aliquando vero recedit: neque modo miseretur, modo desinit, quod evenit in hominibus... At Deus non est huiusmodi, sed perpetuo miseretur, nec unquam cessat beneficio homines afficere. » *S. Paulinus* Carm. 5 de S. Ioann. Bapt. (2) ita extollit misericordiam Dei: « O Pater, o hominum rerumque aeterne Creator! quot gradibus parcit pietas tua? quis pater unquam sustinet erranti toties ignoscere nato? (peccator) redeat, quandoque libebit, in promptu venia est: sanctum patet ecce lavacrum, quod renovet vitam veteresque obliteret actus, quodque novos homines faciat. Quid quaerimus ultra? Et tamen ulterior venia est: violaverit ullus hoc quoque polluto prolapsus corpore donum, quamquam iam nimius longe processerit error, desinat et redeat: cum se damnaverit ipse, absolvi meruit; si poenitet, irrita culpa est. » *S. Ambrosius* (3) scribit: « Plena est terra misericordia Domini, quia omnibus est data remissio peccatorum, super omnes sol oriri iubetur » (scilicet sol gratiae): *S. Augustinus* (4) explanans verba Apostoli: *Tradidit illos in reprobum sensum*, haec habet: « Ea est caecitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est. Sunt enim tenebrae exteriores, quae magis ad diem iudicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. Penitus enim extra Deum esse, quid est, nisi esse in summa caecitate? » Ergo nemini omnis prorsus gratia subducitur in hac vita degenti, nec quispiam perfecta et absoluta obduratione et caecitate punitur. Neque obstant S. Doctoris testimonia § praec. n. 2 allata, in quibus non de perfecta et absoluta, sed de imperfecta et temporaria obduratione et excaecatione loquitur, quae per gratiam tolli potest, et homine non reluctante actu tollitur. Disputans enim cum Pelagianis, id propugnare conatur, hominem, si a gratia deseratur, omnino excaecatum et obduratum esse; non autem ideo contendit, dari homines a gratia penitus desertos. Contrarium potius ex ipso contextu patet; nam lib. 5 c. Iulian. c. 3. expresse dicit, caecitatem cordis solum removere illuminatorem Deum. Enar. in Ps. CXLVII, n. 26 cum desertionis effectus explicasset, ita prosequitur: « Quis seipsum liberabit, si ille deseruerit? et quis liberat? Gratia Dei per I. Christum D. N. » Dein huius gratiae effectus commendans erga vel durissimos peccatores, subdit, quod, etsi « congelaverint et crystallum facti fuerint, non erunt duri misericordiae Dei, emittet verbum suum et tabefaciet ea etc. » Lib. de nat. et grat. c. 22 illum penitus caecum et non resurrecturum declarat, qui superbia intumescens, gratiam respuit, aut ei resistit; subdit enim cap. 23, n. 25: « Deserti luce iustitiae, et per hoc contenebrati, quid pariant aliud, quam haec omnia, quae commemoravi opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant: *Surge, qui* dormis etc. » Lib. 17, qq. loquitur S. Doctor de impotentia cre-

(1) In Ps. 135, n 1. (2) Versus finem.

(3) Serm. 8 in Ps. 118.

(4) Enar. in Ps. 6. n. 8.

dendi culpabili et voluntaria, non vero de absoluta; adiicit enim post adducta verba, istos sic fuisse excaecatos, ut tamen illa excaecatio eis « ad humilem confessionem et sollicitam inquisitionem, et obedientem conversionem et ferventem dilectionem valeret. » *S. Prosper* (1) ait: « Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat. » *Auctor* lib. de vocatione gentium (2) scribit: « Credimus, nullis hominibus opem gratiae in totum fuisse subtractam. » Et l. 2, c. 28: « Quae beneficia, licet obduratis nihil remedii attulerint, probant, aversionem illorum non divinae fuisse constitutionis, sed propriae fuisse voluntatis. » *S. Gregorius M.* (3) inquit: « Quisquis delinquit et vivit, idcirco hunc divina dispensatio in aequitate tolerat, ut ab iniquitate compescat. » Et Hom. 13 in Evang.: « Pensate, fratres charissimi, quia conclusit Dei pietas duritiam nostram. Non est iam quid homo excusationis inveniat. Deus despicitur et expectat; contemni se videt et revocat; iniuriam de contemptu suo suscipit, et tamen quandoque revertentibus etiam praemia promittit. » *S. Thomas* (4) ait: « Dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis poenitere non possit, erroneum est: Primo quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii; secundo, quia per hoc derogaretur virtuti gratiae, per quam moveri potest cor cuiuscunque peccatoris ad poenitendum. » Idem (5) inquit: « Quod aliquis homo non possit esse ita obstinatus in malo, quin ad suam liberationem cooperari possit, ratio patet ex dictis; quia et passio solvitur et reprimitur, et habitus non totaliter animam corrumpit, et ratio non ita pertinaciter adhaeret falso, quin per contrariam rationem possit adduci: » Et 1 dist. 40, q. 4, art. 2 in argumento *sed contra*, sic loquitur: « Dicunt Sancti communiter, *Dionysius*, *Augustinus*, *Anselmus*, quod causa, quare iste non habet gratiam est, quia ipse noluit accipere, et non, quia Deus noluit dare, quia lumen suum omnibus offert, quod tamen ab omnibus non percipitur. » Igitur iuxta mentem D. Thomae omnes possunt recedere a peccato, adeoque habent gratiam sufficientem. Concilium *Lateranense IV*, cap. *Firmiter* nullam exceptionem opponens, definit: *Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram poenitentiam semper potest reparari.* Ast in adversariorum sententia hoc falsum esset; deficiente enim omni gratia impossibile est, quempiam reparari posse per veram poenitentiam; supponit igitur Concilium, hanc nunquam homini, quamdiu vivit, penitus deesse.

3. *Rationibus theologicis* eadem veritas confirmatur. Nam quamdiu homo vivit, semper est viator, eiusque immutabilis finis est, ut Deo serviat et ad aeternam beatitudinem perveniat (§ 202); de ratione autem viae et viatoris est, ut in ea progre i viator et ad terminum viae pervenire possit. Ergo repugnat tam statui viatoris, quam ipsius viae, ut homo privetur potestate accedendi ad terminum, ad quem tamen graviter obligatur, adeoque etiam ut privetur omnibus auxiliis necessariis, sine quibus perveniendi ad terminum non haberet potestatem. — Certum porro est, veniam peccatorum quemlibet sperare debere atque desperationem

(1) In Resp. 15 ad Obi. Vincentin.
(2) Lib. 1, cap. 21. (3) L. 17, Mor. c. 4.
(4) L. 3, q. 86, art. 1.
(5) Q. 24 de veritate art. 11.

summam esse iniquitatem. Nemo autem potest sperare veniam peccatorum, nisi firmiter credat, illam sibi fuisse promissam a Deo; spes enim nititur promissione divina tanquam motivo principali, vel certe tanquam conditione necessario requisita. Atqui si Deus non promisit, neque concedere solet omnibus peccatoribus, etiam obstinatis, auxilium sufficiens ad impetrandam veniam peccatorum, cogitare nequeunt, hanc sibi esse a Deo promissam. Ergo nequeunt sperare veniam peccatorum, eorumque desperatio inter peccata numerari nequit: hoc autem absurdum esse nemo negabit. Quaecumque ergo probant, spem quovis tempore praeceptam et desperationem magnum semper peccatum esse; ea etiam demonstrant, Deum obstinatis quoque peccatoribus gratias sufficientes ad eorum conversionem impertiri. Quod etiam Ecclesiae sensu confirmatur. Nam ait cl. *Perrone* (1): « Receptum est in Ecclesia, ut quoties casus contingat, ut aliquis ex eiusmodi perditis hominibus et effusis in omne vitium, imo et in incredulitatem graviter decumbat, toties accurrant eius ministri, ut eum hortentur ad resipiscentiam salutarem, ac fideles pro eo preces ad Deum fundant. Ergo pro certo habet Ecclesia, neminem, quamdiu in vivis est, omni prorsus gratia destitui; alioquin ridicula et absurda esset eiusmodi sollicitudo. » His addi possunt quae § 443, n. 3 dicta sunt.

Nota 1. Quaestio inter Theologos movetur, an peccatores excaecati et obdurati gratias sufficientes ad divina praecepta adimplenda obtineant, et an, ac qua ratione praeceptorum transgressiones ipsis imputandae sint? — Extiterunt nonnulli laxioris ethicae Theologi, qui peccatores excaecatos et obduratos a culpa excusarent, dum praecepta divina transgrediuntur, ad quae observanda gratia vere sufficienti privati sunt, quoniam nemo peccat in eo quod cavere nullo modo potest. Sed *Clerus Gallicanus* in Comitiis anni 1700 hanc impiam sententiam proscripsit, his verbis conceptam: « Si peccatores consummatae malitiae, cum blasphemant et flagitiis se immergunt, non habent conscientiae stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus theologis propugno, eos his actionibus non peccare. » Alii vero, praecipue *Thomistae* et *Augustiniani*, contendunt, reipsa peccare obduratos et peccata merito ipsis imputari, tametsi gratia priventur in poenam praecedentium illorum peccatorum: *primo* quidem, quia ipsorum culpa est, quod hac priventur gratia sibi necessaria, eorumque impotentia consequens est ac voluntaria, non antecedens, non necessaria; unde *S. Thomas* (2) ait: « Quamvis illi qui in peccato sunt, non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiae praestent vel ponant, nisi auxilio gratiae praeveniantur, nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa praecedente in eis relinquitur, sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam sua culpa incurrit: » *secundo*, quia libere peccant et possunt non peccare per simplicem actus suspensionem, seu non positionem; quo sensu *S. Thomas* (3) inquit: « posse aliquem, existentem in peccato mortali, vitare omnia peccata mortalia auxilio gratiae; posse etiam ex naturali virtute singula vitare,

(1) De grat. P. 1, c. 5, prop. 3. n. 409.

(2) L. 3 c. Gent. cap. 160.
(3) Q. 24 de verit. art. 12.

quamvis non omnia. Et ideo non sequitur, quod peccatum committendo non peccet. » Ergo cum quilibet induratus possit singula distributive peccata naturali virtute vitare, necessaria non est ipsi gratia, ut sit inexcusabilis, ac peccata merito ipsi imputentur: *tertio* negant illi ad libertatem actus mali necesse esse ut voluntas simul expedita sit ad actum bonum oppositum; quia nempe, inquiunt, sola libertas contradictionis, qua potest homo agere vel non agere, pertinet ad essentiam libertatis, non vero libertas contrarietatis; siquidem posse malum operari, non est perfectio in humana libertate, sed potius vitium ac defectus. — Alii denique, praesertim *Molinistae*, argumentis innixi § 443 nota 1 adductis, affirmant Deum etiam peccatoribus excaecatis et obduratis gratias sufficientes concedere, quibus a peccatis cavere et praecepta divina observare possint. Non autem contendunt, gratiam singulis ferme momentis peccatoribus induratis adesse debere, sed ipsam pro loco et tempore conferri cum ipsis est necessaria, cum nempe urget praecepti alicuius obligatio vel gravis ad malum tentatio sollicitat. Admittunt etiam idem Theologi, induratis non semper adesse gratiam proxime sufficientem, sed iis conferri saltem gratiam remote sufficientem, qua excitati per orationem uberiora auxilia impetrare possint. Quodsi hanc neglexerint et gratiae restiterint, manifeste patet, praeceptorum transgressiones ipsis merito imputari (1).

Nota 2. Qui dicunt, peccatoribus excaecatis et obduratis omnes gratias, etiam sufficientes subtrahi, quibus a peccatis resipiscere possent, propositioni nostrae sequentes opponunt difficultates.

Obi. I. S. Scriptura exempla talium peccatorum exhibet, qui utpote penitus a Deo deserti nec poenitere, nec per orationem misericordiam impetrare poterant. De Esau legitur: *Non invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam* (2). De Antiocho vero dicitur: *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus* (3). Ergo dantur peccatores, quibus gratia ad conversionem, imo et ad orationem sufficiens penitus negatur.

Resp. Citata Scripturae testimonia doctrinae nostrae non adversantur. Sensus enim prioris loci est: Esau obtinere nunquam potuit, ut subtractae ipsi et Iacobo impertitae benedictionis poeniteret aut parentem suum Isaac aut Deum. Sed neque ipsius poenitentia ei utilis fuit, qua doluit non de peccato suo, sed de damno quod incurrit, et de amissa benedictione, desiderans et satagens illam recuperare, sed frustra: hunc sensum ostendit contextus, quia Apostolus immediate antea dixerat: *Scitote enim, quoniam et postea cupiens haereditare benedictionem, reprobatus est.* Antiochus misericordiam consecutus non est, non quia omne auxilium ei deerat, sed quia ficte et simulate orabat, hoc unum quaerens, ut a morbis et doloribus liberaretur, nihilo melior futurus, si convaluisset. Unde signanter dicitur orasse Dominum, sed manens *scelestus*. Extra rem igitur tum istud, tum similia eiusmodi exempla proferuntur.

Obi. II. Dubitari non potest, determinatum esse peccatorum numerum, ultra quem Deus nullum aliud dimittere decrevit; nam Amos I, 3 etc. Deus ipse dicit: *Super tribus sceleri-*

(1) V. Tournely q. 8, art. 4.
(2) Hebr. 12, 17. (3) 2 Machab. 9, 23.

bus Damasci et super quatuor non convertam eum; et hoc idem repetit de *Gaza*, de *Azoto*, de *Tyro* etc., et c. 2, de *Moab*, de *Iuda*, de *Israël;* et quamvis interpretes admittant, per ternarium numerum in his divinis effatis indefinitam peccatorum multitudinem designari, concedendum tamen est, limitem aliquem assignari, ultra quem peccator conversionis gratiam non obtinet.

Resp. Nemo negat, Deo omniscio cognitum esse tum numerum peccatorum, quae homo usque ad obitum suum commissurus, tum gratiarum, quas consecuturus est, donec moriatur, aut in perpetuam amentiam incidat: vere igitur apud Deum uterque numerus determinatus est, ultra quem nec peccata committuntur, nec gratiae obtinentur. Exinde autem non potest inferri decretum divinum, homini viventi et rationis compoti post certum peccatorum numerum nullam prorsus conversionis gratiam concedendi, cum contrarium ex allatis argumentis constet. Neque illud evincit locus ex Propheta Amos citatus; nam si verba: *non convertam eum*, de negata conversionis gratia essent intelligenda, dicendum foret, iisdem significari subtractionem gratiarum efficacium, quas Deus peccatori nec debet, nec promisit, non autem de subtractione gratiarum proxime aut saltem remote sufficientium: eo ipso enim, quod peccatores semper teneantur praecepto conversionis et spei, nunquam omni gratia, quamdiu vivunt, privantur, iuxta illa quae dicta sunt. Caeterum notandum est, in loco citato agi de supplicio temporali, quod vv. seq. Propheta designat; siquidem nihil aliud praeter bellum, fugam et incendium comminatur, quae omnia longe absunt a spirituali supplicio. In exponendo autem obscuro hoc dicto interpretes non conveniunt. *Sanctius* (1) putat, conversionem longe verisimilius vim habere sensus negativi, ita ut haec sententia ex Dei nomine exurgat: Si populus illam solum communem peccatorum multitudinem admisisset, non converterem illum, seu ei non parcerem ac punirem; nunc multo minus parcam, postquam quarto peccato seu novo scelerum genere cumulum caeteris peccatis addidit. E contra cl. *Henricus Braun* (2) arbitratur, haec duo: *super tribus* et *super quatuor* coniungenda esse, iuxta phrasin etiam apud profanos scriptores usitatam ad indefinitam multitudinem significandam (3), Deumque dicere: propter multa peccata *non convertam*, i. e. non mutabo, seu destruam *eum* per calamitates quas immittam, sed id faciam propter scelera quae nominantur.

Obi. III. Si obdurati acciperent gratias sufficientes ad salutem, nullum iam intercederet discrimen inter ipsos et peccatores reliquos; quod tamen admitti nequit. Imo doctrina, quae obduratis quovis vitae tempore gratias sufficientes promittit, perniciosa est, eosque ad peccata sua temere continuanda impellit, cum etiam post vitam pessime actam gratiam conversionis sperare possint.

Resp. Etiam in nostra sententia magnum est discrimen inter obduratos et reliquos peccatores; non enim negamus, istos uberiores et frequentiores gratias consequi prae illis. Tristissima ergo manet conditio excaecatorum et induratorum; quo magis enim inordinatis passionibus indulgent et peccata peccatis accumulant, eo minus ad inspirationes attendunt et eo pertinacius gratiis divinis resistere assuescunt, unde fit, ut eorum

(1) Ap. Perrone de grat. P. 1, c. 5, prop 8, n. 428 in nota.
(2) Comment. in h. l. (3) V. Calmet in h l

conversio non quidem impossibilis, sed tamen valde difficilis reddatur. Talis autem doctrina certe perniciosa non est, nec peccatores ad temere continuanda peccata impellere potest. Imo opposita doctrina, quae omnem spem adimit conversionis in extrema vitae periodo constitutis, viam facilem aperit ad quaevis scelera; cum nullo freno coërceantur illi, quorum animos haec sententia imbuerit. Quo enim se vertent, quorum desperata salus declaratur? Qui autem abutuntur catholica doctrina, quae docet spem semper superesse salutis sibi ipsis perniciem consciscunt. Spes enim eo difficilior evadit, quo maior praecessit gratiarum abusus. Committunt ipsi negotium omnium maximum incerto eventui, cuius omnia adiuncta prorsus ignorant. Iusto enim iudicio morte repentina abripi et sine spe veniae damnari possunt. Itaque deterrendi sunt peccatores, quamdiu vivunt; sed non deneganda ipsis consolationis ac spei iucunditas est, dum in extremis versantur, cum scilicet nullum aliud remedium praeteritis malis amplius suppetit, nullusque illinc datur regressus (1).

Obi. IV. Tristis experentia nos docet, peccatores induratos ruere in gravissima peccata sine ullo conscientiae remorsu, quin praecipitium advertant, aut aliqua vel levi interiore sancta cogitatione a malo retardentur. Cum autem gratia quaecumque nihil aliud sit, quam sancta mentis illustratio et voluntatis permotio, certe hanc gratiam in seipsis advertere deberent peccatores obdurati si illam haberent: quaecumque enim gratia in homine recepta operari aliquid debet in eo, et fieri non potest, quin operatio illa advertatur. Porro eadem experientia satis constat, iustos, dum infirmitati naturae succumbentes in peccata labuntur, quibusdam sanctis inspirationibus semper ab iisdem peccatis retrahi, ut veluti lucta quaedam inter spiritum et carnem nascatur. Cum igitur in scelestissimis peccatoribus id non contingat, argumentum est longe clarissimum, eos esse a gratia Dei derelictos. — Ulterius cui bono huiusmodi gratiae, quae a peccatoribus non percipiuntur? Quomodo illis adiuvari possunt, vel ut convertantur ad Deum ipsius opem implorando, vel ne in nova peccata prolabantur? Assimilari enim illae possunt lumini admoto homini dormienti qui oculis somno clausis illud non videt, aut monitioni factae homini, obturatas habenti aures. Sane, ut inquit *Contensonius*, huiusmodi auxilia habere et iis carere, synonimum est. « En, inquit apposite *Hyac. Serry* (2), in quantas angustias rediguntur, ut gratiam saltem orationis in omnes divinorum mandatorum transgressores effusam, positam dicant in excitatione, quae non excitat, in cogitatione, de qua minime cogitatur, in piis denique motibus, qui ab illis ipsis, qui moventur, nullatenus sentiuntur, quasi vel fieri possit, ut quis excitetur non excitatus, cogitet incogitans, immotus denique moveatur » (3).

Resp. Argumento deducto ab experientia rectissime opponitur dictum Pauli: *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est* (4)? — Non ergo sine temeritate dicitur, peccatores induratos nullos unquam gratiae motus sentire ac ideo istis penitus carere. Inter peccatores inveteratos aliqui internam quietem ex-

(1) V. Perrone de grat. P. 1, c. 5, prop. 3, n. 430. (2) In Schola Thomistica vindicata n. 9. (3) Ita Gazzaniga de grat. P. 1, diss. 5, c. 7, n. 349 et 351. (4) 1 Cor. 2, 11.

terius simulant, qua tamen interius minime gaudent: aliis conscientia quasdam quasi inducias ad tempus concedit, acriori laniena in eos paullo post saevitura, iuxta illud Isaiae: *Impii, quasi mare fervens, quod quiescere non potest* (1). Haud raro scelestissimi peccatores inter ipsas delicias, quibus non satiantur, fastidium sentiunt: hincinde bonis aliorum exemplis, quibus exterius irrident, interius confunduntur: quandoque virtutis stimulos sentiunt quos sequerentur, si inordinatae passiones, quas reprimere nolunt, non obsisterent: persaepe adinstar impii *Voltairii* ingruente tempestate mortis metu concutiuntur. Quis ergo ex tripode dicat, peccatores induratos nullos unquam gratiae motus sentire, ac ideo nec habere, cum ipsa experientia potius contrarium ostendat? — Ex eo autem quod multi peccatores nunquam emendentur, et ab ipsa etiam oratione vehementer abhorreant, non sequitur, ipsos nunquam habere gratias proxime aut saltem remote sufficientes; sed signum est quod ipsi has gratias indurato corde reiiciant. Praeterea notandum est, gratiam saepe occulto et ineffabili modo operari, ita ut etiam iusti de ipsius motibus sibi haud satis conscii sint, quod multo magis de peccatoribus, mente continuo dissipatis, dicendum erit.

IV. *De Infidelibus.*

§ 447. Infideles in stricto sensu dicuntur, qui Christianae Religionis omnino expertes sunt. Infideles *positivi* illi nuncupantur, qui cum fidei notitiam habuerint, eam amplecti noluerunt aut eam respuerunt: *negativi* vero nominantur, qui nihil unquam de vera fide divinitus revelata audierunt. Infideles positivos non omni gratia destitutos esse, exinde patet, quia gratia fidei ipsis oblata fuit, quam ex propria culpa neglexerunt aut cui temere restiterunt. Sermo ergo hic est praecipue de infidelibus negativis, de quibus quaeritur, an ipsis pro loco et tempore sufficiens gratia ad salutem conferatur. In hac quaestione imprimis certa ab incertis sunt distinguenda. — Certum nempe est, vocationem externam, quae ordinarie fit per praedicationem Evangelii (2), non ad omnes pervenire; quamvis enim Christus Apostolos suos omnes gentes docere iusserit, illorum sonus in omnem terram exierit, et Ecclesia catholica magna semper sollicitudine fidem propagare conetur; varia tamen impedimenta sive physica, sive moralia obstant, quominus Christus singulis infidelibus annuncietur, atque ideo, sicut antiquitus extiterunt, ita etiamnum dantur loci, in quibus saltem non cuilibet infidelium generationi Evangelium praedicatum fuit: sermo igitur est de vocatione interna, quae fit per supernaturales mentis illustrationes et voluntatis motiones. — Certum porro est, infideles, quamdiu tales sunt, non recipere gratias, quae non solum ratione substantiae, sed etiam ratione finis supernaturales sint, ita ut opera producant, quae de condigno mereantur; nam *sine fide impossibile est placere Deo* (3); et fides est initium iustificationis, ut definit Concilium *Tridentinum* (4). Gratiae ergo, quae hominibus fide destitutis conferuntur, sunt gratiae medicinales quibus adiuti infideles possunt adimplere legem naturalem, ac vincere difficultates, quae eidem observantiae adversantur; opera autem horum adiumentorum ope parta intra ordinem moralis honestatis continentur. His

(1) Is. 57, 20. (2) Rom. 10, 14. (3) Hebr. 11, 6. (4) Sess. 6, cap. 8.

autem gratiis si infideles obsequantur, maiora eis subsidia adiiciuntur, donec Deus ex gratuita sua misericordia vocet eos ad finem supernaturalem per initium fidei sive per homines ad hoc missos, sive per angelum, sive interius per se; nemo enim dubitabit, omnipotentem ac sapientissimum Deum per gratias internas aliisque modis id praestare posse, quod alias hominis apostolici vox praestat, quae ipsa sine gratia interna inefficax manet. — Certum denique est, Deum aliquibus saltem infidelibus gratiam conferre vere ac relative, proxime vel remote saltem sufficientem ad fidem et iustificationem, adeoque falsam esse doctrinam *Iansenii* (1) dicentis, infideles omnes carere omni gratia tam proxime, quam remote sufficienti ad salutem, adeoque etiam ad fidem et iustificationem, sine quibus aeterna salus obtineri nequit. Absque dubio enim *Eunuchus* Candacis Reginae Aethiopum (2) et *Cornelius* Centurio (3) gratias internas et supernaturales receperant, antequam in fide christiana instruerentur et baptismum reciperent. Concilium *Arausicanum II* cap 25 ait: *Ipse* (Deus) *nobis, nullis praecedentibus meritis, et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adiutorio ea, quae sibi sunt placita, implere possimus. Alexander VIII*, damnavit sequentem *Ant. Arnaldi* propositionem: «Pagani, Iudaei, Haeretici aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente: » ergo contradictoria illius est vera et catholica: aliqui Pagani etc. accipiunt influxum a Iesu Christo. *Clemens XI* has *Quesnellii* propositiones proscripsit: XXVI, « Nullae dantur gratiae, nisi per fidem: » XXVII, « Fides est prima gratia et fons omnium aliarum; » XXIX, «Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia. » — Idcirco theologi catholici omnes docent, infideles non omni prorsus gratia destitui, sed aliquibus dari gratiam vere sufficientem ad fidem et iustificationem. Tota ergo quaestio ad hanc reducitur, an haec gratia aliquibus tantum, an vero omnibus concedatur? — Nonnulli theologi catholici contendunt, dari infideles praecipue negativos, qui nec exterius, nec interius ad fidem vocantur et quibus gratiae sufficientes ad salutem non conceduntur. Plurimi autem theologi contrarium propugnant et hanc statuunt propositionem: Infidelibus omnibus etiam negativis, datur pro loco et tempore gratia sufficiens ad salutem; quae propositio *ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus, et ratione theologica* probatur.

1. *S. Scriptura* universalem Dei erga omnes homines bonitatem, et misericordiam laudat. Sap. XI, 24 etc. legitur: *Misereris omnium, quia omnia potes et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti... Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* At quomodo miseretur omnium et parcit omnibus, si non omnibus dat gratiam saltem sufficientem, qua iustificationem consequi possint? Neque verba haec ad solos electos restringi queunt; nam ratio, quare Deus omnium misereatur et omnibus parcat, petitur hic ex creatione, quod beneficium certe omnibus commune est. Io. I, 9 dicitur

(1) L. 3 de grat. Chr. cap. 11.

(2) Act. 8, 27. (3) Ib. 10, 1.

de Christo : *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ;* quae verba Ss. Patres intelligunt de supernaturali illuminatione quae diffunditur per gratiam Redemptoris, de quo hic sermonem esse patet ex contextu : Christus ergo illuminat etiam infideles, qui utique ad homines pertinent. Idcirco divinus Redemptor ipsemet dicit (1) : *Ego sum lux mundi :* per mundum autem hic universum genus humanum, seu omnes homines adeoque etiam infideles intelligi, manifestum est. Paulus (2) inquit : *Non est distinctio Iudaei et Graeci : nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum;* et (3) : *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* I Tim. II, 1 etc. idem Apostolus vult a fidelibus orationes fieri *pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Iam vero, nisi Deus gratias saltem sufficientes ad salutem tribueret infidelibus, dici non posset, eum habere sinceram voluntatem ipsos salvandi, aut Christum pro iis mortuum esse ; nam, ut optime loquens de hac Dei voluntate angelicus Doctor (4) ait : « Huius voluntatis effectus est ipse ordo naturae in finem salutis et praemoventia in finem, omnibus communiter proposita tam naturalia, quam gratuita. » Huc revocari etiam possunt S. Scripturae testimonia, iam prius citata, quibus probatum est, Deum nolle aliquos perire et peccatores ad poenitentiam vocare, quod etiam de infidelibus, per peccatum a Deo alienis, recte intelligitur.

2. *Ss. Patres* gratiam vocationis ad fidem et salutem universalem esse dicunt, eamque etiam ad infideles extendunt. *S. Clemens Rom.* (5) inquit : « Sanguis Iesu Christi pro nostris peccatis, et propter nostram salutem effusus, poenitentiae gratiam toti humano generi obtulit. » *S. Irenaeus* (6) ait : « Vis a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper, et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus ; posuit autem in homine potestatem electionis ; abiicientes igitur bonum et quasi respuentes, merito omnes iustum iudicium incident Dei. » *Clemens Alex.* (7) exclamat : « Audite, qui estis longe, audite, qui prope ! nullis celatum est verbum, lux est communis, omnibus illucescit hominibus etc. » *Origenes* de princip. (8) multis argumentis et similitudinibus hoc ipsum probat, omnes homines posse salvari, et solvit argumenta contraria, explicans fere omnia loca scripturarum, quae ad hunc locum pertinent. Et quamvis Origenis libri de principiis non paucos errores contineant, tamen neque Epiphanius, neque Hieronymus, neque Philastrius, neque Augustinus hanc sententiam inter errores Origenis numerant. *S. Cyprianus* (9) scribit : « Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum ; qui neminem vult perire, cupit, peccatores poenitentiam agere. » *S. Hilarius* (10) dicit : « Esse filios Dei non necessitatem esse, sed potestatem, quia proposito universis Dei munere non natura gignentium afferatur, sed voluntas praemium consequatur. »

(1) Io. 8, 12. (2) Rom. 10, 12.
(3) Rom. 11, 32.
(4) In I Sent. dist. 46, q. 1, art. 1.
(5) Epist. 1 ad Corinth. n. 7.
(6) L. 4 adv. haer. cap. 71.
(7) In orat. exhort. ad Gentes ultra medium.
(8) L. 3, c. 1. (9) Ep. 52.
(10) L. 1 de Trin. ante medium.

S. *Ambrosius* (1) explicans illud: *Misericordia Domini plena est terra*, ita disserit: « Super omnes sol oriri iubetur. Et hic quidem sol super omnes oritur. Mysticus autem sol ille iustitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est et omnibus resurrexit. Ideo autem passus est ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, qui a calore eius se ipse fraudavit: sed quod solis est, praerogativam suam servat; quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit. » *S. Chrysostomus* (2) ita praeclare loquitur: « Si (Christus) *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quonam pacto tot homines sine lumine permanent? neque enim omnes Christum agnoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? illuminat profecto, quanto in ipso est. Si qui autem sponte sua, mentis oculis conniventibus, ad huius lucis radios oculos dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam gratia in omnes diffusa est: non Iudaeum, non Graecum, non Barbarum, non Scytam, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non iuvenem effugit aut dedignatur; omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat. Qui vero nolunt hoc frui dono, hanc sibi ipsis caecitatem imputent, oportet. » Idem (3) inquit: « Deus secundum praescientiam suam, licet sciat, qui iusti futuri sint et qui iniusti, tamen omnes vocat ad fidem, dans eis gratiam credendi in Christum, quod est talentum, bonis quidem ad salutem, malis autem ad praeiudicium, ut inexcusabiles fiant. » *S. Augustinus* (4) ait: «*Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ergo quantum in medico est, sanare venit aegrotum. Ipse se interimit, qui praecepta medici observare non vult. Venit Salvator ad mundum; quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut iudicet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te iudicaberis. » Idem (5) haec habet: « *Non est qui se abscondat a calore eius.* Cum autem Verbum caro factum est et habitavit in nobis mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis; et ipsam enim penetravit Verbi calor. » Et lib. de Spirit. et litt. c. 33 dicit: « Vult Deus omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, iustissime iudicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt; verum seipsos fraudant magno et summo bono, experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in bonis misericordiam contempserunt. » *Paulus Orosius*, S. Augustini discipulus et amicus, in Apologetico suo pro libertate arbitrii ita Pelagium affatur: « Mea semper haec est fidelis et indubitata sententia, Deum adiutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem dona largitur, verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui,

(1) Serm. 8 in Ps. 118, n. 57.
(2) Hom. 8 (al. 7) in Ioann. n. 1.
(3) Hom. 53 in Matth. cap. 25.
(4) Tract. 12 in Ioann. n. 12.
(5) Enarr. 1 in Ps. 18, n. 7.

aeternamque clementiam subministrare... Ex quo evidentissime declaratum est, nemini hominum deesse adiutorium Dei, praesertim cum et seductor instat, et insit infirmitas.» *S. Prosper* (1) inquit: « Omnium ergo hominum cura est Deo, et nemo est, quem non aut evangelica praedicatio aut legis testificatio, ipsa etiam natura conveniat: sed infidelitatem hominum ipsis adscribamus hominibus. » *Auctor lib. de Vocat. Gent.* (2) scribit: « Opitulatio (divina) per innumeros modos sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur; et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae; quod autem a multis suscipitur, et gratiae est divinae et voluntatis humanae: » et ibid. (3): « Universitati hominum ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper et consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua iustitia gloriari: » tandem (4) concludit: « Elaboratum est, quantum Dominus adiuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro saeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentia quidem pari, et bonitate generali, sed multimodo opere diversaque mensura, quoniam sive occulte, sive manifeste, ipse est (ut Apostolus ait) *Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* » *S. Thomas* (5) inquit: « Deus, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur I Tim. II. Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiae impedimentum praestant: sicut sole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis praeveniatur. » Et in 1 dist. 40, q. 4, art. 2 ita ratiocinatur: « Hominem carere gratia ex duobus contingit; tum quia ipse non vult recipere; tum quia Deus non sibi infundit vel non vult sibi infundere. Horum autem duorum talis est ordo, ut secundum non sit nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non velit nisi bonum, non vult istum carere gratia, nisi secundum quod bonum est: sed quod iste careat gratia, non est bonum simpliciter, unde hoc absolute consideratum non est volitum a Deo. Est tamen bonum, ut careat gratia, si eam habere non vult vel si ad eam habendam negligenter se praeparet, quia iustum est, et hoc modo est volitum a Deo. Patet ergo, quod huius defectus absolute prima causa est ex parte hominis, qui gratia caret; sed ex parte Dei non est causa huius defectus nisi ex suppositione illius, quod est causa ex parte hominis. »

3. *Ratio theologica* propositam veritatem confirmat. Sicuti una est omnium hominum natura, ita etiam una est omnium destinatio; omnes enim conditi sunt, ut Deo serviant et ad aeternam beatitudinem perveniant (§ 202). Deus hominem, ut ad hunc finem supernaturalem pervenire possit, ad imaginem suam creavit et donis naturalibus ac supernaturalibus instruxit (§ 203). Homo quidem per peccatum hanc dignitatem et dona supernaturalia perdidit; sed eius natura corrupta per Filium Dei incarnatum reparata est, qui pro omnibus hominibus mortuus est, pro omnibus peccatis satisfecit et omnibus gratias salutares promeruit, quibus etiam in statu naturae lapsae ad

(1) Resp. 8 ad capit. Gallorum.
(2) Lib. 2, cap. 26. (3) Cap. 29.
(4) Ib. cap. 31. (5) L. 3 c. Gent. c. 59

finem suum supernaturalem pervenire possint (§ 376—379). Rectissime ergo ex his infertur, Deum velle, ut omnes homines etiam in statu naturae reparatae mandatis divinis obtemperando, ad aeternam beatitudinem perveniant. Quoniam autem voluntas Dei ipsa sapientia est, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter*, ac propterea creaturis suis sufficientia saltem media tribuit, quibus ad finem divinitus sibi praefixum pervenire possint: concludendum omnino est, Deum omnibus hominibus necessaria ad finem suum media conferre, adeoque sufficientes saltem gratias supernaturales impertiri, sine quibus homines ad finem supernaturalem pertingere non possunt. — His accedit, quod voluntas Dei sit etiam suprema lex, cui omnes homines se subiicere tenentur; atque ideo omnes homines ad finem suum tendere et mandata divina observare obligantur; id autem sine gratia supernaturali praestare nequaquam possunt: impossibilia ergo ab ipsis exigerentur, si omnibus gratiis, etiam remote sufficientibus destituti essent. Sed, ut docet Concilium *Tridentinum*, Deus impossibilia non iubet: ergo gratias saltem remote sufficientes omnibus confert (1).

Nota. Qui doctrinae propositae adversantur, sequentia obiiciunt:

Obi. I. Apostolus Act. XIV, 15 inquit: *Deus in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas;* et Act. XVII, 70: *Tempora huius ignorantiae despiciens Deus.* Gentes igitur omni penitus gratia caruerunt. Quaenam enim fuerit istarum gentium conditio, declarat idem Apostolus Ephes. II, 12 scribens: *Eratis illo in tempore sine Christo... promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo.* Tantum vero abest, ut Deus velit omnes gentes ad fidem vocare, ut Paulus et Barnabas vetiti fuerint *a Spiritu sancto,* loqui verbum Dei in Asia Act. XVI, 6. Ergo non omnibus infidelibus gratiae sufficientes conceduntur.

Resp. Citata S. Scripturae testimonia doctrinae nostrae non opponuntur. Nam Act. XIV Apostolus dicit, quod Deus gentilibus non dederit legem scriptam, nec ad eos miserit Prophetas, qui eos viam salutis docerent, vel etiam quod regulariter et ordinarie gentibus idololatris gratias congruas et proxime sufficientes non praebuerit: non autem ideo Apostolus negat, Deum gentilibus saltem remote sufficiens auxilium contulisse, quo ad verae fidei cognitionem se disponere et uberiora auxilia impetrare potuissent. Ipse Apostolus Act. XVII testatur gentes illis ignorantiae temporibus potuisse Deum quaerere et invenire: quod sane non potuerunt sine gratia sufficiente. Quare Deus ante Christi adventum gentes non dimisit seu deseruit absolute, sed comparate ad Iudaeos et Christianos. Ideo *Auctor libr. de Vocat. Gent.* (2) ait: « Sed ne in praeteritis quidem saeculis haec eadem gratia, quae post D. N. I. Christi resurrectionem ubique diffusa est, defuit mundo. Quamvis enim speciali cura, atque indulgentia Dei populum Israëliticum constet electum omnesque aliae nationes *suas vias ingredi*, hoc est secundum propriam permissae sint vivere voluntatem; non ita se tamen aeterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se, atque metuendum nullis significationibus admoneret... Qui quidem in comparatione electorum videntur abiecti, sed nunquam sunt ma-

(1) Cf. Tournely q. 8, art. 3.

(2) L. 2, c. 4.

nitestis occultisque beneficiis abdicati. » — Ephesii ab Apostolo recte dicuntur sine Deo, sine Christo et sine spe promissionis fuisse, quia neque legem scriptam, neque promissionem acceperant, ut Iudaei, et Christum eiusque mysteria ignorabant, et sic carebant gratiis ad salutem proxime sufficientibus. At non inde sequitur, eos caruisse gratiis remote sufficientibus, quarum ope Deum ut auctorem naturae cognoscere, legem naturalem servare et uberiores gratias impetrare potuissent: Apostolus potius idcirco eos reprehendere videtur, quod illis gratiis neglectis in maximis ignorantiae tenebris permanserint. — Quod attinet locum Act. XVI, 6, dilata est in aliud tempus praedicatio Evangelii, non negata in perpetuum. Non multo enim post iidem Apostoli Evangelium ibidem annunciarunt, ut referunt Acta Apost. Interim Asiatici ante praedicationem Pauli caruerunt quidem gratia proxime sufficienti ad fidem christianam amplectendam; attamen habuerunt pro loco et tempore gratiam remote sufficientem, qua si bene usi essent, proxime sufficientem accepissent.

Obi. II. *Fides* ex Concilio *Tridentino* (1) *est initium et radix omnis iustificationis.* Fides igitur in Christum est prima gratia; quod plane cohaeret cum doctrina *S. Augustini*, qui lib. de Praed. Sanctorum (2) loquens de fide ait: « Ipsa prima datur, ex qua impetrentur caetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus iuste vivitur: » et hoc idem multis aliis in locis docet. Quamdiu ergo fide carent infideles negativi, nulla ipsis gratia tribuitur.

Resp. Concilium *Tridentinum* loquitur de fide iustificante, et ideo fidem esse dicit initium et radicem omnis iustificationis, quia fides est prima gratia proxime influens in dispositiones ad iustificationem: ex hoc autem non sequitur, quod fides sit prima gratia, quae infidelibus conferatur. Multi enim vocantur ad fidem per gratias remote sufficientes, quibus si bene utantur, Deus gratuito et ex sua liberalitate eis tribuit fidei donum, ut ex facto Cornelii patet aliisque passim. Ita pariter *S. Augustinus* docet, quod fides sit prima, ex qua impetrantur caetera, quae ad iustificationem proxime disponunt et quibus opera vitae aeternae meritoria fiunt; ait enim l. c.: «Ex fide autem ideo dicit (Apostolus) iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur etc. » Caeterum ad omnia S. Doctoris loca, quae obiiciuntur, singillatim respondent *Tournely* (3), *Sardagna* (4), *Th. ex Charm.* et alii.

Obi. III. Concilium *Tridentinum* (5) inquit: *Verum etsi ille* (Christus) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur:* ast si gratiae sufficientes omnibus infidelibus darentur, meritum passionis Christi omnibus communicaretur, quod a Concilio negatur: admittendum ergo est, saltem infidelibus gratias sufficientes non conferri. Id clarissime tradit *S. Augustinus;* nam l. de grat. et lib. arb. (6) ait: « Gratia per fidem Iesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides: » l. I Op. im perf. (7) scribit: « Gratia Dei christianis est propria, non christianis gentilibusque communis; » et Serm. 292 inquit: « Illis non est ortus Christus, quibus non est agnitus Christus. Sol ille iustitiae sine nube, sine nocte;

(1) Sess. 6, cap. 8. (2) Cap. 7.
(3) Quaest. 8, art. 3. (4) N. 273 etc.
(5) Sess. 6, cap. 3. (6) Cap. 13.
(7) N. 83

ipse non oritur impiis, non oritur infidelibus.» Similia habent *S. Prosper*, *S. Fulgentius* et alii.

Resp. Concilium *Tridentinum* per beneficium mortis Christi non intelligit auxilium qualecunque ob merita Christi concessum, sed gratiam ipsam iustificationis, ut constat ex toto illo capite, ita ut sensus citati textus sit: quamvis Christus pro omnibus moriendo sufficientia auxilia omnibus meruerit, non omnes tamen in hac vita recipiunt completum beneficium mortis eius, sed ii tantum, quibus meritum passionis eius perfecte communicatur per debitam Sacramenti susceptionem, vel per fidem, spem et charitatem, continentem votum Sacramenti. *S. Augustinus* quoque loquitur de gratia iustificante, seu de gratia spei, charitatis et poenitentiae, quae utique dari non potest nisi per fidem Christi: hinc inde etiam loquitur de gratia efficaci et proxime sufficienti, quam infidelibus negativis deesse dicit: ipsis autem auxilia remote sufficientia conferri, alibi profitetur, ut ex eius testimoniis n. 2 citatis patet.

Obi. IV. Si gratiae saltem remote sufficientes ad salutem darentur omnibus infidelibus etiam negativis, quibus ipsi instructi per mandatorum observantiam possent pervenire ad fidem, plura consequerentur absurda, non minus a *S. Augustini*, quam a totius Ecclesiae doctrina prorsus aliena. Sequeretur enim, opera naturaliter honesta homines disponere ad fidem et vocationem ad fidem non amplius esse gratuitam, sed dari iuxta merita naturalia; imo gratiam non esse amplius gratiam, sed bonum omnibus commune: qui sunt totidem errores pelagianorum et semipelagianorum.

Resp. Ex doctrina nostra absurda seu doctrinae *S. Augustini* et Ecclesiae contraria non sequuntur. Nam fidelis mandatorum observantia, quae per auxilium gratiae divinae obtinetur, removet tantum obstacula ad ulteriora et uberiora auxilia excipienda, ac minus indignos homines efficit divina et gratuita vocatione. Ergo iuxta nostram doctrinam homines non *positive* per eiusmodi opera ad fidem disponuntur, neque meritum sibi comparare dicuntur, propter quod Deus illis gratiam fidei concedere debeat, sed solum *negative* ad fidem disponi dicuntur, eo sensu, quod obicem gratiae, quae gratuito datur, non ponant. Haec autem non paucorum theologorum sententia ab Ecclesia reprobata non est eademque ab erroribus pelagianorum et semipelagianorum longe distat. Isti enim initium fidei a viribus naturalibus repetebant; iuxta illorum autem theologorum doctrinam etiam dispositio negativa et observantia mandatorum a gratiis sufficientibus repetuntur, quae etiam infidelibus conceduntur: neque his propterea meritum adiudicatur; praedictis enim dispositionibus non obstantibus, posset Deus vocationis gratiam non concedere; unde in hac doctrina vocatio ad fidem semper gratuita manet. Admittimus etiam, gratiam non esse communem iuxta dictum Apostoli: *Non enim omnium est fides* (1): sed id intelligendum est de gratia supernaturali proprie dicta, tum ratione sui, tum ratione finis nempe fidei: ista gratia non est omnibus communis; exinde autem inferri nequit, etiam gratiam sufficientem non omnibus concedi. Quod si haec omnibus sit communis, nullatenus sequitur, notionem gratiae in ipsa deesse; nam ait cl. *Perrone* (2): « Ut aliquid gratia dicatur e

(1) 2 Thess. 3, 2.
(2) De grat. P. 1, c. 5, prop. 3, n. 450.

sit, satis est ut non sit debitum; iam vero Deus ex sola misericordia sua, ac intuitu meritorum Christi gratiam confert. Sane creatio omnibus rebus existentibus communis est; num propterea non erit amplius gratuita? etc.»

Obi. V. Si gratia sufficiens omnibus infidelibus daretur, sequeretur, infidelem sine fide posse placere Deo, quia ante fidem posset quaedam praecepta divina observare et actus quosdam supernaturales elicere; hoc autem repugnat Apostolo dicenti: *Sine fide impossibile est placere Deo*(1). Imo si infidelibus tribuerentur gratiae sufficientes ad servandam legem naturalem, possent in illo statu diligere Deum super omnia; quod tamen dici nequit, alioquin possent iustificari et salvari sine fide in Christum: hoc autem fieri non posse, patet ex verbis Christi: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (2). Ne praefata absurda sequantur, negandum est, infidelibus sufficientes gratias tribui.

Resp. Non omnia opera infidelium peccata esse, sed eosdem actus quosdam bonos moraliter ponere posse, qui a Deo approbantur, iam probatum est (§ 413). Ergo infidelis per actus moraliter bonos Deo placere potest aliquo modo, non tamen eo modo, quo placet Deo homo iustus ac filius adoptivus Dei: atque hoc modo hominem sine fide placere posse Deo, negat Apostolus, exemplum Enoch et Noë adducens, qui utique erant iusti. — Verum equidem est, quod per actum charitatis supernaturalis et perfectae homo iustificetur et aeternae salutis particeps reddatur, sed durante infidelitate id contingere non potest. Nam, ait cl. *Antoine* (3): «In fideles, quamdiu sunt in statu infidelitatis, habent quidem gratias sufficientes ad cognoscendum Deum per creaturas, ad illum adorandum et rogandum media salutis et ad servanda alia praecepta legis naturalis praeter charitatis Dei praeceptum. At nunquam habent in illo statu gratias proxime sufficientes ad amandum Deum super omnia propter se, quia Deus decrevit neminem excitare et adiuvare ad actum charitatis perfectae, nisi post elicitam fidem explicitam mysteriorum Trinitatis et Incarnationis. Ad hoc tamen habent gratias remote sufficientes, quatenus habent gratias sufficientes ad alia praecepta in hoc statu servanda: quae si servarent, misericorditer vocarentur et excitarentur ad fidem, quam si elicerent, postea excitarentur a Deo ad actus spei et charitatis eliciendos.» His adiungi potest quod observat cl. *Perrone* (4): «Si sermo vero sit de iis, qui in Deum creatorem et remuneratorem credunt, dici posset, hos non omni penitus fide destitui supernaturali, quamvis ea sit adhuc imperfecta et quodammodo inchoata per supernaturale aliquod lumen ipsis a Deo inditum, cuiusmodi fuit in Cornelio, de quo scribit *S. Augustinus* (5): «Non sine aliqua fide donabat et orabat;» et qua per gradus usque ad perfectam perveniri potest mediante cooperatione ad ulteriores gratias. «Fiunt ergo, inquit idem S. Doctor, inchoationes quaedam conceptionibus similes; non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur aeternam:» ita L. I ad Simplic. quaest. 2, n. 2. Et in hoc ipso numero scribit: «Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel

(1) Hebr. 11, 6. (2) Io. 3, 36.
(3) De Gratia cap 4, art. 3, § 3, Resp. ad Obi. 3. (4) De grat. l. c. prop. 3, n. 446.
(5) L de praed. Ss. cap. 7

externa admonitione motus ad fidem.» Aliam observationem notatu dignam apponit cl. *Perrone* (1) dicens: « Nonnulli Theologi contendunt, in infidelibus negativis ad hoc, ut actum salutarem cum gratia eliciant, sufficere fidem implicitam in Christum. Quo referunt verba Apostoli: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (2). Hanc sententiam tenuerunt *Scotus*, *Soto*, *Suarez* aliique non pauci. Card. *Gotti* (3) de hac sententia scribit: « Sententia negans, fidem explicitam Christi et Trinitatis esse ita necessariam, ut sine eâ nemo iustificari aut salvari queat, valde probabilis est. » Eam enim videtur docere *S. Thomas* tum 2 2, q. 10, art. 4 ad 3, tum p. 3, q. 69, art. 4 ad 2, ubi de Cornelio Centurione ait: « Ante baptismum Cornelius et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per fidem Christi et desiderium baptismi implicite vel explicite. » Cardinalis tamen adhaeret sententiae affirmanti, tanquam probabiliori et tutiori. »

Obi. VI. Si infidelibus negativis, concederentur gratiae sufficientes, quibus ad fidem adduci possent si illis bene uti voluerint; nulla erit in ipsis ignorantia mysteriorum fidei invincibilis et inculpabilis. Illud enim est culpabile, quod est voluntarium in sua causa; atqui ignorantia illa mysteriorum fidei est voluntaria in causa, nempe in trangressione voluntaria legis naturalis, ex qua sequitur; ergo est culpabilis. Haec autem conclusio est falsa et damnata in Baio dicente (prop. 68ª): Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.

(1) L. c. ad n. 454, in nota. (2) Hebr. 11, 6. (3) Theol. Scholastico-Dogmatica tom. 10, seu t. 1 in 2 2. S. Thomae, tract. de fide quaest 2. dub. 4. § .

Resp. Ad hoc ut aliquid voluntarium in causa censeri debeat, duo requiruntur, tum nempe ut effectus ex ea necessario profluat, tum ut, saltem in confuso, ut aiunt, idem effectus secuturus praevideatur. Cum autem infideles negativi nullam ne levem quidem notitiam aut suspicionem habeant mysteriorum fidei, nulla ratione, dum legem naturalem transgrediuntur, illorum ignorantiam aut volunt aut intendunt. Falso praeterea qui haec opponunt, pro certo sumunt, his operibus deberi gratiam fidei. Hoc porro sublato fundamento corruit difficultas.

Obi. VII. Iudaei gratiam sufficientem non habuerunt ad legem mosaicam observandam. Haec enim data fuit, non praecise, ut observaretur a Iudaeis, verum potius ut per varias trangressiones et praevaricationes homo superbus humiliaretur et suam agnoscens infirmitatem ardentius desideraret Salvatorem: ideo cum lege veteri gratiae ad eius observantiam requisitae coniunctae non fuerunt, ac propterea solummodo lex nova dicitur et est lex gratiae. Quod si Israëlitae, quibus concredita sunt eloquia Dei, praeter Patriarchas et quosdam insignes praeelectos non habuerunt gratiam sufficientem ad observanda praecepta, quae ipsis divinitus revelata sunt, multo minus de infidelibus dici potest, quod obtinuerint et obtineant gratias sufficientes ad legem naturalem observandam.

Resp. Falsum est, quod *Iansenius* (4) contendit, Iudaeis in veteri lege concessas non fuisse gratias sufficientes ad praecepta divina observanda. Contrarium docet S. Scriptura; nam in V. T. Israëlitis dictum est: *Mandatum hoc, quod ego prae-*

(4) L. 3 de grat. Salvat. cap. 5 et seq.

cipio tibi hodie, non supra te est (1). Isai. (2): *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei?* Ezech. (3): *Vae tibi... mundare te volui et non es mundata* etc. Prov. I: *Vocavi et renuistis* etc. Haec et multa alia similia testimonia, quae alibi adducta sunt, clare ostendunt, Deum omnia fecisse, ut Israëlitae praecepta divina observare et salutem suam operari potuissent ipsosque a salutis via recessisse, non quia gratias divinas non acceperunt, sed quia easdem neglexerunt. — Falso etiam Iansenius pro sua sententia citat *S. Augustinum*. Cum enim eidem Pelagiani similem sententiam affingerent, S. Doctor l. III, ad Bonifac. (4) dicit: « Ex his etiam illa, quae nobis obiiciunt, refelluntur. Quis enim catholicus dicat, quod nos dicere iactant, Spiritum sanctum adiutorem virtutis in Veteri Testamento non fuisse? » Idem inquit (5): « Lex data est (Israëlitis) ut medicus, id est, gratia adiuvans. » Lib. de grat. et lib. arb. (6) de Iudaeis scribit: « Gratiam repellebant et in Christum propterea non credebant. » De Praedest. Ss. (7) dicit: « Facile est, ut infidelitatem accusemus Iudaeorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt. » Et Homil. 31 (8) generaliter de omnium hominum, seu hominis statu pronunciat: « Vocat te Deus et iubet, ut facias, sed ipse dat vires, ut quod iubet implere possis. » Quodsi S. Doctor hincinde docere videtur, legem veterem cum gratia coniunctam non fuisse, id solum tradit, quod Iudaei gratias supernaturales non per legem exteriorem, sed per fidem in Messiam obtinebant, in quem credere debebant, ut eius meritorum participes redderentur. Atque si S. Doctor legem novam legem gratiae appellat et hanc legi veteri opponit, non ideo negat, gratias concessas fuisse etiam in veteri lege, in qua multos sanctos extitisse fatetur, sed legem novam legem gratiae appellat, tum quia suavior est, tum quia lex nova per se et ratione sui dat gratiam, nempe per sua sacramenta gratiam conferentia ex opere operato, tum quia in lege nova propter exhibita merita Christi, eius auctoris, longe uberiores et potentiores gratiae conferuntur. Denique si S. Doctor hincinde asserit, Iudaeis, qui legem divinam temere transgressi sunt, gratiam defuisse; id intelligit de gratia proxima et completa implendi legem, non vero de gratia remote sufficiente, quae sit tantum potestas gratiam proximam quaerendi et petendi. Illam gratiam remote sufficientem etiam in lege veteri collatam fuisse, profitetur *S. Augustinus;* nam l. de nat. et grat. (9) scribit: « Dicimus, hanc esse intentionem legis arguentis, ut... confugiatur ad gratiam Domini miserantis. » Et lib. de grat. Chr. (10) ait: « Haec ostendatur legis utilitas, quoniam... cogit confugere ad gratiam liberandos... ut attentius ac sollicitius gratiae medicina quaeratur » (11). Cum *S. Augustino* consonat *S. Thomas*, maxime 1 2, q. 98, art. 2, in quo hanc sibi proponit obiectionem: Deus vult omnes homines salvos fieri: sed lex vetus non sufficiebat ad salutem, ergo non pertinebat ad Deum, talem legem dare; sic respondet ad 4: « Dicendum, quod etsi lex vetus non sufficeret ad salvandum homines, tamen aderat aliud auxilium a Deo homini-

(1) Deut. 30, v. 11. (2) C. 5, v. 4. (3) C. 24. (4) Cap. 4. (5) Ser. 13 de verb. Apost. c. 2. (6) Cap. 12, n. 24. (7) Cap. 9. (8) Ex 50, n. 9. (9) Cap. 12. (10) Cap. 8. (11) Cf. Io. B. Faure Adnot. in Enchir. S. August. c. 119.

bus simul cum lege datum, per quod salvari poterant, scilicet fides Mediatoris, per quam iustificati sunt antiqui Patres, sicut et nos iustificamur; et sic Deus non deficiebat hominibus quin daret et salutis auxilia.» — Igitur ex D. Thoma Iudaei omnes praeter legem habebant gratiam interiorem, qua poterant servare mandata: imo ad ipsam fidem habendam requiritur gratia vocans et adiuvans: de fide enim definitum est in Concilio *Arausicano II* nequidem initium fidei posse esse a natura. Igitur eo ipso quo fides Mediatoris adiuvabat antiquos Iudaeos ut possent adimplere praecepta et suam operari salutem, adiuvabat et gratia. Denique Concilium *Tridentinum* generatim pronunciat, Deum impossibilia non iubere; unde concludendum est, Deum etiam Iudaeis gratias sufficientes concessisse, quibus legem divinam adimplere poterant (1).

Obi. VIII. Non potest explicari, in quo consistat auxilium illud gratiae infidelibus concessum ad ea, quae legis naturalis sunt, servanda et remote sufficiens ad operandam salutem: ergo non datur.

Resp. Ut aliquid tanquam certum affirmemus, non necesse est, ut illud explicemus, sed sufficit, quod illud nobis aliunde constet. Quot enim certo existunt, quae, qualia sint et quomodo fiant, ignoramus? — Certum est autem, Deum infidelibus dare ex meritis Christi auxilia aliqua gratiae ad servandam legem naturalem; nam si nulla acciperent vel non peccarent, legem naturalem violando, vel tenerentur ad impossibile et necessario peccarent imputabiliter, vel solis naturae viribus possent totam legem naturalem servare, excepto praecepto charitatis divinae: quae omnia certo falsa sunt. Itaque sufficit, quod sciamus, Deum saluti infidelium sufficienter providisse. Dantur tamen theologi, qui explicare conantur, qua ratione infideles per gratiam supernaturalem adiuventur, et quomodo haec gratia ipsis concessa sit remote sufficiens ad salutem. Ita *card. Sardagna* (2) loquitur: « Haec gratia remote sufficiens ad fidem et iustificationem, probabilius est illustratio mentis et pia motio voluntatis, qua infideles illustrantur, excitantur et adiuvantur ad servandam legem naturalem, ad credendum, quod existat Deus, et quod inquirentibus se sit remunerator. Quod si infidelis huic gratiae cooperetur, dat Deus ulteriores gratias ad legem naturalem diutius servandam, ad vincendas tentationes graviores, ad desiderandam sollicite salutem, atque ad opera pietatis exercenda. Si et hac ulteriori gratia bene utatur, dabit tandem illi Deus gratiam proxime sufficientem ad fidem et iustificationem. Ex quo patet, quomodo infideles omnes gratiam habeant sufficientem ad fidem; non proxime, quia nondum proxime credere possunt in Christum, sed remote, quia actu habent talem gratiam, qua si bene uterentur, acquirerent potentiam proximam credendi in Christum. Haec explicatio optime conciliatur cum doctrina S. *Thomae* (3): « Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis nutritus (in sylvis) ductum rationis naturalis sequatur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae ad cre-

(1) Cf. Boucat Theol. PP. t. 3, de gratia Dissert. 5, Controv. 4, art. 4.

(2) Tom. 5, art. 1, controv. 7, n. 278.
(3) Q. 14, de verit. art. 11.

dendum sunt necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. » Fatendum equidem est, gratiam esse gratuitam, neque hanc infideles per opera bona naturalia promereri posse; considerandum autem est, misericordiam Dei immensam esse eiusque bonitatem largius diffundi, quam nos concipere valeamus: et cum omnipotentia divina sicut in mundo physico, ita et in mundo morali limites nesciat; recte concluditur, Deum etiam saluti infidelium sufficienter providere. In hac sententia misericordia Dei ostenditur erga illos, qui gratia indigni sunt, sapientia Dei, quae omnia ad fines suos dirigit, exaltatur et iustitia Dei in iis manifestatur, qui gratias sufficientes negligentes et repellentes, ulterioribus auxiliis privati, in tenebris et in umbra mortis permanent.

V. *De infantibus.*

§ 448. Difficillima quaestio a theologis movetur, an ipsis etiam infantibus sufficientia salutis media conferantur? — Constat equidem, per baptismum etiam infantes a peccato originali purgari, gratia sanctificante ornari, ac vitae aeternae participes reddi posse; quapropter recte dicitur, per baptismi institutionem pro infantium salute sufficienter a Deo provisum esse. Constat autem pariter, multos infantes sine baptismo ex hac vita migrare. De istis iam quaeritur, an merito dici possit, Deum non tantum illorum salutem velle ac medium ad eam obtinendam ipsis praeparasse. sed etiam de istius applicatione sufficienter providisse? — Ad hanc quaestionem multi theologi *affirmative*, alii vero *negative* respondent: utraque responsio certis et indubitatis principiis nititur, sed et magnis difficultatibus involvitur; unde hac in re ignorantiam potius nostram fateri tenemur.

1. Qui affirmant, Deum, quantum ex se est, media sufficientia etiam infantibus decedentibus absque baptismo praeparasse, quibus ad salutem pervenire possent, sequentibus principiis nituntur: *Primo*, Deus sincere vult etiam istorum parvulorum salutem, ut docet *S. Augustinus*(1), qui hanc Apostoli sententiam, Deus *omnes homines vult salvos fieri*, expendens, ait: « Numquid parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est, *omnes homines?* » Si autem certum est, Deum voluntate antecedenti sincere velle dictos infantes salvos fieri, certum pariter est, Deum eadem voluntate antecedenti ipsis salutis media sufficienter providere, quibus ad eam pervenire possint. *Secundo*, Christus pro his quoque infantibus mortuus est, et sanguinem suum fudit ex vero ac sincero desiderio, eos salvandi: id quoque docet *S. Augustinus*, qui pluribus in locis ex eo, quia Christus pro omnibus, ergo etiam pro infantibus mortuus est, contra pelagianos probat, infantes quoque subesse peccato: Christus autem mortuus est ad tollendum peccatum, et ad promerendam salutem; ergo etiam dictis infantibus media vere sufficientia, quibus aeternam vitam consequi possint, meritus est ac praeparavit. *Tertio*, baptismus pro omnibus hominibus, ac propterea etiam pro infantibus institutus est, quo, cum ipsi nihil operari queant, ex opere operato a peccato originali purgantur, gratia sanctificante ornantur, et vitae aeternae participes redduntur. Deus igitur sapientissime et benignissime omnium infantium saluti providit.

(1) L. 4 c. Iulian. c. 8.

Quodsi infantes sine baptismo decedunt, id contingit vel ex negligentia, culpa seu malitia hominum, qua vel in utero matris necantur vel in lucem editi aquis salutaribus non lavantur; vel sine culpa hominum ex causis mere naturalibus, quibus fit, ut aut in utero matris moriantur aut ex illo egressi obeant, priusquam baptismum recipere possint. In priori casu manifestum est, defectum baptismi non Deo, sed negligentiae aut culpae hominum adscribendum esse; Deus enim infantibus sufficienter de remedio salutis providit, licet adultorum culpa illis non applicetur. In posteriori casu maior difficultas exurgit, quia Deus, qui omnia regit et gubernat, eum naturae ordinem instituit, in quo praevidit futurum, ut infans prius moriatur, quam ei baptismus administrari possit; unde non censetur istius saluti sufficienter prospexisse, eo quod omnis provisor teneatur malum avertere ab eo, cui providet, ut vere dici possit sufficienter eius bono prospicere. — Ad hanc difficultatem respondentes praefati theologi concedunt, Deum naturae ordinem instituisse et secuturam ex isto infantis mortem ante baptismum praevidisse; sed negant, Deum hunc finem intendisse, quem permittit dumtaxat, quia stabilitum naturae cursum impedire aut evertere non vult. « Natura enim, ait cl. *Perrone*(1), in praesenti statu est subiectum gratiae, cui scilicet gratia supervenit, quae proinde per accidens omnibus vicissitudinibus subiacet, cui subiacet ipsa natura, quam gratia (ut ita loquar), complet et informat. Cum propterea Deus prius sit auctor naturae, quam gratiae (logice saltem, seu ratione et ordine), hinc voluit, hanc naturae vicissitudines sequi, quas ut provisor universalis nullo modo impedire aut evertere tenetur etsi aliquis per accidens pereat. » Recte ergo dicitur, Deum voluntate antecedente infantibus de salutis remediis sufficienter providisse, quamvis illi, obstantibus causis naturalibus, baptismum recipere nequeant. Id exemplis illustrare conantur. Nam, aiunt, medicus, qui hominis aegroti famulo tradidisset medicamentum, quod per se facile applicari potest, censeretur sufficienter, quantum est ex se, de illius medicamenti applicatione providisse, quamvis interea contingeret, famulum in via occidi vel detineri. Item, qui mitteret hominem cum summa pecuniaria ad captivos redimendos, sufficienter, quantum est ex se, providisse censeretur de illius pretii applicatione, quamvis homo missus in piratas incideret aut summa pecuniaria per naufragium periret. Ergo a pari Deus censendus est, infantibus de remedio salutis eiusque applicatione providisse, quamvis illi ob culpam hominum aut ob causas naturales baptismum non recipiant. Neque obstat, quod dicunt, provisorem teneri, malum avertere ab eo, cui providet. Id enim verum est, si sermo sit de provisore particulari, non autem, si sermo sit de provisore universali. Etenim, ut bene animadvertit *S. Thomas* (2): « Provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturae universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi. » Idem angelicus Doctor hoc principium praesenti materiae applicans (3) ait: « Non est

(1) De grat. P. 1, c. 5, prop. 3, n. 465.
(2) P. 1, q. 22, a. 2 ad 2.
(3) In 4 sent. dist. 6, q. 1, a. 1 ad 1.

ex defectu divinae misericordiae, quod in maternis uteris existentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii... Quia non possunt subiici operationi ministrorum Ecclesiae » (1).

2. Qui negant, infantibus sine baptismo decedentibus sufficientia salutis media parata esse, ita argumentantur: huiusmodi infantes, cum nondum sint capaces perceptionis et voluntatis, nullam gratiam recipere possunt, nisi exteriorem, quae per baptismum confertur et interius animam regenerat: atqui baptismus ipsis non ministratur: ergo nulla iisdem gratia confertur. Responderi quidem huic argumento solet, Deum velle iis infantibus applicari sacramentum regenerationis, non quidem voluntate consequente, sed antecedente, qua profecto vult illorum salutem; causam vero, ob quam reipsa non applicatur, non voluntatem Dei esse, sed vel culpam parentum, vel seriem causarum secundarum immaturam mortem inferentium. At haec responsio solida non est. Nam ad voluntatem antecedentem spectat sacramenti institutio et praeparatio remedii: ad voluntatem consequentem sacramenti ministratio et remedii applicatio; hac autem deficiente sola remedii praeparatio nihil prodest. Dum ergo observamus, alios infantes baptizari, alios vero sine baptismo morte praeveniri, nil aliud dicere possumus, quam Deum priores quidem ex gratuita bonitate ad baptismum et salutem praedestinasse; posteriores vero ex iustitia ob peccatum originale in statu peccati, et damnationis reliquisse. Haec est doctrina *S. Augustini*, qui defectum baptismi, quo multi infantes premuntur, ex eo repetit, quia voluntas Dei iusto iudicio iisdem gratiam baptismi, quam nemini debet, concedere non decrevit. Ut enim ostenderet, privationem baptismi non semper ex culpa parentum repeti posse, (2) ad Vitalem scribit: « Aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente, (baptisma) non datur, cum repente, antequam detur, expiret, pro quo ut acciperet, currebatur. Unde manifestum est, eos qui huic resistunt tam perspicuae veritati, non intelligere omnino, qua locutione sit dictum, quod omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis. » Et alibi (3) ait: « Plerumque festinantibus parentibus et paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur. Quid etiam, quod aliquando parvulis infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem, et filiis fidelium non potuit baptismate subveniri? »— Dicunt quidem, non teneri Deum, generalem provisorem, ad perturbandum ordinem causarum secundarum, unde infertur mors peracerba, quod quidem verissimum est. Sed meminisse oportet, Deum mortem non fecisse, sed hanc peccato primi parentis in orbem terrarum fuisse inductam. Peccatum igitur originale, quemadmodum immaturae mortis, ita non applicationis baptismatis causa est. Ideo *S. Augustinus* (4) addit: « Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire, cum sit utrisque causa

(1) Cf. Tournely de grat. q. 8, art. 5. Thomas ex Charm. de grat. Chr. diss. 1, cap. 3, q. 2. Perrone de grat. P. I c. 5, prop. 5.

(2) Epist. 107. (3) De dono persev. cap. 12. (4) Citato cap. 12 de dono persev.

communis: aut res humanas in parvulis non divina providentia, sed fortuitis agi casibus, opinabimur, cum rationales vel damnandae, vel liberandae sint animae, quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in coelis est. » Audiendus est etiam card. *Bellarminus*, qui (1) de infantibus sine baptismo decedentibus agens, et varias opiniones recensens, ait: « Respondent alii, casu fieri, quod ex parvulis alii baptizentur, alii sine baptismo decedant, quia videlicet alii nascantur apud christianos, alii apud infideles, alii debiliores sint ex naturalibus causis, quam ut ad baptismum usque vivere possint, alii meliorem nacti sint corporis constitutionem, et ideo ad lavacrum regenerationemque perveniant. Sed haec responsio non videtur digna christianis, qui providentiam Dei erga homines ex sacris litteris et ecclesiastica traditione didicerunt. Nam si non cadit passer in terram sine Patre nostro, qui in coelis est, ut Salvator affirmat, quanto magis nos apud Deum pluris sumus illis? et si non disponeret Deus limites vitae et mortis hominum, quomodo diceret Ps. LIV: *Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos?* quomodo Sap. VII diceret: *Raptus est, ne malitia immutaret intellectum eius?* quomodo in Scriptura V. T. tam saepe repeteretur, eos, qui casu videbantur occisi, traditos esse a Deo in manu hostium aut ferarum? quomodo in ipsa lege divina promitteretur iis, qui parentes colunt ut debent, vita diuturna super terram? - Deus igitur non mutat quidem cursum naturae sinitque res omnes agere motus suos; tamen ante mundi constitutionem sine dubio vidit, quid ab initio usque ad finem accideret, si hoc aut illo modo rerum causas, totiusque naturae cursum ordinemque disponeret. Et cum in manu eius essent omnia, neque aliquid, nisi eo iubente aut permittente, fieri possit, procul dubio res ita disposuit, ut omnia cooperarentur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Quod igitur parvulorum alius baptizetur, alius sine baptismi gratia rapiatur, proxima causa referri poterit in causas naturales, ut parentum diligentiam, corporis complexionem, aliaque id genus; primaria tamen causa non alia esse potest, nisi divina voluntas » (2).

3. Cum de infantibus sine baptismo decedentibus sermo est, vere cum Apostolo exclamandum est: *O altitudo — quam incomprehensibilia sunt iudicia (Dei), et investigabiles viae eius! quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit* (3)? Certum enim ex una parte est, praedictos infantes ad omnes homines pertinere, quos Deus vult salvos fieri et pro quibus Christus mortuus est: ex altera vero parte pariter certum est, baptismum, quamvis pro omnibus praeparatus sit, ipsis non prodesse, neque solida ratione probari potest, Deum illis de tam necessarii remedii applicatione providisse. Difficillime ergo a nobis concipitur, quomodo dici queat, Deum tales infantes velle salvos fieri, et Christum pro ipsis mortuum esse, cum de salutis mediis nihil omnino participare possint. Maxime igitur conveniens hac in re esse videtur, ut ignorantiam nostram fateamur, et arcanum agnoscamus, humano ingenio non dilucidandum. — Quodsi humanis ratiociniis indulgere liceat, quaeri potest an possibile non

(1) L. 2 de grat. et lib. arb. cap. 12.

(2) Cf. Vasquez Diss. 96 in 1 P. Thom. Berti l. 18, cap. 8. Gazzaniga de grat. P. 1, diss. 5, c. 7, n. 329 et seq.

(3) Rom. 11, 33 etc.

sit dicendum, Deum qui voluit, ut baptismus fluminis in adultis per baptismum flaminis et sanguinis suppleri possit, ex infinitis sapientiae suae thesauris pro infantibus quoque medium quoddam statuisse, quo etiam in infantibus baptismus suppleretur? ac praeterea quaeri potest, num Deus, qui ex infinita bonitate decrevit, ut baptismus necessitate cogente a quocunque, masculo, vel foemina, imo et ab haeretico, vel infideli valide et licite conferri possit, non etiam Angelis facultatem tribuere potuerit, deficientibus hominibus baptisma infantibus, antequam expirent, ministrandi? *Nonne* Angeli *omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis* (1)? nonne exempla prostant, Angelos in defectu hominum Sacramentum Eucharistiae administrasse, quod non est tantae necessitatis ut baptismus? — et facultate obtenta a Deo, quis dubitabit, Angelos quibuslibet in circumstantiis infantibus morti proximis baptisma conferre et posse et velle? hoc autem posito, voluntas Dei salvandi infantes et participatio eorundem de meritis Christi clarissime apparerent, dogma de necessitate baptismi salvaretur et saluti infantium consultum esset. Sed — interrogando dicimus, non sententiam praecipitamus. Revelatio enim altum hac de re silentium tenet, neque permittit, ut circa propositas quaestiones certi aliquid affirmemus: quod mirae in omnibus sapientiae divinae adscribendum est. Nam si pro infantibus sine baptismo decedentibus spes salutis affulgeret, matres, praecipue quae ex fornicatione conceperunt, de vita et incolumitate prolis minus sollicitae essent, atque abortus maxime multiplicarentur. Quapropter etiam a nobis circa allatas quaestiones in circulis mundanis altum silentium observandum et veritatibus tantum clare revelatis insistendum est. Ex propositis tamen dubiis et quaestionibus inferri potest, non omni ex parte certum et inconcussum esse argumentum, quod multi ex diversa infantium sorte hauriunt ad absolutum praedestinationis decretum probandum.

(1) Hebr. 1, 14.

VI. *De inaequali gratiae mensura.*

§ 449. Ex hactenus dictis patet, Deum, cum vera et sincera animi propensione feratur in omnes homines, omnesque salvos et beatos esse velit, omnibus etiam gratiam et necessaria comparandae salutis praesidia et adiumenta suppeditare. Verum quamvis in omnes omnino homines, etiam reprobos, haec gratia diffundatur, qua si recte uti velint, filii Dei effici possint et regni coelestis haeredes; non tamen par et aequalis tribuitur omnibus. Idcirco multiformis vocatur in Scripturis, et sicut in aliquibus copiosa est et exuberans, ita aliis modice et quasi cum parsimonia dispensatur. Itaque auxilium gratiae Dei non aequaliter omnibus adest. « Haec propositio, ait em. *Bellarminus* (2), in divinis litteris ita luculenter habetur, ut mirum videri possit, ab ullo unquam fuisse negatam. » Et sane-pro enuntiata propositione *ex S. Scriptura*, *ex Traditione*, et *ex ratione theologica* argumenta peti possunt.

1. *Ex S. Scriptura* constat, auxilia gratiae non omnibus aequaliter conferri. Ad quod probandum *S. Augustinus* urget illud Sap. (3): *Raptus est, ne malitia mutaret intelle-*

(2) L. 2 de grat. et lib. arb. c. 2.
(3) C. 4, v. 11.

clum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Certe enim non omnibus hoc praestat Deus, ut eos rapiat antequam in peccata labantur. Urget etiam illud Matth. (1): *Si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent:* ubi videmus, Deum mirabili, sed iusto et sibi soli noto iudicio, non solum non aequaliter omnibus gratiae auxilia subministrare, sed etiam iis, quos credituros praevidebat, si miracula Christi vidissent, ea miracula non ostendisse, et eadem illis ostendisse, quos praevidebat, quibuscunque visis miraculis non credituros. Huc pertinent etiam alia Scripturae loca, ut illud Matth. XIII, 11: *Vobis datum est nosse mysteria regni coelorum; illis autem non est datum.* Rom. IX, 18: *Cuius vult miseretur, et quem vult indurat.* Et (2): *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* - II Thess. III, 2: *Non omnium est fides.* Et Phil. I, 29: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* — Inaequalem esse gratiae mensuram colligi etiam potest ex parabola talentorum, in qua dicitur: *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum* etc. (3): per talenta vero gratias intelligi, salutem aeternam respicientes, patet ex eo, quia de illis in adventu Domini, id est, in die iudicii ratio petitur, et pro acquisito vel neglecto lucro aut praemium redditur, aut poena. Quo etiam spectant verba Christi: *Omni autem, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo: et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo* (4); ex quibus verbis clarissime patet, inaequalem esse gratiae mensuram, et pro maiori vel minori gratiae mensura maiora vel minora merita requiri.

2. *Traditio* cum S. Scriptura consonat. *S. Chrysostomus* (5) in verba Pauli: *Haec autem operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (6), ita loquitur: « Vides, quam varia sit (gratia)? Multa, inquit, flumina, sed unus est fons. Varia sunt edulia, sed unus est convivator. Ergo cum tam magna, tamque multiplex sit spiritus gratia, ne defatigemur. » — *S. Augustinus* (7) ait: « Cur autem (Deus) illum adiuvet, illum non adiuvet, illum autem non tantum, istum illo, illum isto modo, penes ipsum est et aequitatis tam secretae ratio et excellentia potestatis: » *Auctor libr. de vocat. gent.* (8) scribit: « Gratia Dei omnibus hominibus adfluit providentia quidem pari et bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura: quoniam sive occulte sive manifeste, ipse est, ut ait Apostolus, Salvator omnium, maxime fidelium. » *S. Fulgentius* (9) de gratiae distributione loquens haec habet: « In cuius gratiae largitate quidam non leviter errant, existimantes, eam omnibus aequaliter dari. »

3. *Ratio theologica* desumitur ex veritatibus iam probatis. Constat enim, duplicem distingui gratiam, scilicet ab intrinseco efficacem, quae certo et infallibiliter operatur velle et perficere, et sufficientem, cuius efficacia aut inefficacia dependet a consensu voluntatis dato vel negato. Omnes autem admittunt, gratiam efficacem non omnibus dari; negari autem nequit, eam aliquibus dari: unde necessario infertur, auxilium gratiae divinae non

(1) C. 11, 21. (2) Ibid. c. 12, 3.
(3) Matth. 25, 15 etc.
(4) Luc. 12, 48.
(5) Hom. 3 de Anna matre Samuelis, n. 1.
(6) 1 Cor. 12, 11.
(7) L. 2 de pecc. merit. et remis. cap. 5.
(8) L. 2, cap. 31.
(9) L. 1, de verit. praedest. cap. 14.

aequaliter omnibus adesse. Neque dici potest, omnibus semper sufficientem tantum gratiam conferri, cui consentire debeant, ut petendo, quaerendo, pulsando uberiora et efficaciora gratiae auxilia obtineant. Quamvis enim ordinarie divina providentia ita procedere videatur, certo tamen constat, hincinde gratiam ab intrinseco efficacem omnem orationem piumque voluntatis motum praevenire et uno veluti momento operari velle et perficere pro bona voluntate. Sic Paulus illo ipso tempore, quo spirabat minas et caedes in discipulos Domini, conversus est, cum tamen multos minus fortasse malos in delictis suis Deus iacere permiserit. Similia exempla haud pauca in S. Scriptura et in historia ecclesiastica leguntur, ex quibus aperte colligitur, auxilium gratiae divinae non aequaliter omnibus adesse.

Nota. Propositioni enunciatae nonnulli opponunt loca S. Scripturae et Ss. Patrum, in quibus Deus dicitur omnes illuminare, omnium misereri, omnia diligere etc. Sed haec testimonia nostrae propositioni non adversantur; intelligenda enim sunt vel de bonis naturalibus, quibus omnes frui possunt, vel de mediis salutis pro omnibus institutis, qualia sunt praedicatio Evangelii, Sacramenta etc.; vel de gratiis sufficientibus, quae omnibus ex gratuita misericordia conferuntur. Et sane, quamvis Deus dicatur omnes illuminare, omnium misereri etc., non tamen in istis locis exprimitur, quomodo Deus omnes illuminet, omnium misereatur etc. Et cum iste modus varius esse possit et varius sit, ut argumenta allata ostendunt, intacta manet veritas, quam probavimus (1).

(1) Cf. Bellarmin. l. 2, de grat. et c. 3; Gazzaniga de grat. p. 1, diss. 5, cap. 7, prop. 2.

Usus doctrinae de gratiae distributione.

§ 450. Ex veritatibus hoc in capite pertractatis varia officia practica profluunt.

1. Si gratia est gratuita, agnoscere et laudare oportet bonitatem divinam, quae gratias, quas nemini debet, largiter in omnes diffundit. Recte igitur regius Propheta exclamat: *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi; quoniam confirmata est super nos misericordia eius, et veritas Domini manet in aeternum* (2). Hanc Dei beneficentiam eo magis admirari et laudare debemus, quo magis non solum propter peccatum originale, sed etiam propter peccata actualia gratiis divinis indigni eramus: unde cum Psalmista profiteri tenemur: *Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors: — non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis* (3) etc. Apostolus quoque nos frequenter exhortatur, ut pro gratiis divinis gratum animum exhibeamus; ait enim Colos. III, 15: *Grati estote.* I. Thess. V, 18: *In omnibus gratias agite: haec est enim voluntas Dei* (4). Eodem modo Ss. Patres gratiarum actionem pro auxiliis a Deo obtentis inculcare non cessant. *S. Bernardus* (5) inquit: « Felix, qui ad singula dona gratiae redit ad eum, in quo est plenitudo omnium gratiarum; cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiae, ut maiora adhuc percipere mereamur. » Et (6) in Cantic. idem Doctor mellifluus ait: « Disce in referendo gratiam non esse tardus, aut segnis: disce ad singula dona gratias

(2) Ps. 116. (3) Ps. 102, 8 etc
(4) Cf. 1 Tim. 2; 1 Phil. 4, 6.
(5) Serm. 27 de divers. (6) Serm. 81.

agere. Diligenter, inquit Sapiens (1), considera, quae tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique iubemur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima beneficia oblivisci. Numquid non perit, quod donatur ingrato? Ingratitudo inimica est animae, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiae, fluenta gratiae. »

2. Ex tradita doctrina elucet *orationis necessitas*. Quamvis enim Deus ex infinitis misericordiae suae thesauris multas nobis conferat gratias, priusquam ad illum recurramus, aut de illis cogitemus; alia tamen, et quidem uberiora ac efficaciora gratiae auxilia nonnisi petentibus, quaerentibus et pulsantibus elargiri decrevit. Ideo Christus frequenter nos ad orationem exhortatur. *Ego dico vobis*, inquit: *Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur... Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se* (2). *Oportet semper orare et non deficere* (3). *Vigilate, omni tempore orantes, ut digni habeamini... stare ante Filium hominis* (4). *Orate, ne intretis in tentationem* (5). Idem officium inculcant Apostoli. Paulus monet fideles, ut sint *per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione* (6); et: *Sine intermissione orate* (7). Petr.: *Estote itaque prudentes et vigilate in orationibus* (8). Imo iam in V. T. assidua oratio maxime commendata fuit. Eccli. (9): *Non impediaris orare semper*. Tob. (10): *Omni tempore benedic Deum et pete ab eo, ut vias tuas dirigat et omnia consilia tua in ipso permaneant.* — Quam necessariam atque utilem Ss. Patres orationem iudicaverint, patet ex eorum testimoniis § 435, nota 1 citatis. Ratio in promptu est. Sicut enim gratia necessaria, ita gratuita est; et si Deus eam nemini debet, eandem tamen debito modo petentibus promisit. Tanquam mendici ergo, omnimodam infirmitatem et indignitatem nostram agnoscentes, *adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in tempore opportuno* (11).

3. Cum Deus largiter gratiae suae dona distribuat tum peccatoribus, ut ad poenitentiam agendam adigantur, tum iustis, ut ad bona opera perficienda excitentur; liberum vero arbitrium, ut docet *Concilium Tridentinum*, a Deo motum et excitatum dissentire possit, si velit: summi profecto momenti est, ut omnes monitum Apostoli continuo attendant: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (12). Sedulo igitur ad motus gratiae et ad inspirationes divinas attendendum et sollicite cavendum est, ne animae aures per continuam mentis dissipationem, per saecularium curarum strepitum, aut deliciarum mundi rumorem ad audiendas internas divini benefactoris voces ineptae reddantur. Sed neque has voces audire sufficit, sed iisdem etiam obtemperare oportet; gratia enim exigit, ut ipsi velociter, strenue et constanter cooperemur. Hanc cooperationem negligentes, merito timemus, ne eam-

(1) Prov. 33.
(2) Luc. 11, 9 etc.
(3) Luc. 18, 1.
(4) Luc. 21, 36.
(5) Luc. 22, 40.
(6) Ephes. 6. 18.
(7) 1 Thess. 5, 17.
(8) 1 Petr. 4, 7. — Cf. Rom. 12, 12; Col. 4, 2.
(9) C. 18, 22.
(10) C. 4, 20
(11) Hebr. 4, 16.
(12) 2 Cor. 6, 1.

dem experiamur sortem, quam sustinuit servus inutilis, qui acceptum talentum in terra abscondit et sine lucro inventus, proiectus est in tenebras exteriores (1).

4. Observat S. *Augustinus* (2) nihil esse tam familiare peccantibus, quam tribuere Deo velle, undecunque accusantur. Imo illum esse superbiae humanae characterem, confirmat (3) dicens: « Procliviores sumus quaerere potius quid contra ea respondeamus, quae nostro obiiciuntur errori, quam intendere, quam sint salubria, ut careamus errore. » His vero peccatoris excusationibus non minuitur culpa, sed in immensum augetur. Quod probat Magnus *Gregorius* (4) exemplo protoparentum, qui « adhibere sibimet defensionis solatia, quam confessionis elegerunt, cumque excusare peccatum voluerit vir per mulierem, mulier per serpentem, auxerunt culpam, quam tueri conati sunt: oblique Adam Dominum tangens, quod ipse peccati eorum auctor extiterit, qui mulierem fecit; et Eva culpam ad Dominum referens qui serpentem in paradiso posuisset. » Simili modo etiamnum homines vitia sua excusare student et praecipue de gratiae divinae defectu conqueruntur, cui tristes suos lapsus adscribunt. Ast ad iniquas huiusmodi excusationes e medio tollendas allata doctrina optime inservit. Iusti enim, si a via mandatorum divinorum recedunt, certe nunquam de gratiae divinae defectu conqueri possunt, cum de fide credendum sit, iustis omnibus, praesertim vero volentibus et conantibus, nunquam deesse gratiam vere ac relative sufficientem ad servanda omnia praecepta. Sed etiam peccatores cavere debent, ne defectui gratiae adscribant, quod propriae tantum malitiae imputandum est. Divina enim misericordia ipsos variis modis ad poenitentiam benignissime vocat, eisque ad observanda divina praecepta sufficientes gratias impertitur. Ipsi vero vel ob culpabilem mentis dissipationem ad vocationes divinas non attendunt, vel illis impie resistunt et per humilem orationem uberiora et efficaciora gratiae auxilia implorare negligunt. Unde cuilibet peccatori pereunti dicendum est, quod Deus ipse populo Israëlitico dixit: *Perditio tua ex te, Israël: tantummodo in me auxilium tuum* (5).

1) Matth. 25, 24-30.
2) Lib. 2 de Gen. ad Manich.
(3) Lib. de nat. et grat. cap. 25.
(4) Lib. 22 Moral. cap. 9. (5) Ose. 13, 9.

CAPUT V.

DE GRATIA SANCTIFICANTE, DE IUSTIFICATIONE PECCATORIS, ET MERITO BONORUM OPERUM

§ 451. Gratiae actuales, de quibus hucusque disputatum fuit, a Deo ordinantur ad gratiam sanctificantem vel producendam in peccatore, vel conservandam, aut augendam in iusto. Summi igitur momenti est, ut gratiam sanctificantem recte cognoscere satagamus; deinde inquiramus, quid ipsa in peccatore operetur, per quas dispositiones ab isto acquiratur, ac quibusnam proprietatibus insignita sit; ultimoque perpendamus, quam salubres fructus ipsa in iusto producat. Quamobrem, ut gravissima haec doctrina clare, solide et complete tradatur, tractandum est, 1° *de gratia sanctificante*, 2° *de natura iustificationis peccatoris*, 3° *de dispositionibus ad iustificationem requisitis*, 4° *de proprietatibus iustificationis*, ac 5° *de merito bonorum operum*.

Nota. Quanti momenti doctrina pertractanda suscipiatur, ex eo potissimum manifestum est, quia Prote-

stantes, quamvis speciem quamdam gratiae sanctificantis verbis saltem profiteantur, attamen quoad doctrinam de iustificatione et de merito bonorum operum in gravissimos errores prolapsi sunt, a S. Scriptura et constanti Traditione longissime declinantes. — Dantur inter recentiores Theologos, qui mox ab initio huiusce tractatus tum totum Protestantium systema erroneum, tum verum doctrinae catholicae systema historice proponunt, ut controversiarum status innotescat. Ast-ne eadem bis, terve repetenda sint, in tractationis decursu errores Protestantium explicabuntur, statimque istis dogmata catholica opponentur.

ARTICULUS I.
De gratia sanctificante.

§ 452. Gratia sanctificans vulgo definitur, supernaturale Dei donum permanenter inhaerens animae, quo homo immediate et formaliter sanctus redditur, iustus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, capax eliciendi opera meritoria vitae aeternae, eiusdemque haeres. Huius gratiae sanctificantis *existentia* probanda, *excellentia* ostendenda, ac demum *de nonnullis quaestionibus theologicis* agendum est, quae circa gratiam sanctificantem a Theologis catholicis discutiuntur.

Nota. Gratia, de qua loquimur, iuxta varias qualitates quibus insignitur, et effectus quos producit, varia nomina sortitur: dicitur enim gratia *sanctificans*, quia hominem sanctum facit; *iustificans*, quia hominem a peccatis purgatum, iustum, Deoque gratum reddit; *habitualis*, quia non in actu transeunte, sed in statu perdurante, seu in habitu animae infuso eique inhaerente consistit; *charitas Dei diffusa in cordibus nostris*, quia Deus hominem ista gratia ornatum diligit et ab ipso diligitur; *amicitia Dei*, seu *unio cum Deo*, quia per eandem gratiam Deo coniungitur; *adoptio*, seu *filiatio*, quoniam per illam constituimur filii Dei adoptivi; *semen divinum* (1), quia opera meritoria producit; ac tandem *pignus haereditatis*, quia ius tribuit ad beatitudinem aeternam.

(1) 1 Io. 3, 9. (2) P. 3, sect. 2, c. 2, a. 4.

I. *De gratiae sanctificantis existentia.*

§ 453. Gratiam sanctificantem, prout supra descripta fuit, vere existere, satis manifestum est ex iis, quae de saluberrimis, quos Redemptio Christi nobis attulit, effectibus (2) dicta sunt. Christus enim (§ 377), ut Mediator, homines Deo reconciliavit, iisque gratiam sanctificantem meruit, per quam interius regenerantur, sancti, iusti, Deo grati, eiusdem filii adoptivi et regni coelestis haeredes constituuntur. Vere autem dari homines in hoc felicissimo statu repositos, seu gratiam sanctificantem actu hominibus concedi, specialibus argumentis *ex S. Scriptura* et *Traditione* petitis probari potest.

1. *S. Scriptura* gratiam sanctificantem intuitu meritorum Christi hominibus conferri frequenter testatur. Sic de Filio Dei dicitur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui... ex Deo nati sunt* (3); quibus verbis clare asseritur, homines Verbum incarnatum fide viva, seu charitati iuncta recipientes, Dei filios non solum nominari, sed fieri, et quidem ideo fieri, quia ex Deo nascuntur, seu per gratiam divinam ita regenerantur, ut a statu peccati in statum iustitiae transeant. Christus ipse in sermone post ultimam coenam habito praeclare o-

(3) Io. 1, 12.

stendit, hominem per gratiam sanctificantem Deo gratum et charum fieri, ac intime cum ipso uniri. Ait enim: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum* (1); et iterum (2): *Si quis diligit me sermonem meum servabit: et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus:* ubi autem est Pater et Filius, ibi adest et Spiritus sanctus; quapropter iam antea (3) ad discipulos suos de Spiritu veritatis dixit: *Vos cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.* Deus autem, qui ubique est et immobilis, dicitur venire et manere non per loci mutationem, sed per novam operationem, quam loco quodam exercet. Sic hic Deus dicitur venire ad fideles et iustos per gratiam, qua fit, ut Deum diligant et a Deo diligantur et mutuo charitatis vinculo cum Deo uniantur. Neque hic de actu dumtaxat transeunte sermo est, sed potius de statu permanente, seu de dono divino animae inhaerenti, quia Spiritus sanctus *manere* et Pater ac Filius *mansionem facere* dicuntur. In eodem sermone (4) Christus discipulos suos *mundos* et *amicos suos* declarat; atque ait (5): *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi et maneo in eius dilectione:* sicut ergo Christus vera, interna et constanti dilectione in Patre manet, ita etiam iusti vera, interna et perduranti dilectione cum Christo coniunguntur. — Paulus eodem modo gratiam sanctificantem describit. Ad Rom. enim ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (6); ex quibus verbis clarissime elucet, charitatem Dei non externe tantum, sed interne *in cordibus nostris* diffundi *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, et per quem anima regeneratur, sanctificatur et Deo grata redditur. Quod Apostolus fusius declarat ibidem (7) dicens: *Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater) Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi:* quae verba luculenter ostendunt, Spiritum sanctum, qui datus est nobis, per gratiam sanctificantem, quam elargitur, efficere, ut filii Dei et haeredes aeternae gloriae constituamur. Idem (8) exclamat: *Nescitis, quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?* et (9): *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui habitat in vobis?* — Homini ergo iusto Spiritus sanctus non solum dona transeuntia, seu gratias actuales impertitur, quas etiam peccatores obtinent, sed in illo permanenter habitat per fidem, spem et charitatem, quas infundit. Quamvis autem Spiritus sanctus praecipue in anima resideat, quam charitate sibi coniungit, Apostolus tamen etiam *membra* seu corpus iusti templum Spiritus sancti nominat, quia anima in corpore habitat, quod est secundum humanae naturae constitutivum; nam, ait *Bernardinus a Piconio* (10): « Totus homo templum Dei est; mens hominis quasi adytum templi; animae facultates basilica; corpus vero quasi porticus. » — S. Ioannes in prima sua Epi-

(1) Io. 14, 21. (2) V. 23. (3) V. 17.
(4) Cap. 15, v. 3 et 14. (5) V. 10.
(6) Cap. 5, 5. (7) Rom. 8, 14 etc.
(8) 1 Cor. 3, 16. (9) Ib. c. 6, v. 19.
(10) In 1 Cor. 6, 19.

stola gratiam sanctificantem ut maximum Dei donum praedicat, quod nos filios Dei et gloriae coelestis haeredes constituit et animae nostrae permanenter inhaeret (1): *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus... Charissimi, nunc filii Dei sumus: et nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Et (2) subdit : *Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum ut fiduciam habeamus in die iudicii : quia sicut ille est et nos sumus in hoc mundo.*

2. *Ss. Patres* eandem gratiae sanctificantis notionem tradunt. *S. Ignatius M.* Ep. ad Magnes. (3) scribit: « Sicut infideles mundi huius, ita fideles in charitate Dei Patris characterem per Iesum Christum in se portant. » Et Ep. ad Ephes. (4): « Ita in omnibus agere volumus, quasi Deum nobis inhabitantem cernamus, ut ipsius templa simus et ipse sit Deus noster, sicuti etiam vere in nobis habitat et se nobis communicat, si eum fideliter diligamus. » *S. Irenaeus* lib. V adv. haer. (5) cum dixisset, homines gratia sanctificante orbatos recte mortuos vocari, ita prosequitur: « Omnes autem, qui Deum timent, adventum Filii eius credunt et per fidem Spiritum Dei in suis cordibus recipiunt, recte homines puri, spirituales, Deo viventes nominantur, quia Spiritum Patris habent, qui hominem mundum reddit et ad vitam divinam elevat. » Et inferius addit, quod tales homines « Verbo Dei similes fiant; unde Apostolus (6) dicit: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis.* » *S. Cyprianus*, vel alius auctor in insigni libro de singularitate Clericorum ait: « Sicut modica aquae gutta, multo vino infusa, a se tota deficit, vinique saporem et colorem induit; ferrum candens pristina propriaque forma exuitur et igni simillimum efficitur; solis radio aër perfusus in eandem transformatur luminis claritatem et speculum radiis solaribus directe irradiatum solis in se recipit similitudinem, idque putares alterum esse solem: ita etiam Sancti Dei charitate in intimis suis totaliter penetrantur, sicque deiformes effecti in Dei similitudinem transformantur. » *Tertullianus* adv. Marcion. (7) ait: « Itaque ut certum esset, nos filios Dei esse, misit Spiritum suum in corda nostra clamantem: Abba (Pater): » et (8) de cult. foem. iustos omnes ita loquentes inducit: « Omnes templum Dei sumus, illato in nos et consecrato Spiritu sancto. » *S. Athanasius* (9) dicit: « Non igitur cum homo esset (Christus), postea Deus factus est; sed contra, cum Deus esset, postea homo factus est; quo nos ipse potius deos efficeret, » seu « ut nos sui Patris filii essemus, » ac « ut infusa in Dominum, tanquam in hominem, sanctitas in omnes homines ab ipso dimanaret. » *S. Gregorius Nyss.* Orat. in diem luminum, seu in baptismum Christi, ait: « Filii Dei post gratiam (baptismo acceptam) vocamur, atque idcirco exacte convenit inspicere Patris nostri (coelestis) proprietates, ut ad similitudinem Patris nosmet formantes et effingentes legitimi appareamus filii eius, qui nos ad adoptionem, quae per gratiam contingit, vocavit. » Idem de scopo Chri-

(1) Cap. 3, v. 1. (2) Cap. 4, v. 16 et 17.
(3) Cap. 5. (4) Cap. 15.
(5) Cap. 9, n. 1 et seq. (6) 1 Cor. 15, 49.
(7) L. 1, cap. 5. (8) Lib. 2, c. 1.
(9) Or. 1, c. Arian. n. 39, 38 et 47.

stianorum dicit: « Dives et opulentus Spiritus sanctus, qui semper infunditur in eos, qui gratiam acceperunt, cooperans et inhabitans permanet, ac bonum in unoquoque construit iuxta animae studium in bonis operibus. » *S. Basilius* (1) ita loquitur: « Quemadmodum ars est in eo, qui illam adeptus est: ita gratia Spiritus in eo, qui recepit eam, semper quidem praesens est, at non perpetuo operans. » *S. Ambrosius* (2) tractans de baptismo ait: « Spiritu a Deo signati sumus. Sicuti enim in Christo morimur, ut renascamur; ita etiam Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem eius et gratiam tenere possimus; quod est utique spiritale signaculum. Nam et si specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis coelestis effigiem. Quis igitur audeat dicere, discretum a Deo Patre et Christo esse Spiritum sanctum, cum per ipsum ad imaginem et similitudinem Dei esse mereamur, et per ipsum fiat, ut divinae simus consortes naturae. In quo utique non carnalis successionis haereditas, sed adoptionis gratiae spirituale commercium est. » *S. Chrysostomus* (3) expendens verba: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* etc., ita disserit: « Unigenitus Dei Filius publicanos non dedignatur, magos, servos, multos etiam corpore mutilos, vel magna affectos labe, in filiorum numerum adscribere. Tanta est fidei in Christum virtus, tanta gratiae magnitudo. Ac quemadmodum ignis natura, si metallorum terram attigerit, illam cito aurum reddit; sic, imo longe magis baptisma, quos abluit, aureos ex luteis reddit, Spiritu ignis instar illo tempore in animas nostras incidente et lutea absumta imagine, coelestem, novam et splendidam imaginem, quasi ex conflatura splendentem referente. » Idem (4) inquit: « Nos ipsos, si sobrii fuerimus, Dei templa facit gratia Spiritus, ut magna undique nobis precandi facultas adsit. » *S. Augustinus* (5) ait: « Deus unicum eundem ipsum, quem genuerat, misit in mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille enim venit Unigenitus solvere peccata, quibus peccatis implicabamur, ne adoptaret nos propter impedimentum eorum. Quos sibi fratres facere volebat, ipse solvit et fecit cohaeredes... Hi ergo *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ut autem homines nascerentur ex Deo, primo ex ipsis natus est. Christus enim Deus et Christus natus ex hominibus. Non quaesivit quidem matrem ex hominibus, quia iam Patrem habebat in coelo: natus ex Deo, per quem efficeremur; et natus ex foemina, per quem reficeremur. Noli ergo mirari, o homo! quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex Deo secundum Verbum eius. » Idem (6) scribit: « Habitare in baptizatis parvulis Spiritum sanctum ideo dicitur, quia in eis occulte agit, ut sint templum eius; idque in proficientibus et proficiendo perseverantibus perficit. » *S. Cyrillus Alex.* (7) inquit: « Natum est nobiscum secundum carnem illud ex Deo Patre Verbum, ut nos quoque illam ex Deo per Spiritum nativitatem acquiramus, neque iam carnis filii si-

(1) De Spiritu sancto c. 26, n. 61.
(2) L. 1 de Spiritu sancto n. 79 etc.
(3) Hom. 10 (al. 11) in Ioan. n. 2.
(4) Serm. 4 de Anna n. 6.
(5) Tract. 2 in Ioan. 1, 12 etc. n. 13 et seq.
(6) Epist. 187, n. 26 (7) L. 3 c. Nestor. c. 2

mus, sed in ea, quae supra naturam sunt, immutemur et filii Dei per gratiam simus... Ad haec autem (sanctificationem et iustitiam) nos etiam attollit ipsum Dei Patris Verbum, dum suae divinae naturae per Spiritum participes efficit; habet ergo fratres sibi similes et divinae suae naturae portantes imaginem, quod ad sanctificationis modum attinet.»

3. His S. Scripturae et Ss. Patrum testimoniis insistens *Concilium Tridentinum* gratiae sanctificantis existentiam et naturam satis perspicue definivit, Sess. VI, cap. 7 dicens: *Iustificatio... non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex iniusto fit iustus, et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae;* et inferius addit: *Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhaeret: unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem* etc. Ac tandem hoc monitum adiicit: *Itaque veram et christianam iustitiam accipientes, eam ceu primam stolam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam et immaculatam iubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal D. N. I. Christi, et habeant vitam aeternam.* In hac Concilii doctrina omnes gratiae sanctificantis characteres clare exhibentur, qui in eiusdem definitione § 452 expositi sunt.

II. *De gratiae sanctificantis excellentia.*

§ 454. Gratiae sanctificantis excellentiam cl. *Contenson.* in Theol. mentis et cordis (1) his verbis lectu dignissimis praedicat: « Gratia sanctificans simpliciter, et antonomastice gratia dicitur, quia caeterae quaeque vel dispositiones ad illam sunt, vel fructus, vel illius ancillae, vel certe tutelae. Illa filii Dei, fratres Christi, membra corporis eius, organa Spiritus sancti, templa Trinitatis, cives Sanctorum, domestici Dei, amici, et familiares eius, novae creaturae efficimur. Haec est novi gratia Testamenti, quam praedixerunt Prophetae, ad quam suspirarunt Patriarchae, quam sanguine suo Redemptor obtinuit. Illa e captivis liberi, e servis filii, e terrenis coelestes reddimur. Per illam Christum induimus, in Christo vivimus, in Christo morimur, sepelimur, resurgimus, et in coelestibus habitamus. Illa ignis est ille divinus, quem Christus venit mittere in terram, quove eam voluit vehementer accendi: ignis, inquam, non comburens, sed illuminans, sed sanans, sed roborans, sed perficiens. Illa sanantur infirmitates, diriguntur obliquitates, temperantur passiones, informantur inclinationes, complanantur difficultates humanae, habilitantur impotentiae. Haec est coelestis habitus, quo decoratur anima; sacra affectio, qua delectat iustitia, sancta passio, qua in coelum ferimur, pura radix, unde germinant fructus honoris et honestatis, arbor vitae, qua vires reficimus, qua pascimur, et spiritus pinguedine saginamur. Et quemadmodum cor humanum fons perennis est vitae, unde calor et spiritus in membra singula derivantur, sic Spiritus sanctus (qui a S. Thoma *cor Ecclesiae*, sicut Christus caput dicitur) per gratiam istam inhabitans sacrum ignem, et pios motus in animae facultates, sanctas nimirum cogitatio-

(1) L. 7. diss. 5. cap. 1. specul. 1

nes et flammantia desideria continenter effundit. » Simili modo alii quoque Theologi gratiae sanctificantis donum magnis encomiis extollunt. Ut autem penitius tanti doni excellentia cognoscatur, considerari meretur, quod Theologi passim asserunt, nempe gratiam sanctificantem *honores incomparabiles, divitias inestimabiles, felicitates ineffabiles* conferre.

1. Omne donum gratiae supernaturalis tantis intervallis excedit bona naturalia, ut ex recepta certaque *S. Thomae* doctrina, summum in natura non assequatur id quod est minimum in gratia. Omnes quippe res per suas classes distributae sunt: inferiores non attingunt eas, quae superioris sunt ordinis: res inanimatae non possunt attingere perfectionem viventium: res vegetantes ad sentientes non perveniunt: res dumtaxat sensu praeditae nequeunt rationalibus aequari, neque homines Angelis, neque cunctae in universum naturae creatae gratiae sanctificanti, quae est ordinis supernaturalis, et iustum evehit ad divinum statum. Id patet ex celebri et expresso testimonio Principis Apostolorum de Deo Patre scribentis: *per quem* (Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae* (1). Haec autem divinae naturae participatio non solum moralis est, consistens in rectitudine voluntatis et imitatione sanctitatis, et iustitiae Dei in suis operibus, sed vere etiam physica est, quia ex spirituali et ineffabili generatione a Deo ipso repetitur. Ait enim Ioannes (2): *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt;* et Iac. I, 18 legitur: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius.* Non autem sic intelligenda est participatio physica, quasi per gratiam natura divina quoad essentiam communicetur homini, sicut in humanis natura parentis communicatur filio; hoc enim modo solum communicatur natura divina intra Deum divinis personis; sed intelligenda est accidentaliter per similitudinis participationem, seu per donum aliquod ab ipsa quidem essentia divina distinctum, sed eam tamen analogice et imperfecte imitans et exprimens. Certum autem est, per istam participationem naturam humanam in statum supernaturalem, imo ad divinam quandam dignitatem elevari, imaginem divinam et similitudinem cum Deo, per peccatum perditam reparari, talemque animae pulcritudinem conciliari, quae omnia, quaecumque speciosa et amabilia in terris inveniuntur, longissime superat. Recte igitur dicitur, Reges et Principes, in suprema potestate constitutos, sed gratia sanctificante destitutos, dignitate longe minores esse iusto, etsi humillimo et cunctis terrae bonis depauperato. Quinimo quantacumque sit dignitas naturae angelicae, attamen si haec gratia sanctificante orbata sit, dignitate animae iustae longe inferior est. Haec enim cum ipso Deo intime coniuncta et unita est. Quam unionem Christus ipse mire contestatur de discipulis suis dicens: *Pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. — Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos*

(1) 2 Petr. 1, 4.

(2) Cap. 1, v. 12 etc.

unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti(1). Haec autem unio animae cum Deo non solum in vinculo consistit, quod amicos coniungit, sed etiam in vinculo, quod inter parentes et filios viget. *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (2). Quodsi quisque maximo sibi honori ducit, si Imperatoris, Regis, aut Principis filius dicatur, et sit: quanto maioris gloriae aestimandum est, filium Dei, Domini coeli et terrae, vocari et esse? — Recte S. *Chrysostomus* (3) exponens verba: *Gratia vobis, et pax a Deo Patre et D. N. Iesu Christo*: « Papae! exclamat, quantum potuit Dei dilectio! Inimici, et reprobi repente sancti et filii sunt effecti. Cum enim Patrem vocat, filios indicat; cum filios dicit, omnem bonorum thesaurum revelat. Perseveremus bono tanto dignam vitam exhibentes, et pacem sanctitatemque servantes. Caeterae quippe dignitates temporaneae sunt, ac cum praesenti vita avolant, pecunia quoque venduntur; unde non dignitates quis dixerit; sed dignitatum nomina tantum, quae in vestium magnificentia, et satellitum adulatione vim habent. Hoc autem, utpote a Deo collatum, donum sanctificationis et adoptionis morte non tollitur, sed et hic splendidos efficit et ad futuram vitam nobiscum migrat. » Et *S. Cyprianus* (4) inquit: « Nunquam humana opera mirabitur, quisquis cognoverit se filium Dei: deiecit se de culmine generositatis, qui admirari aliquid post Deum potest. »

2. Quales sint divitiae maximi aestimandae, Christus aeterna veritas et infinita sapientia nos edocuit dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo, et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur* (5); quibus verbis erudimur, bona opera, quibus praemium in coelo promissum est, esse thesauros omni aestimatione dignos. Ast - quicumque per lethale peccatum gratiam sanctificantem amittit illico spiritualiter moritur; licet enim corpore vivat, mortua est eius anima; ipsius bona opera mortificata sunt, eiusque anima ad comparanda sibi merita pro vita aeterna omnino inhabilis est (§ 243, n. 3). Quanta thesaurorum iactura, qui tamen per gratiam sanctificantem denuo recuperantur! nam qui ciderunt in peccatum, si vivi ex mortuis postea fiant, gratia, quae mortuam animam ad vitam revocat, merita mortificata vivificat, eisque deperditum restituit valorem, quod testatur propheta dicens: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua* (6). Quinimo anima, quamprimum gratia sanctificante ornatur, ad merita sibi pro vita aeterna comparanda idonea, et habilis redditur. Unde S. *Thomas* (7) sanctificantis gratiae duplicem effectum distinguit, unum formalem, alterum effectivum. Prior in eo est, ut hominem Deo gratum et acceptum faciat; posterior, ut eum inclinet ad opera bona, pro naturali scilicet conditione omnium habituum, qui semper inclinant ad actus sibi conformes. Idcirco S. Ioannes(8) dicit: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et*

(1) Io. 17, 19 etc. (2) Rom. 8, 14.
(3) Hom. 1, in Ep. ad Rom. n. 4.
(4) Lib. de Spectac. (5) Matth. 6, 19 etc.
(6) Ezech. 33, 12. (7) 1 2, q. 111, art. 2.
(8) 1 Ep. 3, 9.

non potest peccare, quoniam ex Deo natus est; id est, qui sanctificantem gratiam in se retinet, non peccat, mandata divina non transgreditur, sed ista observando bona opera perficit, meritisque pro aeterna vita locupletatur. Christus ipse (1) dicit: *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum;* quae verba innuunt, per spiritualem cum Christo unionem, seu per gratiam sanctificantem animam non solum in eo statu constitui, in quo opera Deo accepta et meritoria pro vita aeterna perficere potest, sed eandem etiam ad haec suscipienda excitari, et in iis perficiendis adiuvari, quia sicut palmites ex vite, quacum uniuntur, succum trahunt; ita iusti a Christo, quocum intime coniuncti sunt, gratiae auxilia recipiunt. Vere igitur gratia ipsius sententia Salvatoris est fons aquae salientis in vitam aeternam (2). His accedit, quod iustus sit membrum vivum corporis Ecclesiae, cuius caput Christus est, ac ideo ob communionem sanctorum onium bonorum operum ac meritorum, quae in Ecclesia fiunt, particeps reddatur; quod docet *Catechismus romanus* (3) dicens: « Sed alia etiam communio in Ecclesia cogitanda est. Quaecumque enim pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et ut illis prosint, charitate, quae non quaerit quae sua sunt, efficitur. Id vero cum *S. Ambrosii* testimonio (4) comprobatur, qui locum illum Psalmi explanans: *Particeps ego sum omnium timentium te*, ita inquit: « Sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic coniunctum omnibus timentibus Deum. » Quare Christus eam nobis orandi formam praescripsit, ut diceremus: *Panem nostrum*, non *meum;* ac reliqua eius generis, non nobis tantum, sed omnium saluti et commodis prospicientes. » At vero haec bonorum communicatio, membrorum humani corporis aptissima similitudine in sacris litteris saepe demonstrantur (5): nam in corpore multa sunt membra; sed etsi multa sunt, unum tamen corpus constituunt etc. » Inferius autem n. 26 addit: « At vero tot, tantisque muneribus et bonis divinitus collatis illi fruuntur, qui in charitate vitam christianam degunt, iustique et cari Deo sunt. Membra vero mortua, nimirum homines sceleribus obstricti, et a Dei gratia alienati, hoc quidem bono non privantur, ut huius corporis membra esse desinant; sed cum sint mortua, fructum spiritualem, qui ad iustos et pios homines pervenit, non percipiunt: tametsi cum in Ecclesia sint, ad amissam gratiam vitamque recuperandam ab iis adiuvantur, qui spiritu vivunt, et eos fructus capiunt, quorum expertes esse dubitari non potest, qui omnino ab Ecclesia sunt praecisi. » Ex his facile colligitur, quam copiosae et pretiosae sint divitiae, quae per gratiam sanctificantem acquiruntur.

3. Cum gratia sanctificans homines haeredes Dei et cohaeredes Christi constituat, illisque aeternam in coelo beatitudinem acquirat, quae tam immensa est, ut nec verbis explicari, nec sensu in hac vita percipi, nec intellectu humano comprehendi possit; nemo profecto dubitabit, gratiam sanctificantem felicitates ineffabiles conferre. — Ast non solum in altera, sed etiam in praesenti vita sanctificans gratia homines vere iucundos et felices reddit. Quamdiu enim homo in statu peccati commoratur, a vera felicitate longe remotus est. Nam, ait

(1) Io. 15, 5. (2) Io. 4, 14.
(3) P. 1, cap. 10, n. 25.
(4) Serm. 8 in Ps. 118.
(5) Rom. 12, 4 etc.; 1 Cor. 12, 13; Ephes. 4, 16.

S. Augustinus (1) : « Quisquis malus est, male secum est, torqueatur necesse est, sibi ipsi tormentum est; ipse enim poena sua, quem torquet conscientia sua. » Et quomodo non continuo torqueatur ille, qui Deum omnipotentem sibi inimicum, seque aeterni supplicii reum cognoscit ? — Verum gratia sanctificans, cum peccatum penitus tollat et extinguat, timoris et moeroris causam removet, et, cum hominem Dei amicum, imo et filium, ac aeterni regni haeredem constituat, suavissimae laetitiae fontem aperit. Qua de re Christus ipse nos certos reddit; cum enim (2) dixisset: *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in eius dilectione*, mox addit (3) : *Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur:* id est, haec vobis dixi, ut in vobis semper sit gaudium simile gaudio, quod est in me, qui gaudeo, quod a Patre diligor : ita et vos mandata mea servate, ut semper a Patre meo diligamini et gaudeatis, ac gaudium vestrum per suaves gratiae consolationes crescat in hac vita et plane impleatur in aeterna vita. Quantum autem sit gaudium, quod gratia iam in hac vita affert, praeclare describit *S. Bernardus* (4) dicens : « Revera illud verum et solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur et quod, cum possederis, nemo tollet a te. Cui comparata omnis alia iucunditas moeror est; omnis suavitas dolor est; omne dulce amarum, omne decorum foedum, omne postremo quodcunque aliud delectare possit, molestum. » De eadem felicitate, quae ex gratia sanctificante prodit, eleganter disserit *S. Chrysostomus* (5). « Qui adoptionem servat, ait, et sanctificationem accurate custodit, illo, qui diademate redimitur et purpura induitur, longe splendidior, feliciorque est, atque in praesenti vita tranquillitate fruitur magna, spe bona fretus, nullamque habens tumultus et perturbationis occasionem, sed voluptate perpetua gaudens. Hilaritatem enim et laetitiam non imperii magnitudo, non vis pecuniarum, non potentiae fastus, non corporis robur, non lauta mensa, non vestium ornatus, non aliud quidpiam humanum parere solet, sed recte factum spirituale tantum et bona conscientia. Qui puram illam servat, etiamsi laceris pannis induatur, laetior est iis, qui in summis deliciis versantur : ut viceversa, qui malorum sibi conscius est, etiamsi omnibus opibus circumfluat, omnium miserrimus est. Ideoque Paulus in assidua fame et nuditate versans, flagellis quotidie caesus, plus quam reges gaudebat et laetabatur. Achab vero regnans et lautis fruens deliciis, quia peccatum illud admiserat; gemebat, anxius erat et vultus eius conciderat et ante peccatum et post peccatum. Si velimus ergo voluptate frui, ante omnia nequitiam fugiamus virtutemque sectemur, quod non possimus alio modo voluptatem assequi, etiamsi in ipsum solium regium ascendamus. Quamobrem Paulus dicebat: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax* (6). Hunc ergo fructum apud nos servemus, ut hic laetitia fruamur et futurum regnum assequamur. » — Negari quidem nequit, iustum laborare, contra tentationes pugnare, seipsum abnegare, crucem tollere, magnasque hincinde adver-

(1) Enarr. in Ps. 36. (2) Io. 15, 10. (3) V. 11. (4) Ep. 114. (5) Ser. 1 in Ep. ad Rom. versus finem.

(6) Gal. 5, 22.

sitates perferre debere: sed per haec ipsius tranquillitas, pax et laetitia non perturbantur, quia gratiam comitatur flagrantissima et luminosissima charitas, quae omnia levia et dulcia reddit. « Nullo modo enim, inquit *S. Augustinus* (1), sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, vindemiantium, piscantium, negotiantium, ludo aliquo sese oblectantium. Interest ergo, quid ametur; nam in eo, quod amatur, aut non laboratur, aut si laboratur, et labor amatur. » Quodsi amor terrenus tantum valet, quanto magis amor divinus idem praestabit, qui a Spiritu sancto accenditur, qui adiuvat infirmitatem nostram? — Recte ideo *S. Augustinus* de agone christ. (2) inquit: « Una ibi et tota virtus est amare quod videas; et summa felicitas, habere quod amas. Ibi enim beata vita in fonte suo bibitur, unde aspergitur aliquid huic humanae vitae, ut in tentationibus huius saeculi temperanter, fortiter, iuste prudenterque vivatur. »

III. *Quaestiones theologicae de gratia sanctificante.*

§ 455. A dogmatibus distinguere oportet quaestiones mere scholasticas, circa quas Ecclesia iudicium suum non protulit, ac ideo Theologi inter se disceptant. In illis fides una servanda, in his libertas concedenda est, ita ut quisque utriusque partis argumentis perpensis, illi parti libere inhaerere possit, pro qua rationes fortiores se invenisse putat. Notandum vero est, multas a veteribus quaestiones circa gratiam motas fuisse, maximam partem otiosas, quas historice refert cl. *Wiest* (3). De istis quaestionibus loquitur *Contensonius*, dum (4) dicit: « Innumerae a Theologis de gratia et iustificatione controversiae excitantur, quibus splendidissima totius theologiae materies et Christianismi gloria, ac character infuscatur magis, quam illustratur. » Sed dantur etiam aliae quaestiones, ab Ecclesia non definitae, quae propius ad dogmata referuntur, ad haec illustranda inserviunt et a recentioribus quoque Theologis discutiuntur. Sunt vero sequentes:

QUAEST. I. *An gratia sanctificans sit aliquid homini intrinsece inhaerens per modum habitus?*

§. 456. *Concilium Tridentinum* (5) definivit, hominem iustificari per gratiam et charitatem, quae in cordibus diffunditur et ipsis inhaeret. Omnes ideo Theologi catholici in hoc consentiunt, quod gratia sanctificans sit donum internum animae nostrae inhaerens, atque permanenter in nobis perseverans. Disceptant igitur tantum Theologi inter se, dum quaeritur, utrum gratia per modum habitus inhaereat animae iusti, an potius sit ipsa gratia actualis, quae iugiter influat in animam iusti eamque fecundam reddat? — Utraque sententia sine haeresis piaculo defendi potest.

1. Falluntur sane, qui posteriorem sententiam, quae habitualem gratiam quoad internam indolem ab actuali non distinguit, a *Concilio Tridentino* proscriptam esse putant. Nam etiam post huius promulgationem allata sententia suos patronos invenit, qui ab Ecclesia neutiquam fuere damnati. *Ioan. Morinus* in Commentario historico de disciplina in administratione Sacr. Poenitentiae (6) plurimos

(1) Lib. de bono viduit. c. 21. (2) Cap. 9. (3) Tom. 6, § 23, nota 3. (4) L. 7, diss. 5, c. 1, spec. 1. (5) Sess. 6, can. 11. (6) L. 8, c. 2, et seq., praesertim cap. 8.

et celeberrimos refert scholasticos, qui affirmant, per mille supra centum annos totam habituum infusorum doctrinam in Ecclesia latuisse. Profert praeterea Patres, qui ante illud tempus Sacramentorum effectum, hominis impii iustificationem, fidei operumque nostrorum meritum sine gratiae habitualis mentione explicarunt, nec commemorarunt nisi actualia auxilia gratiae et opera hinc profecta. Ostendit, nondum esse definitum gratiam habitualem ad hos effectus esse necessariam; et nonnullos Doctores etiam nunc istos effectus sine ea explicare. Ad quod confirmandum adducit verba *Barthol. Medinae* O. P. qui (1) de hac doctrina ita scribit: « Secunda conlusio. Non est certum secundum doctrinam fidei, quod gratia sit habitus infusus in anima inhaerens. Nam hoc non colligitur ex Ss. Litteris, neque ex traditione ecclesiastica, neque ex definitionibus Conciliorum. Et *Concilium Tridentinum* locis supra commemoratis, ut recte admonet *P. Soto* (2), consulto abstinuit a nomine habitus, sed tantum definivit, hominem iustificari per iustitiam diffusam in cordibus nostris, quae illi inhaereat. » Et paulo post in solutione obiectionis ait: « Illud etiam advertendum, quod illa iustitia interior et inhaerens, et illa mutatio voluntatis, qua peccator ex pravo fit rectus, potest fieri duobus modis. Uno modo per infusionem alicuius qualitatis supernaturalis in animam, alio modo potest fieri a Deo sine infusione alicuius qualitatis permanentis, sed per solam actualem motionem divini auxilii, quod auxilium sua efficacia convertit animum hominis a pravitate ad rectitudinem. Utrum vero Deus efficiat hanc interiorem renovationem per aliquam qualitatem permanentem et infusam, vel potius per solam motionem actualis auxilii divini, *Concilium Tridentinum* non definit. Non enim illa quaestio pertinebat ad id, quod erat propositum in Concilio. » Ipse *Bellarminus* (3) utrum iustitia inhaerens, per quam formaliter iusti sumus, sit iustitia habitualis, an actualis, an utraque, inter disputationes catholicorum Theologorum censet. Cl. *Berti* (4) ita hac de re loquitur: « Quidam Theologi, inter quos *Dom. Soto* et *Barth. Medina*, tradunt, definitum hoc unum a Tridentina Synodo, quod iustificatio non in sola remissione, aut non imputatione peccatorum constituenda sit, sed in interna renovatione; quae num fiat per qualitatem inhaerentem, num per actualem motionem, minime constat. Et quamquam *Vega* in cit. Trident. locum asserit, spectare ad fidem, quod iustificatio fiat per habitualem, non per solam actualem gratiam, negant viri docti cum *Estio* (5), esse id a Synodo definitum, cum potius a nomine habitus consulto Patres Tridentini abstinuerint, ne opinionibus scholae aliquod adferrent praeiudicium. » Idem sentiunt *Vasquez* (6), *Franc. Veronius* (7), *Gazzaniga* (8), *Perrone* (9).

2. Sententia, quae distinctionem ponit inter gratiam actualem et sanctificantem, hancque esse dicit quandam animae qualitatem, seu donum habituale permanens in anima, non solum probabilior, sed etiam certa dici potest, utpote S. Scripturae et sensui Ecclesiae apprime conformis. In S. Scriptura enim gratia sancti-

(1) I 2, q. 110, art. 2.
(2) L. 2, de nat. et grat. cap. 18.
(3) De Iustif. l. 2, c. 15.
(4) Disc. theol. l. 19, cap. 1, n. 3
(5) in dist. 26, libr. 2.
(6) In I 2, dist. 107, c. 2, disp. 203.
(7) Reg. fid. c. 3, § 2. (8) P. 2, diss. 1, c 1, n. 4. (9) De grat. p. 2, n. 473.

ficans dicitur *Semen: Semen ipsius in eo manet* (1): *sigillum: Signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (2): *fons aquae salientis* (3): sed omnia ista nomina significant donum permanens, quod non in actu transeunte, sed in habitu animae infuso consistit. Idem eruitur ex verbis Christi (4): *mansionem apud eum faciemus*, et ex verbis Apostoli (5): *Spiritus Dei habitat in vobis;* quibus verbis non transiens quoddam divinum auxilium, sed permanens animae status designatur. Quod traditionem attinet, verum est, quod *Morinus* ait, Patres minime locutos fuisse de infusione habituum, aut de qualitatibus, cum hae loquendi formae nonnisi sesquiori aevo obtinuerint in scholis, postquam scilicet Aristotelis philosophia invalescere coepit. Verum aliud est de vocibus et nominibus, aut etiam de ratione exponendi aliquam doctrinam disserere; aliud vero de ipsa re. Falsum autem est, Patres non agnovisse statum permanentis iustitiae et sanctificationis in hominibus iustis. Satis sit oculos coniicere in innumera pene Patrum testimonia, quae refert, ac illustrat *Petavius* (6); ex quibus apertissime constat, Patres sensisse, Deum inhabitare in anima iusti, eam implere, efficere divinae naturae participem, in ea perpetuo manere etc., animam iusti eum percipere, fieri templum Spiritus sancti etc. Ss. Patres ergo idipsum gratiae sanctificanti attribuerunt, quod posteriores Theologi per statum gratiae, per donum habituale, seu per habitum divinitus infusum expresserunt. Ita ex. gr. *S. Basilius* lib. de Spir. sancto (7) ait: « Sicut potentia videndi in oculo sano, ita et efficacia Spiritus est in anima purgata: » ergo sicut oculum sanum habilem ad videndum, ita animam iustificatam habilem ad efficienda opera bona profitetur. *S. Cyrillus Alex.* iam voce *qualitatis* usus est, quam postea scholastici ad gratiae sanctificantis naturam explicandam adhibuerunt; ait enim lib. 9 in Ioan.: « Quomodo divinae naturae secundum dicta Sanctorum participes erunt ii, quibus communicatur Spiritus, si hic conditis rebus adnumeratur, et non potius ex ipsa nobis divina natura procedit, non ita, ut per ipsam in nos tanquam alienus transeat, sed, ut ita dicam, *qualitas* veluti quaedam divinitatis in nobis insit, et in Sanctis habitet, ac perpetuo maneat; si mentis suae oculum omni probitate purgantes et virtutum omnium indefesso studio gratiam sibi conservent? » — *S. Thomas* etiam ratione theologica probat, praeter actualem gratiam aliam habitualem fixam, ac permanentem admittendam esse; nam (8) ita argumentatur: « Dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adiuvatur. Uno modo in quantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum: et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animae; actus enim moventis in motu est motus. Alio modo adiuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, secundum quod aliquod habituale donum a Deo animae infunditur. Et hoc ideo, quia non est conveniens, quod Deus minus provideat his, quos diligit, ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit, ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum mo-

(1) 1 Io. 3, 9. (2) 2 Cor. 1, 22.
(3) Io. 4, 14. (4) Io. 14, 23.
(5) 1 Cor. 3. 16.

(6) De Trinit. lib. 8, cap. 4-7.
(7) Cap. 17. (8) 1 2, q. 110, art. 2.

veat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad huiusmodi motus: et sic motus, quibus a Deo moventur, fiunt creaturis connaturales et faciles secundum illud Sap. 8: *disponit omnia suaviter*. Multo igitur magis illis quos movet ad consequendum bonum supernaturale aeternum, infundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum aeternum consequendum. Et sic donum gratiae qualitas quaedam est. » — Magnum pondus huic doctrinae accedit ex auctoritate *Concilii Viennensis*, quod, exposita doctrina de necessitate baptismi, ita pergit: *Verum quantum ad effectum* (baptismi), *cum theologi varias opiniones habeant: videlicet dicentibus quibusdam, parvulis culpam remitti, sed gratiam non conferri; aliis e contra asserentibus, quod et culpa eisdem in baptismo remittitur, et virtutes, ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum; nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo gratiam informantem, et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis Sanctorum et Doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam*. Eadem sententia magis conformis est *Concilio Tridentino*, quod loquendo Sess. VI de gratia sanctificante, qua iustificamur, passim utitur voce inhaeret: cap. 7 docet, iustificationem esse renovationem *interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum;* cap. 16 addit, acceptam gratiam aliquos iustificatos *perpetuo conservare;* et inferius ait: *Neque propria nostra iustitia tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur, aut repudiatur iustitia Dei: quae enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum;* quae omnia innuunt, gratiam sanctificantem, seu iustitiam inhaerentem, ess aliquid habituale in anima permanens. Ideo *Melchior Canus* (1) contrariam, nempe prius expositam sententiam non quidem haereticam, sed tamen *temerariam* vocat; et cl. *Perrone* (2) inquit: « Abiectis igitur, si placet, vocibus *habitualis, habituum, qualitatis* in sensu peripateticorum, sine insignis temeritatis nota vix fieri posse existimo, ut doctrina de permanente iugiter in hominibus iustis gratia sanctificante in dubium revocetur. »

Nota. Cum gratia sanctificante homini etiam infunduntur virtutes theologicae fides, spes et charitas. Id conceptis verbis docet *Concilium Tridentinum* (3) dicens: *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur, fidem, spem et charitatem:* per id autem, quod hic infundi dicitur, non possunt solum actus fidei, spei, et charitatis intelligi, sed potius intelligenda est facultas, seu habilitas istos actus supernaturales prompte et expedite eliciendi; cum enim Concilium non distinguat, dicendum est, etiam parvulis in baptismo virtutes theologicas infundi non quoad actus, quorum infantes non sunt capa-

(1) De loc. theol. lib. 7, cap. 2.

(2) De grat. p. 2, n. 505 in nota.

(3) Sess. 6, cap. 7.

ces, sed quoad habitum, seu habilitatem, quae ipsis divinitus confertur. Imo *Concilium Tridentinum* actus virtutum theologicarum aperte ab habitu earundem distinguit. Nam Sess. VI, can. 3 docet, actus fidei, spei et charitatis per gratiam actuales, nempe *praeveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio* in homine excitari, *ut ei iustificationis gratia conferatur;* quapropter dum ibidem (1) dicit, *in ipsa iustificatione* hominem easdem virtutes infusas accipere, id non tam de actibus earundem, quam potius de habitu, seu de habilitate ad eas prompte eliciendas intelligere oportet. Idcirco nonnulli theologi, ut *Vega* (2) et *Suarez* (3) de essentia gratiae seu iustitiae habitualis, contendunt, de fide esse, infundi habitus virtutum theologicarum per baptismum: quamvis alii id non admittant, quoniam non est de fide, ipsam gratiam sanctificantem esse aliquid homini intrinsece inhaerens per modum habitus. Certo autem de fide non est, quod in iustificatione praeter habitus virtutum theologicarum etiam habitus virtutum moralium supernaturales in entitate infundantur. Haec tamen est communis sententia theologorum, praeeunte *S. Thoma*, qui (4) ita loquitur: « Oportet, effectus esse suis causis et principiis proportionatos: omnes autem virtutes tam intellectuales, quam morales, quae ex nostris actibus acquiruntur, procedunt ex quibusdam naturalibus principiis in nobis praeexistentibus,—loco quorum naturalium principiorum conferuntur nobis a Deo virtutes theologicae, quibus ordinamur ad fidem supernaturalem.... Unde oportet, quod his etiam virtutibus theologicis proportionaliter respondeant alii habitus divinitus causati in nobis, qui sic se habeant ad virtutes theologicas, sicut se habent virtutes morales et intellectuales ad principia naturalia virtutum. » Neque obstat, quod *Concilium Tridentinum* solum fidem, spem et charitatem in iustificatione infundi dicat; nam id, quod reticetur, non ideo negatur: quinimo dum Concilium Sess. VI, cap. 7 expresse dicat, iustificationem esse sanctificationem et renovationem interioris hominis *per voluntariam susceptionem gratiae et donorum*, per vocem hanc *donorum* possunt intelligi non solum habitus virtutum theologicarum, sed etiam virtutes morales infusae per se, et alia dona Spiritus sancti.

(1) Cap. 7. (2) L. 7, in Conc. Trident. c. 24.
(3) L. 3, de grat. c. 8, et l. 6.

QUAEST. II. *Utrum gratia sanctificans distinguatur a charitate?*

§ 450. Apud omnes certum est, gratiam sanctificantem seu habitualem esse aliquid distinctum ab illis virtutibus, quae possunt in homine permanere, absente gratia sanctificante, uti sunt fides et spes. De sola igitur charitate hic quaeritur, totaque quaestio ad hoc reducitur, an gratia sanctificans *realiter* a charitate distinguatur? *Scotus*, quem plerique recentiores theologi sequuntur, id negat: *S. Thomas*, cui schola ab ipso denominata inhaeret, id affirmat.

1. Qui *realem* inter gratiam sanctificantem et charitatem distinctionem negant et *formalem* tantum, vel *virtualem* admittunt, ita argumentantur: Non sunt realiter habitus distinguendi, quorum iidem sunt effectus: atqui charitatis et gratiae sanctificantis iidem sunt effectus. Nam sex sunt effectus gratiae sanctificantis, ac iidem plane sunt et charitatis. Gratia enim sanctificans nos filios Dei ef-

(4) 1 2, q. 63, art. 3.

ficit; at id de charitate affirmat Apostolus (1): *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Gratia nos Deo gratos et acceptos reddit; id porro efficit charitas, dicente Christo (2): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Gratia vitam spiritualem nobis confert; at de charitate dicitur (3): *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Gratia nos Deo coniungit; at id quoque praestat charitas (4): *Qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo.* Gratia radix est omnium bonorum operum; at Apostolus I Cor. cap. XIII omnium fere virtutum actus charitati adcribit. Denique gratia semen est vitae aeternae ac salutis nostrae causa; at de charitate idipsum dicitur (5): *Coronam vitae repromisit diligentibus se.* Favet eidem sententiae *S. Augustinus*, qui charitati effectus iustificationis adscribit; ait enim (6): « Solum (donum charitatis) est, quod dividit inter filios regni aeterni et filios perditionis aeternae. » Idem iustitiam diserte ipsam esse charitatem enuntiat, dicens (7): « Charitas inchoata, inchoata iustitia est; charitas provecta, provecta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est. » Et iterum (8): « Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia. » *Concilium Tridentinum* Sess. VI, cap. 7 postquam declaraverat, unicam formalem causam iustificationis esse iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, iustificationem sic describit: *Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis D. N. I. Christi communicantur; id tamen in hac impii iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei infunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhaeret.* Per donum autem, quod in iustificatione per Spiritum sanctum in cordibus diffunditur, eique inhaeret, omnes catholici intelligunt gratiam sanctificantem: sed hoc donum a Concilio appellatur *charitas:* ergo gratia sanctificans et charitas unum idemque sunt (9).

2. *S. Thomas* (10) reale discrimen inter gratiam sanctificantem, atque charitatem obtinere docuit, quia gratiam in animae substantia, charitatem in voluntate reponebat (11) et talem relationem inter utramque intercedere assumebat, qualis est inter animam et eius potentias; quum gratia det animae esse quoddam supernaturale, ex ipsa vero fluant quodammodo habitus virtutum infusarum qui sint principia proxima operationis supernaturalis. Qui hanc angelici Doctoris sententiam sequuntur, sequentibus rationibus insistunt. *S. Scriptura* diversis nominibus gratiam et charitatem appellat et de illis ut duabus rebus distinctis loquitur. Ita (12) Paulus scribit: *Gratia D. N. I. Christi et charitas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis;* quibus verbis sicut tres personae, ita etiam tria dona distinguuntur. Apostolus enim ea fidelibus precatur, quae pro eorum salute summi momenti sunt, nempe *gratiam*, quam meruit Christus *et charitatem*, habendam erga Patrem et *caetera dona*, quae communicantur a Spiritu sancto (13): *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum,*

(1) 1 Io. 4, 7. (2) Io. 14, 21.
(3) 1 Io. 3, 14. (4) 1 Io. 4, 6.
(5) Iac. 1, 12. (6) L. 15 de Trinit. c. 18.
(7) De nat. et grat. c. 70 n. 84
(8) Ibid. c. 42, n. 49.
(9) V. Tournely q. 5, art. 3: Schwetz tom. 2, § 98. (10) 1 2, q. 110, art. 3. (11) Ib. a. 4.
(12) 2 Cor. 13, 13. (13) Rom. 5, 5.

qui datus est nobis. Certum est, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, intelligi gratiam sanctificantem, per quam Spiritus sanctus habitat in nobis. Cum autem charitas per Spiritum sanctum diffundi dicitur, ea inter gratiam sanctificantem et charitatem relatio innuitur, quae est inter causam et effectum. Iterum (1): *Superabundavit gratia Dei cum fide et dilectione;* quo loco sicut fides, ita et charitas a gratia distinguitur. Iidem autem effectus tribuuntur gratiae et charitati, non quod sint unus habitus, sed quia sunt inter se connexae et ex natura sua inseparabiles: unde fit, ut quae gratiae formaliter conveniunt, tribuantur charitati ut praecipuae eius proprietati, et vicissim ea, quae charitati propria sunt, tribuantur gratiae ut eius radici. At vero quam imbelle sit istud argumentum, inde patet, quod non solum charitati, sed etiam fidei eosdem effectus tribuat Scriptura, nempe quod iustificet (2), quod peccata remittat (3), quod nos Deo uniat et acceptos reddat (4), quod salutem aeternam operetur (5), etc.; et tamen nullus Catholicorum hinc infert, gratiam sanctificantem non realiter distingui. Dicendum itaque est, quod, cum gratia, fides et charitas simul concurrant ad iustificationem, quaelibet suo modo, ideo iustificatio singulis tribuitur, sed cuilibet suo modo absque alterius exclusione. Praeterea observandum est, etiam generaliter charitatem saepe sumi in Scripturis et Patribus non pro solo habitu charitatis nos inclinante ad diligendum Deum, sed pro vinculo amicitiae, quae est inter nos et Deum, quo scilicet et diligimus Deum et diligimur a Deo, quo sensu charitas includit gratiam, omnesque effectus gratiae tribuuntur charitati et vicissim. — Caeterum ipse *S. Augustinus* lib. de dono persev. (6) loquens de praedestinatis, « qui per Dei gratiam fiant obedientes, atque permaneant, » inquit: « Gratia... praevenit etiam charitatem, qua una Deo veraciter et suaviter obeditur. » Et Enarr. in Ps. 103, v. 15 definit gratiam, quod sit « Nitor animae, sanctum concilians amorem. » *Concilium Viennense* (7) dicit, baptizatis infundi *gratiam et virtutes*, ad quas praecipue pertinet charitas et quae idcirco a gratia distinguitur. *Concilium Moguntinum*, anno 1549 habitum (8), inquit: *Gratia cum venia peccatorum accipitur et per Spiritum sanctum cum fide charitas. Tridentinum* Sess. VI, cap. 7 ait: *Renovatio interioris hominis fit per voluntariam susceptionem gratiae et donorum*, per dona autem, ut ex verbis subsequentibus patet, intelligit *fidem, spem et charitatem.* Et can. 11 definit, hominem non iustificari *exclusa gratia et charitate.* Concilia autem non solent, dum definitiones dogmaticas enuntiant, unam eandemque rem diversis nominibus designare. Ideo *Catechismus romanus* aperte gratiam sanctificantem et charitatem distinguit. Postquam enim (9) dixit, hominis animam in baptismo divina gratia repleri, eamque descripsit (10), immediate subiungit: « Huic additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia infunduntur: » ergo gratiae addi dicitur etiam charitas, quae inter virtutes primum locum tenet. Eadem sententia rationibus theologicis confirmatur. *S. Thomas* (11) dicit, quod

(1) 1 Tim. 1, 14. (2) Rom. 3, 28. (3) Matth. 9, 2. (4) Hebr. 11. (5) Ier. 3, 16. (6) Cap. 16. (7) Clement. de Ss. Trinit. (8) Cap. 7. (9) P. 2 de baptismo c. 38. (10) Cap. 39 (11) 1 2, q. 110, art. 3

gratia sanctificans se habeat ad actus et virtutes supernaturales, sicut lumen naturale rationis se habet ad actus et virtutes naturales; quo probato, ita concludit: « Sicut igitur lumen naturale rationis est aliquid praeter virtutes acquisitas, quae dicuntur in ordine ad ipsum lumen naturale; ita etiam ipsum lumen gratiae, quod est participatio naturae divinae, est aliquid praeter virtutes infusas, quae a lumine isto derivantur, et ad illud lumen ordinantur. Unde Apostolus dicit (1): *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate.* Sicut enim virtutes acquisitae perficiunt hominem ad ambulandum, secundum quod congruit lumini naturali rationis; ita virtutes infusae perficiunt hominem ad ambulandum, secundum quod congruit lumini gratiae.»—Praeterea per gratiam sanctificantem tota anima nobilitatur, quia consors fit naturae divinae; unde *Catechismus romanus* (2) dicit, quod gratia sanctificans sit « divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulcriores et splendidiores reddit.» Ast si gratia non est nisi charitas, illa, sicut ista, residet in voluntate (3), ac ideo haec quidem, non autem essentia animae nobilitatur, neque tunc participatio naturae divinae, sed tantum participatio voluntatis seu sanctitatis divinae contingit. « Unde relinquitur, ait S. *Thomas* (4), quod gratia sicut est prius virtute, ita habeat subiectum prius potentiis animae, ita scilicet, quod sit in essentia animae. Sicut enim per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei et secundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem charitatis; ita etiam per naturam animae participat secundum quamdam similitudinem naturam divinam » (5).

(1) Ephes. 5, 8. (2) P. 2, cap. 2, n. 5.
(3) V. Tournely q. 5, art. 4.
(4) 1 2, q. 110, art. 4.
(5) Cf. Billuart de grat. diss. 4, art. 4.
(6) L. 1, dist. 17.

QUAEST. III. *An gratia sanctificans sit ipse Spiritus sanctus?*

Petrus Lombardus, dictus *Magister sententiarum* (6) docuit, quod charitas non sit aliquid creatum in anima, sed sit ipse Spiritus sanctus mentem inhabitans. Quod idem nonnulli de gratia sanctificante asserebant, quam a charitate nullatenus realiter distinctam esse contendebant. Sententia illa insignem defensorem et patronum nacta est in *Dion. Petavio*, qui (7) eam multis S. Scripturae et Ss. Patrum testimoniis confirmare nititur. Et sane Scripturae sanctificantem gratiam signaculo cuidam aequiparant, atque istud a Spiritu sancto effici docent, scribente Paulo ad Ephes. (8): *Signati estis Spiritu promissionis sancto.* Imo iustificati dicuntur templa Dei, quia Spiritus sanctus habitat in ipsis (9). Ss. Patres ad hunc plane modum loquuntur. *S. Athanasius* (10) ait: « Spiritus sigillum est, quo signati divinae naturae participes efficimur.» *S. Basilius* (11) scribit: « Si in nobis Deus habitare dicitur per Spiritum, quomodo non manifesta est impietas, expertem Deitatis ipsum Spiritum dicere.»—*S. Gregorius Naz.* (12) inquit: « Si non est Deus Spiritus sanctus, prius Deus efficiatur, atque ita demum me aequalem Deum suum

(7) Lib. 8 de Trinit. cap. 4 et seq.
(8) Cap. 1, 13. (9) 1 Cor. 3, 16, et 6, 19.
(10) In Ep. ad Serapion.
(11) Lib. 3 adv. Eunom.
(12) Orat. 24 (al. 34).

faciat. » *S. Augustinus* (1) docet, Spiritum sanctum in iustificatis habitare «non per gratiam visitationis et operationis, sed per ipsam praesentiam maiestatis.» *S. Cyrillus Hier.*(2) ait: « Si ignis, cum sit corpus, in ferri corpus subiens, obstante nullo, agit; quid miraris, si Spiritus sanctus in intimos animae recessus ingreditur?» — *S. Cyrillus Alex.* (3) dicit: « Ii, qui Spiritum accipiunt sanctum, Deum in seipsis habentes sunt;» et dial. 7 cum Hermia: « Hoc igitur, quod divinam nobis imaginem insculpit et instar sigilli praestantiorem mundo pulcritudinem ingenerat, nonne spiritus est? » — Ex his *Petavius* concludit, gratiam sanctificantem non esse merum effectum, sed esse ipsum Spiritum sanctum in nobis habitantem. Attamen contrarium tenent theologi fere omnes, qui iustitiam et charitatem dicunt a Spiritu sancto produci quidem, sed non esse ipsum Spiritum sanctum. Nam Rom. V, 5 legitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis;* ubi Apostolus aperte charitatem distinguit a Spiritu sancto, tanquam effectum a causa. Eodem modo *S. Augustinus* charitatem a Spiritu sancto distinguit; ait enim (4): « Dilectio, quae ex Deo et Deus est, proprie Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas:» ubi non dixit, dilectionem, quae proprie Spiritus sanctus est, in nobis diffundi, sed per illam in nobis diffundi charitatem, qua Deo unimur. Idem (5) inquit: « Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum.» *Concilium* quoque *Tridentinum* (6) docet, quod in iustificatione *per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque in ipsis inhaeret: unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur fidem, spem et charitatem:* ergo charitas non secus ac fides infusa accipitur. — Porro charitas etiam minuitur et recipit incrementum, quod de immutabili Spiritu nefas est affirmare. Charitas ergo, quae vel ipsa gratia sanctificans, vel intime cum eadem unita est, non est ipsa Spiritus sancti persona, sed quid creatum in anima, seu a Spiritu sancto productum: iste autem effectus nonnisi per synecdochen, non autem proprie Spiritus sanctus adpellatur. Denique certum est, Spiritum sanctum ut verum Deum immensum et quoad essentiam ubique, neque cum maiori infinitae essentiae quantitate in anima iusti, quam in anima peccatoris esse. Non potest ergo gratia sanctificans, seu specialis Spiritus sancti inhabitatio in anima iusti aliter intelligi, quam de communicatione donorum, seu de salutari effectu in anima producto, quia, ut ait *S. Thomas* (7), « secundum quantitatem virtutis, quam Deus exercet in creaturam, magis et minus dicitur creaturae uniri. » Neque id a *Lombardo*, *Petavio*, aliisque negatur, sed tota quaestio ad id reducitur, an Spiritus sanctus charitatem in anima immediate, vel mediante aliquo habitu producat. Audiendus est *S. Thomas*, qui (8) P. *Lombardi* sententiam ita proponit, atque solide confutat, dicens: « Magister docet, quod cha-

(1) Serm. 1 in Fer. 2 Pentec.
(2) Catech. 17. (3) L. 32 Thesaur.
(4) L. 15 de Trin. c. 18, n. 32.
(5) L. 3, c. 18, de doctrina christ.
(6) Sess. 6, cap. 7. (7) Opusc. 3, cap. 6.
(8) 2 2, q. 23. art. 2.

ritas non est aliquid creatum in anima, sed est ipse Spiritus sanctus mentem inhabitans. Nec est sua intentio, quod iste motus dilectionis, quo Deum diligimus, sit ipse Spiritus sanctus, sed quod iste motus dilectionis est a Spiritu sancto, non mediante aliquo habitu, sicut a Spiritu sancto sunt alii actus virtuosi, mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta habitu fidei, aut alicuius alterius virtutis. Et hoc dicebat propter excellentiam charitatis. Sed si quis recte consideret, hoc magis redundat in charitatis detrimentum. Non enim motus charitatis ita procedit a Spiritu sancto movente humanam mentem, quod humana mens sit mota tantum et nullo modo sit principium huius motus, sicut cum aliquod corpus movetur ab aliquo exteriori movente. Hoc enim est contra rationem voluntarii, cuius oportet principium in ipso esse: sicut supra (1) dictum est. Unde sequeretur, quod diligere non esset voluntarium, quod implicat contradictionem, cum amor de sui ratione importet, quod sit actus voluntatis. Similiter etiam non potest dici, quod sic moveat Spiritus sanctus voluntatem ad actum diligendi, sicut movetur instrumentum, quod, etsi sit principium actus, non tamen est in ipso agere, vel non agere; sic enim etiam tolleretur ratio voluntarii, et excluderetur ratio meriti, cum tamen supra habitum sit (2) quod dilectio charitatis est radix merendi. Sed oportet, quod sic voluntas moveatur a Spiritu sancto ad diligendum, quod etiam ipsa sit efficiens hunc actum. Nullus autem actus perfecte producitur ab aliqua potentia activa, nisi sit ei connaturalis per aliquam formam, quae sit principium actionis. Unde Deus, qui omnia movet ad debitos fines, singulis rebus indidit formas, per quas inclinantur ad fines sibi praestitutos a Deo, et secundum hoc disponit omnia suaviter, ut dicitur Sap. VIII, 1 Manifestum est autem, quod actus charitatis excedit naturam potentiae voluntatis. Nisi ergo aliqua forma superadderetur naturali potentiae, per quam inclinaretur ad dilectionis actum; esset iste actus imperfectior actibus naturalibus et actibus aliarum virtutum, nec esset facilis et delectabilis. Quod patet esse falsum, quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum sicut charitas, nec aliqua sic delectabiliter operatur. Unde maxime necesse est, quod ad actum charitatis in nobis existat aliqua habitualis forma superaddita potentiae naturali inclinans ipsam ad charitatis actum et faciens eam prompte et delectabiliter operari. »

(1) 1 2, q. 6, art. 1. (2) 1 2, q. 114, art. 4.

Usus doctrinae de gratia sanctificante.

§ 459. 1. Divinam bonitatem agnoscere et continuis laudibus extollere debemus, quae tale donum nobis praeparavit, per quod naturae divinae participes, filii Dei et templa Dei reddimur. Miremur, quomodo creaturam tantopere magnificet Deus, quomodo erga hominem apponat cor suum. « O Pater misericordiarum! exclamat *S. Bernardus* (3), quid apponis erga nos cor tuum? Scio, scio: *ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus? » — Tantum profecto est generationis spiritualis beneficium, ut non solum merita excedat et vota, sed etiam de ea fere, ac de aeterna dicere valeamus: *Generationem eius quis enarrabit?* — In iis, qui gratia sanctificante ornati

(3) Serm. 5, in Dedic. Eccl.

sunt, vere illud impletur, quod (1) dicitur: *Ego dixi: dii estis;* in quae verba S. *Augustinus* inquit: « Manifestum est, quia homines dicit deos ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos: ille enim iustificat, qui per semetipsum, non ex alio iustus est; et ille deificat, qui per seipsum, non alterius participatione Deus est. Qui autem iustificat, ipse deificat, quia iustificando filios Dei facit; dedit enim potestatem filios Dei fieri. » Quam divinam clementiam considerantes merito exclamamus : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat et humilia respicit in coelo et in terra? suscitans de terra inopem et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui* (2).

2. Excellentiam gratiae sanctificantis saepe considerare et animis fidelium in institutionibus publicis et privatis alte imprimere oportet. Cum enim gratia sanctificans honores incomparabiles, divitias inaestimabiles et felicitates ineffabiles conferat, quis non videt, eam summi aestimandam et cunctis bonis terrenis longe anteponendam esse? Et quis non caecitatem atque malitiam eorum deploret, qui ob caduca terrae bona et momentaneas carnis voluptates gratia sanctificante se privare non verentur?—Miseris huiusmodi hominibus acclamare oportet: *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* (3).

3. Qui in felicissimo gratiae sanctificantis statu versatur, in ipsa dignitate, qua ut filius Dei, templum Spiritus sancti et haeres coeli insignitur, efficacissimum recte vivendi motivum inveniat, necesse est. Nosce teipsum, inquiebant Philosophi, ut semper hominem agas, semper ratione ducaris, semper ex regulis prudentiae opereris. Nosce teipsum, addit Religio, ut semper Christianum agas, id est, hominem divinum, in coelis conversantem, ex fide viventem, quae sursum sunt, sapientem, quae sursum sunt, quaerentem, non quae super terram. « Agnosce, inquit opportune *Leo M.* (4), agnosce o Christiane ! dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Reminiscere, quod erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. »

(1) Ps. 81. (2) Ps. 112. (3) Ps. 4.

ARTICULUS II.
De natura iustificationis peccatoris.

§ 460. Duo sunt praecipui gratiae sanctificantis effectus, nimirum iustificatio impii et meritum iusti. Iustificatio autem, quae nomen suum a iustitia habet, est translatio de statu iniustitiae in statum iustitiae: iustificare enim iuxta vocis etymon est, aliquem iustum facere. De hoc priori gratiae sanctificantis effectu iam tractatio suscipienda est, quae eo maioris momenti est, quo plures et graviores Novatorum errores in ipsa confutandi sunt. Nam Protestantium antesignani iam circa naturam iustificationis turpissime aberrarunt et a doctrina Revelationis penitus recesserunt. Necesse igitur est, ut imprimis Protestantium errores circa naturam iustificationis exponantur, iisque doctrina catholica opponatur.

1. Novatores saeculi XVI ex falso principio, quod gratia, sive iustitia originalis fuerit pars *essentialis* naturae humanae (§ 207), intulerunt, per protoparentum lapsum ipsam

(4) Serm. 1, de Nativ.

humanam naturam fuisse *essentialiter* ac *substantialiter* labefactatam, atque corruptam. Peccatum originale in horum doctrina est *qualitas positiva*, imo quaedam *substantia mala*, quae homini lapso necessario inhaeret. Ita *Lutherus* (1) inquit: « Lutum illud, ex quo vasculum hoc fingi coepit, damnabile est... Foetus in utero antequam nascimur et homines esse incipimus, peccatum est. » Et in Solid. Declar. (2) affirmatur, « quod (ob peccatum originale) in locum imaginis divinae amissae successerit intima, profundissima (instar cuiusdam abyssi), inscrutabilis et ineffabilis corruptio totius naturae et omnium virium » (§ 228, n. 1 et 5). Ex falso hoc principio spurius effluxit et absonus de iustificationis natura conceptus. Etenim, si peccatum originale constituit partem *essentialem* ipsius naturae corruptae et si peccata actualia non sunt, nisi manifestationes peccati originalis, evidens est, nec illud, nec ista tolli posse per iustificationem, aut gratiam sanctificantem, quae iuxta Novatores exterior est et solum efficit, ut Deus has culpas non consideret, perinde ac si tectae essent oculis suis, quas propterea non imputat. Et in eodem systemate sanctitas et iustitia non est hominis iustificati propria, sed est ipsa sanctitas et iustitia formalis Christi ab homine per fidem apprehensa, peccata cooperiens et iram Dei ac damnationem avertens. Haec doctrina in libris symbolicis Lutheranorum apertissime continetur. Nam in Apol. Conf. August. (3) legitur: « Iustificare vero hoc loco (Rom. VIII, 1) forensi consuetudine significat reum absolvere et pronuntiare iustum, sed propter alienam iustitiam, videlicet Christi, quae aliena iustitia communicatur nobis per fidem. » Et (4) addit: « Itaque cum hoc loco iustitia nostra sit imputatio alienae iustitiae, aliter hic de iustitia loquendum est, quam cum in Philosophia, aut in foro quaerimus iustitiam proprii operis, quae certe est in voluntate. » Et in Form. concord. (5) dicitur: « Vocabulum iustitiae in hoc negotio significat iustum pronuntiare, a peccatis et aeternis peccatorum suppliciis absolvere propter iustitiam Christi, quae a Deo fidei imputatur. » Et ibid. (6): « Quando autem docemus, quod per operationem Spiritus sancti regeneremur et iustificemur, non ita accipiendum est, quod iustificatis et renatis nulla prorsus iniustitia substantiae ipsorum et conversationi adhaereat: sed quod Christus perfectissima obedientia sua omnia ipsorum peccata tegat, quae quidem in ipsa natura (in hac vita) adhuc infixa haerent. Nihilominus tamen per fidem propter obedientiam Christi — boni et iusti pronuntiantur et reputantur, etiamsi ratione corruptae naturae suae sint, maneantque peccatores, dum mortale hoc corpus circumferunt. » *Calvinus* (7) scribit: « Ita nos iustificationem simpliciter interpretamur acceptationem, qua nos Deus in gratiam receptos pro iustis habet: eamque in peccatorum remissione ac iustitiae Christi imputatione positam esse dicimus. » Imo in eodem capite ex Scripturae verbis (8) probare nititur, in iustificatis peccata tegi duntaxat et non imputari. — Ex his patet, duos esse Protestantium circa naturam iustificationis errores, quoniam *primo* docent, per iustificationem peccata non vere remitti, tolli et deleri, sed tantum tegi et non im-

(1) In Ps. 50. (2) 1, § 10.
(3) C. 3, art. 6, n. 181. (4) N. 182.
(5) P. 2, cap. 3, n. 17. (6) N. 22.
(7) Lib. 3 Instit. cap. 11, n. 2.
(8) Ps. 31, 1 etc. Rom. 4, 8.

putari, et *secundo* contendunt, nullam fieri in iustificatione interiorem renovationem per gratiam animae inhaerentem, sed solam externam imputationem iustitiae Christi, vel etiam, ut autumavit *Osiander*, per inhabitationem in nobis essentialis iustitiae Dei, qua nempe Deus essentialiter iustus est. Quamvis autem alii alia ratione eandem doctrinam exponant, in eo tamen omnes conveniunt, quod velint iustitiam, seu causam formalem iustificationis esse nobis extrinsecam, non autem animae inhaerentem, qua homo vere intrinsece iustus sit (1).

2. Catholici docent, statum iustitiae, seu gratiae sanctificantis non fuisse naturalem, sed supernaturalem, nec humanae naturae debitum, sed ei gratuito concessum (§ 207); homines vero per peccatum originale iustitiam originalem amisisse et iram Dei incurrisse (§ 215 et 219); Christum porro ut Redemptorem peccata sustulisse, homines Deo reconciliasse, iisque dona supernaturalia per peccatum amissa recuperasse (§ 376 et 377). — Ex his firmissimis principiis Catholici rectissime inferunt, in iustificatione ob infinita Christi Redemptoris merita peccata penitus remitti, tolli et deleri, atque iustitiam non externam tantum, sed internam, seu gratiam sanctificantem, animae inhaerentem obtineri, per quam homo fit iustus, Deo acceptus, imo Filius Dei et haeres aeternae gloriae. Ideo iustificatio a *Concilio Tridentino* ita describitur (2): *ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam, Iesum Christum.* Quae quidem verba, etsi solam illam iustificationem innuant, qua quis a primigenia labe per baptismi susceptionem purgatus gratiae compos redditur; ad eam tamen, quae in Sacramento poenitentiae obtinetur, facile accommodari possunt. Loquitur autem de hac ipsa *Tridentinum* Sess. VI, cap. 14, ubi ait: *Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo, per poenitentiae Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint.* A Theologis iustificatio definitur: divina actio, qua Deus homini peccata remittit, eumque interius renovat et regenerat, infusaque gratia sanctificante filium Dei adoptivum, regnique coelestis haeredem constituit. Hanc iustificationis definitionem, quae cum verbis Concilii Tridentini apprime concordat, genuinam et unice veram esse, facile probatur. Ut autem errores adversariorum penitus conterantur et doctrina Ecclesiae catholicae de iustificationis natura contra illos vindicetur, duo probanda sunt: *primo* ita deleri, atque penitus ablui peccata, ut non amplius eorum foeditas, ac turpitudo supersit et hominem iustificatum esse vere, atque intrinsece iustum, a peccatis immunem; *secundo* gratiam Spiritus sancti in nobis intrinsece recipi et inhabitare, non autem solum iustitiam Christi nobis extrinsecus imputari: Quae duo paucis verbis complexus est Apostolus (3) inquiens de Deo: *Eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae.*

Nota. Iustificatio, quae a *iustitia*, seu *iustum faciendo* dicitur, si nomen spectes, quatuor modis in Scripturis usurpatur; interdum sumitur pro lege, seu mandatis divinis, ut Ps. CXVIII passim legitur: *Iustificationes tuas cu-*

(1) Cf. Moehler symbolic. § 14.

(2) Sess. 6. cap. 4. (3) Colos. 1. 13.

stodiam...doceme iustificationes tuas; — interdum vero pro acquisitione iustitiae seu gratiae sanctificantis, ut I Cor. VI, 11: *Haec quidem fuistis; sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis;* et Tit. III, 7: *Ut iustificati gratia ipsius haeredes simus vitae aeternae;* aliquando pro incremento iustitiae, ut Apoc. XXII, 11: *Qui iustus est, iustificetur adhuc:* — demum pro declaratione externa iustitiae modo forensi, cum iudex ex. gr. quempiam iustum declarat et insontem illius criminis, de quo accusatus fuerat, quo sensu (1) dicitur: *Qui iustificat impium et qui condemnat iustum, abominabilis est uterque apud Deum.* — Iam vero *Lutherus* et *Calvinus* cum suis asseclis contendunt, hunc postremum tantum sensum huius vocis esse, cum sermo est in Scripturis de iustificatione peccatoris. Catholici vero non negant, vocem iustificationis etiam pro forensi declaratione accipi in Scripturis, sed eandem sumi in secundo sensu, nempe pro acquisitione iustitiae, cum de iustificatione peccatoris sermo est. Veram autem esse sententiam Catholicorum, argumenta mox afferenda sole clarius demonstrabunt.

1. *In iustificatione impii peccata non tegunturi solum, aut extrinsece condonantur, sed vere remittuntur, ac prorsus delentur.*

§ 461. Dogma hoc catholicum *ex S. Scriptura, ex Traditione* et *rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura*, ut sapienter *Bellarminus* observat (2): «utitur omni genere vocabulorum, quae excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam, ut si quis de industria quaerat vocabula, quibus perspicue declaret, peccatum aliquod vere tolli et aboleri, non possit aliquod reperire, quod ipsa divina Scriptura antea non occupaverit.» Dicuntur enim peccata tolli, deleri, auferri, transferri, exhauriri, longissime removeri. Ita in Paral. legitur: *Dixit David ad Deum: Peccavi nimis, ut hoc facerem: obsecro; aufer iniquitatem servi tui* (3); et Psalm. (4): *dele iniquitatem meam:* non rogat, ut iniquitatem non imputet, nec puniat, sed ut eam auferat et deleat, ostendens qualem iustificationis notionem iam Fideles V. T. habuerint. Propheta Nathan indicans Davidi obtentam remissionem peccati, seu iustificationem ait: *Dominus transtulit peccatum tuum* (5); id est, peccatum, quod in te erat, a te removit, ita ut in te amplius non inveniatur. Isa. ( ) Deus ipse ita loquitur: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me;* quibus verbis innuitur, Deum ad gloriam potentiae et misericordiae suae manifestandam peccata non tegere tantum, sed penitus delere. Rursum (7) Deus ait: *Delevi ut nubem iniquitates tuas et quasi nebulam peccata tua.* Michaeas, afflante Spiritu sancto, obtinendam iustificationem his verbis praenuntiat: *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem et transis peccatum reliquiarum haereditatis tuae? — Revertetur et miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras et proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra* (8). Psalm. vero CII, 12 dicitur: *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.* — Iisdem fere terminis iustificatio etiam in N. T. exprimitur. Sic Christus non tegere, sed tollere dicitur peccata, exclamante Ioanne: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (9). Pe-

(1) Prov. 17, 15. (2) L. 2 de iustif. c. 7.
(3) 1 Paral. 21, 8. (4) Ps. 50. 2.
(5) 2 Reg. 12, 13. (6) C. 43, 25. (7) Is. 44, 22.
(8) Cap. 7, v. 18 etc. (9) Io. 1, 29.

trus ait: *Convertimini, ut deleantur peccata vestra* (1). Paulus, cum dixisset peccatum originale omnibus inesse et omnes damnationi subiicere (2), addit: *Nihil ergo damnationis est in iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant* (3); non dicit Apostolus, peccatum remanet, ast non imputatur; sed clare enuntiat, id quod damnationi subiicit, nempe peccatum, non esse in iis, qui sunt iustificati. Item ab Apostolo Christus dicitur *purgationem peccatorum faciens* (4); et: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* (5). Ex locis citatis hoc argumentum instruitur. Id quod tollitur, aufertur, deletur, exhauritur et longissime proiicitur, seu removetur, non manet in homine: sed in iustificatione peccatum tollitur, aufertur, deletur, exhauritur et longissime proiicitur ac removetur; ergo non manet in homine iustificato. — Praeterea in S. Scriptura peccata dicuntur ablui, abstergi, mundari etc. David de obtinenda peccatorum remissione confidens ait (6): *Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor.* Isaias (7): *Lavamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse.... si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra ut vermiculus, velut lana alba erunt.* Ierem. (8) Deus dicit: *Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi.* Ezech. (9): *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Paulus (10) scribit: *Haec quidem fuistis, sed abluti estis* etc. Ad Ephes. (11) testatur, Christum passum esse, ut *Ecclesiam sanctificaret, mundans lavacro aquae... ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Et I Io. I, 7 legitur: *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Apoc. I, 5 de Iesu Christo dicitur: *Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Iuxta haec S. Scripturae testimonia per iustificationem id efficitur in anima peccatorum maculis deturpata, quod per lotionem efficitur in corpore sordibus inquinato. Ast quando maculae, sordes et inquinamenta corporis eluuntur, absterguntur et mundantur per externam lotionem, tunc certe non manent in corpore, sed evanescunt, neque corpus dicitur amplius, neque est maculatum, sordidum, inquinatum, sed mundum, purum, immaculatum. Ergo etiam pari ratione quando maculae, sordes et inquinamenta animae, quae sunt peccata, per internam lotionem eluuntur, absterguntur, et mundantur, quod fit in iustificatione, non amplius manent in anima, sed omnino disparent, neque anima amplius aut dici potest, aut est maculata, sordida, inquinata. — Denique homo, quando iustificatur, a peccatorum vinculis eximi dicitur. David post obtentam iustificationem grato animo exclamat (12): *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Paulus (13) scribit: *Nunc vero liberati* (estis) *a peccato, servi autem facti Deo.* Ad Colos. (14): *Eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum filii dilectionis suae.* Ast qui a corporis vinculis, funibus et catenis, quibus constrictus erat, plane

(1) Act. 3, 19. (2) Rom. 5. (3) Rom. 8, 1.
(4) Hebr. 1, 3. (5) Ibid. 9, 28.
(6) Ps. 50, 8. (7) C. 1, 16 etc.
(8) C. 33, 8. (9) 36, 25.
(10) 1 Cor. 6, 11. (11) C. 5, 26 etc.
(12) Ps. 115, 7. (13) Rom. 6, 22.
(14) Cap 1, 13.

eximitur et liberatur, is certe non retinet illa in suis membris, nec amplius circumfert. Ergo similiter, qui a spiritualibus vinculis, funibus et catenis, quibus homo constrictus et captivus erat, eximitur et liberatur, is apud se non amplius retinet eiusmodi vincula, nec ea secum circumfert. Testimonia haec biblica adeo luculenta sunt, ut mirum sit, Protestantes, qui S. Scripturam, ut unicum Revelationis fontem revereri profitentur, in iustificationis notione tam foede aberrare possint.

2. *Traditio* argumenta biblica confirmat. Semper enim, ubique et ab omnibus creditum est, in iustificatione, quae per baptismum et per poenitentiam obtinetur, peccata penitus auferri, tolli, deleri, ablui, mundari. *S. Iustinus M.* in Dial. c. Tryph. (1) ait: « Si (peccatores) poenitentiam agant, licet omnibus, quicunque voluerint, misericordiam a Deo consequi, eosque beatos Scriptura praedicat his verbis: *Beatus cui non imputavit Dominus peccatum;* id autem hanc vim habet, ut peccatorum a Deo remissionem accipiat, nequaquam autem, quemadmodum vosmetipsos et decipitis et alii quidam vobis similes, qui dicunt, etiamsi peccatores sint, Deum tamen, modo illum cognoscant, non imputaturum illis peccatum. » Idem in eod. Dial. inquit: « Cum in stupris, ac omni prorsus sordida actione versaremur, per gratiam a nostro Iesu secundum voluntatem Patris concessam sordida omnia, quibus induti eramus, mala exuimus. » *Clemens Alex.* (2) loquens de baptismo ait: « Hoc lavacro peccata absterguntur. » *S. Cyprianus* baptismum (3): « mortem criminum » vocat. *Origenes* (4) dicit: « Graviora peccata nonnisi per poenitentiam plenissimae satisfactionis ex se abiicere valet. » *S. Hilarius* (5) scribit: « Cum innovamur baptismi lavacro per verbi virtutem ab originis nostrae peccatis, atque auctoribus separamur et veterem cum peccatis, atque infidelitate sua hominem exuentes et per spiritum anima et corpore innovati, necesse est, ut ingeniti et vetusti operis consuetudinem oderimus. » *S. Ambrosius* (6) inquit: « Bonus spiritus, qui bonos de pessimis facit, peccatum abolet, malum delet, crimen excludit, bonum munus infundit. » Idem (7) haec habet: « Quod ait (Mich. VII, 18): *Auferens peccata*, ad remissionem pertinet, quia penitus ea tollit, ita ut non sint, quorum memor non erit. » *S. Gregorius Naz.* (8) primi sacramenti nomina recensens ait: « Dicitur — baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur...; lavacrum, quia abluit. » Et ibid. (9) monet: « Sic te compara, ut lavacrum non modo corpus, sed imaginem quoque abluat, non modo peccata eluat, sed mores etiam emendet; non modo pristinas vitae sordes, verum fontem quoque ipsum expurget... Porro non fucanda est purgatio, sed imprimenda; tibique hoc agendum, ut plene, ac perfecte splendescas, non ut leviter, atque in superficiem illinaris; ut gratia non peccata tantum obducat, sed ab iis omnino te vindicet. *Beati, quorum remissae sunt iniquitates;* hoc plenae et cumulatae purgationis est. » *S. Gregorius Nyss.* (10) inquit: « Sancta mysteria (baptismi et confirmationis) hominem purgant, neque solum peccatum, quod difficulter eluitur, tum ab anima, tum a

(1) N. 111. (2) Lib. 2, Strom.
(3) In Epist. 2. (4) Hom. 12 in Levit.
(5) Comment. in Matth. cap. 10, n. 24.
(6) L. 1 de Spir. sancto n. 71.
(7) Ep. 70, n. 23. (8) Or. 40, n. 4.
(9) N. 32. (10) In Orat. in bapt. Christi

corpore abstergunt, sed et pristinam pulcritudinem, quam optimus artifex in nobis effinxerat, reducunt.» *S. Cyrillus Hieros.* (1) ait: « Baptismus captivis est pretium, remissio peccatorum, animae regeneratio, luminosum indumentum, signaculum sanctum indissolubile, vehiculum ad coelum, paradisi deliciae, adoptionis donum. » *S. Chrysostomus* (2) scribit: « Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum Iudaeorum sacerdotibus licebat...his vero (nostris) non corporis lepram, sed animae sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. » Idem (3) ait: « Compunctio cordis sicut ignis, omne animae vitium perurit et adimit et quantacunque in ea repererit mala, abstergit universa et penitus delet. » Et Hom. 40 in Act. Apost. n. 2 exponens cap. 19, v. 6 inquit: « Hinc ostenditur magnum dogma, quod qui baptizantur, perfecte a peccatis purgentur. Nisi enim purgarentur, spiritum non acciperent, non statim charismatibus dignarentur. » *S. Augustinus* (4) ita loquitur: « Dicimus baptisma omnium dare indulgentiam peccatorum et auferre crimina, non radere. » Et in Enchir. (5) scribit: « Quemadmodum in illo (Christo) vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio.» *S. Cyrillus Alex.* (6) scribit: « Sicut ad argentea vasa accedens ignis sordes illis insitas abstergit, eodem sane modo etiam divini Spiritus vis tanquam ignis, qui in nostras immittitur animas, mente scilicet et divino modo nos ab omni macula liberat et urget quodammodo naturam in omne nobis contrarium opus.» *S. Gregorius M.* (7) ad Theotistam haec habet: « Qui ergo dicit, peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori; quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quam umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Si igitur peccata in baptismate funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit.» *Theodoretus* (8) asserit, « Deum ita peccata remittere ut ea obliteret, nullumque appareat eorundem vestigium.» Huic constanti Traditioni insistens *Concilium Tridentinum* (9) definit: *Si quis per Iesu Christi D. N. gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Etiam Graeci schismatici doctrinam Protestantium examinarunt et condemnarunt; nam anno 1672 *in Synodo CPtana* de iustificatione agentes can. 5 haec pronuntiant: « Dicimus, originale peccatum in S. Lavacro *penitus deleri:* » et in *Synodo Hierosolymitana* aiunt can. 16: « Omne peccatum ante baptismum aut existens, aut commissum *deletur, nec dicere licet, illud manere, at non imputari.* »

3. *Ratio theologica* peti potest ex

(1) Pro-Catech. n. 16 etc.
(2) Lib. 3 de sacerd. n. 6.
(3) L. 2 de compunct. cordis.
(4) L. 1 ad Bonifac. cap. 13.
(5) Cap. 52.
(6) L. 7 c. Iulian.
(7) Lib. 9, Epist. 39.
(8) In Psal. 3.
(9) Sess. 5, can. 5.

comparatione, quae inter peccatum Adami et Redemptionem Christi in S. Scriptura et in Ss. Patribus instituitur. Christum enim spiritualia damna, quae peccatum originale attulit, abunde reparasse, communis est omnium doctrina. Paulus inquit: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem iusti constituentur multi* (1); iuxta quae verba necesse est, ut homines eo modo per Christum iusti constituantur, sicuti per lapsum Adami constituti sunt peccatores. Ast, ipsis adversariis fatentibus, homines per protoparentis lapsum intrinsece peccatores constituti sunt ita, ut non solum nominentur aut putentur, sed vere sint peccatores: ergo et per obeditionem Christi non solum nominantur, aut exterius putantur, sed interius vere sunt iusti, a peccato prorsus immunes. Quod eo magis admittendum est, quo clarius ab Apostolo efficacia meritorum Christi efficaciae labis originalis praefertur; ait enim (2): *Non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Adversarii ergo admittere debent, homines ita per Christum iustificari, ut a peccatis omnino purgentur et intrinsece iusti constituantur, nisi nimium meritis Christi derogare velint. — Alia ratio ex eo petitur, quia iustificatio est opus divinum, dicente Apostolo (3): *Unus est Deus, qui iustificat.* De operibus autem divinis dicitur: *Opera manuum eius veritas et iudicium, facta in veritate et aequitate* (4). Ergo si iustificat, in veritate et iudicio iustificat et non apparenter tantum. Si Deus, qui scrutatur renes et corda, nos ut iustos reputat et declarat, cum tamen interius simus peccatores, de ipsius veracitate et iustitia actum est, quoniam in ipsa S. Scriptura (5) illius arguitur iniustitia, qui *iustificat impium*, seu qui culpae interius reum, exterius insontem declarat. Denique quaeri potest, an Deus non possit, an non velit peccati maculas ab anima omnino abstergere? — Si primum dicitur, omnipotentia Dei negatur; si secundum, charitas Dei obscuratur, quae in Redemptione Christi apparuit et in tota Scriptura commendatur (6).

Nota. Protestantes varia apparentia argumenta conglomerant, ut sententiam suam defendant et doctrinam catholicam impugnent.

Obi. I. Peccata in iustificatione impii teguntur tantummodo et ad poenam non imputantur. Etenim (7) dicitur: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Perinde igitur est, iniquitates remitti et tegi, ac non imputari, seu peccata tunc remitti dicuntur, cum teguntur ac non imputantur. Quae confirmantur ab Apostolo, qui non modo Rom. IV, 7, etc. citata verba (8) refert, sed praeterea II Cor. V, 19 exponit, qua ratione Deus peccata dimittat dicens: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans sibi delicta ipsorum.* Ergo non *delendo*, sed non reputando Deus peccata remittit, seu hominem iustificat.

Resp. Argumento adversariorum opponimus iam adducta S. Scripturae testimonia, in quibus peccata tolli, auferri, deleri, ablui etc. dicuntur,

(1) Rom. cap. 5, v 19. (2) Ibid. v. 15.
(3) Rom. 3, 30. (4) Ps. 110, v. 6 etc.
(5) Prov. 17, 15.
(6) Cf. Bossuet exposit. doctr. cath. in materiis controv. cap. 6; Henr. Klee Th. dogm. spec. Lib. 3, cap. 1 § 7, n. 3; Moëhler Symbolic. § 14. (7) Ps. 31.
(8) Ps. 31.

et ista quoque testimonia vera esse, nemo negabit. Rectissime igitur cl. *Bossuetus* (1) inquit: « Sicuti S. Scriptura nobis remissionem peccatorum explicat, modo dicendo, quod Deus peccata tegat, modo dicendo, quod illa tollat, et extinguat per gratiam Spiritus sancti ita, ut novae creaturae efficiamur; opus esse credimus, ut varias has expressiones coniungamus ad perfectam iustificationis ideam efformandam. Hinc nos recte credimus peccata nostra non solum tecta, sed penitus extinta esse per sanguinem Iesu Christi, et per gratiam quae nos regenerat. » Neque putandum est, S. Scripturam sibi contradicere, dum peccata nunc tolli, deleri, ablui etc., nunc tegi et non imputari dicuntur, quia posteriores istae locutiones, cum ad Deum referuntur, eundem sensum, uti priores, habent. Quod enim Deo tegitur, hoc Deo non patet; et quod Deo non patet, Deus non videt; quod autem ille non videt, qui omnia extantia perspicit, hoc amplius non est. Ita pariter peccata, quae a Deo non imputari dicuntur, iudicio divino homini non sunt adscribenda, neque in ipso punienda; ex quo patet, reatum culpae et poenae sublatum esse. Hinc Ss. Patres verba Psalmistae intelligunt de omnimoda peccatorum extinctione, ut patet ex verbis *S. Iustini M.* citatis n. 2; et *S. Augustinus* (2) ait: « *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata:* non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum tecta sunt peccata. Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt... nec sic intelligatis, quod dixit; *cooperta sunt*, quasi ibi sint, et vivant. » Hanc interpretationem etiam recentiores Protestantes adoptant; sic *G. Rosenmüller* in Rom. IV, 7 ita loquitur: « Felices eos (inquit David) quorum scelera condonata, quorum peccata deleta sunt, proprie tecta, id est omnino remissa et oblivioni tradita. » Nec alio sensu Paulus verba Ps. XXXI intellexit, quae citavit, ut ostendat, gratuitam prorsus esse iustificationem, non vero ut absolutam, et adaequatam iustificationis notionem exhibeat, multo minus ut doceat, quod autumant adversarii, remissionem peccatorum in non imputatione consistere, non vero in vera ablatione. Haec siquidem nihil ad eius scopum conferebant, et praeterea eius doctrinae alibi traditae adversantur. Sensus verborum II Cor. V, 19 iuxta *S. Chrysostomum*, aliosque Patres graecos et interpretem syrum hic est: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, gratis remittens et condonans delicta ipsorum per merita Christi, seu intuitu eius passionis. Nec alia est expositio Patrum latinorum (3).

Obi. II. Iusti nunquam sunt a peccatis immunes. Dicitur enim in Isa.: *Facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatae omnes iustitiae nostrae* (4). Iob (5) dicebat: *Vere scio... quod non iustificetur homo compositus Deo*, et (6): *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, et stellae non sunt mundae in conspectu eius.* David (7) ait: *Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Item (8): *Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?* I Io. I, 8 legitur: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos sedu-*

(1) Expos. doctr. cath. etc.
(2) Enar. in Ps. 31, Serm. 2, n. 9.
(3) Cf. Bernardin. a Picon. in h. l.; Bellar. l. 2 de iustif. cap. 9.
(4) C. 64, 6. (5) C. 9, 2. (6) C. 25, 4 etc.
(7) Ps. 142, 2. (8) Ps. 129, 3.

cimus et veritas in nobis non est. Iuxta praeceptum Christi omnes orare tenentur: *Dimitte nobis debita nostra:* ergo omnes peccatis inquinati sunt. Si autem in iustificatione peccata vere tollerentur, saltem aliqui omnino iusti et mundi invenirentur.

Resp. In S. Scriptura hincinde sub nomine *omnium* magna dumtaxat multitudo intelligitur, ut Ps. XIII, 4: *Omnes declinaverunt — non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,* quamvis constet, tempore Davidis Prophetas *Nathan, Gad,* aliosque iustos extitisse; et Dan. III, 7 dicitur: *Omnes populi, tribus et linguae adoraverunt statuam auream,* licet etiam Babylone adfuerint, qui statuam adorare renuerint. Ita etiam citatus locus Isaiae sic intelligi potest, non quod cuncta Iudaeorum opera forent contaminata et criminosa, sed quod multorum, quamvis viderentur honesta, quamplurimis noxarum maculis aspergebantur. Alii vero dicunt, quod Isaias in verbis citatis praenuntiet, abiici post promulgationem Evangelii purificationes legales, quas Paulus (1) iustificationes appellat, atque post Christi adventum Iudaeos in lege sua merito haberi tanquam reos et contaminatos. Hanc interpretationem confirmat *Cornelius a Lapide* ex Versione arabica, ex Comment. *S. Hieronymi* et ex confessione adversariorum. — *Iob* in capite primo rectus et timens Deum laudatur, servus Dei Deoque acceptus declaratur: ergo certe in eodem libro non negatur, homines rectos, iustos, Deoque acceptos existere posse. Neque id negat Iob, sed solum confitetur, iustitiam humanam cum divina comparari non posse. Quantacunque enim sit hominum puritas et sanctitas, verum est, quod dicebat Iob, eam in comparatione sanctitatis Dei quasi immunditiam reputari. Unde *S. Augustinus* (2) dicebat de hominibus: « Cuius participatione iusti sunt, eius comparatione nec iusti sunt; » et ipse Iob (3) clarius sensus suos exprimit dicens: *Numquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir?* ubi non obscure indicat, hominem purum esse posse, sed non puriorem Deo. Sic nos quoque lumen candelae nullum esse dicimus in comparatione solis. — In verbis Psalmistae solum indicantur peccata venialia, quibus nec iusti carent, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, ut in Conc. Trid. (4) definitum est. Unde *S. Augustinus*, postquam dixisset, Sanctos non ita sanari in hac vita, ut ab omnibus vitiis et peccatis immunes sint, ita subdit (5): « Ut quantum pertinet, ad integerrimam regulam veritatis eius, *non iustificetur in conspectu eius omnis vivens.* » Caeterum multos esse a lethalibus peccatis puros, idem Psalmista declaravit (6) dicens: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini;* et (7) de se ipso dicit: *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam.* Testimonium quoque Ioannis de peccatis venialibus intelligendum est, a quibus nec iusti immunes sunt, dicente etiam Iacobo (8): *In multis offendimus omnes;* et propterea etiam iusti Deum orant: *Dimitte nobis debita nostra.* Hinc *S. Augustinus* (9) recte dixit: « Qui misericordia Dei adiutus et gratia ab eis peccatis abstinuerit, quae etiam crimina vocantur,

(1) Hebr. 9, 1. (2) L. ad Orosium c. 10.
(3) C. 4, 17. (4) Sess. 6, can. 23.
(5) L. 2, de peccat. mer. et remis. cap. 19.
(6) Ps. 118, 1. (7) Ps. 17. (8) Iac. 3, 2.
(9) Epist. 158 (al. 89) n. 3.

atque illa peccata, sine quibus non hic vivitur, mundare operibus misericordiae, et piis orationibus non neglexerit, merebitur hinc exire sine peccato, quamvis cum hic viveret, haberet nonnulla peccata; quia sicut ista non defuerunt, ita remedia, quibus purgarentur, adfuerunt. »

Obi. III. Saltem ante legem mosaicam tota hominis iustificatio in sola peccatorum non imputatione consistebat, dicente Paulo (1): *Usque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur.* Hoc idem in lege mosaica obtinuisse, patet ex Sap. XI, 24, ubi iustificatio peccatorum his verbis proponitur: *Misereris omnium et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam,* id est, ita agis, quasi peccata non videres ac ideo non punis, nec hominibus imputas. Et eodem modo homines in novo foedere iustificari, testis est Paulus, qui candide fatetur, peccatum post iustificationem obtentam in se remansisse; ait enim Rom. VII, 17: *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Ergo peccatum non deletur, sed in iustificatis permanet.

Resp. Citata Scripturae testimonia erroribus adversariorum nullatenus favent. Paulus enim solum affirmat, tunc temporis peccatum non fuisse imputatum ad normam legis scriptae definitis seu statutis poenis; non autem dicit, peccatum omnino non fuisse imputatum, quia, si hoc dixisset, ipsi S. Scripturae contradixisset; nam in ipsa Genesi transgressores legis naturalis gravissimis poenis multati exhibentur; uti ex. gr. cum homines universi praeter Noë familiam aquis diluvii, Sodomitae autem igne consumpti sunt. Alii autem ita eadem verba intelligunt: *usque ad legem* — peccatum non cognoscebatur propter crassas ignorantiae tenebras, seu *non reputabatur*, vix existimabatur ab hominibus solam naturam, et concupiscentiam sequentibus et legem scriptam non habentibus, quae peccati foeditatem ipsis ostenderet. In neutro sensu verba Pauli favent adversariis, praecipue quia Apostolus non loquitur de iustificatione, seu non dicit, peccata fuisse remissa, quia non imputata, sed potius ostendit, omnes peccato fuisse inquinatos, ut exinde ostenderet necessitatem redemptionis Christi. - Etiam Sap. XI, 24 non est sermo de iustificatione, sed misericordia seu longanimitas Dei praedicatur, quae *dissimulat*, id est, non statim punit, sed tollerat *peccata hominum*, quasi illa non videret, *propter poenitentiam*, id est, ut sontes resipiscant. Denique Paulus Rom. VII, 17, ut ex contextu apparet, per *peccatum* intelligit concupiscentiam. Ideo autem concupiscentiam Apostolus vocavit peccatum, quia, ut declarat *Concilium Tridentinum*, *a peccato est, et ad peccatum inclinat:* alioquin non dixisset paulo post idem Apostolus: *Nihil est damnationis in iis, qui sunt in Christo Iesu.*

Obi. IV. In Ss. Litteris verbum *iustificare* sumitur forensi more pro « iustum censere aut pronuntiare, » ideo ad plenum iustificationis opus significandum adhibentur voces ex formis iudiciariis depromptae, ut *iudicium* (2), *iudices* (3), *tribunal* (4), *accusatus* (5), *accusator* (6), *testes* (7), *acta processus* (8), *advocatus* (9), *sententia* (10), *executio* (11). Idem ergo contingit in iustificatione peccatoris, quod in iudicio forensi, in quo deli-

(1) Rom. 5, 13. (2) Ps. 145, 7.
(3) Io. 5, 27. (4) Rom. 14, 10.
(5) Rom. 3, 19. (6) Io. 5, 45. (7) Rom. 2, 15.
(8) Col. 2, 14. (9) 1 Io. 2, 1.
(10) Ps. 32, 1. (11) Luc. 16, 22.

cta non tolluntur, sed tantum non imputantur; nec homo ex reo iustus fit, sed solum iustus declaratur. Hinc *S. Augustinus* (1) exponens verba Apostoli: « *Factores legis iustificabuntur*, dictum est, inquit, *iustificabuntur*, ac si diceretur, iusti habebuntur, iusti deputabuntur: sicut dictum est Lucae X: *Ille volens se iustificare*, id est, ut iustus haberetur et deputaretur. » Addit *Chemnitius* apud latinos auctores vocem « iustificare » nunquam pro eo accipi, quod est iustum facere, sed solum pro eo, quod est absolvere.

Resp. Non novum, aut insolens est, ut verba in Scripturis eleventur ad aliquid significandum multo excellentius, aut augustius, quam in humanis significant. Cum enim mundus spiritualis et invisibilis in lucem prodire nequeat, nisi quodam ut ita dicam, exteriori, ac sensibili indumento vestiatur, hinc fit, ut quoties invisibilis et spiritualis aliqua veritas aut operatio hominibus proponitur, toties ad horum captum per sensibilem aliquam formam significetur. Quod pluribus exemplis ostendi facile potest: ex. gr. aeterna beatitudo sub symbolo domus, civitatis, convivii, esus et potus, aliisque similibus exhibetur in Ss. Litteris; status corporum gloriosus sub emblemate aquilae, vituli subsilientis etc. Frustra autem, imo et absurde quispiam contenderet, et contra omnes sacrae exegeseos leges, non in alio consistere aeternam beatitudinem, quam in domo, convivio etc.: idipsum de conditione corporum gloriosorum dicatur. Iam vero idem contingit circa iustificationem, ad quam adumbrandam et ob oculos nostros quodammodo subiiciendam Scripturae figuras, et symbola petit ex iis, quae in humanis iudiciis in usu sunt; nec propterea aliquis inferre possit, Deum exterius homines iustificare, ut humani iudices solent. Infinita enim inter humanum iudicium et divinum distantia subest. Quando de hominum iudicio agitur, potest equidem iustus declarari, qui iustus non est: at omne Dei iudicium necessario veritate nititur; neque Deus iustum habere, aut declarare potest, nisi quem ipse intrinsece faciat, aut fecerit iustum. Et sane, ipsae Ss. Litterae omnem ambiguitatem amovent, cum tradunt, Deum in iustificatione peccata *delere*, *abluere*, *auferre*, *tollere* etc., ut superius ostendimus. Nec aliter iustificationem accepit *S. Augustinus*, ut patet ex eius testimoniis n. 2 allatis, imo et ex verbis in obiectione citatis, in quibus docet, factores legis iustos haberi et deputari ante oculos Dei ipsius, quibus certe apparerent peccatorum sordes, si post iustificationem in anima remanerent. Quod vero *Chemnitius* addit de significatione huius vocis apud latinos, nihil nos premit; mirum enim non est, si scriptores profani non alio sensu vocem hanc aliasve huiusmodi usurpaverint, quia inter homines nulla alia datur iustificatio praeter declaratoriam, sive forensem, ac omni prorsus idea sublimioris ac interioris iustificationis destituti fuerunt. Absonum autem est, ex scriptoribus profanis sensum cognoscere velle, quo scriptores sacri vocem *iustificare* adhibuerunt, quibus de iudiciis et operationibus divinis disserendum erat. Inter ipsos Heterodoxos non desunt, qui ingenue fatentur, iustificationem in sacris litteris non semper sumi *sensu forensi*. Ita sentiunt *Hugo Grotius* (2), *Georgius Bullus* (3), qui pro eadem

(1) L. de Spir. et litt. c. 26.

(2) In Prolegom. ad Epist. ad Rom.
(3) In Harmon. Apost. Diss. 1, c. 1, § 2.

sententia citat *Mart. Bucerum, Ernestum Grabe* et alios. Ipse *Phil. Melanchthon* in Apologia Conf. August. haec habet: « Iustificari significat, ex iniustis iustos effici, seu regenerari: significat, et iustos pronunciari, seu deputari: utroque enim modo loquitur Scriptura. »

Obi. V. Iuxta doctrinam catholicam peccata deleri, et ab homine prorsus abstergi seu auferri debent, ut a damnatione eripiatur et vitam aeternam consequatur. Catholici ergo maxime obscurant merita Christi, quasi ad tegenda peccata non sufficerent, neque efficere possent, ut homines, licet interius peccatis inquinati sint, ob apprehensam iustitiam Christi iusti deputentur, poenis non subiiciantur, et ad vitam aeternam promoveantur.

Resp. Vana omnino falsaque est haec adversariorum criminatio; nam in doctrina catholica non solum non imminuitur aut obscuratur, sed multo magis quam in doctrina Protestantium exaltatur meritum Christi. Quod praeclare ostendit cl. *Bossuet*, qui in Confut. Catech. Ferry c. 7 ita disserit: « Aiunt Acatholici, peccata nobis haud imputari, id est, Deum ob Christi merita ea non punire; nos vero, propter eiusdem Salvatoris merita ea in nobis non adesse, affirmamus: volunt illi, Christi merita tanta esse, ut ad tegenda nostra peccata sufficiant; nos contendimus, ea sufficere ad maculas nostras penitus delendas; asserunt illi, iustitiam unigeniti Filii Dei promereri, ut fideles reputentur, quasi iusti essent; nostra doctrina est, eam tanti esse meriti, ut revera sint iusti etc. »

Obi. VI. Peccata tolli non possunt eo sensu, ut qui peccavit, dici posset, non peccasse: ergo peccatum indissolubiliter homini inhaeret, atque in iustificatione id tantum contingere potest, ut peccatum haud amplius imputetur et puniatur.

Resp. Nemo Catholicorum ita unquam desipuit, ut assereret, factum infectum fieri posse; sed nos cum Scriptura et Patribus dicimus, peccatum tolli, cum tollitur reatus, per quem anima deformis, Deo exosa, et poenae aeternae obnoxia redditur. *S. Augustinus* (1) ait: « Hoc est, non habere peccatum, reum non esse peccati. » Ipse *Melanchthon* (2) ait, formale peccati esse reatum. At certe, sublata rei forma, ipsa rei ratio et natura destruitur; nam per formam res id efficitur, quod est. Si quis in coenum prolapsus, sordibus inquinatus sit, sed postea perfecte abluatur et mundetur, maculae eius penitus abstersae sunt, quamvis semper verum sit, ipsum in coenum prolapsum et sordibus inquinatum fuisse. Siquis a gravi morbo sanetur, extincto morbo sanitatem consequitur, quamvis eum graviter aegrotasse, nemo negare queat. — Ita etiam ab anima maculae absterguntur, et peccatum tollitur; quamvis eam aliquando peccasse, nemo inficiari possit.

II. *Impius non iustificatur per externam imputationem iustitiae Christi, sed per internam gratiae sanctificantis infusionem.*

§ 462. *Lutherus*, eiusque asseclae volunt, iustificationem formaliter consistere tum in remissione peccatorum, tum in imputatione iustitiae Christi extrinseca, quae duo vel realiter idem esse, aut saltem separari ab invicem non posse, iudicant. Cum enim peccator per fidem apprehendit iustitiam et merita Christi, Deus in ipsorum systemate peccatori remittit, seu potius non imputat peccata, si-

(1) L. 1 de nupt. et concup. cap. 26.

(2) In locis commun. tit. de pecc.

mulque eidem imputat iustitiam Christi; sicque iustus a Deo habetur eo fere modo, quo filius capitalis criminis reus, in foro iudiciali humano ob praeclara sui parentis merita, quae pro obtinenda criminis venia allegat, absolvitur iustusque declaratur. Aiunt itaque, nostram iustitiam esse mere extrinsecam et alienam, nempe Christi, nobis imputatam, qua sola munitus absque ulla iustitia inhaerente peccator coram Deo consistere et salutem suam consequi potest. — Concedunt quidem, in iustificatione infundi a Deo dona aliqua supernaturalia, nempe charitatem, spem, aliasque virtutes; hanc tamen donorum infusionem iustificationem primam et formalem esse negant, sed illam considerant, ut aliquid tantum concomitans, seu ut aliquid, quod iustificationem sequitur. Manifestum est autem, quod in systemate Protestantium de renovatione, regeneratione et interna sanctificatione hominis recta notio exhiberi non possit, cum in iustificatione peccata non deleantur, sed in homine remaneant, qui ideo nec renovatur, nec regeneratur, nec interne sanctificatur, sed externa iustitia indiget, qua iustus deputetur. — Aliam prorsus iustificationis notionem tradit Ecclesia catholica; haec enim docet, Deum, dum nos intuitu meritorum Christi iustificat, non tantum imputare nobis extrinsece iustitiam Christi, sed infundere etiam hominum mentibus donum aliquod gratuitum, nimirum iustitiam formalem, seu gratiam sanctificantem, per quam deletis prorsus peccatis homo vere et intrinsece iustus sit et sanctificatus coram Deo. Catholicam hanc doctrinam veram esse, *ex S. Scriptura*, *ex Traditione* et *rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* veteris et novi Testamenti ostendit, iustificationem impii fieri per internam totius hominis renovationem et iustitiae, seu gratiae sanctificantis infusionem. Talem iustificationem agnovit, et petiit a Deo David (1) dicens: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Ipsi autem Protestantes non diffitentur, Psalmos optimam precandi normam quovis tempore praebere. Deus ipse Iudaeis remissionem peccatorum, seu iustificationem promittens, ita loquitur (2): *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris... Et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri:* quomodo autem Deus dici posset, cor novum et spiritum novum dare, si anima peccatis inquinata manet et gratia sanctificans non infunditur, sed iustitia externe tantum imputatur? — Christus (3) ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* In baptismo ergo fit vera regeneratio et quidem regeneratio per Spiritum sanctum; ex quo Christus ipse infert, quod, sicut qui ex carne nascitur, naturae carnalis particeps fit; ita, qui ex Spiritu sancto nascitur, vero Deo, *spiritus*, nempe naturae divinae particeps et filius Dei adoptivus fiat. Paulus I Cor VI, 11 cum varia enumerasset delicta, quae excludunt a regno Dei, ita prosequitur: *et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine D. N. I. Christi et in Spiritu Dei nostri;* quibus verbis Apostolus clarissime docet, Corinthios a peccatis ablutos, per gratiae infusio-

(1) Ps. 50, 12. (2) Ezech. 36, 25. (3) Io. 3, 5 etc.

nem sanctificatos et sic vere iustificatos esse: ex quo necessario infertur, iustificationem consistere in peccatorum ablutione et gratiae sanctificantis infusione. Idem Paulus inquit: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit* Deus, id est, a peccatis nos liberavit, seu iustificavit; et illico ostendit, quomodo Deus homines salvos fecerit, nempe *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum*, id est, cuius gratiam et dona effudit in nos abunde ob merita Christi Redemptoris, *ut iustificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae* (1). Anne clarius exprimi potuisset, homines in baptismo regenerari et renovari, ac gratiam sanctificantem ipsis infundi? Aptiora verba adhiberi non poterant ad veram doctrinam stabiliendam et oppositos errores refutandos. Eandem doctrinam Paulus in aliis Epistolis tradit. Eph. I, 4 ait: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut* non solum reputaremur, sed *essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate;* et ibid. IV, 23 etc.: *Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis:* homines ergo, dum iustificantur, veterem hominem peccatis inquinatum exuunt et novum hominem induunt, gratia illa ornatum, qua primus homo in statu innocentiae insignitus fuit. Plura loca, quae huc spectant, iam citata fuerunt § 453, ubi de existentia gratiae sanctificantis actum est.

2. *Ss. Patres* constanter docuerunt, iustificationem in gratiae sanctificantis infusione consistere. *S. Irenaeus* lib. III. adv. haer. (2) scribit: « Homo inobediens fuit Deo, et proiectus de immortalitate; dehinc misericordiam consecutus est per Filium Dei, eam, quae est per ipsum, percipiens *adoptionem:* » et lib. V (3) ait: « Ubi autem Spiritus Patris (per participationem, seu communionem adest) ibi (est) homo vivens, caro a Spiritu possessa, oblita quidem sui, qualitatem autem Spiritus assumens, conformis facta Verbo Dei. » *S. Athanasius* de incarn. contra Apollinar. (4) inquit: « Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis (Io. VIII, 36) secundum eam, quae in ipso est, novitatem et perfectionem, per quam nos, qui credimus, renovamur secundum imitationem et participationem perfectae novitatis Christi. » *S. Basilius* lib. de Spir. sancto (5) appellat baptismum « vitae initium » et in Homil. de bapt. « Redemptionis pretium, mortem peccati, regenerationem animae, gratiam adoptionis. » *S. Gregorius Naz.* (6) inquit: « Caesarius frater dignos anima recens creata, quam Spiritus per baptismum reformavit, honores percepit. » *S. Chrysostomus* (7) dicit: « Quid est iustitiae Evangelium? nimirum, quod iustos efficit. His enim verbis baptismi desiderium in ipsis (Cathecumenis) ciet (Ecclesia), dum illud ostendit, Evangelium non tantum peccata remittere, sed iustitiam etiam afferre. » Et (8) in Acta Apost. ait: « Hinc ostenditur magnum dogma, quod, qui baptizantur, perfecte a peccatis purgentur. Nisi enim purgarentur, Spiritum non acciperent, non statim charismatibus dignarentur. » *S. Ambrosius* (9) alloquens baptizatum inquit: « Accepisti post haec

(1) Tit. 3, 5 etc.
(2) C 20. n. 2.
(3) C. 9, n. 3.
(4) L. 1, n. 21.
(5) Cap. 10, n. 26.
(6) Orat. 7, n. 15.
(7) Hom. 2, in 2 Corinth. n. 6.
(8) Hom 40, n. 2.
(9) L. de Myster. c. 7.

vestimenta candida, ut sint indicium, quod exueris involucrum peccati, indueris innocentiae casta velamina. » *S. Augustinus* ita contra Pelagianos rectam iustificationis notionem vindicavit, ut errores Protestantium confutare videatur. Nam (1) cont. Iulian. inquit: « Non per solam peccatorum dimissionem ista confertur, nisi auctoribus vobis (Pelagianis). Iustificat quippe impium Deus non solum dimittendo, quae mala fecit, sed etiam donando charitatem, ut declinet a malo et faciat bonum per Spiritum sanctum. » - Sermo 131 (2) dicit: « Dei gratia per D. N. I. Christum iustitia Dei dicitur, non qua iustus est Dominus, sed qua iustificat eos, quos ex impiis iustos facit. » Lib. de gratia Chr (3) ait: « Si data est (nobis iustitia), non dicitur iustitia nostra, sed Dei, quia sic fit nostra, ut sit nobis ex Deo. » De spir. et litt. (4) in verba Apostoli (5): *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi*, « hoc est, inquit, per fidem, qua creditur in Christum. Sicut autem ista *fides* Christi dicta est, non qua credit Christus, sic et illa *iustitia Dei*, non qua iustus est Deus. Utrumque enim *nostrum* est, sed ideo Dei et Christi dicitur, quod eius nobis largitate donatur. » Et ibid. (6) haec habet: « Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos; sicut iustitia Dei, qua iusti eius munere efficimur, et Domini salus qua nos salvos facit, et fides Iesu Christi qua nos fideles facit. » Haec ipsa adeo frequenter inculcat S. Doctor, ut *Calvinus* (7) plane fateatur, se ab *Augustino* recedere, quia « gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitae novitatem per Spiritum regeneramur. » Hoc ipsum, teste *Bossuet* Hist. Variat. (8), confiteri debuit *Phil. Melanchthon*. Generatim Patres per iustificationem intelligere internam hominis renovationem et gratiae sanctificantis infusionem, fatentur *Martinus Chemnitius* et alii Protestantium Theologi citati apud cl. *Wiest* (9). — Equidem Protestantes a constanti doctissimorum et sanctissimorum virorum doctrina recedere non erubescunt; sed Ecclesia catholica Traditioni divinae fideliter insistens in *Concilio Tridentino* Sess. VI, cap. 7 his verbis proponit: *Iustificatio... non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex iniusto fit iustus et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae.* Et ibid. can. 10 definit: *Si quis dixerit, homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse, anathema sit.* Et can. 11: *Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Cuius postremi Canonis non ille sensus est, quem fingit *Chemnitius*, scilicet quod iustificemur quidem imputatione iustitiae Christi, sed non sola, nempe partim renovatione interna, partim imputatione iustitiae Christi. Hunc enim sensum Patres iam can. 10 exploserant.

3. *Ratione theologica S. Thomas* (10)

(1) L. 2 op. imperf. n. 165. (2) N. 9. (3) Cap. 13. (4) C. 9, n. 15. (5) Rom. 3, 22. (6) C. 32, n. 56. (7) L. 3 Instit. c. 11, § 15. (8) L. 5, n. 29 etc. (9) T. 6, § 65, nota 1. (10) 1 2, q. 113, art. 2.

probat, non posse remitti culpam sine infusione gratiae. Ait enim: « Homo peccando Deum offendit. Offensa autem non remittitur alicui nisi per hoc, quod animus offensi pacatur offendenti. Et ideo secundum hoc peccatum nobis remitti dicitur, quod Deus nobis pacatur: quae quidem pax consistit in dilectione, qua Deus diligit nos. Dilectio autem Dei, quantum est ex parte actus divini, est aeterna et immutabilis, sed quantum est ad effectum, quem nobis imprimit, quandoque interrumpitur; prout scilicet ab ipso quandoque deficimus, et quandoque iterum recuperamus. Effectus autem divinae dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus vita aeterna, a qua peccatum mortale excludit. Et ideo non posset intelligi remissio culpae, si non adesset infusio gratiae. » Ad quam argumentationem melius intelligendam attendendum est, angelicum Doctorem reponere essentiam mali in privatione boni, et essentiam peccati in privatione debitae rectitudinis (§ 238, n. 1); eundemque docere, quod amor Dei non consistat in affectu ut in hominibus, sed quod sit « infundens et creans bonitatem in rebus » (§ 40, n. 1). Iuxta haec principia peccatum tollitur, et penitus extinguitur, cum id restituitur, quod per peccatum amissum fuit. Sed per peccatum amittitur debita rectitudo, iustitia, gratia sanctificans (§ 243, n. 1): ergo tunc tantum peccatum remittitur, et homo iustificatur, cum debita rectitudo seu iustitia restituitur, et gratia sanctificans infunditur. Idcirco *S. Thomas* solidissime dicit, quod « non posset intelligi remissio culpae, si non adesset infusio gratiae. » Neque praetermitti potest alia contra Protestantes aptissima ratio theologica ex precibus Christi petita. Preces enim Christi efficacissimas esse, et semper exaudiri, Protestantes negare nequeunt, dicente ipso Christo ad Patrem: *Ego sciebam, quia semper me audis* (1). Sed Christus pro credentibus in eum rogavit, ut sanctificentur, et quidem interius in veritate sanctificentur. Ait enim: *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est... Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut et ipsi sint sanctificati in veritate. Non pro eis* (Apostolis) *autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me* (2). Vel igitur negandum est, preces Christi exaudiri, vel admittendum est, illos, qui debito modo in Christum credunt, non externe tantum, et apparenter, sed interne et in veritate sanctificari.

Nota 1. Praecipuae quas adversarii movent difficultates, ad sequentes reducuntur:

Obi. I. Formalis iustificationis causa saltem in sola peccatorum remissione consistit. De hac enim saepe S. Scriptura loquitur, quin de gratiae infusione ne verbum quidem proferat. Ita Ps. XXXI, 1 etc., et Rom. IV, 7 etc., nulla facta mentione gratiae infusae, *beati* dicuntur, *quorum remissae sunt iniquitates, quorum tecta sunt peccata* seu quibus peccata non imputantur. Quae verba considerans *Calvinus* quaerit, an haec sit plena definitio iustificationis, an dimidia? nam si plena sit, verum erit, quod ipse docet, iustificationem sola peccatorum remissione constare. Si vero dimidia sit, quomodo beatus dici poterit, qui non erit nisi media ex parte iustificatus? *At beatum*, David dicit eum, *cui non imputavit Dominus peccatum;* ergo in remissione, seu non imputatione peccatorum tota consistit iustificatio. Hoc idem confirma-

(1) Io. 11, 42. (2) Io. 17, 17 etc.

tur ex aliis locis, in quibus Christus dicitur sanguinem fudisse et mortuum esse ad peccatorum remissionem nobis obtinendam, nulla facta gratiae sanctificantis infundendae mentione. Christus ipse in ultima coena(1) ait: *Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Rom. IV, 25 de Christo dicitur: *Traditus est propter delicta nostra.* I Io. III, 8 legitur: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Act. XIII, 38 Apostolus ita Iudaeos alloquebatur: *Per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari.*

Resp. Bellarminus de iustif. (2) ita disserit: « Ad obiectionem *Calvini* posset obiici alia similis quaestio; sit ne plena definitio iustificationis an dimidia illa eiusdem Prophetae: *Beatus vir, qui timet Dominum* (3); et: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* (4). Nam si plena sit, ubi est remissio peccatorum? si dimidia, quomodo dicuntur beati, qui non sunt nisi media ex parte iustificati? potest igitur ad omnes istas quaestiones responderi, non poni in his locis integram definitionem iustificationis aut beatitudinis, sed explicari solum aliquid, quod pertinet ad iustificationem vel beatitudinem acquirendam. Nam hoc etiam modo accipimus illa Domini verba: *Beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent* (5) et alia, quae eo loco sequuntur. Neque Paulus(6)allegat hoc testimonium Psalmi, ut definiat integre iustificationem, sed solum ut probet iustificationem veram esse donum Dei, nec posse propriis viribus obtineri. Id autem rectissime probat ex eo, quod David beatum dicit eum, cui Deus peccata remittit, hoc est, qui dono et gratia Dei iustificatur. » Generatim loquendo doctrina revelationis non ex uno, et altero dumtaxat Scripturae loco, sed ex tota Scriptura et Traditione haurienda est; et quod in uno loco reticetur, non ideo negatur, sed si in aliis locis asseritur, firmiter credendum est. Ex eo ergo, quod non semper S. Scriptura expresse tradat totam iustificationis seriem, concludi nequit, Ss. Litteras gratiam interiorem et inhaerentem non complecti, multo minus excludere. Recte enim dicitur in locis, in quibus de sola peccatorum remissione sermo est, implicite infusionem gratiae adseverari, quia illa sine hac cogitari nequit, ut patet ex argumentatione citata *S. Thomae.* Caeterum Scripturae testimonia iam n. 1 adducta fuerunt, ex quibus patet, in iustificatione etiam gratiae infusionem contineri. Illis adiungi potest egregium Pauli testimonium (7), in quo exponit, quomodo Deus peccata remittat scribens: *Et vos cum mortui essetis in delictis... convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta.* In ipso loco (8), quem obiiciunt adversarii, infusio iustitiae, seu gratiae sanctificantis satis clare exprimitur; nam (9) legitur: *Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus*, id est, cui Deus gratis sine praecedentibus meritis iustitiam confert, seu gratiam sanctificantem infundit. Ideo *Bellarminus* l. c. ita prosequitur: « Potest etiam responderi, in his verbis definitionem integram, sed implicite contineri. Nam remissio peccatorum non potest fieri, nisi iustitia infundatur, quomodo non fugantur tenebrae, nisi lumen succedat. Id

(1) Matth. 26, 28 (2) L. 2 cap. 9.
(3) Ps. 111, 1. (4) Ps. 118, v. 1.
(5) Matth. 5. (6) Rom. 4. (7) Col. 2, 13.
(8) Rom. 4. (9) V. 6.

quod Apostolus ipse manifeste indicat, cum ait: *David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam* etc., ubi ex non imputatione peccatorum colligit imputationem iustitiae, ac per hoc docet, non posse duo ista separari, remissionem peccati, et donationem iustitiae. » Ex hac ratione etiam reliqua Scripturae testimonia ab adversariis obiecta, doctrinae catholicae non adversantur; plurima enim loca ostendunt, Christum non solum Deo pro peccatis satisfecisse, sed etiam homines Deo reconciliasse, iisque gratias supernaturales promeruisse (§ 377).

Obi. II. Scriptura saepe testatur, nos iustos esse ex sola iustitia Christi. Nam Apostolus Phil. III, 9 inquit: *Et inveniar in illo, non habens meam iustitiam quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi Iesu, quae ex Deo est iustitia in fide.* Et I Cor. I, 30 de Christo scribit: *qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio.* Loqui porro Apostolum de iustitia extrinseca Christi nobis imputata, patet ex antithesi, dum de Christo ait: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso* (1). Atqui nonnisi extrinsece peccatum factus est Christus, ergo pariter nonnisi extrinsece nos efficimur iustitia Dei in Christo.

Resp. Difficultas haec facile solvitur, si perpendatur, Christum esse Redemptorem nostrum, qui nobis tum peccatorum remissionem, tum gratias supernaturales promeruit, quod iam (§ 375 et seq.) probatum est. Christus est ergo causa meritoria gratiae sanctificantis, per quam regeneramur, innovamur, interius iusti et filii Dei constituimur, atque ideo iustitia, quae nobis intrinseca et inhaerens est, spectata causa meritoria, non tam nobis, quam potius Christo adscribitur. Ita (2) Apostolus opponit iustitiam legalem, propriis meritis partam, iustitiae, quam per fidem in Christum consequimur ob eius merita. Ita etiam S. *Augustinus* (3) explicat Apostoli verba, ut iustitia legis sit falsa iustitia quorundam Iudaeorum, qui praesumebant, se ex operibus legis sine gratia factis iustificari; contra autem iustitia per fidem Christi Iesu sit iustitia fidelium ex operibus factis ex fide, et gratia Iesu Christi. Ita pariter (4) Christus dicitur: nostra *iustitia et sanctificatio*, quia eam nobis promeruit et concessit. Non enim insolens est haec figurata et metonymica locutio, effectus scilicet pro causa, sed in Ss. Litteris frequenter occurrit, ut Ps. XVII: *Diligam te, Domine, fortitudo mea;* id est, te, qui fortitudinem mihi contulisti; Ps. XXVI: *Dominus illuminatio mea et salus mea;* id est, causa illuminationis et salutis; Ps. LXX, 5: *Tu es patientia mea, Domine;* Eph. II, 14: *Ipse est pax nostra...* et alibi: *spes, vita, protectio* etc. Sicut in istis locis effectus pro causa ponitur, ita in adducto testimonio Christus nostra iustitia et sanctificatio dicitur, quod ex ipsis Pauli verbis luculenter colligitur; eodem enim sensu dicitur Christus *iustitia et sanctificatio* nostra, quo dicitur *sapientia et redemptio* nostra; sed haec duo postrema intelligi certe nequeunt nisi in sensu causali et meritorio, nullatenus autem in sensu formali. — Quod attinet verba Pauli II Cor. V, 21 peccatum ibi sumitur pro hostia, ut sensus sit, Christum factum esse a Deo Patre hostiam, seu sacrificium pro peccatis, quod frequenter in V. T. occurrit, ut

(1) 2 Cor. 5, 21. (2) Phil. 3, 9.
(3) Lib. de grat. et lib. arb. cap. 12.
(4) 1 Cor. 1, 30.

observat *S. Augustinus* in Enchir.(1) dicens: « in veteri lege peccata vocari sacrificia pro peccatis. » Et sane... Christus, ut ipsi Protestantes admittunt, non ideo, quia extrinsece ipsi peccatum imputatum fuit, sed quia hostia pro peccatis factus est, et sacrificium in ara crucis obtulit, nos redimit, *ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Ipsi adversarii ergo admittere coguntur, per peccatum intelligi hostiam pro peccatis; Christus autem vera hostia fuit, et verum sacrificium intrinseci, infiniti valoris obtulit, et sic etiam veram iustitiam intrinsece nobis inhaerentem promeruit.

Obi. III. Pluries Scriptura docet, iustos nos reputari, constitui, denominari. Sic Rom. IV, 5 Paulus ait: *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam;* id vero infert ab exemplo Abrahami (v. 3), de quo (2) scriptum est: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam.* Et S. Iacobus referens eadem verba in epistola sua (3) subdit: *et amicus Dei appellatus est.* Rom. V, 19 legitur: *Per unius obeditionem iusti constituentur multi.* Ergo non per inhaerentem iustitiam homines iusti sunt, sed tales reputantur, seu constituuntur per externam imputationem et denominationem.

Resp. Citatis locis opponimus Scripturae testimonia superius allata, in quibus dicimur *esse sanctificati, iusti, sancti et immaculati* etc. Neque ista loca secum pugnant. Nam qui multa possidet, non negatur esse dives, si dicitur dives reputari et denominari. Homines quidem in tali iudicio decipi possunt, non autem Deus; qui neminem reputat iustum, nisi eum qui vere est iustus; unde coram Deo reputari iustum, idem est, ac esse iustum. - Caeterum male interpretantur Protestantes adducta testimonia. S. Scriptura enim dicit *fidem* reputari ad iustitiam; non autem dicit, iustitiam Christi nobis reputari ad iustitiam. Haec enim duo permiscere non debent, cum aliud prorsus sit fidem reputari ad iustitiam, id est Deum gratuito acceptare et reputare fidem tamquam dispositionem actualem ad iustitiam conferendam, aliud vero, iustitiam Christi nobis formaliter imputari ad iustitiam. Primum affirmat Apostolus; alterum de suo addunt, seu obtrudunt Novatores. Si Iac. II, 23 dicitur, Abrahamum amicum Dei appellatum esse, non idcirco negatur, eum amicum Dei effectum esse; imo id expresse S. Scriptura alibi affirmat dicens: *Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est* (4). Pauli Testimonium Rom. V, 19 nedum dogma nostrum non labefactat, verum etiam mirifice confirmat, ut *S. Augustinus* de pecc. mer. et remis. (5) perspicue probat. Ibi enim Paulus proposita antithesi dicit, eodem modo fieri nos iustos per Christi obeditionem, quo facti sumus peccatores per inobedientiam Adami; atqui nemo negaverit, per inobedientiam Adami nos factos esse vere et intrinsece peccatores, nec ullus id explicabit per solam extrinsecam imputationem peccati Adami; ergo et iam per Christi obeditionem vere et intrinsece iusti constituimur.

Obi. IV. Saepe monemur induere iustitiam, seu gratiam, qua iusti efficimur, ut Eph. IV, 24: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis;* et Ps. CXXXI, 9: *Sacerdotes tui induantur iustitiam*, et iterum

(1) Cap. 41. (2) Gen. 15, 6.
(3) Cap. 2, v. 23. (4) Iudith 8, 22.
(5) L. 1, c. 15

Apostolus (1) scribit: *Induimini D. N. I. Christum;* et (2): *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Iustitia ergo comparatur cum indumento, quod, cum nobis sit extrinsecum, extrinseca quoque est iustitia, id est, non nobis propria, et interius inhaerens, sed aliena, nempe iustitia Christi nobis imputata. Unde de Catholicis propriam iustitiam statuentibus, cum Apostolo dici potest: *Ignorantes iustitiam Dei, et suam quaerentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti* (3).

Resp. Apostolus Ephes. IV, 24 figurate loquitur, non de indumento extrinseco, sed de intrinseco iustitiae et sanctitatis, quod patet ex contextu; dixerat enim antea (v. 22) deponendum seu exuendum esse *veterem hominem*, quod utique intelligitur de intrinseca peccati macula; consequenter igitur *induere novum hominem* designat intrinsecam spiritus renovationem. Observante autem S. *Augustino*, Apostolus et David similitudine indumenti utuntur, ut innuant, nostram iustitiam in nobis non esse ex nobis, sed ex Dei dono; ait enim S. Doctor (4): « Iustitia sit, sed ex gratia sit; a Deo tibi sit, non tua sit. *Sacerdotes tui*, inquit, *induantur iustitiam;* vestis accipitur, non cum capillis nascitur; pecora de suo vestiuntur.» Caeterum ipsi Protestantes optime norunt, iuxta morem Orientalium in Ss. Litteris figuratum loquendi modum frequenter occurrere, huiusmodi autem tropos et similitudines non ex omni parte, sed ex illa tantum, ad quam comparatio instituta dirigitur, in veritatis probatione urgeri posse. Ab hac regula, necessario in S. Scripturae interpretatione observanda, longissime recedunt, dum figuratis locutionibus, crasso et materiali modo intellectis, ad perversam suam doctrinam confirmandam abutuntur. — Denique male contra catholicos applicant verba Pauli (5): Nam per *iustitiam Dei* intelligitur iustitia vere nobis inhaerens, qua Deus nos iustos intrinsece facit propter merita Christi, et per iustitiam, quam quidam ut *suam* quaerebant statuere, intelligitur iustitia Iudaeorum externa et legalis, consistens in externa legis observatione, cui quia nimium confidebant et adhaerebant Iudaei, noluerunt se subiicere fidei Christi, nec consequenter verae Dei iustitiae, quae per fidem et dilectionem operantem comparatur. Quare ibi reprehenduntur Iudaei, quod culpabiliter ignorantes veram iustitiam internam, quae a Deo ex meritis Christi confertur, contenti sint iustitia legali, quae mere externa est. Ex quibus patet, reprehensionem Pauli non ad Catholicos, sed ad Protestantes pertinere, qui iustitiam internam partam a Christo ignorantes, contra S. Scripturae et Traditionis testimonia *suam* nempe externam et imputativam tantum iustitiam statuere quaerunt, ac ideo *iustitiae Dei non sunt subiecti.*

Nota 2. Subnectunt hoc loco scholastici quaestiones duas, unam, an de potentia saltem absoluta possit Deus absque gratia inhaerente peccata dimittere; alteram, num habitualis gratia et peccatum consistere simul valeant, tenentibus in utraque quaestione *affirmativam* partem *discipulis Scoti*, *negativam* vero *Augustinianis* et *Thomistis*. His omnino subscribendum censeo. Quomodo enim mors tolli potest, nisi per vitam? quomodo animae vulnus curari, nisi per sanitatis instaurationem?

(1) Rom. 13, 14. (2) Gal. 3, 27
(3) Rom. 10, 3.
(4) Serm. 15 de verb. Dom. (in edit. Maur. Serm. 169, cap. 9. (5) Rom. 10, 3.

quomodo cor lapideum auferri, nisi per carneum? — Praeterea cum reatus culpae sit privatio iustitiae, privationes autem per bonum dumtaxat accedens abscedant, tam repugnat, hominem impium absque gratia iustificari, quam caecum absque facultate visus illuminationem recipere, curvamque lineam sine rectitudine fieri directam. Defendi quidem posset Scotistarum opinio, si in peccato esset sola ratio debiti, sive reatus poenae; sed cum existat in illo etiam maculae turpitudo, non video, qua valida argumentatione possint iidem Scotistae oppositam sententiam evertere. Idem de altera quaestione dicendum est. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate, lucisque cum tenebris? quomodo erit idem homo simul et semel ad Deum conversus, et aversus ab illo, natus ex Deo, atque peccato mortuus, templum Spiritus sancti et diaboli membrum, Dei filius et filius Belial, amicus et inimicus eiusdem Dei? Deinde cum gratia sanctificans sit a charitate indivulsa, si peccatum et sanctitas simul existant, cur non poterit abitualis charitas consistere cum reatu damnationis aeternae? ut commentus est *Mich. Baius* in prop. 31 et 32 damnatis? — Denique I Io. III, 9 dicitur: *Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet* (nempe gratia sanctificans), *et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est;* quibus verbis Apostolus repetit incompossibilitatem gratiae cum peccato ex ipsa natura gratiae, quia est participatio divinae naturae, seu quia illam habens est ex Deo natus, et filius eius.

Usus doctrinae de natura iustificationis.

§ 463. 1. Quicumque iustificatus fuit, et ex peccatore iustus, ex inimico Dei amicus, ex reo aeternae damnationis haeres aeternae gloriae factus est, beneficii, quod obtinuit, magnitudinem continuo meditari, gratumque pro eo animum rependere debet. Quam praestans opus divinum sit iustificatio impii, egregie ostendit *S. Thomas* (1) ita disserens: « Opus aliquod potest dici magnum dupliciter: uno modo ex parte agendi, et sic maximum est opus creationis, in quo ex nihilo fit aliquid. Alio modo potest dici opus magnum propter magnitudinem eius, quod fit, et secundum hoc maius opus est iustificatio impii, quae terminatur ad bonum aeternum divinae participationis, quam creatio coeli et terrae, quae terminatur ad bonum naturae mutabilis, et ideo *S. Augustinus* (2) cum dixisset, quod *maius est, quod ex impio fiat iustus, quam creare coelum et terram,* subiungit: *Coelum enim et terra transibunt, praedestinatorum autem salus et iustificatio permanebit.* Sed sciendum est, quod aliquid magnum dicitur dupliciter. Uno modo secundum quantitatem absolutam; et hoc modo donum gloriae est maius, quam donum gratiae iustificantis impium: et secundum hoc glorificatio iustorum est maius opus, quam iustificatio impii. Alio modo dicitur aliquid magnum quantitate proportionis, sicut dicitur mons parvus et milium magnum, et hoc modo donum gratiae impium iustificantis est maius, quam donum gloriae beatificantis iustum, quia plus excedit donum gratiae dignitatem impii, qui erat dignus poena, quam donum gloriae dignitatem iusti, qui ex hoc ipso, quod iustificatus, est dignus gloria; et ideo *S. Augustinus* dicit ibidem: *Iudicet qui potest; utrum maius sit iustos Angelo creare, quam impios iustificare; certe*

(1) I 2, q. 113, a. 9. (2) Tract. 72 in Ioann.

si aequale est utrumque potentiae, hoc maioris est misericordiae. » Quod si pro omnibus beneficiis divinis gratos nos esse oportet, quales gratias Deo referre tenetur peccator pro iustificationis dono, quod sub indigitato respectu tum opus creationis, tum opus glorificationis iustorum magnitudine antecellit? Convenientissimum omnino est, ut peccator ex pura Dei misericordia iustificatus, eosdem sensus induat, quos *S. Augustinus* post conversionem suam manifestavit, in Soliloq. (1) exclamans : « Nunc ergo video haec, Domine Deus meus, et cognosco per lumen tuum, et deficit anima mea in misericordia tua magna, quae est super me, quoniam eripuisti animam meam ex inferno inferiori, et me ad vitam reduxisti. Totus enim eram in morte, totum me resuscitasti. Tuum igitur sit totum id quod vivo, et totus totum me tibi offero. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea dulcis; quoniam totum me liberasti, ut totum me possideres, totum me refecisti, ut totum me rehaberes. Diligam te igitur, Domine, virtus mea; diligam te, ineffabilis exultatio mea, et vivam iam non mihi, sed tibi. »

2. Qui peccatorum maculis adhuc inquinatus est, ex pertractatarum veritatum consideratione impelli debet, ut sine mora omnes conatus adhibeat ad iustificationis gratiam obtinendam. Nam si captivus liberationem et aegrotus sanitatem desiderat, quanto ardentius peccator exoptare debet, ut quam citissime a vinculis diaboli liberetur, a foedis peccatorum maculis purgetur, ab aeternae damnationis reatu eripiatur, ad vitam spiritualem resuscitetur, amicus, imo filius Dei constituatur, et haeres fiat beatitudinis aeternae? — Qui haec non desiderat, de peccatorum laqueis laetatur, et poenitentiam continuo differt; caecus, vesanus, in se crudelissimus maximeque temerarius dicendus est, quoniam salutem suam aeternam manifesto periculo exponit. Nam amicitiam Dei respuens, iustitiam divinam experietur, et divitias bonitatis eius contemnens, secundum duritiam suam, et impoenitens cor thesaurizabit sibi iram in die irae, et revelationis iusti iudicii Dei. Ideo dicitur: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te* (2).

(1) Cap. 18. n. 4. (2) Eccli. 5, 8.

ARTICULUS III.

De dispositionibus ad iustificationem requisitis.

§ 464. Cum omnes simus natura filii irae, et ob lapsae naturae fragilitatem et corruptionem facillime in peccata proruamus; maximi profecto momenti est, ut sciamus, qua ratione a peccatis purgari, ac Deo reconciliari, seu iustificari possimus. Quamvis autem Christus, qui per mortem suam pro peccatis nostris satisfecit, clausasque coeli portas reseravit, in S. Scriptura et Traditione clarissime nobis modum revelaverit, quo iustificatio obtinenda sit, nihilominus Protestantes in hac doctrina gravissime aberrarunt. Ut autem appareat, quaenam hac de re controversiae inter Catholicos et Protestantes vigeant, cum *Concilio Tridentino* quaedam de causis iustificationis et de ordine eiusdem praemittenda sunt, ut dogmata catholica et his oppositi errores clarius cognoscantur.

1. Ad peccatoris iustificationem perficiendam plura concurrunt, atque ideo plures iustificationis causae distinguuntur, quas enumerat et explicat *Concilium Tridentinum* Sess. VI,

cap. 7. Postquam enim iustificationis naturam descripsit, mox subiungit: *Huius iustificationis causae sunt, finalis quidem gloria Dei et Christi, ac vita aeterna;* sicuti enim universa propter semetipsum operatus est Dominus (§ 141) ita etiam praestantissimum iustificationis opus ad gloriam Dei dirigitur; et quia ex illo pretium et efficacia redemptionis in cruce peractae elucet, Christus speciali modo glorificatur; ac denique homines hunc in finem iustificantur, ut meritorum Christi participes effecti, filii Dei fiant, atque haeredes vitae aeternae. Causa *efficiens vero* est *misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae;* ad Deum enim, qui per peccatum offenditur, spectat peccatum condonare et per solam omnipotentiam divinam interior hominis renovatio et regeneratio perfici potest; unde etiam Paulus (1) inquit: *Unus est Deus qui iustificat;* quoniam autem iustificatio fit per gratiae infusionem, quae adscribitur Spiritui sancto, ideo additur: *sanctificat signans et ungens Spiritu promissionis sancto* etc. Causa *meritoria autem* est *dilectissimus Unigenitus suus, Dominus N. I. Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit;* ex quibus verbis patet, quam inique Protestantes clamitent, Catholicos in sua de iustificatione doctrina meritis Christi detrahere, iisque substituere merita hominum, cum Concilium non aliam causam meritoriam iustificationis assignet, quam Christum Redemptorem (§ 37 et seq.) Causa *instrumentalis item, sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio;* baptismo autem adiungitur altera tabula e naufragio evadendi, *sacramentum videlicet poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur* (2). *Demum unica causa formalis est iustitia Dei; non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes.* Iam notandum est Protestantes nobiscum consentire, dum agitur de causa finali, efficiente et meritoria iustificationis; dissentiunt autem a nobis, dum agitur de causa eiusdem instrumentali; Ecclesia enim catholica docet, ad iustificationem conferendam instituta esse sacramenta baptismi et poenitentiae, ad quae digne recipienda in adultis variae dispositiones requiruntur: Protestantes vero pro instrumentali iustificationis causa solam adstruunt fidem, seu potius fiduciam, qua quis sine haesitatione credit, per merita Christi sibi remitti peccata. — Iidem equidem etiam circa formalem causam iustificationis dissentiunt a Catholicis, quia illam in iustitia Christi, hominibus extrinsece tantum imputata reponunt: iste autem error iam refutatus est § 461. — Restat ergo controversia de causa iustificationis instrumentali discutienda, ad quam solide dirimendam doctrinam catholicam et errores oppositos accuratius indagare oportet.

2. Iuxta principia catholica liberum hominis arbitrium per peccatum originale attenuatum quidem, sed non penitus extinctum est (§ 217); atque ideo per gratiam excitari, adiuvari, ac illi cooperari potest. «Duae igitur,

(1) Rom. 3, 30.

(2) Cap. 14. et Sess. 14, cap. 1.

ait cl. *Moehler* (1), activitates in sancto regenerationis opere concurrunt, divina et humana. — Sancta Dei gratia praecedit excitans, operans et vivificans, quin tamen homo eam promereri, aut advocare, aut efflagitare possit; homo autem gratiae locum dare, eamque libere sequi debet. Deus auxilium suum offert, ut a lapsu erigat, sed peccator consentire, illudque acceptare debet; quod in se recipiens a Spiritu sancto recipitur, atque sensim, quamvis nunquam perfecte in hac vita, ad illam altitudinem iterum elevatur, a qua delapsus est. » Et certe Deus, qui aeterno decreto vult, ut homines libere ad moralitatem et felicitatem tendant (quale decretum per Redemptionis oeconomiam nullatenus sublatum fuit § 378), nequaquam per gratiam suam pathologico modo homines necessitat, sed ita in homines agit, ut eorum liberum arbitrium gratiae excitanti et moventi cooperari, aut resistere possit. Idcirco *Concilium Tridentinum* (2) loquens de necessitate praeparationis ad iustificationem in adultis, haec habet: S. Synodus *declarat praeterea, ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione; qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur: ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit: unde in sacris litteris, cum dicitur* (3): *Convertimini ad me et convertar ad vos: libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus* (4): *Converte nos, Domine, ad te et convertemur: Dei nos gratia praeveniri profitemur.* Mox autem *Concilium* etiam modum, quo peccatores ad iustificationem disponuntur, solide et accurate explicat, seu dispositiones ipsas recenset, in quibus praeparatio ad iustificationem consistit. Ita enim de peccatoribus adultis loquitur (5): *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu: et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata.* Dispositiones ergo ad iustificationem iuxta hanc Concilii doctrinam sunt sequentes: 1ma est *fides*, seu firmus assensus praestitus Deo revelanti et promittenti; 2da *timor* iustitiae divinae, ex cognitione peccatorum ortus; 3tia *spes et fiducia* in Christum Redemptorem, qui nobis remissionem peccatorum meruit et

(1) Symbol. § 11. (2) Sess. 6, cap. 5. (3) Zach. 1, 3; Ioël. 2, 12. (4) Thren. 5, 21. (5) Cap. 6.

promisit; 4ta *dilectio Dei* tamquam fontis omnis iustitiae, quae dilectio, si adhuc imperfecta sit, sed tamen hominem a peccatis gravibus retrahat et ad gravia praecepta observanda impellat, a theologis amor initialis vocari solet; 5ta *dolor et detestatio* peccatorum iam commissorum, et 6ta *propositum* efficax suscipiendi baptismi, aut poenitentiae sacramentum, inchoandi novam vitam et servandi mandata divina. Caeterum observant theologi, dispositiones istas non ita requiri, ut necessarium sit, omnes explicite elici, sed satis esse, si aliquae earum implicite tantum et virtute habeantur. Nam qui credit et diligit Deum super omnia, vel etiam super omnia dolet, se Deum offendisse, hoc ipso paratus est, cum opportunum fuerit et in mentem venerit, sperare bene de Deo et timere ipsum: adeoque per actum charitatis aut poenitentiae implicite etiam sperat et timet. — Observant porro, recensitas dispositiones *ordinarie* non simul concipi, sed gradatim et successive. Sicuti enim morbi corporis ordinarie non sanantur nisi successive et repetitis remediis; sic nec peccata, quae sunt morbi animae; gratia enim aeque ac natura ab imperfectis progreditur ad perfectiora. Ideo autem adiiciunt *ordinarie*, quoniam hinc inde modo extraordinario, seu supra consuetum operandi modum gratiae salus animae per peccatum perdita in instanti recuperatur. Sic *Davidem*, *Magdalenam*, *paralyticum*, *latronem* in cruce subito iustificatos fuisse, tradunt sacrae paginae: sed haec gratiae miracula fuerunt. Denique neminem propriis viribus naturae disponere se posse ad iustificationem, sed gratiam Dei praevenientem et adiuvantem necessariam esse, patet ex dogmatibus de necessitate gratiae (1) probatis; et *Concilium Tridentinum*, de praeparatione ad iustificationem agens, illud idem citato iam cap. 5 sessionis VI declaravit et ibidem can. 3 haec definivit: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit* (2).

3. Iuxta placita Lutheranorum per peccatum originale liberum hominis arbitrium penitus extinctum est, ex quo sequitur, hominem nullas prorsus vires habere, quibus in ordine salutis aliquid operetur, imo ipsummet ne facultatem quidem in se habere, influxum gratiae recipiendi, cum id, quod penitus ablatum et extinctum est, nec moveri, nec adiuvari possit, et homo, extincto libero arbitrio a bestiis non differat. Quod non diffitetur *Lutherus*, qui (3) inquit: « In spiritualibus et divinis rebus, quae ad animae salutem spectant, homo est instar statuae salis, in quam uxor patriarchae Loth est conversa, imo et similis trunco et lapidi, statuae vita carenti, quae neque oculorum, oris, aut ullorum sensuum, corporisque usum habet. » Ex talibus principiis necessario infertur, hominem se nullo modo ad iustificationem disponere, imo in tali dispositione non per gratiam quidem actualem adiuvari posse, nisi prius ipsi facultas perdita, nempe liberum arbitrium restituatur, seu ipsa renovatio et regeneratio actu perficiatur. Hinc iuxta Lutheranos opus regenerationis a Deum solum spectat; homo nullam activam partem in ea habet, quia solus Spiritus sanctus, qui producit a

(1) Cap 2, art. 1.

(2) Cf. Car. Sardagna tract. 5 de gratia et art. 2, controv. 4, n. 180. (3) Genes. c. 19.

ctum hominis, est exclusive activus. Hanc doctrinam Lutherani clare profitentur in Solid. Declar. (1) dicentes: «Ad conversionem suam prorsus nihil (homo) conferre potest.» Et (2): « Praeterea sacrae litterae hominis conversionem, fidem in Christum, regenerationem, renovationem... soli divinae operationi et Spiritui sancto adscribunt.» — Cum autem manifestum sit et ex Ss. litteris certum, aliquos homines iustificari et alios non iustificari; necessario ab ipsis medium aliquod, seu instrumentum statuendum erat, quo posito iustificatio obtineatur, quo deficiente, non perficiatur. Tale medium, seu instrumentum nullum aliud esse dicunt, quam fidem, seu fiduciam, qua quis credit, per merita Christi sibi remitti peccata. Ita in Solid. Declar. (3) dicitur: « Neque contritio, neque dilectio, neque ulla alia virtus, sed sola fides est medium et instrumentum, quo gratiam Dei meritum Christi et remissionem peccatorum adprehendere et accipere possumus. » Hinc apud Lutheranos adagium invaluit: *Sola fides iustificat*. Calvinistae quoad substantiam cum illis consentiunt, nec differunt nisi in accidentalibus, quae inferius exponentur (4).

4. Ex modo dictis status quaestionis intelligitur. Protestantes enim necessitatem fidei ad iustificationem cum Catholicis profitentur; per fidem autem illi intelligunt fiduciam, qua quis sine omni haesitatione credit, per merita Christi sibi remissa esse peccata; hi autem per fidem, quae est prima dispositio, radix et fundamentum iustificationis, intelligunt firmum assensum Deo revelanti praestitum. Praeterea iuxta Protestantes sola fides iustificat, neque aliae dispositiones, seu opera ad iustificationem requiruntur: iuxta Catholicos autem sola fides non sufficit, sed aliae quoque dispositiones, seu opera bona ad iustificationem requiruntur. Duplici ergo Protestantium errori duo dogmata catholica opponenda, probanda et contra adversariorum obiectiones vindicanda sunt. Notandum vero est, dum de dispositionibus ad iustificationem agitur, sermonem esse *de adultis*, quoniam certum est, in infantibus nullas praerequiri dispositiones ad iustificationem, cum constet, eos incapaces esse ullius actus liberi ac nihilosecius in baptismo ex opere operato iustificari ut inferius ostendetur.

I. *Fides ad iustificationem requisita non ea est, qua peccator firmiter credit peccata sibi propter Christum esse remissa, sed qua firmum assensum praebet iis, quae a Deo revelata sunt.*

§ 465. Fidem ad iustificationem necessariam esse, tum Catholici, tum Protestantes profitentur. Dum autem de qualitate fidei iustificantis sermo est, Protestantes a doctrina catholica longe recedunt. Illi enim triplicem fidem distinguunt, nempe *fidem historicam*, qua creduntur vera esse, quae in Scripturis asseruntur; *fidem miraculorum*, qua credimus nihil esse, quod a Deo fieri non possit; et *fidem promissionum*, qua fiducialiter credimus veras esse promissiones de gratuita peccatorum remissione per merita Christi. Hanc triplicem fidem, aiunt, respondere tribus perfectionibus divinis, fidem scilicet historicam veritati divinae, fidem miraculorum potentiae divinae et fidem promissionum bonitati divinae. Fidem promissionum dividunt in *generalem*, qua in genere creditur, omnibus in Christum credentibus promissam esse remissionem peccatorum; et in *specia-*

(1) Art. 2, § 43. (2) § 20. (3) Art. 3.

(4) Cf. Moehler l. c. Perrone de iustif. n. 521.

lem, qua unusquisque in particulari credit et confidit, hanc promissionem singillatim ad se quoque pertinere, sibique factam esse. Atque hanc fidem promissionum specialem, sine omni haesitatione animo conceptam, eam esse dicunt, quae iustificat, quia apprehendit et quasi manu stringit merita Christi, et iustitiam eius sibi applicat. Hanc esse Protestantium doctrinam, aperte colligitur ex Confess. August. (1) in qua legitur: « Item docent, quod homines non possint iustificari coram Deo propriis viribus, meritis, aut operibus, sed gratis iustificentur propter Christum per fidem, cum credunt in gratiam recipi et peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro peccatis nostris satisfecit. » *Melanchthon* loc. theol. (2) ait: « Habes, in quam partem fidei nomen usurpet Scriptura, nempe pro eo, quod est fidere gratuita Dei misericordia, sine ullo operum nostrorum sive bonorum, sive malorum respectu: quia de Christi plenitudine omnes accepimus. » *Calvinus* lib. III Inst. (3) inquit: « Iusta fidei definitio nobis constabit, si dicamus, esse divinae erga nos benevolentiae firmam, certamque cognitionem, quae gratuitae in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum sanctum et revelatur mentibus nostris et cordibus obsignatur. » Et ibid. (4) dicit: « Fides, etiamsi nullius per se dignitatis sit vel pretii, nos iustificat, Christum afferendo, sicut olla pecuniis referta hominem locupletat... Iam expeditus est quoque nodus, quomodo intelligi debeat vocabulum fidei, ubi de iustificatione agitur. » — Sententia haec Protestantium a doctrina catholica longissime distat. Fides enim, quam Protestantes ut iustificationis instrumentum assumunt, neque cum fide convenit quam Catholici ad iustificationem requirunt, neque cum spe, quae quidem inter dispositiones ad iustificationem recensetur, sed a praesumptione aliena esse debet et absolutam certitudinem parere non potest, ut inferius ostendetur. Quod vero fidem attinet, Catholici eam ad iustificationem maxime necessariam esse dicunt, eandemque inter dispositiones ad iustificationem primo loco ponunt. Nam *Concilium Tridentinum* (5) ait: *Fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire.* Sed fides ad iustificationem requisita, non est temeraria illa fiducia, qua quis sine respectu ad alias dispositiones absque haesitatione credit, peccata sibi propter merita Christi esse remissa, ut volunt adversarii: sed fides, quae est iustificationis fundamentum, consistit in firmo assensu ad ea omnia, quae Deus revelavit. — Falsam esse sententiam Protestantium, veramque esse Catholicorum de fide doctrinam, *ex Scriptura*, *ex Traditione* et *rationibus theologicis* luculentissime probatur.

1. *S. Scriptura* fidem ad peccatoris iustificationem et salutem maxime necessariam declarat; per fidem autem firmum intelligit assensum veritatibus a Deo revelatis praestitum. Marc. XVI, 15 etc. Christus ipse inquit: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ex contextu patet, salutem aeternam illi promitti, qui credit in Evangelium ab Apostolis praedicatum et salutem

(1) Art. 4. (2) P. 93. (3) C. 2, § 7. (4) C. 11, § 7. (5) Sess. 6, can. 8.

illi negari, qui ea non credit, quae ab Apostolis annuntiata sunt. Ad iustificationem ergo et salutem maxime necessaria est fides, qua firmus assensus praestatur iis, quae a Deo revelata sunt; qua fide deficiente, nullo alio instrumento iustificatio et salus obtinentur. Io. V, 24 Christus ait: *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam et in iudicium non venit, sed transit a morte in vitam;* quibus verbis iustificatio et vita aeterna adscribuntur non ei, qui fiduciam habet in merita Christi, sed illi, qui verbum Christi, seu doctrinam a Christo annuntiatam audit et firmo assensu credit. Petrus *beatus* appellatus est ob fidem, quam professus est, Matth. XVI, 16 etc.: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et idem Petrus ad Christum inquit: *Verba vitae aeternae habes* (1); id est, veritates nobis revelas, per quas vitam aeternam consequemur: *et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Io. XX, 31 legitur: *Haec autem* (miracula) *scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Profitetur ergo Apostolus, miracula a Christo patrata, et a se enarrata fuisse, ut fides in divinitatem Christi et in veritatem doctrinae, quam annuntiavit, confirmetur et huic fidei vita promittitur in nomine Christi. Eunucho baptisma petenti (2), respondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet;* et respondens Eunuchus ait: *Credo, Filium Dei esse Iesum Christum... et baptizavit eum.* Paulus, cuius auctoritate Lutherus maxime abusus est, saepius quidem fidei iustificationem adscribit; per fidem autem nullatenus illam fiduciam intelligit, qua quis credit, sibi per merita Christi remitti peccata, sed illam consistere declarat in assensu Deo revelanti praestito. Rom. X, 8 etc. scribit: *Hoc est verbum fidei quod praedicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris;* quibus verbis salus promittitur non credenti sibi remissa esse peccata, sed Christum confitenti et mysteria ab ipso revelata credenti. Praeterea fides seu fiducia Protestantium non est, nisi spes firma et immobilis: sed Paulus apertissime fidem a spe distinguit, hasque virtutes inter se diversas esse declarat; ait enim I Cor. XIII, 13: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec: maior autem horum est charitas,* et Ephes. III, 12 inquit: *in quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius.* Quod si accessum ad Deum habemus in confidentia, seu fiducia per fidem, sequitur, fidem non esse fiduciam, sed causam fiduciae; alioquin sensus huius loci valde absurdus foret, nimirum iste; habemus accessum in confidentia per confidentiam. Denique (3) idem Apostolus ait: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Necessariam igitur Apostolus fidem pronuntiat in unum Deum, remuneratorem bonorum etc., nempe in praecipuas veritates Religionis. Nonne si vera esset Protestantium doctrina, Paulus dicere debuisset; accedentem ad Deum oportet credere, sibi per merita Christi remitti peccata?

2. *Traditio* doctrinae Catholicorum consona et sententiae Protestantium contraria est. *S. Basilius* Homil. de fide n. 1 docet, fidem illam ad sa-

(1) Io. 6. 69 etc. (2) Act. 8, 37. (3) Hebr. 11, 6

lutem et iustificationem necessariam esse, qua creduntur, quae Deus revelavit: neque fidei specialis quam commendant Protestantes in tota illa oratione, usquam meminit. *S. Cyrillus Hier.* de fide et symbolo (1) fidem iustificantem vocat fidem dogmaticam, qua credimus, Iesum esse Christum et a mortuis resurrexisse. *S. Gregorius Naz.* Orat. 40 in s. baptisma (2) Catechumenum instruit, qualem fidem ad baptisma digne suscipiendum animo concipere debeat, ac ideo summa Religionis christianae mysteria recenset. Eandem fidem pro iustificatione *S. Chrysostomus* exigit in duabus Homiliis de symbolo. *S. Augustinus* in Enchir. cap. 7 ait, salutem his tribus acquiri, fide, spe et charitate; et cap. 8 discrimina inter fidem et spem ostendit, dicens: « Est fides et malarum rerum et bonarum, quia et bona creduntur et mala, et hoc fide bona non mala. Est etiam fides et praeteritarum, et praesentium, et futurarum.... Item fides et suarum rerum est, et alienarum.... Spes autem nonnisi bonarum rerum, nec nisi futurarum et ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Quae cum ita sint, propter has causas distinguenda erit fides a spe, sicut vocabulo, ita et rationabili differentia. » Et lib. de nat. et grat. (3) inquit: « Ea quippe fides iustos sanavit antiquos, quae sanat et nos, id est, mediatoris Dei et hominum Iesu Christi, fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis et resurrectionis eius; habentes ergo eundem spiritum fidei, et nos credimus, propter quod et loquimur. » Ergo iuxta S. Doctorem peccatores sanantur per fidem in Religionis christianae mysteria, ex qua fide spes de obtinenda remissione peccatorum et aliae dispositiones sequuntur. *S. Leo M.* Serm. 4 de Epiph. inquit: « Hoc est, quod iustificat impios, hoc est, quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemque D. N. I. Christo et vera Deitas, et vera credatur humanitas. » *S. Prosper* libr. I de vita contempl. cap. 18 enumerat breviter summam fidei de Trinitate et Incarnatione, et capite sequenti hanc ipsam dicit esse fidem iustificantem: « Qui non crediderit, inquit, habendo fidem, nec iustitiam cordis habere poterit. » *S. Fulgentius* lib. de fide ad Petrum, in ipso prologo loquens de fide catholica et dogmatica, quam in toto eo libro exponit haec habet: « Gaudeo, quod pro fide vera sine ullo perfidiae vitio custodienda sollicitudinem geris, sine qua nulla potest prodesse, imo nec esse conversio. Apostolica quippe dicit auctoritas, quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Fides namque est bonorum omnium fundamentum. Fides est humanae salutis initium. Sine hac fide nemo ad filiorum Dei numerum potest pervenire; quia sine ipsa nec in hoc saeculo quisquam iustificationis gratiam consequitur, nec in futuro vitam possidebit aeternam. » —Firmissimum traditionis argumentum petitur ex antiquissima consuetudine exigendi a Catechumenis ante baptisma professionem praecipuorum fidei nostrae articulorum, qui in symbolo apostolico continentur. Contra autem, quando et ubinam legimus, fuisse neophytos interrogatos, an credant, sibi dimissa esse peccata? — Argumentum hoc, a constanti et universali Ecclesiae consuetudine petitum, nunquam non vehementer torsit haereticorum ingenia. A qua difficultate frustra se liberare conatus est *Phil. Melanchthon*, observans in Apologia Confess. August. art. de fi-

(1) Catech. 5, n. 10. (2) N. 44 et 45.

(3) Cap. 41

de, in symbolo etiam articulum contineri de remissione peccatorum, unde infert. Sed perperam. Nam articulus ille de remissione peccatorum non designat eam fiduciam, vel fidem, qua unusquisque credat sibi dimissa esse peccata, sed eam qua creditur in Ecclesia catholica esse donum remissionis peccatorum, quod per baptismum et poenitentiam percipitur, unde, quod in symbolo apostolico dicitur: *Credo....remissionem peccatorum*, in symbolo CPtano explicatur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*. Ex quo patet, in hoc articulo non doceri specialem et absolutam misericordiam, quam Protestantes obiectum fidei iustificantis esse contendunt; sed misericordiam generalem et quae suis conditionibus non caret, cum ex baptismi perceptione dependeat. Quod adeo verum est, ut Ecclesia hanc fidei professionem exigere soleat a Catechumenis, antequam per baptismum remissionem peccatorum obtinuerint, eo scilicet tempore, quo absonum esset credere, sibi dimissa esse peccata. Multo minus vim difficultatis eludit *Lutherus*, respondens (1), fidem remissionis peccatorum contineri iis verbis: *Credo... sanctam Ecclesiam*, «quod, inquit, non est aliud, quam credo, nullum amplius esse peccatum.» At a vero illorum verborum sensu longe aberrat *Lutherus*; Ecclesia enim dicitur sancta, non quia ille, qui recitat symbolum, sanctus sit, sed quia caput habet sanctum, leges sanctas, media sanctitatem promoventia, multa membra sancta, et quia extra illam nullus potest esse sanctus. Ita enim hic articulus semper intellectus fuit, neque sensus, a Luthero conficti, vestigium in tota antiquitate invenitur. — Recte igitur *Concilium Tridentinum* Sess. VI, cap. 6 ceu primam dispositionem ad iustificationem, fidem ponit, quae consistit in assensu Deo revelanti praestito, dicens: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes, vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt*. Et ibid. can. 12 definit: *Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur; anathema sit*. Et can. 14: *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac iustificari ex eo, quod se absolvi, ac iustificari certo credat; aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credat, se esse iustificatum et hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici; anathema sit*.

3. *Rationes theologicae* petuntur ex absurdis, quae ex sententia Protestantium sequuntur. Asserunt enim isti, impium iustificari per fidem, qua certo credit sibi remissa esse peccata. Ast dum impius hanc fidem concipit, vel peccata ipsi iam remissa sunt, vel nondum sunt remissa. Si iam remissa sunt, falsum est, quod Protestantes dicunt, fidem esse causam iustificationis; causa enim effectum suum praecedere debet. Si vero nondum remissa sunt, impius id, quod non est, seu falsum credere iubetur, atque fidei, quae falsum pro vero amplectitur, iustificatio adscribitur. Quanta absurditas! — Praeterea certum est, remissionem peccatorum a Deo petendam esse, quod exempla *Davidis*, *Publicani*, et aliorum ostendunt, qui humilibus precibus veniam impetrarunt et ex oratione Dominica aperte colligitur, in qua dicere iubemur: *Dimitte nobis debita nostra*. At

(1) Comment. ad cap. 3 Ep. ad Galat.

si peccator fide divina credere tenetur, remissa sibi esse peccata, inepte adhiberet verba adducta: *Dimitte nobis debita nostra;* merito enim similem reprehensionem a Deo expectare deberet : Stulte! quid agis? Si certo credis hoc peccatum tibi remissum esse, quid ultra mihi molestus es? aut cur precaris ut remittam? Si autem dubitas et firmam fidem non habes de remissione, quomodo postulas tibi remitti, quod sine firma fide remitti nequit? — Et profecto iuxta Protestantes tam certo et firmiter unusquisque credere tenetur, remissa sibi esse peccata propter merita Christi, quam certo et firmiter credit, Christum esse natum, pro nobis crucifixum et mortuum. At si quis Deum oraret, ut Christus nasceretur, moreretur etc., is procul dubio infidelis esset, quia iudicaret, Christum nondum esse natum, crucifixum et mortuum. Ergo pari ratione, si quis orat Deum, ut sibi remittantur peccata, non minus est infidelis; iudicat enim, peccata sua nondum esse remissa, quod repugnat fidei protestanticae. Denique absurda dicenda est sententia, quae nullis solidis argumentis propugnari potest: sed adversarii pro sua de fide iustificante sententia nullum unquam solidum argumentum proferre potuerunt, ut ex obiectionum solutione patebit: ergo sententia eorum ut falsa et absona est reiicienda.

Nota. Protestantes ad errorem suum defendendum argumenta quaedam congesserunt, quae autem refellere haud arduum est.

Obi. I. Hebr. XI, 1 legitur: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium:* ubi pro *substantia* in textu originali occurrit graeca vox: *hypostasis*, quae saepe significat *expectationem* ut Psalm. XXXVIII, 11 ; Hebr. III, 14. Ergo iuxta Paulum fides consistit in firma expectatione sperandarum rerum, ac praecipue remissionis peccatorum, propter merita Christi nobis promissae. Ita ergo Paulus fidem intelligit, dum eidem iustificationem adscribit.

Resp. S. Chrysostomus sine dubio graecae linguae peritissimus erat, nec ignorabat, quid significaret vocabulum *hypostasis*, sed tamen aliter, quam adversarii citatum textum interpretatur. Verba enim Pauli (1) exponens, ita egregie loquitur: « Fides ergo, inquit, est aspectus eorum, quae non sunt manifesta, et ea quae non videntur, deducunt ad eandem certam persuasionem, ad quam, quae videntur. Neque ergo in iis, quae videntur, licet fidem non habere; atque rursus, si de iis, quae non cadunt sub aspectum, non apertius quispiam fuerit persuasus, quam de iis, quae videntur, non potest esse fides. Nam, quoniam ea quae sunt in spe, sine substantia esse putantur, fides eis donat substantiam, vel potius non donat, sed hoc ipsum est eorum essentia, ut exempli causa non adveniat resurrectio, nec est in substantia, id est, non consistit, sed spes facit, ut ea consistat in nostra anima. Hoc est rerum quae sperantur, substantia. Si est ergo argumentum eorum, quae non videntur, quid ea vultis videre, ut a fide excidatis et ab eo, quod iustitis; siquidem iustus ex fide vivet? » — Quam aperte igitur S. Doctor per fidem intelligit firmum assensum, quo creduntur vera esse, quae a Deo revelata et promissa sunt? — « Nec alio modo, ait *Bellarminus* (2) locum istum exponunt caeteri graeci interpretes, quorum auctoritate freti

(1) Hebr. 11, 1.

(2) Lib. 1 de Iustif. cap. 11.

contemnere possumus novam grammaticam *Melanchthonis* et *Chemnitii.*»—Praeterea, tametsi vocabulum *hypostasis* (quod in vario significatu sumitur, sed certe etiam *substantiam* denotat, ut Hebr. I, 3) Hebr. XI, 1 *expectationem* significaret, locus tamen iste adversariis non prodesset. Expectatio enim rerum sperandarum non est expectatio seu fiducia misericordiae Dei per Christum remittentis peccata; sed est expectatio corporum resurrectionis et vitae aeternae; quod ex contextu appareret; nam ibid. v. 3 ait: *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent;* et v. 6: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit.* Expectatio autem vitae aeternae etiam iuxta Protestantes non est fides iustificans.

Obi. II. Apostolus Rom. IV, 16 ait: *Ideo ex fide* (iustificamur) *ut secundum gratiam firma sit promissio.* Ergo per fidem intelligit Apostolus fiduciam, seu assensum, quo amplectimur promissionem, eamque nobis applicamus: ferme sicut in humanis non est rata promissio, donec promissarius illam acceptaverit. Ergo ut firma sit promissio, Deus eos iustificat, qui credunt et confidunt se iustificari. Quod Paulus illustrat exemplo Abrahami, qui per fidem promissionum iustificatus fuit. Nam in eodem capite v. 20 etc. inquit: *In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia, quaecunque promisit, potens est et facere: ideo reputatum est illi ad iustitiam.* Pergit autem Apostolus et docet iustificationem Abrahae esse imaginem nostrae dicens: *Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam, sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum.* Ergo per fidem promissionum homo iustificatur.

Resp. Apostolus non loquitur l. c. (1) de promissione remissionis peccatorum in sensu Novatorum, sed de promissione facta Abrahae, quod pater futurus esset multarum gentium; sive loquitur de promissione vocationis gentium ad iustitiam et salutem; ait enim: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahae, qui pater est omnium nostrum.* Haec autem promissio non poterat esse firma et rata, si iustificatio contingeret ex lege Moysis, aut ex operibus, quae fiunt ex solis naturae viribus; nam tunc vel nulli omnino vel soli Iudaei iustificati salvatique fuissent. Quare ut firma sit promissio, utque eadem sit gratuita, non debita, Deus non iustificat homines ex lege Moysis, aut ex operibus, quae fiunt ex solis naturae viribus, sed ex fide Iesu Christi, quae sola est initium gratuitae, veraeque iustitiae non solum Iudaeis, sed etiam Gentibus. Itaque Protestantes perperam intelligunt tum vocabulum *promissionis*, quo non significatur promissio remissionis peccatorum, sed promissio vocationis gentium: tum etiam vocabulum *fidei*, quo non intelligitur fiducia, qua quis credit sibi remissa esse peccata, sed fides dogmatica, qua creditur in Christum pro nobis passum et a mortuis resuscitatum; quod patet ex verbis Apostoli (2), quibus dicit: etiam nobis ad iustitiam *reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit*

(1) Rom. 4, 18. (2) V. 24 et 25.

propter iustificationem nostram. — Male etiam ab adversariis applicatur exemplum Abrahae, cui ad iustitiam reputatam esse dicit Apostolus non illam fidem, qua credidit, remissa sibi esse peccata, sed fidem, qua credidit Deo promittenti sibi, quod futurus esset pater multarum gentium; unde (1) dicitur: *Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum et emortuam vulvam Sarae... plenissime sciens, quia quaecunque promisit, potens est et facere.* Praeterea ea verba: *et reputatum est illi ad iustitiam,* non possunt hoc loco de prima iustificatione intelligi, quam Abraham iam consecutus erat multo antea, quam seminis repromissionem acciperet, sed de augmento iustitiae, quod promptam et certam fidem Dei promissionibus praestans, consecutus est.

Obi. III. In sacra Scriptura frequenter *fides* pro *fiducia* et *credere* pro *confidere* accipitur. Ita Paulus (2) ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam* etc. Iac. I, 6 legitur: *Postulet in fide, nihil haesitans.* Christus ipse ait (3): *Omnia, quaecunque orantes petitis, credite quia accipietis.* Huic autem fidei promissionum seu fiduciae de obtenta remissione adscribitur iustificatio. Nam Christus (4): *Videns fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua;* et (5) Hemorrhoissae ait: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* Leproso vero sanato et gratias agenti, dixit: *Fides tua te salvum fecit* (6). Ergo fides firma, qua creditur, remissa esse peccata, iustificationem obtinet et salutem.

Resp. Fidei obiectum iuxta *Concilium Tridentinum* (7) constituunt ea, quae a Deo revelata et promissa sunt. Ergo tum firmus assensus in veritates revelatas, tum firma expectatio eorum, quae a Deo promissa sunt, rectissime in S. Scriptura nomine fidei insignitur. Sed fides promissionum adeo non excludit fidem, quam dicunt historicam, seu dogmaticam, ut illa potius hanc supponat et ex hac progrediatur. Quotiescunque ergo S. Scriptura fidei promissionum, spei, seu fiduciae salubres effectus adscribit, id fit supposita fide dogmatica, quam eadem Scriptura ad iustificationem et salutem necessariam dicit, ut iam probatum est. Male ergo citatis locis adversarii abutuntur ad errorem suum propugnandum. In nullo enim iustificatio adscribitur fidei, qua creditur remissa sibi esse peccata. Paulus enim (8) per fidem plenum et firmum assensum intelligit, Deo revelanti et promittenti praestitum, illumque sine charitate inutilem esse dicit. S. Iacobus et ipse Christus firmam in oratione fiduciam exigunt, at gratias non soli fidei, sed fidei cum oratione coniunctae et debitis conditionibus praeditae promittunt. Etiam allata exempla sententiae adversariorum nullatenus favent. Qui enim paralyticum afferebant, propter miracula Christi, quorum fama longe lateque propagata erat, fidem in eius potentiam et bonitatem concipiebant, et non remissionem peccatorum, sed sanationem paralytici quaerebant et expectabant. Christus autem qui plura quam petebantur, concedere consuevit, seque non tam ad sananda corpora, quam potius ad curandas animas advenisse ostendere voluit, paralytico dixit: *Confide, fili,* id est, bono animo esto, quia *remittuntur*

(1) V. 19 et 21. (2) 1 Cor. 13, 2.
(3) Marc. 11, 24. (4) Matth. 9, 2.
(5) V. 22. (6) Luc. 17, 19.
(7) Sess. 6, cap. 6. (8) 1 Cor. 13, 2

tibi peccata: absque dubio autem Filius Dei requisitas ad iustificationem dispositiones in corde paralytici vidit, quinimo ipsemet per gratiam produxit. Ad Hemorrhoissam autem Christus inquit: *fides tua te salvam fecit;* id est, sanitatem obtinuisti per fidem, qua credidisti, me id potuisse praestare. Idipsum dicatur de leproso (1) in quo a Christo laudatur non fides de obtenta peccatorum remissione, sed fides, quae in ipso gratos erga Deum sensus excitavit, eumque impulit, ut regrederetur, magnificaret Deum et gratias ageret.

Obi. IV. Paulus Act. XIII, 38 etc. ita Iudaeos alloquebatur: *Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc* (Iesum) *vobis remissio peccatorum annunciatur... In hoc omnis, qui credit, iustificatur.* — Fides ergo ad iustificationem necessaria est illa, qua annunciata nobis remissio peccatorum firmiter expectatur.

Resp. Sermo hoc loco est de fide theologica, historica et dogmatica, qua Iesus Christus et ab ipso instituta Religio creditur, ut ex tota illa S. Pauli oratione, in Synagoga Antiochiae habita, luculenter apparet; non autem de sola promissionum fiducia: id est, Apostolus Messiam iam advenisse praedicabat ad remissionem peccatorum, a quibus non potuerunt Iudaei in lege Moysi iustificari. Subdit autem: *In hoc omnis, qui credit, iustificatur,* comprehendendo sub fide omnia, quae nova Christi lex praescribit, sicut nomine circumcisionis solet lex Moysis significari.

II. *Sola fides non iustificat, sed ad iustificationem consequendam praeter fidem aliae dispositiones, seu opera bona requiruntur.*

§ 466. *S. Augustinus* lib. de fide et oper. (2) memorat, temporibus Apostolorum fuisse haereticos, qui censebant, solum fidei motum ad salutem, atque adeo ad iustificationem sufficere; sic enim scribit: « Excutiendum est a cordibus religiosis (declaratum falsum principium), ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere fidem putaverint, bene autem vivere et bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum, non intellectis quibusdam subobscuris sententiis Apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere... Quoniam ergo haec opinio tunc fuerat exorta, aliae Apostolicae Epistolae Petri, Ioannis, Iacobi, Iudae contra eam maxime dirigunt intentionem; ut vehementer adstruant, fidem sine operibus non prodesse. » Saeculo IV *Eunomius,* ut idem *S. Augustinus* (3) testatur, solius fidei assensum existimavit ad salutem sufficere, ita ut credenti nihil omnino obesse possent quaecunque alia peccata, quo minus consequatur gratiam et salutem. *Lutherus* et rigidiores Lutherani ipsissimum hunc Eunomii errorem renovarunt, docentes, ita nos sola fide iustificari, ut ad iustificationem nulli omnino actus virtutum aliarum requirantur, nec per modum meriti de congruo, nec per modum dispositionis, aut conditionis; adeoque vox *sola* non tantum excludat meritum, causalitatem et dispositionem, sed etiam praesentiam cuiuscunque actus boni. Mentem suam satis clare expressit *Lutherus* in cap. 2 Ep. ad Galatas scribens: «Quando sic docetur, fides iustificat quidem, sed simul servare oportet mandata Dei... ibi statim Christus negatus est et fides abolita, quia mandatis Dei, sive legi tribuitur, quod est solius Dei.» Et in eodem Comment. (4) inquit: « Sola fides iustificat, quae

(1) Luc. 17, 19. (2) Cap. 14 (3) L. de haer. c. 55. (4) Ed. Wittemb. p. 46.

per verbum Christum apprehendit, et hoc circumdatur et ornatur, non fides, quae charitatem in se includit;» et inferius: « Si verum est, quod fides sine charitate non iustificat, illa omnino inutilis est et ad nihil valet.» Lib. de captiv. Babyl. scribit: « Ita vides, quam dives sit homo christianus, etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Caetera omnia, si redeat, vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur, per eandem fidem etc.» Et in Epist. ad Melanchthonem ita loquitur: « Esto peccator et pecca fortiter, sed fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis et mundi: peccandum est, quamdiu hic sumus. Vita haec non est habitatio iustitiae, sed exspectamus, ait Petrus, coelos novos et terram novam, in quibus iustitia habitat. Sufficit, quod agnovimus per divitias gloriae Dei Agnum, qui tollit peccata mundi: ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies uno die fornicemur, aut occidamus. Putas, tam parvum esse pretium et redemptionem pro peccatis nostris factam in tanto ac tali Agno?» (1). — Non pauci ex iis, qui contra Ecclesiam catholicam insurrexerant, absonam et impiam *Lutheri* doctrinam verbis saltem non approbarunt, sed eam specietenus mitigare conati sunt *Calvinus* nempe, *Melanchthon*, *Chemnitius*, *Gerardus* et alii, quorum sententia communis inter Protestantes facta est, a iustificatione excludunt alios actus a fide distinctos ratione meriti et causalitatis, non vero quoad praesentiam et concomitantiam. Concedunt itaque ad iustificationem requiri, ac praesupponi poenitentiam, seu dolorem de peccatis et propositum emendationis tanquam dispositionem subiecti, sine qua dispositione neminem decrevit Deus iustificare: at solam fidem idcirco dicunt iustificare, quia sola fides apprehendit iustitiam Christi eamque sibi applicat, non vero dolor et propositum. Ex quo patet, quod isti, quamvis doctrinae catholicae appropinquare videantur, ab hac tamen longe distent, cum sententiae *Lutheri*, quae soli fidei iustificationem adscribendam esse censet, firmiter insistant. Falsam autem hanc esse *Lutheri* sententiam, veramque esse doctrinam catholicam, quae praeter fidem alias quoque dispositiones seu opera ad iustificationem requirit, probatur *ex S. Scriptura*, *ex Traditione* et *ex rationibus theologicis*, quae tum *ex dispositionibus* singillatim pro iustificatione requisitis et commendatis, tum *ex aliis momentis* petuntur.

1. Ex *S. Scriptura* in primis argumentum negativum urgere licet. Protestantes enim, qui verbum Dei in scripturis expressum; tanquam unicam fidei regulam perpetuo iactare solent, debuissent utique suam tam insolitam de fide iustificante sententiam certo aliquo et expresso Scripturae testimonio probare; si enim Scriptura expresse diceret, fidem solam iustificare, id sine dubio credendum esse. Verum, ut scite observat *Bellarminus* (2), nusquam hactenus ostendere potuerunt, particulam *sola*, cuius de fide iustificante agitur, in sacris litteris contineri. Illam quidem *Lutherus* insigni fallacia in versione germanica addidit ad cap. III, v. 28 ad Rom. contra fidem omnium tam graecorum, quam latinorum codicum. Neque illud ipse negare potuit, cum esset hac de re postulatus, sed pro

(1) Cf. Moehler symbol. § 16.

(2) L. 1 de iustif. cap. 16

solita sua modestia respondit: Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas. — Nos cum Scriptura docemus quidem, hominem iustificari per fidem. Quod autem sola et nuda fides non iustificet, id ex scripturis ipsis ita demonstramus, ut nihil possit certius reperiri. Doctrina haec clarissime exposita legitur in epistola S. Iacobi capite II, v. 14, dicente Apostolo: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* negat Apostolus, solam fidem hominem salvare posse: ast si fides sine operibus, seu charitate destituta, hominem iustificaret, eundem etiam a perditione liberaret, et ad aeternam vitam perduceret; v. 17 additur: *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa;* tantum ergo abest, ut fides operibus privata seu a charitate seiuncta iustificet, ut potius mortua in semetipsa dicenda sit, quae sicut caeteras dispositiones, seu actus bonos non producit, ita etiam hominem Deo reconciliari nequit. Pergit Apostolus v. 24 dicendo: *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum;* quibus verbis tota doctrina catholica enunciatur, secundum quam fides quidem ad iustificationem necessaria est, at sola non sufficit, quia etiam aliae dispositiones, seu actus boni requiruntur. Tandem v. 26 legitur: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est,* adeoque nil operari, nil efficere, nullum salutarem fructum afferre potest. Ipse *Lutherus* agnovit, doctrinae suae penitus adversari S. Iacobi epistolam, quam adeo contempsit, ut eam contentiosam, tumidam, aridam et stramineam vocaret, et S. Iacobo omnino abiudicaret. Cum autem argumenta certissima prostent, quae ostendunt, dictam epistolam a S. Iacobo conscriptam, divinae esse auctoritatis, moderni Lutherani eandem canonicis libris adnumerant, ita ut *Io. Franc. Buddaeus* (1) dicat: « Hodie inter omnes constat, et Iacobum Apostolum esse huius epistolae auctorem et divinam esse eius auctoritatem. » — Ast non ex sola S. Iacobi epistola, sed etiam ex aliis libris canonicis catholicae doctrinae veritas probatur. Christus ipse Matth. VII, 21 inquit: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine,* id est, non omnis, qui me Dominum suum et Redemptorem suum agnoscit et profitetur, *intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum.* Nonne falsa esset haec sententia Christi, si vera esset doctrina *Lutheri,* qua traditur, hominem per solam fidem sine aliis actibus et operibus bonis iustificari et salvari posse? — Iuxta hanc sententiam observantia mandatorum divinorum necessaria non est, ut homo a perditione eripiatur et salutem aeternam consequatur; iuxta effatum autem Christi observantia mandatorum divinorum ad salutem omnino necessaria est. — Quinimo ipse Paulus, ad quem adversarii provocant, idem tradit, et a Iacobo minime dissentit. Nam Rom. II, 13 ait: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur,* id est, non illi Deo placent, qui legem audiunt, sciunt, ac ut vere divinam venerantur, sed ii *iustificabuntur,* qui legem observant, seu qui firmum in corde propositum fovent, legem divinam quotiescumque eius observantia urget, fideliter adimplendi. Loquitur quidem in isto loco Apostolus proxime de Iudaeis, quibus lex mosaica

(1) Inst. theol. dogmat. l. 4, c. 4, § 9.

annunciata fuit; ast eandem sententiam etiam ad Gentiles quoad legem naturalem extendi, patet ex versu sequenti 14 etc. Est ergo sententia Pauli generalis et minime Christi discipulos excludit. Nam si in oeconomia V.T. fides in Messiam venturum sola et sterilis non sufficiebat, sed, ut homines iustificaret, cum observantia legis, seu cum charitate coniuncta esse debebat; multo magis hoc idem dicendum est de novo foedere, in quo maior perfectio, et praecipue interna sanctitas requiritur (1). Idem Apostolus I Cor. XIII, 2 scribit: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Alludit Paulus ad promissionem Christi Matth. XVII, 19 dicentis: *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit* etc., sed tamen testatur, etiam tantam fidem seu fiduciam in promissionem vere factam a Christo animae saluti non prodesse, nulliusque apud Deum meriti esse, si charitas deficiat; et quis dicere praesumet, iuxta doctrinam Pauli fidem solam, etiam deficiente charitate, hominem iustificare cum nullibi promissio soli huic fidei, seu sterili fiduciae specialis misericordiae a Christo facta legatur? Paulus quidem fidem iustificare dicit, sed per fidem eam intelligit, quae cum aliis actibus bonis, cum firma praecepta divina observandi voluntate, id est, cum charitate coniuncta est; conceptis verbis id docet Gal. V, 6 scribens: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur;* id est, *in Christo Iesu,* nempe in christianismo ad salutem non confert, quod quis circumcisus sit, aut non circumcisus, sed *fides* in Christum non sola, nec otiosa, sed *quae* charitate perficitur, et *per charitatem operatur,* id est, quae praecepta servat et pia facit opera. Itaque *Lutherus* non solum Iacobi epistolam reiicere debuisset ad portentosum suum dogma stabiliendum, sed etiam paulinas epistolas, quae eundem errorem de sola fide iustificante pariter evertunt. S. Petrus quoque egregie ostendit, non solam fidem, sed fidem vivam, cum charitate et operibus coniunctam, iustificare et salvare; ait enim: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Haec enim si vobiscum adsint et superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in D. N. I. C. cognitione. Cui enim non praesto sunt haec, caecus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (2). Ergo iuxta doctrinam Principis Apostolorum ad iustitiam et salutem non sufficit fides de remissis sibi propter merita Christi peccatis, sed cum fide actus virtutum et bona opera coniungi debent, ut vera iustitia et salus aeterna obtineantur. Denique S. Ioannes ait: *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut et ille iustus est* (3). Non sufficit ergo fidem in merita Christi concipere, sed oportet facere iustitiam, sensus legi conformes habere et bona opera perficere, ut iustificatio obtineatur (4).

2. *Traditio* constans et perpetua Ecclesiae doctrinam catholicam con-

(1) Matth. 5, 17 et seq (2) 2 Ep. 1, 5 etc. (3) 1 Ep. 3, 7. (4) Cf. § 378, n. 1.

firmat. Plura Ss. Patrum testimonia, huc spectantia, iam § 378 citata fuerunt, quibus multa alia addi possunt. *S. Ignatius M.* (1) inquit: « Fides nos sursum trahat ad Deum; charitas vero via est, quae nos deducit ad Deum. » *S. Clemens Rom.* Ep. I ad Corinth. (2) scribit: « In operibus, non in verbis iusti fiamus; » et (3): « Videmus, omnes iustos bonis operibus ornatos fuisse; quare cum hoc mandatum habeamus, ex omnibus viribus opus iustitiae operemur; » insuper (4): « Beati sumus, dilecti, si praecepta Domini in charitatis concordia impleverimus, ut per charitatem peccata nostra nobis remittantur. » *S. Iustinus M.* Dial. cum Tryph. (5) Iudaeis ita acclamat: « Si de peccatis vestris doleatis, ipsum quem crucifixistis ut Christum agnoscatis et mandata ipsius observetis, veniam peccatorum vestrorum consequemini. » Et ibid. (6) inquit: « Si poenitentiam agant, licet omnibus, quicunque voluerint, misericordiam a Deo consequi; eosque beatos Scriptura praedicat his verbis: *Beatus, cui non imputavit Dominus peccatum.* » *S. Irenaeus* (7) ita disserit: « Sicut qui in melius profecerit et fructum operatus fuerit Spiritus, omni modo salvatur propter Spiritus communionem; sic et is, qui remanserit in carnis operationibus, carnalis vere deputatus, eo quod non assumat Spiritum Dei, regnum non poterit possidere coelorum. In quibus igitur periebamus membris, operantes ea, quae sunt corruptelae, in iisdem ipsis vivificamur operantes ea, quae sunt Spiritus. » *S. Cyprianus* (8) inquit: « Credere se in Christum, quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere praecepit? » *S. Gregorius Naz.* (9) ait: « Super dogmatum fundamenta bona opera extrue; quandoquidem fides sine operibus mortua est, quemadmodum et opera, si fides absit. » *S. Ambrosius* (10) haec habet: « Ne rursus nos fidei studiosos, faciat operum negligentes, perfectionem fidelis viri brevi sermone concludit, ut et fide et operibus approbetur dicens: *Haec oportuit facere et illa non omittere.* » *S. Gregorius Nyss.* (11) ita praeclare loquitur: « Cum Apostolus cum fide connexuisset et contexuisset iustitiam, per ea armato munit thoracem, recte et tute per utrumque militi pectus muniens. Non potest enim fieri, ut alterum ab altero disiunctum ex se tuta praebeat arma ei, qui ipsa tractat. Neque enim fides absque operibus iustitiae sufficit ad salutem, neque rursus vitae iustitia per se tuta est ad salutem, si seiuncta sit fides. » *S. Ephraem Syr.* (12) inquit: « Quemadmodum corpus virtute vitali animae vegetatur, sic ipsa etiam anima, quantumvis bene valere videatur, absque operibus tamen mortua est; operibus namque ex fide manantibus eius constat vita. » *Origenes* (13) ait: « Qui profitentur quidem fidem in Iesum, non autem praeparant se bonis operibus ad salutem, assimilantur virginibus fatuis. » *Theophilus Alex.* (14) Paschali inquit: « Sermo et ratio et scientia et fides absque opere cassa sunt et instabilia. » *S. Chrysostomus* (15) in Matth. ait: « Nisi vitam fide nostra dignam ducamus, extremas dabimus poenas. » Et (16) in Ioan. dicit: « Num ergo sufficit, inquies in Filium credere, ut vita ae-

(1) Ep. ad Ephes. c. 9. (2) Cap. 30.
(3) Cap. 33. (4) Cap. 50. (5) N. 95.
(6) N. 141. (7) L. 5 adv. haer. c. 11.
(8) Lib. de unit. Eccl. (9) Or. 40, n. 45.
(10) In cap. 11 Lucae.
(11) Hom. 8 in Ecclesiasten.
(12) Serm. 80 adv. Scrut.
(13) Tract. 32 in Matth. (14) Lib. 1.
(15) Hom. 64, n. 4.
(16) Hom. 31 (al. 30) n. 1.

terna habeatur? nequaquam. Audi Christum hoc ipsum declarantem his verbis: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum*, et blasphemia in Spiritum sufficit ut in gehennam quis detrudatur. Et quid dico de parte dogmatis? Nam etsi quis recte credat in Patrem et Filium et Spiritum sanctum si recte non vivat, nihil ipsi fides proderit ad salutem. Ergo quando dicit: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum*, ne putemus, id nobis ad salutem satis esse; opus namque nobis est et vitae et morum instituto probo. Etsi hic dixerit: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam*... attamen non hinc inferimus, solam fidem ad salutem esse satis, quod probatur ex dictis evangelicis frequentibus bonam vitam spectantibus.» S. *Hieronymus* c. Iovinianum (1) scribit: « Frustra nobis in eo plaudimus, cuius mandata non facimus. *Scienti bonum et non facienti illud, peccatum est. Quomodo corpus sine spiritu mortuum est, sic et fides sine operibus mortua est.* Nec grande putemus unum Deum nosse, cum *et daemones credant et contremiscant. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit et ipse ambulare*» (2). Idem Comment. in Ephes. (3) ita praeclare loquitur: « Non exteriorem, sed interiorem hominem cupimus roborari (per Spiritum sanctum), ut postquam habitaverit Christus in interiore homine, in ipsius interioris hominis habitet principali, id est, in cordibus nostris... in eo domicilium, sedemque suam ponens. Hoc autem totum per fidem fiet, si credamus in eum. Habitatio autem ista, quae per exordium fidei fabricatur, radices et fundamentum in charitate habet, ut quoniam Dei agricultura sumus, Dei aedificatio, omnia in charitate succrescant, atque aedificentur. » Idem Comment. in Osee (4) ita disserit: « Haeretici, cum viderint aliquos delinquentes, aiunt: Nihil aliud quaerit Deus nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat quid agatis. Haec enim dicentes, in iniquitatibus eorum sublevant animas eorum, ut non solum non agant poenitentiam, nec humilientur, sed gaudeant in sceleribus suis et erecta cervice gradiantur. Unde et populus et sacerdos, et hi qui docti sunt, et hi qui docuerunt, pari iudicio constringentur. » Et Comment. in Michaeam (5) addit: « Promittunt eis pacem et regna coelestia et dicunt: Non necesse est, ut vivas continenter et sancte; habeto fidem quam docemus, et omnia promissa Domini consequeris: quae loquentes magis adversum eos iram Dei concitant. » S. *Augustinus* (6) dicit: « Discernenda est fides nostra a fide daemonum. Fides enim nostra mundat cor; fides autem illorum reos facit... Non est talis fides, quae mundat cor. *Fide*, inquit, *mundans corda eorum*. Sed qua fide, quali fide, nisi quam definit Apostolus, ubi ait: *Fides*, quae *per dilectionem operatur?* » — Idem (7) ait: « Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque evangelicam definivit, cuius opera ex dilectione procedunt: et *fides*, inquit, *quae per dilectionem operatur*. Unde illam fidem, quae sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.*» Et lib. XV de Trinit. (8) inquit: « Sine charitat

(1) L. 2, c. 1. (2) 1 Io. 2, 6.
(3) C. 3, 16. (4) C. 4, 7. (5) C. 3, 5.
(6) In Serm. 53, cap. 10, n. 11.
(7) L. de fide, et oper. c. 14. (8) C. 18, n. 3

quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse. » *S. Prosper* (1) ait: « Eum, qui potest uti liberae voluntatis arbitrio, nec opera sine fide, nec fides sine operibus iustificat. » — *S. Cyrillus Alex.* (2) ita loquitur: « Neque, o homo, dixeris tecum ipse: Dives sum fide, agnovi eum, qui natura, vereque Deus est et Dominus; explicui me a diaboli retibus et daemoniaca fraude, purgavi crimina idolatriae; licet mihi iure de benevolentia Dei gloriari. Memineris nempe dicentis: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* » — *S. Leo M.* (3) ait: « Charitas robur fidei, fides fortitudo charitatis. » Et alibi (4): « Haec virtus (charitas) omnes facit utiles virtutes, quae ipsam quoque fidem, ex qua iustus vivit et quae sine operibus mortua nominatur, sui admixtione vivificat, quia sicut in fide est operum ratio, ita in operibus fidei fortitudo. » *S. Gregorius M.* (5) inquit: « Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego iam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quae in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. » — Ss. Patribus adiungenda sunt Concilia, quae eandem doctrinam proposuerunt. *Concilium Moguntiacum* anno 813 (6) dicit: *Initium actionis nostrae de fide esse decrevimus, quae bonorum omnium est fundamentum, quia sine fide Deo placere non possumus: fides tamen indiget opere, quia fides sine operibus mortua est. Unde Gregorius ait: Ille vere credit, qui exercet operando quod credit. Concilium Senonense*, seu *Parisiense* (7) haec habet: *Non iustificat sola fides, sed magis charitas, nec quaevis opera peccata sunt, sed eatenus adultis ad salutem necessaria, ut meriti quoque rationem non respuant. Concilium Tridentinum* (8) docet: *Fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit; qua ratione verissime dicitur: Iac. 2, fidem sine operibus mortuam et otiosam esse: et in Christo Iesu neque circumcisionem aliquid valere, neque praeputium, sed fidem, quae per charitatem operatur* (9). *Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione Cathecumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam aeternam praestantem: quam sine spe et charitate praestare fides non potest: unde et statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et ibid. (10) definit: *Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur et nulla ex parte necesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, anathema sit.* Etiam Ecclesia graeca schismatica in hac doctrina cum Ecclesia catholica omnino consentit. Nam in *Concilio Hierosolymitano* anno 1672 Graeci schismatici, postquam doctrinam Protestantium discusserant, ita can. 13 loquuntur: *Credimus non sola fide, sed ea tantum, quae per charitatem operatur, id est, fide atque operibus hominem iustificari. Quod vero Christi iustitiam fides instar manus apprehendat, nobisque pro adeptione salutis applicet ab omni pietate longissime esse censemus. Quinimo fidem in nobis*

(1) L. 1 de vita contempl. c. 19.
(2) Hom. Pasch. 11. (3) Serm. 44, c. 2.
(4) Ser. 9, c. 2. (5) Hom. 29 in Evang. n. 3.
(6) Can. 1. (7) P. 1, can. 16.
(8) Sess. 6, cap. 7. (9) Gal. 5 et 6.
(10) Can. 9.

existentem, operibus iustificare nos per Christum credimus.

3. Sola fides non iustificat, si in S. Scriptura et traditione praeter fidem aliae dispositiones requiruntur et his non minus quam ipsi fidei iustificatio adscribitur. Atqui in S. Scriptura et traditione pro consequenda iustificatione omnes illae dispositiones, quas *Concilium Tridentinum* (1) enumerat, vere requiruntur, atque iisdem non minus quam fidei iustificatio adscribitur: quod facile de singulis dispositionibus a *Concilio Tridentino* pro iustificatione requisitis probatur. Nam I^ma^ dispositio est *fides*, quae dicitur radix et fundamentum iustificationis. Haec autem fides, ut iam § praec. probatum est, consistit in firmo assensu veritatibus a Deo revelatis praestito. Sine hac fide reliquae dispositiones obtineri nequeunt. Credendum enim est, Deum existere, infinite iustum esse, maximasque poenas peccatoribus infligere, ut salutaris timor in corde oriatur. Credendum pariter est, Deum infinite misericordem non velle mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, Christum, Filium Dei incarnatum, per mortem suam pro peccatis satisfecisse et iustificationis gratiam promeruisse, ut firma in eius merita spes concipi possit. Credendum denique est, Deum summum bonum, erga nos maxime beneficum esse et nonnisi iusta, et sancta praecipere, ut mens Deum ut omnis iustitiae fontem diligere incipiat, de commissis peccatis doleat et mandata divina observare proponat. Idcirco Apostolus scribit: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Firmae autem ac vivae fidei iustificationem adscribit dicens: *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam* (2). Patres quoque fidem, tanquam radicem et fundamentum iustificationis commendant. *Origenes* (3) asserit: « Puto, quod prima salutis initia et ipsa fundamenta fides est; profectus vero et augmenta aedificii spes, perfectio autem et culmen aedificii totius charitas. » *S. Ambrosius* (4) ait: « Fides principium Christiani est; plenitudo autem Christiani iustitia est. » *S. Hieronymus* (5) inquit: « Fiduciae, atque accessus ad Deum principium, atque origo fides in Christum est. » *S. Augustinus* (6) dicit: « Fides prima datur, ex qua caetera impetrentur. » — II^da^ dispositio est *timor*, quo peccatorum nostrorum consideratione utiliter concutimur. Talem iustitiae divinae timorem ad iustificationem disponere, ipsa S. Scriptura testatur. Nam Ps. CX, 9 etc. legitur: *Sanctum et terribile nomen eius. Initium sapientiae timor Domini;* id est, initium perfectae iustitiae, quae totum hominem componit, est metus et reverentia divinae maiestatis, inclinans animum, ut Deo per omnia obediat, caveatque ne uspiam offendat. Ps. CII, 11 etc. dicitur: *Secundum altitudinem coeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Prov. XIV, 27: *Timor Domini fons vitae, ut declinet a ruina mortis.* Eccli. I, 27 etc.: *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit iustificari*, id est, iustus ac Deo gratus

(1) Sess. 6, cap. 6. (2) Rom. 4, 5.
(3) In cap. 4 Ep. ad Rom.
(4) Serm. 20 in Ps. 118.
(5) In cap. 3 Ep. ad Ephes.
(6) Lib. de Praedest. Ss. cap. 7.

effici. Hac de causa tum *Prophetae* V. T., tum *Ioannes Baptista* (1), tum ipse *Christus* (2), tum *Apostoli* (3) timorem iustitiae divinae incutere studuerunt, ut ad poenitentiam conversi, Deo reconciliari ac iustificari queant. — Ss. Patres quoque timorem ut efficacem dispositionem ad iustificationem commendant. *S. Gregorius Naz.* (4) ait: « Quidnam vocat principium sapientiae? timorem. Neque enim ea nobis ratio ineunda est, ut a contemplatione auspicantes in timorem desinamus, — verum ut timoris rudimentis imbuti et purgati, atque, ut hoc verbo utar, attenuati, in altum efferamur.» *S. Basilius* (5) explicans verba: *Timorem Domini docebo vos*, ita disserit: « Timor autem qui salutaris est, et timor qui confert sanctitatem, timor qui de industria et non secundum affectionem animo accidit, vis ut exponam qualis sit? » — *S. Chrysostomus* (6) inquit: « Quid gehenna gravius? sed huius metu nihil utilius. Gehennae namque timor regni nobis adfert coronam... Nihil enim tantum peccata consumit, virtutem vero crescere facit et germinare, quantum continui timoris natura... Nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus sermones et longos, de illa poena et supplicio loquens. » Et alibi (7): « Timor Domini ab omni vitio liberat, omnem virtutem dirigit. Dicit autem Psalmista sapientiam, non quae in verbis, sed quae in rebus sita est...Hanc autem docet Dei timor, improbitatem auferens et virtutem inserens, ut praesentia contemnantur efficiens, et in coelum traducens.» *S. Ambrosius* (8) ita loquitur: « Configat has carnes timor Domini et iudiciorum eius et servituti redigat. Quod si carnes istae reiiciunt clavos divini amoris, hanc dubie dicitur: *Non permanebit spiritus meus in his hominibus, quia carnes sunt...* Sicut sunt aculei timoris quibus compungimur, ita sunt clavi timoris quibus configimur. Qui compungitur, excitatur; qui configitur, mortificatur, ut peccato deficiat et Deo vivat.» *S. Hieronymus* (9) ita scribit: « Vult itaque primo Deus, ut filii eius simus et bonum voluntate faciamus: si hoc consequi nolumus, vult, ut-a malis per suppliciorum formidinem recedamus, ut de timore servorum ad gloriam filiorum transeamus.» *S. Augustinus* (10) sic loquitur: « Stimulat timor: sed noli timere; intrat charitas, quae sanat quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum, putredinem tollit et quasi videtur vulnus augere. —Opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas. » Et lib. de catech. rudibus (11) addit: « Rarissime accidit, imo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus.» *S. Gregorius M.* (12) dicit: « Prava mens, si non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur.» *Io. Cassianus* (13) scribit: «Principium nostrae salutis, eiusdemque custodia, sicut dixi, timor Domini est. Per hunc enim et initium conversionis et vitiorum purgatio et virtutum custodia his, qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur. » *S. Bernardus* (14) haec habet: «Triplex

(1) Matth. 3, 10.
(2) Matth. 11, 21 etc., et 12, v. 36.
(3) Rom. 2, 3 etc. (4) Or. 39, n. 8.
(5) In Ps. 33, n. 8.
(6) Hom. 15 ad pop. Antioch.
(7) Hom. in Ps. 110, n. 7.
(8) In Ps. 118, vers. 120.
(9) Comment. in Malach. 1, 6.
(10) Tract. 9 in Ioannis Epist. n. 4.
(11) Cap. 5. (12) Hom. 34 in Evang. n. 6.
(13) De instit. renunt. c. 39.
(14) Ser. 2 Domin. 1 post Oct. Epiph.

est timor. Primus timor est, ne cruciemur in gehenna : secundus, ne exclusi a visione Dei privemur tam inaestimabili gloria: tertius replet animam omni solicitudine timidam, ne forte deseratur a gratia. Et quidem omnis timor Domini, sicut aqua extinguit ignem, sic extinguit peccati concupiscentiam.» *S. Thomas* (1) inquit: « Alio modo possumus loqui de poenitentia, quantum ad actus, quibus Deo operanti in poenitentia cooperamur: quorum actuum principium est Dei operatio convertentis cor... Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur... Sic igitur patet, quod actus poenitentiae a timore servili procedit, sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato: a timore autem filiali, sicut ab immediato et proximo principio.» *S. Bonaventura* in opusc. de grat. sanctif. (2) dicit: « Timor servilis donum Spiritus sancti est; nec tamen est cum Spiritu sancto: sicut aurora a sole, nec tamen cum sole est. Timor servilis Spiritui sancto locum praeparat, ut eum sicut tela linum introducat. Accedit ratio. Nam natura timoris est, ut fugiat mala et quaerat remedia, quibus illa evadere possimus: qui autem sine timore est, neque illa vitat, neque de his adhibendis sollicitus est. » III[a] dispositio est *spes* obtinendae veniae et remissionis peccatorum. Eadem enim fides quae docet, Deum iudicem esse iustissimum et vindicem peccatorum acerrimum, docet etiam eundem esse Patrem clementissimum, qui propter merita unigeniti Filii sui peccatoribus peccata remittit, si per veram poenitentiam ad ipsum convertantur. Ad quam poenitentiam agendam peccatores quidem supernaturali gratia indigent; sed hanc etiam iis benigne concedit Deus qui est *dives in omnes, qui invocant illum* (3). Quilibet ergo peccator tum gratiam poenitentiae, tum remissionem peccatorum per merita Christi ab infinita misericordia Dei obtinendam sperare potest et debet (4). Hanc autem spem obtinendae veniae disponere ad iustitiam et remissionem peccatorum, S. Scriptura docet. In Psalmis enim sic legitur: *Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit* (5). *Spera in Domino et fac bonitatem... Revela Domino viam tuam et spera in eo: et ipse faciet. Et educet quasi lumen iustitiam tuam* (6). *Quoniam in me speravit liberabo eum* (7). Prov. XXVIII, 25: *Qui sperat in Domino, sanabitur;* et Eccli. II, 7: - *Metuentes Dominum, sustinete misericordiam eius, et non deflectatis ab illo, ne cadatis.... Qui timetis Dominum, sperate in illum et in oblectationem veniet vobis misericordia... Quoniam pius et misericors est Deus et remittet in die tribulationis peccata* (8). Ita pariter in N. T. peccatores ad concipiendam spem veniae excitantur, ut ad iustificationem disponantur. Christus ipse ad paralyticum ait: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (9): non prius Dominus paralyticum iustificat, quam ei diceret: *Confide, fili;* sed contra prius dicit: *Confide, fili;* et cum eum erectum in spem salutis videt, additi *Remittuntur tibi peccata tua.* Paulus ad Rom. inquit: *Spe enim salvi facti sumus* (10), quando scilicet adoptati sumus in filios et haeredes Dei. Et Hebr. IV, 16: *Adeamus cum fiducia*

(1) 3 p., q. 85, art. 5. (2) L. 5, c. 4.
(3) Rom. 10, 12. (4) § 444-446.
(5) Ps. 31, 13. (6) Ps. 36, 3 etc.
(7) Ps. 90, 14. (8) Ib. v. 10, 13.
(9) Matth. 9, 2. (10) C 8, 24.

ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno; quibus verbis clare indigitatur spes, quae iuxta doctrinam catholicam ad iustificationem disponit: peccator nempe sperare debet *misericordiam* seu veniam peccatorum, simul autem etiam *gratiam* et *auxilium opportunum*, quo conditiones ad iustificationem requisitas fideliter adimpleat. Eandem spem Apostolus generali sententia peccatoribus et iustis commendat, dicens: *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam, ac firmam* (1). Ioannes cum dixisset, nos per charitatem Dei filios et haeredes Dei fieri, ait: *Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est* (2). Idipsum autem ex illis quoque Scripturae locis colligitur, quibus nobis misericordia divina ob oculos ponitur, ut in spem erigamur, atque sperantes Deum diligere incipiamus, sicque dignos nos gratia iustificante reddamus. — Spem etiam Ss. Patres commendant, ut peccatores ad iustificationem disponantur. *S. Chrysostomus* Hom. de fide et lege inquit: « Necessarium est, ut praecedat vitam nostram spes in Christum, quae postea pascenda est bonis operibus. » Et Hom. in Psalm. V, n. 4 ait: « Iis quoque, qui male vivunt, (Psalmista) bonam spem dedit, si voluerint converti, ut qui possint misericordiam consequi. » *S. Ambrosius* (3) scribit: « Nemo potest bene agere poenitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. » *S. Augustinus* (4) dicit: « Quidquid narras, ita narra, ut ille, cui loqueris, audiendo credat, credendo speret, sperando amet. » Idem (5) inquit: « Incipit homo a fide. — Sed, ait Apostolus: *et daemones credunt et contremiscunt.* — Adde ergo fidei spem. — Speique ipsi adde charitatem. » *S. Cyprianus* (6) de lapsis ait: « Gravissimum conscientiae crimen agnoscite, nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen iam veniam vindicantes; » quae verba ostendunt, spem veniae obtinendae a peccatore concipiendam esse, sed non in sensu adversariorum absolutam et indubitatam, sed cum timore propriae fragilitatis coniunctam, quia praeter spem aliae quoque conditiones ad iustificationem requiruntur. *S. Thomas* (7) haec habet: « Per spem retrahimur a malis et inducimur ad bona prosequenda. Et ideo sublata spe, irrefraenate homines labuntur in vitia et a bonis laboribus retrahuntur. » — IV^ta^ dispositio est *dilectio.* Statim enim ac incipit aliquis sperare ab alio beneficium, incipit etiam eundem diligere ut benefactorem, atque auctorem eius boni, quod sperat. Itaque qui sperat a Deo iustificationem, incipit Deum diligere (ut *Concilium Tridentinum* loquitur) ut iustitiae fontem. Quem nexum inter spem et charitatem ostendit etiam *S. Thomas* (8) dicens: « Ex hoc homo aliquid amat, quod apprehendit illud ut bonum suum: per hoc autem, quod homo ab aliquo sperat se bonum consequi posse, reputat ipsum, in quo spem habet, quoddam bonum suum: unde ex hoc ipso, quod homo sperat de aliquo, procedit ad amandum ipsum. » Porro dilectionem aliquam priorem esse remissione peccatorum, vel tempore, si sit dilectio imperfecta, vel certe natura, si sit perfecta, ex toto corde, atque ad eam disponere, patet ex Scri-

(1) Hebr. 6, 18. (2) 1 Ep. 3, 3.
(3) L. 1 de poenit. c. 1, n. 4.
(4) De catech. rudibus c. 4, n. 8.
(5) Serm. 159 c. 6, n. 6. (6) Serm. 5.
(7) 2 2, q. 20, art. 3. (8) 1 2, q. 62, art. 4.

ptura et Traditione. Eccli. legitur: *Qui timetis Dominum, diligite illum et illuminabuntur corda vestra... Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in ie tribulationis peccata, et protector est omnibus exquirentibus se in veritate* (1). Item: *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur* (2). Luc. VII, 47 Christus de Magdalena inquit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* id est, propter amorem, quem erga me in corde fovit et externis officiis mihi praestitis manifestavit, plurima ei scelera condonantur, et perfecta ei iustificatio conceditur: *cui autem minus dimittitur, minus diligit*, id est, ait *Bernardinus a Piconio* (3), « angusto pectori et minus vere amanti minus tribuitur. » Paulus ad Gal. scribit: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur* (4). Et I Io. III, 14: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* In S. Scriptura itaque non soli fidei, sed etiam dilectioni iustificatio adscribitur, et quidem ita adscribitur, ut sine dilectione iustificatio obtineri nequeat. Quod etiam confirmatur verbis Pauli I Cor. dicentis: *Si quis non amat D. N. I. Christum, sit anathema* (5): maledictioni autem divinae obnoxius, iustificari, Deoque charus gratusque fieri nequit. Hinc Ss. Patres dilectionem Dei inter dispositiones ad iustificationem requisitas enumerant, illique vel maxime hanc adscribunt. *S. Chrysostomus* (6) in Ep. ad Rom. ait: « Unde ergo est sanctificatio? a dilectione. Cum enim dixisset: *dilectis*, tunc addidit: *vocatis sanctis.* » Et in Ep. I ad Thess. (7) dicit: « Non est ullum peccatum, quod non consumat, tanquam ignis, vis charitatis et dilectionis. Facilius enim resistit vile sarmentum magno ignis rogo, quam natura peccati potestati charitatis. Hanc ergo plantemus in nostris animis, ut stemus cum omnibus sanctis. » *S. Augustinus* in Enchir. (8) ita disserit: « Charitas, quam duabus istis, id est, fide ac spe maiorem dixit Apostolus, quanto in quocunque maior est, tanto melior est in quo est. Cum enim quaeritur utrum quisque sit homo bonus, non quaeritur, quid credat aut speret, sed quid amet. Nam qui recte amat, procul dubio recte credit et sperat: qui vero non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera quae credit; inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatem doceantur pertinere quae sperat; nisi et hoc credat et speret, quod sibi petenti donari possit, ut amet. Quamvis enim sperare sine amore non possit, fieri tamen potest, ut id non amet, sine quo ad id, quod sperat, non potest pervenire. Tamquam si speret vitam aeternam (quam quis non amat?) et non amet iustitiam, sine qua nemo ad illam pervenit. Ipsa est autem fides Christi, quam commendat Apostolus, quae per dilectionem operatur et quod in dilectione nondum habet, petit ut accipiat, quaerit ut inveniat, pulsat ut aperiatur ei. » *Concilium Arausicanum II* conceptis verbis praeter fidem amorem Dei ad iustificationem requirit; ait enim (9): *Deus fidem et amorem sui prius inspirat, ut sacramenta baptismi fideliter requiramus.* — V^ta^ dispositio est *poenitentia*, seu *dolor* et *detestatio peccati*, de qua multa extant in Ss. Litteris te-

(1) C. 2, 10 etc.
(2) Eccli. 3, 4.
(3) In h. l.
(4) Gal. 5, 6.
(5) 1 Cor. 16, 22.
(6) Hom. 1, n. 4.
(7) Hom. 4, n. 4.
(8) Cap. 117, n. 31.
(9) Cap. 25.

stimonia, ex quibus ea solum adducemus, quae probant, per eam disponi homines ad iustificationem. Deut. IV, 29 legitur: *Quum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quaesieris et tota tribulatione animae tuae.* Psalm. L, 18: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Ezech. XV, 27: *Cum averterit se impius ab impietate sua et fecerit iudicium et iustitiam; ipse animam suam vivificabit.* Luc. XIII, 3: Christus Dominus inquit: *Nisi poenitentiam*, id est, dolorem de peccatis *habueritis, omnes simul peribitis.* Petrus Act. III, 19 ait: *Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Paulus II Cor. VII, 10 scribit: *Quae autem secundum Deum*, id est, propter Deum offensum, *tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Patres quoque poenitentiam, seu dolorem et detestationem peccati, ut necessariam et saluberrimam dispositionem ad iustificationem commendant. *Tertullianus* (1) contra Marcion. ait: « Video et Achab Regem, maritum Iezabel, reum idololatriae et sanguinis Nabuthae, veniam meruisse poenitentiae nomine.» *S. Cyprianus* tract. de lapsis (versus finem) lapsos instruit, quo modo iustificari possint, dicens: « Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhaerere, in cinere et cilicio et sordibus volutari... iustis operibus incumbere, eleemosynis frequenter insistere... Qui sic Deo satisfecerit, qui poenitentia facti sui, qui pudore delicti, plus et virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adiutus a Domino, quam contristaverat nuper, laetam faciet Ecclesiam, nec iam solam Dei veniam merebitur, sed et coronam. » *S. Gregorius Naz.* (2) contra Novatianos egregie probat, per lacrymas poenitentiae peccatorum veniam obtineri posse, sicque (3) loquitur: « At Novatus, inquis, persecutionis tempore lapsos non recepit. Quid hoc? Si quidem illi poenitentia minime ducebantur, optimo iure eos repulit (nam ne ipse quidem eos recipio, qui vel nullo modo, vel non satis deprimuntur, nec patrato crimine parem vitae emendationem afferunt; cumque recipio, convenientem eis locum assigno); — sin autem lacrymis confectos (vere contritos cerno) haudquaquam istud (Novati exemplum) imitabor.» *S. Basilius* in regul. moral. (4) docet, « non satis esse poenitentibus, si tantummodo a peccatis resurrexerint, sed eis opus esse, ut fructus dignos poenitentiae faciant, peccata sua amare deflendo, ut fecit Petrus etc. » — *S. Chrysostomus* Hom. 20 in Genes. n. 3 agens de modo remissionem peccatorum obtinendi, dicit: « Vidisti medici (divini) bonitatem... Num grave aliquid et molestum a nobis requirit? contritionem cordis, compunctionem mentis, confessionem lapsus, assiduitatem continuam: et non solum largitur vulnerum curam et a peccatis mundos reddit, sed et eum, qui antea innumeris peccatorum sarcinis gravabatur, iustum efficit.» *S. Ambrosius* lib. I de poenit. (5) ait: «Exspectat Deus gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos; exspectat lacrymas nostras, ut profundat pietatem suam.» Idem in Psalm. XXXVII scribit: « Quis dubitet, affligere animam suam, cum propheta tantus afflixerit, solvens

(1) Lib. 4. (2) Orat. 39, n. 18.
(3) N. 19 (4) Cap 3 etc.
(5) Cap. 3, n. 10.

pretium lacrymarum pro redemptione peccati? » — *S. Hieronymus* in Epitaphio Fabiolae inquit: «Quae peccata fletus iste non purget? quas inveteratas maculas haec lamenta non abluant? » *S. Augustinus* c. Cresconium (1) asserit: « Mundatur et verbo veritatis ab illo, qui ait: *Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* Mundantur et sacrificio contriti cordis ab illo, de quo dictum est: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernit.*» *S. Gregorius M.*(2) dicit: «Admonendi sunt, qui admissa deserunt, nec tamen plangunt; ne iam relaxatas aestiment culpas, quas, etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim - debitor absolutus est, quia alia non multiplicat, nisi et illa, quae ligaverat, solvat. Ita et cum Deo deliquimus, nequaquam satisfacimus, nisi voluptates quoque, quas dileximus, e contrario oppositis lamentis insequamur. » VI^ta^ dispositio est *propositum firmum* servandi mandata divina, inchoandi vitam legibus Christi conformem et suscipiendi sacramenta, quae a Christo ad conferendam iustificationem instituta sunt. Haec dispositio ex priori fluit et cum hac intime coniungitur; nam, qui de peccatis commissis sincere dolet, firmam etiam peccata, quae detestatur, vitandi voluntatem concipit. Et sane, vera poenitentia ad iustificationem requisita, ita in S. Scriptura et Ss. Patribus describitur, ut cum dolore de peccatis commissis coniunctam etiam firmam habeat voluntatem peccata vitandi et mandata divina observandi. Ita in Isa. (3) dicitur: *Quiescite agere perverse, discite benefacere... Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Ezech. (4): *Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet, et non morietur.* Zach. (5): *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum:* non sufficit ergo ut homo a peccatis avertatur, sed necesse est, ut ad Deum per rectos animi sensus convertatur et sic demum peccatorum veniam consequatur. Ideo Ioannes Baptista non solum poenitentiam, sed etiam fructus poenitentiae dignos exegit, ut fugiant a ventura ira; cum enim dixisset: *Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum* (6), addidit etiam: *Facite ergo fructus dignos poenitentiae* (7). Christus ipse Luc. III, 5 etc. exclamavit: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis;* moxque addidit similitudinem arboris fici ideo succidendae, quia fructus non habuit, manifeste ostendens, cum vera poenitentia bonorum operum fructus coniungendos esse. Petrus quoque ait: *Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra* (8). Paulus I Cor. V, 7 scribit: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.* Et Col. III, 9 etc. inquit: *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum.* Ita in S. Scriptura passim cum dolore de peccatis commissis emendatio vitae coniungitur. Eadem est Ss. Patrum doctrina. *S. Hilarius* in Matth. (9) inquit: «Poenitentia est reditus ab errore, recessus a crimine, et post vitiorum pudorem professio desinendi.»

(1) L. 2, cap. 12. (2) Reg. pastor. 3 p. c. 30. (3) C. 1. 16 etc. (4) C. 18, 21. (5) C. 1, 3. (6) Matth. 3, v. 2. (7) Ib. v. 8. (8) Act. 3, 19. (9) Cap. 9, n. 3.

S. Ambrosius Epist. ad Sor. (1) ait: « Fides, quae superiora peccata deploret, nova cavere consuevit. » *S. Augustinus* librum integrum *de fide et operibus* conscripsit, in quo refellit errorem eorum, qui docebant, admittendos esse homines ad baptismum, etiamsi vitam et mores emendare non vellent. *S. Gregorius M.* (2) dicit: « Poenitentiam agere est perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare. » Et alibi (3): « Admonendi sunt, qui admissa plangunt, nec tamen deserunt; ut considerare sollicite sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui vivendo se nequiter inquinant. » Esse autem speciatim propositum, ac desiderium Sacramenti baptismi, aut poenitentiae reipsa percipiendi necessarium, ex ipsa rei natura facile intelligitur. Scriptum est enim: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (4); et ibid.: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (5). Ex quibus locis, aliisque argumentis, quae inferius afferentur, probatur, necessariam medicinam ad curanda peccata lavacrum esse baptismi et post baptismum reconciliationis potestatem sacerdotibus esse concessam: unde peccator, haec cognoscens, certe non potest recte dispositus dici ad iustificationem, nisi eiusmodi media, ab ipso Domino instituta, desideret, requirat et actu percipere serio paratus sit (6).

4. *Ratione theologica* doctrina catholica confirmari potest, si doctrina Novatorum cum doctrina Christi comparatur. Ita enim argumentari licet. Illa doctrina certe non est divinitus revelata, quae perfectionem moralem, a Christo praeceptam (7), non solum non promovet, sed potius impedit et tollit (8): talis est autem doctrina *Lutheri* de sola fide iustificante. Iuxta hanc enim sententiam homo per fidem arripiens merita Christi, de sua iustificatione et salute certus redditur, atque ideo parum, aut nihil sollicitus erit, ut rectos induat sensus, alias virtutes exerceat, et bona opera perficiat. Haec omnia negliget tum ante iustificationem, quoniam iuxta principium *Lutheri* hoc in statu libertate destitutus est, et iis intendere nequit; tum post iustificationem, quoniam cum ea ad salutem necessaria non reputentur, sufficienter se ad illa sedulo exercenda excitatum non sentit. Ipse etiam peccati horror maxime imminuitur, si tam facile medium statuitur ad illius remissionem, qualis est fiducia in merita Christi. Quis ergo non videt, doctrinam Novatorum moralitati et perfectioni christianae adversam esse, atque ideo a revelatione divina et a veritate longe alienam? — Denique si vera esset doctrina Novatorum de sola fide iustificante, facile esset, etiam post plurima et maxima peccata regnum coelorum consequi. Quomodo autem haec conciliari possunt cum dictis Christi: *Quam angusta porta et arctavia est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam* (9). *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (10). Non potest doctrina ut vera admitti, quae doctrinae Veritatis aperte adversatur.

Nota. 1. Nonnullis ex Protestantibus moderatioribus doctrina de sola fide iustificante displicuit, quam etiam aut penitus reiiciendam, aut ita mitigandam et declarandam esse cen-

(1) Epist. 41, n. 12.
(2) L. 2, Hom. 34 in Evang. n. 15.
(3) P. 3 Reg. pastor., c. 30.
(4) Io. 3, 5. (5) Io. 20, 23.
(6) Cf. Bellarmin. lib. 1, de Iustif. cap. 13.
(7) Matth. 5, 48. (8) § 378, n. 3.
(9) Matth. 7, 14.
(10) Matth. 11, 12

suerunt, ut cum doctrina catholica fere convenire videatur. Ita *Hugo Grotius* Epistolam canonicam Iacobi II, 14 exponens, hominem doctrina *Lutheri* imbutum ita loquentem inducit: « Opera quidem mea non recta sunt, sed fides recta est, ac propterea de salute non periclitor etc.; » ac deinde pergit: « Renata est hoc infelici saeculo ea sententia, et quidem sub nomine repurgatae doctrinae, cui omnes, qui et pietatem et salutem proximi amant, se debent opponere. Caeterum nulli cuiquam fides profuit sine tali opere, quale tempus permittebat, ut se Christo crucifixo conformem ostenderet. » *Georgius Bullus* in Harmon. apostol.(1) ita lamentatur: «De tali animi certitudine, qua quis nulla omnino conditione suspensus credit, peccata sibi remissa esse, plerosque omnes reformatarum Ecclesiarum Theologos, qui de fide, tanquam formali actu fidei iustificantis, loquuntur, intelligendos esse, nimis (proh dolor!) manifestum est. Fuit haec doctrina iam a multis annis opprobrium, ac dedecus reformatae Ecclesiae; neque est alia ulla, quam vel magis rideant, vel severiori stylo exagitent Pontificii (id est Catholici). Neque id immerito; est enim error non levis, error putidissimus, error (pene dixerim) in fide. » *Ioan. Gerardus* (2) ait: « Adcurate propter calumnias adversariorum notandum est, quod particula *sola* non determinet subiectum, quasi fides iustificans sit sola, ac a charitate ac a reliquis virtutibus separata; siquidem vera fides est viva, non mortua, est efficax per charitatem, non otiosa. » *Franc. Buddaeus* (3) scribit: « Si per opera bona in latiori significatu motus illi pii, bonique intelliguntur, qui ad contritionem pertinent, quales sunt peccatorum detestatio, propositum ea in posterum fugiendi, nullum plane est dubium, eiusmodi bona opera adesse in homine iustificando, eaque fidem praecedere. » Porro subiungit: « Opera illa semper cum fide coniuncta sunt, spes scilicet et charitas, et non possunt non praesentia esse, cum homo iustificatur, licet nulla ratione ad iustificationem concurrant. » Eadem doctrina in aliis Protestantium Theologis invenitur (4). Neque negari potest, eos, qui ita sentiunt, a doctrina, quam *Lutherus* apertissime propugnavit, et quae etiam in libris symbolicis exhibetur, longe recedere. Tacite ergo profitentur, *Lutherum* hac in re aberrasse et falsum protulisse. Quo posito, quaeri potest, an Protestantes Lutherum, ut legitimum Ecclesiae reformatorem divinitus missum habeant, an non? — Si primum, quomodo ab eius doctrina recedere audent? si secundum, quomodo propter auctoritatem viri, qui se talem iactitavit, qualis non fuit, et qui in re gravissimi momenti turpissime aberravit, Ecclesiam catholicam deserere potuerunt, omnibus verae Ecclesiae notis evidenter insignitam? —

Nota 2. Falluntur, ut observat cl. *Moehler*, qui existimant, doctrinam Protestantium de iustificatione, missis verborum ambagibus, eandem esse cum doctrina Catholicorum, et totam controversiam redire in logomachiam. Quamvis enim multi a cruda *Lutheri* sententia recedere, ac doctrinae catholicae appropinquare videantur, ab hac tamen longe distant, cum nihilominus iustificandi vim soli fidei, seu firmae in merita Christi fiduciae adscribant. caeterarum autem

(1) Edit. Londini 1703 p. 21.
(2) De locis theolog. t. 7, edit. Cotta p. 184.
(3) Instit. Theol. dogm. l. 4, cap. 4.
(4) V. Wiest t. 6, § 28, Dobmayr. t 7, § 232.

virtutum actus et opera bona, ut fidei comites, vel effectus, ad iustificationem et salutem haud necessarios considerent, ac ideo doctrinam catholicam de dispositionibus ad iustificationem requisitis et de bonorum operum necessitate criminari non desinant. Illi quoque longe distant, qui rationalismi principiis imbuti, cum Socinianis totam Redemptionis oeconomiam subvertunt; in publicis tamen institutionibus doctrinam librorum symbolicorum proponere obligantur et doctrinam Catholicorum vellicare non negligunt. Dantur Denique tales quoque, qui orthodoxae, ut dicunt, *Lutheri* doctrinae insistunt, et praecessorum suorum exemplo omnem lapidem movent, partim ut argumenta nostra enervent, partim ut sententiam suam ex Scripturis et rationibus probent: quorum obiectiones refellere oportet.

Obi. I. S. Iacobus loquitur in Epistola sua de iustificatione impii coram hominibus, quam ex operibus fieri dicit, quatenus haec fidem exterius manifestant; iustificatio autem in oculis Dei sola fide interna perficitur, quam ille intuetur. Hunc esse Apostoli sensum, patet ex eo, quia in eadem Ep. cap. II. v. 18 ait: *Ostendam tibi ex operibus fidem meam*, et quia ibidem v. 21 dicit, Abraham fuisse iustificatum per oblationem filii sui Isaac; quod certe nonnisi de iustificatione in conspectu hominum intelligi potest; nam coram Deo iamdiu iustificatus fuerat. Gen. XV, 6.

Resp. Cum Apostolus cap. II, v. 14 dicat: *Quid proderit - si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* manifeste ostendit, de ea iustificatione se loqui, quae ad salutem requiritur; haec autem procul dubio est iustificatio interna et in oculis Dei. Sensus vero v. 18 est: Tu inaniter et falso dicis, te fidem ad iustificationem et salutem requisitam habere, si opera non habes: ego autem coniungam fidem meam cum operibus, et iustificationem ac salutem consequar. Quod demum addit de Abraham, intelligendum est non de prima iustificatione, sed de secunda, scilicet de augmento gratiae sanctificantis, quod Abraham merito obedientiae consecutus est, iuxta illud: *Qui iustus est, iustificetur adhuc* (1). Eodem autem modo fit secunda iustificatio, ac prima, scilicet per fidem coniunctam cum bonis operibus.

Obi. II. S. Scriptura constanter fidei tribuit iustificationem, ac ita soli fidei tribuit, ut quaelibet opera excludat. Nam Rom. III, 28 scribit Apostolus: *Arbitramur, iustificari hominem per fidem sine operibus legis;* et ibid. (2): *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Ex quo concludit (3): *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei;* et (4): *Iustificati ergo ex fide.* Haec eadem repetit Gal. II, 16: *Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis;* et Ephes. II, v. 8: *Gratia estis salvati per fidem:* et alibi passim eadem inculcat. Ergo Paulus solam fidem iustificari docet.

Resp. Citata loca sententiam adversariorum nullatenus confirmare valent. Paulus enim non loquitur de fide in illorum sensu, seu de fiducia, qua quis certo credit, propter merita Christi peccata sibi remissa esse, sed per fidem intelligit fidem in Christum, seu firmum assensum revelationi a Christo allatae praestitum, ut

(1) Apoc. 22, 11. (2) C. 4, v. 2. (3) Ibid. v. 5. (4) Cap. 5, v. 1.

patet ex iis, quae § praec. dicta sunt. Ideo autem Apostolus iustificationem fidei adscribit, quia ipsa est prima ad iustificationem dispositio, ex qua reliquae prodeunt. Recte idcirco *Concilium Tridentinum* (1) docet: *Cum vero Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit: ut scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire.* — Sicuti autem fidei iustificatio adscribitur, aliis dispositionibus non nominatis; ita hincinde eadem iustificatio aliis dispositionibus tribuitur, quin reliquae exprimantur, ut patet ex tertio argumento superius allato. Nam iustificatio, seu peccatorum remissio adscribitur *timori* (2), *spei* (3), *dolori concepto de peccatis* (4), *dilectioni Dei* (5), *dilectioni proximi* (6), *elemosynae* (7), *Sacramentis* (8). Sicuti igitur in his locis, dum uni dispositioni iustificatio adscribitur, reliquae non excluduntur, sed subintelliguntur, ita pariter, dum fidei iustificatio adscribitur, reliquae dispositiones non excluduntur, sed subintelliguntur. Quod eo certius est, quo manifestius Paulus alio loco (9) declarat, illam solam fidem iustificare, *quae per charitatem operatur*. Imo S. *Chrysostomus* in verba Pauli (10): *Audiens fidem vestram et dilectionem in omnes sanctos* etc., haec observat: « Ubique (Paulus) coniungit et conglutinat fidem et dilectionem, bigam quamdam admirabilem.»

(1) Sess. 6, cap. 8.
(2) Eccli. 1, 27.
(3) Rom. 8, 24.
(4) 2 Cor. 7, 10.
(5) Luc. 7, 47.
(6) 1 Io. 3, 14.
(7) Luc. 11, 41.
(8) Io. 3, 5.

Et S. *Augustinus* (11) inquit: « Homines autem non intelligentes, quod ait ipse Apostolus: *arbitramur, iustificari hominem per fidem sine operibus legis*, putaverunt, eum dicere sufficere homini fidem, etiamsi male vivat et bona opera non habeat: quod absit, ut sentiret Vas electionis. » Et lib. de praedest. Ss.(12) causam subiungit, cur Apostolus Rom. III solius fidei meminerit, dicens: « Ex fide ideo (Apostolus) dicit, iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur caetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus iuste vivitur. » Neque difficultas ex eo exurgit, quod Apostolus bona opera penitus excludere videatur. Nam illa tantum opera excludit, quae praecedunt fidem sc. vocationem ad fidem, et quae, utpote mere naturalia, ad iustificationem supernaturalem disponere, vel hanc mereri non possunt: non excludit autem ea opera, quae fiunt ex fide in Christum per gratiam et auxilia supernaturalia. Scopus enim Apostoli in adductis locis est ostendere, iustificationem esse donum gratuitum, quod per opera solum naturaliter honesta, qualia Gentes iactabant, aut per opera ex sola legis mosaicae cognitione sine gratia ac fide in Christum facta, in quibus gloriam suam imo et iustitiam Iudaei collocabant, promereri nullatenus potuerit. Ex quo infert Apostolus, tam Iudaeos, quam Gentiles non fuisse consecutos vocationem et iustificationem, nisi per solam fidem in Christum ipsis gratuito concessam; quia, si quispiam potuisset iustificari ex operibus sine gratia factis, ac propterea sine fide in Christum, Christus gratis mortuus

(9) Gal. 5, 6.
(10) Ephes. 1, 15.
(11) Lib. de grat. et lib. arbitr. c. 7.
(12) Cap. 7

esset. Opera autem, quae fidem consequuntur et ex ipsa proveniunt, non reiecisse Apostolum, omnes eius Epistolae testantur, in quibus passim exhortatur fideles, ut eis strenue sese dedant.

Obi. III. S. Scriptura solius fidei meminit, quoties loquitur de iustificatione et remissione peccatorum. Sic Matth. IX, 22, et Luc. VII, 50 Christus ipse ait: *Fides tua te salvam fecit;* ac iterum Luc. VIII, 50: *Crede tantum et salva eris;* Io. I, 12: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius;* et Io. III, 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Quare Philippus ab Eunucho baptismum petente, solam fidem petiit, dicens: *Si credis ex toto corde, licet* (1): ergo fides ad iustificationem sufficit.

Resp. Matth. IX, et Luc. VIII non est sermo de iustificatione, sed de miraculis, statum corporis concernentibus; nempe de sanatione mulieris a fluxu sanguinis et de resuscitatione puellae defunctae. Miracula autem Christus patravit, dum miseri ad ipsum recurrentes, in eius potentia et bonitate confidebant, ut se missum a Patre ostenderet. Nullo autem exemplo ostendi potest, Christum peccatores ob solam fidem, seu fiduciam in eius merita iustificasse, quin alias dispositiones requireret. Equidem Luc. VII, 50 sermo est de muliere peccatrice, quae iustificata fuit; sed Christus, qui illi dixit: *fides tua te salvam fecit*, v. 47 dixerat: *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum;* ex quo patet, quod eam salvam fecit non sola et nuda fides, sed fides quae per charitatem operabatur. In sequentibus locis credenti, seu fidem habenti iustificatio et vita aeterna promittuntur, Io. I, 12, et III 36: sensus autem horum verborum est, credenti debito modo, seu fidem habenti vivam et charitate formatam, iustificationem addici et vitam aeternam: alias contradictio aperta in Evangeliis esset, cum Christus ipse dicat: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in coelis, ipse intrabit in regnum coelorum*(2). Quoad denique Eunuchum Reginae Candacis, Protestantes nullo modo probare possunt, Philippum ab illo exegisse, ut sine dubitatione credat sibi propter merita Christi remissa esse peccata: sed absque dubio Philippus ipsi ea, quae fide explicita credenda sunt, declaravit et plenum assensum in mysteria revelata exegit et quidem fidem vivam, cum spe et charitate coniunctam, quod verba ipsa innuunt: *Si credis ex toto corde*, i. e. si cunctis cordis affectibus te ad Deum convertis. Nam, ut observat *S. Augustinus* (3): « Scriptura tacuit, atque intelligenda dimisit caetera, quae cum illo spadone baptizando Philippus egit; atque in eo, quod ait: *baptizavit eum Philippus,* intelligi voluit impleta omnia, quae, licet taceantur in scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda. »

Obi. IV. In S. Scriptura ab actu iustificationis excluduntur etiam opera ex fide et gratia Christi facta. Nam Apostolus Rom. I, 16 ait: *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti; iustitia enim Dei revelatur in eo ex fide in fidem;* ergo non ex fide in opera, quae fides inchoët. Eodem sensu dicitur (4): *Iustus ex fide vivit:* ergo fides, et quidem sola vitam quam inchoavit, continuat. Id

(1) Act. 8, 37. (2) Matth. 7, 21.
(3) Lib. de fide, et oper. cap. 9.
(4) Habac. 2, 4; Rom. 1, 17.

illustratur exemplo Abrahami, de quo (1) dicitur: *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Loquitur autem Apostolus de tempore, quo Abraham iam fidelis erat et ex fide operabatur (2). Ergo ab Apostolo non solum opera naturaliter sine fide et gratia facta, sed etiam opera ex fide et gratia facta, seu dispositiones, quae iuxta Catholicos ex fide et gratia procedunt, ab actu iustificationis excluduntur.

Resp. Non obstantibus his adversariorum cavillationibus, certum est, Apostolum ab actu iustificationis excludere opera mere naturaliter facta, non autem opera, seu dispositiones, quae ex fide procedunt, et per gratiam Christi procedunt. Si talia opera excludere voluisset, nequaquam (3) dixisset, illam iustificare fidem, *quae per charitatem operatur*. Quinimo si, ut adversarii fingunt, Apostolus opera excludit etiam ex gratia facta, non video, cur non debeat etiam fidem excludere, quae inter bona opera et ipsa numeratur, dicente Domino: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille* (4). — Neque sententia adversariorum per loca adducta confirmatur. Nam Rom. I, 17 Paulus dicit: *Iustitia Dei*, idest, iustitia, quae nos coram Deo iustos reddit, oritur non ex lege, ut Iudaei putant, non ex naturae viribus, ut opinantur Graeci, sed *ex fide* in Iesum Christum, et ex fide inchoata et imperfecta crescit *in fidem* perfectam et charitate formatam. Si iustus dicitur ex fide vivere, intelligitur fides viva, quae per charitatem operatur, non autem fides mortua, utpote operibus destituta; nam quod mortuum est, alteri vitam praebere non potest. Exemplum Abrahae adducit Apostolus, ut probet doctrinam iam Rom. I, 17 propositam, et ita argumentatur: Si Abraham iustificatus est ex operibus non procedentibus ex gratia fidei (ut ii putabant, qui suis viribus tribuebant iustitiam) certe habuit *gloriam*, *sed non apud Deum*, id est, in conspectu Dei iustus non fuit. Et quoniam satis constat, Abraham habuisse gloriam apud Deum, inde colligit, eum non esse iustificatum ex operibus sine fide, sed ex fide, ex qua opera vere bona procedunt. Placuit nempe Abraham Deo tum per primam fidem, qua iustificatus est, ac deinceps semper magis placuit, quia hac fide instructus nova semper opera edidit, quae meritum suum ex fide influente in ea consequebantur. Hinc Abrahami iustificationem, quam Paulus fidei adscribit, Iacobus (5) operibus adscribit, dicens: *Abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?* Neque tamen hi duo Apostoli sibi contradicunt, quia fides cum operibus ad iustificationem concurrit, per opera vero ista non opera mere naturalia, sed opera ex fide et gratia facta iuxta utriusque doctrinam intelligenda sint. Hinc *S. Augustinus* (6) dicit: « Non sunt sibi contrariae duorum Apostolorum Pauli et Iacobi sententiae, cum dicit unus, iustificari hominem per fidem sine operibus, et alius dicit, inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operibus, quae fidem praecedunt, iste de iis, quae fidem sequuntur. »

Obi. V. Ss. Patres soli fidei iustificationem adscribunt. *S. Hilarius* (7) ait: « Fides sola iustificat. » *S. Ambrosius* seu Auctor Comment. in Ep. ad Rom. (8) inquit: « Sola fide iu-

(1) Rom. 4, 2. (2) Gen. 15. (3) Gal. 5, 6.
(4) Io. 6, 29. (5) Cap. 2, v. 21.
(6) Lib. 83 qq., quaest. 76.
(7) Cap. 8 in Matth., n. 6. (8) In cap. 3.

stificati sunt dono Dei. » *S. Chrysostomus* (1) dicit: « Fidelem absque operibus possum monstrare et vixisse et regnum coelorum assecutum. Nullus sine fide vitam habuit; latro autem credidit tantum et iustificatus est. » *S. Augustinus* c. duas Ep. Pelag. (2) scribit: « Quantaelibet fuisse virtutis antiquos praedices iustos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris. » Et lib. de fide et oper. (3): « Sequuntur (opera) iustificatum, non praecedunt iustificandum. » *S. Basilius* (4) inquit: « Haec est perfecta et integra gloriatio in Deo, quando neque ob iustitiam suam quis se iactat, sed novit quidem seipsum verae iustitiae indignum, sola autem fide in Christum iustificatum. » *S. Leo M.* (5) ita loquitur: « Hoc est quod iustificat impios, hoc est quod de peccatoribus facit sanctos; si in uno eodemque Domino Iesu Christo et vera Deitas et vera credatur humanitas. » Demum *S. Bernardus* (6) dicit: « Quisquis pro peccatis compunctus esurit et sitit iustitiam, credat in te, qui iustificas impium, et solam iustificatus per fidem, pacem habebit ad te. »

Resp. Patrum sententiae adversariis nullatenus favent, quia non loquuntur de fide, qua quis certo credit, sibi propter merita Christi remissa esse peccata, sed per fidem intelligunt firmum assensum Revelationi a Christo allatae praestitum. Neque firmum hunc assensum ad salutem sufficere putarunt, sed praeter fidem etiam opera ex gratia Christi facta, ad iustificationem clare et diserte requisierunt, ut ex plurimis eorum testimoniis constat. Quinimo Protestantes ipsi fatentur, Patres in articulo de iustificatione per solam fidem sine operibus, sibi contrarios esse. *Lutherus* in brevi Confess. de Sacram. scribit: « Ego neminem scio, qui de fide et operibus recte iudicare potuerit, exceptis Apostolis... In caeteris libris nequaquam invenitur. » *Melanchthon* (7) ait: « Statim initio Scriptores veteres obscurarunt doctrinam de iustitia fidei. » *Centuriatores Magdeburgici* Cent. 2 (8) dicunt: « Adeo hic articulus omnium summus ac praecipuus, paulatim artificio diaboli obscurari coepit. » Centur. 3 (9): (Patres tertii saeculi) «iustitiam coram Deo operibus tribuerunt, ut videatur magna ex parte hunc summum articulum de iustificatione obscuratum esse. » Cent. 4 (10): « Iam cogitet pius lector, quam procul haec aetas in hoc articulo ab Apostolorum doctrina desciverit. » Cent. 5 (11): « Operibus in iustificatione hominis coram Deo etiam nimium tribuunt huius saeculi Doctores plerique. » His praemissis, facile est, ad textus citatos singillatim respondere. *S. Hilarius* per vocem *sola* tantum excludit legem mosaicam, de qua loquebatur, idemque est, ac si diceret: *Lex* mosaica non iustificat, sed sola fides in Christum, quod patet ex eo, quia ibidem ait, hominem fuisse ab illo peccato liberatum, « quod lex lavare non poterat; fides enim sola iustificat. » Eodem sensu loquitur *Ambrosiaster*, spectans opera elicita absque fide: caeterum hic idem auctor ad cap. 4 Ep. ad Hebr. haec habet: « Magna res est fides et salutaris, et sine hac non est salvari possibile; sed sola fides non sufficit. Operari fidem per dilectionem necessarium est, et conversari digne Deo. » *S. Chrysostomus* de operibus tantum externis

(1) Hom. de Fide n. 1.
(2) L. 1, c. 21, n 39. (3) C. 14.
(4) Hom. de humilit. (5) Ser. 4 de Epiph.
(6) Serm. 22 in Cantica.
(7) In 1 ad Corinth. cap. 3.
(8) Columna 60. (9) Col. 79.
(10) Col. 293.
(11) Col. 504.

loquitur et hoc discrimen inter opera et fidem esse docet, quod sine fide nemo possit ad iustificationem et salutem pervenire, bene vero sine operibus externis. Non tamen putandum est, excludi internos spei et charitatis, aliarumque virtutum actus; contrarium enim patet vel ex solo pii latronis exemplo. Quis enim sibi persuadeat, illum dumtaxat credidisse in Christum, non autem sperasse, dilexisse, poenituisse et ita animo fuisse comparatum, ut praeterita scelera, quibus maxime posset, pietatis operibus compensaret, si longior ei vita obtigisset? imo extremum crucis supplicium ad criminum expiationem divinae iustitiae obtulisse? tales animi sensus profecto manifestabat, dum criminum et poenae socium, Christum blasphemantem, increpabat (1). *S. Augustinus* in priori loco, aliisque similibus nihil aliud docet, nisi iustos V. T. fuisse eadem Christi fide et gratia iustificatos, qua et nos iustificamur, non tamen sepositis aliis bonorum operum dispositionibus. Hoc autem docebat ad convellendum Pelagianorum errorem dicentium, « homines primo salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum; quasi hominibus duorum superiorum temporum, ante legem scilicet et in lege, sanguis Christi non fuerit necessarius; evacuantes quod dictum est I Tim. II: *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.* » In altero loco S. Doctor de operibus tantum vivis loquitur et vitae aeternae meritoriis, quibus lex adimpletur et merces aeterna debetur: talia opera meritoria ante iustificationem perfici nequeunt. Caeterum *S. Augustinus* in citato libro totus in eo est, ut fidem sine operibus non prodesse ostendat. *S. Basilius* excludit tantum opera, quae fiunt sine fide et gratia divina, monetque, ut unusquisque sibi persuadeat, se nihil iustitiae a se habere, sed quidquid habet, donum esse Dei. *S. Leo M.* loquitur de fide catholica per oppositionem ad falsas sectas haereticorum, in quibus salus haberi nequit. *S. Bernardus* loquitur ibi, ut ex eius verbis patet, de fide viva, coniuncta cum charitate, compunctione, proposito etc., idemque est, ac si dixisset: qui toto corde aversatur peccatum et cupit operibus poenitentiae Domino satisfacere, etiam antequam ista opera aggrediatur, per fidem vivam et charitatem ferventem Deo reconciliatur. Mentem suam mellifluus Doctor clarissime aperuit, tum alibi saepius, tum praecipue Serm. XXIV in Cantic. dicens: « Non facit hominem rectum fides etiam recta, quae non operatur ex dilectione. » Et infra: « Neque opera sine fide, neque fides sine operibus sufficit ad animi rectitudinem. »

Obi. VI. Iustificatio est omnino gratuita iuxta Pauli effatum: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu* (2). Atqui si timor, spes, charitas, etc., tanquam praeviae dispositiones requiruntur, iustificatio non esset gratuita; nam iuxta talem doctrinam peccator deberet aliquid conferre ad iustificationem, se praeparare, disponere, dignum reddere, atque ideo non gratis accipit iustitiam, sed merito dispositionis.

Resp. Eadem difficultas etiam Protestantibus obiici potest. In ipsorum enim systemate peccator fidem concipere, seu sine haesitatione credere debet, sibi propter merita Christi remissa esse peccata. Ergo etiam dici potest: si fides ista tanquam praevia dispositio requiritur, iustificatio non

(1) Luc. 13, 40 etc. (2) Rom. 3, 24.

est gratuita, quia peccator per fidem merita Christi apprehendere et sibi applicare debet. Huic vero difficultati se subducunt dicentes, ipsam fidem, quam iustificationis instrumentum appellant, a Deo excitari et gratuitum esse donum Dei. — Ast eodem modo Catholici quoque propositam sibi difficultatem facile e medio tollunt. Nam etiam in doctrina catholica verissimum est, quod *simus iustificati gratis per gratiam, per redemptionem quae est in Christo Iesu*. Christus enim ex gratuita charitate redemptionem operatus est, quam nemo hominum mereri et sine qua nullus iustificari potuisset; ex quo sequitur, iustificationem semper esse gratuitum donum Dei, profluens ex redemptione peracta a Christo. Id profitetur Ecclesia catholica, cum in *Concilio Tridentino* (1) dicit: Est autem causa iustificationis *meritoria dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit*. Ad hanc consequendam equidem praeter fidem etiam aliae dispositiones requiruntur. Sed iuxta doctrinam catholicam sicut ad fidem, ita etiam ad reliquas dispositiones necessaria est gratia, quae est gratuitum donum Dei. Ecclesia enim in eodem Concilio (2) definit: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo; anathema sit*. Et (3): *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit*. Recte idcirco cl. *Car. Sardagna* propositae obiectioni respondens inquit: « Triplici de causa iustificari dicimur *gratis:* 1° quia nullus homo per opera fidem praecedentia meretur iustificationem; 2° quia, quidquid ad iustificationem conducit, gratuitum est Dei donum, sicut et fides. Unde sicut fides non habet rationem meriti, saltem de condigno, quam iustificatio sequatur tanquam merces: ita meriti rationem non habent spes, charitas, poenitentia, aliique actus ad iustificationem conducentes; 3° quia posito actu fidei, spei, charitatis etc., adhuc ex mera Dei liberalitate sequitur infusio gratiae et peccatorum remissio: ac proinde, sicut actus fidei, sic et actus caeteri iustificationem mereri non possunt, cum omnes hi actus non eliciantur in statu gratiae, quae est principium meriti proprie dicti, sive de condigno. Accedit, quod gratia ad conversionem nostram congrua et efficax detur ex mera liberalitate, ex sola misericordia et affectu singulariter benevolo erga iustificandum, cum loco huius potuerit Deus dare mere sufficientem gratiam. » Ita disserit Auctor, systemati *Molinae* addictus; ex quo patet, omnino falso *Moshemium* cum aliis asserere, saltem ex systemate Moliniano sequi, iustificationem gratuitam non esse (4).

Obi. VII. Iuxta doctrinam catholicam dilectio, tanquam dispositio, praecedit iustificationem, quae est charitas Dei diffusa in cordibus nostris: sed iuxta doctrinam Scripturae charitas Dei, seu iustificatio praecedit dilectionem nostram; nam I Io. IV, 10 dicitur: *Non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse*

(1) Sess. 6, cap. 7.
(2) Sess. 6, can. 1. (3) Can. 3.

(4) V. Sardagna Th. dogm. pol. t. 5, art. 2 Contr. 4, n. 438.

prior dilexit nos. Ergo prior est in nobis iustificatio quam charitas, quae est bonorum operum initium.

Resp. Deus diligere dicitur, cum bona tribuit (1), et praecipue cum gratias supernaturales hominibus impertitur. Deus autem distribuit tum gratias actuales, tum gratiam habitualem. Cum Deus peccatori concedit gratiam actualem, per quam ipsum praevenit, et excitat ad fidem et reliquas dispositiones ad iustificationem requisitas, certum est, quod dilectio Dei praecedit dilectionem hominis: ast si homo per gratiam actualem excitatus et adiutus non solum credit, sed et sperat, diligit, ac reliquas dispositiones ponit, dein iustificatur, et accipit gratiam habitualem, quae est charitas Dei diffusa in cordibus nostris: et in hoc sensu dilectio hominis praecedit charitatem Dei. Utrumque admittendum est; nam si vera sunt verba Ioannis: *Ipse prior dilexit nos;* vera sunt etiam verba Dei: *Ego diligentes me diligo* (2); et verba Christi: *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (3). Iustificatio ergo est quidem prior, quam charitas habitualis, quam Deus nos diligendo per Spiritum sanctum diffundit in cordibus nostris, et quae est initium bonorum operum de condigno meritoriorum, sed non est prior charitate actuali, cuiusmodi ad iustificationem una cum fide requiritur (4).

Obi. VIII. Si requiruntur opera ad iustificationem, et haec per varias dispositiones, quas homo ponit, obtinetur, iustificatus poterit gloriari de obtenta gratia, contra illud Apostoli (5): *Ubi est ergo gloriatio tua? exclusa est:* admitti igitur non potest per dispositiones praemissas, se per opera bona iustificationem obtineri. Ideo *Lutherus* (6) scribit: «Humiliari penitus non potest homo, donec sciat prorsus extra suas vires consilia, studia, voluntatem, opera omnino ex alterius arbitrio, consilio voluntate, opere, suam pendere salutem, nempe Dei solius. Siquidem quamdiu persuasus fuerit, sese vel tantulum posse pro salute sua, manet in fiducia sui, nec de se penitus desperat; ideo non humiliatur coram Deo, sed locum, tempus, opus aliquod sibi praesumit, vel sperat, vel optat saltem quo tandem perveniat ad salutem. Qui vero nihil dubitat totum in voluntate Dei pendere, is prorsus de se desperat, nihil eligit, sed expectat operantem Deum; is proximus est gratiae, ut salvus fiat.» Ad hanc humilitatem insinuandam *Lutherus* necesse esse dicit, ut doctrina de sola fide iustificante praedicetur.

Resp. Argumentum retorquere licet: si fides ad iustificationem requiritur, iustificatus poterit gloriari, quod per fidem, seu fiduciam in se excitatam arripuerit merita Christi, et iustificationem obtinuerit; neque Protestantes alio modo hanc difficultatem effugere possunt nisi iterum dicendo, ipsam fidem a Deo excitari, eam gratuitum esse donum Dei, ac ideo hominem de ipsa gloriari non posse. Ast eodem modo Catholici allatam obiectionem explodunt. Recte enim adversarii argumentarentur, si iuxta doctrinam catholicam homo per vires suas naturales requisitas ad iustificationem dispositiones afferre, seu bona opera perficere posset. Sed a tali errore longissime distat doctri-

(1) § 40, n. 1.
(2) Prov. 8, 17.
(3) Io. 14, 23.
(4) Cf. Moehler Symbol. § 18, lit. b.
(5) Rom. 7, 27.
(6) T. 3, opp. p. 176, b) adv. Erasm. Roterd.

na catholica, quae gratiam praevenientem et adiuvantem ad quemlibet actum salutarem necessariam dicit. Itaque, ut iterum loquitur *Car. Sardagna* (1): « Illud ipsum, quod nos disponendo ac praeparando conferimus ad nostram iustificationem, accepimus a Deo, adeoque gloriari non possumus, nisi in Domino. Nam 1° accepimus vires, potentiam et sufficientiam; sine gratia enim praeveniente nequidem possumus nos disponere et praeparare ad iustificationem : 2° accepimus gratiam non qualemcunque, sed congruam et efficacem, sine qua nunquam nos disposuissemus : 3° accepimus a Deo auxilium adiuvans et cooperans, omnino necessarium ad ipsam actualem praeparationem, et dispositionem. Ergo licet aliquid conferamus ex nobis, tamen cum hoc ipsum acceperimus a Deo, non possumus de illo gloriari tanquam de re nostra, sed Dei, cuius etiam donum est. Hinc Apostolus (2) scribit: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.*» Talis doctrina adeo humilitati contraria non est, ut potius eius fundamentum rectissime dicatur. Doctrina *Lutheri* potius humilitatem e medio tollit. Nam si sola fides iustificat, sicut de aliis virtutibus, ita etiam de humilitatis sensibus curandum non est. Et quomodo illa doctrina humilitatem promovebit, quae iubet hominem de obtenta iustificatione certum reddere conatur, ut ne minimam quidem propriae indispositionis formidinem admittat? — *Lutherus* quidem humilitatem maximi aestimare et commendare videtur: sed iuxta ipsius principia nulla datur in homine interna virtus vera et Deo accepta, quia homo per peccatum originale totus corruptus fuit, et etiam post adeptam iustificationem interius talis manet: ergo iuxta ipsius principia etiam vera humilitas in homine dari non potest. Quam absurde ergo *Lutherus* asseruit, se doctrinam de sola fide iustificante ad humilitatem insinuandam proposuisse, quam tamen existere in homine posse negavit! — Rectissime cl. *Moehler* (3) dicit, Protestantium doctrinam contradictionibus scatere, atque ideo concludit: « Vel doctrina, quod nulla vera humilitas detur, vera est, et dein talis doctrina nullam veram humilitatem producere potest: vel datur vera humilitas, et dein illa doctrina falsa est.»

(1) Th. dogm. pol. t. 5, a. 2, Contr. 4, n. 444.

Usus doctrinae de dispositionibus ad iustificationem requisitis.

§ 467. 1. Quicunque gratiam sanctificantem per peccatum mortale amissam recuperare desiderat, gratiae vocanti sine mora parere, seque magno studio ad iustificationem praeparare et disponere tenetur. Et in primis fides, quae est radix et fundamentum iustificationis, sedulo in corde excitanda est. Non sufficit autem firmus assensus Deo revelanti praestitus, sed veritates revelatas attenta et devota mente perpendere oportet, ut ex fide, gratia divina adiuvante, reliquae dispositiones ad iustificationem requisitae progignantur. Considerandum nempe est, quam malum et amarum sit, Dominum per peccatum dereliquisse, et quam terribiles tum temporales, tum aeternas poenas infinita Dei iustitia peccatoribus minetur, ut salutari timore cor concutiatur. Oculos etiam convertere oportet in infinitam Dei misericordiam, in promissiones divinas solatii plenas, et in immensa merita Christi, ut mens deiecta in spem et fiduciam erigatur. Animo denique peccator revolvere debet infinitas Dei perfectio-

(2) 2 Cor. 10. (3) Symbol. § 18, lit. o.

nes, innumeraque beneficia divina per creationem, conservationem, redemptionem etc. obtenta, ut initialem saltem erga Deum, omnis iustitiae fontem, amorem concipiat, de peccatis commissis doleat, vitam suam emendare proponat, et sic ad recipiendam per sacramenta iustificationem disponatur. Nihil idcirco a Ss. Doctoribus magis tum iustis, ut in virtutibus proficiant, tum peccatoribus, ut resipiscant, commendatur, quam seria veritatum fidei meditatio. Nam, ait *S. Bernardus* (1): « Sedula meditatio non remanet extra, non haeret in superficie, sed ulterius pedem figit, interiora penetrat, singula rimatur, et masticando ac rimando succum elicit, et transglutiendo usque ad cordis intima transmittit. » Et alibi (2): « Consideratio rerum particularium mentem, de qua oritur, purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat, agenda praeordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat incorrectum, aut correctione egens. »

2. Lugenda experientia testatur, etiam inter fideles non paucos facile in peccata labi, et difficillime a peccatis resipiscere, quia veritates fidei corde quidem credunt, sed mente non perpendunt, ita ut cum Ierem. (3) dicendum sit: *Desolatione desolata est terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Idcirco pastores animarum huic defectui occurrere, magnaque diligentia fidelibus veritates fidei, praecipue in sacris concionibus proponere, explicare et inculcare debent, et illas maximopere, in quibus efficacia timoris, spei et amoris motiva continentur, ut tali modo peccatores ad seriam cordis conversionem excitentur, et ad iustificationem disponantur. Ita fiet *vivus sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis* (4).

(1) In scala claustr. c. 3.
(2) L. 1 de Consid. cap. 7. (3) C. 12, 11.

ARTICULUS IV.

De proprietatibus iustificationis.

§ 468. 1. Inter proprietates iustificationis primo loco haec recensenda est, quod sit *gratuita* seu *vera gratia*. Ad quod probandum ea inserviunt quae § 439 dicta sunt. Et sane - si gratia actualis gratuita est, multo magis id dicendum est de gratia sanctificante, cuius excellentia (5) tanta est, ut eam nullus homo de condigno promereri possit, quod sequenti articulo probabitur. Idcirco Paulus iustificationem ut gratiam exhibet, quam Deus ob merita Christi ex gratuita misericordia hominibus confert. Ait enim (Ep. ad Rom.): *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu* (6). Ad Eph.: *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis. Dei enim donum est. Non ex operibus, ne quis glorietur* (7). Ad Tit.: *Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* (8). Homines equidem non per solam fidem, sed et per alios actus, seu opera bona se ad iustificationem disponere debent. Sed ideo iustificatio non desinit esse gratuita, seu vera gratia, tum quia dispositiones solum ope gratiae actualis praevenientis et adiuvantis perficiuntur, tum quia istae dispositiones seu opera iustificationem de condigno non merentur. Quod docet *Concilium Tri-*

(4) Hebr. 4, 12. (5) § 454. (6) Rom. 3, 24.
(7) Ephes. 2, 8 etc. (8) Tit. 3, 5.

dentinum (1) dicens: *Nihil eorum, quae ipsam iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera iustificationis gratiam* promeretur (2). — Non solent autem Theologi de hac iustificationis proprietate in specie agere, tum quia de gratuitate gratiae alibi agitur, tum quia hac in re Protestantes nobiscum consentiunt. Dantur autem iustificationis proprietates, circa quas Protestantes aberrant, et quae ideo fusius pertractandae sunt.

2. Quemadmodum *mala arbor malos fructos facit* (3); ita ex falsis principiis falsa corollaria prodeunt. Idcirco Protestantes, qui de iustificationis natura, et de eiusdem causa formali et instrumentali falsa principia statuerunt, etiam circa iustificationis proprietates in graves errores prolapsi sunt. Ac *primo* quidem aiunt, hanc iustificationem esse certam certitudine fidei, adeo ut quisque credere teneatur, sed Deo esse charum et acceptum per iustitiam imputativam Christi, vel Dei. *Secundo* inferunt, hanc iustificationem aequalem esse in omnibus, cum sit ipsa iustitia Christi, vel Dei per fidem apprehensa et imputata. *Tertio* contendunt, hanc iustificationem esse inamissibilem, nisi ipsa fides amittatur, iuxta Lutheranos parum sibi cohaerentes, vel inamissibilem absolute iuxta Reformatos seu Calvinistas. His tribus erroribus tres propositiones catholicas opponimus, et contra adversarios propugnamus.

I. *Nemo, absque speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua iustificatione, nec fide proinde tenetur credere, se esse iustificatum.*

§ 469. Iuxta Novatorum placita in hominis iustificatione Deus solus activus est, homo autem, cuius liberum arbitrium per peccatum originale extinctum fuit, mere passivum se habet. Deus vero in ipsorum systemate excitat in homine, quem iustificare intendit, fidem in promissam propter merita Christi remissionem peccatorum, et ex hoc inferunt, hominem, qui hanc misericordiae divinae operationem in se experitur, omnino certum esse posse et debere, quod a Deo iustificatus sit. Ideo *Lutherus* docuit, quemlibet de sua iustificatione ita certum esse posse, quemadmodum de aliis fidei articulis certus est. *Melanchthon* (4) inquit: « Certissima sententia est, oportere nos certissimos semper esse de remissione peccati, de benevolentia Dei erga nos qui iustificati sumus. — Et norunt quidem fide sancti, certissime se esse in gratia, sibi condonata esse peccata. Non enim fallit Deus, qui pollicitus est se condonaturum peccata credentibus. » In Apolog. (5) dicitur: « Non diligimus, nisi *certo* statuant corda, quod donata sit nobis remissio peccatorum; » et ib. (6): « Hanc certitudinem fidei nos docemus requiri in Evangelio. » Eandem sententiam *Calvinus* recepit, qui lib. III Instit. (7) ita loquitur: « Vere fidelis non est, nisi qui solida persuasione, Deum sibi propitium benevolumque patrem esse, persuasus, de eius benignitate omnia sibi pollicetur: nisi qui divinae erga se benevolentiae promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem praesumit. » Ex quibus dictis patet, iuxta Novatorum sententiam quemlibet fidei certitudinem de sua iustificatione non solum habere posse, sed eandem etiam in mente concipere debere, ut vere iustificatus sit, adeoque hanc

(1) Sess. 6, cap. 7.
(2) Cf. § praec. Resp. ad obi. 6
(3) Matth. 7, 17. (4) In loc. theolog.
(5) Ap. 4. § 40. (6) Ap. 12 de poenit. § 20.
(7) Cap. 2, § 16.

fidei certitudinem animo conceptam, non tam effectum, quam potius causam ipsius iustificatonis esse. — Iuxta doctrinam catholicam liberum hominis arbitrium per peccatum originale attenuatum quidem, sed non extinctum fuit: remansit ergo id in homine, quod gratiam divinam libere recipiat, et cum illa cooperetur; unde fit, ut in iustificatione cum activitate Dei etiam activitas hominis concurrat. Ex his vero principiis corollaria a placitis Protestantium penitus diversa deducenda sunt. Catholici equidem cum Protestantibus profitentur, in Ss. Scripturis clare ac perspicue contineri, ac proinde fide divina, cui nullo modo falsum subesse possit, credendam esse promissionem remissionis peccatorum, a Deo rite et legitime poenitentibus factam. At vero, cum promissio haec sit tantum conditionata, si nempe peccatores rite ac legitime poenitentiam egerint, adimpletam autem fuisse ab istis hanc conditionem, neque ex Ss. Scripturis ostendi possit, neque ordinarie per revelationem Dei privatam habeatur; recte negant Catholici, fide divina credi posse aut debere, sibi in particulari, aut alteri cuicunque peccata a Deo fuisse remissa. Equidem in doctrina catholica admittitur, eos, quibus Deus specialiter revelavit, remissa ipsis esse peccata, posse ac debere id fide divina credere, eo quod auctoritas Dei quaecumque placuerit revelantis, firmissimum semper assensum exigat. Quamvis autem certum sit, remissionem peccatorum *Magdalenae*, *Paralytico*, *Zachaeo*, *Latroni in cruce* paucisque aliis specialiter revelatam fuisse, ordinarie tamen negamus, huiusmodi revelationem haberi; qua deficiente, fidei certitudo de obtenta iustificatione haberi nequit. Non tamen omnem de obtenta peccatorum remissione certitudinem Catholici negant. Nam si peccator, gratia Dei praeventus et adiutus, praemissis debitis dispositionibus baptismi aut poenitentiae sacramentum recipiat, et postea peccata fugiendo, et iustitiam sectando se in alium hominem mutatum ostendat, in firmam spem erigi, et de obtenta iustificatione habere potest certitudinem, ut aliqui theologi volunt, *moralem*, quae omnem prudentem formidinem de opposito excludit, vel potius, ut alii theologi accuratius loquuntur, *conjecturalem*, quae nititur bono conscientiae testimonio, ex quo pax et tranquillitas conscientiae oritur, qua passim iusti fruuntur. — Facile autem ostenditur, doctrinam catholicam revelationi omnino consonam esse, et ab hac doctrinam Protestantium abhorrere. Nemo enim, absque speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua iustificatione, atque ideo multo minus talem fidei certitudinem in mente sua concipere tenetur, ut iustificetur, vel iustificatus maneat. Id *ex S. Scriptura, ex Traditione et rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* docet, hominem, absque speciali revelatione, de sua iustificatione infallibiliter certum esse non posse. Prov. XX, 9 ait Salomon: *Quis potest dicere: Mundum est cor meum? purus sum a peccato?* quae, verba proferuntur, non quod in hac vita nullus sit vere mundus; secus David a Deo non petiisset: *Cor mundum crea in me Deus* (1); neque ideo, quod homo saepe labatur in peccata venialia; haec enim non impediunt, quominus homo mundus et iustus dicatur (2); sed quia illi ipsi, qui mundi sunt, nullum de sua munditia, id est, de sua iustitia testimo-

(1) Ps. 50. (2) Io. 13, 10; Cf. § 240.

nium infallibile habent. Prov. XXI, 2 legitur: *Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus;* quibus verbis optime Salomon distinguit iudicium hominis de statu suo morali a iudicio Dei, hoc infallibile, illud vero fallibile esse iudicans. Eccle. IX, 1 dicitur: *Sunt iusti atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta;* ubi Salomon loquitur de iustis, de amore et odio secundum praesentem iustitiam, vel iniustitiam, aitque unam ex miseriis vitae, eamque non minimam esse, quod homines iusti quoque de statu gratiae et de amore Dei infallibiliter certi non sint, sed merito formidare possint, ne forte non sint vere iusti, cum omnia in futurum serventur incerta. Eccli. V, 5 hoc monitum datur: *De propitiato peccato noli esse sine metu;* quibus verbis formidare iubemur, ne forte ob peccatum illud, quod nobis remissum fuisse videtur, puniamur et damnemur; quia forte remissum non fuit, deficiente ex parte nostra sincera et legitima poenitentia. Neque dici potest, his verbis timorem nobis incuti, ne propter remissum iam peccatum audaciores fiamus ad iteranda peccata, facilem a Deo veniam nobis promittentes; nam si hic esset Spiritus sancti scopus dixisset: *Post propitiatum peccatum,* et non *de propitiato peccato;* hic vero loquendi modus ostendit, metum incuti de peccato praeterito et non de futuro. Timere nempe nos iubet Spiritus sanctus, ne culpa nostra peccata nobis remissa non fuerint, atque hac cogitatione vult etiam nos deterreri a peccando in posterum, cum incerta sit peccatorum tum praeteritorum, tum futurorum remissio. Paulus I Cor. IV, 3 etc., vel antequam peculiari revelatione de propria gratia certior fieret, vel in persona iustorum, ut sentiunt *S. Chrysostomus* et *Theophylactus*, perspicue asserit, non posse ordinarie a iustis in hac vita iudicium certum ac infallibile ferri de propria gratia, seu de obtenta iustificatione; ait enim: *Sed neque me ipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo.* Quibus verbis Paulus deterret Corinthios a iudiciis temerariis, quibus unus ab alio aut iustus, aut peccator iudicatur. Ostendit autem, iudicium de nostra iustitia Deo esse relinquendum, cum ne nos quidem ipsi nos plene cognoscamus. Quod autem Paulus de se ipso profitetur, optime valet ad vanam adversariorum praesumptionem confundendam. Asserere enim isti non verentur, iuxta doctrinam Pauli, quemlibet fidei certitudinem de obtenta per merita Christi peccatorum remissione habere debere, et hanc ipsam fidem hominem infallibiliter iustificare, ita ut nulli dubio, nulli haesitationi locus concedendus sit. At si ita est, certe Paulus tam firmam fidem concepit, omnemque haesitationem exulavit, quoniam dixit: *Nihil mihi conscius sum,* id est, non scio, me aliqua eorum neglexisse, quae praecepta, et ad consequendam iustificationem necessaria sunt. Per firmissimam istam fidem Paulus iuxta sententiam Protestantium iustificatus fuisset; sed Apostolus apertissime contrarium dicit, immediate subiungens: *Sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est;* quibus verbis Paulus perspicue pro-

fitetur, se omnia quidem ad iustificationem necessaria implevisse, et tamen de accepta iustitia fidei certitudinem non obtinuisse. Caeterum; quantum Paulus a doctrina Protestantium alienus sit, ex aliis quoque locis manifestum est. Cum enim isti clamitent, hominem de sua iustificatione fidei certitudinem concipere, et omnem haesitationem excludere debere; Paulus fidelibus acclamat: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini* (1); et: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat* (2).

2. *Ss. Patres* negant, hominem sine speciali revelatione, fidei certitudinem de sua iustificatione habere posse. *S. Ambrosius* (3) exponens haec verba: *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum;* ita loquitur: « Sui volebat auferri opprobrium, quod suspicatus est, vel quia cogitaverat in corde et non fecerat, et poenitentia licet abolitum, suspectus tamen erat, ne forte maneret eius opprobrium et ideo Deum precatur, ut illud auferat, quia solus novit, quod nescire potest etiam ipse, qui fecit;» et addit testimonium Apostoli: *Nihil mihi conscius sum* etc. *S. Basilius* in Constit. Monast. (4) ait: « Multa peccantes, plurima non intelligimus. Quapropter dicit Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum,* hoc est, multa pecco et non intelligo.» Et Serm. de humilit. (5) cum proposuisset exemplum Pharisaei, qui seipsum iustum reputans reprobatus est, ac Publicani, qui se humilians iustificatus est, inquit: « Noli te extollere, — noli te prae alio iustificare, ne forte aliquando, quamvis tuo iudicio iustificatus sis, a Deo reproberis. *Sed neque me ipsum iudico,* ait Paulus, *nihil enim etc.* » *S. Chrysostomus* (6) Petrum sic loquentem inducit: «Propterea contristatus sum, ne forte me amare arbitratus, non amem; ut ante, cum me fortem et constantem putarem, imbecillis inventus sum. » Idem (7) inquit: « Multis de causis incertum est nostrum iudicium, una, quod multa opera nostra nos lateant etc.» et in I Corinth. (8) iuxta verba Apostoli praesumptionem illorum carpens, qui de interna hominum iustitia iudicium ferunt, ita prosequitur: « Non ad Corinthios tantum res spectat, sed etiam se ipsum a tali iudicio removit, maius sua mente dicens de talibus calculum ferre: subiunxit ergo: *neque me ipsum iudico* etc.» et (9) addit: « quomodo ille nullius sibi conscius mali non iustificatus erat? quia contingebat, illum aliqua admittere peccata, quae ipse nesciret esse peccata. Hinc cogita, quam erit accuratum futurum iudicium.» *S. Hieronymus* (10) adv. Pelag. allegatis Ecclesiastae verbis: *Sunt iusti, ad quos pervenit quasi opus impiorum. Et sunt impii, ad quos pervenit, quasi opus iustorum:* «Hoc, inquit, idcirco dicitur, quia certum iudicium solius Dei est.» Idem Comment. in Ierem. (11) ait: «Homo videt in facie, Deus in corde; et quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur. » *S. Augustinus* lib. de perfectione iustitiae (12) ait: « Quantalibet iustitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum.» Et (13) de verbis Domini subdit: « Forte tu non invenis aliquid in conscientia tua, et invenit ille qui melius videt, cuius

(1) Phil. 2, 12. (2) 1 Cor. 10, 12.
(3) Serm. 5 in Ps. 118. (4) Cap. 2.
(5) N. 4. (6) Hom. 87 in Ioan.
(7) Hom. 2 in 1 Ep. ad Cor.
(8) Cap. 4, v. 3. Hom. 11.
(9) N. 2. (10) L. 2, n. 5.
(11) C. 13, 12. (12) Cap. 15.
(13) Hom. 93 (al. 23.)

acies divina penetrat altiora : videt forte aliquid, invenit forte aliquid. » Item (1) : « Quamdiu vivimus hic, de nobis ipsis nos ipsi iudicare non possumus ; non dico, quid cras erimus, sed quid hodie simus. » Et Enarr. in Psalm. (2) ita disserit : « Abyssus est profunditas quaedam impenetrabilis, incomprehensibilis... Si profunditas est abyssus, putamus, quod cor hominis abyssus est. Quid est profundius hac abyssu? Abyssum invocant sancti praedicatores verbi Dei. Numquid et ipsi abyssus? Ut noveris, quia abyssus et ipsi, Apostolus ait : *Minimum est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die.* Quanta autem abyssus sit, audite amplius : *neque enim ego meipsum iudico.* Tantam ne profunditatem creditis esse in homine, quae lateat ipsum hominem, in quo est?... Ergo omnis homo, licet sanctus, licet iustus, licet in multis proficiens, abyssus est. » *Theodoretus* (3) verba Apostoli : *Nihil mihi conscius sum* etc., ita exponit : « Etsi nullius iniquitatis sim conscius, tamen nec iudicare meipsum, nec me a peccato immunem pronuntiare in animum inducam, sed Dei sententiam expectabo. Saepe enim evenit, ut etiam ignorantes peccent, aequum hoc esse, iustumque existimantes. Sed hoc aliter videt universorum Deus. » *S. Gregorius M.* (4) ad Gregoriam Augustae cubiculariam scribit : « Quod vero dulcedo tua in suis epistolis subiunxit, importunam se mihi existere, quoadusque scribam, mihi esse revelatum, quia peccata tua remissa sunt, rem difficilem etiam et inutilem postulasti. Difficilem quidem quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat ; inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum iam in die vitae tuae ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quae dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. » Idem (5) scribit : « Quis nostrum vitam praecedentium patrum valeat superare, vel assequi? Et tamen David dicit : *Ne intres in iudicium cum servo tuo ;* Paulus, cum diceret : *Nihil mihi conscius sum*, caute subiunxit : *Sed non in hoc iustificatus sum.* Iacobus dicit : *In multis offendimus omnes.* Ioannes dicit : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est.* Quid ergo facient tabulae, si tremunt columnae? aut quomodo virgulta stabunt immobilia, si huius pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? » — *V. Beda* (6) ait : « Potest hic versus (Prov. XX, 9) et de electis accipi, qui habent aliquando latentia in mente mala, quae ab aliis videri non possunt hominibus, quae tamen ipse Dominus cernit. » Et infra : « Sunt, inquit, multi mundo corde et iuxta humanae possibilitatis modum puri a peccato ; nec tamen se ipse quisquam mundicordem et immunem a peccato absque temeritate pronunciaverit. » *S. Bernardus* (7) haec habet : « Quis potest dicere : Ego de electis sum, ego de praedestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? quis haec, inquam, dicere potest, reclamante Scriptura : Nescit homo, si dignus sit amore, an odio? Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur. » Idem (8) scribit : « De qua ta-

(1) Hom. 113 (al. 35.)
(2) Ps. 41, v. 8, n. 13.
(3) Comment. in 1 Cor. 4, 4.
(4) Lib. 7, Epist. 27.
(5) L. 24 Mor., c. 17.
(6) In Comment. ad Prov. 20, 9.
(7) Serm. 1 de Septuag. n. 1.
(8) In Epist. 107.

men perceptasuimet ex parte notitia, interim quidem gloriatur in spe, nondum tamen in securitate.» *Innocentius III*, capite ultimo de purgatione canonica, dicit: «Iuramentum cuiusdam hominis, qui iurare paratus erat, se a certis criminibus immunem esse, quae per poenitentiam sibi dimissa esse credebat, esse iuramentum temerarium et indiscretum, eo quod nemo scire possit, an, ut oportet, egerit poenitentiam, ac per hoc, an ad veram pervenerit indulgentiam.» Cui Traditioni insistens *Concilium Tridentinum* aperte docuit, hominem sine speciali revelatione divina de obtenta iustificatione fidei certitudinem habere non posse; ait enim (1): *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum, suamque infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Et ibid. (2) docet, statum hominis moralem a Deo solo perfecte cognosci et infallibiliter revelari posse; ita enim loquitur: *Quia in multis offendimus omnes, unusquisque, sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et iudicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, iudicare; quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda et iudicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* Neque dubitari potest, hanc doctrinam, qua statuitur neminem, absque speciali revelatione, certum esse posse certitudine fidei de sua iustificatione, ab Ecclesia, quae *in docendo* infallibilis est, ut de fide credendam proponi, quia in fine capitum eiusdem sessionis sextae addit: *Hanc catholicam de iustificatione doctrinam, nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, iustificari non poterit.* Postea vero anathemate percellit errorem Novatorum, dicentium, hominem non solum posse, sed etiam debere fidei certitudinem de sua iustificatione habere, ideo Sess. VI, can. 13 definit: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.* Et can. 14: *Si quis dixerit hominem a peccatis absolvi ac iustificari ex eo, quod se absolvi ac iustificari certo credat; aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credat, se esse iustificatum et hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici; anathema sit.*

3. *Rationem theologicam* affert *S. Thomas* (3) qui cum dixisset, hominem per revelationem divinam sibi peculiariter factam, infallibiliter certum esse posse de sua iustificatione, ita prosequitur: « Alio modo homo cognoscit aliquid per seipsum et hoc certitudinaliter. Et sic nullus potest scire, se habere gratiam: certitudo enim non potest haberi de aliquo, nisi possit diiudicari per proprium principium; sic enim certitudo habetur de conclusionibus demonstrativis per indemonstrabilia universalia principia. Nullus autem posset scire, se habere scientiam alicuius conclusionis, si principium ignoraret. Principium autem gratiae et obiectum eius est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus secundum illud: *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram* (4). Et ideo eius

(1) Sess. 6, cap. 9. (2) Cap. 16.

(3) 1 2, q. 112, art. 5. (4) Iob 36.

praesentia in nobis, et absentia per certitudinem cognosci non potest, secundum illud: *Si venerit ad me, non videbo eum; et si autem abierit, non intelligam* (1). Et ideo homo non potest per certitudinem diiudicare, utrum ipse habeat gratiam secundum illud: *Sed neque me ipsum iudico; qui autem iudicat me, Dominus est* »(2). — Alia ratio theologica petitur exiis, quae iam probata sunt. Nam fide divina credi non potest, quod a Deo revelatum non est. Atqui, ut art. praec. probavimus, a Deo revelatum non est, absolute et absque ulla conditione fidelibus remissa esse peccata. Ergo absolute id credi non potest fide divina, sed tantum sub conditione, si nimirum homo dispositiones ad iustificationem requisitas posuerit. Utrum vero talis, vel talis requisitas ad iustificationem dispositiones habuerit, ordinarie revelatum non est: ergo ordinarie fide divina credi non potest. Protestantes quidem, qui perperam docent opus iustificationis solius Dei esse absque hominis cooperatione, asserunt, Deum per fidem, qua tanquam instrumento ad iustificationem utitur, etiam ea omnia in homine producere, quae ut conditiones, seu ut indivulsi comites iustificationis requiruntur. Fatentur autem, Deum haec non in omnibus operari, quia praedicatio Evangelii non ad omnes pervenit et non omnibus ad quos pervenit, prodest. Concedere autem etiam tenentur, in S. Scriptura non omnium hominum, in quibus fides iustificans excitatur, nomina exprimi. Deficiente autem hac revelatione, quis sibi gratiam concessam esse, fide divina credere poterit? quis non potius formidare debet, quod fides, ad quam se excitatum sentit, aut requisita firmitate careat, aut ex motu naturae potius, quam ex operatione gratiae prodeat? Hominem praecipue circa sensus suos internos facile falli, illusionibusque obnoxium esse, nemo prudens expertusque negabit: ergo etiam in systemate Protestantium admitti nequit, hominem, seclusa revelatione, de invisibili operatione divina, per quam iustificatio perficitur, fidei posse certitudinem habere. — Tertiam rationem theologicam cl. *Bellarminus* petit ex ipso fine, quem Deus intendit, cum, ordinarie loquendo, neminem vult infallibiliter certum esse de statu gratiae; dicit enim, « non expedire, ut homines habeant ordinarie certitudinem de propria gratia. Nam, ut ait *S. Augustinus* (3), *in hoc loco tentationis tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* Unde etiam *S. Gregorius M.* (4) scribit: *Si scimus, nos gratiam habere, superbimus.* Et ipse Dominus (5) per parabolam Pharisaei et Publicani ostendit, eos, qui se iustos esse confidunt, facile se caeteris anteponere eosque despicere: *Non sum*, aiunt, *sicut caeteri hominum, velut etiam hic publicanus.* Contra autem ignoratio huius secreti humilitatem conservat et auget; facit enim, ut se fideles superiores invicem arbitrentur, et unus alium honore praeveniat. » Postea observat, Deum nonnisi illis propriam iustificationem revelasse, in quorum mentibus, demissionem animi et charitatem tam altas radices egisse cognovit, ut ab elatione animi nullum eis periculum immineret. Sapientiae igitur divinae, quae omnia ad moralitatem hominum promovendam dirigit (6), doctrina catholica apprime consentanea est: doctrina autem Protestantium, quae

(1) Iob 9. (2) 1 Cor. 4.
(3) L. de corrept. et grat. cap. 13.
(4) L. 9 Mor., cap. 17. (5) Luc. 18
(6) § 378, n. 3.

moralitatem seu perfectionem a Christo praeceptam non promovet, sed impedit potius et pessumdat, vera esse non potest (1).

Nota 1. Non posse homines, absque speciali revelatione *fidei certitudinem* de sua iustificatione habere, omnes theologi catholici, praeeunte *Concilio Tridentino*, profitentur; sed in gradu certitudinis humanae assignando non omnes consentiunt. Heterodoxam hac in re sententiam propugnasse, imo et in novatorum errorem prolapsus esse dicitur *Ambrosius Catharinus*. Sed celebrem hunc Theologum, qui interfuit *Concilio Tridentino*, contra *Paulum Sarpium* defendunt *Card. Pallavicinus* (2), *Nat. Alexander* (3) et alii, illumque, sin minus ab omni errore, saltem ab haeresi in novatoribus damnata, purgant. Contendebat nempe *Catharinus*, posse hominem certum esse de sua iustificatione, non ea certitudine fidei, cui falsum subesse nequit, sed alia fide, quae ex theologico discursu promanaret, sicut aliquis certus esse potest, puerum baptizatum esse gratia sanctificante exornatum. Communis autem catholicorum theologorum sententia est, quam contra Catharinum *P. Dominicus Soto* acriter defendit, neminem, seclusa speciali Dei revelatione, certum esse de sua iustitia posse, nedum certitudine fidei, ut contra haereticos definitum est, verum neque certitudine alia omnino firma, sed solum probabilibus coniecturis. Nonnulli quidem contendunt, sine divina revelatione haberi posse *certitudinem moralem*, quam varios gradus admittere constat. Verum si per moralem certitudinem illa intelligatur, quae ex argumentis tam luculentis prodit, ut consensum penitus evincat et omnem prudentem formidinem de opposito excludat, talis certitudo moralis de propria iustificatione admitti nequit; tum quia talem certitudinem excludere videntur argumenta iam superius allata, tum quia in specie *Concilium Tridentinum* haud obscure eandem reiicit (4) dicendo, quemlibet, dum considerat suam infirmitatem et indispositionem, de sua gratia formidare et timere posse. — Affirmandum autem omnino est, quemlibet, qui bona fide studuit gratiam acquirere per ea media, quae gratiam conciliare valent, neque sibi conscius est pravi affectus erga peccatum aliquod mortale, posse habere certitudinem probabiliter seu coniecturaliter certam. Talem certitudinem, quam theologi *coniecturalem* seu *certitudinem fiduciae* appellare solent, etiam Ss. Litterae iustis piisque tribuunt. Ideo Paulus ad Corinth. dicit: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo* (5). Ad Rom.: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei* (6). Et ad Gal.: *Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax* etc. (7). Ioannes quoque (8) scribit: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Eandem certitudinem coniecturalem iustis, vereque piis etiam Ss. Patres adiudicant. *S. Augustinus* (9) asserit: « Est quidam modus in conscientia gloriandi, ut noveris fidem tuam esse sinceram, noveris esse spem tuam certam, noveris charitatem tuam esse

(1) V. Bellarmin. l. 3 de iustific. cap. 8.
(2) Hist. concil. 8, c. 12.
(3) Diss. 12 in saec. 15 et 16, art. 4.
(4) Sess. 6, cap. 9.
(5) 2 Cor. 1, 12.
(6) Rom. 8, 16.
(7) Gal. 5, 22.
(8) I Ep. 3, 21.
(9) Enarr. in Ps. 149.

sine simulatione.» *S. Gregorius M.* (1) inquit: « Cum longa moeroris anxietate fuerit formido consumpta, quaedam iam de praesumptione securitas nascitur.» *S. Bernardus* (2) ait: « Si haec sensero, non ambigo sponsum adesse. Verbi siquidem hae copiae sunt, et de plenitudine eius ista accipimus.» *S. Thomas* (3) cum dixisset, sine Dei revelatione hominem certo scire non posse, se esse in gratia, postea subiungit: « Tertio cognoscitur aliquid coniecturaliter per aliqua signa. Et hoc modo aliquis cognoscere potest, se habere gratiam, in quantum scilicet percipit, se delectari in Deo et contemnere res mundanas, et in quantum homo non est conscius sibi alicuius peccati mortalis. » Haec porro certitudo coniecturalis, quam iusti habent de sua gratia, non est mera dubitatio, sed vera quaedam mentis assensio, in spem erigens, cor pacificans et actiones dirigens, quamvis cum potentia formidandi, aut cum aliqua etiam actuali formidine coniungatur. Qui enim dubitat, proprie loquendo, animo est suspenso, in neutram partem inclinante: qui autem aliquid coniecturaliter per signa quaedam cognoscit, omnino illi assentitur, quamvis non omnis formido de opposito evanescat. Ex his Protestantium calumnia deprehenditur, qui, ut invidiam Catholicis concilient, dicunt, Catholicorum doctrinam esse, quod dubitare solum oporteat de gratia in particulari.

Nota 2. Protestantes partim argumenta a nobis allata enervare, partim, ex Scripturis potissimum, suam doctrinam probare nituntur: nihil autem solidi eos afferre, ex dicendis apparebit.

Obi. I. Textus Eccle. IX, 1 non evincit incertam esse iustitiam nostram. Nam *primo* in textu hebraico ita legitur: *Et amorem et odium non sciens homo, omnia ante eos:* non ergo asseritur, hominem nescire, *utrum amore vel odio dignus sit*, neque omnia in futurum incerta servari dicuntur. *Secundo* cum *Luthero* dici potest, citata verba intelligenda esse de amore et odio hominum, de quorum amicitia nimis difficile est iudicare. — Quodsi etiam admittatur, de amore vel odio Dei sermonem esse, *tertio* responderi potest, Salomonem non negare omnino id posse sciri, sed solum id posse ex eventis externis; quod indicat, rationem hanc afferens: *Eo quod universa aeque eveniant iusto et impio, bono et malo* etc., eodem ferme modo, quo cap. III eiusdem libri negat, cognosci posse, *si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus iumentorum descendat deorsum;* non quidem absolute, sed solum ex eventu, quia *unus interitus est hominis et iumentorum, et aequa utriusque conditio.* — *Quarto* dici potest, in citato textu solum negari, hominem per vires suas naturales, seu ex conditione suae naturae iustitiam suam certo cognoscere posse; non autem ideo negatur, hominem de ista plenam certitudinem habere posse ex interno testimonio Spiritus sancti habitantis in eo. *Quinto* observandum est, ex textu in sensu Catholicorum accepto magnum absurdum sequi, nempe ne manifestos quidem peccatores certo sciré, se odio dignos esse. *Sexto* denique nonnulli Patres textum de praedestinatione et non de gratia explicarunt.

Resp. Haud difficile est, contra has omnes evasiones vim argumenti nostri tueri. Et contra *primam*, etiamsi versio allegata admittatur, haec ta-

(1) L. 6, Epist. 25 (al. 187).

(2) Serm. 6 in Cantic. (3) 1, 2, q. 112, a. 5.

men a Vulgata non discrepat. Nam ly *dignus* non habetur quidem in textu hebraico explicite, ex contextu tamen colligitur; et dum in hebraico habetur: *Omnia ante eos*, seu super eos, idem est sensus, scilicet: omnia opera iustorum et amor Dei erga illos antecedunt cogitationem eorum, ut sine revelatione certo scire non possint. Notandum porro est, omnes versiones antiquas, graecam, syriacam, chaldaicam, arabicam, Symmachi etc., eundem sensum referre quem habet Vulgata. Et *S. Hieronymus*, hebraicae linguae peritissimus, postquam laudatum locum ita ex Hebraeo latine expressit: « Et quidem charitatem, et quidem odium non est cognoscens homo, omnia ante facies eorum? » id cum nostra Vulgata concordare ostendit, atque ita commentatur: « Utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse et ambigue fluctuare, utrum ad probationem sustineant quae sustinent, an ad supplicium. » *Secunda* interpretatio aliena est a contextu; dicitur enim immediate ante: *Et opera eorum in manu Dei:* ergo etiam amor et odium debent respectu Dei considerari, non respectu hominum. *Tertia* expositio, quae est *Calvini* (1) omni soliditate caret. Salomon enim generali sententia pronunciat, non posse homines iustos certo cognoscere, an diligantur a Deo; id autem recte probat ex eo, quod si possent id certo cognoscere, maxime cognoscerent ex beneficiis Dei. At beneficia communia sunt iustis et impiis, et universa aeque eveniunt bonis et malis. Deus enim, ut suos in humilitate conservet, interdum sinit eos affligi et rursus, ne desperent, interdum eos mirifice consolatur. Et similiter impios nunc ut alliciat ad se, beneficiis temporalibus cumulat, nunc ut eosdem deterreat a peccatis, severe punit. Ita beneficia et flagella divina nec odii, nec amoris certa sunt indicia: ratio ergo allata non favet Protestantibus, sed Catholicis. In capite vero tertio Salomon ex persona insipientium loquitur, qui omnia metiuntur praesenti voluptate aut dolore. *Quartam* interpretationem, seu potius cavillationem explodunt verba adiecta: *Sed omnia in futurum servantur incerta*, quod verum non esset, si iusti quocunque demum modo possent esse de sua iustitia certi. *Quinta* levissima est cavillatio, quae facile dispungitur, si observemus, ibi tantum de iustis, non autem de peccatoribus sermonem esse: *Sunt iusti atque sapientes* etc. *Postrema* nullum facessit negotium, neque enim pugnat, quod ex ipso Scripturae loco tum praedestinationis, tum gratiae et iustitiae praesentis incertitudo colligatur, cum haec duo sibi non opponantur, sed unum, sit alterius effectus.

Obi. II. Paulus, cum dixisset: *Nihil mihi conscius sum,* postea addit: *Sed non in hoc iustificatus sum*, haec verba referenda sunt ad hominum opinionem, qui eius iustitiam credere nolebant, unde apposite antea dixerat: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die*, et postea subdit: *Qui autem iudicat me, Dominus est;* quasi diceret: Dominus me in extremo iudicio innocentem declarabit. Paulus ergo certus erat, se iustum esse in oculis Dei et solum queritur se iustum non esse in oculis hominum. Vel si Paulus de sua iustitia in oculis Dei loquitur, eius verba ita sunt intelligenda, ut dicat, coram Deo se non esse iustum ex ulla virtute, aut qualitate, aut opere bono, sed ex sola Dei miseri-

(1) L. 3, Instit. c. 2, § 38.

cordia, quae propter Christum credentibus peccata non imputat.

Resp. Paulus revera Corinthios a iudiciis temerariis deterrere conatur. Ut autem illos ab his deterreat, ostendit, hominem ne de se ipso quidem certum iudicium ferre posse. Quod ut magis magisque confirmet addit: *Sed neque meipsum iudico*, id est, nec meo iudicio fidere audeo, quoniam, etiamsi nihil mihi conscius sim, tamen non in hoc iustificatus sum, id est, non ideo iustus sum, quia bonam conscientiam habeo. Aperte ergo Paulus de interna sua iustitia, seu de iustitia coram Deo loquitur et de hac fatetur, se iudicium certum ferre non posse. Ipsi Antesignani Protestantium negare non sunt ausi, Paulum de sua iustitia interna loqui; sed eius verba ita exposuerunt, ut falsis quae ipsi statuerant principiis omnino conformia viderentur. Ast argute eos refellit cl. *Bellarminus* (1) dicens: « Haec expositio absurda esse convincitur ex illis verbis: *Nihil mihi conscius sum;* nam vel significant illa verba: Non agnosco in me ulla peccata, quasi revera in me existentia et inhaerentia; vel significant: video mea peccata per misericordiam Dei tecta, et ideo existimo, non esse amplius mea, quamvis in me sint et vivant. Si dixerint primum, falsum erit Apostolum non fuisse iustum coram Deo ex ulla virtute et qualitate. Quomodo enim non est iustus ex interiori puritate et virtute, si revera nullum in eo peccatum inhaeret? vel si revera peccata in illo inhaerebant, imo omnia eius opera iuxta doctrinam Lutheranorum erant peccata mortalia, falso dixit Apostolus: *Nihil mihi conscius sum*, et contra potius dicere debuit: Multa mala mihi conscius sum, quoniam omnia mea opera sunt ex se peccata mortalia. — Si dixerint secundum, falsum erit illud: *Sed non in hoc iustificatus sum*. Nam si B. Paulus nihil sibi conscius erat, quia peccata non imputari sibi et per non imputationem tecta esse credebat; certe per hoc ipsum iustificabatur ex sententia Lutheranorum. Quomodo igitur opponit illud: *Nihil mihi conscius sum*, illi: *Sed non in hoc iustificatus sum?* debuisset igitur dicere: Multa bona opera et multas bonas qualitates et virtutes me habere mihi conscius sum, sed non propter eas, sed propter solam Dei misericordiam iustificatus sum. »

Obi. III. Ille certus est de sua iustificatione, qui certo cognoscit, se esse in Christo et habere Christum in se: atqui iustus certo cognoscit, se esse in Christo et habere Christum in se; hoc enim divinus Redemptor fidelibus suis discipulis promisit dicens: *In illo die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me et ego in vobis* (2). Ergo iustus certo suam iustitiam cognoscere potest.

Resp. Verba Christi sententiae adversariorum nullatenus favent. Nam Christus ibi (3) Spiritum sanctum discipulis suis promisit, cuius effectus (4) declarans, ait: In illa die clare omnia, quae vobis annunciavi, intelligetis, scilicet 1° esse me in Patre, quia sum ipsi perfecte consubstantialis; 2° vos esse in me, sicut membra suo uniuntur capiti, a quo vitam et motum recipiunt; 3° denique et me esse in vobis, adinstar capitis quod in membra influit, manifeste perspicietis; etenim in illa die in mentibus vestris tenebrarum caligo penitus auferetur (5). Sermo ergo hic est potius de cognitione dogmatum, ad

(1) L. 3, de Iustif. cap. 5. (2) Io. 14, 20. (3) V. 16-18. (4) V. 20.

(5) Cf. Bernardin. a Picon. in Evang. Io. 14, 20.

universam Ecclesiam spectantium, quam de cognitione iustificationis individuis propriae certa et infallibili: et si haec Apostolis concessa fuit, adscribenda est speciali revelationi Spiritus sancti, quo repleti fuerant; talem autem plenitudinem luminum et gratiarum Spiritus sancti non ad omnes spectare, ipsi adversarii admittunt. — Alii vero putant, Christum in citato loco non loqui de tempore huius vitae, sed de tempore vitae beatae. Ita *S. Augustinus* (1) haec verba interpretatur dicens: « In quo die? nisi de quo ait: *et vos vivetis?* tunc enim erit, ut possimus videre quod credimus... In illo ergo die, quando vivemus ea vita qua mors absorbebitur, cognoscemus, quia ipse in Patre et nos in ipso et ipse in nobis. »

Obi. IV. Paulus Rom. VIII, 15 etc. scribit: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Atqui testimonium Spiritus sancti est infallibiliter verum ac certum et de illo dubitare non licet: ergo iustus sine haesitatione credere tenetur, se esse filium Dei. Idcirco ibid. v. 38 etc. dicit: *Certus sum, quia neque mors, neque vita... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu, Domino nostro.* Paulus autem hic ostendit, quales sensus omnes iusti habere debeant.

Resp. Nonnulli dicunt, verba Apostoli v. 15 etc. intelligenda esse de tota Ecclesia, non vero de unoquoque particulari. Paulum enim loqui de tota Ecclesia, cui Spiritus sanctus testatur, quod habeat spiritum adoptionis, constat ex versu praecedenti, in quo confert Ecclesiam cum synagoga et docet, Ecclesiam habere spiritum adoptionis, synagogam vero habuisse spiritum timoris. Quodsi v. 16 de singulis iustis exponatur, nil tamen ex eo contra doctrinam catholicam erui potest. Nam testimonium quidem Spiritus sancti infallibile est in se; sed nobis non manifestatur per certam et indubitatam revelationem, sed testimonium Spiritus sancti consistit plerumque in quadam suavitate et tranquillitate conscientiae non remordentis, in quibusdam piis motibus et affectibus in Deum, aliisque huius generis signis, quae magnam quidem spem et fiduciam in nobis excitare possunt secundum illud Ho. III, 21; non possunt tamen in nobis nostrae iustificationis plenam et omnimodam certitudinem gignere. Ipse Paulus innuit, non obstante hoc testimonio, iustos non absolute, sed solum conditionate de sua iustificatione et salute certos esse, quia v. 17 conditionem adiungit: *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Hinc etiam illi, qui magna sanctitatis laude floruerunt, quamquam nihil sibi conscii essent, pavidi tamen et trepidi semper erant, ac de sua salute solliciti. Testis sit admirabilis ille Anachoreta *S. Hilarion* qui, referente *S. Hieronymo* in vita ipsius, morti proximus his verbis timorem suum deponere conabatur: « Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta prope annis servisti Christo et mortem times? » — Quod attinet v. 38, Paulus non loquitur de praeterito vel praesenti statu, sed de futuro; et non dicit: Certus sum de assecuta iustificatione, sed *certus sum*, id est, Dei charitate et beneficiis auctus, eiusque opem innixus, *confido*, nulla, sive prospera sive adversa, nullamque creaturam sive in coelis sive in terra, me separaturam a Deo. Apostolus ergo non sibi at-

(1) Tract. 75 in Ioan.

tribuit certitudinem fidei, sed tantum certitudinem coniecturalem seu certitudinem fiduciae, quam iuxta Catholicos homines de sua iustificatione habere possunt. Quidam vero putant, Apostolum loqui in genere de electis, quorum perseverantia, attenta Dei praedestinatione certissima est. Ita *S. Thomas* (1) hunc locum exponens ait: « Apostolus non loquitur singulariter de seipso, sed loquitur in persona omnium praedestinatorum, de quibus propter praedestinationis certitudinem annuntiat, quod nihil eos a charitate possit separare. »

Obi. V. Paulus II Cor. XIII, 5 inquit: *Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate. Annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.* Et S. Ioannes I Ep. V, 12 ait: *Haec scribo vobis ut sciatis, quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Quibus verbis declarat uterque Apostolus, posse nos cognoscere Christum esse in nobis, si sumus certi de nostra fide: atqui de hac certi esse possumus ex doctrina *S. Augustini* (2) et *S. Thomae* (3): ergo etiam certi esse possumus de inhabitante nobis Christo, seu de iustificatione nostra.

Resp. Iuxta S. Paulum sola fides non iustificat, sed fides quae per charitatem operatur. Igitur certi sumus nos iustos esse, si certi sumus quod fidem habeamus, quae per charitatem operatur. Ast licet certi esse possimus de fide nostra theoretica, non tamen eodem modo certi esse possumus de fide nostra practica; seu non possumus fidei certitudine cognoscere, fidem nostram debito modo per charitatem operari. *S. Augustinus* et *S. Thomas* solum docent, posse nos certos esse de nostra fide, qua mysteria Religionis quaerimus, quia hoc intima conscientia cuilibet innotescit; non autem de ea fide quae per dilectionem operatur et est cum gratia sanctificante coniuncta. Neque Apostolus aliter sentit. Nam cum Corinthios moneat, ut seipsos probent ac tentent utrum sint in fide, manifeste indicat, eos non fuisse hac de re certos. Neque experimento facto eis fidei certitudinem promittit, sed solum *cognitionem* humanam, seu certitudinem spei, quae magnam habeat probabilitatem, ut hunc locum explicat *S. Thomas* in Comment. Verba autem illa: *nisi forte, reprobi estis*, intelligi debent hoc sensu: nisi omnino mali estis et de Christo inhabitante ne probabilia quidem signa et argumenta habetis. — Alii ex contextu ostendunt, Apostolum non loqui de certitudine gratiae sanctificantis, quae in quolibet iusto existit, sed de gratiis gratis datis, de dono linguarum aliisque miraculis, quae ab initio frequentia erant in Ecclesia Corinthiorum, quaeque luculenter demonstrabant, inhabitantis Christi potentiam. Paulus ergo dicit, quod etiamnum per haec signa cognoscere possint Christum in se habitare, nisi forte ab ista gratia deciderint seu reiecti fuerint; per quae verba, ut observat *S. Chrysostomus*, in h. l. Apostolus tacite vitam illorum perstringit. Locus S. Pauli ita intellectus, nihil commune habet cum fide Protestantium. — Etiam verba S. Ioannis vitam aeternam promittunt non iis qui fidem tantum theoreticam seu speculativam habent, sed iis qui habent fidem vivam, charitate formatam. Ast nullo modo Apostolus dicit, iustos fidei certitudine scire posse, se talem fidem habere.

Obi. VI. Spiritus sanctus dicitur

(1) Lect. 7. (2) L. 3 de Trin. c. 1. (3) 1 2, q. 112, art. 5, ad 2.

datus nobis, ut infallibiliter certi simus de nostra iustificatione. Nam I Cor. II, 12 legitur: *Accepimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis.* Propterea fidenter Paulus II Cor. I, 12 affirmat: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* Neque ab Apostolo Paulo dissentit Ioannes, qui I Ep. III, 14 scribit: *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres;* et ibid. v. ult.: *Qui servat mandata eius, in illo manet et ipse in eo; et in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis:* eadem fere habet ibid. c. IV, v. 13 et c. V, v. 19. Denique Apocal. II, 17 dicitur: *Vincenti dabo manna absconditum... quod nemo scit, nisi qui accipit:* per manna autem absconditum intelligitur gratia sanctificans: ergo qui hanc accipit, etiam scit se eam accepisse.

Resp. Locus Apostoli I Cor. II, 12 intelligitur *primo* de solis Apostolis, de quibus ibi sermo est, non de singulis fidelibus; et *secundo* non spectat ad charitatis et iustitiae donum ad singulos spectans, sed ad beneficia, quae per Christi mysteria toti humano generi totique Ecclesiae collata sunt. Sequentia tria loca adiecta facile explicantur de certitudine fiduciae, qua testimonio conscientiae nostrae acquiescimus, qua scimus seu speramus in nobis esse dona, quae Deus filiis suis promisit et qua confidimus nos dilectionem Dei habere. Etiam Catholici admittunt, fide certo constare, eum, qui servat mandata Dei, manere in Christo et Christum in se manentem habere. Sed difficultatis cardo in eo situs est, an quis cognoscere possit, se mandata Dei ad strictos apices servare, ac ideo veram charitatem habere; qua de re spem quidem et fiduciam probabilibus coniecturis innixam, non autem certam et infallibilem scientiam habere potest. Textus Apocalypsis est de interna quadam animi suavitate, quam nemo cognoscit, nisi qui eam sentit; ex qua autem infallibilis propriae iustitiae certitudo non exurgit, praecipue quia certi non sumus, utrum affectus quos experimur, a Spiritu sancto procedant, an a maligno Spiritu transfigurante se interdum in angelum lucis. Certum est, per *manna absconditum* non posse intelligi gratiam sanctificantem, quae iam supponitur in eo, qui vincendo se mercedem meretur. Nonnulli per *manna absconditum* intelligunt gloriam aeternam et sententiam suam probant ex loco parallelo Apoc. III, 21, ubi dicitur: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno eius.*

Obi. VII. Ss. Patres iis, qui gratia sanctificante praediti sunt, fidei certitudinem de sua iustitia adscribunt. *Dionysius* (1) ait: « Novit penitus is, qui veritati coniunctus est, quam bene se habeat, etiamsi plures illum corripiant quasi amentem. » *S. Hilarius* (2) scribit: « Regnum coelorum, quod Dominus in se esse positum est professus, vult sine aliqua incertae voluntatis ambiguitate sperari. Alioquin iustificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua. » *S. Cyprianus* lib. ad Demetrian. inquit: « Viget apud nos spei robur et firmitas fidei... et nunquam non laeta patientia, et de Deo suo anima semper secura; » et in lib. de Mortal.: « Quis anxietatis et sollicitudinis locus est? quis inter haec trepidus et moestus est, nisi cui spes et fides

(1) De div. nom. c. 7.

(2) Comment. in Matth. cap. 5

deest?... iustus ex fide vivit: si iustus es, ex fide vivis: si vere in Christum credis, cur non cum Christo futurus et de Domini pollicitatione securus quod ad Christum voceris, amplecteris et quod Diabolo careas, gratularis? » — *S. Chrysostomus* (1) ita loquitur: « Quando vero Spiritus testatur, quaenam relinquitur ambiguitas? » et infra: « Suprema illa essentia, quae et hoc ipsum largitur quod promittit, atque adeo orare etiam iussit, testimonium perhibente, quisnam de dignitate hac deinceps dubitare audebit? » — *S. Ambrosius* (2) haec habet: « Quisquis illi fermento Christi haerescit, efficitur et ipse fermentum, tam sibi utilis, quam idoneus universis et de sua certus salute et de aliorum acquisitione securus. » *S. Augustinus* (3) dicit: « Ecce, adiuvante ipsius misericordia, Spiritum Christi habemus: ex ipsa delectatione iustitiae, integra fide, catholica fide, Spiritum Dei nobis inesse cognoscimus. » Similia testimonia multa in Patribus inveniuntur, quae ostendunt, fidei certitudinem de propria iustitia haberi posse.

Resp. Citatis locis opponimus Ss. Patrum testimonia supra n. 2 adducta, ex quibus liquet eos docere, iustos fidei certitudinem de sua iustitia, absque speciali Dei revelatione habere non posse. Neque putandum est, viros tanta doctrina et pietate insignes turpiter sibi contradixisse. Verba igitur eorum haud in sensu adversariorum accipienda sunt, quod, cunctis Patrum testimoniis, quibus adversarii abutuntur, magna accuratione explanatis, ostendit *Card. Bellarminus* lib. III de iustific. cap. 10. Praeterea facile est ostendere, Ss. Patres a catholica doctrina non dissentire, si regulae quaedam generales attendantur. I^ma^ Quandoque Patres videntur admittere fidei certitudinem de propria iustificatione, cum tantum exaltent fidei certitudinem, quam Christianus habet de sua Religione. Ita *Dionysius* non loquitur de certitudine propriae iustitiae, sed de certitudine christianae Religionis, quae stultitia eo tempore Gentilibus esse videbatur. II^da^ Hincinde fidei certitudinem non solum admittunt, sed et exigunt de speciali dogmate revelato. Ita *S. Hilarius* loquitur de fide resurrectionis corporum, quae nisi certissima sit et omnem dubitationem excludat, spes quoque nulla esse poterit. III^tia^ Persaepe Patres fideles ad spem et fiduciam excitant, quae, ut omnes Catholici admittunt, ex parte Dei, seu ex parte divinarum promissionum certa est; ex quo tamen non inferunt, eam ex parte fidelium eadem certitudine pollere. Ita *S. Cyprianus* utrobique spem nostram erigit, quia sumus certi, ea nos a Deo consecuturos quae fidelibus suis promisit; non autem quasi certi eodem modo simus, nos ea praestare, quae ad consequendas has promissiones ex parte nostra Deus exigit. Primum est certum certitudine fidei; alterum est certum duntaxat probabilibus coniecturis; unde conditionate concludit: Si vere credis in Christum, fide scilicet viva quae per charitatem operatur; an vero hanc fidem habeamus, certi omnino esse non possumus. IV^ta^ Interdum generales sententias proferunt, omnino certissimas, quae tamen in particulari non verificantur nisi adimpleta conditione, quam requirunt ac supponunt. Ita *S. Chrysostomus* dicit, omnes qui ex impulsu Spiritus sancti, ex puro corde et filiali charitate animati, dicunt: *Abba, Pater*, certissime esse filios Dei. At

(1) Hom. 14 in Rom. 8, 16. (2) Serm. 5. (3) Ser. 155 (al. 6) de verbis Domini.

non dicit, omnes qui dicunt: *Abba, Pater*, istud dicere ex puro corde et cum vera charitate, eosque ideo habere testimonium infallibile Spiritus sancti. Itaque *S. Chrysostomi* sententia conditionata est, non absoluta; generalis, non particularis. Etiam *S. Ambrosius* loquitur de certitudine conditionali, non vero de absoluta, ita ut sensus sit, eum qui adhaeret Christo, certum esse de sua salute et de aliorum acquisitione, si Christo adhaereat et in illo permaneat. V^ta^ Cum Ss. Patrum aevo absona Protestantium sententia nondum emerserat et doctrina catholica hac in re non impugnabatur, liberius Ss. Patres loquebantur, quia tanta terminorum accuratione opus non erat. Attamen inter Patres adductos nullus est, qui loquatur de certitudine fidei, quam adstruunt novatores, sed per certitudinem, quam iustis de sua gratia adiudicant, eam intelligunt, quae circa plurima obiecta inter homines habetur, nempe certitudinem coniecturalem seu certitudinem fiduciae, quae ex testimonio propriae conscientiae haberi potest, aut ex virtute spei christianae, quae certum ac immobile fundamentum habet in Dei promissis, dummodo nihil desit ex parte nostra. Neque *S. Augustinus* circa propriam iustificationem aliam certitudinem admisit. Nam in textu citato illud « catholica fide » non debet referri ad modum cognoscendi, sed ad signum et coniecturam. Non enim significavit S. Doctor, nos catholica fide cognoscere, Spiritum Dei esse in nobis; quasi Spiritum Dei esse in nobis, esset obiectum fidei catholicae; sed dicit, nos ex delectatione iustitiae atque ex fide catholica, quam habere nos experimur, tanquam ex quibusdam signis colligere posse, Spiritum Dei esse in nobis.

Obi. VIII. Doctrina catholica homines perpetuo anxios et trepidos faciet, cum nesciant, an sint in statu gratiae, an in statu peccati; quapropter nunquam illa animi tranquillitate et pace fruentur, quam Christus promisit dicens: *Pacem meam do vobis*(1); et quam omnibus iustis attribuit Paulus, scribens: *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum* (2). Ergo haec doctrina, uptote Scripturae contraria, admitti nequit.

Resp. S. Scriptura utrumque suadet, tranquillitatem et pacem, simulque metum et pavorem; imo hunc frequentius, quam alteram. *Beatus homo*, inquit, *qui semper est pavidus* (3); *Cum metu, et tremore salutem vestram operamini* (4); *De propitiato peccato noli esse sine metu* (5); et alia id genus, quae tamen sibi contraria non sunt, si recte accipiantur. Iubemur enim timere, ut vitemus praesumptionem et desidiam, quae ex certitudine facile oriri potest, et iterum iubemur cum tranquillitate sperare, ad quod nonnulla nobis praesto sunt signa; quibus possimus non quidem certitudine fidei, sed fiduciae et spei, pacem et tranquillitatem habere. Caeterum qui habet opinionem probabilem et certitudinem coniecturalem de sua iustitia, proprie loquendo non est dubius, neque suspendit iudicium suum, sed assentitur alterutri parti contradictionis, quamvis non sine formidine errandi; confiditque se esse iustum, ac in divino auxilio et misericordia firmissimam spem collocat, et sic pace illa fruitur, quam Christus promisit, et Apostolus commendat; quamquam hic non tam de animi tranquillitate loquatur, quam potius hortetur fide-

(1) Io. 14, 27. (2) Rom. 5, 1.
(3) Prov. 28, 14. (4) Phil. 2, 12.
(5) Eccli. 5, 6.

les, ut pacem cum Deo conservent, in eius gratia perseverantes. — His addi potest; longe melius conscientiae securitati et tranquillitati prospicere doctrinam catholicam, quam systema *Lutheranorum* aut *Calvinistarum*. Cum enim in systemate Lutheranorum fides imminui ac amitti possit, hoc ipso statim fidelis laceratur atrocibus conscientiae remorsibus, cum timere debeat, ne ob fidei defectum a iustitia alienus sit; in hypothesi autem Calvinistarum, cum fides propria tantum electorum sit, illico homines dubitationum fluctibus agitantur, cum quispiam iure anxius esse debeat, utrum ipse in electorum numero sit, an in censu reproborum. Denique notandum est, de hac sua doctrina novatores ipsos persuasos non fuisse. Nam, ut legitur in colloquiis *Lutheri* familiaribus, cum Doctor Ionas tractans de verbis Pauli, *reposita est mihi corona iustitiae*, diceret se credere non posse, Paulum tam firmam fidem de sua iustitia eiusque mercede habuisse, reposuit Doctor *Martinus*: « Ego credo, quod S. Paulus ipse non potuerit tam firmiter credere, sicut locutus est. Etiam ego, proh dolor! non possum tam firmiter credere, sicuti hac de re praedicare, loqui et scribere possum, et sicuti alii homines de me putant, quod tam firmiter credam. » *Calvinus* autem (1) scribit: « Nos certe, dum fidem docemus esse debere certam ac securam, non certitudinem aliquam imaginamur, quae nulla tangatur fluctuatione, nec securitatem, quae nulla sollicitudine impetatur; quin potius dicimus, perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum diffidentia. » Hoc vero prosequitur in toto capite, ac modo certitudinem, modo fluctuationem commemorat: « id est, ait cl. *Perrone* (2), fluctuat ipsemet inter haereticum dogma suum, et dictamen practicum conscientiae, quod idem dogma evertit » (3).

(1) Lib. 3 Instit. § 17. (2) De grat. par. 2, c. 2, n. 593, in nota.

(3) Cf. Moehler Symbolic. § 18, in fine, et § 20. (4) L. 1, cap. 24.

II. *Accepta iustitia conservatur et augetur coram Deo per bona opera; non est propterea in omnibus aequalis.*

§ 470. Iuxta Novatorum placita iustitia formalis qua iustificamur, est ipsa iustitia Christi per fidem apprehensa, nobisque extrinsece imputata. Cum igitur haec iustitia Christi sit prorsus immutabilis, incrementi ullius aut decrementi incapax, fit, ut eadem in omnibus prorsus aequali ratione seu mensura inveniatur. Praeterea cum doceant, nullas dispositiones ad eam apprehendendam requiri praeter fidem; consequitur, bona opera, quae inter dispositiones a nobis recensentur, nullam vim in iustificationem exercere, sive ut illam adipiscamur, sive ut illam iam adeptam conservemus aut augeamus. His principiis innixus *Lutherus* dixit, homines nec in accepta gratia crescere, nec unum altero sanctiorem esse posse; et Serm. de Nativ. B. Mariae V. blasphemavit dicens: « Omnes Christiani aeque magni sumus, sicut Mater Dei, et aeque sancti, sicut ipsa. » Et *Calvinus*, cuius error refertur in Theologia calvinistica windelini (4) inquit: « Aequalitas iustificationis est, qua Christi iustitia per fidem apprehensa omnibus a Deo aequaliter imputatur, etiamsi aliorum fides robustior, aliorum imbecillior est. » — Doctrina vero catholica est, gratiam sanctificantem non esse aequalem in omnibus iustis, quia inaequalis infunditur pro inaequalitate dispositionum, et quia accepta iusti-

tia per bona opera augeri potest. Hanc Catholicorum doctrinam veram esse, *ex S. Scriptura, ex Traditione* et *rationibus theologicis* probatur.

1. *S. Scriptura* exhibet nobis iustos proficientes in sanctitate. Etenim Prov. IV, 18 legitur: *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem.* Sicuti ergo vera lux est quae fulget in aurora, et semper augetur et crescit usque ad perfectionem meridianam, sic etiam vera iustitia in hominibus est iustificatis, et ea tamen semper magis magisque augetur, donec ad perfectionem beatorum in coelesti beatitudine pertingat. Iob I, 8 dicit Deus ad Satanam; *Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus ac timens Deum?* quomodo ergo iustitia in omnibus aequalis dici potest, cum iuxta effatum divinum iustus non fuerit in terra, qui Iobum sanctitate aequaret? Ps. LXXXIII, 6, etc. Psalmista ait: *Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit... Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Non ergo aequalis semper in hominibus iustitia manet, sed iusti ascensiones in corde suo disponunt, et de virtute in virtutem procedunt. - Docet id ipse Christus Dominus (1) in parabola de decem servis, quorum quisque mnam a Domino acceperat, quaque unus decem, alter quinque alias mnas acquisierat. Mna enim nihil aliud significat, quam gratiam iustificantem, quae in diversis dispares fructus fert pro dispari voluntatis cooperatione. Idem Christus apud Matth., cum exaltasset sanctitatem Praecursoris sui inquit: *Amen dico vobis, inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista* (2); ergo, ipsomet Filio Dei teste, iustitia non est in omnibus aequalis, sed unus est alio sanctior. Paulus quoque ad Corinth. scribens sic ait: Deus *augebit incrementa frugum iustitiae vestrae* (3), id est, augebit spirituales proventus sanctitatis et iustitiae vestrae. II Petr. III, 18 legitur: *Crescite vero in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi;* inutilis autem et absona esset haec admonitio Principis Apostolorum, si fideles in gratia crescere et iustitiam augere non possent. Non possunt quidem homines id sine gratia, sed tamen id possunt iusti per gratiam praestare; nam addit ibidem Paulus: *Potens est autem Deus, omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum* (4). Ideo in Apoc. legitur: *Qui iustus est, iustificetur adhuc, et sanctus, sanctificetur adhuc* (5). Quod idem iam dictum est in Eccli.: *Ne verearis usque ad mortem iustificari; quoniam merces Dei manet in aeternum* (6). Ergo si iustorum sanctitas et iustitia augetur et crescit ita, ut iusti in adepta iustitia ulterius semper progredi possint et debeant, evidens est, eam non esse in omnibus aequalem. — Huc pariter referuntur, quae de charitate eadem Ss. Litterae testantur. Charitas siquidem aut identificatur cum iustitia, aut saltem ab ea inseparabilis est; porro Scripturae constanter docent, charitatem in diverso gradu in hominibus iustis reperiri. Christus enim de Magdalena dicit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit* (7):

(1) Luc. 19, 12 etc.
(2) Matth. 11, 11.
(3) 2 Cor 9, 10
(4) 2 Cor. 9. 8.
(5) C. 22, 11.
(6) C. 18, 22
(7) Luc. 7, 47.

ergo etiam in iis, quibus peccata remissa sunt, charitas non est aequalis. Apud Ioan. legitur: *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (1). Christus ergo ipse maiorem et minorem charitatis gradum in hominibus adesse cognoscit. Ideo ibidem (2) Petrum interrogat: *Diligis me plus his?* id est, vero et ardentiore prae caeteris tuis condiscipulis amore? — Paulus Ephes. IV, 15 scribit: *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Et I Io. IV, 18: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Sicuti ergo charitas inaequalis est et augmenti capax, ita et gratia iustificans.

2. *Ss. Patres* constanter docent, gratiam iustificantem non in omnibus aequalem esse, eandemque augeri posse. *S. Cyprianus* (3) ait: « Plane eadem gratia spiritualis, quae aequaliter in baptismo a credentibus sumitur, in conversatione atque actu nostro postmodum vel minuitur, vel augetur. » Et lib. de exhort. ad martyr. inquit: Martyrium « fidei nostrae incrementa consummat. » *S. Cyrillus Hier.* (4) ita loquitur: « Monstra per exercitationem (in ascesi) animi tui robur et nervos. Munda vas tuum, ut gratiam capiat abundantius; remissio enim peccatorum ex aequo datur omnibus; communicatio vero Spiritus sancti secundum proportionem uniuscuiusque fidei conceditur. Si parum laboraveris, parum recipies; si vero multa operatus fueris, multa erit merces. » *S. Gregorius Nyss.* de scopo Christian. dicit: « Dives et opulentes Spiritus sanctus, qui semper infunditur in eos qui gratiam acceperunt. . . . cooperans et inhabitans manet, ac bonum in unoquoque construit iuxta animae studium in bonis operibus. Oportet igitur, ut unusquisque nostrum sēmper se in virtute proficientem ad virum perfectum adducat, iuxta Apostoli dictum. » *S. Ambrosius* de Fide (5) ait: « Quod si ille (Christus Dei Filius) secundum plenitudinem maiestatis suae perfectus est, nos autem perfecti secundum virtutis accedentis profectum; etiam Filius diligitur a Patre, secundum semper manentis plenitudinem charitatis, in nobis autem charitatem Dei, virtutis emeretur profectus. » *S. Hieronymus* ex instituto dogma nostrum contra Iovinianum vindicat, qui omnes virtutes inter se pares esse contendebat, et (6) inter alia dicit: « Unicuique nostrum data est gratia iuxta mensuram gratiae Christi; non quod mensura Christi diversa sit, sed tantum gratiae eius infunditur, quantum valemus haurire. » Idem Comment. in Galat. (7) scribit: « Ostenditur per singulas horas atque momenta semper dignis Sanctum spiritum ministrari, et quanto quis in Dei opere et amore profecerit, tanto magis sancti Spiritus in se habere virtutes, quas auditus fidei et non legis opera consummant. » *S. Augustinus* (8) ad Hieronymum scribit: « Induti sunt Sancti iustitia alius magis, alius minus. » Et (9) ad Dardanum: « Deus totus adesse rebus omnibus potest, et singulis totus; quamvis, in quibus habitat, habeant eum pro suae capacitatis diversitate alii amplius, alii minus, quos ipse sibi dilectissimum templum gratia suae bonitatis aedificat. » Item de verbis Apost. (10) ait: « Iustificati sumus; sed ipsa iustitia, cum proficimus, crescit. » Et (11) in Ioan. haec habet:

(1) Io. 15, 13. (2) Io. 21, 15. (3) Ep. 76.
(4) Catech. 1, n. 5. (5) L. 5, n. 91.
(6) Lib. 2 contra Iovin. (7) Cap. 3, v. 5.
(8) Ep. 167 (al. 29) n. 13.
(9) Ep. 187 (al. 57). (10) Ser. 16, n. 5.
(11) Tract. 6, n. 8.

« Ipsi Sancti..... ipsi boni in Ecclesia, de quibus dicit Apostolus: *Novit Dominus qui sunt eius*, diversarum gratiarum sunt, non omnes paria merita habent, sunt alii aliis sanctiores, sunt alii aliis meliores. » *S. Leo M.* (1) dicit: « Quanto est honore decorandum Deitatis ipsius habitaculum (scilicet anima, in qua Spiritus sanctus habitat)? — Quod licet inchoari et perfici sine suo Auctore (Deo) non possit, habet tamen ab aedificante donatum, ut etiam labore proprio quaerat augmentum... Cum igitur et omnes simul, et singuli quique fidelium unum idemque Dei templum sint, sicut perfectum hoc in universis, ita perfectum debet esse in singulis; quia etsi non eadem est membrorum omnium pulcritudo, nec in tanta varietate partium meritorum potest esse parilitas, communionem tamen obtinet decoris connexio charitatis. » — Ecclesiae universalis sensus constat ex publicis eius orationibus, quibus pro filiis suis a Deo *fidei, spei et charitatis augmentum* precatur (2). Demum *Concilium Tridentinum* Sess. VI, cap. 7 doctrinam catholicam declarat dicens: *Qua (iustitia) ab eo (Deo) donati, renovamur spiritu mentis nostrae, - iustitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem.* Et ibid. cap. 10: Iustificati — *per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur.* Et ibid. can. 24. inquit: *Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, et signa esse iustificationis adeptae, non autem ipsius augendi causam, anathema sit.*

3. *Rationem theologicam* adducit *S. Thomas* (3) scribens: « Prima causa huius diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suae gratiae dona dispensat ad hoc, quod ex diversis gradibus pulcritudo et perfectio Ecclesiae consurgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum. » Alia ratio theologica petitur ex eo, quia, ut inferius probandum erit, in coelo datur varietas praemiorum et coronarum; ait enim Christus: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* (4); et Apostolus: *Alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum* (5). Quoniam autem Deus iustus *reddet unicuique secundum opera eius* (6), necessario infertur, etiam in terra dari varietatem meritorum et bonorum operum, ac propterea inaequalitatem iustitiae. Denique notandum est, ipsa fundamenta, quibus novatorum sententia innititur, iam eversa sunt, cum ostendimus, falsum esse nos iustificari formaliter per iustitiam Christi et dum probavimus non solam fidem iustificare, sed praeter fidem etiam alias dispositiones et bona opera requiri; atque ideo ista quoque ad iustificationem perficiendam, conservandam et augendam conferre. Unde quae hic dicta sunt, iterum valent ad totum novatorum systema evertendum.

(1) Serm. 48, cap. 1.
(2) V. Orat. Dom. 15 post Pentec.
(3) 1 2, q. 112, art. 4.
(4) Io. 14, 2. (5) 1 Cor. 15, 41.
(6) Rom. 2, 6.

III. *Iustitia et gratia sanctificans per subsequens peccatum mortale amitti potest.*

§ 471. *Iovinianus*, teste *S. Hieronymo* (1), docuit, iustitiam et gratiam sanctificantem semel habitam amitti non posse, adeoque hominem semel iustum semper manere iustum. *Beguardi* et *Beguinae*, ut patet ex *Clementina* (2), asserebant, hominem in hac vita eam consequi perfectionem posse, ut gratiam et charitatem amittere amplius nequeat. *Lutherus* (3) docuit, gratiam iustificantem sola fide apprehendi et sola incredulitate amitti, nullo autem alio peccato perdi posse; inquit enim: « Ita vides, quam dives sit Christianus, sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas; caetera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momente absorbentur per eandem fidem. » Ideo in famosa Epist. ad Melanch. scribit: « Sufficit, quod agnovimus per divitias gloriae Dei agnum, qui tollit peccatum mundi; ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies uno die fornicemur aut occidamus » (4). — *Calvinus* ulterius processit, asseruitque, iustitiam semel adeptam amitti omnino non posse, non quidem eo sensu, quasi homo iustificatus labi in peccata nequeat, sed quia scelera in quae prolabitur, utut gravissima, ipsi a Deo non imputantur, eo ferme pacto, quo non imputarentur homini dormienti, stulto vel puero ante rationis usum. Hoc tamen privilegium solis electis adscribitur, quia isti soli vere credunt, gratiae divinae compotes fiunt et ideo perire nequeunt. Idcirco *Calvinus* (5) dicit: « Solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam dispereat semen vitae, eorum cordibus insitum. » Et synodus *Dordrechtana* a Calvinistis habita (6) dicit: « Deus Spiritum sanctum etiam in tristibus lapsibus a suis non prorsus aufert, ita ut gratia iustificans et adoptionis excludatur. » Similem errorem, ex aliis tamen principiis deductum, propugnarunt saeculo XVII *Quietistae*, duce *Molinosio* Presbytero hispano, qui contendit, hominem pervenire posse ad statum perfectae contemplationis et puri amoris, in qua non agens sit, sed mere patiens, ita ut peccata quaecumque gravissima ipsi non imputentur, neque eum iustitia et gratia sanctificante privent. Quapropter *Innocentius XI* damnavit 68 *Molinosii* propositiones, inter quas 56ta ita concepta est: « Duae leges, duae cupiditates, animae una et amoris proprii altera tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus est et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius duae illae leges et cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, nequidem veniale peccatum. » Et 57ma: « Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata mortalia nec venialia. » Et 58va: « Ad huiusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur. » Et 62da: « Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili. » — Hisce erroribus opponitur doctrina catholica, quae dicit, homines iustificatos et gratia san-

(1) L. 2 adv. eundem.
(2) Cap. ad nostrum de Haereticis
(3) L. de captiv. babylon.
(4) V. Moehler Symb. § 16 in nota.
(5) L. 3 Instit. c. 2, n. 11. (6) Can. 6.

ctificante exornatos non solum, quamdiu sunt in hac vita, peccare posse, sed etiam per peccatum mortale iustitiam amittere, ex gratia excidere et aeternae damnationis reatum contrahere. Haec doctrina invictis argumentis *ex S. Scriptura, ex Traditione* et *ex rationibus theologicis* petitis innititur.

1. *S. Scriptura* clarissime docet, homines iustos, novo peccato se polluentes, ex gratia excidere, Dei inimicos fieri et aeternae damnationis reatum contrahere. Insignis est locus Ezech. XVIII,24, ubi Deus ipse dicit: *Si averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem... omnes iustitiae eius quas fecerat, non recordabuntur: in praevaricatione qua praevaricatus est et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.* Sermo hic est de vero iusto, non de falso iusto, seu de hypocrita; nam paulo ante dictum fuerat: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium iniquitatum eius... non recordabor.* Ut ergo antithesis recte fluat, quemadmodum Deus in conversione impii veras eius iniquitates oblivione delet, ita praevaricatione iusti veras eius iustitias pro nihilo reputat. Nullatenus autem dici potest quod nonnulli Calvinistae effutierunt, Deum loqui in hypothesi impossibili, eo sensu, quo Apostolus (1) dicit: *Licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ipsi enim Calvinistae fatentur, iustum peccare posse: ergo absonum est dicere, sermonem esse de hypothesi impossibili. Posito autem iusti peccato, vera est comminatio irae divinae et mortis, sicut, posita impii poenitentia, vera est promissio veniae et vitae(2).—Sap. IV,11 de iuvene innocente legitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius:* quod inutiliter factum esset, si iustus non posset a gratia adoptionis excidere. Matth. XII, 43 etc. legitur parabola spiritus immundi, qui eiectus fuerat e domo, quam postea postliminio repetens cum aliis septem spiritibus nequioribus se, inhabitat: qua parabola designatur peccatores aliquando liberari a daemonis captivitate et postea per lugendum in anteriora peccata relapsum in eandem captivitatem, etiam duriorem, redire. Falluntur ergo Calvinistae dum dicunt, iustificatis tristes lapsus non obesse, nec eos gratia adoptionis privare: contrarium affirmat Christus de illo, qui immundo spiritui, a quo liberatus fuit, denuo per peccatum introitum in animam praebet, dicens v. 45: *Fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* Matth. XXIV, 12 etc. Christus ait: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet* (id est, extinguetur) *charitas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Non omnes ergo iusti perseverabunt, sed multi a charitate deficient et ideo non omnes qui aliquando iustificati fuerunt, salutem consequentur. Hoc idem Christus in parabola de semine docens (3) ait: *Aliud cecidit super petram et natum aruit, quia non habebat humorem;* quae verba explicans (4) inquit: *Qui super petram, hi sunt qui cum gaudio suscipiunt verbum; et hi radices non habent: qui ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt.* Ergo homines fidem iustificantem ad tempus habere et ab illa recedere et gratiam quam perceperunt, amittere possunt. Io. XV, 2 Christus seipsum viti et homines pal-

(1) Gal. 1, 8. (2) Cf. Ezech. cap. 3 et 33. (3) Luc. 8, v. 6. (4) Ibid. v. 13.

mitibus comparans dicit: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum;* et v. 6 addit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent et ardet.* Et palmes esse non potest, qui non aliquando vixerit in vite; non enim palmites aliunde inseruntur, sed nascuntur ex vite et non mortui, sed vivi nascuntur. Sic igitur fideles renascuntur in Christo, et cum renascuntur, non mortui sunt, sed vivi; et tamen, si postquam renati sunt, fructum bonorum operum ferre recusent, arescunt, praeciduntur et pereunt. Potest igitur, qui palmes aliquando in vite, idest, membrum in corpore Christi per fidem vivam fuit, mitti in ignem aeternum ut ardeat semper. Paulus(1) de seipso scribit: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Quum ergo ipse Apostolus timet, ne reprobetur; quis iustorum de salute sua ita securus sit, ut ea excidere nequeat? — Galatae baptizati et iustificati fuerunt; postea autem falsae iudaizantium doctorum sententiae adhaeserunt, caeremonialia Moysis observanda esse putantes: quapropter Apostolus ad ipsos scripsit: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit;* et: *Evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini: a gratia excidistis* (2). Persuasio ergo inerat Paulo, Fideles baptizatos et iustificatos propter unicum culpabilem in fide errorem a Christo separari, a gratia excidere et salutem suam perdere. II Tim. II, 11 idem Apostolus ait: *Fidelis sermo; si commortui sumus et convivemus; si sustinebimus et conregnabimus; si negaverimus et ille negabit nos.* Itaque Christiani, qui *commortui*, idest, baptizati et iustificati sunt, si Deum negaverint, id est, per peccatum a Deo recesserint, etiam a Deo negandi, seu tanquam ab ipso alieni reprobandi sunt. Hebr. III, 12 etc. Apostolus fideles monet: *Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies... ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati: participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae eius* (id est, fidem iustificantem) *usque ad finem firmum retineamus.* Ergo qui apud Deum est, a Deo discedere potest, et qui participes Christi effecti sunt, fallacia peccati obdurari et gratiam, per quam ab initio Christo uniti seu quasi consubstantiati sunt, amittere possunt. II Petr. II, 21 de Christianis a pseudoprophetis seductis dicitur: *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Sermo sane est de Christianis, qui salubriter viam iustitiae cognoverunt, et ab ista per praevaricationem sancti mandati recesserunt: his sors tristior, quam infidelibus praenunciatur. Denique Apoc. II, 4 Angelo Ephesi dicit Dominus: *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde exciderís et age poenitentiam.* Constat igitur, iustum a charitate et a gratia excidere posse.

2. In Ss. Litteris etiam varia exempla eorum exhibentur, qui iustitiam et gratiam sanctificantem qua ornati erant, per peccatum amiserunt. *Angeli* omnes ab initio gratiam sanctificantem, ac ideo iustitiam et sanctitatem acceperunt (3): ast non pauci ex ipsis peccaverunt et propter peccatum non solum donis supernatura-

(1) 1 Cor. 9, 27. (2) Gal. 5, 2 et 4. (3) § 164, n. 4.

libus privati, sed etiam aeternis poenis affecti sunt (1). *Protoparentes* in statu iustitiae et sanctitatis a Deo constituti sunt (2); sed per peccatum gratia sanctificante privati, incurrerunt iram et indignationem Dei (3). — *Saul*, Rex initio bonus et iustus erat, ita ut Spiritus sanctus de ipso diceret: *Erat-Saul electus et bonus, et non erat vir de filiis Israël melior illo* (4); et tamen non solum peccavit, sed et reprobus et damnatus creditur. Id enim insinuat Scriptura I Reg. (5), et asserunt *S. Cyprianus* (6) et *S. Augustinus* (7). — *David* Rex omnium consensu iustus fuit, cum de eo diceret Deus: *Inveni David-virum secundum cor meum* (8); et tamen quis negare potest, eum vere a gratia et iustitia excidisse? Magnitudinem peccati eius testatur poenitentiae magnitudo, qua lavabat singulis noctibus lectum suum et lacrymis suis stratum suum rigabat (9). Verum, ut observat *S. Ambrosius* Apologia David. (10): « Dominum dolor intimi movit affectus, ut Nathan diceret: *Dominus transtulit peccatum tuum*. Maturitas itaque veniae, profundam Regis fuisse poenitentiam declaravit, quae tanti erroris offensam traduxerit. » — *Salomon* fuit aliquando vere iustus, et a Deo singulariter dilectus. Nam dicit de eo Deus: *Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium* (11); et: *Vocavit nomen eius Salomon, et Dominus dilexit eum, misitque in manu Nathan Prophetae et vocavit nomen eius Amabilis Domino, eo quod Dominus diligeret eum* (12). Hunc autem virum in senectute a gratia et iustitia excidisse Scriptura testatur, quae refert, eum etiam idola omnium concubinarum suarum turpissime coluisse. Eundem plane reprobum atque damnatum esse, indicunt *S. Cyprianus* (13) et *S. Augustinus* (14) scribens: « De Salomone quid dicam? quem vehementer arguit S. Scriptura atque condemnat, nihilque de poenitentia eius, vel in eum indulgentia Dei omnino commemorat? » — *Iudas* proditor, etiamsi solus esset, adversariorum ora exemplo suo obstrueret. Nam fuisse Iudam aliquando iustum probat *S. Hieronymus* (15) ex verbis Christi: *Pater, quos dedisti mihi custodivi et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis* (16). Nam si Pater dedit illum Filio, certe bonus erat; et si periit ex grege, certe antequam periret in Christi grege numerabatur. Constat autem Iudam reprobum et damnatum esse, quia in l. c. periisse et filius perditionis dicitur. Unde *S. Chrysostomus* (17) dicit de Iuda: « Filius regni erat... factus est autem gehennae filius. » — *Petrus* sine dubio iustus erat, cum ei diceretur a Domino: *Beatus es Simon, Bar-Iona* (18); et: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus* (19). Et tamen peccavit negando Christum et negationem periurio confirmando. Docet autem *S. Augustinus* (20) peccatum illud S. Petri fuisse lethale et reprehendit defensores Apostoli, qui audent excusare peccatum, cuius magnitudinem ipse idem amarissime flendo monstravit, atque in fine subiungit: « Mortuus est (Petrus) negando et revixit plorando: sed mortuus est, quia superbe praesumpsit; revixit autem, quia benigne ille (Christus) respexit. » *Simon Magus*, conversus a Philippo credidit et bapti-

(1) § 175-177. (2) § 205. (3) § 215.
(4) 1 Reg. 9, 2. (5) C. 15 et 16.
(6) L. 1, Ep. 5. (7) L. 2 ad Simplician. q. 1.
(8) Act. 13, 22. (9) Ps. 6.
(10) Cap. 2, n. 5. (11) 2 Reg. 7, 14.
(12) Cap. 12, v. 24 etc. (13) L. c.
(14) L. 22, c. Faust. c. 88.
(15) L. 3 adv. Pelagian. (16) Io. 17, 12.
(17) Hom. 27 in Matth. (18) Matth. 16.
(19) Io. 13, 10. (20) Tract. 77, in Ioan.

zatus Philippum sequebatur (1), et tamen haeresiarcha miser periit. Dicit quidem *Calvinus* eum non vere credidisse, sed fidem simulasse. At magis credendum est S. Lucae, qui dicit, eum credidisse, et hoc dicit, ubi multos credidisse refert, qui permanserunt in fide, nec ullo verbo indicat simulationem Simonis. Denique Paulus monet Timotheum, ut conservet *fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Satanae* (2) etc. Ex his exemplis patet, iustitiam adeptam amittere posse non solum praescitos, uti sunt Angeli mali, Saul, Iudas etc.; sed et eos, qui ut Adam, David, Petrus etc. ad praedestinatos pertinent.

3. *Ss. Patres* a novatorum doctrina abhorrent et constanter docent, eos, qui post adeptam iustificationem peccant, non solum gratiam amittere, sed et ob ingratitudinis monstrum gravioribus subiici poenis. *Tertullianus* (3) ait: « Non leviter in Dominum peccat, qui cum aemulo eius, diabolo poenitentia renunciasset et hoc nomine illum Domino subiecisset, rursus eundem regressu suo erigit et exultationem eius seipsum facit, ut denuo malus recuperata praeda sua adversus Dominum gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad aedificationem proferendum est, diabolum Domino praeponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit et iudicato pronunciasse eum meliorem, cuius se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum poenitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam poenitentiae poenitentiam satisfaciet, eritque tanto magis perosus Deo, quanto aemulo eius acceptus. » Et ibid. (4) peccatorem recidivum alloquitur his verbis: « Amisisti quod acceperas ... miserius est perdidisse, quam omnino non accepisse. » *S. Athanasius* (5) cum dixisset, iustificatos esse in Filio et Patre, mox subiungit: « Verumtamen ille, qui cecidit (in grave aliquod vitium), non amplius in Deo est, eo quod Sanctus et Paracletus Spiritus, qui in Deo est, ab ipso recesserit: sed huiusmodi peccator in illo erit, cui sese ipse subiecit (id est, diabolo). » *S. Cyrillus Hier.* (6) inquit: « Praeterita animae et corporis vulnera sanat Deus per baptisma, sed adversum futura deinceps nosmetipsos communiter muniamus omnes, ut mundam hanc corporis vestem custodiamus, ne per modicae fornicationis et lasciviae, aut cuiusvis alius peccati perpetrationem coelestis salutis iacturam subeamus. » — *S. Basilius* (7) scribit: « Qui semel veniam est consecutus, is si denuo post illud tempus peccat, severius in se animadvertendi Deo causam dat. » Et Homil. in Principium proverbiorum prope finem ita eloquenter loquitur: « Miserandum sane spectaculum! post ieiunium, post asperam degendae vitae rationem, post assiduas preces, post uberes lacrymas, post continentiam fortasse viginti aut triginta annorum, propter animae negligentiam et incuriam omnibus orbari, ac similem esse, eum qui mandatorum divinorum operatione ac quaestu affluebat, locupletissimo cuidam negotiatori, qui amplissimas merces secum afferens, ac secundo ventu periculosa maria emersus, in ipso littore fracta navi omnibus opibus repente privatur: siquidem is quoque ea, quae innumeris

(1) Act. 8. (2) 1 Tim. 1, 19 etc.
(3) Lib. de poenit. cap. 5. (4) Cap. 7.
(5) Orat. 3 c. Arian, n. 25.
(6) Catech. 18, n. 20. (7) In Regul. brev. c. 11.

laboribus et sudoribus quaesierat, unico daemonis impetu perdit, peccato nimirum, non secus ac saevo quodam turbine pressus et submersus. » *S. Chrysostomus* (1) dicit: « Eorundem peccatorum non pares subimus poenas, sed longe graviores, si postquam initiati sumus, in scelera ruimus. Id significat Paulus his verbis: *Irritam quis faciens legem Moysis sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur; quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit et gratiae Spiritus contumeliam fecerit* (2). Ergo maiori ille dignus erit supplicio. » Et alibi (3): « Cogita, o homo, graviorem esse culpam post veniam, renovatum vulnus peius dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiae ingratus est, qui post veniam peccat, sanctitatis indignus est, qui semetipsum, postquam sanatus est, vulnerat, nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat. » *S. Hieronymus* (4) haec habet: « Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illico fugamus diabolum; si peccaverimus et per peccati ianuam ingressus fuerit diabolus, illico Christus recedet. Unde et David post peccatum: *Redde mihi*, ait, *laetitiam salutaris tui*, scilicet, quam peccando amiserat. » S. *Augustinus* lib. de correpт. et grat. cap. 6, n. 9 inquit: « Si iam regeneratus et iustificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere, non accepi; quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio: » idem fere repetit cap. 8 et 14. Et de praedest. Ss. c. 14 ait: « Quare aliis concedatur, ut ex huius vitae periculis, dum iusti sunt, auferantur; alii vero iusti, donec a iustitia cadant, in iisdem periculis vita productiore teneantur, quis cognovit sensum Domini? » *S. Petrus Chrysologus* (5) dicit: « Credamus nos Dei filios, respondeamus generi, vivamus coelo, patrem similitudine referamus, ne perdamus vitiis, quod sumus per gratiam consecuti. » *S. Gregorius M.* (6) haec scribit: « Unusquisque a Conditore suo aut fide recedit, aut opere. Sicuti ergo, qui a fide recedit, apostata est, ita qui ad perversum opus, quod deseruerat, redit, ab omnipotente Deo apostata absque ulla dubietate deputatur, etiamsi fidem tenere videtur. Unum enim sine altero nil prodesse valet, quia nec fides sine operibus, nec opera adiuvant sine fide » (7). *S. Bernardus* (8) in verba Christi: *Ecce sanus factus es, et iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (9), ita loquitur: « Audis, recidere, quam incidere esse deterius? Proinde invalescente periculo invalescat et metus. Timeas ergo pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata. » Porro traditio etiam patet ex condemnatione *Novatianorum* et *Montanistarum*, asserentium, quaedam gravia crimina post baptismum commissa, remitti non posse. Nunquam enim Ecclesia negavit, per talia crimina gratiam amitti et reatum aeternae poenae contrahi, sed constanter docuit, etiam talia crimina per veram poenitentiam remitti, ab Ecclesia absolvi et sic gratiam recuperari posse. *Concilium Viennense* oecumenicum Beguardos et Beguinas damnavit, dicentes, hominem ad ta-

(1) Hom. 28 (al. 27) in Ioann. n. 1.
(2) Hebr. 10, 28.
(3) Ap. Lohner Bibl. conc. 5 Peccatum.
(4) L. 2, c. Iovinian. (5) Serm. 10.
(6) L. 1 in Ezech. Hom. 9, n. 6.
(7) Cf. l. 30 Moral. cap. 1, n. 5.
(8) Serm. 54 in Cantic.
(9) Io. 5 14.

iem perfectionis statum pervenire posse, in quo neque peccare, neque gratiam amittere possit. *Concilium Tridentinum* Sess. VI, cap. 15 docet: *Adversus hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.* Et ibid. can. 23: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit, amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse iustificatum, anathema sit.* Et can. 27: *Si quis dixerit, nullum esse peccatum mortale, nisi infidelitatis; aut nullo alio quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.*

4. *Rationem theologicam* affert *S. Thomas* (1) dicens: « Charitas, cum sit habitus infusus, dependet ex actione Dei infundentis, qui sic se habet in infusione et conservatione charitatis, sicut sol in illuminatione aëris, ut (2) dictum est. Et ideo sicut lumen statim cessat esse in aëre per hoc, quod aliquod obstaculum poneretur illuminationi solis; ita etiam charitas statim deficit esse in anima per hoc, quod aliquod obstaculum ponitur influentiae charitatis a Deo in animam. Manifestum est autem, quod per quodlibet peccatum mortale, quod divinis praeceptis contrariatur, ponitur praedictae infusioni obstaculum; quia ex hoc ipso, quod homo eligendo praefert peccatum divinae amicitiae, quae requirit, ut divinam voluntatem sequamur, consequens est, ut statim per unum actum peccati mortalis habitus charitatis perdatur. Unde et *Augustinus* (3) dicit: Quod homo Deo sibi praesente illuminatur, absente autem continuo tenebratur, a quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur. » Alia ratio theologica petitur ex S. Scripturae monitis, quibus iusti excitantur, ut sollicite sibi caveant, ne a iustitia excidant et salutem perdant. Nam Christus ipse discipulis suis ait: *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (4); atque: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (5). Paulus scribit: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat* (6); et Rom. XI, 20: *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time.* Haec et similia monita inutilia et absona essent, si vera esset doctrina *Calvini*. Si enim iustificatus non potest a iustitia excidere, nihil habet, quod metuat. Cum autem omnis Scriptura divinitus inspirata utilis sit; falsa est Protestantium doctrina, quae necessario praesumptionem ac temeritatem, aut vero animi dejectionem progignit. Aut enim homo sibi persuadebit, se fidem in corde suo fovere, ac ex numero praedestinatorum esse, et tunc temere confidet, peccataque, quae commiserit, sibi a Deo haud imputatum iri sibi persuadebit: aut vero ex peccatis commissis se fidem nunquam veram habuisse, et ex praedestinatis haud esse credet, atque ita de salute sua consequenda desperabit. At praesumptio et desperatio moralitati maxime adversantur, et doctrina, quae haec pietatis obstacula procreat, vera esse non potest.

Nota 1. Etiam inter acatholicos non pauci confessi sunt, rejiciendam pror-

(1) 2 2, q. 24, art. 12. (2) Art. 10.
(3) Lib. 10 de Genesi ad litt. c. 12.
(4) Matth. 10, 26.
(6) 1 Cor. 10, 12.

sus esse absonam *Calvini* de inamissibilitate gratiae, seu de indeficibilitate iusti sententiam. *Arminiani* hoc erroris portentum exhorruerunt. *Lutherani* Calvinistarum dogma in *Anabaptistis* expresse condemnarunt, ut testatur cl. *Bossuet* in Hist. variat.(1), quamvis etiam eorum sententia penitus reprobanda sit, qua dicunt, solo infidelitatis peccato gratiam iustificantem amitti. *Georgius Bullus* (2) Calvinistarum praecipue errorem adeo abominatur, ut vix alium pestilentiorem esse dicat, eumque veteri Patrum Traditioni et Ecclesiae Anglicanae fidei repugnare, ostendat. Audiendus autem praecipue est *Hugo Grotius* qui in *Discussione Apologiae Riveti* ita loquitur : « Christiani pectoris est horrescere ea dogmata, quae pietati nocent, quale illud est a nonnullis defensum ; pecca fortiter, sed crede fortius, et nihil nocebunt tibi centum homicidia et mille stupra. Hi sunt genuini fructus illius dogmatis, credere quempiam debere, iustitiam Christi sibi imputari, quasi ipse eam praestitisset; certe se esse perseveraturum ; certe et absolute salutem sibi destinatam ; peccata fidelium ut ut magna et gravia esse possint, non imputari ipsis propter fidem in Iesum Christum : posse eos cadere in crimen maiestatis, in homicidium, in adulterium etc., et nihilominus eos pro certo habere, se nunquam totaliter et finaliter excidere posse ex paterna Dei charitate erga se. » Praeclare etiam hac de re disserit cl. *Leibnitzius* in suo System. theolog. (3) dicens : « Non tamen putandum est, divinam salvandi homines voluntatem et meritum Christi, vel saltem efficacem gratiam pertinere ad solos electos, quibus scilicet summa illa datur gratia finalis beatae perseverationis. Nam Christus quidem pro omnibus mortuus est ; efficax autem gratia, et vera conversio et regeneratio per Spiritum Dei, qua in filiorum numerum recipimur, multis concedi potest, qui non sunt perseveraturi ; nec video, quid viros quosdam doctos ad grandia illa paradoxa defendenda impulerit, a quorum interiori sensu et consequentiis ipsi abhorrebant, ut scilicet Deo leges praefigentes, et divinae gratiae oeconomiam pro arbitrio circumscribentes, putarent, eum qui perseveraturus non est, gratiam et Spiritum sanctum vere non accipere, quidquid agat, aut utcumque pius et bene animatus sibi, aliisque videatur; contra vero qui electus, et finalem poenitentiam vere acturus est, eum acceptam a Deo gratiam, et Spiritus sancti inhabitationem non amittere, utcumque inter adulteria et homicidia vitam agat. Quae quidem dogmata nova et offensionis plena, etiamsi excusari possent, non videò tamen, quo fundamento nitantur, aut quem usum habeant ad aedificationem. Si quae enim alicubi locutiones occurrunt, quae sententiae tam crudae favere videntur, praestat eas aliarum multo plurium comparatione mollire, quam rigorosa interpretatione exasperare ; et Deo dignius videtur, gratiam dare temporalem et revocabilem, sed conspicuam, quam perpetuam et inamissibilem, sed plane obrutam, et cum pessimo animae habitu, summisque sceleribus consistentem. » Denique *Eman. Schwedenborg* in opere, quod titulum gerit: *Mirabilia coeli et inferni*, improbat non solum *Calvini*, sed et *Lutheri* doctrinam dicentis, gratiam iustificantem sola fide obtineri et sola infidelitate amitti ; et ait, Lutherum et Melanchthonem ob pe-

(1) L. 3, n. 37.
(2) In Apol. pro Harmonia etc. sect. 7.
(3) P. 48.

stiteram hanc doctrinam in inferorum carcerem detrusos esse; et introducit Lutherum ita loquentem: « Quapropter non miror, quod ego erraverim, sed miror, quod unus delirans tot deliros potuerit producere. »

Nota 2. His praemissis, arduum non est argumenta diluere, quae a Calvinistis pro sua sententia afferuntur.

Obi. I. S. Scriptura passim testatur, charitatem seu gratiam sanctificantem inextinguibilem esse, insuperabilem et nunquam amittendam. Sic. Cant. VIII, 7 legitur: *Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam.* Et Christus Io. IV, 13 inquit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam* (ut habet textus graecus). Unde Apostolus scribit Rom. VIII, 38: *Certus sum, quia neque mors, neque vita* etc. *poterit nos separare a charitate Dei;* et I Cor. XIII, 8: *Charitas nunquam excidit.*

Resp. S. Scriptura in testimoniis citatis charitatis praestantiam extollit et ostendit quid illa operetur, quamdiu in homine dominatur. Manente scilicet charitate, nec aquae tribulationum, nec adversa quaeque poterunt obesse; manente charitate, non sitiet qui ea est instructus, cum habeat in se fontem aquae vivae; manente charitate, nihil nos poterit separare a charitate Dei; et haec charitas ex se nunquam excidet; at nos possumus a charitate excidere et gratiam amittere, quod S. Scriptura testatur, dum Apoc. II, 4 ad Angelum Ephesi dicitur: *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris;* et Gal. V, 4: *A gratia excidistis.* Recte igitur scholastici observant, testimonia Scripturae in obiectione citata in sensu composito vera esse non autem in sensu diviso, alias Scriptura sibi ipsi contradiceret. — Caeterum notandum est, quod in Cantico Canticorum unio Ecclesiae cum Christo delineetur, et ideo dicatur, aquas multas non posse extinguere charitatem, quia neque ingruentibus haeresibus, neque saevientibus persecutionibus, neque vigentibus malis aliquorum moribus deserit Salvator Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo. Quod legitur Io. IV, 13 accipiendum est conditionate, nimirum, si fontem aquae vivae iustificatus non deseret; nisi enim fontem illum plures peccato desererent, non dixisset Dominus: *Derelinquerunt fontem aquarum viventium* (1). Verba Rom. VIII, 38 possunt cum *Estio*(2) de praedestinatis intelligi, qui utique in sensu composito cum praedestinatione nequeunt in fine vitae a charitate Dei separari. — Denique I Cor. XIII, 8 Apostolus loquitur de charitate, quae non desinet in altera vita, cum fides et spes cessabunt, ut ex contextu manifestum est.

Obi. II. S. Scriptura testatur, iustum etiam per tristes lapsus gratiam non amittere; nam Ps. XXXVI, 24 de homine iusto dicitur: *Cum ceciderit non collidetur.* Neque unquam iustus a Deo avelli potest, dicente Deo per Ierem.: *Timorem meum dabo in corda eorum, ut non recedant a me* (3); quod multo magis in novo foedere verificatur, in quo iusti per orationem Christi, quae semper efficacissima est, donum indefectibilitatis obtinent. Christus enim pro iustis orans ait: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo* (4); et Luc. XXII, 32 quemlibet iustum

(1) Ierem 17, 13. (2) In 3 Dist. 32 § 2. (3) C. 32, 40. (4) Io. 17, 15.

solatur, dicens: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Ergo gratia iustificans amitti non potest.

Resp. Verba Psal. duplici sensu intelligi possunt. Nonnulli ea exponunt de lapsu in peccata venialia, quae etiam iuxta docrinam catholicam gratiam sanctificantem non auferunt; alii vero ea interpretantur de lapsu in tribulationes, quibus in hac vita iusti premuntur, sed non colliduntur; id est, animus eorum non frangitur, quia, ut ibidem dicitur: *Deus supponit manum suam.* Alterum vero Ieremiae propheticum dictum non ad gratiam habitualem, sed ad gratiam actualem referendum est, qua Deus operatur in cordibus hominum, ut a mandatis eius non recedant. Uberior ergo gratia pro nova lege promittitur; sed non negatur homines gratiae actuali resistere, et sic a Deo recedere posse. Christus quoque non tales gratias pro discipulis suis exoravit, quibus liberum eorum arbitrium tolleretur; nam etiam post hanc Christi orationem Petrus in trinam negationem lapsus est, et Thomas ipsam fidem perdidit. Verba Luc. cit. (1): Iuxta lineam traditionis intelligenda sunt de singulari praerogativa Petro, ut Primati Ecclesiae concessa, ut in proponenda fidei doctrina nunquam aberret.

Obi. III. Saltem electi non poterunt a charitate excidere, dicente Apostolo: *Quos autem iustificavit, illos et glorificavit* (2); quicunque ergo iustificantur, illi et glorificantur, quod verum non esset, si iusti a gratia excidere et reprobi fieri possent.

Resp. Duplex est Patrum expositio in hunc locum. Patres graeci, nonnullique ex latinis verbum *glorificavit* non intelligunt de gloria aeterna, sed de gloria vitae praesentis, scilicet de adoptione atque filiatione divina. Ita *S. Chrysostomus* verba Pauli explicat dicens: *Quos vocavit, hos et iustificavit* per regenerationis lavacrum; *quos autem iustificavit, illos et glorificavit* per dona, per adoptionem, seu, ut ait *Theodoretus*, filios nominans et S. Spiritus eis dans gratiam. Idem habet *Theophylactus.* Huic interpretationi favet vox graeca ἐδόξασε, *celebres, magnos et gloriosos effecit;* unde *S. Ambrosius* habet *magnificavit*, quod explicat: magnificavit illos, ut similes fiant Filio Dei; quo sensu admisso, nulla iam remanet difficultas, quoniam his verbis nullatenus negatur, gratiam iustificantem cum caeteris praeclaris donis suis amitte posse. « Plerique tamen Patres latini post *S. Augustinum*, ait cl. *Perrone* (3) intelligunt hunc Apostoli locum de praedestinatione ad gloriam in altera vita; et iuxta hanc interpretationem reponimus, quod Deus illos *glorificavit*, vel supposita prescientia perseverantiae finalis in ea gratia, a qua vocati potuerunt excidere; vel supposita praescientia resipiscentiae a lapsu, a quo infallibiliter revocandi sunt electi ex divina misericordia, ac iterum cessat difficultas. » Falluntur ergo adversarii, dum ita verba Pauli exponunt, quasi diceret: quicunque iustificantur, illi et glorificantur, seu aeternam gloriam consequuntur. Non hoc dicit Paulus; nam si iste sensus admitteretur, etiam concedendum foret, omnes vocatos iustificari, quia in eodem loco dixit: *quos vocavit, hos et iustificavit;* quod apertissime verbis Christi contradicit: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (4). Paulus nempe in citato loco loquitur de electis, et ostendit, istos omnia gratiae divinae adscribere debere, quia Deus ex gratuita bonitate eos vocavit, vocationi

(1) C. 22, 24. (2) Rom. 8, 30. (3) Tr. de grat. n. 611. (4) Matth. 20, 16

consentientes iustificavit, et iustificatis gratiam finalem concessit. Sicuti ergo ex citatis verbis inferri non potest, omnes qui vocantur, iustificari, sic nec inferri potest, omnes qui iustificantur, glorificari.

Obi. IV. S. Scriptura testatur, iustificatum non posse peccare ac ideo non posse a gratia excidere. S. Ioannes enim ait: *Omnis qui in eo manet, non peccat;* et: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* (1). Quae verba iterum repetit ibid. dicens: *Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum* (2). Huic sententiae etiam illud consonat, quod Christus dicit: *Non potest arbor bona malos fructus facere* (3). Nemo autem dubitabit, per arborem bonam iustificatum, per malos fructus peccata intelligi.

Resp. Citata Scripturae testimonia solum significant, iustum non posse prolabi in peccata, quamdiu iustitiam conservat, seu quamdiu semen ac generatio Dei in ipso manet; non autem ex illis inferre licet, iustum posse eiusmodi Dei semen et generationem per peccatum abiicere. Similes enim locutiones biblicae conveniunt cum usitato inter homines more loquendi, quo ex. gr. dicitur: Non potest irasci vir mansuetus, neque corrumpi iustus iudex, neque moechari virgo casta; quae omnes sententiae verae sunt in sensu composito, non autem in sensu diviso, quoniam per istas tantum innuitur, quod haec peragi non possint in sensu composito cum mansuetudine viri, cum iudicis integritate, cum honestate foeminae; nemo autem ideo negat, virum a mansuetudine, iudicem a sua integritate, foeminam a sua honestate deficere posse. Hanc etiam esse mentem S. Ioannis, *Tertullianus* iam olim observavit in lib. de pudicitia, ubi (4) de gravioribus delictis loquens ait: « Haec non admittet omnino, qui natus ex Deo fuerit, non futurus filius Dei si admiserit; » et post eum *S. Augustinus* in I Ep. Ioann. (5) inquit: « In quantum in ipso (Christo) manet, in tantum non peccat. » Imo id apertissime ex ipso contextu apparet; dicit enim ibid. S. Ioan.: *Filioli, nemo vos seducat;* et caput II eiusdem Ep. sic exorsus fuerat: *Haec scribo vobis, ut non peccetis.* At vero, ut iam antea notavit *S. Hieronymus* (6): « Si omnis qui natus est ex Deo non peccat, nec a diabolo tentari potest, quomodo praecipit ut caveant, ne tententur? » et reflectens ad I Io. V, 18 eodem loco dicit: «*Propterea scribo vobis, filioli mei: omnis qui natus est ex Deo, non peccat,* ut non peccetis, et tamdiu sciatis vos in generatione Domini permanere, quamdiu non peccaveritis. Imo qui in generatione Domini perseverant peccare non possunt. »

Obi. V. Nonnulla sunt Scripturae loca, quibus declaratur, eos qui peccant, nunquam fuisse iustos, quamvis esse viderentur. Ps. CXVIII, v. 3 dicitur: *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulaverunt.* I Io. II, 19 de errantibus in fide legitur: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Prov. XVII, 17 dicitur: *Omni tempore diligit qui amicus est;* quae verba *S. Augustinus* explicans lib. de amicitia (7) inquit: « Amicitiam dicit esse aeternam, si vera est; si autem

(1) 1 Ep. 3, v. 6 et 9 (2) Cap. 5, v 18.
(3) Matth. 7, 18. (4) Cap. 19
(5) Tract. 4 n. 8. (6) L. 2, c. Iovinian. n. 2
(7) Cap. 2.

desierit, nunquam veram fuisse. » Et *S. Hieronymus* (1): « Amicitia quae desinere potest, vera nunquam fuit. » Si ergo homines in iustificatione vere facti sunt amici Dei, nunquam possunt ex eius amicitia excidere.

Resp. In loco Psalmi citato praeteritum ponitur pro praesenti, id est, *non ambulant*, quod in Ss. Litteris saepius contingit. Imo textus hebraicus sic habet: *Nec operantur iniquitatem et in viis eius ambulant.* Ita hunc locum interpretatur *S. Augustinus* (2) inquiens: « *Si ambulant*, non operantur iniquitatem; si non operantur iniquitatem, non habent peccatum, quia peccatum iniquitas est. » Quodsi lectioni vulgatae stricte insistamus, citata verba significant, per peccatum omnia bonorum operum merita antea coacervata deleri, quasi in illis dum iustus fuerat, non ambulasset: quod clarius dicitur Ezech. XVIII, 24: *Si averterit se iustus a iustitia sua... omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur.* — Alter locus cum *S. Augustino* intelligendus est de aeterna praedestinatione, non de temporali sanctificatione; id est, *exierunt ex nobis*, quia non erant ex nobis secundum aeternam et gratuitam electionem, quamvis essent ex nobis secundum temporalem gratiam. Audiatur S. Doctor, qui (3) ita disserit: « Quid est, quaeso, non erant ex nobis? nonne vocati fuerunt? nonne ex impiis iustificati et per lavacrum regenerationis renovati? Sed si audiret ille, qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset: Vera sunt haec omnia: erant ex nobis; verumtamen secundum aliam discretionem non erant ex nobis: » Sententia Salomonis Prov. XVII, 17 solum ostendit, amicitiam veram debere esse perpetuam, nec dissolvi ingruentibus infortuniis. Lib. de amicitia *S. Augustino* perperam adscribitur. *S. Hieronymus* loquitur emphatice et oratorio more ad imitationem illius Tullianae sententiae (4): « Verae amicitiae sempiternae sunt, » id est sempiternae esse deberent. Caeterum in his sententiis de amicitiis humanis sermo est, quae iudicio hominum, qui corda non penetrant, verae haud fuisse creduntur, si ob aliquam offensam vel adversitatem solvuntur.

Obi. VI. Eph. I, 13 etc. Apostolus ad iustificatos scribit: *Credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae:* ergo iustificati a charitate excidere et aeternam haereditatem amittere nequeunt, cuius pignus in se habent. Ideo *S. Auyustinus* (5) ait: « Unctio invisibilis charitas illa est, quae in quocunque fuerit, tanquam radix illi erit; quamvis ardente sole arescere non potest. » Hinc *S. Leo M.* (6) B. Petrum qui Christum negaverat, alloquens ait: « Vidit in te Dominus non fidem victam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. » Et *S. Bernardus* (7) inquit: « Petrus cum peccavit, charitatem non amisit... sic et David cum peccavit, charitatem non perdidit. » E contra qui praedestinati non sunt, nunquam pignus haereditatis recipiunt, seu nunquam iustificantur; quod docet *S. Augustinus* (8) dicens: « Istorum (reproborum) neminem adducit ad poenitentiam salubrem et spiritualem, qua homo in Christo reconciliatur Deo. » Et *S. Gregorius M.* (9) dicit, « reprobos ante oculos

(1) In fine Ep. ad Ruffinum.
(2) Serm. 2 in Ps. 118, n. 2.
(3) De dono persever. cap. 8.
(4) L. de amicit. cap. 9.
(5) Tract. 3 in 1 Ep. Ioann. n. 12.
(6) Serm. 40 de Pass. 9.
(7) L. 2 de amore Dei cap. 6. (8) L. 5, c. Iulian. c. 4, n. 14. (9) L. 34 Moral. cap. 13.

Dei nunquam veram sanctitatem habere. » Admittenda ergo est Calvini doctrina.

Resp. Perperam ad loca adlegata provocant adversarii. Nam etiam Catholici cum Apostolo admittunt, illos qui iustificati sunt pignus haereditatis in se habere : sed per peccatum gratiam sanctificantem, seu ipsum pignus amittere et sic aeterna haereditate privari possunt. Quod tantum abest ut neget Apostolus, ut potius id satis clare asserat, cum ad eosdem Ephesios (1) scribat: *Nemo vos seducat inanibus verbis: propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae. Nolite ergo fieri participes eorum... ut filii lucis ambulate;* quae monita inutilia et absona essent, si iustificati a gratia excidere et iram Dei experiri non possent. *S. Augustinus* in priori loco loquitur de fructibus charitatis, qui arescere et deficere non possunt, quamdiu remanserit eorum radix charitas, unde etiam hanc rationem affert: « Omne quod radicatum est, nutritur calore solis, non arescit. » Caeterum iustum a charitate, utut radicata, deficere posse per peccatum, saepe et luculenter tradit S. Doctor; sic. lib. de corrept. et grat. (2) dicit: « Credendum est, quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide, quae per dilectionem operatur, incipere vivere et aliquamdiu fideliter ac iuste vivere, ac postea cadere. » *S. Leo M.* tantum innuit, Petrum non *directe* contra fidem aut contra charitatem peccasse; non negat autem, eum indirecte saltem contra has virtutes peccasse ex timore hominum. Talem esse mentem *S. Leonis* in adductis verbis, constat ex eius scopo et ex toto contextu. Nam evidenter S. Doctor supponit Petri lapsum; immediate enim ante obiecta verba ait: « Felices, sancte Apostole, lacrymae tuae, quae ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis: affuit enim dextera Domini Iesu Christi, quae labentem te, priusquam deiicereris, exciperet. » Opus quod sub nomine *S. Bernardi* circumferebatur, suppositium esse, critici norunt. Auctor autem huius operis loc. cit. eodem sensu exponi debet, ac *S. Leo.* — Sententiae autem allatae ex *S. Augustino* et *Gregorio M.* debent hoc sensu accipi, ut reprobi non habeant eam poenitentiam et sanctitatem, quae usque ad extremum vitae momentum duratura sit, eosque debeat perpetuo cum Deo coniungere. Nam *S. Augustinus* de iisdem reprobis loquens lib. de corrept. et grat. (3) ait: « Non erant filii, etiam quando erant in professione et nomine filiorum; non quia iustitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt. » Et ibid. (4) de reprobis subdit: « Gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant; deserunt et deseruntur. » *S. Gregorius* autem loqui videtur de quibusdam falsis iustis, qui tales apparent ante oculos hominum, cum apud Deum sint mali; ibi enim subdit: « Saepe namque homo multis occulte peccatis involvitur. »

Obi. VII. Si electi aliquando a iustitia exciderent, essent simul obiectum odii Dei et amoris; Deus enim unum eundemque hominem odio haberet propter peccatum actu commissum et nondum per poenitentiam deletum, et simul amaret, quia decretum praedestinationis quae est praecipuus divini amoris actus, est aeternum et immutabile. Eadem difficultas circa reprobos urgeri potest si

(1) Cap. 5, v. 6 etc 2) Cap. 13. (3) Cap. 9. (4) Cap. 13.

isti aliquando iustitia et gratia sanctificante ornati essent. Ne igitur tanta contradictio in ipsum Deum refundatur, admittenda est *Calvini* doctrina.

Resp. Ad hanc difficultatem tollendam communiter Theologi respondent, nil contradictorii in doctrina catholica occurrere, quia unus quidem idemque homo dicitur odii atque amoris divini obiectum, non autem *sub eodem*, sed *sub diverso respectu;* nam ex. gr. electus qui graviter peccat, tanquam actualis peccator Deo odibilis est, iuxta illud: *Odio sunt Deo impius et impietas eius* (1); ast tanquam electus ad vitam aeternam diligitur a Deo, cuius dilectionis effectus est, ut tandem a peccato liberatus usque in finem in gratia perseveret. Non vero hinc ulla in Deo mutatio fit, sed solum in hominibus. Ut enim inquit S. *Augustinus* (2): «Deus cuncta mutabilia immutabili voluntate disponit.» Omnis denique difficultas evanescit, si attendatur, amorem et odium in Deo non consistere, ut in hominibus in sensibili affectu seu passione, sed amorem Dei non esse nisi voluntatem bona concedendi, odium vero voluntatem bona negandi vel subtrahendi (3). Nulla ergo adest contradictio in doctrina catholica, quia neutiquam dicitur, quod Deus uni eidemque iusto, vel reprobo gratiam sanctificantem *eodem tempore* concedat vel subtrahat.

Usus doctrinae de proprietatibus iustificationis.

§ 472. 1. Durum nobis videtur, quod de obtenta peccatorum remissione infallibiliter certi esse non possimus et nesciamus, utrum amore an odio digni simus. Sapientissime vero Deus nos in tali incertitudine versari permittit; ut humiles semper de nobis sensus foveamus, cum magna fiducia continuo ad eius misericordiam recurramus, atque indefesse per bona opera certam nostram vocationem et electionem facere satagamus. « Quam salubres fructus, ait cl. *Segneri* (4), celeberrimi Sancti ex hac incertitudine collegerunt! quinimo haec ipsa incertitudo maximos Sanctos in Ecclesia produxit. Illa etenim effecit, ut isti in profundissima semper humilitate permanerent non solum respectu Dei, in cuius manibus sortes suas esse cognoscebant, sed etiam respectu hominum, quos non sine fundamento se meliores iudicare poterant. » Eadem haec iustificationis incertitudo nobis quoque humilitatem insinuare, nosque contra temerariae praesumptionis pericula et damna praemunire debet. Ne autem humilitas in pusillanimitatem, in anxietatem, mentisque perturbationem et deiectionem degeneret, infinitam Dei misericordiam, divinas promissiones, peccatoribus vere poenitentibus factas, et immensa Christi merita frequenter meditari, et cum Propheta dicere debemus: *Ecce Deus Salvator meus: fiducialiter agam et non timebo* (5). Spes firma et bene ordinata, quam Apostolus anchoram tutam et firmam appellat, nos confundi non permittet. Anima enim ex toto corde dicens (6): *Tu es, Domine, spes mea;* dulce responsum audiet: *Erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus* (7).

2. Nihil est, quod iustos ad continuum virtutis studium magis excitare debeat, quam dogma catholicum, quo

(1) Sap. 14, 9.
(2) L. 2 ad Simplician. quaest. 2.
(3) Cf. § 40.
(4) Man. anim. 10 Oct. n. 2. (5) Is. 12, 2.
(6) Ps. 90, 9. (7) Ier. 39, 17.

edocemur, iustitiam et gratiam sanctificantem non in omnibus aequalem esse, eamque per bona opera augeri posse. Cum enim gratia sanctificans iam in se excellentissima sit, eiusque gradibus gradus aeternae gloriae respondeant: Quis negabit, vere dignum et iustum, aequum et salutare esse, ut iusti in brevi ac incerto huius vitae stadio per indefessos virtutum actus iustitiam et sanctitatem in se augere conentur? Non sine causa Christus exclamat: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (1); et Apostolus: *Aemulamini charismata meliora* (2). — Qui spiritu huius mundi aguntur, nullis laboribus parcunt, ut bona temporalia accumulent, quae semper vana et incerta sunt, et mox a morte abripiuntur. Nonne per istorum exempla fideles illi confunduntur, qui tepiditate victi bona opera negligunt et ad augendos spirituales thesauros vix ullum conatum impendunt? Istos carpit Christus dicens: *Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* (3).

3. Maxima est gratiae sanctificantis excellentia. *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus*, ut Apostolus dicit(4): Carnis concupiscentiae, mundi scandala et daemonis tentationes nos pretioso illo thesauro privare nituntur. Sicut igitur nobismetipsis, ita et aliis continuo monitum Christi acclamare debemus: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (5).

ARTICULUS V.
De merito bonorum operum.

§ 473. Alter gratiae effectus est meritum iusti. Nam per gratiae operationem homo primitus a statu peccati in statum iustitiae transfertur, seu iustificatur; cum autem interius regeneratus et sanctificatus est, tanquam arbor bona bonos fructus facere, actus sanctos elicere, seu bona opera perficere potest. Gratia enim iustificans seu sanctificans est quasi semen ac germen vitae aeternae, quod erumpit in actus sanctos, quibus homo crescit in accepta iustitia et coronam sibi promissam magis magisque perficit et pretiosiorem reddit. De isto secundo gratiae effectu iam disserendum est. — Equidem hoc de bonis operibus argumentum theologia moralis sibi potissimum deposcere videtur; quippe quae ex instituto agit de bonorum operum et virtutum studio, legibus, conditionibus, subsidiis ac impedimentis; negandum tamen non est, esse in eodem argumento, quae theologiam dogmaticam et polemicam propius attinent, controversa potissimum nos inter et Protestantes, qui hac quoque in materia a doctrina catholica dissident, eamque impugnare, aut saltem obscurare student. Quorum erroribus ut obvietur, rectam *bonorum operum notionem* evolvere, eorundem *existentiam, necessitatem* ac *meritum* probare, dein *conditiones ad meritum requisitas* explicare, in specie *de actibus spei,* seu de operibus intuitu aeternae mercedis susceptis disserere et denique *obiectum meriti* determinare oportet.

I. *Notio boni operis.*

§ 474. 1. Nomine boni operis intelligitur actio legi undequaque conformis. Ut igitur actio dici possit legis praescripto congrua, necesse est, ut non solum habeatur ratio officii seu obiecti, sed etiam finis atque circumstantiarum. Axioma enim theologi-

(1) Matth. 5, 6. (2) 1 Cor. 12, 31. (3) Luc. 16, 8. (4) 2 Cor. 4, 7. (5) Matth. 26, 41.

cum dicit: «Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.» Actio nempe imprimis, materialiter seu obiective sumpta, bona et honesta esse debet; unde e. g. mendacium, quod intrinsece malum est, rationem boni operis habere nequit: finis quoque, ex quo actio suscipitur, legi conformis sit oportet; eleemosyna enim, e. g. quae ex sola vanagloria datur, bonis operibus adnumerari non meretur: denique cavendum est, ne opus ratione circumstantiarum vitietur; nam e. g. visitatio Ecclesiae eo tempore facta, quo aliud grave officium urget, ut opus bonum commendari non potest.

2.° Distinguenda sunt opera bona *in ordine naturali* et *in ordine supernaturali*. Illa sunt actiones, quae ab homine ante adeptam iustificationem, vel etiam ante susceptam fidem per vires naturales iuxta legis naturalis dictamina perficiuntur. De his operibus bonis naturalibus sermo non est, dum de merito bonorum operum quaeritur; sed sermo est tantum de operibus bonis in ordine supernaturali, seu de actionibus, quae post adeptam iustificationem per gratiam actualem ponuntur, et legi evangelicae undequaque conformes sunt.

3. Cum *bona opera* meritoria dicuntur, cavendum est, ne quis per illa actus duntaxat externos intelligat, qui sensibus subiiciuntur. Certum est enim, legem evangelicam non solum actus externos et locutiones, sed etiam et quidem praecipue, sensus internos, cogitationes et volitiones hominis dirigere; atque ideo non solum externae actiones et locutiones, sed etiam internae cogitationes, volitiones et affectiones legi evangelicae conformes bonis operibus accensentur. Generatim loquendo sub nomine bonorum operum catholica Ecclesia id omne intelligit, quidquid homo iustificatus auxiliante gratia actuali iuxta normam Evangelii interne aut etiam externe agit et patitur. Imo iuxta eiusdem Ecclesiae principia externi actus pro bonis operibus non habentur, si ex rectis internis sensibus, quos Spiritus sanctus cum gratia sanctificante fidem, spem et charitatem infundens producit, non prodeant, eosque comites non habeant(1).

II. *De bonorum operum possibilitate et existentia.*

§ 475. Cum in hypothesi novatorum iustitia Christi per fidem apprehensa tota exterior sit ac imputata, nec intimos cordis recessus penetret; hinc nec iustum sanctificat, ipsum transferendo ex statu peccati in statum sanctitatis, sed eum relinquit interius in suis sordibus, quae solum ad poenam modo forensi non imputantur. Inde fit, ut peccatum originale velut substantia quaedam iugiter in iusto permaneat, quod eum inficit una cum suis operationibus. Quemadmodum vero peccatum hoc originale se manifestabat in homine ante iustificationem per peccata actualia, sic pergit se manifestare per eadem peccata post iustificationem. Manifestat autem se tum in operationibus perversis, tum in motibus concupiscentiae, quae totidem peccata sunt in horum sententia, tum denique in operationibus bonis quas coinquinat. Nam licet opera bona efficiantur virtute gratiae et Spiritus sancti, qui, gratia necessitatem inferente, iustos impellit ad ea perficienda, cum tamen prodeant ab homine peccato infecto, atque ut ita dicam, a substantia mala; consequitur, eadem opera pariter mala fieri et peccaminosa. Evidens porro est, ex hoc systemate se-

(1) Cf. Moehler Symb. § 21.

qui, nullum dari opus bonum, et ne a iustificato quidem homine istud perfici posse. — Quamvis autem Protestantes cum *Zuinglio* absonam et pestiferam hanc doctrinam successu temporis mitigare conati sint, negari tamen non potest, eam a protestantismi antesignanis vere traditam fuisse. Nam *Lutherus* (1) inquit: « Opus bonum optime factum est veniale peccatum. Hic (articulus) manifeste sequitur ex priori, nisi quod addendum sit, quod alibi copiose dixi: hoc veniale peccatum non natura sua, sed misericordia Dei tale esse.... Omne opus iusti damnabile est et peccatum mortale, si iudicio Dei iudicetur. » Nec aliter loquitur *Melanchthon* (2) dicens: « Quae vero opera iustificationem consequuntur, ea, tametsi a Spiritu Dei qui occupavit corda iustificatorum, proficiscuntur; tamen, quia fiunt in carne adhuc impura, sunt et ipsa immunda; » et (3): « Nos docuimus, iustificari sola fide... opera nostra, conatus nostros nihil nisi peccatum esse. » *Calvinus* (4) scribit: « Qui serio, tanquam sub Dei conspectu, de vera iustitiae regula quaerent, illi certo comperient, omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta esse et sordes; et quae iustitia vulgo habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem; quae integritas censetur, pollutionem; quae gloria dicitur, ignominiam. » Et in Antidoto *Concilii Tridentini* Sess. VI ait: « Non sunt tantopere exagitandi qui dixerunt bona opera, si exacto rigore censeantur, potius damnatione, quam vitae praemio digna esse. » Contra gravissimos istos errores probandum est, bona opera possibilia esse, seu hominem iustum, gratia Dei adiutum, opera vere et perfecte bona, ipsi Deo accepta, efficere posse. Haec propositio equidem iam probata fuit § 442, ubi contra Iansenium demonstratum est, Dei praecepta hominibus iustis, volentibus et conantibus non esse impossibilia, neque illis deesse gratiam, qua possibilia fiant. Argumenta ibi allata, etiam huc referuntur. Ut autem in specie novatorum error confutetur, hic quoque possibilitatem et existentiam bonorum operum *ex S. Scriptura*, *ex Traditione* et *rationibus theologicis* probamus.

1. *S. Scriptura* pro bonorum operum possibilitate et existentia sat luculenta argumenta suppeditat. Iob I, 22 dicitur: *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.* Quin ipse Deus (5) Iobi innocentiam in tantis calamitatibus conservatam, dilaudavit his verbis: *Vir simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo et adhuc retinens innocentiam.* Iam per haec verba divina confunduntur Novatores dicentes, iustum in quolibet bono opere peccare. Gen. IV, 4 legitur: *Respexit Deus ad Abel, et ad munera eius*, id est, « grata haec habuit et laudavit, » ut dicit *S. Chrysostomus* (6). — Ibid. cap. VI, v. 8 etc. dicitur: *Noë invenit gratiam coram Domino*, quia *vir iustus et perfectus fuit in generationibus suis, et cum Deo ambulavit*, id est, mandata divina observavit, et ideo in conspectu Dei gratiam invenit, seu acceptus Deo factus est. David saepius nominatur *vir secundum cor Dei*, et recte Card. *Gotti* quaerit ex Luthero, an peccata dici possint *secundum cor Dei?* — Propheta regius ipsemet de se scribit: *Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam et secundum*

(1) Assert. omn. artic. opp. t. 2, fol. 335, b.
(2) Loc. theol. pag. 168. (3) Pag. 158.
(4) Lib. 3, instit. cap. 12, § 4.
(5) Iob, cap. 2, v. 3. (6) Hom. 18, in Gen.

innocentiam meam super me (1). *Probasti cor meum, et visitasti nocte: igne me examinasti et non est inventa in me iniquitas* (2). *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi; quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo* (3); quibus verbis actiones suas, quibus custodivit vias Domini, nec impie egit in Deum, iustitiam sive innocentiam, ac puritatem appellat, quod facere non potuisset, si opera omnia sordes et inquinamenta esse scivisset.— Item cum Angelus Tobiae orationem, eleemosynam et alia charitatis opera laudasset, dixissetque: *Ego obtuli orationem tuam Domino;* demum addit: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te* (4); ubi ex contextu apparet, propter opera bona Tobiam Deo acceptum fuisse, adeoque ipsa opera Deo grata et beneplacita extitisse. — Christus apud Matth. dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* (5). Christus autem hoc praeceptum promulgans, opera bona perfici posse, manifeste declaravit. De Magdalena, cum pretiosum unguentum in caput Christi effudisset, divinus Redemptor ait: *Opus bonum operata est in me* (6). Act. IX, 36 de *Tabitha* legitur: *Haec erat plena operibus bonis et eleemosynis, quas faciebat* Quis ergo negabit, bona opera possibilia esse, et vere a iustis perfici? — Ideo Paulus (7) scribit: *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu in bonis operibus, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus:* ergo iuxta Apostolum per baptismum ita regeneramur et novae creaturae efficimur, ut tanquam arbores bonae bonos fructus facere, seu opera bona Deo accepta, auxiliante divina gratia, perficere possimus. Petrus (8) inquit: *Qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi.* Idem iubet Christianos *offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum* (9). Paulus (10) vocat eleemosynam sibi a fidelibus missam, *odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* Dantur ergo opera in conspectu divino accepta, placentia Deo. Atqui Deo nihil placere potest, nisi quod est vere bonum et purum ab omni vitio, ut fatetur *Calvinus* ipse (11).

2. *Ss. Patres* non aliam doctrinam, quam Catholici, tradunt. *S. Irenaeus* (12) docet, nos non quidem sine Christo, sed tamen per Christum bona opera perficere et in iustitia crescere posse; ait enim: « Non aliter nos discere poteramus, nisi magistrum nostrum (Iesum Christum) videntes et per auditum nostrum vocem eius percipientes, ut imitatores quidem operum, factores autem sermonum eius facti, communionem habeamus cum ipso, a perfecto (Deo) augmentum accipientes. » *S. Gregorius Nyss.* (13) dicit: « Nemo imbecillitatem praetexat ad honestarum actionum studium; nihil enim Deus praecipit, quod impleri non possit. » *S. Ambrosius* (14) ait: « Etenim, quia non potest sine peccato esse humana fragilitas, cavendum est, ne plura peccata sint, quam opera virtutum. » Perperam vero S. Doctor distingueret opera virtutum a peccatis, si omnia opera, quantumvis bona, essent vere peccata. *S. Chrysostomus* (15) in-

(1) Ps. 7, 9. (2) Ps. 16, 21. (3) Ps. 17, 21.
(4) Tob. 12, 13. (5) Matth. 5, 16.
(6) Matth. 26, 10. (7) Ephes. 2, 10.
(8) Act. 10, 35. (9) 1 Pet. 2, 5.
(10) Phil. 4, 18. (11) L. 3, instit. c. 12, § 1.
(12) L. 5, adv. haer. cap. 1, n. 1.
(13) De scopo Christian.
(14) L. de Apolog. David. cap. 6, n. 24.
(15) Hom. 4, in Ep. ad Eph. c. 5, v. 10, n. 3.

quit: « Quod eramus prius, mortui sumus, hoc est, homo vetus; quod non prius eramus, facti sumus. Recens ergo est creatura, alia melior et praestantior. Nam ex illa quidem, ut viveremus, ex hac autem, ut bene viveremus, accessit: *In operibus bonis quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus;* non ut incipiamus, sed ut ambulemus... Vocati ergo, in operibus bonis perseveremus, omnia operantes.» *S. Hieronymus* (1) ita disserit: « Hoc et nos dicimus, posse hominem *non peccare*, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda *nullo vitio* laxatur in cithara; » et (2) addit: « Qui cautus est et timidus, potest vitare peccata.» Fatetur quidem S. Doctor, vitam humanam, etiam iustorum, non ita esse posse perfectam, ut longo tempore caveat omnia peccata, etiam quotidiana et levia; attamen admittit, saltem aliquanto tempore posse hominem diligentem ita vivere, ut nullum peccatum, ne veniale quidem, committat, ac per hoc aliqua opera faciat, ab omni vitio pura et integra. *S. Augustinus* (3) haec habet: « Dici potest quaedam *iustitia minor* huic vitae competens, qua iustus ex fide vivit, quamvis peregrinus a Domino, et ideo per fidem ambulans, nondum per speciem: non absurde dicitur etiam ad istam pertinere, *ne peccet*. Neque enim, si nondum esse potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenae perfectaeque debetur, iam culpae deputandum est. Aliud enim est, totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem. » Quibus verbis *S. Augustinus* fatetur quidem iustitiam nostram in hac vita esse minorem, quam sit futura in alia vita; diserte tamen affirmat, ad hanc etiam iustitiam nostram pertinere, ut non peccet et posse ac debere hominem nullam sequi cupiditatem. *S. Cyrillus Alex.* (4) inquit: « Sanctificemus nos, vitam laudabilem legisque praeceptis obsequentissimam instituentes, pulcherrimo nos velut indumento, ac festam celebritatem agentibus accommodato virtutum splendore exornantes, atque hoc pacto fiduciae pleni in eius conspectum, qui celebritatem nobis exhibet, prodeuntes.» *S. Gregorius M.* (5) ait: « Bonarum mentium est, ibi etiam aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est. » Concilium *Tridentinum* (6) definit: *Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo poenas aeternas mereri, tantumque ob id non damnari quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, anathema sit* (7).

3. *Rationes theologicae* petuntur ex absurdis, quae ex adversariorum sententia sequuntur. — Ideo enim aiunt, omnia hominis opera esse peccata, quia homo semper per peccatum originale corruptus, et in se malus manet. Sed hic idem homo credit, et per fidem apprehendit iustitiam Christi; unde dicendum est, hunc ipsum actum fidei, quo iustificatur iuxta novatorum systema, esse peccatum, et pariter peccatum esse orationem illam, qua iubente Christo dicimus: *Dimitte nobis debita nostra.* Nonne autem absurdissimum esset, hominem per peccatum iustificari, et in iustitia perseverare, et per peccatum quaerere et impetrare re-

(1) L. 3, adv. Pelag. n. 4. (2) Ibid.
(3) L. de spir. et litt. cap. 31, n. 65.
(4) Hom. Paschal. 24.
(5) L. 11, Epist. 64, ad Augustin. resp. 10.
(6) Sess. 6, can. 25.
(7) Cf. Bellarmin. lib. 4, de iustif. cap. 16

missionem peccatorum? — Deinde si omnia opera iustorum sunt peccata, qua fronte dicere potuit Apostolus: *Nihil mihi conscius sum?* Nullumne opus bonum fecerat? Aut vero an ignorabat, illa ipsa opera esse peccata mortalia? — Praeterea in sententia adversariorum iniuria ingens Redemptori infertur, *qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (1). Nam si omnia opera nostra non tantum ante, sed et post iustificationem nostram mala essent; a nulla nos iniquitate vere redemisset, nec vere populum mundasset, nec sectatores nos operum vere bonorum, sed peccatorum effecisset. Tandem quomodo possemus ad bona opera obstringi, et in Ss. Litteris ubique excitari et admoneri, si per illa nonnisi numerus peccatorum augeretur et prava indoles nostra accresceret?—

Nota. Difficultates ab adversariis nostrae doctrinae oppositae facile solvuntur.

Obi. I. S. Scriptura testatur, iustum in quolibet bono opere peccare. Nam Eccle. (2) dicitur: *Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum et non peccet.* Et apud Isaiam (3) legitur: *Facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae.* Ergo iustitiae, seu bona opera hominum a Propheta peccatis polluta et inquinata dicuntur.

Resp. Ecclesiastes nil aliud dicit, nisi quod etiam Catholici admittunt, nempe iustum, qui bona opera perficit, quandoque in peccata venialia labi. Isaias vero non loquitur in genere de bonis operibus iustorum, sed de fictis iustitiis Iudaeorum, de eorum sacrificiis, neomeniis et aliis operibus ad cultum divinum institutis, in quibus illi praecipue iustitiam constituebant, de agenda poenitentia nihil solliciti, sed scelera sceleribus cumulantes. Hinc eorum opera panno menstruatae a Propheta merito comparantur: atque idcirco urbs Hierosolyma eversa et populus in captivitatem abductus est.

Obi. II. Id a Deo petimus, quod non habemus. Sed, iubente Christo, omnes orare debemus: *Sanctificetur nomen tuum... fiat voluntas tua... et dimitte nobis debita nostra.* Ergo, ait *Lutherus*, semper inhonoramus nomen Dei, repugnamus in omni opere voluntati Dei, et ubique necesse est, ut ad Deum clamemus: *Dimitte nobis debita nostra.*

Resp. Id a Deo petimus, quod a nobismetipsis non habemus, sed, adiuvante gratia divina, consequi possumus. Certum autem est, nos non ex propriis viribus, sed solummodo per gratiam Dei nomen Dei sanctificare, eius voluntatem adimplere et bona opera perficere posse. Ideo iusti, quamvis iam nomen Dei sanctificaverint, voluntatemque eius adimplentes bene operati fuerint, continuo tamen divinum auxilium implorare debent, ut pro futuro quoque in bono persistere possint. Absonum igitur est, ex talibus petitionibus concludere, iustos semper inhonorare nomen Dei, voluntati eius ubique repugnare et in omni opere peccare. Contrarium potius ex iisdem petitionibus inferendum est. Certe enim Christus non iubet nos in oratione petere, quae nunquam sumus impetraturi. Ergo per orationem possumus a Deo obtinere, ut sanctificemus nomen eius eiusque praecepta impleamus.

Obi. III. Ss. Patres fatentur, omnia opera nostra peccatis inquinata esse.

(1) Tit. 2, 14. (2) C. 7, 21. (3) Cap. 64, 6.

S. Hieronymus Dial. 1 adv. Pelagianos dicit: « Tunc ergo iusti sumus, quando nos peccatores fatemur et iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia. » Et *S. Gregorius M.* (1) ait: « Omnis humana iustitia iniustitia esse convincitur si districte iudicetur. Prece ergo post iustitiam indiget, ut quae succumbere discussa poterat, ex sola Iudicis pietate convalescat. » Experientia ipsa testatur, omnia opera nostra esse imperfecta, vanitate, prava intentione, mentis evagatione et negligentia inquinata, quae Deo placere nequeunt et displicere debent.

Resp. Citatis Ss. Patrum locis opponimus alia eorundem testimonia, quibus clare asserunt, nos non solum bona opera perficere posse, sed et debere, eademque meritoria esse pro vita aeterna, uti ex mox dicendis apparebit. *S. Hieronymus* contra Pelagianos pugnans non negat, nos bona opera perficere posse, sed solum contendit, nobis ad illa perficienda gratia divina opus esse, sine qua peccatores sumus, et quam ex sola Dei misericordia obtinemus. Ita pariter verba *S. Gregorii* hunc sensum referunt: Omnis humana iustitia est iniustitia, si iudicetur remotis beneficiis Dei secundum ea, quae homo habet ex se. — Caeterum etiam Catholici concedunt, multa opera, quae in se bona sunt, vitio hominum, vanagloria etc., inquinari; qua de re etiam Ss. Patres saepe lamentantur, quin ideo negent, opera etiam perfecta a iustis perfici posse: imo ideo iustos admonent, ut a vitiis caveant, quibus opera bona contaminantur. Denique, quia sicut de obtenta iustificatione, ita de bonitate operum nostrorum certi non sumus, Ss. Patres humilitatem et confidentiam in Dei misericordiam commendant, quae virtutes vitae spiritualis fundamenta constituunt (2).

(1) L. 9, Mor. cap. 14.
(2) V. Sardagna t. 4, a. 3, Controv. 1.
(3) L. 1, adv. Haer. c. 20.

III. *De bonorum operum necessitate.*

§ 476. *Simonem magum* graviter in eo etiam errasse, quod homines asseruerit per gratiam salvari, et non per bona opera testatur *S. Irenaeus* (3); et *Theodoretus* (4) de eodem Simone scribit: « Iubebat Simon suos legis minas non pertimescere, sed tamquam liberos facere quae vellent; non enim per bonas actiones, sed per gratiam eos esse salutem consecuturos. » Saeculo quarto *Eunomius*, homo pessimus, et inter Arianos facile impudentissimus, errorem hunc renovavit, teste *S. Augustino* (5) dicente: « Fertur, usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si huius, quae ab illo docebatur, fidei particeps esset. » Insaniam hanc ab *Aëtio*, itidem Ariano, quo ille magistro utebatur, hausisse dicunt *Philastrius* et *S. Augustinus*. Quid de bonis operibus *Lutherus* senserit, arduum non est in eius scriptis deprehendere. Si bona opera impossibilia declaravit, multo minus ea necessaria reputare potuit. Ideo lib. de libertate christ. scribit: « Bona opera non faciunt bonum virum, nec mala malum... Ut infideli nullum bonum opus prodest ad salutem et iustitiam; sic e diverso nullum malum opus facit malum et damnatum, sed sola incredulitas. » Et serm. de piscatura Petri ait: « Erga Deum non operibus, sed nuda fide indigemus; debemus enim cum solo Isaac venire, id est,

(4) Lib. 1, haeret. fabul. cap. 2.
(5) L. de haeres. cap 54.

in fide: servos et asinos, hoc est, opera deorsum dimittere oportet. Quanto sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit.» Eadem doctrina habetur in Solid. Declar. (1), ubi dicitur: « Interim tamen cavendum est in hoc negotio diligenter, ne bona opera articulo iustificationis et salutis nostrae immisceantur. Propterea hae propositiones reiiciuntur: bona opera piorum esse necessaria ad salutem etc.» Imo eo progressi sunt interdum Novatores, ut bona opera declaraverint perniciosa et saluti contraria. In colloquio Altemburgensi rigidi quidam Lutherani dixerunt: « Opera bona et novam obedientiam non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinere... Ad Satanam spectare Christianos cum operibus bonis... Adeo non esse necessaria, ut etiam ad salutem incommodent, sintque perniciosa... precari oportere, ut in fide sine omnibus operibus usque in finem perseveremus.» *Nicolaus de Amsdorf* Lutheri amicus, opus edidit suo nomine inscriptum, in quo propugnat: « Quod propositio: bona opera noxia sunt saluti, est propositio iusta, vera, christiana, praedicata a S. Paulo et a S. Luthero. » Et sane *Lutherus* hanc thesim proposuit: « Fides nisi sine ullis, etiam minimis operibus, non iustificat, imo non est fides » (2). Sicuti autem ipse *Lutherus* sibi ipsi non semper consentiens, hinc inde melius de bonis operibus senserit, eaque necessario fidem sequi asseruerit; ita etiam inter ipsius discipulos multi bona opera ad salutem requiri contendebant. *Confessio Augustana* saepius docet, bona opera esse necessaria; et art. 20 dicit, falso a Catholicis accusari suos, quod bona opera negligant, vel prohibeant. *Melanchthon* (3), *Brentius* (4), *Chemnitius* (5), *Calvinus* (6) docent, opera bona esse facienda, veramque fidem non esse quae opera bona non parit et quae charitatem comitem non habet. Cum his communiter sentiunt nostrorum temporum Protestantes, docentque, opera bona ad salutem et iustitiam obtinendam esse necessaria, non ratione efficientiae, sed sola necessitate praesentiae; id est, opera bona necessaria esse, non quod illa sint causae, conditiones ac merita salutis et iustitiae, sed quia fides, quae sola hominem iustificat et salvat, nec viva nec vera esse potest sine operibus, quamvis opera nullam relationem habeant ad salutem; et quia Deus neminem iustificare et salvare decrevit absque bonis operibus, quamvis illa sint merum signum verae fidei, nihilque efficiant ad salutem obtinendam. Ita illi, ut imperitae plebi fucum faciant et capitalem errorem tueantur, quod sola fides iustificet. At quamdiu huic falso principio, aliisque *Lutheri* erroribus de peccato originali non deleto et de iustitia Christi exterius tantum imputata, ex quibus sequitur bona opera ne perfici quidem posse, pertinaciter inhaerent, nunquam de bonorum operum necessitate recte sentire possunt; unde nonnulli ex Protestantium theologis ea ratione praecepti, vel aliorum motivorum, non autem ratione salutis necessaria dicunt, quoniam haec per solam fidem obtinetur. — Equidem haec falsa Protestantium doctrina iam satis refellitur per ea, quae ad confutandos eorundem errores, quibus illa incumbit, dicta sunt, praecipue vero per ea, quibus § 465 o-

(1) 4 § 15. (2) Cf. Bellarmin. l. 4, de Iustif. cap. 1. Moehler symbol. § 22.
(3) In Locis theol. (4) In Catechismo.
(5) In Exam. Conc. Trident Sess. 6.
(6) L. 3, Instit. cap. 16

stendimus, solam fidem sine operibus non iustificare. Sed quia de re summi momenti agitur, et quia etiam inter Catholicos dantur, qui practice saltem de necessitate bonorum operum male sentiunt et observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae parum curant, supervacaneum profecto non est, ut de necessitate bonorum operum specialia quaedam argumenta *ex S. Scriptura, ex Traditione* et *ex rationibus theologicis* proferantur.

2. *In Ss. Litteris* bona opera non commendantur tantum, sed pro adultis et usu rationis praeditis ad salutem necessaria dicuntur. Christus Matth. VII, 19 cum homines arboribus et opera eorum fructibus comparasset, gravissimam hanc sententiam adiungit: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*, id est, omnis homo, qui bona opera negligit, damnabitur. Quod declarans divinus Redemptor (1) inquit: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum:* quid est autem facere voluntatem Patris, nisi actiones legi divinae conformes reddere, seu bona opera perficere? — In eodem capite Christus alia similitudine declarat, non solum in ipsum credendum, sed etiam eius doctrinam observandam esse, ut salus aeterna obtineatur. Longum enim sermonem, quem in monte habuit et in quo praecepta evangelica proposuit, his verbis concludit: *Omnis ergo qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram* etc. : *Et omnis qui audit verba mea haec et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam supra arenam... et cecidit et fuit ruina illius magna* (2). Huc etiam spectant verba Luc. XII, 47 : *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non praeparavit, et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis:* quomodo ergo legem divinam non adimplens salutem consequetur, cui Filius Dei gravissima supplicia minatur? Ideo Christus quaerenti: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?* reposuit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (3). Et Virgines fatuae non propter incredulitatem, sed ea de causa a sponso reiiciuntur, quia oleo charitatis privatae sunt (4). Item de servo, qui ex talento nullum lucrum reportavit, dicitur: *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium* (5); et illis, qui bona opera neglexerunt, supremus Iudex acclamat: *Discedite a me maledicti, in ignem aeternum* etc. (6). Paulus quoque diserte docet, bona opera ad salutem necessaria esse. Rom. VIII, 12 etc. ait: *Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Rom. X, 10 scribit: *Corde enim creditur ad iustitiam : ore autem confessio fit ad salutem.* Non ergo sufficit fides ad salutem, licet vera et integra in corde esse possit, nisi simul externa accesserit confessio, seu nisi quis ore et opere ostendat se christianum. Col. I, 10 etc. fideles alloquitur, postulans: *Ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei: in omni virtute confortati secundum*

(1) Matth. 7, 21. (2) Ibid. 7, 24 etc. (3) Ibid. 19, 17. (4) Ibid. 25, 1, 12. (5) Ibid. v. 30. (6) Ibid. v. 41 etc.

potentiam claritatis eius, in omni patientia et longanimitate cum gaudio. Hebr. XII, 14 scribit: *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum:* sanctimoniam ergo, seu bonorum operum exercitium tam necessarium iudicat, ut sine isto nemo ad beatitudinem pervenire possit. I Tim. II, 14 inquit de muliere: *Salvabitur autem... si permanserit in fide et dilectione et sanctificatione cum sobrietate.* Apostolus igitur bona opera necessaria declarat, non solum ut signa aut effectus fidei, sed ut conditiones ad salutem requisitas et ut beatitudinis causas.

3. *Ss. Patres* necessitatem bonorum operum uno ore praedicant. *Clemens Rom.* (1) inquit: « Cum diligentia et animi alacritate omne opus bonum peragere festinemus... et totis nostris viribus opus iustitiae operemur. Bonus operarius cum fiducia panem (id est, mercedem) operis sui accipit: Segnis vero et remissus locatorem suum non audet intueri. » *S. Iustinus M.* (2) scribit: « Quod Christiani orent, ut postquam veritatem agnovimus, per opera et praeceptorum observationem ad salutem aeternam pervenire valeamus. » *Clemens Alex.* (3) ait: «Gratia enim salvamur, sed non absque bonis operibus... Quando audierimus, fides tua te salvum fecit, non accipimus absolute eos salvos futuros, qui quomodocumque crediderint, nisi facta quoque fuerint consecuta. » *S. Hilarius* (4) dicit: « Salus gentium omnis ex fide est, et in praeceptis Domini vita est universorum. » *S. Chrysostomus* (5) ita loquitur: « Si in Patrem et Filium et Spiritum sanctum recte credideris, non autem recte vixeris, nulla tibi ad salutem utilitas. Cum ergo dicit: *Ipsa est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum,* nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari. Opus namque nobis est, et vitae et morum puritate pollere. » *S. Hieronymus* (6) exponens illud: *Murus et antemurale ponetur in ea,* scribit: « Murus bonorum operum et antemurale fidei. Non enim sufficit, murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur. » *S. Ambrosius* (7) ait: « Scriptura divina vitam beatam in cognitione posuit divinitatis et fructu bonae operationis... Habet ergo vitam aeternam fides, quia fundamentum est bonum. Habent et bona facta, quia vir iustus et dictis et rebus probatur. Nam etsi exercitatus sit in sermonibus et desidiosus in operibus, prudentiam suam factis repellit et gravius est scire quid facias, nec fecisse, quod faciendum cognoveris. » *S. Augustinus* (8) inquit: « Exceptis librorum veterum sacramentis, quae sola significandi ratione praecepta sunt, caetera certe, quae ad pietatem bonosque mores pertinent, non ad aliquam significationem ulla interpretatione referenda, sed prorsus, ut sunt dicta, facienda sunt: profecto illam Dei legem non solum illi tunc populo (Iudaeorum), verum etiam nunc nobis ad instituendam recte vitam necessariam nemo dubitaverit. Quis est tam impius, qui dicat, ideo se ista legis (mosaicae) non custodire praecepta, quia est ipse Christianus, nec sub lege, sed sub gratia constitutus? » *S. Cyrillus Alex.* (9) ita loquitur: « Illud namque meminimus, quod ab omnium nostrum Salvatore Deo dicitur: *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum.* Sanctificemus ita-

(1) Ep. 1 ad Cor. n. 33 etc.
(2) In Apolog. 1. (3) L. 5, strom. n. 1.
(4) Comment. in Matth. cap. 7, n. 4.
(5) Hom. 30 in Ioann.
(6) Comment. in Isai. ad cap. 26.
(7) L. 2, de offic. cap. 2.
(8) L. 3, c. duas Epist. Pelag. n. 10.
(9) Hom. Paschal. 24.

que nos vitae laudabilis legisque praeceptis obsequentissime institutis, pulcherrimo nos velut indumento, ac festam celebritatem agentibus accommodato virtutum splendore exornantes; atque hoc pacto fiduciae pleni in eius conspectum, qui nobis celebritatem exhibet, prodeuntes. » *S. Leo M.* (1) haec habet: « Nemo de ullis sibi bonae vitae meritis blandiatur, si illi defuerint opera charitatis, nec de sui corporis puritate securus sit, qui nulla eleemosynarum purificatione mundatur. Eleemosynae enim peccata delent, mortem perimunt et poenam perpetui ignis extinguunt. Sed ui ab earum fructu fuerit vacuus, erit ab indulgentia retribuentis alienus. Haec virtus omnes facit utiles esse virtutes, quae ipsam quoque fidem, ex qua *iustus vivit*, et quae *sine operibus mortua* nominatur, sui admixtione vivificat, quia sicut in fide est operum ratio, ita in operibus fidei fortitudo. » *S. Fulgentius* (2) asserit: « Vita bona non veraciter dicitur, quae perversae credulitatis vitio depravatur: neque sufficit ad salutem fides recte credentis, si conversatio moribus atque operibus turpatur obscoenis. Propter quod, sicut mortuam sine operibus fidem B. Iacobus praedicat, sic omne quod non est ex fide peccatum esse Paulus sua praedicatione confirmat. » *S. Isidorus Hisp.* (3) ita disserit: « Frustra libidinosus sibi de sola fide blanditur, si bonis moribus non ornatur: beatus est, qui recte credendo bene vivit et bene vivendo rectam fidem custodit. » *S. Ioan. Damascenus* in Histor. Barlaam et Iosaphat (4) interroganti Iosaphat, quid post susceptum baptisma observare debeat, dixit Barlaam: « Audi quid tibi post baptismum faciendum sit. Nempe ut ab omni peccato et ab omni vitiosa affectione abstineas, atque orthodoxae fidei fundamento virtutum studium superstruas; quoniam *fides sine operibus mortua est*, quemadmodum opera etiam sine fide etc. — Haec aliaque eiusdem generis bona opera, tanquam gradus et scalae inter se cohaerentes, atque aliae ab aliis suffultae, animum in coelum subvehunt. » Constanti huic Traditioni insistens Concilium *Tridentinum* Sess. VI. can. 19 definit: *Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem caetera esse indifferentia, neque praecepta neque prohibita, sed libera, aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Et can. 20: *Si quis hominem iustificatum et quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitae aeternae sine conditione observationis mandatorum, anathema sit* (5).

3. *Ratio* ipsa per fidem illustrata, facile ostendit, bona opera ad salutem necessaria esse. Ipsa enim cognoscit, quod fides docet, finem hominis esse harmoniam moralitatis et felicitatis, innixam veritati, adeoque hominem per moralitatem tantum ad felicitatem pervenire posse (6). Iste finis per Redemptionem Christi non mutatus, sed confirmatus fuit (7). Ideo Christus non solum tanquam Redemptor pro peccatis nostris satisfecit, sed etiam tanquam Legislator non solum moralia V. T. praecepta confirmavit (8), sed etiam novas in Evangelio leges tulit (9). Non sufficit

(1) Serm. 10, c. 4.
(2) L. 2, de remiss. peccat. cap. 1.
(3) L. 2, de summo bono c. 2 (4) Cap. 11.
(5) Cf. § 378, n. 2, et § 465, n. 2.
(6) Cf. Th. gen. § 41. (7) § 202.
(8) Matth. 5, 17. (9) § 393.

ergo in divinum Redemptorem credere, sed necesse est etiam divino Legislatori obedire, sed necesse est legem evangelicam observare, ut salus aeterna obtineatur. Ideo Christus Matth. V, 3-11 *beatos* appellavit, qui varios virtutum actus exercent; et Luc. XI, 28 exclamat: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* Beatitudo ergo non per solam fidem obtinetur, sed bona opera, quae cum fide coniunguntur, sunt conditio sine qua ad beatitudinem perveniri non potest. Denique ad dogma catholicum de necessitate bonorum operum probandum, possent etiam singillatim bona opera enumerari, quae frequentissime in Evangeliis praecipiuntur, ut oratio, charitas Dei et proximi, eleemosyna, abnegatio suipsius etc.; haec autem vere praecepta esse christianis, ostendit theologia moralis. Quantum autem haec opera ad salutem requirantur et quam tristis sit eorum sors, qui bona opera negligunt, aut non debito modo perficiunt, tum ex aliis locis, tum praecipue ex verbis Apoc. (1) Angelo Laodiceae dictis eruitur, qui non de incredulitate, neque de aliis criminibus arguitur, sed cui dicitur: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.*

Nota. Bona opera requiri non solum ut signa et effectus verae fidei, sed ut conditiones, sine quibus beatitudo non obtinetur, eaque esse beatitudinis causas, clarius apparebit, ex mox dicendis de bonorum operum merito. Quae autem ab adversariis dogmati catholico apponi solent, iam soluta sunt § 465, nota 2. — Provocant quidem ad verba Christi: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (2); ubi fidei et baptismo, non autem bonis operibus salus promittitur; et ideo clamitant: salus sine operibus obtineri potest, uti patet in infantibus, bono latrone et aliis statim post baptismum decedentibus, qui sine operibus salvati fuerunt. — Ast iam alibi probatum fuit, per fidem intelligi illam, quae per charitatem operatur. Adulti ergo statim post baptismum decedentes, solvantur per fidem seiunctam quidem ab operum consummatione, non vero a bona voluntate et proposito mandata servandi et bona operandi, quod etiam de bono latrone observat *S. Cyrillus Hier.* (3) dicens: « Velle iuste agere latro, sed venit mors. » In infantibus operum incapacibus haec non requiruntur, quia Deus impossibilia non iubet, sed illis datur vita aeterna tanquam pura haereditas ob adoptionem in filios in baptismo: imo infantes nec actum fidei elicere possunt: sicuti ergo ipsi Protestantes ex hoc non inferunt, etiam adultos sine fide per baptismum salvari; ita etiam Catholici recte asserunt, bona opera non quidem infantibus, sed tamen adultis ad salutem necessaria esse, quoniam his vita aeterna datur non solum ut haereditas, sed etiam ut merces, quam per bona opera mereri debent.

(1) C. 3. 15 etc. (2) Marc. 16. 16.

(3) Catech. 13. (4) L. 3 Instit. c. 15.

IV. *De bonorum operum merito.*

§ 477. Praecipua quae inter Catholicos et Protestantes agitatur controversia versatur circa bonorum operum meritum. *Lutherus* negavit, dari opera vere bona ac meritoria aeternae beatitudinis, eoquod illa mera sint peccata, apta potius de se ad provocandam Dei iracundiam. *Calvinus* (4) veteres Patres pessime, ait; consuluisse sinceritati fidei, dum usi

nt vocabulis meriti et mercedis; cque aperte fatetur, doctrinam suam atrum traditioni esse contrariam. Se- atores Lutheri *Ph. Melanchthon* (1), *rentius* (2), *Chemnitius* (3) aliique assim admittunt opera bona iusto- im meritoria esse, non quidem i- ius vitae ac salutis aeternae, ad iam iuxta ipsos per solam fidem erveniri potest, sed alicuius prae- ii temporalis, aut etiam spiritualis, que non ex dignitate operum, quae cundum ipsos sunt vera peccata; d ex indulgentia Dei, tegentis eo- im foeditatem. — Doctrinam ca- olicam de merito bonorum operum s verbis proponit *Concilium Tri- ntinum* (4): *Bene operantibus usque finem et in Deo sperantibus propo- nda est vita aeterna et tanquam atia filiis Dei per Christum Iesum isericorditer promissa, et tanquam erces ex ipsius Dei promissione bo- s ipsorum operibus et meritis fide- er reddenda... Cum enim ille ipse ristus Iesus, tanquam caput in embra et tanquam vitis in palmites, ipsos iustificatos iugiter virtutem fluat, quae virtus bona eorum ope- semper antecedit et comitatur et bsequitur, et sine qua nullo pacto o grata et meritoria esse possent; hil ipsis iustificatis amplius deesse edendum est, quominus plene illis idem operibus, quae in Deo sunt cta, divinae legi pro huius vitae tu satisfecisse et vitam aeternam o etiam tempore, si tamen in gratia cesserint, consequendam, vere pro- ruisse censeantur... Ita neque pro- ia nostra iustitia tanquam ex nobis opria statuitur, neque ignoratur, t repudiatur iustitia Dei. Quae e- n iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in Ss. Litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum, et Apostolus testetur, id, quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis: absit tamen, ut christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona.* Ex hac declaratione patet: 1° Iustos per opera bona vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et augmentum gloriae; 2° Hanc merendi virtutem inniti Dei misericordiae, qui nostris bonis operibus aeternam retributionem promittere dignatus est, cum potuisset illa a nobis exigere absque ulla retributionis spe. Quare optime *S. Thomas* (5) adnotat, « Deum non esse factum simpliciter debitorem nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur; » 3° Hanc insuper promerendi virtutem inniti meritis Christi, a quibus iustorum opera totum meritum trahunt; 4° Denique merita nostra esse dona Dei, quia a gratia tum actuali tum sanctificante, seu habituali promanant. Hinc optime *S. Augustinus* (6) profert: « Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua. » Ex quibus etiam liquet, in doctrina catholica valde commendari humilitatem, mi-

) In Confessione Augustana, et in Apo- ia, art. 20.
2) In Confess. Würtembergensi.
(3) In Examen Conc. Trid. Sess. 6.
(4) Sess. 6, c. 16. (5) 1 2, q. 114, a. 1 ad 3.
(6) Epist. 194, cap. n. 19.

nime vero excludi, ut clamant Protestantes. His praemissis, *ex S. Scriptura* et *ex Traditione* dogma catholicum probamus, quod dicit, iustos per opera bona ex gratia facta, vere mereri beatitudinem aeternam.

1. *Sacra Scriptura* non solum mandata divina hominibus proponit, sed etiam ea observantibus, seu bona opera perficientibus vitam aeternam tanquam mercedem, seu praemium promittit. Iam in V. Testamento, quamvis Israëlitis carnalibus praemia temporalia pro divinarum legum observantia frequenter proposita fuerint, varia tamen loca inveniuntur, in quibus recte operantibus beatitudo aeterna promittitur. Gen. XV, 1: Deus ipse ad Abraham, qui promptam mandatis divinis obedientiam exhibuerat et multa iam bona opera perfecerat, dixit: *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis;* quibus verbis ipsi protectionem in hac et per visionem beatificam summam felicitatem in altera vita promittit: hanc vero Deus ipse *mercedem* pro fideli servitio retributam nominat. Ps. XIV, 1 legitur: *Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam.* Ps. XVIII, 12: *Servus tuus custodit ea* (praecepta tua): *in custodiendis illis retributio multa.* — Prov. XI, 18: *Seminanti iustitiam merces fidelis.* Sap. V, 16 etc. sorti tristissimae impiorum in altera vita opponitur felicitas iustorum post mortem, his verbis: *Iusti autem in perpetuum vivent et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini.* Eccli. XVIII, 22: *Non impediaris orare semper et ne verearis usque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in aeternum.* — In N. T. frequentissime beatitudo aeterna operum bonorum merces nominatur. Matth. V, 10 etc. Christus ait: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.* Matth. X, 42 Christus inquit: *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tanquam in nomine discipuli; amen, dico vobis, non perdet mercedem suam.* Matth. XIX, 29: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* Dantur etiam effata Christi, quae ita vitam aeternam reddi testantur bonis operibus, ut haec ipsa causa sint ob quam illa concedatur. Christus enim ad servum, qui ex talentis conveniens lucrum retulit (1), dicit: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Et ibid. (2) electos ad aeternam gloriam vocans ait: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare* etc. Paulus quoque clarissime docet, vitam aeternam praemium bonorum operum esse. Rom. II, 6 etc. loquens de iudicio Dei ait: *Reddet unicuique secundum opera eius: iis quidem, qui secundum patientiam bonis operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam.* I Cor. IX, 24: *Nescitis, quod ii qui*

(1) Matth. 25, 21. (2) V. 34 etc.

stadio currunt, omnes quidem cur-unt, sed unus accipit brabium, id t, praemium victoribus destinatum? – *sic currite ut comprehendatis*: omparat ergo beatitudinem aeter-am bravio seu praemio, quod in via andatorum divinorum currendo, seu ona opera peragendo obtinetur. II or. IV, 17 scribit: *Id quod in prae-enti est momentaneum et leve tribu-ationis nostrae, supra modum in ublimitate aeternum gloriae pondus peratur in nobis.* Idem Apostolus (1) e seipso dicit: *Bonum certamen ertavi, cursum consummavi, fidem ervavi. In reliquo reposita est mihi rona iustitiae, quam reddet mihi ominus in illa die iustus iudex; non olum autem mihi, sed et iis qui dili-unt adventum eius:* aeternam ergo eatitudinem coronam nominat, quam t praemium propter merita sibi de-itum a iusto iudice accepturus erat. ol. III. 23 etc. scribit: *Quodcunque ceritis, ex animo operamini sicut Do-ino et non hominibus, scientes, quod Domino accipietis retributionem ereditatis.* Hebr. X, 35 etc. inquit: *olite itaque amittere confidentiam estram, quae magnam habet remu-erationem. Patientia enim vobis ne-essaria est ut voluntatem Dei fa-ientes reportetis promissionem.* Iac. , 12: *Beatus vir qui suffert tenta-ionem, quoniam cum probatus fue-it, accipiet coronam vitae, quam re-romisit Deus diligentibus se.* Apoc. , 10 Ioannes nomine Dei Angelo myrnae scribit: *Esto fidelis usque d mortem et dabo tibi coronam vi-ae.* Ibid. (2) legitur: *Hi sunt, qui enerunt de tribulatione magna et avarunt stolas suas et dealbaverunt as in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei* etc. Denique ibidem (3) dicitur: *Qui iustus est, iustificetur adhuc, et qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Ecce venio cito et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* Constanter ergo S. Scriptura docet, gloriam coelestem bonorum esse operum mercedem, seu praemium: vere ergo iusti per opera bona ex gratia facta, aeternam beatitudinem merentur.

2. *Ss. Patres* eandem doctrinam proponunt. *S. Ignatius M.* (4) scribit: « Sinite me bestiarum escam fieri, ut possim Deum mereri. » *S. Iustinus M.* (5) Christianorum fidem his verbis palam profitetur: « Edocti a prophetis poenas et supplicia, ac bonas remunerationes pro meritis actionum cuiusque irrogari, verum esse confirmamus. — Fatum ineluctabile illud esse dicimus, his qui bona eligunt, merita praemia tribui, his vero, qui contraria, debitam mercedem (poenam irrogari). » S. *Cyprianus* (6) inquit: « Iustitia opus est, ut promereri quis possit Deum iudicem; praeceptis eius et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem. » *Origenes* (7) ait: « Ne putent (Fideles), sibi hoc solum sufficere posse, quod credunt; sed sciant, iustum iudicium Dei reddere unicuique secundum opera sua. » *S. Irenaeus* lib. IV, adv. haer. integro capite XXVII doctrinam de merito bonorum operum egregie proponit, et n. 7 dicit: « Pretiosam arbitremur coronam, videlicet, quae per agonem nobis acquiritur. » *Tertullianus* (8) ita argumentatur: « Ordo non aliud, quam meritorum dispositor. Merita autem quum corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum dispo-

(1) 2 Tim. 4, 7. (2) Apoc. c 7, v. 14 etc.
(3) Apoc. c. 22, v. 11.
(4) In Epist. ad Rom. n. 4.
(5) Apol. 1, n. 43.
(6) L. de unit. Eccl. n. 13.
(7) L. 2 in Ep. ad Rom. n. 4.
(8) L. de resurrect. carnis, cap. 43.

natur necesse est, ut possit esse meritorum.» *S. Hilarius*(1) haec profert: « Regnum Dei vitae nostrae stipendiis quaeramus. Et haec recte perfecteque viventium merces est. » Et alibi (2): « De nostro beata illa aeternitas promerenda est; praestandumque aliquid est ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus, totoque affectu praeceptis coelestibus obtemperemus. » *S. Basilius* lib. de Spirit. S. (3) inquit: « Homo ex operibus iustitiae salvatur. » Et hom. in init. Proverb.: « Omnes qui viam evangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem coelestium comparantes. » *S. Gregorius Naz.* Or. 40 (4) haec habet: « Anima per concertationem et colluctationem cum rebus inferioribus ad supernae gloriae haereditatem perveniat... eaque, quae in spe posita sunt, non solum ut Dei beneficium, sed etiam ut virtutis praemium obtineat. Atque hoc ipsum erat summae bonitatis efficere, ut bonum esse quoque nostrum, non natura tantum insertum, sed etiam per voluntatem liberique arbitrii in utramque partem motiones excultum.» *S. Gregorius Nyss.* (5) ait: » Mandatum quidem exiguum est, obedientiae vero quaestus ingens; quare nihil exposcit, quod superat vires. Verum sive parvum, sive magnum quid facias, sequitur te merces ex proposito. » *S. Crysos.* (6) inquit: « Ambo (improbus et iustus) pro dignitate recipient illic; hic quidem coronas patientiae tolerantiaeque, ille vero supplicia et poenas improbitatis; » additque (7): « Si iustus est Deus, et his el illis reddet pro meritis, et hoc in confesso est. Quodsi et his et illis rependet pro meritis, hic vero nullus eorum recepit, neque ille improbitatis poenam, neque hic virtutis praemia; perspicuum est, restare tempus aliquod in quo congruens praemium uterque feret.» *S. Ambrosius* (8) quaerit: « Nonne evidens est, meritorum aut praemia aut supplicia manere post mortem? » et ibid. (9) expresse testatur: « Bonae operationis mercedem esse beatitudinem vitae aeternae.» *S. Hieronymus*(10)inquit: « Qui ista vere esse crediderint, necesse est, curam habeant bonorum operum, per quae haereditas Dei et spes vitae preparatur aeternae... Necesse est enim, ut curam bonorum operum habeant, quae adimpleta, et omni studio perpetrata sunt bona, utiliaque credentibus. » *S. Paulinus Nol.* Epist. ad Victricium(11) scribit: « Tuarum tibi praemia se debere virtutum, iudex iustus agnoscet. » — *S. Augustinus* Ep. ad Sixtum (12) haec habet: « Nullane sunt merita iustorum? Sunt plane, quia iusti sunt; sed ut iusti fierent merita non fuerunt. » Ibid. (13): «Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiae tanquam stipendium vita aeterna. » Et lib. I de moribus Eccles.(14) inquit: «Vita aeterna est totum praemium, cuius promissione gaudemus. Nec praemium potest praecedere merita, priusque homini dari quam dignus est. Quid enim hoc est iniustius, et quid iustius Deo? Non ergo debemus poscere praemium, antequam mereamur accipere. » *S. Leo M.* (15) ita disserit: «Magi de thesauris suis mysticas Domino munerum

(1) Comment. in Matth. cap. 5.
(2) In Matth. cap. 6, n. 5.
(3) Cap. 24, n. 55. (4) N. 45.
(5) De scopo Christian.
(6) Hom. 4 de Lazaro n. 2.
(7) Ibid. n. 4. (8) L. 1 de offic. c. 15.
(9) L. 2 c. 9.
(10) Comment. in Ep. ad Titum. c. 3, v. 8
(11) Ep. 29. (12) Ep. 194, c. 3, n. 6.
(13) C. 5, n. 20. (14) Cap. 25, n. 5b.
(15) Serm. 2 de Epiph.

species obtuleruut: ita et nos de cordibus nostris, quae Deo sunt digna, promamus. Quamvis enim omnium bonorum sit ipse largitor; tamen nostrae etiam quaerit fructum industriae. Non enim dormientibus provenit regnum coelorum, sed in mandatis Dei laborantibus et vigilantibus. » *S. Gregorius M.* (1) dicit: « Qui promerendae vitae mercedem bene agendo non providet, in conspectu Domini vacuus apparet. Hinc de iustis per Psalmistam dicitur: *Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos.* Ad examen quippe iudicii portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mereantur, ostendunt. » *Concilium Arausicanum II* can. 18 ita decrevit: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quae non debetur, praecedit ut fiant.* Et *Concilium Tridentinum* propositionem nostram de fide esse, declaravit, definiens Sess. VI, can. 26: *Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo, per eius misericordiam et Iesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit.* Et can. 32: *Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum, bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.*

(1) L. 7 Mor. cap. 18. (2) 1 2, q. 114, art. 3, et in 2, Dist. 27, q. 1, art. 3.

Nota 1. Theologi, ut, doctrinam de merito bonorum operum uberius explicent, post *S. Thomam* (2) duplex distinguunt meritum, aliud quod vocant *de condigno*, aliud *de congruo*. Primum est meritum proprie tale, cui scilicet merces, vel praemium ex iustitia debetur, seu, ut inquit *S. Thomas* (3): « Quando invenitur aequalitas inter praemium et meritum secundum rectam aestimationem. » Alterum est meritum minus proprie sumptum, quando scilicet operi non est promissa retributio, atque adeo ex strictis iuris apicibus ei minime debetur, attenta tamen ipsius operis bonitate, congruum videtur ac decens, ut aliqua ei remuneratio tribuatur. Aptissimum ad hanc duplicem meriti speciem explicandam est exemplum militis, qui quotidiana sua stipendia ex iustitia, et *de condigno* meretur; aliquid tamen etiam praeter stipendium *de congruo* ei deberi videtur, dum strenuo aliquo facinore se ab aliis distinguit; quatenus decet et congruum est, ut singulares actus virtutis singularibus praemiis remunerentur. Hac posita meriti distinctione, Theologi meritum *de condigno* non tribuunt, nisi actionibus in gratia sanctificante factis, et quae ad vitam aeternam referuntur; meritum vero *de congruo* tribuunt actionibus etiam peccatorum, quando isti gratia actuali moti et adiuti, ad iustificationem se praeparant et disponunt.—Haec duplicis meritis distinctio omnibus ferme probatur, magnumque habet tum in Ss. Litteris, tum in Ss. Patribus fundamentum. Tradit eandem *S. Augustinus* Ep. 194 (4), ubi impios per fidem mereri docet remissionem peccatorum; ait enim: « Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo me-

(3) Loc. cit. ex 2 Sent.
(4) Al. 105, cap. 3

rito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori* (1), et descendit iustificatus, merito fidei humiliatus. » At vero huiusmodi meritum vere et proprie tale, seu de condigno non est, dicente ibidem S. Doctore: « Ut iusti fierent, merita non fuerunt: » meritum ergo hominis nondum iustificati, quo remissionem peccatorum impetrat, est meritum minus proprie sumptum, quod S. Augustinus *aliquod* meritum vocat, et nos meritum *de congruo* nominamus. — Quamvis porro, quae de hac meriti distinctione, eiusque specie et natura traduntur, explorata sint apud omnes fere catholicos theologos, ad fidem tamen minime spectant, cum nulla habeatur circa haec Ecclesiae definitio, et in controversiam a nonnullis vocentur. Cl. *Veronius* in sua Regula fidei (2) asserit, non esse de fide catholica: *primo*, dari meritum de congruo; *secundo*, nec - dari de condigno; *tertio*, nec - merita esse ex iustitia potius, quam ex fidelitate; *quarto*, multo minus - dari ex iustitiae rigore. Haec enim omnia etiam apud catholicos aliquos in controversiam vocantur. Em. *Bellarminus* ad quaestionem: « Sit ne meritum iustorum dicendum ex condigno, an ex congruo? » respondet (3) dicens: « Catholici omnes agnoscunt, opera bona iustorum esse meritoria vitae aeternae; sed tamen aliqui censent, non esse utendum his vocibus *de condigno* et *de congruo*, sed absolute dicendum, opera bona iustorum esse meritoria vitae aeternae. Ita docet *Thomas Waldensis* (4) cui subscribere visus est *Paulus Burgensis* in Addit. ad Comment. Nic. Lyrani in Ps. XXXV. — Alii volunt, opera bona iustorum esse meritoria de condigno, largo modo, ita ut hoc condignum respectu condigni proprie sumpti possit dici congruum; respectu congrui proprie sumpti possit dici condignum. Ita docent *Durandus* (5) et *Gregorius* (6). »

Nota 2. Ut Theologiae polemicae satisfiat, audiendae et refellendae sunt adversariorum obiectiones.

Obi. I. In S. Scriptura beatitudo aeterna dicitur ex misericordia, tanquam gratia, seu ut haereditas dari. Ps. CII, 4 iustificato dicitur: Deus *coronat te in misericordia et miserationibus*. Tit. III, 5 legitur: *Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*. Rom. VI, 23: *Gratia Dei vita aeterna;* et cap. VIII, 17: *Si filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi;* tum Ps. XV, 5: *Dominus pars haereditatis meae;* porro haereditas filiis debetur, non ex merito, et labore, sed ex solo iure filiationis seu adoptionis.

Resp. Vita aeterna est simul *gratia* et *merces*: *merces*, quia nonnisi bonis operibus redditur; *gratia* autem, tum quia gratuita Dei bonitate iustis bene operantibus promissa est, tum etiam quia merita nostra, quanta sunt, nonnisi ex Dei gratia subolescunt. Ideo Tridentini Patres (7) dicunt: *Proponenda est vita aeterna et tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda*. Hinc S. Scriptura vitam aeternam modo mercedem, modo gratiam appellat, et una denominatio alteram non tollit.

(1) Luc. 18. (2) Cap. 2, § 1.
(3) Lib. 5, de iustif. cap. 16.
(4) Tom. 3 de Sacram. cap. 7.
(5) In 2 Sent. dist. 27, q. 2.
(6) In 1 Sent. dist. 17, q. 1, art. 1
(7) Sess. 6, cap 16.

Ex eadem causa dicimur ex misericordia coronari et salvari, quia ex sola misericordia redempti et iustificati sumus; imo in citatis locis Ps. CII et Tit. III sermo est de iustificatione, quae gratuito et ex sola Dei misericordia obtinetur. Haereditas debetur quidem filiis naturalibus et etiam adoptivis, si absque ulla apposita conditione adoptati sunt, ut in haereditatem patris succedant; si autem sub aliqua conditione adoptantur, tunc et titulo adoptionis et implendae conditionis succedunt. Iam vero Deus homines in filios adoptavit, ut consequantur haereditatem sub iis tantum conditionibus, quas ipsemet proposuit, quibus *digni habeantur regno Dei*, ut inquit Apostolus II Thess. I, 5, si sermo sit de adultis; infantes enim ex solo titulo haereditatis eam percipiunt.

Obi. II. Christus (1) de servo, qui operam suam praestitit ut debebat, inquit: *Numquid* (Dominus) *gratiam habet servo illi, quia fecit quae illi imperaverat? Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus;* quibus verbis perspicue significatur, nullum in nobis meritum esse, etiamsi totam legem impleamus; quod luculentius *Theophylactus* declarat dicens: « Servus, si non operabitur, dignus est multis plagis; cum autem operatus fuerit, contentus sit, quod plagas effugerit. »

Resp. Christi verba eo spectant, ut omnem a nobis superbiae et arrogantiae radicem evellant, non autem ut a nostris bonis operibus rationem meriti demant. Hinc non dicit Christus, nos, cum fecerimus omnia quae praecepta sunt nobis, servos inutiles esse, nam potius contrarium asserit: *Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis* (2); sed tantum vult, ut nos ipsos reputemus tanquam servos inutiles: *dicite, servi inutiles sumus.* Quod quidem pluribus de causis vere dicendum est: *primo,* quia si aliquid quod ad vitam aeternam utile sit, facimus, id per gratiam et adoptionem divinam facimus; unde si quam Deus mercedem pro opere bono nobis rependat, « nihil aliud coronat quam munera sua, » ut ait *S. Augustinus* (3); *secundo,* quia nostro obsequio nihil utilitatis Deo contulimus; unde per observationem mandatorum sumus utiles respectu nostri, inutiles vero respectu Dei, cui cum Psalmista dicere debemus: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (4); *tertio,* quia si tantum facimus id, quod praeceptum est, nihil singulare et ultra mercedem promissam consequemur, quod ultimum videtur spectare Christus, cum dicit: *Quod debuimus facere, fecimus; quarto,* quia opera nostra, si in seipsis spectentur, Dei promissione seposita, nullam plane merentur retributionem, cum infinitis titulis Deo sint debita. Et hac etiam de causa recte dicere potuit *Theophylactus,* contentos nos esse debere, quod plagas operando effugerimus, quia nempe, seclusa Dei promissione, nulla nostris operibus merces deberetur.

Obi. III. Ad verum meritum requiritur proportio inter opus et mercedem. Atqui inter opera iustorum et vitam aeternam nulla est proportio, dicente Apostolo: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (5); et commune est theologorum effatum: Deus remunerat ultra condignum: ergo vita aeterna non

(1) Luc. 17, 9 etc. (2) Io. 15, 14.
(3) Ep. 105. (4) Ps. 15.
(5) Rom. 8, 18.

potest dici merces, seu praemium pro bonis operibus.

Resp. Non est quidem inter bona opera iustorum, et vitam aeternam proportio aequalitatis, quam exigit iustitia commutativa; est tamen proportio aliqua ex divina ordinatione derivata, quae satis est ad constituendam iustitiam distributivam. Cum enim Deus bonis nostris operibus praemium promittere dignatus sit, etiam debitor factus est sibi ipsi, ut ea remuneret. Unde *S. Augustinus*(1) ait: « Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti, et hoc tu fecisti, quia laborantes iuvisti. » Verba Pauli et effatum theologicum tantum probant, non esse inter opera nostra et praemium proportionem aequalitatis, quod libenter fatemur, annuente Scriptura (2). Quamvis porro opera nostra bona considerata secundum se, proportionem ad gloriam aeternam non habeant, illam tamen habent, si considerentur, prout a gratia sanctificante procedunt. Hanc enim Christus comparat fonti aquae salientis in vitam aeternam (3), quo fit, ut opera nostra bona quamdam proportionem ad aeternam beatitudinem acquirant; ut enim *S. Thomas*(4) observat: «Gratia gratum faciens comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in natura ad effectum naturalem: unde I Io. III, 9 gratia semen Dei nominatur. »

Obi. IV. Ad verum meritum requiritur plena et integra legis observatio: atqui haec impossibilis est, dicente Iacobo: *In multis offendimus omnes* (5). Praeterea nemo potest Deum perfecte, ut oportet, diligere: ergo nemo potest mereri. Ideo Apostolus non ausus est, vitam aeternam stipendium, seu mercedem bonorum operum vocare, sed puram gratiam appellavit. Nam Rom. VI, 23 cum dixisset: *Stipendium peccati mors*, non dixit, prout poscebat antithesis: *Stipendium bonorum operum vita aeterna*, verum *gratia autem Dei vita aeterna*. Hinc Isa. LV, 1 Deus ipse ostendit, se gratis, non pro meritis vitam aeternam concedere, dicens: *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.*

Resp. S. Iacobus loquitur de peccatis venialibus, quae charitatem non extinguunt, ac ideo illam legis observationem non tollunt, quae vitam aeternam meretur. Neque amoris divini defectus omne meritum excludit. Siquidem per Dei gratiam tria illa praestare possumus, quae ad accuratam praecepti dilectionis divinae observantiam requiruntur, nempe ut Deum omnibus praeferamus, ut nihil nisi in ordine ad Deum diligamus, et ut ad maiorem semper in Dei amore perfectionem eluctemur. Quod Rom. VI, 23 attinet, *S. Augustinus* (6) observat, potuisse Apostolum appellare vitam aeternam *stipendium*, «quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiae tanquam stipendium vita aeterna: » noluisse tamen Apostolum hac voce uti ad compescendam humanam superbiam; ac propterea concludit, vitam aeternam fuisse appellatam *gratiam*, non ideo, quia meritis non detur, sed quia data sunt ex ipsa merita, quibus datur. Denique textus Isaiae non refertur ad vitam aeternam, sed ad gratiam, quae in hac vita a Deo tribuitur, quae sub vini ac lactis symbolis significatur. Nemo porro

(1) Serm. 158, al. 16, de Verb. Apost. c. 2.
(2) Matth. 19, 29; 2 Cor. 4, 17 etc.
(3) Io. 4, 14. (4) 1, q. 62, art. 3.
(5) Iac. 3, 2.
(6) Ep. 194, al. 105 ad Sixtum, c. 5.

ıficiatur, gratiam gratis conferri; ed haec exigit laborem et cooperaonem nostram.

Obi. V. Patres passim docent, viam aeternam gratis donari nobis, et ulla esse merita nostra.

Resp. Locis Patrum, quibus abuntur adversarii, opponimus eorum estimonia iam n. 2 adlegata. Dum itur contrarium dicere videntur, vel quuntur de gratuito principio metorum nostrorum, nempe de gratia gratuita Dei promissione; vel de eritis naturalibus adversus Pelaanos; vel ideo beatitudinem aeterm gratuitam dicunt, quia inter oera bona, et vitam aeternam non tur proportio aequalitatis, praecie si respectus habeatur durationis. ngillatim obiecta Patrum testimoa explanant *Bellarminus* de Iust. (1), *zzaniga* de gratia (2), *Sardaia* (3) et alii.

Obi. VI. Christus meruit nobis vim aeternam. Ergo vel Christi mea per se sufficiunt, vel non suffiunt. Si ea dicamus sufficere, frura igitur requiruntur opera nostra; dicamus non sufficere, iniuriam ogamus Christo: vel saltem inde queretur, nos gloriam dividere in· Christum et homines, si praeter is merita nostra etiam requirerenus ad vitam aeternam obtinendam.

Resp. Christus non eo sensu merit nobis vitam aeternam, ut nos nil praestare deberemus, sed eo nsu meruit, ut nobis compararet ntias, quibus cooperantes applicanus nobis merita ipsius, et hac ione opera nostra efficerentur meoria, quod iam alibi (4) probatum . Facile igitur est, tritum adverriorum dilemma solvere: recte en dicitur, merita Christi sufficere et non sufficere. Sufficiunt quoad se, cum Christus superabundanter et cumulatissime pro nobis satisfecerit; non sufficiunt quoad nos ex positiva Dei voluntate, qui noluit, ut Christi merita nobis vitam aeternam comparent, nisi gratiis divinis accederet cooperatio nostra, et sic meritoria opera perficerentur. Tantum vero abest, ut inde detrahatur meritis Christi, quin potius maxime commendetur eorum efficacia, qua non solum obtinuit nobis ius vitae aeternae, sed etiam vim et virtutem merendi. Hinc quemadmodum nihil detrahitur de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum afferant; imo quo uberiores fructus palmites ferunt, eo magis laudanda est vitis, quia quidquid vivi succi et humoris habent palmites, totum ex ea habent; ita nihil detrahitur de gloria meritorum Christi per merita nostra, quae ex ipsis procedunt, sed potius merita Christi per merita nostra etiam atque etiam commendantur. Falsum denique est, ex doctrina catholica sequi, gloriam dividi inter Christum et homines. Nam etiam Catholici fatentur, nulla esse merita nostra, nisi gratia Dei nos praeveniat et adiuvet; unde omnis gloria meritorum nostrorum in Christum redundat; quamobrem Concilium *Tridentinum* dicit: *Absit, ut christianus homo in se ipso vel confidat vel glorietur, et non in Domino, cuius tanta est erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona* (5).

V. *De conditionibus ad meritum requisitis.*

§ 478. Si vita aeterna merces est bonorum operum, sine quibus illa ab adultis obtineri nequit; summi profecto momenti est, ut cognoscamus,

.) L. 5, c. 6. (2) P. 2, Diss. 3, c. 2.
) T. 4, art. 3, Contr. 2.
(4) § 377 et 378. (5) Sess. 6, c. 16.

quomodo opera nostra comparata esse debeant, ut meritoria fiant. Haec tractatio equidem ad theologiam practicam seu moralem spectat, quae non solum praecepta divina explanat, modumque ea adimplendi praescribit, sed etiam hominem docet, quomodo monitis et consiliis evangelicis obtemperantes ad christianam perfectionem pertingere possint. Sed propter errores Novatorum necesse est, ut etiam in theologia theoretica summa principia de conditionibus ad meritum requisitis tradantur. Alias enim conditiones ad meritum requirunt Novatores, alias Catholici; illas refellere, has vero declarare et probare oportet.

A. *Conditiones a Novatoribus ad meritum requisitae refelluntur.*

§ 479. Novatores, ut sibi viam sternant ad omne meritum nostrum eliminandum, has quatuor ad meritum constituendum conditiones effingunt et exposcunt: 1ª ut opus debeat esse perfectum, seu omnibus numeris absolutum, purum propterea a qualicumque imperfectionis naevo; 2ª ut nullo titulo sit debitum; 3ª ut nostrum sit et non alienum, seu gratia partum; 4ª ut proportionem habeat aequalitatis cum mercede. Has conditiones autem ad meritum non requiri, facile ostenditur.

1. Primam conditionem perperam pro merito requirunt adversarii. Quamquam enim opera in se spectata, atque ut scholastici loquuntur, *materialiter* imperfecta sint, et iustus saepenumero in venialia peccata prolabatur; attamen, ut per bona opera vitam consequatur aeternam, sat est, quod iustus operans habeat per gratiam *habitualem* tantam dignitatem et perfectionem, ut per istam opera possint cum promissa mercede aequiparari, ac sint aeternae vitae quas radix et semen. Nam etiam Christ passio, si tantum attendas patibulun crucis sanguinisque effusionem, fin ta est, nec omnium Martyrum exce dit cruciatus; at inspecta tamen di gnitate personae, omnem exaltatio nem promeruit, et magis efficax fuit quam passiones Martyrum universo rum. Ergo non opera iustorum quat tum ad solam officiorum exhibitio nem spectanda erunt, sed quantur ad excellentiam virtutis illis dignita tem tribuentis. Minimum quidem es semen quercus, at producit proce ram arborem; et aqua suapte natur per meatus terrae dilabitur, sed in c nali compressa, ascendit ad altitudi nem scaturiginis. Reperitur in iust Spiritus sancti charisma, atque *seme* Dei *manet in eo* (1); et in eo parite est *fons aquae salientis in vitam ae ternam* (2). Quae cum ita sint, qu negabit, in iusto, quamvis ab omnibu defectibus immunis non sit, oper vere meritoria dari? — Certe Deu infinite misericors non solum oper bus absolute ex omni parte perfecti quae difficillime in hac vita inveniu tur, sed et operibus iuxta praesente hominis vires undequaque bonis me cedem promisisse, censendus est. I si Novatores Christi iustitiam tanta reputant, ut etiam in homine iniqu tatibus interius contaminato omn peccata tegat, quomodo negare no erubescunt, Christum per merita si infiniti pretii in homine iusto, si intime unito defectus illos supplere qui non tam ex malitia voluntati quam ex infirmitate naturae oriun tur?

2. Altera quoque conditio ma constituta est. Aiunt enim, ad mer tum requiri, ut opus nullo titulo s debitum, quod confirmare nitunt

(1) 1 Io. 3, 9. (2) Io. 4, 14.

xemplo, quoniam subditus non me-
etur, si praestet principi obedien-
am, nec filius, si parentibus debi-
um exhibeat obsequium. Sed male
rgumentatur. Si enim haec conditio
dmittatur, nec opera Christi fuerunt
eritoria, propterea quod debebat i-
se quoque praecepta Patris implere.
portet ergo in bonis operibus di-
inguere ipsorum debitum a merito
onae voluntatis; cum enim Deus
ominem condiderit liberi arbitrii,
c dominum suorum actuum, neque
d bene operandum quemquam im-
ellat necessitate, habetur ratio meriti
on a conditione servili, sed a domi-
io liberae voluntatis. Ac ideo in his
uae necessitate fiunt, nihil esse me-
ti, non solum fatemur, verum etiam
ontra Iansenianos propugnamus. Ita-
ue allatum servorum filiorumque
xemplum in haereticos retorquetur.
egamus enim, illos nihil promereri,
um iussa dominorum atque paren-
um libera voluntate exequuntur. Me-
entur plane, et magis filius quam
ervus; quia licet plus debeat patri,
aiori amore et alacritate eius man-
atis obtemperat. Causa itaque me-
ti non est opus quod debetur, sed
eris quod debetur, libera et non
acta executio. Ideo ipsa S. Scri-
ura nos exhortatur, ut opera nobis
iuncta *non coacte, sed spontanee se-
undum Deum* perficiamus.

3. In tertia quoque conditione as-
gnanda Novatores labuntur errore
aximo. Opus patratum a gratia no-
rum esse negant immerito. Est qui-
em rationalis creatura instrumen-
m Dei, sed animatum, liberum, se
ovens, propria praeditum potesta-
, et potens dissentire gratiae illud
oventi atque excitanti. Opus ergo
eritorium debet etiam nostrum re-
ıtari. Demonstratur id apertissime
angelicis verbis Io. XV, 5, ubi Salva-
tor ait: *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Arescentem palmitem, et a vite recisum non germinare uvas, atque impium non manentem in Christo aeternam vitam non promereri, certissimum quidem est, dicente Domino: *sine me nihil potestis facere;* sed uvas non produci a palmite coniuncto cum vite, licet ille nequeat *ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite*, a iusto nimirum non ferri fructum bonorum operum, repugnat dominicae sententiae: *hic fert fructum multum. S. Augustinus*, quamvis necessitatem et efficaciam gratiae strenue propugnaverit, non tamen negavit, opera ex gratia facta nostra quoque esse; sed (1) dicit: « *certum est* nos mandata servare, si volumus; certum est nos velle, dum volumus; certum est nos facere, cum facimus. » Itaque praeparari voluntatem nostram a Domino, ipsumque per gratiam praevenientem facere, ut faciamus, bonorum quoque operum causam principalem Deum esse, absque repugnantia concedimus; eadem autem opera nostra non esse, utilia non esse, meritoria non esse, iure meritoque negamus.

4. Quartam operis meritorii conditionem parum a prima dissimilem, haeretici hanc esse aiunt, ut opus non tantum sit dignum et perfectum, sed etiam habeat cum mercede proportionem aequalitatis: quid autem de hac conditione censendum sit, patet ex dictis § 476, in Resp. ad Obi. 3. Ast nonnulli haereticorum addunt conditionem quintam, ut ille, cuius gratia opus praestatur, recipiat emolumentum aliquod, vel honorem. Sed etiam haec conditio est explodenda. Nam, si asserant nullum operibus no-

(1) L. de grat. et lib. arb. c. 16.

stris Deo accedere commodum atque intrinsecum emolumentum, verum dicunt; nam Iob (1) inquit: *Porro si iuste egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* — At conditione hac posita, quomodo invenient meritum in operibus Christi? aut quomodo invenient debitum in operibus malis? dicente Iob ibidem: *Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum?* Quod si affirment, bonis operibus homines non praestare Deo honorem et gloriam, mentiuntur plane, atque refutantur verbis Christi: *Sic luceat lux vestra coram hominibus; ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* (2); et: *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis* (3); nec non Apostoli; *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (4). Quodsi interna Dei bonitas per opera nostra non augetur, haud ideo operum meritum est negandum, sed immensa Dei bonitas laudanda est, quae bonis operibus nullam sibi utilitatem afferentibus mercedem promisit (5).

B. *Conditiones a catholicis ad meritum requisitae declarantur, et probantur.*

§ 478. Catholici, supposita distinctione inter meritum proprie dictum, seu *de condigno*, ac meritum improprie dictum, seu *de congruo*, alias assignant conditiones ad meritum *de condigno*, alias ad meritum *de congruo*, sive ex parte retribuentis, id est, Dei, sive ex parte operantis, sive ex parte operis. Ad meritum *de condigno* ex parte *Dei* requiritur *promissio mercedis;* ex parte *operantis* duae conditiones essentialiter requiruntur: 1ª *ut sit viator*, 2da *ut sit iustus*, seu in statu gratiae; ex parte *operis* tres conditiones necessario requiruntur 1ª *ut sit liberum a necessitate*, 2da *ut sit bonum et honestum*, 3tia *ut sit supernaturale et quoad essentiam seu entitatem, et quoad motivum seu finem*, et plurimi requirunt, 4ta *ut opus eliciatur ex imperio charitatis*. Has septem conditiones declarare et probare oportet.

1. Prima conditio ad meritum *ex parte Dei* requisita est *promissio mercedis* bono operi reddendae, seu, ut nonnulli *Thomistae* loquuntur, est ipsa voluntas seu decretum Dei ordinantis bonum opus ad praemium seu mercedem. In hac conditione asserenda communiter theologi consentiunt, excepto *Vasquezio* cum paucis aliis. In ipsa S. Scriptura Deus dicitur iustis mercedem reddere, quam promisit. Matth. XX, 1-16, Deus se comparat patrifamilias, qui conventionem facit cum operariis de denario diurno, et cum sero factum esset, non aliam mercedem reddidit, nisi quam promisit. Paulus Hebr. XII, 6 ait: *Fide et patientia haereditabunt promissiones;* et ibid. (6): *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Apostolus igitur ipsam mercedem, seu beatitudinem aeternam promissionem vocat. Iacobus (7) pariter de iusto dicit: *Accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* — Idem docent Ss. Patres ut *S. Cyprianus* (8), *S. Paulinus* (9) et *S. Augustinus*, qui Enar. in Ps. CIX ait: « Fidelis Dominus, qui se nobis debitorem fecit, non aliquid a nobis accipiendo, sed omnia promittendo; » et (10) Serm. de Verbis Apostoli: « Deus

(1) C. 35, 7. (2) Matth. 5, 16.
(3) Io. 15, 8. (4) 1 Cor. 6, 20.
(5) V. Berti de theol. discipl. lib. 19. cap 6, condit. op. merit. iuxta doctrin. haeret.

(6) C. 10. 36. (7) C. 1, 13.
(8) In lib. de opere. et eleem.
(9) In Epist. 28, ad Victric. 2.
(10) Serm. 158 (al. 16).

debitor factus est, non aliquid a nobis accipiendo, sed aliquid quod ei placuit promittendo. » Idem scribit *S. Fulgentius* in Prologo lib. ad Monimum: « Seipsum sua largitate dignatus est facere debitorem. » Clarissime eandem conditionem exigi, docet Concilium *Tridentinum* (1) dicens: *Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda.* Huc etiam merito refertur propositio II *Baii*, ab Apostolica sede proscripta: « Sicut opus malum est natura sua mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex sua natura est vitae aeternae meritorium. » Ex cuius propositionis damnatione inferendum est, bonum opus *non ex sua natura*, sed ex promissione divina meritorium esse. Ratio est, tum quia sumus natura Dei servi, a quibus potest ille omnia opera servato aequitatis iure sine remuneratione aliqua exigere; tum quia nullo alio pacto potest Deus constitui hominum debitor, nisi quatenus rationi et veritati maxime convenit, ut sit fidelis et stet promissis. Hinc *S. Thomas* (2) ait: « Meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis. »

2. Secunda conditio est *status viatoris*, quia tempus merendi ex ipsa Dei ordinatione cum hac vita desinit. Quod luculenter S. Scriptura docet. Eccle. IX, 5 dicitur: *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Et ibid. (3) homo arbori comparatur, quae, si caesa fuerit, fructum referre nequit; unde dicitur: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Recte idcirco idem Ecclesiastes (4) monet: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Christus ipse dicit: *Venit nox, quando nemo potest operari* (5); quae verba exponens *S. Augustinus* (6) scribit: « Aliud est tempus operationis, aliud receptionis: reddet enim Dominus unicuique secundum opera sua. Cum vivis, fac, si facturus es: erit enim tunc nox valida, quae involvat impios. Sed et modo omnis infidelis, quando moritur, illa nocte suscipitur et non est, ut illic aliquid operetur. » Apostolus Gal. VI, 10 inquit: *Dum tempus habemus, operemur bonum:* per tempus vero stadium huius vitae intelligit; nam II Cor. V, 10 dicit: *Omnes nos oportet adstare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Eadem est Ss. Patrum doctrina: *S. Chrysostomus* in caput VI, Ep. ad Galat. explanans v. 10 ait: « Cum hinc fuerimus abducti, etiam si millies velimus, nihil effecerimus. Testes huius rei sunt nobis virgines illae, quae, licet promptam haberent voluntatem, tamen quoniam abierant non ferentes secum largam eleemosynam, exclusae sunt a thalamo sponsi. » *S. Hieronymus* Comment. in Eccle. (7) dicit: « Donec vivunt homines, possunt fieri iusti: post mortem nulla boni operis datur occasio; » ibidem (8) addit: « Mortui nihil valent ad id adiicere, quod semel secum tulere de vita. » Et Comment. in Ep. ad Galat. (9) in-

(1) Sess. 6, cap. 16.
(2) 1 2, q. 114, art. 1 ad 3. (3) C. 11, 3.
(4) C. 9, 10. (5) Io. 9, 4.
(6) Tract. 44 in Ioan. (7) C. 9, ●
(8) V. s. (9) C. 6, v. 10.

quit: « Cum ista vita transierit, operandi tempus aufertur. » *S. Augustinus* in Enchir. (1) scribit: « Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari: nemo a se speret, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promereri. » Ratio huius conditionis est, quia meritum tendit ad praemium, sicut ad terminum; omnis enim, qui meretur, in agone est; ergo adepto praemio cessat meritum, sicut via assecuto termino finitur, et labor cessat, obtenta quiete, et pugna desinit, reportata victoria.

3. Tertia conditio est, ut homo operans sit *iustus*, seu *in statu gratiae sanctificantis*. Meritum enim ita fundatur in amicitia cum Deo, ut hac sublata homo etiam meritis, quae iam habet, privetur. Nam Ezech. XVIII, 24 legitur: *Si averterit se iustus a iustitia sua et fecerit iniquitatem, - omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur*. Quodsi inimicus Dei etiam meritis sibi iam comparatis privatur, multo minus nova acquirere valet. Ideo Christus ait: *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis;* et: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet... et in ignem mittent, et ardet* (2). In quae verba *S. Chrysostomus* (3) scribit: « Manere in radice id efficit, ut palmites fructum ferant; nam quod non purgatum manet in radice, fructum fert, licet non quantum oportet; quod non manet, nihil. » Idem patet ex verbis Apostoli (4) dicentis: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ideo *S. Augustinus* (5) de charitate seu de gratia sanctificante dicit: « Haec est margarita pretiosa, charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcunque habueris: quam si solam habeas, sufficit tibi. » Concilium *Tridentinum*, cum de meritis pro vita aeterna agit, solum de iustificatis loquitur, et horum merita (6) ex eo repetit, quia *Christus tanquam caput in membra et tanquam vitis in palmites virtutem influit*. Hac de causa damnatae sunt *a Pio V* sequentes *Baii* propositiones: 12ma « *Pelagii* sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni coelestis meritorium; » 13tia « opera bona a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia; » 17ma « sentire cum *Pelagio*, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum. » Si propositiones istae damnatae sunt, verum est, hominem in statu gratiae esse debere, ut opus vere meritorium perficere possit. Ratio est manifesta; nam impossibile est, id, quod est mortuum, elicere opera vitae; et impossibile est, arborem malam bonos fructus edere. Atqui homo in statu peccati mortalis spiritualiter mortuus et arbor mala est, peccati malitia corrupta; et ideo opera vitae aeternae meritoria perficere, seu fructus salutares ferre non potest. Et sane Deus prius ad offerentem respicit, quam ad oblata; prius cor inspicit et deinde manus: ac ideo dona ab offerente sibi inimico et a corde im-

(1) Cap. 110. (2) Io. 15, 4 et 6.
(3) Hom. 76 (al. 75) in Ioann. n. 1.
(4) I Cor. 13. 3.
(5) Tract. 6, in Epist. Ioann. n. 7.
(6) Sess. 6, cap. 16.

puro sibi oblata haudquaquam ita acceptat, ut ea praemio digna habeat. Unde Gen. IV, 5-6 legitur: *Respexit ad Abel et ad munera eius: ad Cain vero et munera illius non respexit.*

4. Quarta conditio est, ut opus fiat *libere*, seu ut operans *libertate* gaudeat, non solum a coactione, sed etiam *a necessitate*. Haec conditio eruitur ex iam demonstratis. Deus enim hominem libertate indifferentiae insignivit (1), ut libere moralitatem sectando ad beatitudinem perveniat (2). Liberum vero hominis arbitrium per peccatum originale attenuatum quidem, sed non extinctum est (3): Christus vero lapsam hominis naturam reparavit, non autem finem hominis mutavit (4); quapropter etiam gratiae supernaturales, quas ille promeritus est, hominem ad supernaturaliter agendum idoneum reddunt, eius autem libertatem nullatenus tollunt (5). Ex quibus concludendum est, hominem etiam in statu naturae reparatae, per actiones morales libere susceptas ad beatitudinem pervenire debere, nulliusque meriti esse actiones ex interna necessitate positas. Idcirco ipsa S. Scriptura ostendit, ad meritum vel demeritum libertatem indifferentiae necessariam esse. Sic Eccli. legitur: *Beatus qui inventus est sine macula et perfectus est, erit illi gloria aeterna: qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino* (6); quibus verbis S. Scriptura laudabilitatem moralem et rationem meriti repetit ex eo, quod homo non transgrediatur mandata, cum posset transgredi; nec faciat mala, cum posset facere, hoc est, quod sine antecedente necessitate, ac cum plena libertate indifferentiae bonum agat. Idem docent Ss. Patres. *S. Iustinus M.* (7) inquit: « Homo neque praemium, neque laudem mereretur, si bonum non ex libero arbitrio ageret. » *Tertullianus* (8) ait: « Caeterum nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. » *S. Irenaeus* (9) quaerit: « Si igitur non in nobis esset facere haec, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, et multo prius ipse Dominus consilium dare, quaedam quidem facere, a quibusdam vero abstinere? » — *Eusebius Caes.* (10) ita disserit: «Sublato libero arbitrio, iacebit omnis philosophia, iacebit pietas, nulla erit laus virtutis, nullus fructus laboris, nec puniendi erunt improbi, nec admirandi studiosi... Nullum meritum, nulla laus, nec virtus erit nec vitium, si non libera voluntate, sed necessitate fatorum opera nostra fiunt. » *S. Hilarius* (11) dicit: « Quid honoris, ac praemii bonitatis necessitas mereretur, cum malos esse vis quaedam inserta non sineret? Voluntati ergo promissa bonitas est, ut praemium sibi voluntas bonitatis acquireret. » *S. Chrysostomus* (12) ita loquitur: «Nonne manifestum est, sua quemque voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam si ita non esset et naturae nostrae potestas (eligendi) insita non esset, neque illos puniri, neque istos praemia virtutum accipere oportebat. » *S. Hieronymus* (13) scribit: « Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec corona, nec damnatio est. » Quae *S. Hieronymi* verba refert et

(1) § 199. (2) § 202. (3) § 217. (4) § 378.
(5) § 426. (6) Eccli. 31, 10.
(7) Apol. 1, n. 43.
(8) L. 2. c. Marcion. n. 6.
(9) L. 4, adv. haer. c. 72.
(10) Lib. 6, Praepar. evang. c. 5.
(11) In Ps. 2. (12) Hom. 22, in Genes.
(13) Lib. 3, c. Iovinian n. 3.

adprobat *S. Augustinus* (1) dicens: « Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam? » Idem *S. Augustinus* lib. de duabus animabus c. Manich. (2) haec habet: « Quamobrem illae animae, quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, peccatum earum tenere non possumus; » et c. Fortunatum Manich. (3) haec profert: « Liberum arbitrium, si non dedisset Deus, iudicium puniendi nullum iustum esse posset, nec meritum recte faciendi. » Et lib. de grat. et lib. arb. (4) ait: « Ipsa divina praecepta homini non prodessent nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa praemia perveniret. » *S. Bernardus* (5) inquit: « Ubi non est libertas, nec praemium. Propterea, quae sunt carentia ratione animalia, nihil merentur, quia sicut deliberatione, ita et libertate carent. » *S. Thomas* (6) cum quaesivisset: « Utrum homo habeat liberam electionem (actuum), aut ex necessitate eligat? » ita respondet: « Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur... Haec autem opinio est haeretica. Tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philosophiae opiniones, quia non solum adversatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiae moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum et punitio, laus atque vituperium, circa quae moralis philosophia consistit. » Nec obstat, quod Ss. Doctores hinc inde a libertate ad merendum requisita solam *coactionem* excludere videantur, ut, cum *S. Augustinus* liberum arbitrium (7) definit: « Animi motum cogente nullo; » et *S. Thomas* (8) dicit: « Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest. » Nam vocabulum coactionis *late* sumunt pro quacunque necessitate, adeo ut, dum aiunt id esse liberum, quod non est coactum, nihil aliud sibi velint, quam id esse liberum, quod nulla necessitas extorserit; ut ex plurimis ipsorum locis apparet. Sic *S. Augustinus* Retract. lib. I, c. 15 scribit, primos parentes ideo esse culpandos, quia *nullo cogente*, hoc est, nullo necessitatem inferente, seu libera voluntate peccaverunt. Et *S. Thomas* eodem loco cit. (9) duplicem distinguit *coactionem* et unam vocat *compulsionem*, seu violentiam, alteram vero *impulsionem*, seu simplicem necessitatem. Recte igitur Angelicus definivit liberum arbitrium, quod *cogi non potest*, id est, neque coactione compellente, seu violentia, neque coactione impellente, seu necessitate. Omni iure ergo *Innocentius X* haereticam declaravit propositionem *Iansenii:* « Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. » Est ergo de fide credendum, quod ad meritum requiratur libertas a necessitate (10).

(1) L. de nat. et grat. c. 65, n. 78.
(2) Cap. 12, n. 17. (3) Disp. 2, n. 20.
(4) Cap. 6. (5) Ser. 81, in Cantica.
(6) Quaest. 6 de malo.
(7) De duab. anim. c. 1.
(8) In 2 sent. dist. 25, q. 1, art. 4.
(9) Art. 2. (10) Cf. Perrone tract. de Deo Creatore P. 2, c 1, prop. 1. Sard. t. 4, cont 2. Gazzan. t. 4. de homine diss. 3, sect. 3, c. 7,

5. Quinta conditio est, ut opus sit bonum et honestum, et quidem ex parte obiecti, finis et circumstantiarum (1). Christus enim (2) ait: *Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* Paulus: *Quae seminaverit homo, haec et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus* (3). II Petr. I, 10: *Satagite, ut per vestra bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Ita in S. Scriptura bonis tantum operibus merces promittitur. Quod quidem per se patet, cum actio mala et inhonesta non praemio, sed poena digna sit, nec Deo sanctissimo grata esse possit, si bona non sit. Unde Habacuc exclamat: *Domine Deus meus, sancte meus!... mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris* (4).

6. Sexta conditio est, ut actus sit *supernaturalis*, seu ut habeat non naturalem tantum vel moralem, sed et supernaturalem bonitatem. Actus enim meritorius debet esse eiusdem ordinis cum praemio, siquidem debet habere aliquam aequalitatem proportionis cum illo; atqui praemium est supernaturale, nimirum perfecta Dei possessio per visionem beatificam: ergo opus meritorium supernaturale sit, oportet. Necesse igitur est, ut opus bonum sit supernaturale *ex parte principii;* gratiae nempe actualis, quae ad omne opus salutare necessaria est, uti iam contra Pelagianos probatum fuit (5). Ideo *S. Thomas* (6) dicit: « Vita aeterna est quoddam bonum excedens proportionem naturae creatae, quia etiam excedit cognitionem et desiderium eius, secundum illud: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (7). Et inde est, quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitae aeternae, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod gratia dicitur. » Opus bonum debet praeterea supernaturale esse ex parte finis, seu motivi, ut scilicet referatur in Deum tanquam ordinis supernaturalis auctorem. Bonum enim opus in obsequium remunerantis cedat, necesse est, quia alioquin non esset ratio, cur ab eo expectaretur retributio, nec ullo iure ab eo exigi posset. Christus ipse docet, opera in se quidem bona, sed ex naturali tantum et inordinato fine suscepta, meritoria non esse; ait enim apud Matth: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in coelis est* (8). Et sic de hypocritis, eleemosynas largas distribuentibus ut honorificentur ab hominibus, inquit: *Amen, dico vobis; receperunt mercedem suam* (9). Opera igitur bona propter Deum, seu ex obedientia erga Deum suscipienda sunt, ut meritoria fiant. Unde *S. Thomas* (10) scribit: « Sicut peccatum consistit in hoc, quod homo, contempto Deo, commutabilibus bonis inhaeret; ita meritum virtuosi actus consistit e contrario in hoc, quod homo, contemptis bonis creatis, Deo inhaeret sicut fini... Unde etiam quaecunque alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quod fiunt, ut obediatur voluntati divinae. Nam si quis etiam mar-

(1) § 473. (2) Io. 5, 29. (3) Gal. 6, 8 etc.
(4) Habac. 1, 12 etc. (5) § 409.
(6) 2, q. 114, a. 2, (7) 1 Cor. 2.
(8) Matth. 6, 1. (9) Ib. c. 5, 2.
(10) 2, q. 104, art. 3.

tyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hoc ordinaret ad impletionem divinae voluntatis, — meritoria esse non possent; sicut nec, si fierent sine charitate, quae sine obedientia esse non potest. Dicitur enim (1), quod qui dicit, se nosse Deum, et mandata eius non custodit, mendax est, qui autem servat verba eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est. Et hoc ideo est, quia amicitia facit idem velle et nolle. »

7. Septima conditio, quae cum prioribus intime coniungitur et in ista contineri videtur, est *relatio operis ad Deum ex charitate*. In hac conditione statuenda non omnes theologi consentiunt. *Vasquez*, sola habitus charitatis concomitantia contentus, vult, opus quodcunque bonum et a quavis virtute etiam acquisita elicitum, esse vitae aeternae meritorium, modo opus ab eo, qui est in gratia, fiat, etsi non ab ipsa gratia procedat. *Suarez* vero, licet actibus virtutum acquisitarum vim promerendi vitam aeternam absque influxu aliquo charitatis non concedat, totis tamen viribus contendit, actus virtutum infusarum ab homine grato elicitos, praemium supernaturale beatitudinis essentialis sine ullo sive actuali sive virtuali charitatis influxu de condigno promereri. Sed *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *Scotus*, *Bellarminus*, *Antoine* et plurimi alii theologi docent, ad actum vere meritorium requiri, ut eliciatur vel imperetur a charitate. Nam Christus vitae aeternae mercedem promittens, saepe addit has voces: *propter me*, *in nomine meo* etc.; quod indicat, in aliis locis semper subintelligi et supponi. Sic Matth. X, 39 ait: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Matth. XIX, 29: *Qui reliquerit domum, vel fratres* etc. *propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit*; Marc. IX, 40: *Quisquis potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo* etc., *non perdet mercedem suam.* In aliis locis S. Scriptura indicat, vitam aeternam solis actibus a charitate elicitis vel imperatis promissam esse, ita ut aliae virtutes non sint meritoriae vitae aeternae, nisi a charitate imperentur. Sic Christus ipse ait: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo et manifestabo ei meipsum* (2). Paulus dicit: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum* etc. (3). Observat hic clarissimus *Estius*, quod cum Apostolus dicit, nihil prodesse homini, si charitatis expers omnia distribuat in pauperes et corpus flammis tradat, loquitur de eo, qui opera illa non ex amore Dei facit. Idem Apostolus scribit: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides quae per charitatem operatur* (4). Ubi satis indicat, fidem non valere ad vitam aeternam promerendam, nisi operetur per charitatem, illam scilicet excitando et per illam alias virtutes ad actus proprios movendo et applicando. I Cor. II, 9 legitur: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Iac. c. I, v. 12: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* — *S. Augustinus* lib. de spir. et litt. (5) inquit: « Mandatum servari non potest, nisi fiat ex amore iustitiae; non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit. » In Enchir. (6) ita disserit: « Quod ita fit... ut non

(1) 1 Io. 2. (2) Io. 14, 21. (3) 1 Cor. 13, 2 etc. (4) Gal. 5, 6. (5) C. 14. (6) Cap. 121, n. 32.

referatur ad charitatem - nondum fit quemadmodum oportet fieri, quamvis fieri videatur. » Et lib. de grat. et lib. arb. (1) scribit: « Praecepta dilectionis, id est, charitatis tanta et talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene. » *S. Thomas* (2) haec habet: « Motus humanae mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliae virtutes imperantur a charitate. Et ideo meritum vitae aeternae primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod eorum actus a charitate imperantur. » Et ibid. (3): « Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur... similiter etiam actus patientiae et fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate haec operetur. » Ad opus vero meritorium non requiritur semper *actualis*, sed sufficit etiam *virtualis* relatio operis ad Deum. Cum virtuali relatione autem non est confundenda mere habitualis charitas. Nam iuxta doctrinam *S. Thomae*, ait cl. *Contensonius* (4): « Ut aliquod opus referatur in Deum, non sufficit ordinatio habitualis, seu concomitantia operis cum habitu charitatis; tum quia ex hoc quod est in habitu, nullus meretur, sed ex eo quod est, vel fuit in actu; tum quia alioquin venialia hominis iusti peccata essent meritoria, utpote cum habitu charitatis sociata. Sicut autem ad meritum non sufficit ordinatio habitualis, ita non semper exigitur actualis, quae non solum huius vitae excedit facultatem, sed operi elaborando impedimento foret, *ut patet in exemplo, quod Avicenna ponit de artifice qui, si dum opus suum exercet, semper de regula artis cogitaret, multum in opere impediretur*, inquit *S. Thomas* (5). Sufficit ergo et requiritur ordinatio et influxus virtualis, qui virtute praecedentis intentionis perseverat. Et ad hoc *oportet*, inquit *S. Thomas*, quod prius fuerit *cogitatio de fine et quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit, ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus salvetur.* »

Nota. Meritum *de congruo* est opus bonum, cui praemium debetur ex aliqua dumtaxat decentia et congruitate; quod si habeat promissionem adiunctam, dicitur *de congruo infallibili;* tale est meritum contritionis perfectae in peccatore respectu iustificationis: si vero non habeat promissionem adiunctam, dicitur meritum *de congruo fallibili.* Iam ad meritum de congruo infallibili omnes recensitae conditiones requiruntur praeter statum gratiae: ad meritum vero de congruo fallibili iterum omnes recensitae conditiones requiruntur praeter statum gratiae et promissionem ex parte Dei. Notandum autem est, quod etiam in iustis dari possint opera meritoria de congruo fallibili, ut ex inferius dicendis apparebit.

VI. *De actibus spei, seu de operibus intuitu aeternae mercedis susceptis.*

§ 481. *Lutherus* docuit, contritionem, quae elicitur ex motivo amissae aeternae beatitudinis, hominem facere hypocritam et magis peccatorem. *Calvinus* (6) negat, licitum esse operari aeternae mercedis intuitu. Idipsum asserere visus est *Michaël Baius*, docens omnem amorem, qui non est Dei propter seipsum dilecti, esse vitiosam cupiditatem et peccatum, ut

(1) Cap. 18. (2) 1 2, q. 114, a. 4. (3) Ad 3. (4) L. 7. Diss. 5, cap. 2, Specul. 2.
(5) 2 Sent. Dist. 38, q. 1, a. 1 ad 4. (6) L. 6 Instit. cap. 16.

patet ex eius propositione ordine XXXVIII inter damnatas a Pio V. — Iuxta delirum et impudentem pseudomysticum *Michaëlem de Molinos*, cum quis ad puri amoris culmen pervenerit, animum adeo deprimere debet ac divinae voluntati resignare, ut ad instar exanimi corporis non de praemio et punitione cogitet, non de paradiso et inferno, non de morte et aeternitate: hunc de se nullam curam gerere oportet, non virtutem, non sanctitatem, non beatitudinem appetere, cum non in statu activo, sed in statu mere passivo versetur, cui non convenit, nisi quiescere et pati. Hinc eius sectatores *Quietistae* dicti sunt, qui asserere non erubescebant, turpissimas carnis libidines in hoc quietis statu ut peccata nullatenus imputari. Putidum hunc Quietismum, damnatum ab *Innocentio XI*, abhorruit *Fr. Fenelonius* Archiepiscopus Cameracensis; sed tamen similibus, licet purioribus principiis inhaerens, ipse quoque aberravit. Docuit enim, in praesenti vita statum dari puri amoris, in quo absque commixtione propriae utilitatis, Deus ita diligatur, ut in eo nec poenarum metus locum habeat, nec desiderium remunerationis. In hoc statu, qui sanctae indifferentiae dicitur, nihil anima sibi vult, sed omnia Deo; seu vult anima salutem, non uti salutem propriam, non ut mercedem meritorum, non ut sui bonum omnium maximum, sed quia voluntas Dei est, eam nos velle propter seipsum: quae doctrina reprobata est ab *Innocentio XII*. Cum *Michaële Baio* consensit etiam *Pasch. Quesnellius*, ut manifestum est ex eius propositionibus a XLV-XLIX a *Clemente XI* in Bulla: *Unigenitus*, damnatis. — Doctrina catholica, quae his erroribus opponitur, exhibetur in *Concilio Tridentino*, quod Sess. VI, cap. 11 declarat, *eos orthodoxae doctrinae adversari, qui statuunt, in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam.* Ubi clare enuntiatum videmus, primarium, ac principale consilium in perficiendis operibus bonis esse debere gloriam Dei, et in obsequium supremi Domini omnes actiones suscipiendas esse: sed tamen etiam declarat, nequaquam illicitum et pravum esse, ad impedimenta virtutis eo facilius vincenda aeternam quoque intueri mercedem. Sicut enim Christus primo nos petere iubet: *sanctificetur nomen tuum*, et secundo: *adveniat regnum tuum;* ita in operibus nostris primarium motivum esse debet gloria Dei, seu obsequium Deo praestandum; secundarium autem motivum est consecutio regni Dei, ad quod respicere possumus et debemus, quia Deus ipse vult nos salvos fieri. Licitum ergo est, bona agere intuitu aeternae mercedis et opera nostra meritoria esse non desinunt, si ex intuitu aeternae mercedis perficiuntur. Id *ex S. Scriptura*, *ex Traditione* et *ex rationibus theologicis* probatur.

1. In *S. Scriptura* hominibus aeternae beatitudinis praemium proponitur, ut ad istud respicientes, ad recte operandum excitentur. Deus ipse Abrahamo, ut eum in fideli suo servitio confortaret, dixit: *Noli timere Abram; ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis*(1). Ps. XXVI, 20 legitur: *Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum*, id est, attende Dominum, qui tibi tribuet (v. praec.) *bona in terra viventium*. Eccli. XVIII, 22: *Ne verearis usque ad mortem iu-*

(1) Gen. 15, 1.

stificari, quoniam merces Dei manet in aeternum. Aeterna igitur merces ut motivum proponitur, per quod homines excitantur, ut in iustitia continuo crescant. Si Evangelia porro scrutemur, ex hisce constat, suam praedicationem Christum sic exordiri: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* (1). Ibidem, ut Apostoli ad perferendas pro iustitia persecutiones excitentur, Christus ait: *Gaudete et exultate, quia merces vestra copiosa est in coelis* (2). Iterum, ut homines ad eleemosynam ex recto fine tribuendam impellat, dicit: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* (3). Et: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula* (4). Item, discipulos suos ita monet et solatur: *Quaerite primum regnum Dei... Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dari vobis regnum* (5). Matth. VI, 19, etc. Christus nos exhortatur, ut sicut mundani thesauros terrenos quaeritant, ita thesauros coelestes lucrari satagamus; neque hanc cordis intentionem reprobat, sed potius commendat, dicens: *Thesaurizate vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus* (intentio tua). *Si oculus tuus fuerit simplex* (ad coelestia intentus), *totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam* (terrenus tantum inhians), *totum corpus tuum tenebrosum erit.* — Eodem modo Apostoli fideles per spem retributionis ad bene operandum excitant. Hebr. XI, 6 dicitur: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Ad quid vero hoc credendum esset, si ad remunerationem respicere non liceret? — Gal. VI, 9 Paulus dicit: *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus.* Et Col. III, 23, etc.: *Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus. Scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis.* Hebr. X, 23, etc.: *Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem* (fidelis enim est qui repromisit), *et consideremus invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum.* — Petrus (6) fideles exhortatur, ut per bona opera *certam electionem* facere satagant. Apoc. (7) Christus Angelo Smyrnae dicit: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Iam vero si illicitum esset, bonum agere intuitu aeternae mercedis, et si per talem intuitum bonum opus corrumperetur, dicendum foret, Christum et Apostolos illicitum quid commendasse, et per promissiones propositas opera fidelium bona corrupisse, aut saltem imperfectiora reddidisse; quod cum ne cogitare quidem liceat, dicendum est, non solum licitum, sed et proficuum esse, ut homines ad promissam aeternam mercedem respiciant, et per eam ad recte operandum excitentur. Ast - Pseudomysticorum commentis obsistunt non modo divina eloquia, sed et Acta Sanctorum, quos eaedem Ss. Scripturae perlaudant. Perfecte sane Deum diligebant et *Abraham* et *Moyses* et *David* et *Paulus* Apostolus; hi tamen omnes felicitatis ac remunerationis aeternae

(1) Matth. 4, 14. (2) Matth. 5, 12.
(3) Matth. 6, 3 etc. (4) Luc. 16, 9.
(5) Luc. 12, 31 etc. (6) 2 Ep. 1, 10.
(7) C. 2, 10.

spem habebant. Abraham enim Hebr. XI, 10 *expectabat fundamenta habentem civitatem, cuius artifex et conditor Deus.* Moyses (1) *aspiciebat in remunerationem.* David (2) inclinabat cor suum *ad faciendas iustificationes... propter retributionem.* Tandem Gentium Apostolus de se testabatur: *Sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo ne forte... reprobus efficiar* (3); et: *persequor ad bravium supernae vocationis* (4). Ex his aliisque sexcentis Sanctorum exemplis conspicuum est, virtutem spei, qua ob mercedem aeternam operamur, minime perfectioni repugnare.

2. *Ss. Patres* desiderium beatitudinis, quod amor concupiscentiae vulgo nuncupatur, a perfectionis statu non expellunt; quin potius uno ore illud suadent et exigunt, veluti perfectae charitatis indicium. *S. Cyprianus* in Epist. de martyrio Mappalici dicit: « Hic est agon fidei nostrae, qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur. Hic est agon, quem nobis ostendit B. Apostolus Paulus, in quo oportet nos currere, et ad coronam gloriae pervenire... Si vos acies provocaverit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimicate constanter, scientes, vos sub oculis praesentis Domini dimicare, confessione nominis eius ad ipsius gloriam pervenire » (5). *S. Gregorius Naz.* (6) ad Eudoxiam scribit: « Nos verbum (salutis) arctissime complectamur, ac prae omnibus rebus Deum habere optemus; solum, inquam, perenne illud bonum et nostrum... Quandoquidem virtutis praemium est, Deo frui, ac purissimo illo lumine irradiari, quod in triplici unitate consideratur, cuius nunc radiis leviter tantum perstringimur. Ad haec contende, progredere, pronto animo vitam aeternam arripe. » *S. Ambrosius* (7) ait: « Studia virtutum sine remuneratione tepescunt; » et in expos. Ps. CXVIII ita loquitur: « Praerogativa est fidei atque iustitiae, de Domini favore mercedem usurpare..... non insolentis arrogantiae, sed innocentis est conscientiae, ab ipso cui servieris, petere mercedem; quoniam desperare segnitiei est materia, sperare autem incentivum est laboris. » *S. Chrysostomus* (8) scribit: « Colamus virtutem, ut in hac vita multa nobis bona tribuantur, et cum naturae concesserimus, aeternam beatitudinem adipiscamur. » *S. Hieronymus* (9) ad exemplum Apostoli provocans inquit: « Paulus hoc facit, ut plus laborans, plus etiam mercedis accipiat. » *S. Augustinus* (10) de doctrina christ. asserit: « Tunc est optimus homo, cum ad incommutabilem vitam tota vita sua pergit, et toto affectu inhaeret illi. » Et tract. 9 in Ioan.: « Cum coeperit desiderare venientem Christum anima casta, quae desiderat amplexum sponsi, fit virgo interius ipsa fide, spe et charitate. Habet iam fiduciam in die iudicii, et dicit: *Adveniat regnum tuum.* Ergo, fratres, date operam, ut desideretis diem iudicii; aliter non probatur perfecta charitas, nisi cum coeperit dies illa desiderari. » Enar. in Ps. CXX ait: « Quando facis opus bonum, propter vitam aeternam fac... Noli facere, nisi propter vitam aeternam. Ideo fac et securus facies; hoc enim mandavit Deus. » Item in Ps. CXLI: « Timoris et cupiditatis ia-

(1) Hebr. 11, 26. (2) Ps. 118, 112.
(3) 1 Cor. 9, 26 etc. (4) Phil. 3, 4.
(5) Cf. eiusdem Epist. 37, ad Moysen, et Max. presbyt. (6) Ep. 63.
(7) L. 5 in Luc. cap. 6.
(8) Hom. 63 in Matth.
(9) Lib. 2, c. Iovinian.
(10) L. 2, c. 22.

nuam claude contra diabolum, aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? Cupiendo regnum coelorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem saeculi diabolus intrat, per desiderium vitae aeternae Christus intrat. » *S. Gregorius M.* (1) inquit: «Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquod sine castitate. Sed si utrumque agitur, restat, ut quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat. » *S. Bernardus* (2) animam fidelem sic alloquitur: « Haec sunt, pro quibus clament desideria tua, ut in eo vivas et moriaris in ipso, ut gloriam eius videre, et ipso frui in perpetuum merearis. » *Concilium* vero *Tridentinum* (3) definit: *Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit.* — Sensus Ecclesiae etiam constat ex damnatione propositionum *Baii*, *Molinosii*, *Fenelonii* et *Quesnellii*, quae huc referuntur. Porro *Alexander VIII* propositionem hanc n. 10 confixit: « Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est bona, nec Deo placens. » Tandem a Pseudo-mysticorum doctrina, quam refutamus, adeo longe distat Ecclesia, ut religiose Christi Martyrum concelebret memoriam, eoquod *tradiderunt corpora sua ad supplicia, ut haeredes fierent in domo Domini.*

3. *Ratio theologica* ex fine, seu destinatione hominis petitur. Nam inter operandum certe licitum et bonum est, finem intueri atque ad eum media referre. Sed finis hominis est, ut Deo serviat et ita aeternam beatitudinem consequatur (4). Beatitudo aeterna est igitur finis fidei et operum bonorum secundarius, iuxta illud Rom. VI, 22: *Liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam;* et I Petri I, 9: *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum.* Ergo licitum est, beatitudinem aeternam tanquam finem secundarium intueri, atque ad eum media, scilicet bona opera referre. Praeterea si illicitum esset, intuitu mercedis aeternae bene agere, spes ex numero virtutum eliminanda esset; sed in confesso est apud omnes, sicut fidem et charitatem, ita et spem virtutibus theologicis accenseri, quae sicut in se excellentissimae, ita et a Deo praeceptae et ad salutem necessariae sunt; ergo etiam licitum-et bonum est, agere ex motivo spei, quae aeternam beatitudinem, eiusque media pro obiecto habet. Denique, quoniam proximum diligere debemus, sicut nosmetipsos, certum est, quod et nos diligere, ac ideo sicut moralitatem, ita et felicitatem nostram velle et promovere debemus; quod si negatur, dicendum erit neque proximi salutem desiderandam et promovendam esse, et Apostolos a vera perfectione descivisse, qui pro universi orbis salute tot discrimina passi sunt, tot obiere labores; quae cum sine impietate dici non possint, admittenda est catholica doctrina (5).

Nota. Praecipuae quas adversarii movent, difficultates, sunt sequentes:

Obi. I. Christus (6) mercenarios reprehendit, eosque bono pastori opponit: sed qui intuitu mercedis bona operantur, veri mercenarii sunt.

Resp. Mercenarii proprie dicuntur illi, qui vel unice vel praecipue mer

(1) Hom. 13 in Evang.
(2) Serm. 25, de Diversis n. 3.
(3) Sess. 6, can. 31. (4) § 202.
(5) Cf. Theol. gen. § 41. (6) Io. 10.

cedem intendunt, ita ut servire nollent, si nulla daretur merces ; quales sunt illi, qui, viso lupo, fugiunt et dimittunt oves; quia salutem ovium pensi non habent, sed proprium tantummodo commodum quaerunt. At vero, qui intuitu salutis aeternae operantur, eam tanquam finem secundarium, gloriam Dei autem ut finem primarium intendunt, neque ita constituti sunt, ut Deo servire nollent, si merces abesset; ac ideo inter mercenarios a Christo reprehensos non sunt numerandi.

Obi. II. *Apostolus* (1) scribit: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite.* Ast si intentio cordis semper ad gloriam Dei referenda est, illi, qui intuitu mercedis operantur, agunt contra doctrinam et praeceptum Apostoli.

Resp. Non pauci theologi catholici, cum *Isamberto*, *Sylvio*, *Medina* et aliis sentiunt, in Apostoli verbis non haberi nisi praeceptum *negativum*, ita ut nihil quispiam operari debeat, quod non sit honestum in se et ex fine proximo, ac proinde natura sua ferri non possit in Deum. Alii cum *Bellarmino* censent, non praeseferre verba Pauli, nisi piam admonitionem et consilium. *Estius* (2) in verbis Pauli agnoscit quidem praeceptum positivum, fidelibus impositum, ita tamen ut ad ipsum implendum satis sit, si *virtute*, ut ipse loquitur, aut *habitu* ad Deum actiones referantur. *S. Thomas*, I 4, un. de charitate (3) hoc praeceptum exponens, ait: « Hoc pertinere ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur, quod omnia *virtute* referantur in Deum. » Sed lect. 7 in I Cor. X, 31 idem praeceptum exponit de relatione *implicita*, dicens: « Relatio haec intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quae non est solum in bonis, sed etiam in indifferentibus. » Et lect. 3 in Epist. ad Colos. cap. 3 explicat de relatione *habituali*, quae ex gratia sanctificante exurgit ; dicit enim : « Quidam dicunt, quod hoc est consilium, sed non est verum. Sed dicendum est quod non est *necessarium*, quod omnia in Deum referantur actu, sed habitu. » Et q. 7 de malo art. 1 ait : « Praeceptum hoc : *Omnia in gloriam Dei facite*, non obligat ad hoc, quod semper observetur *in actu*. Observatur autem semper *in habitu*, quamdiu homo habitualiter habet Deum in ultimum finem. » Falli igitur videtur *Contensonius* § praec. n. 7 citatus, cum dicit, iuxta doctrinam *S. Thomae* non sufficere ad opus meritorium habitum charitatis, sed relationem saltem virtualem in Deum requiri. *S. Thomas* expresse potius docet, habitum charitatis sufficere, ut praeceptum Apostoli impleatur et opera bona ex fine honesto, absque prava circumstantia suscepta, per charitatem, quae in cordibus est diffusa, meritoria reddantur. Iustus ergo intuitu mercedis aeternae operans, non violat praeceptum Apostoli, opus non corrumpit et meritum non amittit. Imo, cum Christus (4) dicat: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me;* et alibi (5) praecipiat, ut homines per bona opera ad aeternam beatitudinem tendant ; iustus intuitu aeternae mercedis bene operans, mandatum Christi servat, charitatem exercet et omnia in gloriam Dei facit, quia tum omne opus bonum, ut fructus gratiae, tum ipsa remuneratio in gloriam Dei redundat.

(1) 1 Cor. 10, 31.
(2) Comment. in 1 Cor. 10, 31.
(3) Art. 11 ad 2.
(4) Io 14, 21.
(5) Matth. 6, 19 etc.

Obi. III. Idem Apostolus (1) dicit: *Charitas non quaerit quae sua sunt;* ast qui intuitu mercedis operatur, quaerit quae sua sunt: ergo debita charitate privatus nil mereri potest.

Resp. Paulus non interdicit amorem sui recte ordinatum, quem Christus tanquam regulam amoris proximo exhibendi statuit, sed amorem proprium inordinatum, quo quis cum damno aliorum, aut neglectu officiorum terrenis commodis inhiat. Ideo *Calmet* hunc locum exponens ait: « Charitas-*non quaerit quae sua sunt,* id est, non sua ipsius commoda cum fratrum pernicie. » Caeterum ipse Paulus fideles exhortatur, ut propriam salutem et aeternam mercedem quaerant. Ait enim Col. III, 1: *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram.*

Obi. IV. Gravissimi Ecclesiae Doctores illicitum esse declarant, bona agere intuitu mercedis aeternae. *S. Chrysostomus* (2) ait: « Amore Christi omnia facite, et non spe mercedis. » *S. Augustinus*(3) scribit: «Nos ergo Deum amemus pure et caste. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit... Illum ergo sic diligamus, ut aliud praeter ipsum non diligatur. » *S. Bernardus* lib. de diligendo Deo haec habet: « Non sine praemio diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus sit. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est. » *S. Thomas*(4) dicit, amorem mercenarium contrariari charitati. Similia in aliis Patribus inveniuntur.

Resp. Cuius mercedis spem abesse velit *S. Chrysostomus*, ipsemet manifeste indicat, nempe spem mercedis temporalis; illico enim subiungit: «Haec est vera merces, haec vera gloria, ut Christum possideamus: hoc nostrum regnum est, nostrae deliciae. » Etiam *S. Augustinus* non loquitur de mercede aeterna, sed de temporali, quae posita est in ubertate et copia rerum fluxarum et caducarum; quae non debent esse summa votorum apud homines christianos: etenim paulo ante citata verba ait S. Doctor: « Omnia quippe illa, quae commemorarunt filii alieni, Deus dat, sed et malis dat, qui solem suum oriri facit super bonos et malos. » *S. Bernardus* vult tantum, mercedem aeternam respiciendam a nobis esse ut finem secundarium, gloriam Dei vero ut finem primarium, quod a iustis intuitu mercedis aeternae operantibus semper fieri debere, superius docuimus. Nam si fingas, hominem ita esse constitutum, ut, sublato praemio, Deum amare recuset, hic utique peccat; praefert enim munus Deo, largitori muneris. At hanc animi dispositionem non habet, qui in sententia nostra Deum laudabiliter et honeste amat propter praemium. *S. Thomas* obiectionem tollit dicens l. c.: « Ad tertium dicendum, quod amor mercenarius dicitur, qui Deum diligit propter bona temporalia: quod secundum se charitati contrariatur; et ideo amor mercenarius semper est malus. »

VII. *De obiecto meriti.*

§ 482. Duo sunt, quae cadunt sub meritum, gratia et gloria. Duplex autem a theologis etiam meritum distinguitur, nempe meritum *de condigno* et meritum *de congruo*. Inquirendum igitur est quid de condigno, et quid de congruo promereri possimus.

(1) 1 Cor. 13, 5.
(2) Hom. 5, in Ep. ad Rom.
(3) En. in Ps. 66.
(4) 2 2, q. 19, art. 4 ad 3

A. *Obiectum meriti de condigno.*

§ 483. Iustus per bona opera tria promeretur, nempe *augmentum gratiae, beatitudinem aeternam, eiusque incrementum.* Id patet ex *Concilio Tridentino,* quod Sess. VI, can. 32 dicit: *Si quis dixerit, iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.* Hanc doctrinam Revelationi omnino conformem esse, facile probatur.

1. Augeri gratiam sanctificantem in iustis per bona opera, Christus ipse docet Io. XV, 2, ubi, cum seipsum viti, homines palmitibus, et bona opera fructibus comparasset, dicit: *Omnem* (palmitem) *qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat:* Deus ergo homini bona opera perficienti maiores et copiosiores gratias concedet, quibus potiores actus virtutum exercebit. Idem patet ex parabola de talentis, ubi Christus de eo, qui ex talentis lucrum reportavit, dicit: *Omni habenti dabitur, et abundabit* (1). Apostolus scribit: *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus* (2). Et: *De caetero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Iesu, ut, quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis* (3). Idem docent Ss. Patres. *S. Chrysostomus* (4) inquit: « Palmitem, qui fert fructum, purgat... et fructuosiorem efficit. Hoc de aerumnis mox inducendis intelligi dixeris. Illud enim *purgabit eum,* significat: incidet; unde palmes fructuosior efficitur. Hinc ostenditur, tentationes illos fortiores efficere. » *S. Augustinus* (5) scribit: « Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici. » Et alibi (6): « Restat ut intelligamus, Spiritum sanctum habere qui diligit, et habendo mereri ut plus habeat, et plus habendo plus diligat. » *S. Thomas* (7) ita argumentatur: « Illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiae se extendit: motio autem alicuius moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu: terminus autem motus gratiae est vita aeterna, progressus autem in hoc motu est secundum augmentum charitatis, vel gratiae, secundum illud: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem* (8), qui est dies gloriae. Sic igitur augmentum gratiae cadit sub merito condigni.

2. Iustos per bona opera mereri vitam aeternam, dogma est catholicum, iam § 477 probatum. Disputatum autem est a theologis, an hoc meritum de condigno sit, an de congruo vel an Deus ex iustitia, vel an ex sola bonitate et fidelitate in promissis, vitam aeternam tanquam mercedem bonorum operum rependat. Plerique autem theologi contra *Scotum, Durandum* et nonnullos alios defendunt, iustum per opera bona, ex gratia facta, de condigno mereri vitam aeternam, Deumque hanc ex iustitia tanquam mercedem illi rependere. Haec sententia S. Scripturae, Ss. Patribus et Conciliis conformior est. Matth. XX,

(1) Luc. 19, 26. (2) Ephes. 4, 15.
(3) 1 Thess. 4, 1.
(4) Hom. 76 (al. 75) in Ioan. 15, 2, n. 1.
(5) Tract. 5, in Epist. Ioan.
(6) Tract. 74, in Ioan. n. 2.
(7) 2, q. 114, art. 8. (8) Prov. 4, 18.

15, Deus se comparat patrifamilias, qui *conventione facta* conduxit operarios; *cum sero factum esset*, reddidit *illis mercedem*, et uni eorum obmurmuranti dixit: *Amice, non facio tibi iniuriam; nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est et vade.* Paulus dicit: *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex* (1). Non posset autem aeterna beatitudo *corona iustitiae* appellari, si ex iustitia non daretur. Idem Apostolus ait: *Non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri* (2); quibus verbis haud obscure innuitur, Deum ex iustitia non oblivisci operum, eaque remunerare. Idem probatur ex Scripturae locis, in quibus iusti propter opera bona dicuntur digni Deo et vita aeterna. Sap. III, 5: *Deus tentavit eos et invenit illos dignos se.* Col. I, 10: *Ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.* II Thess. I, 5: Omnes tribulationes *sustinetis, ut digni habeamini in regno Dei;* quibus terminis quodammodo ipsa Scriptura testatur, bona opera *ex condigno* mereri vitam aeternam. Deumque hanc ex iustitia tribuere. Cui sententiae etiam Ss. Patres subscribere videntur. *S. Basilius* (3) ait: « Ostende opera et reposce remunerationem. » *S. Ambrosius* (4) inquit: « Vult Deus conveniri, ut si quis, proposita secutus virtutibus praemia, fructum remunerationis exspectet, quin etiam exigat. » *S. Augustinus* (5) scribit: « Non enim iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiae. » *Concilium Arausicanum II* declarat: *Debetur merces bonis operibus* (6); et *Tridentinum* idem indigitare videtur, cum dicit (7) iustos *vere* mereri. Cavendum autem est, ne iustitia divina cum humana confundatur et in Deo obligatio a priori statuatur: iustitia enim in Deo non est nisi aeterna voluntas, bonis praemia dandi quae libere promisit, et malis poenas infligendi quas minatus est (8).

3. Iustus per bona opera etiam augmentum gloriae promeretur, ita ut eo maiorem beatitudinem et gloriam nanciscatur, quo plures et praestantiores virtutum actus exercuerit. Id patet ex variis Scripturae locis. Matth. XVI, 27: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui... et tunc reddet unicuique secundum opera eius.* Luc. VI, 38: *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Apoc. XXII, 12: *Ecce venio cito et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* I Cor. III, 8: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Matth. X, 41 etc.: *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet; et quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquae frigidae... non perdet mercedem suam;* quibus verbis declaratur, quo factu difficilius fuerit opus, utilitatis amplioris momentique maioris, quo puriore intentione, exactiore legis observatione, perfectioreque charitate erga Deum fuerit, eo largiorem a Deo retributum iri mercedem. Hinc Paulus II Cor. (9) dicit: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Et I Cor. ex diversitate meritorum repetit diversitatem retributionis et gloriae in resurrectione

(1) 2 Tim. 4, 8. (2) Hebr. 6, 10.
(3) Hom. in divit. n. 8.
(4) In Ps. 118, Serm. 7, n. 3.
(5) L. de nat. et grat. c. 2. (6) Can. 18
(7) Sess. 6, can. 32. (8) Cf. § 48
(9) C. 9, v. 6.

dicens: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum* (1). Diversitatem praemiorum pro diversitate meritorum etiam Ss. Patres profitentur. *S. Hermas* (2) dicit: « Si praeter ea quae mandavit Dominus, aliquid boni adieceris, maiorem dignitatem tibi acquires et honoratior apud Deum eris. » *S. Hieronymus* (3) asserit: « Iam nostri laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis praemia praeparare. » Et iterum: « Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate laborum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate meritorum? » — *S. Gregorius M.* (4) inquit: « Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum; ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. » *Concilium Florentinum* docet, animas quae nihil expiandum habent, *in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicut est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.* — Huic doctrinae quidem repugnare videtur ea parabola (5) qua perhibetur, operarios, etsi non aequaliter in vinea laboraverint, omnes tamen eundem vespere denarium recepisse. Verum etsi par non fuerit in omnibus laboris diuturnitas, qui serius ad laborem accessere, nonne maiori intensitate aliorum potuerunt aequare opus, qui totum portaverunt *pondus diei et aestus?* — Interim si Patres hac de re consulamus, edocebimur, per denarii mercedem aeque operariis tributam, gloriae aeternae praemium quoad substantiam significari, quo certe Beati omnes sunt pares, licet inaequalis accidentaliter sit in eis beatitudo, cum alii aliis clarius Deum intuentur. Ita *S. Augustinus* (6) scribit: « Denarius ille vita aeterna est et in vita aeterna omnes aequales erunt: quamvis enim pro meritorum diversitate fulgebunt alius magis, alius minus; quod autem ad vitam aeternam pertinet, aequalis erit in omnibus. » Alii autem putant, Christum in allata parabola solum loqui de vocatione ad fidem et ostendere se sine iniuria Iudaeorum, etiam gentiles ad fidem vocare posse, quamvis vocationem ad fidem tanquam bonorum operum mercedem considerare non liceat. Recte enim *S. Chrysostomus* (7) observat, « non oportere omnia, quae parabolae continent, verbatim scrutari, sed scopum intelligere, ad quem institutae sunt, eoque percepto nihil amplius inquirere. »

(1) C. 15, v. 41. (2) Lib. 3, simil. 5.
(3) L. 2, adv. Iovin. (4) L. 4, moral. c. 42.
(5) Matth. 20, 1 etc.

B. *Obiectum meriti de congruo.*

§ 484. In hac tractatione certa ab incertis distinguenda sunt. *Primo* certum est, hominem nullatenus, nequidem de congruo posse mereri primam gratiam actualem, sive ad fidem sive ad iustificationem, ut fide constat tum ex dictis contra Pelagianos, tum ex *Tridentino* (8) declarante, *iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Ratio est, quia omne meritum supponit ipsum gratiae actualis auxilium, ex pura misericordia a Deo nobis concessum: hinc illud axioma theologicum: *Principium meriti non cadit sub meritum.* *Secundo* certum est, hominem adul-

(6) Serm. 59, de Verbis Dom. c. 4.
(7) Hom. 64, in Matth. (8) Sess. 6, c. 5.

tum, qui iustificatur, non mereri de condigno primam gratiam sanctificantem : alias homo non iustificaretur gratis, quod repugnat Apostolo (1) dicenti: *Iustificati gratis per gratiam ipsius ;* et *Concilio Tridentino*, quod explicans laudata Apostoli verba (2) dicit: *Gratis autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum quae iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur,* merito nempe de condigno. *Tertio* certum est, posse hominem *de congruo* mereri primam gratiam sanctificantem et quidem infallibiliter per contritionem perfectam stante promissione divina: *Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris et tota tribulatione animae tuae.* (3). Et: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (4); atque: *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur* (5). Disputatur autem inter theologos: 1° an iustus possit sibi mereri *veniam post culpam futuram ;* 2° an sibi possit mereri *perseverantiam finalem ;* 3° an iustus possit *alteri* mereri *primam gratiam.*

1. Quod primum attinet, iustus non potest mereri *de condigno* reparationem suam post lapsum futurum. Nam Ezech. XVIII legitur: *Si iustus fecerit iniquitatem... omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Sed Deus harum maxime recordaretur, si earum intuitu ex iustitia homini conferret reparationem post lapsum. Dein ad meritum de condigno requiritur Dei promissio ; atqui nullibi Deus promisit iusto reparationem post lapsum. An autem iustus hanc *de congruo* promereri possit, multi negant cum *S. Thoma* (6), alii affirmant cum *Bellarmino* (7). Videtur certum apud omnes, posse saltem iustum sibi hanc reparationem precibus impetrare, adinstar *Davidis* (8) orantis: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

2. Iustus non potest *de condigno* mereri gratiam perseverantiae finalis, quia haec nuspiam promittitur iustis tanquam merces concedenda: imo monentur iusti, ut cum timore et tremore salutem operentur. I Cor. X, 12 dicitur: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Et Rom. XI, 20: *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time.* Hinc *Concilium Trid.* Sess. VI, can. 16 definit: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Et can. 32 referens omnia, quae *vere,* id est, de condigno iustus meretur, non meminit perseverantiae finalis, sed cum de aeternae vitae consecutione loquitur, conditionem apponit: *si tamen in gratia decesserit.* Communis tamen theologorum doctrina est, posse iustum perseverantiam *de congruo fallibili* mereri; quod docet *S. Augustinus* lib. de dono persev. (9) dicens: « Hoc Dei donum suppliciter emereri potest, amitti contumaciter non potest. » Id ipsum eruitur ex precibus Ecclesiae, quibus perseverantia a Deo postulatur et potissimum ex iis verbis orationis Dominicae: *et ne nos inducas in tentationem ;* quibus nihil aliud, quam perseverantiam posci, observat *S. Augustinus,* qui l. c. (10) dicit: « Restat in his bonis usque in finem perseverantia, quae frustra quotidie a Deo poscitur, si non eam Do-

(1) Rom. 3, 2. (2) C. 8. (3) Deut. 4, 29.
(4) Ps. 50, 19. (5) 2 Cor. 7, 10.
(6) 1 2, q. 114, art. 7.
(7) L. 5 de iustif. c. 21, n. 3. (8) Ps. 70, 9.
(9) C. 5, n. 10. (10) Cap. 17.

minus per gratiam suam in illo, cuius orationem exaudit, operatur. » Quamobrem si orationi fideliter insistamus et per bona opera certam nostram electionem facere satagamus, perseverantiam a Deo sperare possumus, secundum illud Apostoli: *Confidens hoc ipsum, quia, qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu* (1).

3. Convenit inter theologos catholicos, neminem, excepto Christo, posse alteri de condigno promereri primam gratiam, cum hoc munus proprium sit Redemptoris nostri, qui semetipsum tradidit pro peccatis nostris, et ideo unus Mediator est Dei et hominum. Sed, ait *S. Thomas* (2), iustus, « *merito congrui* potest alteri mereri primam gratiam. Quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiae proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius, cuius aliquis Sanctus iustificationem desiderat. » Hinc *S. Iacobus* (3) fideles hortatur: *Orate pro invicem ut salvemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Huius rei exemplum sunt sancti *Paulus* et *Augustinus*, quorum prior *S. Stephani*, alter *S. Monicae* precibus conversus putatur.

Nota. Cum obiectum meriti gratia et gloria constituant, sequitur, bona temporalia, quae sunt inferioris ordinis quam opera supernaturalia, ad illud non pertinere. Sed bona temporalia vel in relatione ad salutem, vel secundum se considerari possunt. « Si considerentur, ait *S. Thomas* (4), prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam aeternam, secundum hoc directe et simpliciter cadunt sub merito... Tantum enim dat Deus viris iustis de bonis temporalibus et etiam de malis, quantum eis expedit ad perveniendum ad vitam aeternam... » Unde dicitur: *Timentes Dominum non minuentur omni bono* (5); et: *Non vidi iustum derelictum* etc. (6). Si vero bona temporalia considerentur secundum se, cum non sint bona simpliciter, sed secundum quid, ita nec cadunt sub merito simpliciter, quod respicit solum vitam aeternam et ea, quae ad illam conducunt; sed sub merito secundum quid, quatenus attenta Dei bonitate et liberalitate congruum aliquo modo videtur, quod operibus moraliter bonis bonum aliquod reddat eiusdem ordinis. Unde *S. Augustinus* (7) observat, Romanis propter quosdam bonos eorum mores, mercedem temporalem redditam fuisse (8).

Usus doctrinae de merito bonorum operum.

§ 485. 1. Quia bona opera ad salutem consequendam necessaria sunt, opus est, ut tum nobis, tum aliis continuo verba Apostoli (9) acclamemus: *Dum tempus habemus, operemur bonum!* Breves dies hominis sunt et velociter transeunt. Qui huius vitae tempore bona opera negligit, tanquam virgo fatua, requisito oleo destituta, a sponso divino ignorabitur; tanquam servus inutilis, ex talento lucrum non referens, ad tenebras exteriores condemnabitur, et tanquam arbor infructuosa excidetur et in ignem mittetur. Exinde cognosci potest, quantum malum sit tepiditas in negotio salutis! Recte igitur monet *S. Ephraem* (10):

(1) Phil. 1, 6.
(2) 1 2, q. 114, art. 6.
(3) C. 5, 16.
(4) L. c. art. 10.
(5) Ps. 33.
(6) Ps. 36.
(7) L. 5, de Civ. Dei, c. 15.
(8) Cf. Billuart. tr. de gratia Diss. 8, a. 5, § 6.
(9) Gal. 6, 10.
(10) Serm. de vita regul.

« Non dulcescat nobis negligentia, ut non postea nobis amarescat aeternus ignis et vermis nunquam dormiens. »

2. Per mare, per terras, per infinitas difficultates mercator currit, ut perituras divitias quaerat: et ambitiosus diris non parcit laboribus, ut ad maiores se dignitates extollat. Quanto magis convenit, ut Christianus ab indefesso virtutum exercitio non deficiat, cum per fidem edoctus cognoscat, se per opera bona praemia in se nobilissima et pro tota aeternitate iucundissima, nempe augmentum gratiae, vitam aeternam et gloriae incrementum consecuturum esse?— Sed, proh dolor! ipsa aeterna Veritas lamentatur: *Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* (1).

3. Summi momenti est, ut opera bene peragantur et praecipue per rectam intentionem ad Deum referantur; nam vel hac unica conditione deficiente opera corrumpuntur et meriti expertia redduntur. Magna ergo sollicitudine contendendum est, ut cor nostrum a pravis affectibus purgetur et charitate erga Deum repleatur. Secus facile continget, ut nobis in die iudicii acclametur, quod Angelo Laodicaeae dictum fuit: *Dicis, quod dives sum et locupletatus et nullius egeo: et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et coecus et nudus.*

Nota. In fine gravissimi huius tractatus cum cl. *Thoma ex Charmes* humili corde protestor: « Haec itaque per Dei gratiam de gratia eius scripta, Sanctae Romanae sedis iudicio subiecta volo; instrui paratus, si qua in re sum falsus; corrigi, si qua lapsus; reduci, si qua devius: sic me Deus adiuvet, ac gratiae suae donis cumulet in terra, ut cum ipso regnare merear in coelis. » Amen.

SECTIO II.

DE SACRAMENTIS.

Nexus et momentum doctrinae.

§ 486. Divinus Redemptor per passionem suam et mortem nobis tum gratias actuales promeruit, quibus intellectus illustratur et voluntas ad bonum movetur, tum gratiam sanctificantem, per quam a peccatis purgati filii Dei constituimur aeternique regni haeredes. Haec porro praestantissima dona sua, quae ad spiritualem et aeternam animae salutem diriguntur, Deus variis modis dispensat. Quamvis enim pro infinita sua omnipotentia etiam modo mere interno ac invisibili intellectum illustrare, voluntatem movere, animamque a peccatis purgare et in statum iustitiae transferre possit; teste tamen Revelatione, iuxta sapientissima sua consilia gratias supernaturales externo quoque modo, per signa visibilia, seu per instrumenta sensibus subiecta impertiri hominibus decrevit. Ista signa sensibilia, seu instrumenta *Sacramenta* appellantur, *per quae*, ut ait *Concilium Tridentinum* (2), *omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur.* Vere igitur haec sacramenta, quae *S. Thomas* (3) « dominicae Incarnationis reliquias » nuncupavit, pretiosa vasa sunt, quibus Christi sanguis et merita continentur; totidem veluti canales sunt, per quos innumera divinae clementiae beneficia ad nos defluere Christus sancivit; medicamenta sunt sauciatae humanae naturae, in quibus *curans mitigabit dolorem et unguentarius faciet pigmenta suavitatis et unctiones conficiet sanitatis* (4): imo fontes sunt

(1) Luc. 16, 8. (2) In prooem. sess. 7.
(3) In prologo l. 4, ad Annibald.
(4) Eccli. 38, 7.

aquarum spiritualium salientium in vitam aeternam, id est, gratiarum supernaturalium, per quas homines lapsi eriguntur, curantur, reficiuntur et ad vitam aeternam perducuntur. Fontes istos praesignaverat Isaias, cum beneficia Messiae et divitias novae Ecclesiae describens ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (1); atque Messiam ita loquentem inducit: *Aperiam in supinis collibus flumina et in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum et terram inviam in rivos aquarum... ut videant et sciant et recogitent et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc et Sanctus Israël creavit illud* (2). Merito igitur idem Propheta novae Ecclesiae membris acclamat: *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum properate, emite et comedite: venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.* (3). — Quae cum ita sint, quisque facile intelliget, doctrinam de sacramentis gravissimi esse momenti. Necesse enim est, ut fontes cognoscamus ex quibus necessariae ad salutem gratiae hauriendae sunt, seu ut perspecta habeamus media seu instrumenta, quibus Deus infirmitati nostrae subvenire, nosque ad sanctitatem et felicitatem aeternam perducere decrevit. Parum sane nobis prodesset, infinitum valorem ac pretium Christi meritorum nosse, nisi etiam uti utilissima, ita apprime necessaria subsidia, quibus illa nobis applicantur et salutarem effectum producunt, comperta nobis forent. Quapropter summo studio adlaborandum est, ut genuinam Revelationis doctrinam de sacramentis sedulo investigemus, atque a pestiferis Novatorum, praefatam doctrinam foede corrumpentium, erroribus cautissime declinemus. Ut autem gravissima haec doctrina rite pertractetur: 1° *de sacramentis in genere*, et 2° *de sacramentis in specie*, disserendum erit.

(1) Is. 12, 3. (2) C. 41, v. 18 etc.

Nota. De sacramentis in omnibus disciplinis theologicis tractari solet. Si autem accurate loqui velimus, variae in qualibet disciplina materiae de iisdem sacramentis pertractandae occurrunt. *Theologia dogmatica* proponit dogmata de sacramentis credenda, atque ideo horum institutionem divinitus factam comprobare, materiam, formam et ministrum assignare, salutaresque effectus ostendere debet. Ad *theologiam polemicam* spectat, eadem dogmata contra adversarios, qui eadem impugnant, defendere, eorundemque erroneos de sacramentis conceptus corrigere. *Theologiae practicae*, seu *moralis* et *asceticae* est, officia explicare, quae Christianis in sacramentorum perceptione competunt, modumque docere, quo praeclara haec salutis media digne atque utiliter adhibenda sint. In *theologia hierarchica*, nempe in *iure canonico* leges ecclesiae sacramenta respicientes traduntur; in *theologia* vero *pastorali* docetur, quomodo a pastoribus animarum sacramenta administranda sint. — Theologiae theoreticae insudantes, ea tantum pertractabimus, quae ad munera dogmaticae et polemicae theologiae pertinent.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

§ 487. « Quoniam universe, inquit apposite *Catechismus romanus* (4), de toto genere sacramentorum agendum est, ab ipsius nominis vi atque notione oportet incipere, eiusque ambiguam significationem explanare, ut quae

(3) Isa. 55, 1. (4) P. 2, cap. 1.

huius verbi sententia hoc loco propria sit, facilius intelligatur. » Alio autem sensu *Sacramenti* vox a profanis, alio a sacris scriptoribus adhibita fuit. Apud profanos scriptores sumebatur pro *iuramento;* unde iusiurandum, quo se milites ad praestandam Imperatori et Reipublicae fidelem operam obligabant, sacramentum militare appellabatur, ac praeterea iuxta veteres iurisconsultos nomine sacramenti vocabatur etiam *pecunia*, quam qui litem instituere volebant, in templo deponere cogebantur, ea lege, ut qui victus foret, pignus amitteret sacris ritibus impendendum; quod patet ex *Varrone* qui (1) haec habet: « Sacramentum a sacro dictum; et qui petebat et qui inficiabatur, uterque quingenta aeris ad pontificem deponebat; qui iudicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat; victi ad aerarium redibat, id est, victus ea pecunia quam deposuerat, mulctabatur in poenam iniustae litigationis. » — Apud scriptores sacros et ecclesiasticos Sacramentum 1° significat rem sacram, sed occultam et latentem; sic in Tob. (2) legitur. *Sacramentum regis abscondere bonum est;* Sap.: *Nescierunt Sacramenta Dei* (3); ad Ephes.: *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suae* (4); et ibid.: *Quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis* (5), nempe Incarnationis Dominicae; Apoc.: *Dicam tibi Sacramentum mulieris et bestiae* (6). 2° Sacramentum significat ipsum rei latentis et occultae signum, seu symbolum, quo sensu dicitur Apoc. I, 20: *Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea; septem stellae Angeli sunt septem Ecclesiarum, et candelabra septem, septem Ecclesiae sunt.* Et Ephes. V, 32 de matrimonio dicitur: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo et in Ecclesia,* id est, unio viri et mulieris est signum sacrae unionis Christi cum Ecclesia. Quo sensu *S. Augustinus* (7) inquit: « Signa, cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellari. » et (8) ad Bonifac. scribit: « Si sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. » 3° Demum sacramentum sumitur pro signo rei non solum sacrae, sed etiam sacrantis, seu initiantis hominem cultui divino. « Inde sacramenta manarunt, ait idem *S. Augustinus* (9), quibus credentes initiantur. » Et lib. de catech. rudibus (10) admonet, de hoc in primis rudes informandos esse, nempe « Sacramenta signacula esse rerum divinarum visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari, nec sic habendam illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet. » *S. Thomas* (11) inquit: « Sacramenta proprie dicuntur illa, quae adhibebantur Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam scilicet deputabantur, quodammodo ad cultum Dei. » In hac eadem significatione sacramenti vox passim apud Ss. Patres et Theologos scholasticos invenitur; imo apud Catholicos sacramentum proprie tantum sumitur pro re sensibus subiecta, quae invisibilem gratiam indicat, simulque in animo producit. Hoc eodem sensu sacramenti vox accipitur in isto tractatu, in quo in primis generatim de sacramentorum 1° *natura*, 2° *existen-*

(1) L. 4 de lingua latina, c. 36.
(2) C. 12, 7. (3) C. 2, 22. (4) C. 1, 9.
(5) C. 3, 9. (6) C. 17, 7.
(7) Epist 138 (al. 5) n. 7.
(8) Epist. 98 (al. 23) n. 9.
(9) L. 15 de civ. Dei, c. 26. (10) C. 25.
(11) 1 2, q. 102, art 5

tia, 3° *institutione*, 4° *materia et forma*, 5° *ministro*, 6° *effectibus*, 7° *subiecto*, 8° *numero* et 9° *caeremoniis* disserendum est.

Nota 1. Sacramenti nomen reprobare ausi fuerunt Novatores: *Lutherus* l. de captiv. babyl. et lib. de abrog. Missae, *Melanchton* in locis commun., *Zwinglius* in lib. de vera et falsa Relig., *Calvinus* lib. IV Instit. cap. 19, eo quod hoc nomen in divinis Scripturis expressum non inveniatur: at inepte prorsus; Sacramentum enim vox latina est, quam in primogenio Scripturarum textu graeco, vel hebraico frustra quaesieris. Cum autem in usu Ecclesiae idem prorsus significet sacramentum apud Latinos, quod Mysterium apud Graecos, merito Sacramenti nomen retinuit Ecclesia, quemadmodum et multa alia vocabula consecravit, quamvis in Scripturis non sint expressa, ut ex. gr. *Trinitas*, *Incarnatio*, *Consubstantialis*, etc. Quapropter, et ipsi Protestantes eam vocem minus hodie fastidire videntur, exceptis Socinianis, qui ab ea velut a superstitione abhorrent. Imo ipse *Lutherus*, cum vidisset *Carlostadium* et *Zwinglium*, quibuscum inimicitias gerebat, abhorrere a voce sacramenti, mutavit cito sententiam, et nomen sacramenti approbavit in lib. contra coelestes prophetas.

Nota 2. Quamvis ritus sacri, gratiam significantes et producentes, communiter *Sacramenta* dicantur; aliis tamen quoque nominibus a Ss. Patribus, et ecclesiasticis scriptoribus insigniri consueverunt: interdum enim *signa*, *signacula*, interdum *mysteria*, *symbola* fuerunt vocata, hinc inde *fontes gratiarum*, *media salutis* etc. sunt dicti.

(1) Ep. 138 (al. 5) ad Marcellin. n. 7.

ARTICULUS I.

De natura Sacramentorum.

§ 488. In legitima tractatione ante omnia naturam rei, de qua agitur, indagandam et explicandam esse, sana ratio docet. Quamobrem etiam in tractatu de sacramentis primo horum naturam, seu essentiam inquirere et declarare oportet. In hac autem inquisitione sollicite cavendum est, ne humanis ratiociniis, aut philosophicis speculationibus plus iusto indulgeatur. Sacramenta enim beneficia sunt, ex liberrima voluntate, seu ex gratuita bonitate Dei promanantia, quae idcirco non ex principiis rationalibus inferri et determinari, sed ex sola Revelatione cognosci possunt. Hanc igitur sequi debemus, ut 1° genuinam *Sacramenti definitionem* statuentes, et 2° ex hac *requisita ad Sacramentum constituendum* inferentes, sacramentorum naturam seu essentiam recte intelligamus.

I. *Sacramenti definitio.*

§ 489. Alios de Sacramentis conceptus tradunt Catholici, alios effinxerunt Novatores. Facile autem intelligitur, S. Scripturae et Traditioni consonas esse *definitiones Catholicorum*, et mancas ac spurias esse *definitiones Novatorum*.

1. Apud catholicos Doctores multae passim leguntur Sacramenti definitiones, quae, tametsi nonnullis verbis discrepent, unum tamen eundemque orthodoxum sensum habent. Quandoque hinc tantum definitionum diversitas oritur, quod sacramentum in latiori, aut strictiori significatione accipiatur. Sic *Magister sententiarum* primo sacramentum definit latissime, prout omnium rerum sacrarum signa complectitur, dicens: « Sacramentum est rei sacrae signum; » quo sensu iam S. *Augustinus* (1) dixerat:

« Signa, cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur. » Deinde *Lombardus* tradit definitionem communem sacramentis veteris legis, quae Christi gratiam praesignabant, et sacramentis legis evangelicae, quae ipsam gratiam efficiunt, scribens : « Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma; » quae definitio etiam habetur in iure canonico (1), et convenit cum dicto *S. Augustini*, qui (2) sacramenta vocat « signacula rerum divinarum visibilia. » Denique idem sententiarum Magister (3) sacramentum novae legis, quod est signum gratiae efficax, ad hunc modum definit: « Sacramentum est, quod ita signum est gratiae Dei, et invisibilis gratiae forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat, » quam definitionem repetit et approbat *S. Thomas* in opusc. V; aliamque eiusdem tenoris subiungens 3 p. q. 60, art. 2, sacramentum dicit esse, « signum rei sacrae, in quantum est sanctificans homines. » Et iam *S. Isidorus Hisp.* (4) ita sacramentum descripsit: « Sacramentum est illud, in quo sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretius humanam salutem operatur. » *Hugo Victorinus* (5) hanc sacramenti definitionem suppeditat: « Sacramentum est materiale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repraesentans, et ex institutione significans, et sanctificatione continens invisibilem gratiam. » Huic Doctorum catholicorum consensui insistens Ecclesia, duas in *Catechismo romano* sacramenti definitiones exhibet, quae in eundem sensum recidunt. Prima habetur (6) his verbis: « Sacramentum est invisibilis gratiae visibile signum, ad nostram iustificationem institutum. » Altera (7) ita sonat: « Sacramentum est res sensibus subiecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habet; » quam definitionem recte *Bellarminus* (8) pulcherrimam vocat, et *Hon. Tournely*, cum ambas Catechismi romani definitiones adlegasset, subiungit: « Prior definitio optima quidem et retinenda, cum de sacramentis novae legis definiendis agitur, posterior vero, cum de sacramento generatim sumpto. » Commendat porro hanc definitionem, quia genus proximum et differentiam specificam exprimit; ita enim prosequitur : « Dicitur *res sensibus subiecta*, seu signum quoddam sensibile, quo nomine genus sacramenti aperitur... et dicitur : res, *quae* (non ex se propriaque sua natura, sed) *ex Dei institutione vim habet significandae, et efficiendae sanctitatis et iustitiae;* quae verba differentiam specificam signi sacramentalis ab aliis exprimunt. Sacramenti etenim proprium istud est et singulare, ut sanctitatem aliquam et iustitiam significet, et conferat, sive ea exterior tantum sit ac legalis, qualis a sacramentis veteribus conferebatur, sive interior ac spiritualis, quae sacramentorum novae legis propria est. » — Quoniam autem, ut ex dictis patet, etiam citata Catechismi romani definitio sacramentis tum veteris tum novi Testamenti applicari potest, nonnulli theologi convenientissimum esse iudicarunt, ut praeter generalem, etiam speciales definitiones sistantur, in quibus discrimina sacramentorum veteris et novae legis clare exponantur. Ita *Thomas ex Charmes* de Sacram. (9) dicit : « Sacramentum ge-

(1) Distinct 2 de consecr. cap. sacrific.
(2) L. de catech. rudibus cap 26, n. 50.
(3) Lib. 4, dist. 1.
(4) L. 6 Etymol. cap. 13.
(5) L. 1 de Sacram. p. 9, cap. 1.
(6) P. 2, c. 1, n. 4. (7) N. 2.
(8) L. 1 de Sacram. cap. 2.
(9) Diss. 1, cap. 1.

nerice sumptum, recte definitur: Signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum ad significandam et conferendam gratiam. » Et cum dixisset, sacramenta vetera significare gratiam sanctificantem futuram, per Christi passionem dandam et per fidem sibi applicandam, ex se autem conferre tantum iustitiam legalem, quae est exterior consecratio et initiatio ad cultum divinum; sacramenta vero novae legis significare gratiam sanctificantem praesentem, cum ipso actu externo ex institutione divina coniunctam, eaque conferre ac ex se producere gratiam interiorem, id est sanctificantem, per quam anima interius renovatur, efficiturque iusta et Deo grata; sequentes speciales definitiones proponit: « Sacramentum *veteris legis* est signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum ad significandam gratiam interiorem per passionem Christi dandam, et conferendam exteriorem et legalem. Sacramentum *novae legis* est signum sensibile, sacrum, a Christo Domino permanenter institutum ad significandam et producendam per se, et ex opere operato gratiam interiorem. » In hac definitione sacramentum novae legis distinguitur a signis externis, quae non ad animae sanctificationem ordinantur, cum dicitur *signum sensibile sacrum;* distinguitur a ritibus sacris ab Ecclesia institutis, cum dicitur *a Christo institutum;* distinguitur a signis externis, quibuscum pro aliquo tantum tempore et loco gratia coniuncta fuit, cum dicitur *permanenter institutum;* distinguitur a sacramentis veteris legis, quae non erant instituta *ad significandam et producendam per se et ex opere operato gratiam interiorem;* distinguitur demum per haec eadem ultima verba a sacrificio, quod primario et immediate non ordinatur ad sanctificandum suscipientem, sed ad contestandum supremum Dei dominium (1).

2. Novatores iuxta falsos, quos de sola fide iustificante et de natura iustificationis tenent conceptus, spurias quoque et a doctrina revelationis omnino alienas definitiones tradunt. *Lutherani* contendunt, sacramenta esse testimonia voluntatis Dei erga nos, ac materialia quaedam signa ad excitandam et fovendam nobis fidem, divinitus instituta; ita *Lutherus* (2) ait: « Omnia sacramenta ad fidem alendam sunt instituta; » et in *Confess. August.* (3) habetur: « Sacramenta instituta sunt, non modo ut sint notae professionis inter homines, sed magis, ut sint signa et testimonia voluntatis Dei erga nos ad excitandam et confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita. » Iuxta *Calvinum* (4): « Sacramentum est externum symbolum, quo benevolentiae erga nos suae promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustentandam fidei nostrae imbecillitatem, et nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo et Angelis, quam apud homines testamur. » Secundum *Zwinglium* sacramenta sunt « signa vel caeremoniae, quibus se homo Ecclesiae probat aut candidatum, aut militem esse Christi, reddunt que, ut ait, Ecclesiam totam potius certiorem de tua fide, quam te » (5). *Anabaptistae* definiunt sacramenta « allegorias, seu signa quaedam vitae spiritualis, morum atque bonorum operum, quibus scilicet si-

(1) Cf. Antoine Th. dogm. de Sacram. in genere cap. 1, art. 1, § 3.
(2) Tom. 3, opp. edit. Ien. fol. 266. *b*).
(3) P. 1, art. 3.
(4) L. 4, Instit. c. 14, n. 1.
(5) V. Lib. de ver. et fals. Relig.

gnis admonemur, bonis operibus nos exercere. » *Socinianis* et *Arminianis* sacramenta sunt caeremoniae, seu nudi ritus exteriores, quibus Christiani ab aliarum religionum cultoribus distinguuntur. *Quakeris* sacramenta sunt actus spirituales et interni effectus caelestis luminis. *Schwedenborgianis* sacramenta sunt symbola, quibus Deus et homo invicem coniunguntur (1). — Ita variae Novatorum sectae non ex S. Scriptura et Traditione sacramentorum notionem hauriunt, sed istorum conceptus heterodoxis suis systematibus accommodant, atque ideo misere contorquent et corrumpunt. — Plura quidem non improbanda in allatis Novatorum definitionibus reperiuntur. De sacramentis enim recte ibidem asseritur, haec iuvare ad alendam fidem, ad pietatem fovendam; haec fore signa, quibus divinae confirmantur gratiae promissiones; per haec homines Christo initiari; haec totidem esse notas, quarum usu fideles veram Religionem professi tum a Iudaeis, tum ab Ethnicis discriminantur. Hae tamen definitiones omnes, utpote dolosae, a viro catholico sunt reiiciendae. Nam quid est in sensu Novatorum gratia, quae per sacramenta promittitur? non certe gratia interne regenerans, sanctificans et delens culpam, sed inane potius gratiae commentum, in externa peccati non imputatione consistens. Praeterea totam vim sacramenti novae legis in eo sitam fingunt adversarii, ut illud moveat obiective fidem, a qua sola iustificationem deducunt. Igitur hoc alio communi vitio laborat eorum doctrina, ut, quamvis ex uno capite nonnullas secundarias proprietates nostris concedat sacramentis, ipsis auferat ex altero, quod potissimum et essentialiter iisdem convenit, vim scilicet, iis divinitus insitam, interioris gratiae non ponenti obicem tribuendae. Verum hac de re fusius artieulo sexto agetur, ubi de virtute et effectibus sacramentorum sermo instituetur (2).

Nota. Orthodoxi theologi cum *S. Thoma* (3) communi suffragio docent, signum esse genus sacramenti, seu sacramentum esse in genere signi. Signum enim definitur a *S. Augustino* (4): « Res, quae praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire.» Sed ea, quae in collatione sacramentorum sensibus subiiciuntur, faciunt in cognitionem venire gratiam supernaturalem et invisibilem, quae confertur: ergo sacramentum est in genere signi.— Signum autem varium et multiplex est. Nam ratione suae causae dividitur in *naturale*, quod ex natura sua significat id quod significat, uti fumus est signum naturale ignis, et in *arbitrarium*, quod ex instituto solum significat id, quod significat, uti haedera appensa est signum arbitrarium vini venalis. Ratione suae virtutis dividitur in speculativum, quod non facit, quod significat; et in *practicum*, quod facit id, quod significat. Ratione rei significatae dividitur in *rememorativum*, quod significat rem praeteritam, ut trophaeum significat victoriam; in *demonstrativum*, quod significat rem praesentem, ut haedera significat vinum venale; et in *prognosticon*, quod significat rem futuram, ut vespere rubens coelum cras indicat esse serenum. Iam si quaeratur, quale signum sit sacramentum novae legis, theologi sequentia re-

(1) V. Moehler Symbolic. § 29-31, § 60, § 91, § 68, § 82.

(2) Cf. Bellarmin. Tom. 3, controver. 1, lib. 1, cap. 13 et seq.

(3) 3 p. q. 60, art. 1.

(4) L. 2 de doctr. Christ. c. 1.

spondent: Sacramentum est signum non naturale, sed ex instituto, cuius tota vis et efficacia pendet a libera Dei instituentis voluntate. Praeterea sacramentum est signum non mere speculativum, sed efficax, et practicum sanctitatis, quam efficit. Denique signum sacramentale significat passionem Christi praeteritam, gratiam sanctificantem praesentem, et vitam aeternam futuram. Praeclare id docet S. *Thomas* (1) dicens: « Sacramentum proprie dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem; in qua tria considerari possunt, videlicet ipsa causa sanctificationis nostrae, quae est passio Christi, et forma nostrae sanctificationis, quae consistit in gratia et virtutibus, et ultimus finis sanctificationis nostrae, qui est vita aeterna. Unde sacramentum est signum rememorativum eius quod praecessit, scilicet passionis Christi; et demonstrativum eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiae; et prognosticum, id est praenuntiativum futurae gloriae. » (2).

II. *Sacramenti requisita.*

§ 490. In Ecclesia catholica varii ritus sacri observantur, qui ad cultum divinum et animarum sanctificationem referuntur. Constat autem, non omnes ritus sacros, sed aliquos tantum rationem sacramenti habere. Necesse igitur est, ut cognoscamus requisita, seu necessarias conditiones ad sacramentum novae legis, de quo nobis hic praecipue sermo est, constituendum. Ista autem requisita ex definitionibus, quas Catholici de sacramentis tradunt, facile eruuntur. Quatuor nempe conditiones, ad sacramentum constituendum requisitae, clare exprimuntur in definitione Catechismi romani, in qua Sacramentum dicitur: *Res subiecta sensibus, quae ex Dei institutione, iustitiae et sanctitatis tum significandae, tum efficiendae vim habet.*

1. Requiritur ergo primo *res subiecta sensibus, ritus externus*, seu *signum sensibile;* nam si gratia supernaturalis modo prorsus invisibili animae conferatur, huius quidem sanctificatio perfici potest, sed ratio sacramenti non adest. Necesse igitur est, in re sensibili consistere sacramenta, ut per ea fideles in Dei cultu invicem conveniant, atque ab infidelibus distinguantur. Necessitatem huius conditionis agnovit *D. Augustinus* (3) ita scribens: « In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, aut sacramentorum visibilium consortio colligentur. » Variis autem modis res sensibus subiici possunt; nempe vel visui, tactui, olfactui etc., ut entia materialia et actiones externae, vel auditui, ut verba ore prolata. Utroque vero modo in sacramentis res sensibus subiici debent; nam *Catechismus romanus* (4) docet: « Rem sensibilem, quae supra in sacramenti definitione posita est, non unam tantum esse, quamvis unum signum constitui credendum sit. Duo enim sunt, ex quibus quodlibet sacramentum conficitur: quorum alterum materiae rationem habet, atque *elementum* dicitur; alterum formae vim, et *verbum* communi vocabulo appellatur: sic enim a Patribus accepimus. Qua in re notum est, atque apud omnes pervulgatum illud *S. Augustini* testimonium (5): *Accedit verbum ad elementum, et fit sa-*

(1) 3 p. q. 60, art. 3.
(2) Cf. Tournely de Sacr. q. 1, art. 2; Billuart de Sacr. Diss. 1, art. 1 et 2.

(3) L. 19 c. Faustum cap. 11.
(4) P. 2, cap. 1, n. 15. (5) In Io Tr. 30.

cramentum. Rei igitur sensibilis nomine tum materiam, sive elementum intelligunt, ut in Sacramento baptismi aquam, confirmationis chrisma, et extremae unctionis oleum, quae omnia sub aspectum cadunt; tum praeterea verba, quae formae rationem habent, atque ad aurium sensum pertinent. Apostolus vero utrumque aperte indicavit, cum (1) inquit: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae;* quo in loco materia et forma sacramenti exprimitur. » In hac doctrina omnes theologi catholici consentiunt.

2. Ad sacramentum novae legis constituendum secundo requiritur, ut signum sensibile sit *a Christo Domino permanenter institutum*. Nam sacramenta novae legis gratiam non solum significant, sed etiam ex opere operato producunt. Nullus autem hominum gratiam interiorem ita cum ritu externo coniungere potest, ut hic illius non solum signum sit, sed et causa existat. Id profecto solus Auctor et Dominus gratiae, id est, solus Deus efficere potest, unde Apostolus ait: *Haec autem omnia operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis prout vult* (2). Nisi ergo constet, a Christo Domino signum sensibile, seu ritum externum ad significandam et producendam gratiam institutum fuisse, sacramentum novae legis in isto admitti non potest. Hinc plane colligitur, signum crucis, aquam lustralem, benedictiones, aliosque ritus bene plures Ecclesiae auctoritate institutos, qui Sacramentalium nomine veniunt, sacramenta non esse. Necesse porro est, ut signum sensibile ita divinitus institutum sit, ut non solum pro aliquo loco, vel tempore, sed ut pro omnibus Ecclesiae locis et temporibus *permanenter* ad significandam et producendam gratiam destinatum sit. Sicut enim Christus pro omnibus hominibus mortuus est, ita etiam pro omnibus omnium locorum et temporum hominibus media salutis praeparavit. Praeterea sacramenta praecipui sunt ritus Religionis christianae: stabilia ergo sint oportet, prout ipsa Religio stabilis est et perpetua. Praeterea Ecclesiam quovis tempore sanctam profiteri tenemur: necesse igitur est, ut efficacia sanctitatis media, ad quae praecipue sacramenta pertinent, in ipsa quovis tempore inveniantur. Idcirco Paulus (3) Apostolos, eorumque successores, ut *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*, seu sacramentorum considerandos esse, dicit. Sacramenta autem continuo dispensari non possent, si non pro omnibus locis et temporibus instituta essent. Ex his aliisque rationibus probant theologi catholici, ad sacramentum constituendum requiri, ut signum sensibile *permanenter* a Christo institutum sit, ad gratiam significandam et producendam.

3. Ad sacramentum novae legis constituendum tertio requiritur, ut res subiecta sensibus *ad significandam gratiam interiorem*, seu iustitiam et sanctitatem ordinetur. Debet proinde signum sensibile aliquam analogiam habere cum effectu spirituali, quem significat. Hanc analogiam absolute requirit in sacramento *S. Augustinus* (4) dicens: « Si sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. » Ista autem analogia, quae in sacramentis occurrit, non efficit, ut signa dici possint naturalia, sed manent

(1) Eph. 5, 25 etc. (2) 1 Cor. 12, 11. (3) 1 Cor. 4, 1. (4) Ep. 88 ad Bonifac. n. 2

arbitraria, quae ex sola Dei voluntate gratiam invisibilem significant. Nam, ut observat *S. Thomas* (1), « res sensibiles aptitudinem quamdam habent ad significandum spirituales effectus ex sui natura : sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione divina. Et hoc est, quod *Hugo de S. Victore* dicit, quod sacramentum ex institutione significat. Praeelegit tamen Deus quasdam res aliis ad significationes sacramentales, non quia ad eas contrahatur eius effectus, sed ut sit convenientior significatio. » Talem convenientem significationem in sacramentis adesse, ex iis apparebit, quae de sacramentis in specie dicentur. Sapientissime enim Christus tales ritus sacramentales instituit, qui ad effectus spirituales significandos aptissimi sunt. Sic e. g. in baptismo externa corporis ablutio internam et spiritualem animae emulationem significat.

4. Denique ad Sacramentum novae legis constituendum requiritur, ut signum sensibile gratiam, quam significat, producat, seu sanctitatem et iustitiam efficiat. Quod cum Ss. Patribus et theologis docet *S. Thomas* (2) ita disserens : « Necesse est dicere, Sacramenta novae legis per aliquem modum gratiam causare. » Dein ostendit, sacramenta consideranda esse non solum ut signa, sed vere etiam ut instrumenta, quae ex institutione divina in se virtutem habent, gratiam non ponentibus obicem conferendi. Quibus probatis, ita prosequitur : « Et hoc modo sacramenta novae legis gratiam causant. Adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. Unde *S. Augustinus* (3) dicit : Haec omnia scilicet sacramentalia fiunt et transeunt : virtus tamen, scilicet Dei, quae per ista operatur, iugiter manet. Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Unde et Tit. III dicitur : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* » Hoc ultimum requisitum etiam praecipuum nobis discrimen manifestat, quod inter utriusque foederis sacramenta observatur. Nam *Eugenius IV* in decreto pro Armenis, sacro approbante *Concilio Florentino*, ita loquitur : *Novae legis sacramenta — multum a sacramentis antiquae legis differunt. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse, significabant : haec vero nostra et continent gratiam et eam digne suscipientibus conferunt.*

(1) 3 p. q. 64, art. 2 ad 2.
(2) 3 p. q. 62, art. 1.

(3) L. 19 c. Faustum.
(4) Th. gen. § 47.

ARTICULUS II.

De existentia Sacramentorum.

§ 491. Hominem non solum ad internum, sed etiam ad externum Dei cultum obligari atque ideo in vera religione signa sensibilia sacra, seu actus externos, quibus cultus Dei internus exprimatur et promoveatur, inveniri debere, ex ratione et revelatione constat. (4). Ast non in omnibus signis sacris ratio sacramenti in sensu proprio accepti reperitur, sed in iis tantum, quae ad significandam et producendam gratiam divinitus instituta sunt. Quoniam autem haec institutio a liberrima Dei voluntate dependet, qui solus gratiam cum signo externo coniungere potest, ad hoc autem nulla lege tenetur : manifestum est, sacramentorum existentiam nullatenus *a priori*, seu per solam rationem probari, sed per divinam dumtaxat Revelationem cognosci pos-

se. Testimonia erga S. Scripturae et traditionis investigare debemus, ut determinare possimus, an et quaenam sacramenta in tribus religionis revelatae periodis, nempe in periodo *patriarchali*, *mosaica* et *christiana* extiterint.

I. *In periodo patriarchali.*

§ 492. In periodo patriarchali triplex potest epocha distingui: prima *protoparentum innocentium in paradiso*, altera *a lapsu Adami usque ad Abrahamum*, tertia *ab Abrahamo usque ad Moysen.*

1. Num in statu innocentiae, in quo protoparentes creati fuerant, sacramenta extiterint, certo definiri non potest. Nonnulli cum *Fulg. Bellelli* (1) affirmativam sententiam tenent, quibus etiam S. *Augustinus* favere videtur. Rationem enim sacramenti S. Doctor agnoscit *in ligno vitae* (2) scribens: « Nec sine mysteriis rerum spiritualium corporaliter praesentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis caeteris alimentum, in illo autem (ligno vitae) Sacramentum. » Et ibid. (3) ait, « potuisse per lignum, id est, per corpoream creaturam, tanquam sacramento quodam significari sapientiam in paradiso corporali, » sapientiam utique, qua recte vivimus et de qua (4) legimus: *Lignum vitae est amplectentibus eam.* Insuper S. *Augustinus* eodem capite (5) affirmat, lignum vitae non solum fuisse sapientiae invisibile symbolum, verum etiam immortalitatem primo homini contulisse occulta gratiae inspiratione, scribens: « Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem praestitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta: » ac de homine e paradiso ejecto ibid. (6) inquit: « Separari utique debuit a ligno vitae, sive quod ex ipso illi subsisteret felix ille ipse status corporis ex re visibili virtute invisibilis, sive quod in eo esset et sacramentum visibile invisibilis sapientiae; » ex quibus omnibus constat, iuxta S. Doctorem lignum vitae et fuisse corporale signum rei sacrae et contulisse corpori immortalitatem; quam fuisse donum gratiae, non vero naturalem hominis innocentis conditionem, contra *Baium* definitum est (7). Quidam etiam in *coniugio protoparentum*, cui Deus benedixit, Sacramentum adfuisse autumant, seu signum rei sacrae, quatenus per illud futura Christi et Ecclesiae coniunctio mystice significabatur, quod etiam innuit *S. Augustinus* (8). Communior autem theologorum sententia est, in statu innocentiae nulla extitisse veri nominis sacramenta. Hanc sententiam defendit etiam *S. Thomas* (9) dicens: « In statu innocentiae ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt: cuius ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, et nullo modo dependebant ab eis; sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animae vires et ipsi animae corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per aliquid corporale, quod fit in sacramentis. Et ideo in statu innocentiae homo sacramentis non indigebat, non solum in quantum sacramenta ordinantur ad

(1) L. 1 Mentis August. cap. 20.
(2) Lib. 8 de Gen. ad litt. cap. 4, n. 8.
(3) Cap. 5, n. 10. (4) Prov. 3, 18.
(5) N. 11. (6) L. 11, c. 40, n. 54.
(7) § 207. (8) L. 8 de Gen. ad litt. c. 4, n. 10
(9) 3 p. q. 61, art. 1

remedium peccati, sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad animae perfectionem. » Et sane — sacramenta, quae ex latere Christi profluxerunt, ad oeconomiam Redemptionis pertinent. Sicut ergo Filius Dei incarnatus non fuisset, si Adam non peccasset, ita etiam sacramenta non extitissent, si homo in statu innocentiae permansisset, dicente ipso Christo: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus* (1). Neque S. *Augustinus* huic sententiae adversatur. Nam de Gen. ad litt. (2) appellat lignum vitae *Sacramentum*, quatenus sacramentum late acceptum rem arcanam designat, docens, *in ligno vitae* figuratum esse Christum, qui vera sapientia est, ut in petra de qua fluxerunt aquae, ait enim: « Erat ergo et lignum vitae, quemadmodum petra, Christus, nec sine mysteriis rerum spiritualium etc. » At petra verum propriumque sacramentum, prout hic accipitur, non fuit, ideoque nec lignum vitae. Matrimonium in nova tantum lege ad sacramenti dignitatem elevatum esse. S. *Augustinus* cum aliis Patribus docet, ut inferius ostendetur. Unde etiam S. *Thomas* (3) dicit: « Quod matrimonium fuit institutum in statu innocentiae, non secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturae; ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum et Ecclesiam, sicut et omnia alia, quae in figura Christi praecesserunt. »

2. Postquam protoparentes peccaverunt, et non solum seipso sed etiam omnes suos posteros gratia divina privaverunt, mox iisdem Messias seu Redemptor promissus fuit (4); et certum est, homines post lapsum solummodo per fidem in Messiam venturum a culpa liberari et salvari potuisse. Id S. Scriptura contestatur. Nam Act. IV, 12 Petrus dicit: *Non est in alio aliquo salus* (nisi in D. N. I. Christo). *Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* etc. Act. XV, 11 ait: *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi*, nempe Patres V. T. Paulus quoque scribit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus* (5); cuius fidem vos primus docui, ut salutem consequi possitis. Nemo ergo neque in veteri testamento, neque in novo alium modum adinvenire potest salutem obtinendi, nisi fidem in Christum. Unde merito S. *Augustinus* (6) ad Optatum inquit: « Illa est fides salva, qua credimus, nullum hominem sive maioris, sive parvulae quamlibet et recentis aetatis, liberari a contagione mortis antiquae et obligatione peccati, quod prima nativitate contraxit, nisi per unum mediatorem Dei et hominum, hominem Iesum Christum. » Et de nupt. et concup. (7) scribit: « Eadem fides mediatoris salvos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis. Quia sicut credimus nos, Christum in carne venisse, sic illi venturum; sicut nos mortuum, sic illi moriturum. » Ita omnes Catholici profitentur, in veteri lege necessariam fuisse hominibus fidem in Messiam venturum, ut iustificarentur et salvarentur. Imo nonnulli Patres et theologi docent, solam fidem interiorem homines iustificasse et in hac epocha nullum signum externum divinitus institutum fuisse ad fidem excitandam seu applicandam, aut ad iustifi-

(1) Matth. 9, 12. (2) Lib. 8, c. 4.
(3) 3 p. q. 61, a. 2 ad 3. (4) Th. gen. § 87.
(5) 1 Cor. 3, 11. (6) Ep. 190 (al. 157).
(7) L. 2, c. 11.

cationem concedendam. Ita *Tertullianus* (1) aperte concedit, ante legem solam fidem absque ullis signis exterioribus sufficientem fuisse ad salutem, dicens: « Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem, at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem et resurrectionem eius, addita est ampliatio sacramenti, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quae retro erat nuda. » *S. Gregorius M.* (2) ait: « Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud Veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis. » *Ven. Beda* (3) sic loquitur: « Qui vel ante tempora circumcisionis, vel etiam post datam circumcisionem de exteris gentibus extitere fideles; ut exemplar patientiae Iob et amici liberique illius, sive victimis hostiarum se suosque ab originali peccato, seu certe sola fide salvabant, quia iustus ex fide vivit, et sine fide impossibile est placere Deo. » *S. Bernardus* Ep. ad Hugonem (4), postquam dixit Abrahamo eiusque posteris datam esse circumcisionem in remedium peccati originalis, sic pergit: « In nationibus vero, quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide et sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem solam profuisse, imo et suffecisse parentum fidem. » *S. Thomas* (5) inquit: « Sicut ante institutionem circumcisionis sola fides Christi futuri iustificabat tam pueros, quam adultos; ita etiam et circumcisione data. Sed ante ea non requirebatur aliquod signum protestativum huius fidei, quia nondum homines fideles seorsim ab infidelibus coeperant adunari ad cultum unius Dei. » Ita etiam sentiunt Magister sent. (6), *Hugo a S. Victore* (7), *S. Bonaventura* (8), *Durandus* (9) et alii. — His non obstantibus, multis probabile videtur, fidem iustificantem in hac epocha solam et nudam non fuisse, sed aliquo signo seu actione externa, circumvestitam. Nam *S. Augustinus* (10) ait: « Nec ideo credendum est, ante circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis, quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura sacra latere voluerit. » Et alibi (11): « Superioribus temporibus (nempe ante circumcisionem) omnino latuit sacramentum iustificationis ex fide: » non ait S. Doctor, nullum fuisse, sed latuisse duntaxat sacramentum, quod ex fide iustificabat. *S. Prosper* (12) inquit: « Non irreligiose credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus, qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eos iuvarentur; » quibus verbis innuit aliquod remedium externum, quod ad salutem parvulorum applicari poterat. *Innocentius III* cap. *Maiores* (13) indiscriminatim de parvulis cuiusque status dicit: « Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurave-

(1) L. de baptismo cap. 13.
(2) L. 4 Mor. c. 3. (3) L. 1 in Luc. c. 8.
(4) Epist. 77, c. 1, n. 4.
(5) 3 p. q. 70, art. 4 ad 2.
(6) L. 4, dist. 1. (7) L. 1, p. 2, c. 3
(8) in 4 dist. 1, p. 2, art. 2, q. 2.
(9) In 4 sent. dub. 1, q. 2.
(10) L. 5 c. Iulian. c. 11.
(11) L. 2 de nupt. et concup. c. 11.
(12) Vel alius Auctor l. 2 de vocat gent. c. 33. (13) L. 3 decret. tit. 42

rit ad salutem: » ubi remedii nomine procul dubio intelligit sacramentum, cum ibidem de circumcisione et de baptismo disputationem instituat. Ipse *S. Thomas* (1), postquam dixit, sola fide iustificatos fuisse tam parvulos, quam adultos, addit, « probabile tamen esse, quod parentes fideles pro parvulis natis et maxime in periculo existentibus, aliquas Deo preces funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro seipsis preces et sacrificia offerebant. » Idem S. Doctor (2) expresse docet: « Ante legem scriptam erant quaedam sacramenta necessitatis, sicut illud fidei sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem peccati originalis; et similiter poenitentiae, quae ordinabatur ad deletionem actualis. » His addenda sunt, quae S. Doctor habet 3 p. q. 61, art. 3 ubi probat, oportuisse ante Christi adventum esse quaedam « signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu; et huiusmodi signa dicuntur Sacramenta. » Ex his rationibus multis theologis probabile videtur, iam in hac epocha sacramenta extitisse, quamvis haec in S. Scriptura nobis indicata non fuerint. Quidam etiam putant, sacramenta tunc temporis non immediate in specie a Deo determinata, sed hominum arbitrio relicta fuisse, ita ut quaelibet respublica, aut eius caput, civili et sacra potestate pollens, ea determinare potuerit (3).

3. Postquam Deus *Abraham* elegit, ut Pater fieret credentium, in signum foederis Circumcisio divinitus instituta fuit. Deus enim ipse dixit ad Abraham: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis... eritque pactum meum in carne vestra in foedus aeternum. Masculus, cuius caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit* (4). Haec verba adeo clara sunt, ut divinam circumcisionis institutionem in dubium vocare non liceat. Ast circa effectus circumcisionis theologi dissentiunt. Nonnulli cum *Bellarmino, Tournely* et aliis censent, circumcisionem non esse institutam in remedium peccati originalis, sed tantum in signum foederis inter Deum et Abrahamum, eiusque posteros, ita ut circumcisio signum foret tum distinctionis populi iudaici a caeteris nationibus, tum singularis Dei erga ipsum amoris et providentiae, tum religionis ac cultus, quo populus ille Deum specialiter colere tenebatur. Hanc sententiam probant tum ex verbis citatis (5), in quibus iste tantum effectus exprimitur, tum ex verbis Pauli dicentis: *Quae ergo utilitas circumcisionis? multum quidem per omnem modum. Primum quia credita sunt illis eloquia Dei* (6); ubi τὸ *primum* denotat praecipuam utilitatem circumcisionis, quae ad eloquia Dei, id est, ad legem et oracula divina Iudaeis concredita restringitur. Eidem sententiae suffragantur Ss. Patres. *S. Iustinus* (7) ait: « Quod genus muliebre circumcisionis carnalis capax non est, satis id ostendit, in signum datam circumcisionem istam,

(2) 3 p. q. 70, art. 4 ad 2.
(2) In 4 Dist. 2, art. 2, q. 5 ad 2.
(3) Cf. Gazzaniga de Sacram. Diss. 1, cap. 3, pr. 2; Schram Inst. Th. dogm. t. 3, cap. 13 § 901, Schol. 2.
(4) Gen. 17, 10 etc.
(5) Gen. 17, 11.
(6) Rom. 3, 1.
(7) In Dial. c. Tryph.

non ut iustitiae opus. » *Tertullianus*(1) inquit: « Si circumcisio purgat hominem, Deus Adam incircumcisum cum faceret, cur eum non circumcidit, vel postquam deliquit, si purgat circumcisio?» et (2): « Providens Deus, quod hanc circumcisionem non in salutem esset daturus etc. » *S. Cyprianus* c. Iudaeos (3) opponit carnalem Iudaeorum spirituali circumcisioni Christianorum et addit, Adamum, Henoch, Noë et Melchisedech iustos fuisse sine circumcisione, quia, inquit, « Signaculum seminis nihil profuit. » *S. Irenaeus* (4) sic loquitur: « Circumcisionem, non quasi iustitiae consummatricem, sed in signo dedit eam Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahae. » *S. Ambrosius* (5) ad Clementianum scribit: « Signum circumcisio corporalis; veritas autem circumcisio spiritualis: illa membrum amputat, ista peccatum. » *S. Chrysostomus* (6) legem circumcisionis statutam dicit: « Non quod ad animae salutem perficere haec possit aliquid, sed ut hoc grati animi indicium quasi signum et sigillum circumferrent Iudaei et ne liceret eis commisceri gentium congressibus. » *S. Hieronymus* in cap. 3 ad Galat. rationem reddens institutae circumcisionis, ne verbulo quidem indicat, eam in remedium peccati fuisse, signum dumtaxat distinctionis Iudaeorum ab aliis nationibus in illa agnoscens. Cl. *Tournely* (7) rationem addit theologicam eiusdem sententiae, dicens: « Lex circumcisionis foeminas non obligabat, neque etiam masculos infantes ante octavum a nativitate diem; ex quo sequitur, aut nullum fuisse pro illis contra originalem noxam remedium, aut illud a circumcisione fuisse diversum: prius non patitur, quae summa Dei est pro salute omnium providentia et effusa voluntas; posterius longe meliorem reddidisset foeminarum conditionem, quae nec octavum a nativitate diem expectare tenebantur, ut remedio legis naturae fruerentur, nec dolori circumcisionis subiiciebantur. Praeterea per annos quadraginta, quibus Iudaei in deserto manserunt, observata non fuit lex circumcisionis, ut constat ex Iosue V, 6, sive quia tunc sine gentis alterius commixtione vivebant, nec ullo indigebant signo, quo a caeteris nationibus separarentur; sive quia in illa quotidiana fere peregrinatione circumcisionis dolorem sustinere non potuissent: an vero nullum fuit pro toto illo intervallo temporis remedium peccati originalis? » — Alii tamen theologi cum card. *Gotti*, *Berti* etc. contendunt, circumcisionem a Deo institutam esse ad delendum peccatum originale. Isti quoque ex S. Scriptura et Patribus sententiam suam probant. Nam Gen. XVII, 11 Deus dicit: *Erit pactum meum in carne vestra, in foedus aeternum.* Porro Deus pactum et foedus cum peccatoribus inire non potest; *quae enim participatio*, inquit Apostolus, *iustitiae cum iniquitate... Quae autem conventio Christi ad Belial?* quapropter in verbis Geneseos tacite insinuatur, per circumcisionem in pueris peccata deleri et in adultis etiam actualia peccata, ut verum inter Deum et ipsos pactum consistere possit. Porro Gen. XVII, 14 legitur: *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit;* quorum

(1) Lib. c. Iudaeos c. 2. (2) Cap. 3.
(3) L. 1 c. 2.
(4) L. 4. adv. haer. c. 16 (al. 30).
(5) Ep. lib. 5, Ep. 42, alias 72.
(6) Hom. 27 in Gen.
(7) De Sacram. q. 3, art. 3, Concl. 3

verborum sensus est: qui circumcisus non fuerit, perditionem nequaquam evadet, quoniam reus manet transgressionis Adae. Hinc etiam Ss. Patres docent, circumcisionem ad delendum peccatum originale institutam esse. *S. Ambrosius* (1) inquit: « Vides, omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri. Nam et circumcisio purgationem significat delictorum. » Et alibi (2) ita loquitur: « Egregie autem infantiae in primis vagitibus circumcidi mares lex iubet, etiam vernaculos, quia sicut ab infantia peccatum, ita ab infantia circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutelae, quia nullum est culpae vacuum... Nec senex ergo proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis aetas peccato obnoxia et ideo omnis aetas sacramento idonea. » *S. Basilius* (3) circumcisionem baptismati comparans ait: « Circumcisionem Iudaeus minime differt ob comminationem, quoniam omnes anima, quae die octava non circumciditur, e populo suo exterminabitur: at tu circumcisionem non manufactam, quae per baptismum in depositionem carnis perficitur, differre quaeris? Ipsum audisti Dominum: *Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit* etc. » Quo testimonio producto sub nomine Chrysostomi c. Iulian. (4), ita *S. Augustinus* prosequitur: « Cernis, quemadmodum circumcisionem circumcisioni, comminationem comminationi vir ecclesiastica doctrina praeditus comparavit? Quod ergo est octavo die non circumcidi, hoc est in Christo non baptizari et quod est perire de populo suo, hoc est non intrare in regnum coelorum. » Idem S. Doctor de nupt. et conc. (5) inquit: « Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quae erat signaculum iustitiae fidei, ita ad significationem purgationis valebat et in parvulis originalis, veterisque peccati, sicut et baptismus ex illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo est institutus. » Insuper (6) ad Dardan. scribit: « Circumcisio antiquis sanctis pro baptismo fuisse creditur. » Et c. litt. Petil. (7): « Certe antiquus populus Dei circumcisionem pro baptismo habebat, » nempe quantum ad remedium contra peccatum originale. *Hesychius* vel alius antiquus auctor lib. III in Lev. (8) haec habet: « Ergo hic est modus, propter quem infantem octavo die iubet circumcidi. Incircumcisum autem perire de populo suo ostendit, quia ante circumcisionem abominabilem habet carnem et immundam. Mundatur autem per circumcisionem, quae imaginem gerit resurrectionis mortuorum. » Eandem sententiam produnt *S. Prosper*, *S. Fulgentius* et *S. Gregorius M.*, qui in Mor. (9) ita disserit: « Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahae stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis. » *Ven. Beda* (10) dicit, circumcisionem praecipue significasse donum remissionis, quod solveret a peccato praevaricationis Adae, « quod una cum *S. Augustino* probat ex illa comminatione Gen. XVII, 14, quam comparat cum illa Salvatoris Io. III, 5. *S. Bernardus* (11) loquens de gratia baptismi, quae est purgatio peccatorum, « huius quidem gratiae sacramentum, inquit,

(1) L. 2 in Luc. n. 56.
(2) L. 2 de Abrahamo cap. 11, n. 81.
(3) Hom. 13 edit. Morelli pag. 477.
(4) L. 2, c. 6, n. 18. (5) L. 2, c. 11.
(6) Epist. 187 al. 57. c. 11.
(7) L. 2, c. 72.
(8) T. 12 Bibl. max. SS. PP. Lugd. p. 98.
(9) L. 4, c. 3. (10) In c. 2 Lucae.
(11) L. 1 de Coena Dom.

prius erat circumcisio, ut originalis rubiginem culpae, quae manaverat a parentibus primis, cultellus eraderet. » Demum reticeri nequit oraculum *Innocentii III*, qui in c. *Maiores* de bapt. (1) inquit: « Baptisma successit circumcisioni... Sicut sine distinctione quaelibet mosaica lex clamabat: *Anima, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo,* ita nunc indistincta intonat vox evangelica: *Nisi quis renatus fuerit* etc.; » et inferius addit: « Originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium et damnationis periculum vitabatur. » Huic traditioni innixi scholastici communi consensu docuerunt, circumcisionem non solum ad distinguendos Iudaeos a caeteris nationibus, sed etiam ad delendam culpam originalem institutam esse. Nonnulli eo usque progressi sunt ut docerent, gratiam in circumcisione ad delendum peccatum originale conferri virtute eiusdem circumcisionis, seu *ex opere operato*, non secus ac in baptismo. Ita *Scotus* (2), quem *Durandus* (3) aliique secuti sunt. Eidem opinioni aliquamdiu inhaesit etiam *S. Thomas*, quam in lib. IV Sent. (4) proposuit; sed considerans magnum esse quoad efficaciam inter sacramenta V. et N. T. discrimen, opinionem istam deseruit, suamque doctrinam (5) ita proponit: « Ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum originale remittebatur. Quidam tamen dixerunt; quod non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum, quod Magister ponit. Sed hoc non potest esse, quia culpa non remittitur nisi per gratiam, secundum illud: *Iustificati gratis per gratiam ipsius* »(6). Dein contra alios defendit, per circumcisionem etiam gratiam collatam fuisse, quae sufficiebat ad reprimendam concupiscentiam et ad implenda mandata legis, ac demum concludit: « Dicendum est, quod in circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiae effectus; aliter tamen quam in baptismo. Nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi iam perfectae (scilicet *ex opere operato*); in circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio, ita scilicet, quod homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur, se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde Apostolus dicit quod *Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiae fidei* (7), quia scilicet iustitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante. » Ergo iuxta *S. Thomam* circumcisio fuit instituta ad delendum peccatum originale; non autem illud delebat sua virtute, seu ex opere operato, sed prout signum erat externum protestativum fidei. — Per hanc sententiam *S. Thomae* Patres, qui dissentire videntur, conciliari possunt. Illi nempe qui videntur asserere, circumcisionem fuisse datam *solummodo* ad populum israëliticum distinguendum ab aliis, non possunt intelligi presse et omnino in sensu exclusivo: alias excluderentur multa alia beneficia a Deo in circumcisione collata. Negant ergo tantum, quod circumcisio propria virtute, seu ex opere operato peccatum originale delebat; non negant autem, quod circumcisio ordinata fuerit ad significan-

(1) L. 3, tit. 4. (2) In 4 Dist. 1, q. 6.
(3) Dist. 1, q. 5. (4) Q. 2, a. 4 quaestiunc. 2
(5) 3 P. Q. 70, art. 4. (6) Rom. 3, 24.
(7) Rom. 4, 11.

dam, excitandam et manifestandam fidem in venturum Messiam, per quam iustificatio obtinebatur. Caeterum ex dictis patet, circumcisionem veri nominis sacramentum fuisse: est enim res subiecta sensibus, instituta a Deo ad significandam gratiam interiorem et ad producendam saltem iustitiam legalem, vel, ut contendit *Billuart* (1), ad producendam etiam gratiam aliquam interiorem, per quam fides iustificans excitetur (2).

Nota. Periodum istam, quae ab Adamo usque ad Moysen extenditur, theologi *statum naturae* vocare solent; non autem ideo negant, Revelationem divinam iam Patriarchis factam, fidem in promissum Messiam, et postmodum etiam circumcisionem praeceptam fuisse, ac ideo iam praecepta positiva extitisse. Sed quia de caetero homines ad nulla alia praecepta adstricti erant, quam ad illa, quae ex iure naturae fluunt, quaeque *naturalia* dicuntur et a *positivis* distinguuntur, ideo dicta periodus *status naturae* vocatur, non in oppositione ad religionem divinitus revelatam, sed potius in oppositione ad legem divina auctoritate scriptam.

II. *In Periodo mosaica.*

§ 493. Periodus mosaica, seu status legis scriptae, a Moyse seu potius a lege per Moysen scripta et Israëlitis promulgata incipit, duratque usque ad Christum Redemptorem. Investigandum iam est, *an* et *quaenam* sacramenta in hac periodo extiterint.

1. In statu legis mosaicae de quorumdam sacramentorum existentia minime dubitandum est. Nam Synodus *Florentina* in decreto Unionis haec habet: ***Novae legis sacramenta multum quidem differunt a sacramentis antiquae legis.*** Et *Concilium Tridentinum* (3) ait: ***Si quis dixerit, novae legis sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae, et alii ritus externi, anathema sit.*** Non potuissent autem utriusque Concilii Patres sacramenta novae legis a sacramentis veteris seu mosaicae legis distinguere, si haec nullatenus extitissent. *S. Thomas* horum existentiam ratione theologica probat (4), ita disserens: « Cum sacramentorum usus fidei proportionaliter respondeat, oportuit, quod secundum diversum statum fidei diversimode sacramenta traderentur. Fides autem quantum ad articulorum explicationem, semper magis ac magis crevit secundum propinquitatem temporis gratiae, et secundum hoc oportuit sacramenta magis ac magis determinari. Et propter hoc, quia in Abraham fides primo habuit quasi notabilem quantitatem, ut propter fidei religionem ab aliis separaretur, ideo ei signaculum, sive sacramentum fidei determinatum fuit, scilicet Circumcisio. Et quia tempore Moysis iam fides ad tantam quantitatem devenerat, ut non solum in uno homine refulgeret, vel in familia, sed in una tota gente populo Dei multiplicato; ideo oportuit et legem dari.... et sacramenta in speciali determinari et multiplicari; et propter hoc necessarium fuit, in lege Moysis determinari sacrificia, oblationes et decimas, quantum ad omnes singulares circumstantias et matrimonia ordinari, et poenitentiae satisfactiones distingui. »

2. In lege mosaica plurimae caeremoniae praescriptae fuerunt, quarum

(1) De Sacr. Dist. 3, art. 6.
(2) Cf. Berti l. 30, c. 3 et 4; Gazzaniga de Sacr. Dist. 1, cap 5

(3) Sess. 7, can. 2.
(4) In lib. 4 Sent. Dist 1 q. 1, a. 2 ad 4.

finis erat, ut venturum Messiam praefigurarent. Ideo Apostolus(1) legem veterem appellat *umbram futurorum;* atque(2) scribit: *Omnia in figuris contingebant illis.* Quod idem etiam de sacramentis legis mosaicae recte adseveratur. Unde *S. Augustinus* (3) dicit: « Prima sacramenta quae celebrabantur et observabantur ex lege, praenuntia erant Christi venturi, quae cum suo adventu Christus complevisset, ablata sunt. » Ex tot autem ritibus in mosaica lege divino iussu observandis, quaenam fuerant sacramenta adeo facile non est definire, quia clare nobis revelatum non est, quinam praecise ritus ad significandam gratiam interiorem et ad producendam iustitiam saltem legalem instituti fuerint. Communiter tamen theologi cum *S. Thoma* (4) legis mosaicae sacramenta ad quatuor classes revocant. *Prima* continet remedia divinitus instituta ad delendum peccatum originale, inter quae praecipue commemoranda est *circumcisio*, quam Deus iam Abrahamo iniunxit; postea vero per Moysen circumcisionis legem renovavit (5). Ideo circumcisio inter sacramenta mosaica recensetur quamquam longe ante Moysen fuerit instituta; et Christus ipse(6) dicebat Iudaeis: *Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus*, scilicet Abraham, Isaac et Iacob. Atque hoc erat primum inter mosaica sacramenta, adeo ut qui circumcisi non erant, aliorum sacramentorum participes esse non potuerint: vere igitur circumcisio praefigurabat baptismum. *Secunda classis* consistit in sacramentis, ad alendam vitam legi conformem, seu ad promovendam iustitiam legalem institutis, inter quae eminent *esus Agni paschalis* et *panes propositionis*, figurae SS. Eucharistiae. *Tertia classis* complectitur sacramenta, per quae expiatio fiebat ab immunditiis legalibus et peccatis, uti ablutio manuum, aspersio aquae, purificationes coram sacerdotibus etc., symbola Poenitentiae. *Quarta classis* varios ritus comprehendit, quibus sacerdotes ad ministerium assumebantur; quae consecratio sacerdotum fuit umbra sacramenti Ordinis. — Ex his patet, nullum fuisse in veteri lege aliorum trium sacramentorum typum, scilicet Confirmationis, Extremae Unctionis et Matrimonii; cuius rei hanc *S. Thomas* (7) reddit rationem: « Sacramento Confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiae, non potest respondere in veteri lege aliquod sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis, eo quod *nihil ad perfectum adduxit lex* (8). Similiter autem et sacramento Extremae Unctionis, quod est quaedam immediata praeparatio ad introitum gloriae, cuius aditus nondum patebat in veteri lege, pretio nondum soluto. Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturae, non autem prout est sacramentum coniunctionis Christi et Ecclesiae, quae nondum erat facta; unde et in veteri lege dabatur libellus repudii, quod est contra sacramenti rationem »

(1) Col. 2, 17. (2) I Cor. 10, 11.
(3) Lib. 19 c. Faust. c. 13.
(4) 1 2, q. 102, art. 5. (5) Levit 12, 3.

III. *In Periodo christiana.*

§ 494. *Lex per Moysen data est*, ait S. Ioannes Ev.(9), *gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Iesus Christus nempe, auctor gratiae supernorumque donorum, legis veteris erat scopus et finis; in eo et ab

(6) Io. 7, 22. (7) L. c. ad 3.
(8) Hebr. 7, 19. (9) C. 1 v. 17

illo adimpleta est veritas, quae caeremoniis veteribus fuerat adumbrata. Lex Christi ergo lex nova est, lex gratiae, lex veritatis. Cum autem quaelibet vera religio non solum interna, sed etiam externa esse debeat (1), adeoque etiam in Religione christiana ritus sacri externi necessario existant; recte infertur, in lege gratiae et veritatis ritus sacros institutos esse, qui gratiam interiorem non solum significent, sed et producant, atque ideo in religione christiana dari sacramenta praestantiora et efficaciora, quam in veteri lege. Rem ita se habere, contestatur *S. Augustinus*, qui (2), cum dixisset, sacramenta veteris legis ablata esse, et ideo ablata, quia impleta, mox subdit: « Et alia sunt instituta virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.» Et *S. Thomas* (3) ita disserit: « Sicut antiqui Patres salvati sunt per fidem Christi venturi, ita et nos salvamur per fidem Christi iam nati et passi. Sunt autem sacramenta quaedam signa protestantia fidem, qua iustificatur homo. Oportet autem aliis signis significari futura, praeterita et praesentia. Ut enim *Augustinus* (4) dicit: *Eadem res aliter annunciatur facienda, aliter facta, sicut ipsa verba: passurus et passus non similiter sonant.* Et ideo oportet, quaedam alia sacramenta esse in nova lege, quibus significentur ea quae praecesserunt in Christo, praeter sacramenta veteris legis, quibus praenuntiabantur futura. » Sacramenta autem in lege evangelica vere existere, definivit *Concilium Tridentinum* Can. 1, Sessionis septimae dicens: *Si quis dixerit sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, anathema sit.*

Nota. Extiterunt nonnulli, qui nulla in lege evangelica sacramenta admittenda esse censuerunt. Ita *Archontici*, testibus *S. Epiphanio* (5) et *Theodoreto* (6), asseruerunt, divina mysteria per res, quae videntur, peragenda non esse, neque incorporea per sensibilia et corporea. *Manichaei*, qui arbitrabantur omnia visibilia natura sua mala esse et a malo principio producta, iuxta falsum suum principium sacramenta, quae signum externum requirunt, spernere ac reiicere tenebantur, ut ostendit *S. Thomas* (7). *Beguini*, qui et Fraticelli vocabantur, sacramenta ut inanes caeremonias vilipenderunt; condemnati a *Ioanne XXII.* His accensendi sunt *Caspar Schwenkfeldius*, lutheranae sectae desertor, quem *Lutherus* ipse confutavit; ac pseudophilosophi omnes qui externum Dei cultum oppugnantes, una cum Religione quaelibet sacramenta reiiciunt. Quae ab adversariis sacramentorum in N. T. existentiae opponuntur, facile diluuntur.

Obi. I. Christus homini interroganti, quid factu opus esset, ut haberet vitam aeternam, respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (8); quae ibi enumerat, nulla facta sacramentorum mentione. Itaque ad salutem aeternam sufficit praeceptorum divinorum observantia, et sacramentis in nova lege opus non est.

Resp. Certum est, iuxta effatum

(1) V. Th. gen. § 47.
(2) Lib. 19 c. Faust. c. 13.
(3) 3 p. q. 61. art. 4. (4) L. c. cap. 16.
(5) Haer. 40.
(6) Lib. 1 de haer. fabul. c. 12 etc.
(7) Lib. 4 c. gent. c. 56. (8) Matth. 19, 17.

Christi illum ad vitam ingredi, qui observat mandata divina. Ast ad haec debito modo observanda auxilium supernae gratiae requiritur (§ 409): unde etiam media adhibere necesse est, a Deo ad gratiam supernaturalem acquirendam instituta et praescripta. Inter haec media autem, ut ex dicendis apparebit, praecipuum locum tenent sacramenta, quae idcirco ad salutem consequendam necessaria sunt. Neque obstat, quod Christus l. c.(1) de sacramentis mentionem non faciat: nam ibidem etiam praecepta primae tabulae non commemorantur, quae tamen ideo non negantur. Caeterum usum sacramentorum praeceptum esse, ex aliis Scripturae locis constat: sic praecipitur baptismus Io. III, 5, perceptio Eucharistiae Io. VI, 54.

Obi. II. Sacramenta sunt quaedam signa corporea invisibilis gratiae spiritualis: sed adveniente veritate debent signa et figurae cessare: postquam ergo *gratia et veritas per Iesum Christum facta est*, ut dicitur Io. I, 27, sacramenta nulla esse debent.

Resp. Plurimae erant in V. T. caeremoniae ad praefigurandum Christum ordinatae; et istae caeremoniae adveniente Christo cessarunt; sed ideo non sequitur, omnem cultum externum cessasse, et omnia signa sensibilia sublata esse; nova potius, eaque praestantiora et efficaciora instituta sunt, quia etiam in Religione christiana cultus externus requiritur et signa sensibilia externa abesse non possunt, quod ostendit *S. Thomas* (2) asserens: « Sicut *Dionysius* (3) dicit, status novae legis medius est inter statum veteris legis, cuius figurae implentur in nova lege, et inter statum gloriae, in qua omnis nude et perfecte manifestabitur veritas; et ideo tunc nulla erunt sacramenta; nunc autem, quamdiu *per speculum et in aenigmate* cognoscimus, ut dicitur I Cor. XIII, oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiritualia devenire, quod pertinet ad rationem sacramentorum. »

Obi. III. Sacramenta consistunt in quibusdam elementis; atqui Apostolus non vult, nos in statu legis gratiae esse sub elementis; inquit enim, ad Gal. scribens: *Cum essemus parvuli* (nempe in veteri lege) *sub elementis mundi eramus; at ubi venit plenitudo temporis* etc. (4); per Christum praefata elementa sublata sunt.

Resp. Ad hanc obiectionem respondet *S. Thomas* (5), « quod sacramenta veteris legis Apostolus vocat (v. 9) *egena et infirma elementa*, quia gratiam nec continebant, nec causabant. Et ideo utentes illis sacramentis, dicit Apostolus, *sub elementis mundi* Deo serviisse, quia scilicet nihil aliud erant, quam elementa huius mundi. Nostra autem sacramenta gratiam continent et causant; et ideo non est de eis similis ratio. » Alii dicunt, Apostolum per *elementa* non signa sensibilia, quae in sacramentis occurrunt, intelligere, sed potius prima pietatis elementa et verae Religionis rudimenta, quae in veteri Testamento mundo concessa fuerunt, donec Christus plenam revelationis lucem afferret (6).

Obi. IV. Si Deus, abrogatis veteris legis sacramentis, nova instituisset, alicuius mutationis accusari posset, adinstar hominum, qui mediis imprudenter electis meliora substituunt.

Resp. S. Thomas hanc difficulta-

(1) Matth. 19. (2) 3 p. q. 61, a. 4 ad 1.
(3) Eccl. Hier. c. 5. (4) Gal. 4, 3.
(5) L. c. ad 2.
(6) Cf. Bernardinum a Piconio in h. l.

tem tollit (1) dicens: « Quod sicut Paterfamilias non ex hoc habere monstratur mutabilem voluntatem, quod diversa praecepta familiae suae proponit pro temporum varietate, non eadem praecipiens hieme et aestate: ita non ostenditur aliqua mutatio esse circa Deum ex hoc, quod alia sacramenta instituit post Christi adventum, et alia tempore legis; quia haec fuerunt congrua gratiae praefigurandae, haec autem sunt congrua gratiae praesentialiter demonstrandae signa. » Verum equidem est, sacramenta N. T. ad hominum sanctificationem longe efficaciora esse sacramentis V. T. Sed observandum est, Deum nihil unquam hominibus debere, neque ipsum aliquid eligere, quia bonum est, sed omnia ideo tantum bona fieri, quia et quando Deus ea vult (§ 50). Caeterum Deus omnia uno et simplicissimo actu vult, quamvis variis temporibus contingant (§ 26).

Obi. V. Christiana Religio debet tota esse spiritualis, dicente Christo: *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (2); non ergo in ea debent esse sacramenta, quae partim sint spiritualia, partim corporea; sed omnis cultus divinus solo spiritu est perficiendus

Resp. Si totum verborum Christi contextum perpendamus, omnis difficultas evanescit. Nam ibidem agitur de Iudaeis et Samaritanis, quorum cultus abrogandus praenuntiatur. Hinc, ubi coelestis Pater *in spiritu* adorandus dicitur, ibi novus fidelium cultus veteri cultui carnali Iudaeorum opponitur: item ubi dicitur *in veritate*, ibi cultus ipse fidelium opponitur cultui Samaritanorum, quem plures temerabant errores. Adoratio igitur *in spiritu et veritate*, de qua loquitur Christus, ritibus iudaicis et samaritanis profecto repugnat, non vero Ecclesiae catholicae sacramentis. Recte enim *S. Thomas* (3) docet: « Quod etiam adoratio corporalis in spiritu fit, in quantum ex spirituali devotione procedit et ad eam ordinatur. » Et certe Christus ab Ecclesia sua, quam visibilem esse voluit (4), cultum externum non exclusit, imo et ipse Christus cum cultu interno externum quoque coniunxit, quia in templum perrexit (5), baptizari voluit (6), *procidit in faciem suam orans* (7), *elevatis manibus suis, benedixit eis* (8) etc.

(1) 3 p. q. 61, a. 4 ad 3.
(2) Io. 4, 23. (3) 2 2, q. 84, a. 2 ad 1.
(4) V. Th. gen. § 53 etc. (5) Luc. 2, 41 etc.
(6) Matth. 3, 13 etc. (7) Matth. 26, 39.
(8) Luc. 24, 50 etc.

ARTICULUS III.

De sacramentorum institutione.

§ 495. Si certum est in nova lege sacramenta existere, quaeri potest, *a quonam* et *quibus ex causis* illa instituta fuerint. Quibus quaestionibus ut satisfiat: 1° commonstrandus est *sacramentorum auctor;* et 2° investigandae sunt *institutionis huius causae.* Ex duplici hac consideratione sacramentorum summa dignitas, maximaque convenientia clarissime manifestabitur.

I. *De auctore sacramentorum.*

§ 496. Nullum esse sacramentorum auctorem praeter Deum ipsum, non tantum Orthodoxi omnes, sed et Protestantes agnoscunt, qui non alio pretextu duo tantum admittunt sacramenta, Baptismum et Eucharistiam, quam quod, ut ipsi dicunt, sola haec a Christo instituta legantur. Quamvis autem omnes Christum ut sacramentorum auctorem venerentur, scholastici tamen quaestionem moverunt,

an Christus omnia sacramenta *immediate* et per se ipsum, an aliqua *mediate* per Apostolos, seu per Ecclesiam instituerit. Nonnulli cum *Hugone Victorino* et *Magistro sententiarum* docuerunt, quaedam sacramenta post Christi discessum ab Apostolis, aut ab Ecclesia instituta fuisse, facta ipsis ea instituendi potestate a Christo; qui proinde ea mediate tantum instituisse dicendus est. Alii autem cum *S. Thoma* contendunt, omnia sacramenta a Christo *immediate* instituta esse: et haec sententia, gravioribus rationibus innixa, communis inter theologos facta est. Duo ergo hic probanda sunt: *primum* est, Christum omnium sacramentorum auctorem esse, quod ad fidem pertinere nemo dubitat; *secundum* est, sacramenta omnia fuisse a Christo immediate instituta, quod certum quidem est, probabilius tamen ad fidem stricte non pertinet.

1. Christum Dominum omnium sacramentorum novae legis auctorem esse, ex ipsa *S. Scriptura* patet. Apostoli enim declarant, se dumtaxat **ministros** et dispensatores esse, non auctores mysteriorum Dei, id est, sacramentorum. Paulus enim inquit: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1). Et ibid. iam dixerat Apostolus: *Quid est Apollo? quid vero Paulus? ministri eius, cui credidistis* (2). Petrus quoque (3) omnes Ecclesiarum Rectores appellat *dispensatores multiformis gratiae Dei*. Ad Apostolos ergo ministratio et dispensatio, ad Christum vero institutio pertinet sacramentorum, quae idcirco mysteria Dei nuncupantur. Porro in ipsis Evangeliis legitur, Christum instituisse Baptismum (4), Eucharistiam (5), Poenitentiam (6). Quodsi caeterorum sacramentorum institutio in Evangeliis tam clare non exprimitur, ea tamen in aliis S. Scripturae libris innuitur, in quibus de Confirmatione (7), de Extrema Unctione (8), de Ordine (9) et de Matrimonio (10) sermo habetur. Neque dubitare licet, haec quoque sacramenta a Christo instituta fuisse. Nam *S. Lucas* (11) testatur, Christum post resurrectionem suam per quadraginta dies conversatum fuisse cum Apostolis, loquentem de regno Dei, id est, de Ecclesia Dei aedificanda et administranda; aedificatur autem et administratur Ecclesia per fidem et sacramenta. Unde *S. Leo* (12) dicit: « Non ergo ii dies, dilectissimi, qui inter Resurrectionem Domini Ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria. — Neque mirum est, non omnium sacramentorum institutionem in Ss. Litteris clare et distincte exprimi. Deus enim noluit, nos omnia, quae ad fidem spectant, ex verbo scripto habere; sed alterum quoque Revelationis fontem constituit, nempe *Traditionem divinam*, quae tum S. Scripturam authentice declarat, tum etiam dogmata nobis proponit in S. Scriptura clare et distincte non contenta. Constans autem haec Ecclesiae persuasio fuit, omnia sacramenta sibi a Christo tradita fuisse, neque posse aliquid circa numerum aut substantiam sacramentorum immutari. » Ita *S. Ambrosius* (13) ait: « Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus? de coelo ista sacramenta venerunt. « *S. Augustinus* (14) inquit: « Ab ipsa Dei sapien-

(1) I Cor. 4, 1. (2) Cap. 3, v. 5.
(3) I Epist. 4, 10. (4) Matth. 28, 19.
(5) Matth. 26, 26. (6) Io. 20, 23.
(7) Act. 8, 15. (8) Iac. 5, 14.
(9) Act. 6, 6. (10) Ephes. 5, 31.
(11) Act. 1, 3. (12) Ser. 1 de Ascen. n. 2.
(13) Vel alius antiquus auctor lib. 4 de Sacram. c. 4. (14) Lib. de vera Relig. c. 17.

tia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quae societatem christiani populi, hoc est sub uno Deo liberae multitudinis continerent. » Et (1) ad Ianuarium scribit: « Tenere te volo, Dominum Iesum leni iugo suo nos subdidisse et sarcinae levi; unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis societatem novi populi colligavit. » Universalem et constantem hanc traditionem secuta Synodus *Tridentina* (2) definit: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta..... anathema sit.* Et in professione fidei, quam Pius IV praescripsit, dicitur: *Profiteor quoque septem esse vere ac proprie sacramenta novae legis, a Iesu Christo Domino nostro instituta.* Facile etiam est, eiusdem assertionis rationem theologicam reddere. Nam ille solus potest sacramenta instituere, qui solus potest corporalibus elementis tribuere vim sanctitatis et iustitiae non solum significandae, sed etiam producendae. Atqui talis potestas non competit nisi illi, qui est auctor et dominus gratiae, nempe Deo, seu Christo filio Dei, qui gratias supernaturales promeruit, easque una cum Patre per Spiritum sanctum dispensat. Ergo etiam solius Christi est sacramenta instituere.

2. Christus recte diceretur omnia sacramenta instituisse, quamvis concederetur, ipsum de aliquibus sacramentis, dum in terra viveret, mentionem non fecisse, eaque tantum, cum iam ad dexteram Patris sederet, per Spiritum sanctum, Apostolos seu Ecclesiam edocentem, eisque potestatem conferentem, instituisse. Quod si factum esset, Christus talia sacramenta *mediate* instituisse dicendus foret. Quamvis autem hanc mediatam nonnullorum sacramentorum institutionem nonnulli scholastici admiserint, nunc tamen communi consensu theologi docent, Christum omnia sacramenta *immediate*, seu per seipsum, dum adhuc in terris versaretur, instituisse: et haec sententia gravibus innititur argumentis. Nam si *mediate* tantum Christus instituisset aliqua sacramenta, tradendo Ecclesiae potestatem illa *immediate* instituendi; profecto Apostoli huiusmodi potestatem exercuissent, tantique beneficii meminissent vel in Evangeliis, vel in eorum Actibus et Epistolis, cum de pluribus aliis minoris momenti a se gestis ibidem mentionem agant. At vero in novo foedere nullum prorsus hac de re fit verbum, quin potius ex eo contrarium evincitur, cum Apostoli ipsi, se *ministros* tantum et dispensatores mysteriorum Dei esse fateantur. — Neque praefatorum scholasticorum assertioni Traditio favet. Etenim distinctio inter mediatam et immediatam sacramentorum institutionem antiquis penitus ignota fuit. Nemo quidem e Sanctis Patribus per duodecim integra saecula tradidit, Apostolis et Ecclesiae divinitus collatam fuisse potestatem instituendi sacramenta; sed contra haec omnes aeque vocare consueverunt Christi Domini sacramenta, quae de ipsius in cruce pendentis latere cuncta profluxerunt. Huic doctrinae pariter nullius Pontificis, nullius Concilii suffragatur auctoritas: huic denique, si paucos demamus, theologi omnes, praesertim post *Concilium Tridentinum*, unanimiter obstiterunt. — Praeterea, quamvis iuxta Paulum: *Infirma et egena elementa* (3), fuerint sa

(1) Epist. 118 (al. 54). (2) Can. 1, Sess. 7. (3) Gal. 4. 9

cramenta veteris legis, horum tamen omnium fuit immediatus institutor Deus. Id patet ex Pentateucho, ubi insignia sunt exempla circumcisionis (1), ritus Agni paschalis (2), consecrationis sacerdotalis (3), quae cuncta singillatim Deus una cum caeremoniis praescripsit. Quis autem non videt, multo magis decuisse, sacramenta novae legis, quae prae aliis eminent praestantia et virtute, ab ipso Deo immediate institui, eorum promulgatione tantum, atque administratione Apostolis caeterisque pastoribus relicta? — Insuper, si quod est sacramentum, de quo dubitari possit, an fuerit a Iesu Christo *immediate* institutum, illud profecto erit sacramentum extremae Unctionis; et reipsa *Hugo Vict.* et *Magister sententiarum* opinati sunt, hoc sacramentum non a Christo, sed ab Apostolis originem trahere. Ast id modo a nemine Catholicorum asseri potest, postquam *Concilium Tridentinum* Sess. XIV, can. 1 sic expresse definivit: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum et a B. Iacobo Apostolo promulgatum.... anathema sit;* ubi institutio a promulgatione distinguitur; prima tribuitur soli D. N. Iesu Christo, altera autem Apostolo Iacobo — Denique pro immediata sacramentorum omnium institutione afferri etiam potest canon *Concilii Tridentini: Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo D. N. instituta... anathema sit.* Sensus enim huius canonis est, omnia sacramenta *immediate* a Christo instituta fuisse. *Concilium* enim sacramenta omnia a Christo instituta dicit simpliciter, sine ulla restrictione vel distinctione. Non possunt autem dici simpliciter a Christo instituta, nisi ea quae immediate ab ipso instituta sunt; sicut non possunt dici simpliciter a Christo praecepta, nisi ea quae ab ipso immediate praecepta sunt. Sic Christus non dicitur instituisse sacramentalia, puta, aquam lustralem, panem benedictum etc., quamvis ea instituerit mediate per Ecclesiam, quatenus nempe fuerunt instituta per potestatem a Christo Ecclesiae traditam, per eius inspirationem et directionem, ne erraret Ecclesia in instituendo. Similiter nemo unquam dixit, praecepta Ecclesiae esse praecepta Christi, quamvis Christus ea tulerit mediate per Ecclesiam, tribuendo scilicet Ecclesiae potestatem ea imponendi, inspirando, ut illa ferret, et adiuvando, ne in illis ferendis erraret. Ergo canon *Concilii* non potest intelligi, nisi de immediata omnium sacramentorum institutione a Christo peracta. — Propter haec et similia argumenta cl. *Bellarminus*, *Becanus*, *Vasquez*, *Gonetus* aliique, de fide credendum esse dixerunt, quod omnia sacramenta immediate a Christo instituta sint. Alii autem hanc sententiam certam quidem esse admittunt, negant autem, eam de fide esse credendam; nam si *Concilium* eam de fide voluisset definire, et contrariam nonnullorum scholasticorum opinionem damnare, praefato canoni vocem *immediate* apposuisset, quam tamen omisit, ne sententiam, a nonnullis theologis catholicis propugnatam, tanquam haereticam proscriberet. Itaque qui negaret, omnia sacramenta a Christo immediate instituta esse, non incurreret notam haereseos, sed temeritatis tantum. Ita sentiunt *Dom. Scoto*, *Estius*, *Card. Gotti*, *Suarez*, *Tournely*, *Billuart*, *Gazzaniga*, *Berti*, *Sardagna*

(1) Gen. 12, 10. (2) Ex. 12. 1 etc. (3) Lev. 8

et alii, qui optime observant, ratiocinationes theologicas, quibus ostenditur, canonem *Concilii* de *immediata* omnium sacramentorum institutione intelligendum esse, sufficere quidem ad certitudinem theologicam comparandam, non autem ad fidei dogma constituendum.

Nota 1. Quaerunt theologi, qua ratione Christus, qui Deus et homo est, auctor dicatur sacramentorum? utri scilicet naturae, an divinae an humanae attribuenda sit haec institutio? — Ad hanc quaestionem solvendam, doctrina de incarnatione prae oculis est habenda, in qua dicitur, quod in Christo sicut duae naturae, ita etiam duae sint operationes, divina et humana (1), quamvis sicut una persona ita unus sit operans (2). Iam de fide certum est, Christum Deum simul et hominem instituisse sacramenta; quamobrem institutio sacramentorum vere est actio *Theandrica*. Dicunt autem theologi, solius Dei esse, vi et auctoritate propria sacramenta instituere, tum quia, ut dicitur Rom. III, 30: *Unus est Deus, qui iustificat*, tum quia, ut ait S. *Thomas* (3), « solus Deus illabitur animae, in qua sacramenti effectus existit; » hominis autem est gratiam promereri, et institutum divinitus sacramentum promulgare et administrare. Idcirco ad propositam quaestionem S. *Thomas* (4) ita respondet: « Interiorem sacramentorum effectum operatur Christus et secundum quod est Deus et secundum quod est homo, aliter tamen et aliter. Nam secundum quod est Deus, operatur in sacramentis *per auctoritatem;* secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum *meritorie* et *efficienter*, sed *instrumentaliter*. Dictum est enim, quod passio Christi, quae competit ei secundum humanam naturam, causa est nostrae iustificationis et meritorie et effective; non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis eius, ut supra dictum est (5). Sed tamen, quia est instrumentum coniunctum divinitati in persona, habet quandam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiae, ut ex supra dictis patet (6). Et ideo sicut Christus, in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis ita, in quantum homo, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiae. » Hanc autem potestatem excellentiae, quam Christus ut homo in sacramentis habet Doctor angelicus in eo consistere dicit: 1° quod sacramenta gratiae largiendae vim habeant ex meritis passionis eius; 2° quod per ipsius invocationem, eiusque vice ac nomine sacramenta administrentur; 3° quod potuerit Christus instituere sacramenta, eorumque materias et formas praedefinire; 4° quod absque ritu sacramentorum solo etiam nutu et imperio ille ponere potuerit eorum effectum, nempe gratiam conferre culpasque remittere, quod reapse praestitit, cum nullo adhibito sacramento et mulierem peccatricem (7), et paralyticum (8) ab omni labe purgavit.

Nota 2. Alia quaestio inter scholasticos agitata est, an communicari quaeat creaturae, *hypostatice* Deo non unitae, potestas instituendi sacramenta? — *Scotus, Durandus, Vasquez*, et alii negative; *Thomistae* vero

(1) § 307. (2) § 308. (3) 3 p. q. 64, a. 1.
(4) L. c. art. 3. (5) Q. 13, art 2 et 3.
(6) Art. 1 huius quaest.
(7) Luc. 7. 48. (8) Matth. 9, 2.

egydiani, *Suarez* et alii affirma- ve respondent. Cl. *Berti*, mediam iiens viam, dissentientes theologos onciliare nititur; quapropter de ac (1) ita disserit: « Triplex potestas istinguenda est: *auctoritatis*, quae ropria est Dei, importatque virtu- m conferendi sensibilibus signis im effectricem producendi gratiam; *xcellentiae*, quae potestas convenit umanitati Christi, atque in eo sita st, ut Christus promeruerit eam gra- am, quae per sacramenta confertur ite dispositis, ut potuerit ipsam gra- iam conferre etiam absque sensibi- ibus sacramentorum signaculis, at- ue ut eadem sacramenta in Christi omine administrentur; tertia est po- estas *ministerii*, sive delegata Ec- lesiae ministris, qua sacramenta a Domino Iesu instituta parant, ef- ciunt, dispensant. Atque de hac po- estate nulla oriri potest dubitatio. — Quantum ergo attinet ad potesta- em *auctoritatis*, affirmandum est, on posse creaturae alicui commu- icari; sola enim suprema causa pot- st talem virtutem tribuere sensi- ili elemento, ut corpus tangat et anctificet animam. Quum enim gra- a sanctificans animam sit divinae aturae participatio, arrha Spiritus ancti et pignus coelestis haereditа- s, quis, nisi Deus summus, potest os evehere ad divinitatis consor- um, nobisque Spiritum sanctum et loriae, quae pendet a Dei benepla- ito ac promissione, pignus arrham- ue tribuere? In hoc ergo subscri- endum est *Scoto;* quamvis enim crea- ura a Deo talem nacta esset potesta- em, ut symbola sacramentorum sta- ueret, atque pro suo arbitratu deter- ninaret materiam, formamque prae- criberet, semper tamen virtus super- aturalium donorum effectrix esset divini muneris opus. — At si loquamur de potestate *excellentiae*, tametsi haec nequeat ea ratione creaturis communicari, qua competit Salvatori, cuius meritum ob hypostaticae unionis praerogativam infinitum est, omniaque gratiarum praestantissima dona potuit *de condigno* universis Adae posteris promereri; potest tamen creaturis concedi, ut cum *S. Thoma* tenent scholastici fere omnes. Neque enim in hac potestate aliquid apparet, quod vel contradictionem importet, vel rerum creatarum superet conditionem. Nam si creatura, accepta a Domino potestate, instituere sacramenta, gratiam ipsa non efficeret, sed, Deo largiente, illam sensibili signo alligaret, quod sufficere videtur ad sacramentorum institutionem. Posset etiam creatura absque visibilium sacramentorum adminiculo gratiam caeteris impertiri, non quidem tamquam causa princeps, sed tamquam a suprema dependens; qua in re quid contradictionis eluceat, ego quidem non video. Neque absolute potestas instituendi sacramenta exigit meritum infinitum, cum Deus, gratiarum suarum dominus, eas possit, quando et quomodolibet ei placuerit, dispensare. Sicut ergo poterat per *nudum* hominem universos redimere, non tamen praescripta rigorosa illa satisfactione, quam exhibere non valebat, nisi Deus-homo, Iesus Christus; ita potuisset purae creaturae largire facultatem instituendi sacramenta, non ita tamen, ut creatura illa gratiam caeteris conferendam eo promereretur pacto, quo illam Dominus Iesus, Deus-homo promeruit. Quamquam enim *S. Thomas* (2) scribat, potuisse Deum ministris communicare *tantam gratiae plenitudinem, ut ad invocationem nominum ipsorum conferrentur sacramenta, et ut ipsi pos-*

(1) Lib. 30, cap. 8, prop. 8.

(2) 3 p. q. 64, a. 4.

sent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio; attamen existimandum non est, *B. Thomam* tribuere creaturae possibili potestatem *excellentiae*, qualem praecedenti articulo tribuit humanitati Redemptoris, tanquam *instrumento coniuncto in eadem persona divinitati.* » Notandum porro est, quod etiam theologi, qui docent, praefatam potestatem excellentiae in hominem transferri potuisse, unanimi consensu fateantur, Christum id nullatenus fecisse, atque ideo non fecisse, quia magis congruum fuit, ut unus Dominus Iesus Christus esset sacramentorum institutor et auctor, et quisque perciperet, unum esse Mediatorem nostrum, in quo spes nostra locanda est. Hanc doctrinam iam proposuit *S. Augustinus* (1) dicens: « Potuit Dominus Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tanquam vice sua, et transferre a se baptizandi potestatem, et constituere in aliquo servo suo, et tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo: ideoque clamabat Apostolus, cum videret homines volentes spem ponere in seipso: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* (2).

II. *De causis institutionis sacramentorum.*

§ 497. Quae Propheta regius in genere de operibus divinis dicit: *Omnia in sapientia fecisti* (3); haec praesertim de sacramentorum institutione adseveranda sunt. Nam si causas investigamus, ob quas sacramenta instituta sunt, facile perspiciemus, eam rerum institutionem Deo dignissimam, indoli religionis christianae maxime accommodatam, et naturae humanae convenientissimam esse. Praeclare hac de re disserit *Catechismus romanus*, qui (4) septem causas exponit, cur sacramenta instituere opportuerit: instituta nempe sunt 1° *ut humani ingenii imbecillitatem adiuvent;* 2° *ut credendi tam ditatem erigant;* 3° *ut parata et certa sit medicina ad depellendos animorbos et salutem tuendam;* 4° *ut sit christianismi veraeque religionis symbola et sancta societatis vincula;* 5° *ut sint testimonia nostrae fidei eiusque certa declaratio;* 6° *ut sint incitamenta fidei et charitatis;* et 7° *ut sint humilitatis excitandae instrumenta.*

1. Prima causa, ob quam instituta sunt sacramenta, est, ut dicit *Catechismus rom.*, « humani ingenii imbecillitas; siquidem natura ita comparatum videmus, ut ad earum rerum notitiam, quae mente, et intelligentia comprehensae sunt, nisi per ea quae aliquo sensu percipiuntur, non mini adspirare liceat. Ut igitur, quae occulta Dei virtute efficiuntur, facilius intelligere possemus, idem sumus rerum omnium artifex sapientissime fecit, ut eam ipsam virtutem liquibus signis, quae sub sensum dunt, pro sua in nos benignitate clararet; nam, ut praeclare a *S. Chrysostomo* (5) dictum est, si homo corporis concretione caruisset, nuda ipsa bona, neque ullis integumentis involuta, ei oblata essent; quoniam vero anima corpori coniuncta est, mnino opus fuit, ut rerum quae sentiuntur, adminiculo ad ea intellige

(1) Tract. 5 in Ioan. n. 7.
(2) I Cor. 1, 13. (3) Psal. 103, 24.
(4) P. 2, c. 1, n. 13. (5) Hom. 83 in Mat. et Hom. 60 ad pop. antioch.

a uteretur. » Etiam *S. Thomas* (1) loquens de causis, ex quibus oportuit sacramenta instituere, inquit: « Prima sumenda est ex conditione humanae naturae, cuius proprium est, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis. Et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis quae sacramenta dicuntur. »

2. « Altera vero causa est, prosequitur *Catechismus rom.*, quod animus noster haud facile commovetur ad ea, qui nobis promittuntur, credenda. Quare Deus a mundi exordio, quae facere instituerat, verbis quidem frequentissime indicare consuevit: interdum vero, cum opus aliquod institueret, cuius magnitudo promissi fidem abrogare posset, alia etiam signa, quae nonnunquam miraculi speciem haberent, verbis adiunxit. Nam cum Deus (2) Moysen ad israëlitici populi liberationem mitteret, ille vero, ne Dei quidem praecipientis auxilio fretus, timeret, ne onus sibi gravius imponeretur, quam sustinere posset, aut ne populus divinis oraculis et dictis fidem non adiungeret; Dominus promissionem suam multa signorum varietate firmavit. Quemadmodum igitur in veteri Testamento Deus fecerat, ut magni alicuius promissi constantiam signis testificaretur; ita etiam in nova lege Christus Salvator noster, cum nobis peccatorum veniam, coelestem gratiam, Spiritus sancti communicationem pollicitus est, quaedam signa oculis et sensibus subiecta instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum habere-

(1) 3 p. q. 61, art. 1. (2) Ex. 3, 10 etc.
(3) 4 p. q. 1, membr. 2, art. 2.

mus atque ita fidelem in promissis futurum, dubitare nunquam possemus. » Vere igitur sacramenta instituta sunt, ut ostendatur plenitudo divinae misericordiae et dispensatio divinae iustitiae, ut dicit *Alexander de Hales* (3).

3. « Tertia causa fuit, ut illa tanquam remedia, ut scribit *S. Ambrosius* (4), atque evangelici Samaritani medicamenta ad animarum sanitatem vel recuperandam, vel tuendam praesto essent. Virtutem enim, quae ex passione Christi manat, hoc est gratiam quam ille nobis in ara crucis meruit, per sacramenta, quasi per alveum quemdam, in nos ipsos derivare oportet; aliter vero nemini ulla salutis spes reliqua esse poterit. Quare clementissimus Dominus sacramenta verbo suo et promissione sancita relinquere in Ecclesia voluit, per quae passionis suae fructum nobis reipsa communicari sine dubitatione credere remus, si modo unusquisque nostrum ad se eam curationem pie et religiose admoveret. » Quam conveniens autem fuerit, ut remedium contra spirituales nostras infirmitates sensibilibus alligaretur signis, ostendit *S. Thomas* l. c. dicens: « Secunda ratio (ob quam oportuit institui sacramenta) sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit, ut Deus per quaedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet, nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eius animus applicari non posset, corporalibus deditus. » Et *S. Bonaventura* (5) ita disserit: « Coelestis medicus humani generis reparativus, tali modo sana-

(4) L. 5 de Sacr. c. 4, et lib. 2 in Luc. c. 10 35 etc. (5) In Compend. theol. verit. 6, c. 1.

vit aegrotum sicut optime competebat aegrotanti et aegritudini, et occasioni aegrotandi, et ipsius aegritudinis curationi. Aegrotus igitur homo est. Morbus autem originalis culpa est. Origo vero istius culpae, licet principaliter fuerit ex consensu rationis, occasionem tamen sumpsit ex sensibus carnis. Ad hoc ergo, quod medicina respondeat morbo, oportuit, quod non tantum esset spiritualis, verum etiam aliquid haberet de sensibilibus signis; ut sicut sensibilia fuerant animae occasio labendi, ita essent ei occasio resurgendi. Et propter hoc medicina nostri vulneris consistit in ecclesiasticis sacramentis. »

4. Quarta causa petitur ex necessitate signorum externorum, quibus fideles ab infidelibus distinguantur. Nam, ait *S. Augustinus* (1), « in nullum nomen religionis sive verum, sive falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, aut sacramentorum visibilium consortio colligentur. » Ex quo S. Doctoris effato ita *S. Thomas* l. c. argumentatur: « Sed necessarium est ad humanam salutem, homines adunari in unum verae religionis nomen. Ergo sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem. » Iam in V. T. Circumcisio ex hoc potissimum fine instituta fuit, ut verae religionis sectatores ab infidelibus distinguerentur (2); necesse igitur est, ut etiam in nova lege signa externa dentur, in eundem finem ordinata. Idcirco *Catechismus rom.* dicit: « Quarta etiam causa accedit, cur sacramentorum institutio necessaria videri possit, ut scilicet notae quaedam et symbola essent, quibus fideles internoscerentur, cum praesertim nullus hominum coetus queat, ut etiam a divo *Augustino* traditum est, sive verae, sive falsae religionis nomine, qua unum corpus coagmentari, nisi aliqu visibilium signorum foedere coniun gantur. Utrumque igitur praesta novae legis sacramenta, quae et ch stianae fidei cultores ab infidelib distinguunt, et ipsos fideles sanc quodam vinculo inter se conn ctunt. »

5. Quinta causa, quae cum prio intime connectitur, ex obligatione d ducitur, fidem exterius profitend Religio enim non interna tantum, s et externa sit, oportet (3). Quamv autem interni sensus variis mod manifestari possint, convenientiss mum tamen est ut in religione rev lata signa quaedam externa dentu ab ipso religionis auctore institut quibus fideles internam suam fide exterius profiteri et possint, et d beant. Hac de causa *Catechism rom.* docet: « Aliam etiam iustiss mam fuisse causam sacramenta i stituendi, ex illis Apostoli verbi *Corde creditur ad iustitiam, ore a tem confessio fit ad salutem* (4), osten potest. Sacramentis enim fidem n stram in conspectu hominum profite et notam facere videmur. Quare a baptismum accedentes, palam test mur, nos credere eius aquae virtut qua in sacramento abluimur, spir tualem animae purgationem fieri. His accedit, quod homo naturali ni in exteriora feratur, et, nisi cult legitima auctoritate praescripto all getur, facile in ritus superstitiosos labatur, conveniens igitur fuit, ut vina auctoritate ritus quidem sa stabilirentur, quibus homines superstitiosis et noxiis retrahere tur. Hinc *S. Thomas* causas, quas sacramenta institui oportui enumerans l. c. ait: « Tertia tio sumenda est ex studio actio

(1) Lib. 19 c. Faust. c. 11. (2) § 491, n. 3. (3) Cf. Th. gen. § 47. (4) Rom. 10, 10.

humanae, quae praecipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quae consistunt in cultu daemonum, vel qualitercumque noxia, quae consistunt in actibus peccatorum. »

6. Sextam causam constituit charitas, per sacramenta excitanda et promovenda. Ideo enim, ut ex dicendis apparebit, sacramenta instituta sunt, ut gratia sanctificans, seu charitas habitualis producatur, vel augeatur. Et cum sacramenta inter praecipua beneficia divina numeranda sint, quibus spirituale animae bonum maxime promovetur; quis non videt hominem per illa ad gratos animi sensus et ad redamandum suum benefactorem excitari debere? — Imo per eadem etiam charitas erga proximum summopere promovetur. Nam, ait *Catechismus rom.*: « Magnam vim habent sacramenta, non solum ad fidem in animis nostris excitandam et exercendam, sed etiam ad eam charitatem inflammandam, qua amare inter nos debemus, cum, arctissimo nos vinculo colligatos et unius corporis membra effectos esse, ex sacrorum mysteriorum communione recordamur. »

7. Septimam causam innuit *S. Thomas*, dum l. c. dicit: « Per sacramentorum institutionem homo humiliatur, se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur.» Maximae vero utilitatis sacramenta dicenda sunt, si mentis superbiam conterunt, ex qua omnis perditio initium sumpsit, et humilitatem insinuant, christianae perfectionis fundamentum. Vere autem hac quoque de causa sacramenta instituta esse, testatur *Catechismus rom.* dicens: « Sacramenta, quod in christianae pietatis studio plurimi faciendum est, humanae mentis superbiam edomant ac comprimunt, nosque ad humilitatem exercent, dum sensibilibus elementis subiicere nos cogimur, ut Deo obtemperemus, a quo antea impie defeceramus, ut mundi elementis serviremus. » Hanc reflexionem cl. *Möhler* (1) ut maxime sublimem et ingeniosam praedicat, eamque aptissimam reputat ad falsum spiritualismum conterendum, qui tum medio aevo, tum reformationis tempore invalescere tentavit.

Nota. Ex dictis patet, etiam in sacramentis verificari id, quod S. Scriptura (2) dicit: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Quamvis enim sacramenta proxime pro salute hominum instituta sint, ea tamen gloriam quoque Dei maxime promovent. Commonstrant enim *supremum* Dei in omnes res creatas *dominium*, quibus pro libitu, tanquam instrumentis utitur; *omnipotentiam*, quae etiam sensibilibus rebus gratiam alligare et per illas spirituales effectus producere valet; *iustitiam divinam*, quae merito hominem ita humiliat, ut qui peccando sensibilibus se rebus subiecit, in suo etiam remedio sensibilibus rebus utatur; *sanctitatem divinam*, quae per sacramenta se inter homines diffundit; et *sapientiam ac bonitatem divinam*, quae lapsis hominibus subvenit et quidem modo corruptae naturae humanae maxime accommodato.

ARTICULUS IV.

De materia et forma sacramentorum.

§ 498. Signum sensibile in sacramentis requisitum duplex est, consistens tum *in rebus*, quae adhibentur, tum *in verbis*, quae proferuntur.

(1) Symb. c. 4, § 28. (2) Prov. 16, 4.

Equidem veteris legis sacramenta solis signis externis constabant; neque invenimus, determinata iis verba adiungenda fuisse: sic nec in ritu circumcisionis, nec in immolatione Agni paschalis legimus verbum adhibitum. Christus vero, ait *S. Bonaventura* (1), « instituit sacramenta in verbis et elementis, ut ait *Augustinus: Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* — Ad hoc vero instituta sunt sacramenta in verbis et elementis, ut haberent evidentiam significandi et efficaciam sanctificandi; quia dum elementa oculis et verba auribus se offerunt, qui sunt duo sensus praecipue cognoscitivi, dant evidentiam significationis. Deinde verba sanctificant elementa, ut plenior fiat humanae creationis efficacia. » Notandum porro est, quod pervetustis istis vocibus *rerum, seu elementorum atque verborum*, quas Patres per duodecim integra saecula usurparunt, alia vocabula suffecerit *Guillelmus Antisidiorensis* in *Summa theologica*, quam edidit initio saeculi decimi tertii, et res seu elementa *materiam*, verba *formam* (ut plerique putant) primus omnium appellavit. Novam hanc loquendi rationem amplexi sunt *Alexander Halensis*, *Albertus M.* et *S. Thomas*, qui in *Summa* (2) dicit: « Ex verbis et rebus fit quodammodo unum in sacramentis, sicut ex forma et materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum. » Additque (3): « In sacramentis verba se habent per modum formae, res autem sensibiles per modum materiae. » Praeclaros istos duces secuti sunt caeteri scholastici, quibus omnes accesserunt etiam theologi recentiores. Nec obstitit huic immutationi catholica Ecclesia; quin potius, cum congruentiam agnoverit huiusmodi verborum ad partes essentiales sacramentorum denotandas, eorum usum probavit et recepit. Iam *Eugenius IV* in decreto unionis, in *Concilio Florentino* edito, dicit: *Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur; rebus tamquam materia, verbis tamquam forma et persona ministri conficientis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.* Et in *Concilio Tridentino* Sess. XIV, de poenit. cap. 2, sermo fit *de materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur.* Graecos quoque easdem voces adoptasse, commonstrat *Ieremias*, Patriarcha CPtanus, qui in sua censura ad Wittenbergenses cap. 7 scribit: « Quae quidem omnia sacramenta sacra sanciuntur Scriptura, certamque ac definitam materiam et formam habent. » — Ostendere iam oportet, in sacramentis n. legis *convenientissime materiam et formam coniungi, utramque ab ipso Christo determinatam esse, atque ideo substantialiter immutari non posse, verba autem sacramentorum non promissoria aut concionatoria, sed vere et proprie consecratoria esse.*

1. Duplex est cuiuslibet sacramenti materia, scilicet *remota* et *proxima:* prior consistit in re sensibili, quae praesto esse debet ad conficiendum sacramentum; altera est actio, qua materia remota in perficiendo sacramento applicatur: sic, ex. gr., in Baptismo materia remota est aqua; proxima vero, ablutio per aquam facta. — Convenientissime autem in nova lege factum est, ut cum materia etiam forma coniungenda sit, quod ostendit *S. Thomas* (4) dicens: « Sacramenta adhibentur ad

(1) Comp. theol. verit. lib. 6, cap. 3.
(2) 3 p. q. 60, art. 6 ad 2. (3) Art. 7.
(4) 3 p. q. 60, art. 6.

hominum sanctificationem sicut quaedam signa. Tripliciter ergo considerari possunt et quolibet modo congruit eis, quod verba rebus sensibilibus adiungantur. *Primo* enim possunt considerari ex parte causae sanctificantis, quae est Verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur in hoc, quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum. *Secundo* possunt considerari sacramenta ex parte hominis, qui sanctificatur, qui componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quae per rem visibilem corpus tangit et per verbum ab anima creditur. Unde *Augustinus* dicit (1) super illud Io. XV: *Iam vos mundi estis propter sermonem* etc.; unde est illa tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? — *Tertio* possunt considerari ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dixit autem *Augustinus* (2) quod verba inter homines obtinuerunt principatum significandi, quia verba diversimode possunt ad significandos diversos conceptus mentis, et propter hoc per verba magis distincte possumus exprimere, quod mente concipimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. » — Docent autem theologi, materiam et formam partes esse essentiales sacramenti, quae invicem unitae unum compositum morale efficiunt. Neque obstat, quod *Eugenius IV* in citato decreto dicat, sacramenta *tribus* perfici, *rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma et persona ministri*. Aliud est enim sacramentum perfici, aliud intrinsece constare: *perfici* enim ad causas intrinsecas et extrinsecas extenditur; *constare* autem, seu componi ad causas intrinsecas restringitur. Unde sacramenta tribus perficiuntur, sed diversimode, scilicet materia et forma, tanquam partibus intrinsecis et essentialibus, intentione vero ministri, tanquam causa. — Caeterum iuxta unanimem theologorum doctrinam, ut sacramentum valide conficiatur, materia et forma debent moraliter simul existere, spectata uniuscuiusque sacramenti natura; secus enim verba formae neque vera essent, neque super talem materiam caderent, neque cum hac unum compositum morale, ut oportet, conficerent. Sufficit autem coëxistentia, seu unio materiae et formae *moralis*, nempe talis, ut ex communi hominum iudicio utraque unum constituere censeatur, spectata tamen, ut dictum est, uniuscuiusque sacramenti natura. Et quidem in SS. Eucharistia materia et forma debent physice coëxistere, quoniam pronomen *hoc - hic* demonstrat materiam praesentem. In Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione et Ordine talis coniunctio simultanea materiae et formae requiritur, ut, dum minister pronuntiat formam, censeatur adhuc applicare materiam, ad quod sufficit, ut saltem secundum aliquam sui partem physice materiae proxime coëxistat. In Poenitentia absolutio dari potest notabili tempore post confessionem, ut fit in iudiciis. In Matrimonio consensus unius coniugis tamdiu differri potest, quamdiu censetur permanere consensus alterius, quia hoc exigit natura contractus. « Horum omnium ratio est, ait cl. *Billuart* (3), quod sacramenta sint quae-

(1) Tract. 80 in Ioann.
(2) In 2. de doctr. christ. cap. 3.
(3) De sacram. Diss. 1, a. 4, § 2, observ.

dam composita artificialia, non physica, sed moralia, ab hominibus exercenda et recipienda, ideoque de eorum consistentia iudicandum sit non secundum principia physica praecise, sed secundum principia moralia et iudicium prudentum : prudentes autem iudicant, spectata cuiuslibet sacramenti natura, parvam distantiam officere uni, nonnisi magnam alteri. » Monet autem idem auctor sacramentorum ministros, ut in omnium collatione curent adhibere maiorem, quam possunt, materiae et formae simultatem. « Cum enim, ait, materia et forma debeant constituere unum signum sacramentale, consultum est, ut meliori quo possunt modo coniungantur. »

2. Sicut certum est, Christum esse auctorem sacramentorum, ita etiam dubitandum non est, ipsummet etiam materiam et formam, seu partes essentiales sacramentorum determinasse. In ipsa S. Scriptura legimus, Christum tum materiam (1), tum formam (2) Baptismi designasse, idem dicendum est de materia et forma SS. Eucharistiae(3). Circa reliqua quinque sacramenta equidem materia et forma tam clare determinata in Evangeliis non legitur; sed tamen dubitari non potest, Christum oretenus Apostolos instruxisse, quanam materia et forma in sacramentorum administratione uti deberent ; non enim omnia, quae Christus docuit, in S. Scriptura exposita inveniuntur, sed dogmata non pauca ex traditione petenda sunt. Fatendum equidem est, etiam Ss. Patres in describenda sacramentorum materia et forma parcos esse. Duae verum potissimum causae assignari possunt, cur tam pauca de sacramentis observata et tradita in veterum monumentis habeamus. Prima est, quod, quae usu publico et quotidiana praxi trita sunt et explorata, non raro in scriptis suis veteres scriptores praetermittunt ; quod nempe res huiusmodi oblivioni vix unquam tradi possint, quia viva quadam, ac spirante traditione, quasi per manus, ad posteros transmittuntur. Altera maxime animadvertenda causa et ratio est lex silentii, quam in mysteriis fidei nostrae non divulgandis tanta religione veteres observari voluerunt, ne forte gentilium et impiorum hominum irrisioni ac profanationi obiicerentur. Inde, S. *Augustino* teste(4): *Mysteria* nuncupata sunt, hoc est, secreta et occulta, quae nefas est in publicum efferre, ac solis initiatis communicanda sunt. Haec lex silentii dicta est *disciplina arcani*, cuius tot fere testes sunt, quot ex veteribus de religione scripserunt. Nullatenus ergo ex Ss. Patrum silentio inferri potest, materiam et formam, quam Ecclesia in administratione sacramentorum semper adhibuit, non ab ipso Christo determinatam fuisse. Contrarium potius ex eo inferendum est, quia sicut sacramentorum institutio, ita etiam materiae et formae determinatio ecclesiasticam praetergreditur potestatem. Quod S. *Thomas* (5) ratione theologica probat, primo de materia dicens: « In usu sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus divinus et sanctificatio hominis: quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum ; secundum autem e converso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non pertinet autem ad aliquem determinare illud, quod est in potestate alterius, sed solum id, quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio homi-

(1) Io. 3, 5. (2) Matth. 28, 19.
(3) Matth. 26, 26-29.

(4) Lib. de catech. rud. c. 9.
(5) 3 p. q. 60. art. 5.

nis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis novae legis quibus homines sanctificantur, secundum illud: *Abluti estis, sanctificati estis* (1); oportet uti rebus ex divina institutione determinatis. » Deinde (2) argumentatione a minori ad maius ostendit, etiam formam a Christo debere esse determinatam, ait enim: « In sacramentis verba se habent per modum formae, res autem sensibiles per modum materiae. In omnibus autem compositis ex materia et forma principium determinationis est ex parte formae, quae est quodammodo finis et terminus materiae; et ideo principalius requiritur ad esse rei determinata forma, quam determinata materia; materia enim determinata requiritur, ut sit proportionata determinatae formae. Cum igitur in sacramentis requirantur determinatae res sensibiles, quae se habent in sacramentis sicut materia, multo magis requiritur in eis determinata forma verborum. » Idem probatur auctoritate *Concilii Tridentini*, quod (3) declarat, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret;* quibus verbis satis clare innuitur, Ecclesiae non competere potestatem statuendi, vel immutandi substantiam sacramentorum: materiam vero et formam pertinere ad substantiam sacramentorum, nullus dubitat; ex quo necessario infertur, Christum ipsum materiam et formam sacramentorum determinasse. — Scholastici tamen subtiliorem ineuntes distinctionem adnotarunt, duplici modo potuisse Christum cuiuslibet sacramenti materiam et formam designare, scilicet vel *in genere*, iubendo, ut Ecclesia signum aliquod externum verbaque assumeret, quibus denotaretur finis et effectus sacramenti ab eo instituti; vel *in specie*, per se ipsum indicando eiusdem materiam et formam, addito praecepto de utraque adhibendo. Hoc posito, omnes admittunt, materiam et formam sacramentorum omnium vel *in specie*, vel saltem *in genere* Christum constituisse; aliter nec ab eo instituta fuissent sacramenta. Certum pariter est apud omnes, materiam et formam baptismi et eucharistiae Christum ipsum *specifice* determinasse, quod ex Evangeliis constat. De reliquis quinque sacramentis scholastici non consentiunt. Non pauci, tum veteres, tum recentiores arbitrati sunt, quorundam sacramentorum materiam et formam nonnisi in genere fuisse a Christo Domino constitutas, relicta Ecclesiae suae sponsae potestate, easdem sub perenni Spiritus sancti assistentia in specie determinandi. Sententiam istam probant ex eo, quia materia et forma quorundam sacramentorum in S. Scriptura et in Ss. Patribus non inveniuntur expressae, quia Ecclesia latina valida iudicavit sacramenta confirmationis et ordinis, in Ecclesia graeca collata, et quia idem semper quoad substantiam sacramentum remanet, cum servatur institutio Christi; servatur autem, cum Ecclesia pro concessa sibi libertate iuxta Sponsi sui mentem assumit signum aliquod idoneum ad finem sacramenti exprimendum; aiunt enim, non aliam in praesenti argumento

(1) I Cor. 6, 11. (2) Art. 7. (3) Sess 21, cap. 2.

quaerendam esse congruam rationem, quam voluntatem Christi instituentis sacramenta, qui voluit, ut Ecclesia nonnullas res et verba eorum in specie determinaret. Hanc sententiam defenderunt *Hugo Victor* (1), *Lombardus* (2), *Alexander Alen.* (3), *S. Bonaventura* (4), *Innocentius IV* (5), *Bellarminus* (6), *Natalis Alex.* (7) et alii. — Multi tamen cum *S. Thoma* (8), *S. Alphonso Ligorio* (9), *Colleto, Berti* (10), *Gazzaniga*, etc. oppositam propugnant sententiam, docentes, Christum Iesum, ut omnia et singula sacramenta, ita etiam omnium partes essentiales, scilicet materiam et formam, in specie instituisse. Materia enim et forma sacramentorum, quamvis in S. Scriptura et in Ss. Patribus non de omnibus expressae legantur, constat tamen ex continua Ecclesiae persuasione et praxi. Ex S. Scriptura et Ss. Patribus neque istud probari potest, quod potestas in quibusdam sacramentis materiam et formam in specie determinandi, a Christo Ecclesiae tradita fuerit. Contrarium potius ex citatis *Concilii Tridentini* verbis (11) inferendum est, in quibus Ecclesia caeremonias et ritus, quos statuere et mutare potest, aperte distinguit a substantia, quae salva manere debet. Notatu etiam digna sunt verba *Hadriani VI* (12): « Ecclesia, ait, non posset novam formam baptismi aut alterius sacramenti instituere, aut institutam quovis modo mutare; quia, ut solius Dei est animam a labe peccati emundare, iuxta illud : *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me* (13); ita solus, quae sanctificant animam, potest instituere: unde noverit se Ecclesia non esse dominam sacramentorum, sed ministram, nec posse magis formam aliquam sacramentorum destituere, aut novam instituere, quam legem aliquam divinam abolere, vel ad tempus ab obligatione hominum suspendere, vel novum aliquem articulum fidei instituere, qui aliter non est de fide. » Discrepantia, quae in valida sacramentorum administratione observatur, iuxta huius sententiae patronos, non substantialem materiam et formam, sed accidentales tantum ritus respicit: qua de re in tractatu de sacramentis in specie fusior sermo recurret. Caeterum fatendum est, utramque sententiam haud spernendis argumentis inniti, et catholice defendi posse, quia Ecclesia hanc scholasticam quaestionem nondum definivit.

3. Quia Christus materiam et formam sacramentorum non solum in genere, sed probabilius etiam in specie (vel saltem quoad aliqua sacramenta per Ecclesiam a Spiritu sancto directam) determinavit; necessario infertur, omnem non quidem accidentalem, sed tamen *substantialem mutationem* seu materiae, seu formae nullum et irritum reddere sacramentum. Mutatio materiae *substantialis* est, cum non remanet eadem, vel quoad speciem physicam, vel quoad usum communem et aestimationem moralem. Sic, ex. gr., qui baptizat in vino, mutat speciem physicam materiae sacramenti baptismatis, nec consequenter valide baptizat; et ex eadem ratione, qui pro pane triticeo hordeaceum adhibet, valide non consecrat: ita pariter nullum e-

(1) Lib. 2 de Sacram.
(2) In 4, dist. 23, cap. 2.
(3) In 4 p. *Summae*.
(4) In 4 sent. dist. 7, art. 1, q. 1.
(5) Cap. Presbyter de non iter. Sacr.
(6) Lib. de Ordine S.
(7) Theol. dogm. t. 1, lib. 2, c. 3, prop. 2.
(8) 3 p. q. 64, art. 5.
(9) Th. mor. lib. 6 de Sacr. in gen. cap. 1, dub. 2, n. 12. (10) Lib. 30, cap. 10.
(11) Sess. 21, c. 2.
(12) In 4 (ap. Berti l. c.) (13) Is. 43.

rit sacramentum, si quis in baptismo aquam congelatam adhibeat, aut in perficienda Eucharistia loco panis massam non coctam; quia recepto et communi usu, et in aestimatione morali nec per aquam congelatam fit lotio, nec per massam non coctam nutritio. Mutatio vero materiae *accidentalis* est alteratio materiae talis, ut non convertatur in aliam speciem, nec reddatur inutilis ad sui usum; ita valet baptismus in aqua calida, vel frigida, maris vel fontis, benedicta vel non benedicta, collatus. — Mutatio formae *substantialis* est, cum idem non remanet verborum sensus; mutatio formae *accidentalis* est alteratio verborum illius, retento eorum sensu. — Observant theologi, formam sacramentorum tum substantialiter, tum accidentaliter mutari posse sex modis, his versiculis contentis: *Nil formae demas, nil addas, nil variabis, - transmutare cave, corrumpere verba, morari.* Primus modus mutationis verborum formae fit *per detractionem* alicuius verbi, quae si sensum mutet, irritat sacramentum; si non mutat, non irritat; hinc qui in forma baptismi omitteret nomen unius personae divinae, non baptizaret; contra, qui tantum omitteret pronomen *ego*, vere baptizaret. — Secundus modus mutationis verborum fit *per additionem*, quae si sensum verborum Christi invertat, sacramentum invalidat; si sensum verborum Christi integrum servet, non invalidat sacramentum; hinc baptismus collatus in nomine Patris increati, Filii creati et Spiritus sancti creati, nullus declaratus fuit; e contra qui baptizando adderet: « In nomine Patris ingeniti, Filii geniti et Spiritus sancti ab utroque procedentis » valde baptizaret; additio enim eorum attributorum, cum vere personis divinis conveniant, non invertit substantialem verborum Christi sensum. — Tertius modus mutationis est *variatio* verborum, quae vel ratione idiomatis, vel in eodem idiomate per voces synonimas fieri potest. Prior mutatio accidentalis prorsus est, ac plane indifferens ad substantiam sacramenti; quocumque enim idiomate seu lingua perficiatur, si servatur integra Christi institutio, ratum est sacramentum; sensu quippe, non sono, verba sacramentalia operantur; sensus autem idem occurrit in diverso idiomate. Altera mutatio, quae fit unius vocis in aliam synonimam et eiusdem significationis, accidentalis pariter est, ut, si quis ex. gr. loco, *Ego te baptizo*, diceret: *Ego te abluo, lavo*, vel *tingo*. Non ita esset, si aliud verbum substitueret aut diversae significationis, aut non aeque distinctae et clarae, ac est significatio verborum, quibus utitur Ecclesia; quamobrem si quis baptismum conferens, diceret: *Te mundo, purgo*, vel *refrigero in nomine Patris* etc., substantialis foret mutatio, quia mundatio, purgatio, vel refrigeratio confuse tantum et indistincte ablutionem significat. — Quartus modus fit *per transmutationem, seu transpositionem verborum*, cum qua si idem quoad substantiam remanet sensus, validum est sacramentum; si non remanet, nullum est: hinc invalide consecrat qui dicit: *hoc corpus est meum;* valide vero, qui dicit: *hoc est meum corpus.* — Quintus modus fit *per corruptionem* verborum, quae si sensum tollat, sacramentum irritat; si non tollit, non irritat: hinc qui baptizando diceret: *in nomine Matris et Filii* etc. nihil efficeret; qui vero ex balbutie, vel ignorantia diceret: *in nomine Patris et Filii et Spiritu sancti*, valide baptizaret quia ex communi audien-

tium iudicio et conditione personae baptizantis, integer manet sensus verborum. Propter hanc rationem *Zacharias R. P.* (1) definivit, sacerdotem linguae latinae imperitum valide baptizasse cum hac forma: *In nomine Patria et Filia et Spiritua sancta.* — Sextus modus mutationis fit per interruptionem verborum, quae si tanta esset, ut communi iudicio non censeretur una et eadem moralis actio, et interciperetur intentio pronuntiantis, esset mutatio substantialis, et nihil efficeretur; si vero haec interruptio tanta non esset, quin moraliter eadem aestimaretur actio, mutatio esset accidentalis et sacramentum validum; hinc si quis pronuntiatis his verbis, *ego te*, post semiquadrantem pronuntiaret *absolvo*, nihil efficeret; si vero pronuntiatis *ego te*, diceret poenitenti, elice actum contritionis, et postea proferret: *absolvo*, valida esset absolutio. — Isti sunt vulgares modi, quibus immutari possunt verba sacramentorum; de quibus *Bellarminus* (2) hanc generalem regulam proponit: « Utcumque varientur verba, addendo, detrahendo, mutando, transponendo, corrumpendo, interrumpendo, semper manet integritas substantialis, dum manet idem sensus; e contra minima etiam variatio destruit integritatem substantialem, si pereat sensus..... Accidentalis autem integritas consistit in caeteris omnibus, id est, in integro sono, ordine et numero syllabarum. » Ultimo quaerunt theologi, quid dicendum sit de validitate sacramenti, cuius forma a ministro eo fine corrumpitur, ut error, vel haeresis inducatur? — Ad quam quaestionem solvendam primo observant, nullo errore interiori, quicunque ille sit, violari validitatem sacramenti, ritu legitimo et cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, collati; quod in proximo articulo probandum erit. Dicunt porro, errorem, qui exterius manifestatur, nec invertit legitimum verborum sensum, sacramenti substantiam non destruere, quaecumque tandem sit privata intentio ministri pro errore inducendo; ratio est, quia privata intentio ministri nocere non potest generali Ecclesiae intentioni, per quam ille praesumitur velle facere id, quod facit Ecclesia. Denique docent, quod, cum ex corruptione formae sensus verborum aut aperte corrumpitur, aut ambiguus saltem redditur, ex ipsa intentione ministri volentis errorem vel haeresin inducere, ambiguus sensus ad perversum determinetur, et quod tunc substantialis censenda sit corruptio, cum qua non stat substantia sacramenti. Huius distinctionis exemplum habemus in citata Epistola *Zachariae R. P.* qui interrogatus, an valeat baptismus sub forma corrupta collatus, respondit: « Si ille, qui ita baptizavit, non errorem inducens, aut haeresin, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis, infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans, sic dixerit, non possumus consentire, ut denuo baptizentur. » — Quamvis autem substantialis tantum materiae aut formae mutatio nullum et irritum reddat sacramentum, notandum tamen est, etiam accidentalem mutationem temere factam culpa non carere. Graviter enim peccat minister, qui, non observato Ecclesiae ritu praescripto, accidentalem invehit mutationem. Nam in *Concilio Tridentino* (3) legitur: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administra-*

(1) De consecr. dist. 4, c. *Retulerunt* 86.
(2) Lib. 1 de sacr. in gen. cap. 21.
(3) Sess. 7, can. 13.

tione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.

4. Cum Novatores omnem iustificandi vim tribuant fidei, tenent consequenter verba in sacramentis conficiendis prolata perinde se habere, ac praedicatio Evangelii, nimirum nobis Christi gratiam proponere, illam polliceri, ad Christi fidem nos excitare, non autem immutare, aut consecrare materiam illam sensibilem; sive, ut aliis verbis quaestio proponatur, sacramentorum verba *concionis*, vel *promissionis* esse, non autem *consecrationis*. Et quamquam aliquando fateantur haeretici verbotenus, signa sacramentorum sensibilia consecrare verbis, consecrationis nomine non intelligunt sensibilis materiae ad vim conferendi gratiam elevationem, sed eiusdem materiae translationem de usu communi et profano ad sacrum; quemadmodum etsi proferant verba, non tamen ea putant partem sacramentorum essentialem, sed puram, putamque conditionem ad fidem excitandam. Ideo *Calvinus* (1), consuetudinem nostram proferendi submissa voce verba consecrationis, appellat demurmurationem, ingentemque Ss. Mysteriorum profanationem; et *Turretinus* (2) admittit verbum *consecratorium*, non autem *operativum*, sed alta pronuntiandum voce, ut in sacramenta suscipientibus fidem excitent. Quod sedulo notandum est, ne dum commendantur a quibusdam haereticis verba *consecratoria*, aliquid aliud credantur admittere, praeter verba *concionis* et *promissionis*. Iuxta Novatores ergo verba non tam ad elementum dirigun-

(1) Lib. 4 Instit. cap. 14, § 4.
(2) Q. 6 de sacr. n. 3. (3) I Cor. 10, 16.

tur, ut consecretur, quam potius ad eum, qui sacramentum suscipit, ut per fidem excitatam iustitiam Christi apprehendat et sibi applicet. Huic errori opponitur doctrina catholica. Catholici enim, qui firmiter credunt, in sacramentis et per sacramenta, tanquam Dei instrumenta, gratiam conferri, non propter meritum conferentis, nec propter suscipientis fidem, sed vi ipsius actionis sacramentalis ad hoc a Deo institutae, consequenter docent, ad essentiam sacramenti non esse necessariam *concionem*, qua eorum fides excitetur, qui sacramentum sunt percepturi, sed ad essentiam sacramentorum requiri quaedam verba determinata, quae proprie consecratoria sunt, quibus elementum ad dignitatem sacramenti elevetur. — Veram esse Catholicorum doctrinam, et falsa esse Novatorum commenta, patet *ex Scripturis*, quae, cum loquuntur de baptismo et eucharistia, nullam concionis habendae faciunt mentionem, sed in iisdem verba sacramentorum dicuntur Benedictiones: *Calix benedictionis, cui benedicimus* (3); Invocationes: *Baptizare..... invocato nomine eius* (4); verbum vitae: *Mundans lavacro aquae in verbo vitae* (5): nunquam vero dicuntur conciones, aut promissiones. Imo Apostolus verbum concionale a sacramentali aperte distinguit (6) dicens: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*. Traditio quoque adversariis contraria est. Ecclesia enim semper credidit, verba sacramentalia vim operandi habere, non quia concionatoria sunt et fidem excitant, sed quia consecratoria sunt; haec Ecclesiae fides constat ex baptismo infantium, qui concionis, aut fidei actualis capaces non sunt, et

(4) Act. 22, 16. (5) Eph. 5, 26.
(6) I Cor. 1, 17.

ex baptismo collato ab haereticis, quorum certe fides, ac proinde etiam concio recta non est, baptismus tamen validus habitus fuit, si evangelica forma fuerat collatus. Accedunt *rationes theologicae*. Essentialia enim sacramentorum fuerunt a Christo determinata, praecipue in baptismo et eucharistia, quae duo agnoscunt haeretici; atqui si concio praemittenda vel adhibenda esset essentialis, non ab ipso Christo essentialia sacramentorum determinata essent; tot enim forent diversae conciones, quot forent diversi concionatores. Deinde, verba, quae praesentem effectum commonstrant, eumque, divina operante virtute, producunt, *promissoria* non sunt iuxta sensum haereticorum; promissio enim non est actualis gratiarum largitio, sed gratiam offerentis pollicitatio. Atqui verba, quibus conficiuntur sacramenta, ex. gr., *ego te baptizo* etc., non exprimunt gratiae conferendae pollicitationem, sed designant efficiuntque praesens animarum lavacrum et regenerationem spiritus; ergo praedicta verba non sunt promissoria ad sensum haereticorum. Denique sententia adversariorum innititur falso supposito de iustitia Christi per fidem apprehendendam et sibi applicandam: quidquid ergo contra istos errores § 62 et 66 dictum est, et inferius de effectibus sacramentorum dicetur, praesentem quoque Novatorum sententiam falsam esse commonstrat. Perperam isti appellant ad verba Christi, quibus doctrina cum baptismo coniungitur; ait enim: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis* (1); hic enim triplicis generis verba commendantur, ea nempe, quibus evangelica doctrina baptizandi imbuuntur; et haec praecedere debent sanctum regenerationis lavacrum, quoniam nullus, rationis usu pollens, nisi credat, mancipari Christo potest, qui neminem in sui cultum compellit invitum; deinde ea verba, quibus consecratur baptismus, expressa scilicet SS. Trinitatis invocatio; tum illa, quibus initiati inflammantur ad observantiam divinorum mandatorum, sine quibus aeternam vitam minime consequentur. Verba prioris generis sunt *concionatoria*, expressa praecepto Domini: *Docete omnes gentes;* altera sunt *consecratoria*, determinata in sequentibus: *baptizantes eos in nomine Patris* etc.; postrema *hortatoria* sunt, et mandatorum observationem praescribentia, videlicet: *docentes eos servare omnia* etc. Praeclare *S. Hieronymus* in haec verba (2) scribit: « Ordo praecipuus, iussit Apostolis, ut primum docerent universas gentes, deinde fidei intingerent sacramento, et post fidem ac baptisma, quae essent observanda praeciperent. » Ut ergo, fatentibus haereticis, verba, quae praecipiunt observanda, non pertinent ad sacramenti constitutionem; ita quae fidei praebent rudimenta, cum praecedant sanctae renovationis lavacrum, ad istud tanquam forma minime spectant. Ita etiam Ss. Patres qui praedicationem Evangelii pro baptismate requirunt, loquuntur de necessaria baptizandorum institutione, non de baptismatis forma (3).

Nota. In sacramentorum administratione materia certa adhibenda est. Verum si haec haberi nequit, et urgente mortis periculo sacramentum ad salutem necessarium mini-

(1) Matth. 28, 19 etc.
(2) Comment. in Matth. 28, 19.
(3) Cf. Tournely t. 1, a 4; Berti l. 30, c. 11.

strandum est, minister licite potest, imo debet adhibere materiam dubiam, quia Christus Dominus sacramenta instituit tanquam remedia in salutem animarum; haec igitur meliori, quo fieri potest, modo procuranda est, et, deficiente remedio certo, atque urgente necessitate, prudenter applicatur remedium dubium, cum ex usu istius spes aliqua salutis affulgeat. — Certum vero est, grave esse peccatum, uti materia dubia, ubi potest haberi certa. Nam *S. Augustinus* (1) scribit: « Graviter peccaret, in rebus ad salutem animae pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta praeponeret. » Ideo *Innocentius XI* sequentem propositionem n. 1 damnavit: « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. » Accedit ratio theologica. Nam materia dubia absque ulla necessitate dubiam reddit sacramenti veritatem, quod fieri nequit sine gravi eiusdem sacramenti iniuria et sacrilegio. Praeterea, si dubia vel tantum probabilis materia adhibetur, dum potest haberi certa, magna etiam iniustitia committitur erga proximum, qui periculo carendi fructu sacramenti exponitur.

ARTICULUS V.

De ministro Sacramentorum.

§ 499. Duplex est sacramentorum minister: *primarius* et *secundarius*. minister primarius est ille, cuius nomine sacramenta administrantur, et est Christus ut homo, propter unionem hypostaticam cum Verbo divino. Ideo Praecursor Domini efficaciorem baptismum in nova lege instituendum et conferendum praedicens, de Christo ait: *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto* (2). Et Iesus baptizasse dicitur, *quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius* (3). Ideo *S. Pacianus* (4) ad Sympron. scribit: « Sive baptizamus, sive ad poenitentiam cogimus, seu veniam poenitentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit. » *S. Ambrosius* (5) inquit: « Advertamus, quia in sacerdotibus divina magis, quam humana operatur gratia; » et de myster. (6) haec habet: « Non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum.... Crede ergo, adesse Dominum Iesum invocatum precibus sacerdotum. » *S. Chrysostomus* (7) ait: « Quando sacerdotem tibi (eucharistiam) praebentem vides, ne putes, sacerdotem hoc facere, sed Christi manum esse, quae extenditur. Sicut enim, cum sacerdos baptizat, non ipse baptizat, sed Deus, qui caput tuum invisibili virtute tenet... sic et nunc » (8). — *S. Augustinus* contra *Crescon.* (9) dicit: « Baptizant, quantum ad visibile ministerium et boni et mali; invisibiliter autem per eos ille baptizat, cuius est et visibile baptisma, et invisibilis gratia. Tingere ergo possunt et boni et mali; abluere autem conscientiam nonnisi ille, qui semper est bonus; » item cont. litt. Petil. (10): « Nolite ex hominum moribus et factis sacramenta pensare. Illa enim per eum sancta sunt, cuius sunt. » Et *S. Thomas* (11): « Humanitas Christi est instrumentum divinitatis eius; sed tamen quia est instrumentum coniunctum divinitati in persona, habet quamdam prin-

(1) L. 1 de baptismo c. Donat. cap. 3.
(2) Io. 1, 33. (3) Io. 4, 2. (4) Ep. 3, n. 7.
(5) Ep. 63, n. 58. (6) C. 5, n. 27.
(7) Hom. 50 in Matth. num. 3.
(8) Cf. Hom. 1 in Pentec. n. 4 et Hom. 2 in 2 Tim. n. 4. (9) L. 2, c. 21, n. 26.
(10) Litt. Petil. lib. 2, c. 37, n. 88.
(11) 3 p., q. 64. art. 3.

cipalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiae. Et ideo sicut Christus, in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis ; ita, in quantum homo, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiae.» — Quoniam autem sacramenta signa sensibilia sunt, visibili modo hominibus dispensanda, Christus voluit secundarium quoque ministrum designare, qui actionem externam, quae promissionem gratiae divinae habet, conficiat. Minister igitur secundarius ille est, qui nomine Christi potest valide conficere sacramentum ; et hic iterum duplex est, nempe *ordinarius*, qui iuxta institutionem a Christo factam vi potestatis ordinariae divinitus receptae conficit sacramentum, et *extraordinarius*, qui ex peculiari privilegio, vel delegatione ac sacramenta perficienda deputatur. De ministro secundario in praesens agendum, et sedulo inquirendum est: 1° *qualis sit secundarius sacramentorum minister?* 2° *an probitas in eo sit necessaria?* 3° *an fides?* 4° *an, et qualis intentio?*

I. *De Persona ministri.*

§ 500. Doctrina de persona ministri sacramentorum duabus propositionibus continetur, quarum *prima est:* Soli homines viatores sunt ordinarii sacramentorum ministri; *secunda:* Non omnes homines viatores sunt ordinarii omnium sacramentorum ministri. Ambae propositiones tum clarius exponendae, tum solide probandae sunt.

1. Ii soli sunt sacramentorum ordinarii ministri, quibus Christus haec instituens contulit ministerii potestatem. Hanc vero solis hominibus viatoribus traditam esse, constat ex S. Scriptura. Nam Christus Dominus non Angelos, aut beatos coeli cives, sed homines in terra degentes allocutus est, cum dixit undecim Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. (1). Non aliis iterum, quam hominibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* (2). Non aliis, quam hominibus dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (3). Hinc Apostolus Paulus (4) inquit, Christum ascendentem in coelum dedisse *dona hominibus;* postea haec dona enumerat, dicens: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores... in opus ministerii* etc. Et (5) de Apostolis viventibus scribit: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Ac denique (6): *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Et quamquam in his aliisque similibus locis nulla ponatur particula exclusiva Angelorum, aut coelestium Beatorum; hoc ipso tamen, quod hominum tantummodo viatorum mentio fit, manifestum est, hos solos esse ordinarios sacramentorum ministros. Hanc hominum excellentem praerogativam ita *S. Chrysostomus* exornat (7) inquiens: « Qui terram incolunt, in eaque commorantur, ad ea, quae in coelis sunt, dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus.» His accedit ratio theologica, quam proponit *S. Thomas* (8) dicens: « Tota

(1) Matth. 28, 19. (2) Luc. 22, 19. (3) Io. 20, 22. (4) Ephes. 4, 8 et seq. (5) 1 Cor. 4, 1. (6) Hebr. 5, 1. (7) L. 3 de sacerd. c. 5. (8) 3 p., q. 64, art. 7.

virtus sacramentorum a passione Christi derivatur, quae est Christi, secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem Angeli . . . ; et ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta, et in eis ministrare, non ad Angelos. » — Haec autem de *ordinario* sacramentorum ministro dicta sunt, non autem de *extraordinario*, quem Deus pro supremo suo in omnes res dominio assumere potest. Recte igitur dicitur, etiam Angelos sanctos et Beatos in coelo regnantes extraordinaria potestate sacramenta conficere posse. Docuit id S. *Augustinus* c. Ep. Parmen. (1) scribens : « Nemo accipit sine dante : sed quod pertinet ad baptismi sanctitatem, adest Deus qui det, et homo qui accipiat, sive per seipsum donante Deo, *sive per Angelum*, sive per hominem sanctum..., sive per hominem iniquum. » Et S. *Thomas* l. c., postquam probasset, ad homines non autem ad Angelos pertinere dispensare sacramenta, et in eis ministrare, subdit : « Sciendum tamen, quod sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre ; ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiae ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni Angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare, hoc fieri voluntate divina ; sicut quaedam templa dicuntur angelico ministerio consecrata. Si vero daemones, qui sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum. » Sacramentum eucharistiae non quidem confectum, sed tamen administratum per Angelos fuisse, non semel in ecclesiastica historia legimus, ut S. *Agneti* de monte Politiano, Lectiones Breviarii testantur. *Nicephorus* autem Callistus (2) narrat, S. *Amphilochium* fuisse ab Angelis consecratum Iconii Episcopum. Nunquam vero contra istorum et similium exemplorum veritatem ob legitimi ministri defectum reclamatum fuit ; ex quo patet semper in Ecclesia hanc fidem viguisse, extraordinario modo etiam Angelos ad sacramenta conficienda deputari posse. Neque difficultas ex eo exurgit, quod Angeli proprie loqui et formam proferre nequeant ; quamvis enim organa vocis humana non habeant, aliis tamen modis loqui, et non difficilius sacramentorum formam proferre, quam varias ut nuntii coelestes veritates hominibus annuntiare possunt.

2. *Lutherus* in impio suo libro de abroganda Missa insane gloriatur, se invictis Scripturis demonstraturum, « legitimum illud et unicum verbi ministerium esse commune omnibus Christianis, sicut et sacerdotium et sacrificium. » Et in lib. de Capt. Babyl. (3) ait : « Esto certus et sese agnoscat, quicunque christianum se esse cognoverit, omnes nos aequaliter esse sacerdotes, hoc est, eandem in verbo et sacramento quocunque habere potestatem ; verum non licere quemquam hac ipsa uti, nisi consensu communitatis, vel vocatione maioris. » — Antesignani sui vestigiis inhaeserunt Protestantes. Quamvis enim in confessione August. (4) caveatur, ne aliquis audeat « Sacramenta administrare, nisi rite vocatus, » haec tamen cautela ideo tantum praescribitur, ne aliqua in Ecclesia confusio oriatur ; caeterum negant, ab ipso Christo pro sacramentorum admini-

(1) L. 2, c. 15, n. 34 (2) L. 11 Hist. eccl. c. 20. (3) Cap. de Ordine. (4) Art. 14.

stratione speciales ministros deputatos esse, quibus in ordinatione character imprimatur, et potestas sacra conferatur. — Perversae et insulsae huic Protestantium doctrinae opponitur dogma catholicum, quod his verbis profertur: Non quilibet christianus (si baptismum excipias, a quocunque valide, et in casu necessitatis etiam licite conferendum) idoneus est minister sacramentorum, sed ille tantum, qui iuxta institutionem Christi per legitimam ordinationem ministerii potestatem accepit. Dogma hoc catholicum constat ex S. Scriptura. Nam ad Romanos (1) Paulus scribit: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: habentes autem donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando* etc. Sicut igitur, ut observat *S. Thomas,* in corpore humano tria sunt: nempe unitas corporis, membrorum pluralitas et officiorum diversitas; ita in Ecclesia, seu corpore mystico Christi est membrorum seu fidelium multitudo, adest et unitas, quia omnes fideles Christo uniuntur capiti suo, et adest denique officiorum diversitas ad utilitatem communem redacta: haec autem officiorum diversitas *a donationibus* Christi repetitur, et sicut ad munus docendi, ita et ad *ministerium in ministrando* extenditur. Hoc idem Apostolus I-Cor. XII, 5, docet: *Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus;* et infra: *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa... Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus?... Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit... Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes* etc.... *Numquid omnes Apostoli, numquid omnes Prophetae? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes?* etc. (2); quae verba e diametro opponuntur Protestantibus asserentibus, vi institutionis Christi omnibus Christianis aequalem ministrandi sacramenta competere potestatem. Falsitas huius doctrinae apparet etiam ex verbis Pauli sequentibus: *Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi... Ipse dedit quosdam Apostolos - quosdam autem Prophetas - alios autem Pastores et Doctores - in opus ministerii* (3). Iam vero si ex Apostolo varia sunt officia spiritualia, quae in Ecclesia Christi exercentur, ac ita divinitus distributa, ut non omnia haec omnibus conveniant; si quibusdam tantummodo collata dicitur ministerii potestas, non ergo omnes fideles esse possunt ordinarii sacramentorum administratores. Idcirco idem Paulus dicit: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron* (4), quem scilicet Moyses iussu Dei una cum filiis suis assumpsit, ut sacerdotio fungeretur (5). Post autem haec lex in populo Dei religiose semper servata fuit, ut nonnisi ad sacerdotes de stirpe Aaron administratio sacrorum pertineret. Celebre est quod legitur II Paral., cap. XXVI, nempe Azariam sacerdotem una cum 80 aliis sacerdotibus fortiter restitisse Oziae regi, qui *adolere voluit incensum super altare thymiamatis,* eique

(1) Rom. 12, 4, etc.
(2) Ib. c. 12 14 17 18. 28 29.
(3) Ephes. 4, 7 etc. (4) Hebr. 5, 4.
(5) Exod 28

dixisse: *Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministeria.* Quod si in veteri lege non cuilibet licitum fuit se sacris immiscere, sed iis tantum, qui erant de stirpe Aaron; quanto magis in lege Christi a sacro ministerio removendi sunt, qui ad illud speciali consecratione non vocantur? — Hinc constans semper fuit Ecclesiae usus, ut sacramentorum administratio nonnisi iis concrederetur, qui essent ad hoc ministerium sacra ordinatione destinati, excepto baptismo necessitate urgente, ut suo loco dicetur. Porro in *Actis* et *Epistolis* Apostolorum saepe legimus, per manuum impositionem fuisse episcopos, presbyteros et diaconos ordinatos, quod supervacaneum utique fuisset, si omnibus indiscriminatim tribuisset Christus potestatem sacramentorum conficiendorum; quae praxis fuit postea ab Ecclesia religiose custodita. Et quando *Colluthus*, simplex sacerdos, temere ausus est episcopos et sacerdotes consecrare, illius ordinationes irritae declaratae sunt in magna *Synodo Nicaena*. Hinc etiam in Ecclesia a primis usque temporibus varia instituta sunt ministeria, et pro singulis sacramentis varii et diversi sunt ordinati ministri, ut ex inferius dicendis patebit. Merito igitur *Leo X* hunc articulum *Lutheri* (n. 13) proscripsit: « Ubi non est sacerdos, potest quilibet christianus sacramenta administrare, etiamsi mulier aut puer esset. » Et *Synodus Tridentina* (1) eundem errorem his verbis damnavit: *Si quis dixerit, christianos omnes in verbo, et in omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

Nota. Lutherus e Ss. Litteris plura congessit loca, ut probet, fideles omnes sacerdotes esse, ideoque in sacramenta potestatem habere. Praecaeteris hic nobis opponit Principem Apostolorum, qui scribit: *Et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum;* et: *Vos autem genus electum, gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis* (2). Opponit etiam Paulum (3) dicentem: *Qui idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Rursus opponit Ioannem scribentem in Apoc. (4): Christus *fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri;* item: *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes* (5); atque: *Et erunt sacerdotes Dei et Christi* (6); ergo, ait, omnes fideles a Christo instituti sunt sacerdotes. — Facile autem ostenditur, protestantes in testimoniis citatis pro falsa sua doctrina praesidium nequaquam invenire. Sacerdos enim in genere dicitur, qui sacrificium offert. In ipsa vero Scriptura sacrificium duplici sensu sumitur, nempe in sensu proprio et stricto pro re externa per legitimum ministrum Deo oblata; et hinc inde in sensu improprio seu latiori, pro actibus virtutum internis Deo beneplacitis, aut pro laudibus divinis; ita legitur in Psalmis: *Sacrificate sacrificium iustitiae* (7); *Immola Deo sacrificium laudis* (8); *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (9). Eodem modo sacerdotium duplex distinguitur: aliud externum et proprie dictum, quo reale sacrificium offertur, et sacramenta ministrantur; aliud improprie dictum, internum et

(1) Sess. 7, can. 10. (2) 1 Petr. 2, 5 et 9.
(3) 2 Cor. 3, 6. (4) C. 1, v. 6.
(5) Cap. 5, v. 10. (6) C. 20, v. 6.
(7) Ps. 4, 6. (8) Ps. 49, 14.
(9) Ps. 50, 19.

spirituale, quo Deo bona opera offeruntur, preces, laudes, ac potissimum cor contritum et humiliatum. Ubi porro Scripturae sacrae universis fidelibus tribuunt sacerdotium, ibi nonnisi improprie sacerdotes ii vocantur, quatenus vel spirituale sacrificium animi Deo tribuere debent, vel, reale sacrificium offerente sacerdote, ipsi etiam non quidem officio sacerdotali, sed affectuum coniunctione cum eo possunt offerre, ut dicit *S. Augustinus* (1). Hinc ad singula ut deveniamus, animadvertere opus est, D. Petrum in locis citatis non aliud certe, quam sacerdotium internum, seu improprie sumptum, in Christi fidelibus agnoscere. Nam cum eos adhortaretur ut offerant *hostias spirituales*, profecto de iis non agit, quae propriae ac realiter in altari sacrificantur. Non aliter explicat haec ipsa verba *S. Ambrosius* (2) dicens: « Omnes filii Ecclesiae sacerdotes sunt; ungimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos hostias spirituales. »— Quoad vero Doctorem gentium iam ipse capitis contextus difficultatem solvit. Ibi enim Paulus de vero utique sacerdotio disserit; sed de seipso, caeterisque Apostolis tantum sermonem habet. Moysi enim, qui minister fuit veteris testamenti, se comparat tamquam novi foederis ministrum, et ait, se ministrare epistolas non atramento, sed spiritu Dei vivi conscriptas, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus insculptas: idoneitatem autem suam non propriis viribus, sed gratiae Iesu Christi adscribens, ait: *qui idoneos nos fecit* etc. Tandem in Apocalypsi Christianis aeque tribuitur sacerdotium et regnum. Iam vero quod - ipsi adversarii diffiteri nequeunt - ibidem *reges* appellantur Christiani sensu tantum spirituali, non quia in throno sedentes actu populis dominantur, sed quia servire Deo regnare est, ut loquitur Ecclesia; vel quia omnibus fidelibus dispositum et paratum est regnum Dei, ut inquit ipse Christus. Ergo in sensu quoque spirituali ibidem sacerdotes vocantur, non quasi proprie et stricte dicta sacrificia offerre possint, sed quia interna seu improprie dicta sacrificia offerunt. Non absimili ratione intelligit hunc locum Apocalypsis *D. Ambrosius* (3) dicens: « Unusquisque fidelis ungitur in sacerdotium, ungitur et in regnum: sed spirituale regnum est, et sacerdotium spirituale ».(4).

(1) L. 20 de Civ. Dei cap. 10.
(2) L. 5 in Luc. cap. 6.
(3) L. 4 de Sacram. cap. 1, n. 3.
(4) Cf. Berti l. 30, cap. 13, prop. 3; Gazzan. De sacr. Diss. 2, c. 1, p. 2.

II. *De probitate ministri.*

§ 501. Sub initio saeculi IV Donatistae, qui in Africa diuturnum et turbulentissimum schisma excitarunt, stolide putantes, totam Ecclesiam Christi funditus corruisse, et solum in exigua illa Africae parte, quam ipsi incolebant, fuisse incorruptam servatam, coeperunt eos baptizare, qui ad eorum schisma ex catholicis castris infeliciter transibant, docentes baptismum et alia sacramenta ab impiis ministris (quales ipsi catholicos omnes reputabant) collata, nihil omnino valere. Saeculo XII sopitum donatismum denuo excitarunt *Waldenses*, Africanis Donatistis in hoc deteriores, quod, cum hi functiones sacras sacerdotio reservarint, isti suae sectae hominibus laicis attribuerint, in eo tantum pares quod sacramentorum vim et efficaciam a ministri probitate pendere voluerint. Saeculo XIV eundem professus est errorem *Io. Wi*

cleffus, ut patet ex eius articulo IV inter damnatos a *Concilio Constantiensi*: « Si Episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat. » Uti erroris, ita et damnationis socium habuit *Ioannem Huss*, cuius celebris est articulus XXX inter proscriptos ab eodem Concilio: «Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali. » — Contrarium semper credidit Ecclesia catholica, constanter docens, vim et efficaciam sacramentorum non pendere a probitate, seu sanctitate ministri, atque ideo ministrum quoque in peccato mortali existentem, *valide* conficere sacramenta. Dogma hoc catholicum *ex S. Scriptura, ex Traditione*, et *rationibus theologicis* probatur.

1. In S. Scriptura quidem dogma catholicum conceptis verbis expressum non legitur; sed tamen talia in ea testimonia occurrunt, ex quibus istud recta argumentatione infertur. Nam (1) dicitur: *Deus est, qui iustificat.* Iustificatio autem ordinarie confertur per sacramenta baptismi, vel poenitentiae, quae ab hominibus administrantur. Ut autem semper verum sit Deum ipsum peccatorem iustificare, necessario dicitur, nullatenus ministrum suam gratiam sacramentum suscipienti communicare, neque sua sanctitate eum sanctificare, sed tantum nomine Christi actionem sacramentalem externam perficere, cui tanquam instrumento collationem gratiae Salvator adnectere voluit: manifestum igitur est, ab actione externa iuxta institutionem Christi posita, non vero a probitate ministri iustificationem, seu gratiam in sacramentis collatam dependere. Idem argumentum recte infertur ex verbis Praecursoris (2) de Christo dicentis: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto;* quae verba *S. Augustinus* (3) ita pulcre commentatur: « Petrus baptizet, hic est, qui baptizat; Paulus baptizet, hic est, qui baptizat; Iudas baptizet, hic est, qui baptizat.... Nam si pro diversitate meritorum baptisma sanctum est, quia diversa sunt merita, diversa erunt baptismata, et tanto quisque aliquid melius putatur accipere, quanto a meliore videtur accepisse... Illud, quod datum est, unum est, nec impar propter impares ministros, sed par et aequale propter: *hic est qui baptizat.* » Simile argumentum nobis suppeditat Apostolus Paulus dicens: *Unusquisque vestrum dicit: ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis* (4). Et: *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri eius, cui credidistis... Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus... Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis* (5); quibus verbis clarissime traditur, efficaciam sacramentorum nequaquam a qualitatibus ministri bonis vel malis dependere, sed a solo Deo quasi per instrumenta operante repetendam esse. Quamobrem in haec eadem Pauli verba *S. Augustinus* (6) ita praeclare disserit: « Baptizavit ergo Paulus *tanquam minister*, non tanquam ipsa potestas; baptizavit autem Dominus *tanquam potestas.* Intendite: et potuit hanc potestatem servis dare, et noluit. Si enim daret

(1) Rom. 8, 33. (2) Io. 1, 33.
(3) Tract. 6 in Ioan. n. 7 et 8.
(4) I Cor. 1, 12. (5) Cap. 3, v. 4.
(6) Tr. 5 in Io. n. 7.

hanc potestatem servis, id est, ut ipsorum esset, quod Domini erat, tot essent baptismi, quot essent servi; ut, quomodo dictum est baptisma Ioannis, sic diceretur baptisma Petri, sic baptisma Pauli, sic baptisma Iacobi.... Ergo ne tot baptismata dicerentur, quot essent servi, qui baptizarent accepta potestate a Domino, sibi tenuit Dominus potestatem, servis ministerium: » et quidem servis tam bonis, quam malis, ut ibidem S. Doctor explicare pergit. Denique ex S. Scriptura argumentum negativum peti potest. Nam quia in ipsa generatim dicitur, discipulos Christi baptizasse, dubitari nequit, etiam Iudam, qui *fur* ac ideo improbus *erat* (1), baptismum administrasse. Ast nullibi legitur, baptizatis a Iuda denuo sacramentum idem collatum fuisse, cum tamen expresse (2) legatur, baptismum Christi collatum fuisse iis, qui solum baptisma Ioannis Bapt. receperant. Hinc *S. Augustinus* (3) inquit: « Dedit Iudas (baptismum), et non baptizatum est post Iudam; dedit Ioannes, et baptizatum est post Ioannem: quia si datus est a Iuda baptismus, Christi erat; qui autem a Ioanne datus est, Ioannis erat. » At si ministri improbitas officeret valori sacramentorum, qui a Iuda baptizati fuerunt, tingendi iterum fuissent, nec baptismus Iudae baptismo Ioannis praeponendus esset.

2. *Ss. Patres et Concilia* docent, valida esse sacramenta ab improbis ministris collata. *Optatus Milev.* (4) ita Donatistas alloquitur: « Cum videatis, omnes qui baptizant, operarios esse, non dominos, et sacramenta per se esse sancta, non per homines: quid est, quod vobis tantum vindicatis? quid est, quod vos solos munus principale esse dicitis? quid est, quod Deum muneribus suis excludere contenditis? Concedite Deo praestare, quae sua sunt. Non enim potest munus ab homine dari, quod divinum est. » *S. Ambrosius* (5) ait: « Non mundavit Damasus, non mundavit Petrus, non mundavit Ambrosius, non mundavit Gregorius. Nostra enim servitia, sed tua sunt sacramenta. Neque enim humanae opis est divina conferre, sed tuum, Domine, munus et Patris est. » *S. Gregorius Naz.* (6) eleganti similitudine declarat, efficaciam sacramentorum non hebetari, si per indignum ministrum conficiantur. « Sint, ait, duo annuli, unus aureus, alter ferreus, atque ambo eandem Imperatoris imaginem insculptam habeant, ac deinde ceram imprimant. Quid tandem hoc signum ab illo signo differet? Nihil. Materiam in cera internosce.... Dic, utrum e duobus signis, aureo annulo, utrum ferreo expressum sit, quoque modo unum idemque signum existat. Discrimen enim in materia est, non in signo. Sic tibi quoque omnes, qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamvis enim alius alium vitae probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est. » *S. Chrysostomus* (7) dicit: « Contingit quidem, laicos piam vitam agere, male autem et improbe sacerdotes; unde neque futurum esset baptisma, nec corpus Christi, nec oblatio per illos, si ubique dignitatem ac merita requireret gratia: atqui etiam per indignos Deus solet operari, neque baptismatis gratia quidquam laeditur per vitam sacerdotis.., Nihil enim homo in ea, quae proponuntur, inducit, sed totum est Dei

(1) Io. 12, 6. (2) Act. 19.
(3) Tract. 5 in Io n. 18.
(4) L. 5 c. Parmen.
(5) L. 1 de Spir. S. in Prologo.
(6) Or. 40 in bapt. n. 25.
(7) Hom. 8 in Epist. I ad Corinth. n. 1.

virtutis opus, et hic est, qui vos in mysteriis initiat. » *S. Augustinus* (1) inquit: « Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? Quid te impedit malitiosus praeco, si est benevolus Iudex? » — Et ibid. (2) ita perbelle scribit: « Qui fuerit superbus minister, cum zabulo computatur. Sed non contaminatur donum Christi, quod per illum fluit purum, quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram; puta, quia ipse lapideus est, quia ex aqua fructum ferre non potest, et per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generat, sed tamen hortis plurimum fructum affert. Spiritualis enim virtus sacramenti ita est, ut lux, et ab illuminandis pura excipitur, et si per immundos transeat, non inquinatur. » *Isidorus Pelus.* (3) haec habet: « Si quis in sceleribus educatus, atque omni sordium ac peccatorum genere contaminatus et inustus Dei aras attingit, et sancta profane tractat: ipse quidem poenas luet, divinum autem sacrarium improbis ipsius actionibus minime contaminatur. » Et alibi (4): « Nullo detrimento is, qui suscipit s crosancta mysteria, afficitur, etiamsi is, qui tribuit, indignus esse videatur; neque incontaminata mysteria conspurcantur, etiamsi sacerdos omnes mortales improbitate superet. » *Nicolaus I* ad consulta Bulgarorum (5) ita respondet: « Non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quae purgatoria cunctarum remedia contagionum existunt. Non potest solis radius, per cloacas et latrinas transiens, aliquid exinde contaminationis attrahere.... Mali bona ministrando se tantummodo laedunt; et cerea fax ac censa sibi quidem detrimentum praestat, aliis vero lumen in tenebris administrat, et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium praebet. » Huic Traditioni insistens *Concilium Constantiense*, damnans citatos *Wicleffi* et *Hussii* articulos, definit, ad valorem sacramenti non requiri probitatem ministri. Neque Lutherani hac in parte a Catholicis dissentiunt; nam in confessionis Augustanae apologia (6) dicitur: « Non admit sacramentis efficaciam, quod per indignos tractantur. » Neque alia est Calvinistarum doctrina. Ast quia Anabaptistae docuerunt, sacramenta non esse efficacia, nisi a probis et fidelibus administrentur, *Concilium Tridentinum* (7) hanc edidit definitionem: *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum, anathema sit.*

3. *Rationes theologicas* suggerit *S. Thomas*, qui (8) ita disserit: « Ministri Ecclesiae *instrumentaliter* operantur in sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio est ministri et sacramenti. Sicut autem supra dictum est (9) instrumentum non agit secundum propriam formam aut virtutem, sed secundum virtutem eius, a quo movetur. Et ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcunque formam vel virtutem habeat, praeter id, quod exigitur ad rationem instrumenti, sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animae

(1) Tr. 5 in Ioan. n. 11. (2) N. 15.
(3) L. 1 Epist., ep. 120.
(4) L. 3 Epist., ep. 340. (5) Cap. 71.
(6) Art. 7.
(7) Sess. 7 de Sacram. in genere, can. 12.
(8) 3 p., q. 64 a. 5. (9) Q. 62, a. 1 et 4.

habentis artem, sit sanum, vel infirmum; et sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea. Unde ministri Ecclesiae possunt sacramenta conferre, etiamsi sint mali.» Aliud argumentum idem angelicus Doctor (1) sumit ex malis Praelatis, quibus Dominus obedire iubet (2) dicens: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei: quaecunque ergo dixerint vobis servate et facite; secundum autem opera eorum nolite facere;* ex quibus Christi verbis ita argumentatur: « Multo magis obediendum est propter hoc, quod suscipiunt ministerium a Christo, quam propter cathedram Moysi. Est ergo etiam malis ministris obediendum; quod non esset, nisi in eis ordinis potestas maneret, propter quam eis obeditur. Habent ergo potestatem dispensandi sacramenta etiam mali.» Tertia ratio peti potest ex eo, quia Christus sacramenta instituit in bonum et utilitatem suscipientium, atque ideo certissime noluit, sacramenti valorem pendere a probitate ministri. Nam si peccatum mortale, praesertim occultum, obstaret valori sacramentorum, saepissime sacramenta forent incerta, immo nulla propter improbitatem ministrorum; ac plurimis vel ex eo capite dubitandum foret de valore sui baptismi, suarumque confessionum. Ast valorem sacramentorum alligare conditioni adeo periculosae, vi cuius sacramenta citra omnem culpam suscipientium saepissime frustrarentur suo effectu, et fideles innumeris anxietatibus torquerentur, alienum prorsus est a suavi Dei providentia, qua Ecclesiam gubernat, et a charitate Christi, qui, *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos* (3).

Nota 1. Quamvis valor sacramentorum a probitate ministri non pendeat, attamen ad sacramenta licite conficienda et conferenda probitas, seu status gratiae sanctificantis in ministro requiritur. Deus enim iam in veteri lege Sacrorum ministris semel iterumque praeceperat sanctitatem. In Levit. XIX, 2 alloquens filios Aaron dixit: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.* Exod. XIX, 22 legitur: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Iterum: *Sancti erunt sacerdotes Deo suo, et non polluent nomen eius; incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt* (4). Si porro ad digne conficienda mosaica sacramenta, quae nihil aliud erant, quam nostrorum figurae, tanta mundities iubebatur; eo magis evangelicae legis ministri sancta sancte peragere tenentur. Hoc divinum praeceptum praesertim in verbis Apostoli indictum habemus; nam Ep. ad Tit. scribit: *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem* (5); et ad Tim. (6) de Diaconis dicit: *Hi probentur primum; et sic ministrent, nullum crimen habentes.* Eodem modo Ss. Patres pro licita sacramentorum administratione sanctitatem in ministro exigunt. *S. Augustinus* (7) ait: « Videant, qualem rationem habituri sunt cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur.» Et cont. Ep. Parmen. (8): « Omnia sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.» Idem (9) profitetur: « Ego dico, et omnes dicimus, quia iustos esse oportet tanti Iudicis ministros.» *S. Gregorius M.* (10) di-

(1) L. 4 c. Gent. c. 77. (2) Matth. 23, 2.
(3) Io. 13, 1. (4) Levit. 21, 6.
(5) Tit. 1, 7. (6) I Tim. 3, 10.
(7) Enar. 1 in Ps. 103, n. 9.
(8) L. 2, cap. 10. (9) Tract. 5 in Ioan.
(10) L. 1, Epist. 25 (al. 24.)

cit: « Necesse est, ut esse munda studeat manus, quae diluere sordes curat, ne tacta quaeque deterius inquinet... scriptum namque est: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*» (1). *S. Bernardus* (2) exclamat: « Vae ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienae negotia apprehendunt!» *S. Thomas* (3) ita disserit: « Conveniens est, ut sacramentorum ministri sint iusti, quia debent Domino conformari... Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint, consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.» Hinc *Rituale romanum*, iussu *Pauli V* editum, haec habet: « Sacerdos, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad sacramentorum administrationem non audeat accedere; » nam, ut iam dixerat ab exordio: « Impure et indigne sacramenta ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt.» — A culpa tamen minister in statu peccati mortalis sacramentum conficiens excusari potest per accidens, nempe vel ob ignorantiam invincibilem sui status, vel propter repentinam necessitatem, quam praevidere non potuit, ita urgentem, ut ipsi non relinquatur spatium se reconciliandi cum Deo; ut ex. gr. si periculum sit, ne parvulus ante baptismum moriatur, nisi statim administretur hoc sacramentum. Sacramenta quippe propter animas instituta sunt, et salus animarum merito praeponitur reverentiae sacramentis alias debitae: imo non intervenit aliqua hic irreverentia, sicut in politicis non censetur irreventia, si ex. gr. famulus necessitate ita postulante in Regem impingat, ut Principem filium morti eripiat. Caeterum minister peccati mortalis sibi conscius, antequam eucharistiam conficiat, ex praecepto *Tridentini Concilii* confessionem, antequam vero alia sacramenta administret, saltem contritionem perfectam praemittere tenetur. Fusius hac de re et de aliis quaestionibus huc spectantibus agitur in *Theologia morali*.

Nota 2. Haeretici, qui ministris in peccato mortali existentibus potestatem sacramenta valide conficiendi abnegarunt, multis tum Scripturae testimoniis, tum Ss. Patrum dictis abusi sunt, variaque sophismata excogitarunt, ut pravam suam doctrinam tueantur; sed perperam, ut ex dicendis patebit.

Obi. I. S. Scriptura testatur, Deum a suis ministris summam munditiem et sanctitatem exigere, et actiones in se sanctissimas neque Deo placere, neque hominibus prodesse, si immundo corde perficiantur. Lev. XXI, 17 legitur: *Homo... qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo;* multo minus ergo animam habens macula peccati inquinatam poterit sancta novae legis sacramenta administrare. Prov. XV, 8 dicitur: *Victimae impiorum abominabiles.* Eccli. XXXIV, 4: *Ab immundo quis mundabitur?* ergo a peccatore, qui est immundus, nullus mundatur; ibid. v. 30: *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?* at qui baptizatur a peccatore, baptizatur a mortuo. Ps. CXL, 5: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum;* unctio ergo a peccatore peracta inu

(1) Isa. 53, 11.
(2) L. de conversione ad Clericos, cap. 10.
(3) 3 p., q. 64, art. 6.

tilis est. Christus ipse Matth. V, 13 ait: *Si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus;* per salem autem Apostolos, seu ministros sacros intelligi, manifestum est. Matth. VII, 18 additur: *Non potest arbor mala bonos fructus facere,* adeoque nec peccator homines sanctificare. Luc. XI, 23 Christus dicit: *Qui non est mecum, contra me est:* qui autem contra Deum sunt, non possunt esse eiusdem Dei ministri. Demum Apostolus II Cor. VI, 14 inquit: *Quae participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras?* — Ast si a peccatore valide conficerentur sacramenta, fieri posset, ut ab immundo quis mundetur, ut mortuus vivificare, ut sal infatuatum ad aliquid valeret, ut arbor mala bonos ederet fructus, ut quis simul contra Christum, et cum Christo sit, ut iustitia et iniquitas, lux et tenebrae simul consisterent. Verum haec impossibilia omnino sunt ex praemissis; ergo impossibile pariter est peccatorem valide sacramenta conficere.

Resp. Varia Scripturae loca, quibus iam Donatistae abusi sunt, nil aliud probant, nisi quod et Catholici admittunt, nempe ad licitam sacramentorum administrationem ministri probitatem requiri; ex quo non sequitur, eam etiam ad valorem sacramentorum necessariam esse: sacramenta enim in se sancta sunt et manent, quamvis indigna eorundem administratio Deo summe displiceat. Sic Prov. XV, 8: *Victimae impiorum* dicuntur *abominabiles* ex prava offerentium dispositione, non vero ex parte rei oblatae. — De reliquo tota adversariorum obiectio falso supposito laborat, quo creditur, ministrum secundarium propria virtute iustificare, seu gratiam conferre, cum iuxta orthodoxam doctrinam nonnisi instrumenti rationem habeat, Christus vero ipse primarius sit minister, qui iustificat et gratiam sacramentalem confert. Quae si attendantur, manifestum est, ex doctrina catholica nullatenus sequi, fieri posse, ut ab immundo quis mundetur, ut mortuus vivificet etc.; nam mundatio, vivificatio et omnes sacramentorum effectus non immundo ministro, sed Christo sanctissimo adscribendi sunt. — Denique si citata S. Scripturae testimonia rite explanentur, facile patet, ne unum quidem eo directum esse, ut ostendat, invalida esse sacramenta a malo ministro collata. Nam Eccli. XXXIV, 4 agitur de somniis, auguriis et visionibus a daemone immissis, quae verum docere non possunt, quemadmodum immundus res alias mundare nequit. Ibid. v. 30 docetur, inanem fieri ablutionem prius rite peractam, si quis per novum mortui contactum novam contrahat immunditiam legalem: hoc dictum vero applicatur relapsui in peccata post poenitentiam rite peractam. Textus Ps. CXL, ita sonat: *Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum,* hoc est, interprete *S. Augustino* (1), malim misericordi obiurgatione iusti me sanari, quam blanda adulatione peccatoris, quasi caput meum ungentis, decipi atque perverti. Matth. V, 13 congruentissime sali quod evanescit, improbi comparantur, quatenus idonei non sunt ad merendum *de condigno*, non vero quatenus inepti omnino sint ad bene operandum. Possunt quippe homines licet perditissimi, etiam supernaturaliter bona opera elicere, ac *de congruo* saltem promereri (§ 414). At si boni esse possunt actus improborum

(1) L. 2 c. litt. Petil. c. 108.

nonnulli *ex opere operantis*, ab iis certe fieri quoque poterunt actus boni *ex opere operato*, videlicet e Christi meritis fieri poterunt valida sacramenta. Praeterea Christus citato loco non tam de administratione sacramentorum, quam potius de pastorum officio homines docendi, iisque bono exemplo praelucendi loqui et adseverare videtur, hoc officium impleri non posse, deficientibus doctrina et pietate. Matth. VII, 18 dictum Christi nostrae doctrinae non repugnat, quia non minister secundarius malus, sed minister primarius Christus bonum iustificationis et gratiae fructum producit. Luc. XI, 23 Christus loquitur de Satana, et ostendit se non adiuvari a diabolo, quia hic divinis consiliis continuo resistere nititur. Tandem ubi Apostolus ait, iustitiam cum iniquitate, lucem cum tenebris non posse consociari, ethnicae superstitioni opponit Christianorum religionem, ac vetat fidelibus, ne communicent cum gentibus earumque nefariis moribus et erroribus, evangelicae doctrinae adversantibus. Hanc fore mentem Apostoli, iam constat ex iis, quae tradit paulo superius, Corinthios monens: *Nolite iugum ducere cum infidelibus.*

Obi. II. Ss. Patres nullius efficaciae declarant sacramenta ab impio ministro collata. *S. Ambrosius* lib. de Mysteriis (1) dicit: « Est in aliquibus et aqua mendax. Non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit. » *S. Hieronymus* (2) haec habet: « Sacerdotes, qui eucharistiae serviunt, et sanguinem Domini populis eius dividunt, impie agunt in legem Christi, putantes, eucharistiam imprecantis verba facere, non vitam et necessariam esse tantum solemnem orationem, et non sacerdotum merita; » si ergo iuxta mentem *Hieronymi* ad eucharistiam conficiendam requiruntur merita in ministro, inde sponte consequitur, improbum eam nullatenus conficere. *S. Augustinus* (3) scribit: « Quomodo ergo baptizabant, qui fundos insidiosis fraudibus rapiebant... si sola illa columba (Ecclesia) simplex et casta et perfecta baptizat? » et ibid. (4): « Tales (avari et raptores) ipsius Cypriani temporibus baptizabant, quos Coëpiscopos suos fuisse cum magno gemitu confitetur remissionem tamen peccatorum non dabant... Non enim raptoribus et foeneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur illis. » *Leo M.* Ep. 156 pro certo sumens, irrita esse sacramenta a nefariis hominibus confecta, deflet miserum Ecclesiae Alexandrinae statum dicens: « Manifestum quippe est, per crudelissimam insanissimamque saevitiam omne illic coelestium sacramentorum lumen extinctum. »

Resp. Citata Patrum testimonia dogmati catholico nullatenus adversantur. Etenim *S. Ambrosius* l. c. loquitur de baptismatibus Iudaeorum et infidelium; ita enim prosequitur: « Iudaeus urceos baptizat et calices etc. » Et clarius alibi: « Sunt baptismata gentium, sed non sunt baptismata. Caro lavatur, non culpa abluitur, imo in illo lavacro contrahitur. Erant autem baptismata Iudaeorum alia superflua, alia in figura » (5). Notandum porro est, librum de Mysteriis a criticis merito ut supposititium haberi.—*S. Hieronymus* in dialogo adver. Lucif. totis viribus Donatistas refutavit; ideo de ipsius doctrina minime ambigendum est. Dum autem censet absonum asserere, oratione fieri eucharistiam, non meritis

(1) Cap. 4. (2) Comment. in cap. 3 Sophon. (3) L. 3 de baptis. cap. 17. (4) Cap. 18. (5) L. 2 de Sacr cap. 1.

sacerdotis, « per illa verba, ait *S. Thomas* (1), improbat errorem sacerdotum, qui credebant, se *digne* posse eucharistiam consecrare ex hoc solo, quod sunt sacerdotes, etiamsi sint peccatores. » Et recte quidem. Nam licet sacramentum ii vere conficiant, nihilominus in se ipsis mysticam non faciunt eucharistiam, quae vox gratiarum significat actionem, quia ob morum perversitatem ad altare accedentes indigni, quin Deo gratias agant, eum potius offendunt. — Quod ad *S. Augustinum* attinet, quis sibi persuadeat, invictum hunc Donatistarum debellatorem iisdem potuisse unquam consentire? — Citata quidem verba obscura sunt, et theologi de vera eorundem interpretatione non conveniunt; verisimilior tamen ea videtur explicatio, quod S. Doctor nihil aliud voluerit, nisi a malis ministris sacramenta quidem conferri, non autem gratiam, iis nempe, qui cum illis in impietate conveniunt. Hanc esse *S. Augustini* mentem eruitur ex ipso contextu. Nam ibid. (2) expresse dicit: « Sacramenti autem integritas ubique cognoscitur, sed ad peccatorum illam irrevocabilem remissionem extra unitatem Ecclesiae non valebit; » ergo sacramenti integritatem profitetur, quamvis, non defectu ministri, sed defectu suscipientis gratiae effectus non sequatur. Quod lucentius exponit, ibidem subdens, non posse precibus sanctorum adiuvari non solum haereticum aut schismaticum, sed nec peccatorem « intus positum, si adversum se ipse per vitam pessimam teneat debita peccatorum... etiamsi per ipsius columbae pium ministerium baptizetur, » non certe defectu pii ministri, sed defectu suscipientis impii et impoenitentis peccatoris. Denique addit de ipsis peccatoribus impoenitentibus, quod « si corrigantur, et se pessimos ad baptismum accessisse fateantur, *non rebaptizantur*, sed incipiunt ad columbam pertinere etc.,» ubi iterum validum baptisma declarat, quamvis effectu careat, quousque baptizati ad veram et perfectam Ecclesiae unitatem non veniant. — *S. Leo M.* conqueritur de extincto coelestium sacramentorum lumine, non eo sensu, quod putaverit, nulla aut irrita esse sacramenta ab impiis administrata, de quo nec suspicari critica permittit; sed quod cessaverit eorundem sacramentorum administratio ob Dioscori saevitiem. Nam, ut ibidem subdit S. Pontifex: « Intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidialibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria. »

Obi. III. Nemo dat quod non habet. Sed ministri mali gratia sunt destituti, secus mali non essent; ergo neque aliis gratiam possunt conferre; eorum igitur sacramenta non valent.

Resp. Cum distinctione maiorem excipientes propositionem, concedimus, neminem dare *virtute propria*, quod non habet; negamus vero, neminem, quod non habet, *aliena* dare *virtute* per modum instrumenti. Sic manus infirma porrigens aegroto pharmacum, non virtute propria ei tribuit sanitatem, sed vi salutaris artis, quam medicus exercet: sic pariter famulus, nec obulum habens, multos saepe aureos a domino suo ad alium defert. Distinctionem etiam circa minorem propositionem adhibentes, dicimus, in se non habere ministrum malum gratiam *gratum facientem*, qualis est gratia sanctificans, quae per culpam lethalem tollitur; sed gratiam habere *gratis datam*, quae in auctoritate aliquid supernaturale peragendi consistit. Hoc siquidem posterius gratia-

(1) 3 p., q. 82, art. 5 ad 1. (2) Cap. 17.

rum genus, ad quod refertur potestas conficiendi sacramenta, donum linguarum, miraculorum et prophetiae, etiam in peccatoribus esse posse, constat exemplo Caiphae, qui (1) cum esset pontifex, licet nequissimus, prophetavit. Utraque praemissa hoc pacto distincta, iure negatur consequens. Nam cum minister sacramentum conficiat non vi gratiae sanctificantis qua caret, sed ob auctoritatem divinitus receptam, quae gratia est gratis data, nihil impedit, quin per ipsum, licet improbum, tanquam per instrumentum gratia gratum faciens aliis conferatur.

Obi. IV. Ipsi Catholici fatentur, actionem ministri in statu lethalis peccati conficientis sacramentum esse grave peccatum: sed actio intrinsece mala non potest simul esse bona, et cum iram Dei mereatur, non potest eundem movere ad gratiam conferendam. Et sane non decet, Deum uti ministro impio ad dona sua supernaturalia distribuenda.

Resp. S. Thomas respondet (2): « eandem actionem, in quantum fit ex prava intentione ministri, posse esse malam; bonam autem, in quantum fit ex intentione Domini; » scilicet Christi qui est causa principalis et minister primarius sacramentorum. Talis porro actio in quantum est mala, certe non movet Deum ad gratiam conferendam ministro, qui potius iram Dei incurrit; in quantum autem est bona, Deum movet ad conferendam gratiam iis, qui digne sacramentum suscipiunt. Neque Deum dedecet malo uti ministro ad gratiam conferendam. Nam Deus non utitur ministro impio, ut impio, sed praecise ut homine habente potestatem ministerialem ad aliorum utilitatem, non ad suam. Deus vero sic agendo clare ostendit, sacramentorum efficaciam a solis Christi meritis moraliter, et a se solo physice procedere. Imo Deus malo instrumento optimum effectum producens, sapientiam suam manifestat; et non permittens, a malo ministri statu efficaciam sacramentorum pendere, bonitatem suam commendat.

(1) Io. 2, 51. (2) 3 p., q. 82, art. 5 ad 3.

III. *De fide ministri.*

§ 502. Haec materia magnam habet cum praecedenti, de probitate ministri, affinitatem; est tamen admodum diversa. Extiterunt enim, qui licet admitterent, ad sacramentorum valorem probitatem ministri non requiri, omnino tamen negarunt, valere baptisma ab haereticis collatum, rectam in ministro fidem prorsus necessariam putantes. Huius sententiae saeculo tertio fuerunt *Cyprianus* Carthaginensis, *Firmilianus* Caesariensis in Cappadocia, et nonnulli alii tum Asiae, tum Africae Episcopi. Restitit autem his *Stephanus* romanus Pontifex, et doctrinam catholicam fortiter propugnavit, iuxta quam validus habendus est baptismus debita materia et forma ab haereticis collatus. Quamvis autem *Cyprianus*, *Firmilianus* aliique *Stephano* resistere praesumpserint, sententiamque suam variis rationibus confirmare tentaverint, nullum tamen exortum est schisma, sed vicit pax Christi in cordibus eorum, ut scribit *S. Augustinus* (3); imo, ut *Firmilianus* et *Cyprianus* fatentur, multi ex Asiae minoris et Africae Episcopis extitere, qui sententiam et praxim Romanae Ecclesiae sequebantur, atque ab haereticis tinctos non amplius baptizabant. Post mortem autem *Cypriani* ferme omnes Africae Episcopi victas dedere manus, vixque tenue rebaptizantium vestigium ea in

(3) L. 5 de bapt. c. Donat. c. 25.

regione superfüisset, nisi *Donatistae* errorem illum pene oblivioni traditum renovassent. His autem, praesertim Magni *Augustini* opera, mox penitus contritis, doctrina catholica hac ex parte incolumis mansit, donec a *Waldensibus*, *Albigensibus* et *Wicleffitis* iterum impugnaretur. Ipsi *Protestantes*, si *Anabaptistas* excipiamus, huic dogmati catholico non adversantur, et validum esse baptisma ab haereticis collatum nobiscum profitentur. — Fatendum vero est, hoc dogma catholicum in S. Scriptura conceptis verbis nullibi tradi, quamvis argumentum biblicum pro priori propositione adductum etiam ad praesens dogma probandum referri possit; nam si ex citatis Scripturae locis patet, Christum esse primarium sacramentorum ministrum, secundarium vero ministrum nonnisi instrumenti rationem habere, recte concludi potest, valorem sacramentorum sicut non a probitate, sic nec a fide ministri pendere. — Caeterum Theologi catholici consentiunt, quod dogma de valore baptismi ab haereticis collati, praecipue *ex constanti Ecclesiae fide et praxi*, atque *ex Conciliis* probandum sit, quibus *rationes theologicae* addi queunt.

1. *Ecclesiam* semper credidisse, validum esse baptisma ab haereticis debito modo collatum, constat ex eiusdem *consuetudine perpetua* non rebaptizandi eos, qui ab haereticis baptizati fuerunt. Quam quidem praxim ab Apostolis profectam esse patet, cum neque alicuius Romani Pontificis decreto, neque generalis alicuius Concilii canone instituta aliquando fuerit, et iam primis aevi christiani saeculis, sicut in Ecclesia Romana, ita etiam in aliis tum Orientis, tum Occidentis ecclesiis viguerit. Huius vetustissimae praxis testis est *S. Stephanus* R. P. et postea Martyr, qui Cypriano, baptisma haereticorum invalidum declaranti, rescripsit: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus imponatur in poenitentiam;* iis nempe qui ab haereticis rite baptizati in sinum Ecclesiae redeunt. Testis eiusdem praxis est ipse *Cyprianus*, qui non negabat, etiam in Ecclesia Carthaginensi ante Agrippinum haereticos sola manuum impositione receptos fuisse, et vetustam consuetudinem sibi contrariam sentiens, scribebat(1) ad Quintum: « Non est de consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum.» « Consuetudo enim, » ait scribens ad Pompeium, « sine veritate vetustas erroris est. » Testis est etiam *Firmilianus*, qui, licet iusto acrius in Stephanum inveheretur, attamen ne verbo quidem eundem accusat, quod ab avita fide et vetusta consuetudine recesserit: quinimo aliarum Ecclesiarum consuetudinem sibi contrariam esse, Cypriani et Firmiliani sectatores palam profitebantur. Testis porro est antiquissimus anonymus scriptor saeculi tertii, qui librum edidit ad rebaptizantium confutandum errorem, ad calcem opp. S. Cypriani ita inscriptum: Anonymi liber de rebaptismate. Testis est *S. Hieronymus* in Dial. adv. Luciferianos, qui refert, ipsum Hilarium Luciferianum Diaconum fateri, haereticos ad Ecclesiam redeuntes non per iteratum baptisma, nec per novam ordinationem, sed per solam poenitentiam receptos esse: Luciferiani enim admittebant quidem, baptismum haereticorum validum esse, negabant vero, validas esse eorum ordinationes: *S. Hieronymus* vero ostendit, eo ipso quod baptismus haereticorum validus est, ordinationes quoque validas esse. Testis est *S. Au-*

(1) Epist. 71

gustinus, qui (1), disserens de quaestione inter Stephanum et Cyprianum, ita praeclare loquitur: «Nondum erat diligenter illa baptismi quaestio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis et haereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est, sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. *Quam consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem:* sicut multa, quae non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, et tamen, quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur.» Testis est *Vincentius Lirin.*, qui publicis factis innixus (2), scribit: « Agrippinus Carthaginensis Episcopus primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium sacerdotum, contra morem atque instituta maiorum, rebaptizandum esse censebat. » Neque solus *Stephanus*, sed etiam posteriores romani Pontifices ad constantem et universalem Ecclesiae consuetudinem provocarunt, ut ostenderent, baptismum ab haereticis collatum non esse iterandum. Sic *Siricius P.* Epist. 1 ad Himerium Ep. Tarracon. scribit: « Prima paginae tuae fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle: quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet, et canones contradicant, et post cassatum Ariminense Concilium missa ad provincias a venerandae memoriae praedecessore meo *Liberio* generalia decreta prohibeant. » *Leo M.* (3) ait: « Hanc regulam (ut scitis) servandam in omnibus Ecclesiis praedicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Cuius ablutio nulla iteratione temeranda est, sed (ut diximus) sola sanctificatio Sancti spiritus (per impositionem manuum) invocanda est, ut quod ab haereticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur.» — *S. Gregorius M.* (4) interrogatus, an Nestoriani ad Ecclesiam redeuntes baptizari debeant, respondit: « Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut, qui apud haeresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrysmatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiae revocentur... quia sanctum baptisma, quod sunt apud haereticos consecuti, nunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter professionem verae fidei, sanctae et universalis Ecclesiae visceribus fuerint uniti. Hi vero haeretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiani et Cataphrygae et alii tales, cum ad Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi in S. Trinitatis nomine minime perceperunt.» Denique, ut Ecclesiarum Hispaniae consensus appareat, adlegari meretur praeclarus *S. Isidori Hisp.* locus, qui (5) dicit: «Haeretici, si tantum in Patris et Filii et Spiritus Sancti attestatione docentur baptisma suscepisse, non iterum baptizandi, sed solo chrysmate et manus impositione purgandi sunt. Baptismus enim non hominis est me-

(1) L. 2 de bapt. c. Donat. cap. 7.
(2) Commonit. cap. 6.
(3) Epist. 79 ad Nicet. c. 7.
(4) L. 9. Epist. 61. (5) L. 2 de offic. c. 24

ritum, sed Christi. Habet quidem baptismum Christi haereticus, sed quia extra unitatem fidei est, nihil ei prodest. At ubi ingressus fuerit, statim baptisma, quod habuerat foris ad perniciem, incipit illi iam prodesse ad salutem. »

2. *Concilia* tum particularia, tum generalia decretum Stephani confirmarunt, et baptisma ab haereticis recte collatum iterare interdixerunt. *Concilium Arelatense I* anno 314 habitum can. 8 ita decrevit : *De Afris, quod propria sua lege utuntur ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis devenerit interrogent eum symbolum, et si perviderint, eum in Patre et Filio et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. Concilium Nicaenum I* can. 8 statuit : *De his* (Novatianis), *qui se nominant Catharos, id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant.* Contra vero de Paulinianistis ad fidem conversis can. 19 aliter decrevit : *Si quis confugit ad Ecclesiam catholicam de Paulinianistis, statum est, rebaptizari eos omnino debere. Si qui vero Clerici erant apud eos, siquidem inculpati fuerint et irreprehensibiles, baptizati rursus etiam ordinentur ab Episcopo Ecclesiae catholicae,* cum invalide baptizati a suis, ab eis valide ordinari non potuerint. Rationem discriminis Paulinianistas inter et Catharos assignat *S. Innocentius I* (1) ad Episcopos Macedoniae scribens : « Paulinianistae in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti minime baptizabant ; et Novatiani eisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant : nec apud istos de unitate potestatis divinae, hoc est, Patris, Filii et Spiritus sancti quaestio aliquando mota est. » *Concilium CPtanum I,* oecumenicum II, can. 7 decernit, non esse rebaptizandos Arianos, Macedonianos, Novatianos etc., sed Eunomianos, Montanistas seu Phryges et Sabellianos : quia nempe priores ritum essentialem sacramenti servabant, posteriores vero formam corrumpebant. *Concilium Florentinum* in decreto *Unionis* dicit: *In causa necessitatis non solum sacerdos, et diaconus, imo etiam paganus, et haereticus baptizare potest, dummodo formam Ecclesiae servet, et facere intendat, quod facit Ecclesia.* Denique *Concilium Tridentinum* Sess. VI, can. 4 de bapt. expresse ac dilucide, nulla relicta contradicendi probabili ratione, rem hanc definivit, dicens : *Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptisma, anathema sit.*

3. *Ratio theologica* petitur ex dogmate praecedenti. Nam probitas seu charitas ministri ad valorem sacramentorum non requiritur, quoniam iste rationem dumtaxat instrumenti habet ; ex eadem vero ratione etiam recta eiusdem fides necessaria non est. Hac argumentatione iam *S. Augustinus* usus est c. Donat. (2) dicens : « Sicut urgeri videor, cum mihi dicitur : Ergo, haereticus dimittit peccata? sic et ego urgeo, cum dico : Ergo, qui coelestia mandata non servat, avarus, raptor, foenerator, invidus, verbis non factis saeculo renuntians, peccata dimittit ? — Si per vim sacramenti Dei, sicut ille, ita et ille ; si per meritum suum, nec

(1) Epist. 22.

(2) L. 4 de bapt.

ille, nec ille. » Et *S. Thomas* (1) inquit : « Quia minister in sacramentis instrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi. Sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis charitas, ita et fides : unde sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti, quod minister sit in charitate, sed possunt etiam peccatores sacramenta conferre, ut supra dictum est; ita non requiritur ad perfectionem sacramenti fides eius, sed infidelis potest verum sacramentum praebere, dummodo caetera adsint, quae sunt de necessitate sacramenti. » Nec obstat, quod haereticus non sit membrum Ecclesiae; nam, ait angelicus Doctor ibid. (2): « Potest aliquis operari per instrumentum carens vita, et a se separatum, quantum ad corporis unionem, dummodo sit coniunctum per quandam motionem; aliter enim operatur artifex per manum, et aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis et per bonos tanquam per membra viventia, et per malos tanquam per instrumenta carentia vita. » Alia ratio theologica petitur a paritate. Quemadmodum enim eaedem sunt (si integrae sunt) Scripturae apud haereticos et catholicos, licet aliter ab haereticis intelligantur : ita eadem sunt utrobique sacramenta si verbis evangelicis consecrata fuerint. « Sacramenta, inquit *S. Augustinus* (3), si eadem sunt, ubique integra sunt, etiamsi prave intelliguntur, et discordiose tractantur : sicut scriptura ipsius Evangelii, si eadem ipsa est, ubique integra est, etiamsi innumerabili falsarum opinionum varietate asseratur. » Denique si a fide ministri valor baptismi dependeret, perpetua oriretur incertitudo et anxietas animi circa salutem. Nam, addit *S. Augustinus* (4): « Quomodo de istis securi erunt, si conscientia dantis attenditur, quae latet oculos accepturi? Ita secundum eorum sententiam fit salus illa spiritalis incerta.... et speciem baptizandorum auferunt a Domino Deo, et in homine ponendam esse persuadent. »

Nota 1. *Cyprianus*, quamvis admitteret, validum esse baptisma ab improbo, sed catholico ministro collatum, negavit tamen valorem baptismi ab haeretico homine collati. Falsam vero sententiam suam non ex vetusta Ecclesiae traditione, quam sibi contrariam agnovit, sed argutis rationibus theologicis probare nisus est, quas refert et praeclare confutat *S. Augustinus* in libris de baptismo contra Donat., praecipue lib. IV, c. 5, etc.: Certe non minus utile, quam iucundum est, aliqua saltem de hac duorum virorum ingenii acumine praestantium disputatione delibare. — *a*) *Cyprianus* ait : « Baptizatus in haeresi non fit templum Dei : ideo pro non baptizato habendus est. » *S. Augustinus* reponit : « Nec avarus intus (idest in vera Ecclesia) baptizatus fit templum Dei, si ab avaritia non recesserit.... quae est idolorum servitus. Nam et hoc idem Apostolus dicit : Quae compositio templo Dei cum idolis? Non ergo de nobis quaeratur, cuius Dei templum fiat, quem dicimus, templum Dei non fieri. Nec tamen ideo non baptizatur, nec eius error immundus efficit, ut non sit sanctum sacramentum, quod accepit verbis evangelicis consecratum ; sicut nec illius avaritia, quae est idolorum servitus, et magna immunditia potest efficere, ut non sit sanctum baptisma, quod accipit, etiamsi ab alio avaro similiter per eadem verba evangelica baptizetur. » — *b*) Urget *Cyprianus*:

(1) 3 p., q. 64, art. 9. (2) Art. 5 ad 2.
(3) L. 3 c. Donat. c. 15.
(4) L. 1 c. Litt. Petil. cap. 3.

« Frustra, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis obiiciunt, quasi consuetudo maior sit veritate, et aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a Spiritu sancto revelatum. » *Augustinus* respondet: « Hoc plane verum est, quia ratio et veritas consuetudini praeponenda est. Sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri. » *c)* - Obiicit *Cyprianus*: « Non invenimus ab Apostolis aliquem, cum apud haereticos baptizatus esset, in eodem baptismo admissum esse, et communicasse. » Retorquet *Augustinus*: « Sed neque hoc invenimus, ab haereticis aliquem venientem, qui apud illos fuerit baptizatus, ab Apostolis denuo baptizatum. Sed illa consuetudo, quam etiam tunc homines sursum versus respicientes non videbant a posterioribus institutam, recte ab Apostolis tradita creditur... quam Ecclesia semper tenuit, et quam *plenarium Concilium* confirmavit: » (per quod S. Doctor iuxta Maurinos intelligit *Arelatense I*, et, iuxta *Norisium*, *Bossuetum*, *Natalem Alex. et alios Nicaenum I.*) — *d)* Instat *Cyprianus*: « Numquid potest vis baptismi maior esse aut potior, quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus confiteatur, et sanguine suo baptizetur? et tamen nec hoc baptisma haeretico prodest, quamvis Christum confessus extra Ecclesiam fuerit occisus. » *Augustinus* reponit: « Hoc verissimum est: extra Ecclesiam quippe occisus charitatem non habuisse convincitur. Quod si propter hoc, quia charitas deest, passio nihil prodest, nec illis prodest, quos invidia intus et malevolentia sine charitate vivere Paulus dicit, Cyprianus exponit: et tamen (fatente eodem) verum baptisma possunt et accipere et tradere. » — *e)* Dicit *Cyprianus*: « Salus extra Ecclesiam non est, et ideo nec validus baptismus, sed « adultera est aqua in baptismo haereticorum. » Respondet *Augustinus*: Salutem extra Ecclesiam non esse « quis negat? et ideo quaecunque ipsius Ecclesiae habentur, extra Ecclesiam non valent ad salutem. Sed aliud est non habere, aliud non utiliter habere. Qui non habet, est baptizandus, ut habeat; qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat, corrigendus. Nec adultera est aqua in baptismo haereticorum: quia nec ipsa creatura, quam Deus condidit, mala est, nec verba evangelica in quibuslibet errantibus reprehendenda sunt, sed error illorum, in quo adultera est anima, etsi a legitimo viro sacramenti habeat ornamentum. Potest igitur nobis et haereticis baptisma esse commune, cum quibus potest et Evangelium esse commune, quamvis a fide nostra error distet illorum. » Ad quod confirmandum S. Doctor repetit id, quod iam antea (1) dixerat: « De sacramento autem cum quaeritur, non utrum habeant aliquid frumenti zizania quaeritur, sed utrum habeant aliquid coeli: et exterioribus enim et interioribus zizaniis cum ipso tritico est pluvia communis, quae coelestis et dulcis est ipsa, etiamsi ex ea zizania steriliter crescunt: sic et evangelicum Christi sacramentum divinum et suave est, neque propter eorum sterilitatem, quos etiam foris compluit, improbandum. » - *f)* Denique *Cyprianum* scribentem ad Iubaianum: « Si viderint haeretici iudicio et sententia nostra id decerni et statui, ut baptisma iustum et legitimum computetur, quo illic baptizantur: putabunt, se Ecclesiam quoque, et caetera munera Ecclesiae iuste et legitime possidere. » *S. Augustinus* (2) ita explicat et confutat: « Non, ait, putabunt se munera

(1) Cap. 9, n. 13. (2) L. 5, c. 7, n. 8.

Ecclesiae possidere, sed iuste et legitime possidere. Nos autem, baptismum eos non iuste et legitime possidere, concedimus: non possidere autem, non possumus dicere, cum sacramentum dominicum in evangelicis verbis cognoscimus. Baptismum ergo legitimum habent, sed non legitime habent. Quisquis enim eum, et in unitate catholica, et eo digne vivens habet, et legitimum, et legitime habet: quisquis autem vel in ipsa catholica unitate, sicut palea commixta frumento, vel extra, sicut palea vento sublata habet, hunc baptismum legitimum quidem habet, sed non legitime. »

Nota 2. Argumento traditionis, ex qua dogma de valore baptismi ab haeretico collati vel maxime probatur, varia opponuntur, quae tamen illius vim infringere non valent.

Obi. I. Canones Apostolici baptismum ab haereticis collatum irritum declarant. Nam can. 45 dicitur: « Episcopum vel presbyterum, qui haereticorum baptismum, vel sacrificium admiserit, deponi iubemus. » Et can. 46: « Episcopus, vel presbyter eum, qui vere habet baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur. » Idem fere decernunt constitutiones apostolicae (1).

Resp. Canones illi, qui sub nomine Apostolorum circumferuntur, non fuerunt ab Apostolis editi, sed probabilius in fine saeculi tertii ex diversorum conciliorum particularium decretis collecti: citati vero canones probabilius excerpti fuerunt ex erratica rebaptizantium *Synodo Iconiensi* vel *Synnadensi*. Hinc nec *Cyprianus* nec *Firmilianus*, nec alii Episcopi rebaptizantes, cum undique ad suum errorem defendendum argumenta conquisivissent, unquam tamen illos canones attulerunt, qui decretorii plane fuissent. De canonibus illis apostolicis saeculo VII S. *Isidorus Hisp.* (2) ita sentiebat: « Canones qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum praebuerunt, pro eo quod ab haereticis sub nomine Apostolorum conscripti dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate canonica atque apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha deputata. » Hoc idem iudicium ferendum est de constitutionibus apostolicis, quas suppositicias esse critici ostenderunt (3). Caeterum nonnulli cum *Beveregio* contendunt, in canonibus apostolicis irritum duntaxat pronunciari baptismum, qui collatus sit ab haereticis formam vitiantibus, cuiusmodi fere omnes erant haeretici duorum, aut trium priorum saeculorum, Hermogeniani, Praxeani, Cataphrygae, Valentiniani, Marcionitae, Quintilianistae, Gnostici etc. Siquidem can. 47 (al. 46) constituitur, ut baptismus rite collatus denuo non administretur. Huic observationi congruit titulus antiquus citati canonis vulgatus a *Cotelerio*, sic inscriptus: *De iis, qui iterum baptizant baptizatos ab haereticis*. Caput vero 15 (4) nil aliud constituit, nisi quod a can. apost. sancitum iam fuerat (5).

Obi. II. Ex traditione nequit probari, valere baptismum ab haereticis collatum. Contrarium enim docuerunt Patres. *Tertullianus* (6) dicit: « Non idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est, idem: ideoque nec baptismus unus quia non idem,

(1) L. 6, c. 15.
(2) Ap. Gratian. Dist. 16, cap. 1.
(3) Cf. Natal. Alex. in Hist. eccl. saec. 1, Diss. 18 et 19.
(4) L. 6 const. apost.
(5) Cf. Perrone De Sacr. c. 3, n. 117 in nota.
(6) L. de bapt. c. 15.

quem, cum rite non habeant, sine dubio non habent.» *S. Dionys. Alex.*(1) scribit: « Illud didici, non ab Afris solis hunc morem (rebaptizandi baptizatos ab haereticis) nunc primum invectum fuisse, sed et multo antea superiorum Episcoporum temporibus in Ecclesiis populosissimis et conciliis fratrum apud Iconiam et Synnada, et apud alios plurimos idem fuisse sancitum.» Dionysio consonat *Firmilianus*, ita ad Cyprianum scribens: «Nos veritati et consuetudinem iungimus... ab initio hoc tenentes, quod a Christo et ab Apostolis traditum est. Nec meminimus, hoc apud nos aliquando coepisse, cum semper isthic observatum sit, ut nonnisi unam Ecclesiam nossemus, et sanctum baptisma nonnisi sanctae Ecclesiae computaremus. » *S. Athanasius* (2) Arianorum baptismum « vacuum et inutilem esse dicit, etiamsi nomen Patris et Filii, ut praecipit scriptura, proferre assimulent; non enim, qui dicit Domine, ille etiam dat, sed is tantum, qui cum nomine rectam quoque habet fidem. » Et rursus (3) de haereticis loquens ait: « Inutilis est aqua, quam donant, quippe cui desit pietas: ita ut quemcunque illi asperserint, impietate foedetur potius, quam redimatur. » *S. Basilius* (4) scribit: «Antiqui illud baptisma suscipiendum putaverunt quod nihil a fide recedit; » et mox addit: « Visum est antiquis (Cypriano, dico, et nostro Firmiliano) haereticorum quidem baptisma penitus reiicere, schismaticorum vero, ut adhuc in Ecclesia existentium, admittere. » *S. Optatus Milev.* (5) recipit ut validum baptismum schismaticorum, baptismata vero haereticorum repudiat ut irrita. *S. Gregorius Naz.*, in Orat. 40, n. 26, eos refellens qui in receptione baptismi ministros exquirebant maioris dignitatis, inquit: « Tibi quivis ad purgationem satis idoneus est, modo inter probatos censeatur, ac non aperte condemnatus sit, atque ab Ecclesia alienus... Quamvis enim alius alium vitae probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est, ac quivis tibi initiator sit, qui modo eadem fide informatus est. » *S. Cyrillus Hier.* (6) ait: «Non licet bis, aut ter hoc lavacro uti... unus enim Dominus, et una fides, et unum baptisma. Haeretici soli rebaptizantur, siquidem illud prius baptisma non erat.» Ergo doctissimi et piissimi Patres iudicarunt, non valere baptisma ab haereticis collatum.

Resp. Ut haec difficultas solide enodetur, duplex distinctio prae oculis est habenda. Distinguendum nempe est inter haereticos, qui formam sacramenti adulterant, et inter eos, qui illam servant. Ecclesia catholica semper credidit et docuit, adulterata forma nullum esse baptismum: quapropter haereticos, qui non debita forma utebantur, semper per baptismum in suum gremium suscepit: nullatenus vero rebaptizavit haereticos, iam a suis debita materia et forma baptizatos. Distinguendum pariter est inter sacramentum et effectum, seu gratiam sacramenti. Iuxta constantem Ecclesiae catholicae doctrinam minister haereticus confert sacramentum et effectum sacramenti, quantum est ex se, et si non sit obex ex parte recipientis; sed quia recipiens consentiendo haeresi ministrantis, aut absque tali consensu recipiendo ab eo sacramentum extra casum necessitatis, peccat mortaliter, inde ponit obicem gratiae, et ideo recipit quidem sacramen

(1) In Epist. ad Philemon. (ap. Euseb. l. 7 Hist. eccl. c. 7.)
(2) In Orat. 2 c. Arian. n. 42. (3) N. 43.
(4) In Epist. 188, can. 1 ad Amphilochium.
(5) Lib. 1 c. Parmen.
(6) In protocatechesi.

tum, sed non effectum, seu gratiam sacramenti. Ex defectu huius distinctionis non satis explicatae controversiam de valore baptismi ab haereticis collati exarsisse, testatur *S. Augustinus* (1) scribens: « Non ob aliud... visum est quibusdam etiam egregiis viris, Antistitibus Christi, inter quos praecipue eminebat *B. Cyprianus*, non esse posse apud haereticos vel schismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur sacramentum ab effectu, et usu sacramenti; et quia eius effectus et usus in liberatione a peccatis, et cordis rectitudine apud haereticos non inveniebatur, ipsum sacramentum non illic esse putabatur. » His praenotatis, ad singula Patrum testimonia nobis obiecta respondere licet. — *Tertullianus* Agrippino aut suppar, aut posterior, probabiliter eiusdem ac concilii ab eo celebrati auctoritatem in errorem pertractus fuit, quamvis non desint, qui Agrippinum fuisse a Tertulliano seductum suspicentur. Alii vero utrumque negant, quia Cyprianus, qui Tertullianum ut suum Magistrum venerabatur, nunquam eius testimoniis usus est, atque ideo haud immerito contendunt, citata verba intelligenda esse de rebaptizandis tantum iis haereticis, qui vitiata forma evangelica initiati erant. — *S. Dionysius Alex.* a S. Hieronymo de errore rebaptizantium accusatur, sed a multis ab isto errore vindicatur, quia in Epistola tertia ad Philemonem (2) testatur, se ab Heracla, suo in Alexandrina sede praedecessore, accepisse: « eos, qui ab haereticis veniebant... post multas preces purgatos... » ad communionem admittendos, « nequaquam existimans, iterato baptismate eis opus esse; » quia in Epistola ad Xistum R. P. (3) fatetur, se ausum non esse hominem rebaptizare, qui iam ab haereticis initiatus fuerat; quia se pacis sequestrem praestitit cum Stephano R. P. ne rebaptizantes excommunicaret, quin horum errorem defenderet, aut Stephani decretum carperet; et quia S. Basilius in Epist. ad Amphil. can. 1 miratur, quomodo Dionysius quem magnum et canonum peritum nominat, ratum habere potuerit baptisma Pepucenorum, seu Montanistarum, qui formam debitam non servabant; contendunt ideo critici, S. Hieronymum memoriae lapsu deceptum esse, et S. Dionysium in citatis verbis nonnullarum Ecclesiarum fidem et praxim recensuisse quidem, sed non approbasse. — *Firmilianus* immerito ad universalem Ecclesiae consuetudinem provocat, cum ipsemet in eadem Epistola admittat, diversam in Ecclesia Romana consuetudinem viguisse; Cyprianus pariter vetustam consuetudinem sibi contrariam esse non diffitebatur, dicens (4): « Consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Propter quod, relicto errore, sequamur veritatem; » et in *Concilio Carthaginensi III* ea vox erupit: « In Evangelio Dominus: Ego sum, inquit, veritas; non dixit: Ego sum consuetudo. » — Verba *S. Athanasii* non de substantia, sed de effectu sacramenti exponenda sunt, ita ut hoc unum voluerit, nullum scilicet quoad effectum esse baptisma ab haereticis datum illis, qui haeresi consentiunt: id patet ex eo, quia affirmat, baptismum illum « inutilem esse et vacuum, qui nihil ad pietatem conferre valet; » et quia ait, Arianos venire in periculum amittendae integritatis baptismi; si autem invalidum et irritum existimasset baptisma collatum ab Arianis,

(1) L. 6 de bapt. c. Donat. cap. 1.
(2) Ap. Euseb. l. 7, c. 7.
(3) Ibid. c. 9.
(4) Epist. 74 ad Pompeian.

absolute pronuntiasset, Arianos amisisse integritatem baptismi; idcirco autem asserit, eos in periculum dumtaxat venire, ne amittant integritatem baptismi, quia, cum errarent illi contra sanctissimam Trinitatem, facillimum erat, ut ipsi suum in formam baptismatis errorem transfunderent. Porro si Athanasius nullum et irritum quoad substantiam existimasset baptismum, procul dubio baptizatos ab illis rursus baptizari iussisset, pro more nimirum Cypriani, Firmiliani et aliorum rebaptizantium: at tantum abest, ut eos rebaptizari iusserit; quin in Epist. ad Rufinianum iubet veniam ipsis concedi, Clericis vero honorem gradus duntaxat denegari: et in *Concilio Alexandrino* anno 362 decernit, « nihil amplius ab illis exigi, quam ut execrentur Arianam haeresin, confiteanturque Ss. Patrum in Nicaea fidem; » multos porro ex illis in haeresi baptizatos ab Arianis fuisse, testatur Socrates (1). — *S. Basilium* nonnulli de errore rebaptizantium vindicari non posse contendunt, alii vero putant, eum *haereticorum* nomine eos intellexisse, qui formam baptismi corrumpebant; schismaticorum vero nomine eos, qui verbis evangelicis hoc sacramentum conferebant. Caeterum praetereunda non est S. Basilii modestia, qui ita suae opinioni adhaerebat, ut adversae non repugnaret; inquit enim in Epist. (2) ad Amphiloch.: « Sed quoniam nonnullis Asiaticis visum est, eorum baptisma, pluribus consulendi causa, suscipiendum esse, suscipiatur. » Et alibi dicit: « Nos una ratione tales (haereticos) rebaptizamus. Quod si apud vos prohibita est rebaptizatio, sicut et apud Romanos oeconomiae alicuius gratia, nostra tamen ratio vim obtineat; » unde etiam optabat, Episcopos plures in unum convenire, ut controversia finiretur. — Verba, quae ex *S. Optato Milev.* citari solent, obscura sunt atque ambigua. Ast decretum *Concilii Arelatensis* fuisse in Africa communi consensu receptum, constat tum ex *Concilio Carthaginensi* anno 349 habito, tum ex *S. Hieronymo* (3) dicente: « Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos haereticos cum eo (Cypriano) statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum. » Iam vero, his constitutis, sana ratio dictat, non posse nec debere S. Optatum ex quibusdam obscuris verbis accusari illius erroris qui ipsius aetate iam fuerat a tota Africa eliminatus. *S. Gregorius Naz.* non loquitur de valida, sed tantum de licita sacramentorum administratione et susceptione, quae certe apud haereticos non est, sicuti etiam non invenitur inter ministros *non probatos*, a quibus S. Pater non vult, baptismum esse petendum; quod si baptismi ministrum exigit, « qui eadem fide informatus est, » nil aliud requirit, nisi ministrum, qui informatus sit, quo modo, seu quibus verbis baptismus conferendus sit. *S. Cyrillus Hier.* non loquitur nisi de iis haereticis, qui forma vitiata utebantur, quales illo tempore multi fuerunt; illud enim adverbium: ἐπειδή, quod latinus interpres vertit *siquidem*, alio sensu Graecis non inusitato vertitur per *ubi* vel *quando*, quasi dicere voluerit: haeretici soli rebaptizantur, ubi vel quando illud prius baptisma non erat, scilicet quando forma erat vitiata. — His aliis modis plerique ex adductis Patribus ab errore orthodoxae fidei contrario vindicari possunt. Qui autem putat, tales vindicias sat solidas non esse, meminerit, per unius, aut etiam aliquorum Patrum dis-

(1) L. 2 Hist. c. 44. (2) Ep. 200 seu can. 2. (3) Dial. adv. Lucif., n 23

sensum argumentum Traditionis non infringi, quod ex constanti et universali Ecclesiae consensione petitur. Audiendus est *Vincentius Lirin.*, qui in aureo suo commonitorio (1) ita disserit: « Hac lege credendum est, ut quidquid vel omnes, vel plures uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter velut quodam consentiente sibi Magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quidquid vero, quamvis ille sanctus et doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor et Martyr, praeter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias et occultas, et privatas opiniunculas a communis, publicae ac generalis sententiae auctoritate secretum sit. » Egregie etiam cl. *Perrone* (2) inquit: « Animadvertere debemus, Ecclesiae Patres interdum esse traditionis testes, interdum simplices disputatores aut philosophos. Dum Patres assertiones quasdam historice proponunt, ut ita loquar, tanquam a Deo revelatas, et in communi totius Ecclesiae doctrina inclusas, tunc Patres sunt universae traditionis testes, eamque obtinent auctoritatem, qua Patres et Ecclesiae Doctores praestant. Nam christiana fides revelatione divina fulcitur; revelatio autem, dum *in facto* consistat, evinci unice per testimonia potest, nequaquam vero per solas doctrinales discussiones et ratiocinia. Dum Patres solum ratiocinantur, tum vix, aut ne vix quidem a philosophis differunt, qui ea tantum auctoritate gaudent, quam sibi vindicat vis intrinseca rationum, quae ab ipsis praeferuntur. Quo posito, Africani et Orientales Episcopi, confitentes consuetudinem a Stephano assertam, se praebebant velut testes traditionis, eo nimirum praeditos charactere, per quem solum possunt et debent haberi sicut Ecclesiae Patres; ideoque, nedum baptismi ab haereticis collati valorem impugnent suis testimoniis, luculenter confirmant. Contra vero, cum istius baptismi validitatem ratiociniis et cavillationibus evertere nituntur, tunc ii nobis sunt veluti disputatores, quibus obsequium illud minime debetur, quo Ecclesiae Patres catholici semper prosecuti sunt. » — Notandum porro est, Patres, qui baptismum ab haereticis collatum nullum et irritum esse putaverunt, a culpabili errore excusari posse. Nam plerique ex obiectis Patribus, non exceptis Cypriano et Firmiliano, spectarunt hanc quaestionem veluti disciplinarem, minime vero ut dogmaticam, ac proinde satius esse duxerunt, propriae Ecclesiae, ad quam spectabant, consuetudinem sequi, quin contrariam praxin, quam in aliis Ecclesiis, praesertim vero Romana, vigentem noverant, impugnarent aut reprehenderent. Neque illi culpabilis contra fidem erroris accusari possunt, qui post *Concilia Arelatense I* et *Nicaenum I* aberraverant. Nam canones *Arelatensis Concilii* in causa Donatistarum habiti multis Orientalibus ignoti fuerunt. In *Concilio* autem *Nicaeno* nullus canon exhibet expressum, et generale decretum de haereticorum baptismo, sed hoc ex duobus canonibus legitima tantum deductione colligitur, quia can. 8 *Cathari* ad Ecclesiam venientes impositione manuum recipiendi dicuntur, et can. 19 *Paulinianistae* baptizari iubentur. Discrimen, si quis attente inquirat, in eo situm deprehendet, quod, ut notavit *Innocentius I* Cathari, non autem Paulinianistae debitam formam servarunt. Hanc discriminis rationem quicunque observabit, quaestionem de baptismo Nicae-

(1) Cap. 39. (2) De sacr. ingen. c. 3, n. 109.

nis canonibus definitam deprehendet. Cum vero haec discriminis ratio ex ipsorum canonum verbis non incurrat statim in oculos, nil mirum, si non omnes, qui legerunt ipsos canones, eandem quaestionem ipsis canonibus definitam putaverunt; nihilque pariter mirandum, si ob eiusdem animadversionis defectum *S. Basilius* ad eam quaestionem definiendam aliquod concilium desideravit, et a Nicaenis Patribus definitam non animadvertens causam varietatis ea in materia diversae disciplinae et oeconomiae vindicavit. *S. Augustinus* ipsum Cyprianum quadam excusatione dignum censet, quia nondum huius dogmatis solemnis definitio prodierat; quia existimavit, agi solum de re disciplinari, et quia errorem « charitatis ubertate compensatum passionis falce purgavit » (1).

Nota 3. Quae hactenus dicta sunt, ostendunt, ad valorem baptismi non requiri rectam ministri fidem, sed validum etiam esse baptisma ab haereticis debita materia et forma collatum. Hoc est dogma catholicum in *Concilio Tridentino*(2) expresse definitum. Ex hoc autem dogmate recte infertur, etiam ad valorem reliquorum sacramentorum non requiri fidem ministri. Excipitur tamen sacramentum poenitentiae, quod ab haereticis manifestis et excommunicatis vitandis administrari valide non potest, quia ad exercendum sacrum illud iudicium et absolutionis sententiam valide ferendam, necessaria est ministro, ut iudici, iurisdictio, qua penitus destituuntur haeretici manifesti et excommunicati, utpote a corpore Ecclesiae praecisi. Haec propositio equidem de fide non est, sed tamen certa et fidei proxima. Eadem enim ratio, quae suffragatur valori baptismi ab haereticis collati, suffragatur pariter valori caeterorum sacramentorum, quae omnia Christi sunt. Quare quae de baptismo dicuntur, ob intimam analogiam de reliquis etiam sacramentis dicta intelligi debent. Idcirco *S. Hieronymus* in Dial. adv. Lucif. ait: « Eadem ratione episcopum ab Arianis recipio, qua tu recipis baptizatum; » et in fine eiusdem Dialogi scribit: Ecclesia « Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat. » Et *S. Augustinus* (3) scribit: « Si Deus adest sacramentis et verbis suis, per qualescunque administrentur et sacramenta ubique recta sunt, et mali homines, quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt... Cur ad verba, quae procedunt ex ore homicidae, possit tamen Deus oleum sanctificare, et in altari, quoad posuerunt haeretici, non possit, nescio. » Idem patet ex usu et antiquissima praxi Ecclesiae, quae Clericos haereticos, aut schismaticos cum suis gradibus, et honoribus saepe recepit, et quidem absque nova ordinatione. Sic *Concilium Nicaenum I* can. 8 iubet, ut Novatiani in clero permaneant, si ad Ecclesiam catholicam aliquando veniant; *CPtanum III* Episcopos et Clericos a Monothelitis ordinatos, *Nicaenum II* Iconoclastas post emissam catholicae fidei professionem absque nova ordinatione recepit cum suis gradibus. Equidem *Morinus* (4) probare nisus est, universalem sensum et praxim Ecclesiae fuisse, reiterandi saltem sacramentum confirmationis in iis, qui ab haereticis, vel schismaticis chrismate consignati fuerant; in quam sententiam concessit etiam *Maldona-*

(1) L. 1 de bapt. c. 18. Cf. Tournely de sacr. in gen. q 7. art. 2; Sardagna, tom. 6, art. 1, contr. 7. (2) Sess. 7 de bapt. can. 4.

(3) L. 5 de bapt. c. 20.
(4) L. 9 de poenit. cap. 11

tus (1). Ast eruditissimus *Christianus Lupus* in Dissert. de octava Synodo (2) ostendit, deceptos illos scriptores fuisse, cum in monumentis, quae illi adducunt, non agatur nisi de poenitentiae sacramento, quod iuxta diversos effectus, quos in illis producit, quibus confertur, interdum a Veteribus dicebatur dari in aliis *in poenitentiam*, in aliis *in Spiritum sanctum*. Hinc inde vero sacramentum confirmationis irritum declaratum est ob requisitae potestatis defectum. Sic *Nicolaus I* iussit iterari confirmationem a Photianis factam, quia Bulgaria spectabat ad patriarchatum Occidentis, quare a romanis Pontificibus Bulgariae presbyteris delegatio et ius conferri debebat ut sacramentum confirmationis administrare potuerint; nulla vero erat delegatio, facta a Photio, qui nullam in patriarchatum Occidentis excercere poterat auctoritatem; ex huius propterea delegationis defectu irritam declaravit Nicolaus I chrismatis consignationem factam a graecis presbyteris.

IV. *De intentione ministri.*

§ 503. Intentio generatim est actus deliberatus, quo voluntas aliquid agere vel omittere decernit, seu, ut ait *S. Thomas* (3), «Intentio nominat actum voluntatis, praesupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem.» Quapropter nomine intentionis in sacramentorum administratione intelligitur actus ille, quo quis deliberat materiam cum forma coniungere iuxta ritum in Ecclesia praescriptum, ad efficiendum sacramentum. Talem intentionem ad valorem sacramenti in ministro requiri, constans est Catholicorum doctrina. Ast orthodoxam fidem hac in re quoque deseruerunt Novatores. Cum enim intrinsecam sacramentorum efficaciam inficientur, totamque iustificandi vim soli fidei tribuant, quae per sacramenta excitatur: necessario in alium errorem delapsi sunt, ut nullam requiri docerent, in eorum ministro intentionem, adeo ut sacramenta etiam mimice et lusorie collata valeant, quia etiam hoc modo possunt in suscipiente excitare fidem, quae sola vim habet iustificandi. Mentem suam *Lutherus* aperuit (4) scribens: «Non in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide vel usu sita est virtus baptismi; sicut legimus exemplum de quodam mimo per iocum baptizato... cum soli fidei omnia, et nihil ritibus debeamus.» *Lutheri* vestigiis inhaerens *Chemnitius* (5) docuit, valide fieri sacramenta, «modo applicetur forma materiae, etiamsi absque intentione recta applicetur, sed e contra cum perversa interiori vel exteriori vel etiam nulla.» Nec alia est *Calvini* eiusque gregalium doctrina, a qua recedere non possunt, nisi ab alio capitali errore recedant, a quo iste recta consecutione dimanat, nempe iustificationis gratiam non a sacramentis ipsis, sed a fide, quae per sacramenta excitatur, esse repetendam. — Novatores autem hac in re longe a veritate aberrare, et ad valorem sacramenti in ministro requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ita ut sacramentum exterius mimice, seu irrisorie, seu a ministro rationis impote collatum, sit nullum, *ex S. Scriptura*, *ex Traditione* et *ex rationibus theologicis* probatur.

1. *In S. Scriptura* ita supponuntur sacramenta instituta a Christo, ut

(1) De Sacr. confirm. tom. 1, q. 2.
(2) Tom. 3, column. 4 ed. Venet.
(3) 1 2, q. 12, art. 1 ad 3.

(4) In lib. de captiv. babylon.
(5) P. 2 Exam. Conc. Trid. Loc. 1, Sect. 10.

voluerit ea fieri dependenter ab intentione ministri. Nam (1) Paulus dicit : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Christus nempe ipse Apostolis (2) praeceptum imposuit, *ut baptizent ;* mandavit, ut quod ipse in ultima coena eucharistiam conficiens et distribuens gessit, *hoc facerent in suam commemorationem* (3) ; amplam dedit potestatem peccata dimittendi ac retinendi (4) ; iniunxit quoque, ut suam potestatem in alios transferrent, seu alios ordinarent etc. Dispensator autem ac minister fidelis debet id velle facere, quod vult ille, cuius est minister. Quid vult autem Christus sacramentorum auctor, dum ministris suis facultatem concedit, imo et praeceptum imponit dispensandi sua sacramenta? — vult profecto ut baptizent, peccata remittant, orent ut remittantur, ut eucharistiam in memoriam Christi perficiant, ut ministris, qui ordinantur, potestatem conferant ordini, quem recipiunt, consonam ac congruentem etc. An porro vere baptizare dicendus est ille, qui non vult baptizare, sed baptismi ritum fingere? an peccata remittere, qui ea remittendi animum non habet ? an eucharistiam in memoriam passionis Christi celebrare, et in persona Christi consecrationis verba pronuntiare, qui haec pure materialiter pronuntiat, nec id intendit facere, quod Christus fecit? an potestatem ministris, qui ordinantur, conferre, qui eam conferre non vult? etc. De tali profecto dici nequit, quod ministrum Christi agat et dispensatorem mysteriorum Dei. Quod confirmatur a pari. Ille etenim non censetur agere Legatum Principis, qui histrionico vestitu, aut crapulam exhalans de pace, aut bello pacisciatur ; neque iudicis illius sententia habetur valida, quam ludicro modo, aut in caupona media inter pocula tulit. Ergo multo minus sacramenta, quae religionis nostrae sunt mysteria sacratissima, erunt valida, si nonnisi mimice et sine debita intentione administrentur.

2. *Traditio* sententiae Novatorum penitus contraria, necessitatem intentionis ostendit. Nam secundum veterem Ecclesiam nulla reputata sunt sacramenta, sine debita intentione collata. Id ostendit decisio *Cornelii* Papae, qui una cum Synodo 65 Episcoporum irritam declaravit ordinationem Novatiani, qui « tres Epicopos temulentos et crapula oppressos, adumbrata quadam et inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim coëgit,» ut refert *Eusebius* (5) aliquot exhibens fragmenta epistolae Synodalis a Cornelio R. P. ad Fabium Antiochenae Ecclesiae Praesulem missae. Ita pariter *Firmilianus*, Caesareae in Cappadocia Episcopus, nullum declaravit baptisma a femina energumena collatum. Utraque decisio non alia ex ratione facta est, nisi quia neque in temulentis Episcopis, neque in femina energumena talis esse credebatur rationis usus, unde intentio necessaria haberi possit. Posterioribus saeculis Ecclesia fidem suam de necessitate intentionis a ministro sacramentum conficiente habendae clarius manifestavit. Nam *Martinus V* in *Concilio Constantiensi* an. 1418 homines de Wicleffismo suspectos interrogari iussit, « an credant, quod malus sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere baptizet, et vere conferat alia sacramenta; » requirebatur ergo iam illo tempore praeter materiam et formam intentio mi-

(1) 1 Cor. 4, 1.
(2) Matth. 28, 19.
(3) Luc. 22, 19.
(4) Io. 20, 23.
(5) L. 6 Hist. eccl. c. 43.

nistri faciendi quod facit Ecclesia; quam certe non habet, qui exterius sacramenta nostra subsannat. *Eugenius IV* in suo decreto pro Armenis, post enumerata septem novae legis sacramenta, inquit: *Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Haec igitur ministri intentio non minus ad sacramentum conficiendum requiritur, quam materia et forma. Cum *Lutherus* communem hanc Ecclesiae fidem impugnaret, *Leo X* ad ipsius temeritatem compescendam anno 1520 hanc eiusdem propositionem damnavit n. 12: « Si sacerdos non serio, sed ioco absolveret, si tamen (confessus) credat se absolutum, verissime absolutus est. » Demum in *Concilio Tridentino* contra Lutheranos et Calvinistas hoc dogma definitum est. Nam Sess. VII de sacr. in gen. can. 11 legitur: *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Et Sess. XIV, can. 9: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat, anathema sit.* Tridentinae definitioni subscribunt etiam schismatici Graeci. In Synodo enim *Hierosolymitana* habita a *Dosytheo* Patriarcha, anathema ei dictum est, qui asseruerit, Episcopos et sacerdotes non debere *necessario habere intentionem saltem generalem faciendi quod facit Ecclesia.* Et in Orthodoxa confessione Ecclesiae Orientalis (1) inter necessaria ad conficiendum mysterium seu sacramentum, exigitur etiam *fixa et determinata ministri intentio;* unde apparet hac in re Orientis et Occidentis consensus.

3. *Rationem theologicam* affert *S. Thomas* (2) dicens: « Quando aliquid se habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero, quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi, sicut ablutio aquae, quae fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem et ad sanitatem corporalem, et ad ludum et ad multa alia huiusmodi: et ideo oportet, quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis: et haec intentio exprimitur per verba, quae in sacramentis dicuntur, puta cum dicit: Ego te baptizo in nomine Patris, etc. » Idem Angelicus (3) quaerit, utrum recta intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti? Ita vero respondet: « Intentio ministri potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius sacramenti, puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere; et talis perversitas tollit veritatem sacramenti, praecipue quando suam intentionem exterius manifestat. Alio modo potest perverti intentio ministri quantum ad id, quod sequitur sacramentum; puta, si sacerdos intendat aliquam feminam baptizare, ut abutatur ea, vel si intendat conficere corpus Christi, ut eo ad veneficia utatur. Et quia prius non dependet a posteriori, inde est, quod talis intentionis perversitas veritatem sacramenti non tollit, sed ipse minister ex tali intentione graviter peccat. » Et ib. (4) repetit, « quod intentio ludicra, vel iocosa excludit illam rectitudinem in-

(1) Quaest. 101. (2) 3 p., q. 64, art. 8. (3) Art. 10. (4) Ibid. ad 2.

tentionis, per quam perficitur sacramentum. »

Nota 1. Argumenta, quae pro re sua adversarii proferunt, facile enervantur.

Obi. I. Historia ecclesiastica refert exempla baptismi ioculariter administrati, quod tamen ut validum probatum fuit. Celebris est conversio *Genesii* histrionis, qui in theatro mysteria Christianorum irridens, ab alio mimo ex ioco baptizatus est, et mira Christi gratia ad fidem conversus, nec unquam rebaptizatus, martyrium pro Christo sustinuit et inter sanctos ab Ecclesia colitur. Multo celebrius est factum, quod narrat *Sozomenus* (1) nempe *S. Athanasium* admodum puerum ab aliis pueris sibi aequalibus fuisse per lusum Episcopum creatum; « et quosdam pueros, qui nondum initiati erant, ab illo fuisse baptizatos. » Cum autem *Alexander*, Episcopus Alexandrinus, « omnia iuxta ordinem ecclesiasticum exacte in illis observata fuisse deprehendisset, communicato consilio cum sacerdotibus, quos circa se habebat, censuit, non rebaptizandos esse eos, qui in simplicitate divinam gratiam semel percipere meruerunt. » Idipsum *Ruffinus* (2), *Socrates* (3) et alii enarraverunt. Porro, referente *S. Augustino* (4), *Dioscorus* quidam Architheater baptismum ficto animo susceperat, sed postea paralysi a Deo punitus et in somno admonitus, facti poenitens sanitatem recuperavit; « sicque, ait *Augustinus*, omnis est ab eo deleta nugacitas: » non tamen repetitum fuit baptisma, simulate seu nugaciter receptum. Denique *Nicephorus* (5) refert, ab Episcopo CPtano fuisse approbatum baptismum a quibusdam pueris infanti hebraeo collatum.

Resp. Ritus sacramentalis duobus modis exerceri potest per iocum et ludum: uno modo, ut vere intendatur fieri quod facit Ecclesia, quamvis secundario referatur ad ludum et animi oblectationem tanquam ad finem extrinsecum; altero modo, ut omnino simulate et mimice repraesentetur, eo modo, quo Iudaei coram Christo genuflectebant, eumque regem salutabant. Sacramentum hoc secundo modo collatum, est nullum, quia ludus actioni sacramentali est intrinsecus, ideoque integritati sacramenti officit. At primo modo collatum, est validum, non minus quam sacramentum, quod minister confert lucri causa: sicut enim intentio lucri est extrinseca substantiae operis et ipsam non destruit, ita intentio se recreandi. His praenotatis facile est ostendere, adducta exempla doctrinae catholicae non adversari. Historiam enim *Genesii* multi ut fabulosam reiiciunt ob silentium veterum scriptorum usque ad saeculum nonum, quo *Ado* Viennensis Martyrologium suum concinnavit, ob discrepantiam scriptorum recentiorum in eo facto enarrando, ob circumstantias prorsus incredibiles etc. Alii tamen cum *Bollandistis*, *Ruinart* et aliis historiam veram reputant, quia *Ado* non proprio marte haec scripsit, sed Acta antiqua refert, quae simplicitate sua se commendant, ac propterea a *Tillemontio* aliisque Criticis genuina censentur. Sed qui veritatem historiae admittunt, nullatenus contendunt, validum fuisse baptismum mere ioculariter collatum, sed asserunt, *Genesium* inter sanctos coli non propter invalidum baptismum aquae, sed potius propter baptismum sanguinis, quem, saeviente Diocletiani persecutione, fortiter pro-

(1) L. 2 Hist. eccl. c. 15.
(2) L. 1 Hist. eccl. c. 14. (3) L. 1, c. 11.
(4) Epist. 227 ad Alypium.
(5) L. 3 Hist. eccl. cap. 37.

pter Christum dedit. — Baptismus ab *Athanasio* pueris collatus merito a Criticis in dubium vocatur: hoc factum enim, silentibus antiquioribus et coaevis scriptoribus, ex dubia fama primum narravit *Ruffinus*, ex quo illud reliqui descripserunt. Praeterea constat ex *Eusebio* (1) Alexandrum sedem Alexandrinam conscendisse anno 313 vel 314, Athanasium vero anno 320 Epistolae Synodicae Alexandri tanquam Diaconum subscripsisse: non poterat ergo anno 314 *admodum puer* esse, quia more illius aevi clerici ad diaconatus ordinem ante annum vigesimum quintum non promovebantur, nec ad Episcopatum ante trigesimum, cum tamen Athanasius iam anno 326 Alexandro successerit. Quodsi factum ita contigisset, prouti narratur, ex eo nihil contra doctrinam catholicam inferri potest, quia rata habita sunt eiusmodi baptismata ab Alexandro, postquam deprehendit in Athanasio animum imitandi ideoque et faciendi quod in Ecclesia fieri vidit; prout subdunt iidem historici. — In textu *S. Augustini* non est legendum *Architheater*, sed *Archiater* (proto-medicus): neque Dioscorus inter ludendum et in theatro baptizatus fuit, sed in solemnitate paschali post votum saepius emissum et neglectum libere et valide baptisma suscepit; sed, ait *S. Augustinus*, « Symbolum tamen non tenuerat, aut fortasse tenere recusaverat, et se non potuisse excusaverat. » Sed cum postea in poenam suae inobedientiae factus esset paralyticus, tandem resipuit, « sicque omnis est ab eo deleta nugacitas ; » quae postrema verba non significant, baptismum fuisse a Dioscoro nugaciter aut ficte susceptum, sed significant, eum ita sincere fuisse religionem christianam amplexatum, ut non amplius ei insultaret, ut prius consueverat ; ita enim Augustinus prosequitur suam narrationem: « quae (nugacitas) multum decolorabat naturalem eius benignitatem, eumque insultantem Christianis faciebat valde sacrilegum. » Si Episcopus CPtanus validum declaravit baptismum puero hebraeo ab aliis pueris collatum; id factum est quia cognovit, illum puerum hebraeum invitum non fuisse, pueros debitam materiam et formam adhibuisse, et illud idem facere voluisse quod circa Catechumenos in Ecclesia fieri viderant. Caeterum ex ipsa narratione Nicephori non obscure colligitur, puerum illum a ludentibus infantibus prius in mari tinctum, iussu Episcopi denuo fuisse baptizatum, saltem, ut innuit, sub conditione.

Obi. II. *S. Chrysostomus* (2) utens exemplo asinae Balaam inquit: « Si brutiore et impura lingua propter improbos Iudaeos (Deus) operatus est, multo magis propter vos bene moratos, etiamsi sacerdotes admodum scelesti sint, sua omnia perficiet et mittet Spiritum sanctum.... Neque Angelus, neque Archangelus in iis, quae a Deo data sunt, aliquid efficere potest, sed Pater, Filius et Spiritus sanctus omnia administrant. Sacerdos vero linguam suam commodat, manum porrigit. Neque enim iustum est, ut propter alterius improbitatem illi, qui fidem sunt amplexati, in symbolis salutis nostrae laederentur. » Nihil igitur a sacramentorum ministris exigit S. Doctor, quam linguam, qua forma proferatur, et manum, qua porrigatur materia; intentionem vero non modo reticet, sed plane excludit exemplo asinae, in qua nulla poterat esse intentio. His similia habet *Isidorus Pelusiota* (3).

Resp. S. Doctor non loquitur hic

(1) L. 7, c. 32. (2) Hom. 96 in Ioan. (3) Lib. 2, Epist. 97

de necessitate intentionis, quia id eius scopus non exigebat. Populum enim hortabatur ad debita reverentiae officia sacerdotibus etiam malis exhibenda, quia etiam illi sunt ministri Dei, quorum lingua et manu utitur Deus ad symbola salutis nobis exhibenda. Intentionem ergo, quam non expresse nominat, nullatenus excludit, sicuti ministrum cum intentione veteres non excludunt, dum dicunt: Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Neque officit exemplum asinae Balaam, quod ideo tantum prolatum est, ut ostendatur, per indigna quoque instrumenta Deum magna efficere posse. Paritatem ergo non ulterius urgendam, sed cum restrictione accipiendam esse, sana ratio suadet, salva nempe proportione, quae est et esse debet inter ordinarios Dei ministros, ratione et libertate utentes, et brutum animal, quo ad ostendendam suam omnipotentiam semel usus est Deus. Imo S. Doctor non obscure intentionem ministri indigitat. Nam qui *linguam commodat* ad aliquid loquendum, et *manum porrigit* ad aliquid faciendum, loquendi et faciendi intentione non caret: ergo iuxta S. *Chrysostomum* minister utrumque praebet humano modo, libere utens potestate ministeriali, ideoque cum intentione faciendi sacramentum, seu id, quod Christus instituit. Nec aliter sensit *Isidorus Pelus.*, qui luculenter ibidem mentem suam aperit, dicens: « Is, qui initiatur, quantum ad salutaria symbola spectat, ex improba sacerdotis vita nullo damno afficitur.

Obi. III. S. *Augustinus* (1) de ministro baptismi ait: « Non timeo adulterum, non ebrium... quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic est, qui baptizat;* » validum ergo reputat baptismum ebrii, qui requisitam intentionem elicere nequit. Et alibi (2): « Si nihil interest ad integritatem sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant... cur extra intersit, non video, quando ille qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces, a quibus agitur, et in quibus agitur? Et tamen si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut poenitendo sanatur. » Ergo S. Doctor sensit ratum et validum baptisma fallaci ac simulato animo traditum et susceptum in Ecclesia, adeoque intentionem internam faciendi quod facit Ecclesia, non requirit. Et in eodem capite scribit: « Ubi autem neque societas esset ulla ita credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre, et mimice et ioculariter ageretur, utrum approbandus esset talis baptismus, qui sic daretur, divinum iudicium per alicuius revelationis oraculum, concordi oratione et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem. » Frustra ergo ex Traditione probatur, utpote quam *Augustinus* ignoravit, requiri in ministro intentionem, et baptismum mimice collatum esse invalidum. Contrarium sensisse S. Doctorem, clare eruitur ex iis, quae scribit c. Crescon. (3), ubi comparat sacramenta semini, quod operarium quidem exposcit, sed « qua mente operetur, qua laboret intentione, » non curatur.

Resp. Vasquez in 3 p., disp. 138 (4) putavit, Augustinum vere dubitasse de necessitate intentionis in ministro,

(1) Tr. 5 in Ioan. n. 14.

(2) L. 7 de bapt. c. Donat. cap. 53.
(3) L. 3 cap. 8, n. 8. (4) N. 48, etc.

quae nondum fuerat aperte in Conciliis definita. Etiam card. *de Lugo* (1) ait: « Ego sane fateor, Augustinum in eo capite (2) de multis dubitasse, de quibus modo propter clariorem Conciliorum lucem nobis exhibitam amplius non dubitamus. Video etiam (id, quod in aliis materiis ipsi Augustino et aliis Patribus accidit), pro zelo in haeresim, quam impugnabant, in partem adversam acriter inclinasse... ut de baptismo etiam mimice et per iocum collato et suscepto dubitarit, an validus reputandus esset, nec ne. » — Sed facile S. Doctor ab omni errore vindicatur. Nam in textu 1° l. c. in emendatioribus codicibus non *ebrius* legitur, qui vino incalescens rationis usum amisit, sed *ebriosus*, id est, se se inebriandi consuetudine irretitus, quae autem non omni tempore libertatem tollit et intentionem impedit; ita S. *Augustinum* intelligendum esse, patet ex ipsius scopo, quo contra Donatistas probat, valere sacramenta a malo ministro collata; quapropter ebriosus cum adultero et homicida iungitur. — In 2° loco (3) S. Doctor non loquitur de simulatione seu fallacia intentionis, sed de simulatione seu fallacia fidei, vocatque illum fallacem, qui non habens rectam fidem de veritate aut efficacia sacramenti, illam tamen simulat conferendo baptismum, quasi illum pro vero haberet sacramento gratiam conferente. Haec autem fallacia non impedit, quin minister ille, sive occultus sive manifestus fuerit haereticus, possit intendere ritum illum facere ut in Ecclesia sacrum. Sensum hunc aperte demonstrat status controversiae, quam cum Donatistis habebat *Augustinus:* contendebant illi, baptisma sine fide collatum irritum esse; ostendit hic, illud validum esse: ergo de absentia seu defectu fidei loquitur S. Doctor, non de absentia intentionis, de qua nulla erat quaestio; quod idem pluribus argumentis solide probat cl. *Tournely* (4). In subsequentibus verbis admodum obscuris, in quibus S. Doctor de baptismo ludicre et ioculariter collato agit, dubius de eius valore haesit, si quispiam « repentina pietate moveatur, » vel « subito fideliter commotus accipiat, » non autem dubia movit circa haec baptismata in se spectata. In priori nempe tantum casu praecise anceps fuit *S. Augustinus*, ut eius verba declarant; ac in tali casu implorandum censuit divinae revelationis oraculum, non novam revelationem postulans, sed, ut inferius declarat, plenarii Concilii sententiam desiderans. Denique l. III c. Cresc. (5) Augustinus non loquitur de intentione ministri, sed solum de eiusdem fide et sanctitate, quam Cresconius falso pro valore sacramenti exigebat: e contra S. Doctor ostendit sacramentorum effectum non pendere a fide ministri, sicut ab intentione seu fide coloni non pendet fructus seminis, sed ab huius virtute et a fertilitate terrae; dummodo ergo seminatio debito modo perficiatur, fructus crescit; quidquid de virtute seminis crediderit colonus.

Obi. IV. *Innocentius IV* in III Decret. (6) de baptismo et eius effectibus haec habet: « Non est necessarium, quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia, quae baptizat; quis baptizatus et unde sit, nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia; imo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est. » Ergo iuxta

(1) De sacr. disp. 8, sect. 3, n. 45.
(2) C. 53, l. 7 de bapt. (3) L. 7 de bapt. c. 53.
(4) Q. 7, art. 1, concl. 2. (5) Cap. 8. n. 8
(6) In cap.: Si quis puerum.

doctrinam Pontificis non requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia.

Resp. Turretinus, qui hoc argumento contra nos utitur, mala fide suppressit verba immediate sequentia eiusdem Innocentii: « dummodo baptizare minister intendat; » quibus saltem externam ministri intentionem requirit, qua non ludicre et lusorie, sed serio totam rem peragat, quod satis est ad catholicum dogma contra haereticos nostri aevi tuendum. Ex toto autem contextu haud obscure apparet, Innocentium non tantum externam, sed etiam internam aliquam intentionem admittere. Nam ad explicandam suam doctrinam proponit casum alicuius, qui Saracenum rogat, ut se baptizet. Porro Saracenus ignorat, quid sit Ecclesia, nec credit per immersionem aliud fieri, quam eius madefactionem: omnia tamen praestat, quae ab Ecclesia in baptismo praestantur, quamvis non gerat in mente id facere quod facit Ecclesia. Censet autem Innocentius, validum esse baptisma sub his duabus conditionibus, ut « forma servetur et baptizare intendat. » Ne igitur sapientissimum hunc Pontificem sibi contradicere velimus, ita hoc totum explicari oportebit, ut baptismus serio et debitae administretur exterius; deinde ut minister etiam interius baptizare intendat, quamvis non intendat facere quod facit Ecclesia, scilicet sacramentum conferre eiusque salutarem effectum producere, cum ipse ignoret, quid sit Ecclesia, quid sacramentum, quis eius effectus, et tantummodo edoctus sit de materia, forma aliisque necessariis ad baptizandum. Hoc iterum colligitur ex aliis eiusdem Pontificis verbis, q. 8, ubi exigit, quod minister voluerit « non tantum balneare vel carnes lavare, sed baptizare. » Caeterum haec scripsit Innocentius ut privatus Iuris interpres, antequam ad Summum Pontificatum eveheretur, neque ipsius Commentarii partem constituunt Iuris canonici.

Obi. V. Homo in administratione sacramentorum non est nisi instrumentum Dei, qui est causa principalis; sed in instrumento non requiritur aliqua intentio: ergo nec in ministro sacramentorum. Quod confirmatur paritate; nam, quia homo annuntians verbum Dei non est nisi instrumentum, nulla in eo requiritur intentio; quapropter Paulus (1) gaudet praedicari verbum Dei quacunque intentione, licet aliqui id facerent, ut S. Paulo invidiam crearent, quia etiam hoc modo verbum praedicatum salubrem poterat fructum ferre: ergo etiam verbum sacramentale, quamvis ex ioco prolatum, utile erit. Denique certum est, non posse homini intentionem alterius notam esse. Si igitur intentio ministri ad valorem sacramenti requiratur, semper anxius et incertus erit, an vere sacramentum susceperit, cumque aliqua sacramenta sint ad salutem necessaria, homines sine sua culpa perpetua angustia cruciabuntur.

Resp. Deus sapientissimus utitur instrumentis modo naturae ipsorum consentaneo, et ideo non quidem in inanimato, sed tamen in animato et libero instrumento intentio requiritur, ut praeclare docet *S. Thomas* (2) dicens: « Instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus, sed loco intentionis est motus, quo movetur a principali agente. Sed instrumentum animatum, sicut est minister, non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, in quantum sua voluntate

(1) Phil. 1, 14 etc.

(2) 3 p., q. 64, art. 8 ad 1.

movet membra ad operandum; et ideo requiritur eius intentio, qua se subiiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere quod facit Christus et Ecclesia.» — Paritas adducta non est ad rem. Nam aliud est intendere non concionari, aliud intendere concionari ex malo fine. S. Paulus de hoc posteriori loquitur, quo modo et nos concedimus, sacramentum esse validum, si minister intendat vere conferre, licet ob malum finem. Deinde inter verbum Dei et sacramenta latum est discrimen: ideo nempe etiam qui intendit non concionari, fructum ferre potest, quia verbum Dei non conficitur, sed solum annuntiatur; sacramenta autem a ministro conficiuntur, unde necessaria est intentio, ut materia et forma determinentur ad esse sacramentale. Demum quod ultimam attinet difficultatem, certitudo moralis sufficiens ad pacandum animum adest hoc ipso, quod omnia exterius debita facta sunt. Nam tunc non est causa suspicandi, defuisse debitam intentionem, cum haec possit facillime haberi, et eius carentia non possit prodesse ministro: vix enim contingere potest, et certe rarissime contingit, ut eo malitiae deveniat minister, ut velit, alterum perire ob defectum sibi nullatenus utilem. Quod autem nunquam, aut fere nunquam contingit, moralem certitudinem impedire nequit. Difficultatem etiam emolliunt, quae theologi generatim de obiecto et gradu necessariae in ministro intentionis docent. Sufficiat audire *S. Thomam*, qui l. c. (1) dicit: « Minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cuius est minister; in verbis autem quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri vel recipientis sacramentum. » Quod si haec omnia ad plenam animi tranquillitatem non sufficiant, meminisse oportet eorum, quae § 469 dicta sunt, nempe neminem sine speciali Dei revelatione infallibiliter certum esse posse de sua iustificatione; unde Phil. II, 12 monemur, ut *cum metu et tremore salutem nostram operemur*.

Nota 2. Circa intentionem in sacramentorum ministro requisitam, etiam inter theologos catholicos variae quaestiones moventur et controversiae aguntur, quae ut rite intelligantur, et quantum fieri potest, solide dirimantur, intentionem sub duplici respectu considerare oportet, scilicet ratione *obiecti;* ad quod illa fertur, et ratione *modi*, seu gradus, quo ad illud fertur.

A. *De obiecto intentionis ministri.*

§ 504. Obiectum necessariae in ministro sacramentorum intentionis determinatum fuit a *Concilio Tridentino*, dum requirit *intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia.* Id admittunt omnes Catholici, et contra Protestantes defendunt, illum non conficere sacramentum, qui nihil aliud intendit, quam iocosam Ecclesiae caeremoniarum repraesentationem. At gravis inter theologos catholicos orta est controversia, quid sit intelligendum per has particulas: *Quod facit Ecclesia.* Plura namque spectari possunt in eo, *quod facit Ecclesia:* 1° ipse ritus externus praecise et materialiter; 2° ritus, ut frequentatur, sacer et religiosus in Ecclesia, abstrahendo ab hoc, quod sit, vel non sit talis; 3° ut est absolute in se sacer et religiosus, seu sacramentum; 4° ut est efficax gratiae et characteris. Hinc diversitas opinionum enata est. Ut autem controversiae status recte cognoscatur,

(1) 3. p., q. 64, art. 8 ad 2.

certa ab incertis secernenda sunt. *Primo* certum est, ad valorem sacramenti non requiri ut minister explicite intendat effectus sacramenti; nam valet baptismus collatus a pagano eius effectum ignorante, vel etiam ab haeretico negante per illum gratiam conferri, ut definitum est in variis Conciliis. *Secundo* certum est, non requiri ut minister explicite intendat perficere sacramentum formaliter, ut est sacramentum, tum propter rationem mox adductam; tum quia Ecclesia recipit baptismum a iudaeo vel pagano forma legitima datum, etiamsi illum esse sacramentum ignorent vel negent. Sufficit enim, ut generatim et confuse velint agere quod facit ea societas, quam Ecclesiam vocant, quaecunque illa sit, sive romana, sive graeca, sive lutheranaetc. Ratio est, quia qui facere intendit quod facit, ex. gr. Ecclesia lutherana, ille generatim, implicite et confuse intendit facere quod facit vera Ecclesia, licet ex errore credat, Ecclesiam lutheranam esse veram Christi Ecclesiam; error enim privatus ministri non destruit veritatem generalis intentionis faciendi quod facit Ecclesia Christi. Id confirmatur ex eo, quia Ecclesia validum reputat baptisma collatum a graecis schismaticis, vel a calvinianis etc., qui tamen non intendunt facere quod facit Ecclesia Romana, quam apostatam credunt, sed quod facit ipsorum Ecclesia, quam putant veram Christi Ecclesiam. — Tota igitur controversia inter catholicos agitata ad hoc reducitur, an sufficiat intentio serio ponendi ritum externum, seu applicandi materiam et formam sacramenti, ita ut nulla irrisio exterius appareat: an vero requiratur interior ministri intentio faciendi ritum sacrum et religiosum, prout intendit facere Ecclesia? — Primum asseruit, omnique conatu evincere nisus est *Ambrosius Catharinus* O. P. Archiepiscopus Compsanus, qui in opusculo de intentione ministri, Romae anno 1552 edito, contendit, ad sacramentum valide administrandum sufficere, ut minister intentionem habeat serio perficiendi ritum externum, qui ab Ecclesia adhibetur, etiamsi in mente sua nolit facere quod facit Ecclesia, sed ritum illum ut vanum et superstitiosum irrideat, dummodo tamen exterius nullo signo pravam suam voluntatem manifestet. Hinc a *Catharini* asseclis intentio ad perficiendum sacramentum necessaria, vocari solet *externa*, ratione scilicet obiecti, quia spectat ritum externum celebrandum eo modo, quo ab Ecclesia celebratur, quae tamen revera interior est ratione principii, cum sit deliberatus voluntatis actus. Sententiam *Catharini* amplexi sunt et defenderunt *Alphonsus Salmeronius*, *Natalis Alex.*, *Contensonius*, *Petrus de Marca*, *Caspar Iuenin* et alii. Adversus ipsam decertarunt prae caeteris *Bellarminus*, *de Lugo*, *Suarez*, *Berti*, *Gotti*, *Billuart*, *Gazzaniga*, *Tournely*, *Th. ex Charmes* et recentiores fere omnes. In hac tamen oppugnatione adeo progressus est card. *Bellarminus*, ut nullum discrimen inter sententiam *Catharini*, et reprobatum errorem Novatorum agnoverit, nisi quod ille in fine opusculi se subiecit apostolicae sedi, isti vero irrident utrumque. Ast nimis asperum, nec satis aequum visum est plurimis tale iudicium. Ii namque tuto affirmant, ab errore Novatorum valde differre doctrinam de externa intentione, quae, salva fide, inter catholicos defenditur. Animadvertunt enim, *Lutherum* contendere validum fore sacramentum etiam cum externa irrisione collatum; quod nunquam

asserere ausus est *Catharinus*. Illud insuper accedit, quod *Concilio Tridentino* hic interfuit, eoque non adhuc absoluto, neque contradicente, suum edidit opusculum, quo tempore anathema in errorem *Lutheri* pronuntiabatur. Unde card. *Pallavicinus* (1) falsam quidem existimat *Catharini* sententiam; sed eam testatur neque per Tridentinos canones diserte fuisse proscriptam, neque *Concilii* Patribus suspectam: et *Benedictus XIV* (2) ait: « Nulla usque adhuc emanavit expressa (circa huiusmodi sententiam) Apostolicae Sedis definitio.» — Idem vero doctissimus Pontifex, quamquam sententiam *Catharini* non ut haereticam reprobet, communiorem tamen et tutiorem esse dicit sententiam, quae exigit in ministro intentionem actualem vel virtualem faciendi non solum ritum externum, sed id, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia. Cum eodem Pontifice hanc statuimus et defendimus propositionem: Ut vere conficiatur sacramentum, *non sufficit intentio externa*, seu intentio ponendi materiam et pronuntiandi formam, sed *requiritur interna intentio* faciendi quod facit Ecclesia, nempe rem sacram et sacramentalem. Haec propositio gravibus probari potest argumentis.

1. *Concilia* requirunt intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ut patet ex eorundem decretis § praec. n. 2 citatis. Per hanc vero intentionem non alia potest intelligi praeter internam, quod facile probatur. Nam per illa verba non potest intelligi intentio externa; haec enim iam sufficienter fuit expressa per verba *Concilii Constantiensis: Cum debita materia et forma;* per verba *Concilii Florentini:* perficiuntur *rebus tanquam materia*, et *verbis tanquam forma;* et per verba *Concilii Tridentini: Serio agendi*, dum (3) nullam declarat absolutionem, *si sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit;* ergo Concilia praeter intentionem seriam externam, insuper requirunt intentionem mentalem et internam.

2. *Alexander VIII* hanc inter alias propositionem damnavit: « Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo facere quod facit Ecclesia. » Per huius propositionis damnationem, ut observat *Benedictus XIV*, sententiae *Catharini* grave vulnus inflictum est. Nam minister, qui omnem ritum externum observat, habet intentionem externam; ast iuxta *Alexandri* decretum non baptizat valide: ergo intentio externa non sufficit. Contrariae sententiae patroni, qui per hanc propositionem damnatam maxime torquentur, nil solide proferre valuerunt ad argumentum inde deductum enervandum.

3. *In Rubricis Missalis Romani*, auctoritate *Clementis VIII* probatis, irrita declaratur consecratio, si quis habens coram se undecim hostias, *intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit;* cuius declarationis haec affertur ratio, *quia requiritur intentio*, non utique sola externa, quae in hoc casu adest, sed interna, quae deest. Neque audiendi sunt, qui Rubricas Missalis non magni facere videntur. Primo enim Rom. Pontificis nomen auctoritatemque praeseferunt; deinde non agitur hic de privatis quibusdam caeremoniis, sed de ipsa consecratione, quam validam aut invalidam esse sta-

(1) L. 9 Hist. Conc. Trid. cap. 6, n. 2.
(2) L. 7 de Synod. dioeces, cap. 4, n. 8.
(3) Sess. XIV, cap 6.

tuitur, prout adest, vel deest interna consecrandi intentio: quod maximi esse momenti, nemo non videt.

4. *S. Thomas*, cuius auctoritatem contrariae sententiae patroni maximi aestimant, et quem in suas partes trahere satagunt, aperte eis adversatur. Nam iuxta angelicum Doctorem(1) ad valorem sacramenti in ministro « requiritur intentio, qua se subiiciat principali agenti; idest, qua intendat facere quod instituit Christus, quodque intendit facere Ecclesia.» Quod autem Christus instituit quodque intendit facere Ecclesia, est sacramentum: ergo ad valorem sacramenti necessaria est intentio faciendi sacramentum, saltem implicite, id est faciendi quod faciunt christiani. Neque obstat quod in eodem articulo dicat: « Haec intentio exprimitur per verba, quae in sacramentis dicuntur; » quod verissimum est, et ideo hoc ipso, quod quis serio et religiose verba sacramentalia super legitimam materiam profert, ex communiter contingentibus certo moraliter coniicimus, ipsum habere intentionem internam faciendi quod facit Ecclesia: intentio autem interna, quae prorsus deest, exterius exprimi nequit, et ideo ad valorem sacramenti non sufficit. Hunc esse sensum S. Doctoris patet ex iis, quae ibidem (2) dicit: « Intentio ministri potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius sacramenti, puta cum aliquis non intendit conferre sacramentum, sed derisorie aliquid agere; et talis perversitas tollit veritatem sacramenti; » quibus verbis ob defectum intentionis internae irritum declaratur sacramentum, quamvis intentio per verba sacramentalia exprimatur. Mentem suam Angelicus etiam alibi aperuit: sic dist. 11, q.2, art. 1, quaestiun. 3 ad 1 ait: « In sacramentis est duplex intentio, una quae ordinatur ad perfectionem sacramenti, et haec est essentialis sacramento. » Et opusc. 5: « Si non sit debita forma verborum, et si non sit debita materia, et si minister sacramenti non intendit sacramentum conficere, non perficitur sacramentum. » Cum *S. Thoma* etiam reliqui veteres Doctores et Theologi consentiunt, nam pro sententia contraria pauci tantum citari possunt, nempe *Petrus Cantor*, *Robertus card. Pullus*, *Petrus Paludanus* et *Silvester* O. P.

5. *Rationes theologicae* sententiam nostram confirmant. Nam Paulus inquit: *Servi, obedite dominis carnalibus, — non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Deo, et non hominibus* (3). Quis iam sibi persuadeat, hoc praeceptum non etiam ad illos pertinere, qui sunt *ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei?* Homines quidem per opus externum falli possunt, non autem Deus, qui sicut in omnibus actionibus, ita praecipue in administratione sacramentorum rectam et internam exigit intentionem per quam actio, quae ad varium finem dirigi potest, ad rationem sacramenti determinetur. — Consentiunt porro theologi, sacramenta etiam conditionate conferri posse, neque necesse esse, ut conditio per verba exprimatur, sacramenta vero tali modo administrata irrita esse, si conditio, quamvis sola mente adiecta, non fuerit verificata. Quodsi autem, quando minister sacramentum tantum conditionate conficere mente intendit, conditionate tantum conficitur; sine dubio etiam, quando minister illud prorsus non conficere intendit, omni-

(1) 3 p., q. 64, a. 8 ad 1. (2) Art. 10.

(3) Ephes. 6, 5 etc.

no non conficitur. Denique ex sententia adversariorum magna sequerentur absurda: sic ex. gr. sequeretur, quod mater abluens domi infantem a sordibus, ut bene illi sit, et ex devotione in hac actione dicens: Ego te lavo in nomine Patris etc. vere infantem baptizaret; et sacerdos, lector mensae apud Regulares legens caput XXVI Matthaei, omnes panes triticeos mensae appositos et omnes vini phialas consecraret: neque alia ratio assignari potest ob quam consecratio non perficitur, nisi quia internam consecrandi intentionem non habet, sed potius contrariam elicit. Idem dicendum est de sacerdote, qui ad conficiendam Eucharistiam ad altare accedit, et tamen non consecrat, dum Passionem Domini, aut Epistolam I Cor. XI, 23 etc. legit, quia tunc internam consecrandi intentionem non habet; consecrat autem dum in canone eadem verba pronuntiat, quia tunc consecrandi intentionem habet; ex quo manifestum est, ad conficiendum sacramentum intentionem internam requiri, et sine hac non confici sacramentum.

Nota 1. His aliisque rationibus pressi et oppressi recentiores adversarii, ut *Iuenin*, *Serrius* etc. alio confugiunt, et systema *Catharini* attemperantes dicunt, intentionem externam non sufficere in omni casu, in quo ritus externus serio peragitur, sed quando serio peragitur in circumstantiis adhiberi solitis, ut in baptismo, si minister rogatus illud administret praesente patrino, in baptisterio, indutus vestibus sacris etc. Ex his enim circumstantiis, inquiunt, ritus externus determinatur ad esse sacramentale, et tunc sacerdos se exhibet ut minister Ecclesiae. — Ast, ut respondet cl. *Billuart* (1): « Ritum externum a circumstantiis, et non ab intentione ministri ad esse sacramentale determinari, figmentum est, nullum habens neque in Scripturis, neque in Patribus, neque in Conciliis, neque in Pontificum definitionibus fundamentum, cuius nec meminerunt primi huius opinionis assertores, sed ab Antonio de Dominis ineunte praecedenti saeculo excogitatum (2), et a recentioribus usurpatum. Est etiam directe contra *D. Thomam*, qui disertis terminis ubique docet, ritum externum serio peractum determinari ad esse sacramentale per intentionem internam ministri; nec ullibi meminit circumstantiarum pro illa determinatione ut ex eius textibus laudatis patet. » Adaequate etiam cl. *Schwets* (3) dicit: « Ex circumstantiis externis quidem colligitur, quid faciendum sit, non autem quid revera fiat: atque actio, quae cum intentione externa perficitur, solummodo exterior species actionis sacramentalis, non vere actio sacramentalis ipsa est. »

Nota 2. Qui defendunt, intentionem externam ad valorem sacramenti sufficere, multa pro sua sententia argumenta, nec omnino inania, sed quaedam specie tenus sat gravia conglomerant, quae autem a cl. *Berti* (4), *Billuart* (5), *Gazzaniga* (6) et ab aliis solide confutata sunt. His igitur recensendis et solvendis supersedemus, tum quia non agitur de dogmate, tum quia pro sententia nostra sat firma argumenta attulimus, quae adversarii enervare non valent, tum demum quia negari nequit, sententiam nostram in praxi tutiorem esse, ideoque observandam iuxta decretum *Innocentii XI* qui sequentem damnavit

(1) De sacram. in gen. Diss. 5, art. 7, § 2.
(2) L. 5 de Republ. eccl. c. 12.
(3) Tom. 3, § 35. (4) Lib. 30, cap. 16.
(5) L. c.
(6) De sacram. Diss. 2, cap. 8.

propositionem; « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, relicta tutiore. » Idcirco *Benedictus XIV* (1) dicit: « Si constet, quempiam aut baptismum contulisse, aut aliud sacramentum ex iis, quae iterari nequeunt, administrasse omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia; urgente quidem necessitate, erit sacramentum iterum sub conditione perficiendum. Si tamen res moram patitur, Sedis Apostolicae oraculum erit exquirendum. » Fere hoc idem monuit *Natalis Alex.* (2), licet de caetero sententiae *Catharini* addictus.

B. *De qualitate, seu gradu intentionis ministri.*

§ 505. Intentio interna generatim a theologis dividitur in *actualem*, *virtualem*, *interpretativam* et *habitualem*, imo etiam in *absolutam* et *conditionatam*. Inquirendum iam est, quaenam intentio ad valorem sacramenti requiratur, quaenam vero insufficiens sit.

1. Intentio *actualis* est praesens animi applicatio ad id, quod agitur. *Virtualis* est ipsamet actualis, quae praecessit ac moraliter perseverat in ministro, quamdiu intentione contraria non fuit revocata, nec longo temporis intervallo extincta. Talis est intentio in sacerdote, qui ex actuali voluntate consecrandi induit se vestibus sacris, missam inchoat, sed paulo post distrahitur; consecrat nihilominus virtute illius intentionis, quae moraliter perseverat. *Interpretativa* dicitur ea, quae nec est, nec fuit, sed esset, si eius obiectum voluntati proponeretur: unde non est vera intentio, sed solum intentionis praesumptio. *Habitualis* duplex est: prima est facilitas operandi, ex actibus saepe repetitis comparata; secunda est ea, quae fuit actu elicita, nec fuit revocata, sed est vel somno vel vino vel notabili temporis mora interrupta, ita ut non influat in actum humanum, nec per se, nec per virtutem a se relictam. — His praenotatis, ex communi theologorum sententia *actualis intentio* optima est, et cuivis ministro sedulo curandum, ut cum hac intentione sacra perficiat mysteria; necessaria tamen actualis intentio non est; quod probatur tum ex eo, quia pro humana fragilitate ipsa sine singulari Numinis beneficio semper haberi nequit, neque putandum est, Christum conditioni impossibili efficaciam sacramentorum alligasse: tum ex eo, quod absque tali intentione habeatur opus humanum ac morale, a ratione et voluntate proficiscens; imperium quippe rationis et deliberatio voluntatis etsi actu pertranseat, dicitur virtute permanens, nisi aut animo retractetur, aut alia deliberatio ad opus disparatum effectricem causam inflectat. Hinc certum est ex omnium theologorum sententia, in defectu intentionis actualis requiri et sufficere *intentionem virtualem*; per hanc enim sicut actio fit umana et moralis, ita etiam valide administratur sacramentum. At vero *intentio interpretativa* non sufficit ad sacramentum conficiendum; nam intentio, quae non applicat agentem ad actionem, non sufficit ad sacramentum conficiendum: atqui intentio interpretativa non applicat agentem ad actionem; ergo ad sacramentum conficiendum non sufficit. Ex eadem ratione dicendum est, *intentionem habitualem* nequaquam ministro sufficere ad sacramentum valide administrandum. Quoniam minister gerit Christi personam in dis-

(1) De Synod. dioec. l. 7, c. 4, n. 9.

(2) L. 2 Theol. dogm. mor. c. 7, a. 3, reg. 1.

pensatione mysteriorum Dei, profecto non pecudum, sed humano modo is operari debet, ut sacramentum valide perficiat. Sed ut actio quaelibet fiat humano modo, intentio habitualis, ut ex eius descriptione patet, non valet, quia nec per actualem voluntatis determinationem, nec virtute determinationis antecedentis haec intentio influit in actionem. Satis ergo non est habitualis intentio in ministro, ut validum sit sacramentum. Quapropter nulla erit sacramentorum administratio, si fiat ab amente, in quo non alia intentio praeter habitualem reperiri potest.

2. Alia intentio est *absoluta*, quae a nulla conditione dependet, alia *conditionata*, qua aliquid intenditur non absolute, sed dependenter ab aliqua conditione. Conditio autem vel est praeterita, ut dum baptizans gravi perculsus dubitatione ait: Si non es baptizatus, ego te baptizo: vel praesens, ut dum sacerdos inquit: Si es dispositus, ego te absolvo: vel futura, ut si ad hunc modum loqueretur: Absolvo te, si crastina die restitueris rem alienam. Valet ergo sacramentum sub conditione de praeterito vel de praesenti collatum, si conditio vera sit, secus si falsa: quippe intentio conditionata, cum adimpletur conditio, transit in absolutam. Sacramentum vero collatum cum intentione conditionata de futuro contingenti est invalidum, quia dum adhibetur materia et profertur forma, intentio suspenditur; dum vero adimpletur conditio, non sunt amplius materia et forma, quibus constituitur sacramentum. — Neque absolute necessarium est, ut conditio intentioni iuncta in forma exprimatur, quia in antiqua Ecclesia ante saeculum octavum formae conditionatae vix exemplum invenitur. Decrevit quidem saeculo quarto *Concilium Carthaginense V* can. 6 ut infantes baptizarentur, quoties certissimi non inveniebantur testes, qui assererent, eos baptizatos fuisse. Iussit *Leo M.* saeculo quinto ad Rusticum Narbonensem scribens, ut baptizarentur parvuli ab hostibus capti ac postea redempti, cum ignoraretur, an fuerint baptizati. Docuit saeculo septimo *Gregorius M.* (1), baptismum et confirmationem iis conferri debere, de quibus dubitaretur, utrum haec sacramenta susceperint. Itidem, ineunte saeculo octavo, indixit *Gregorius III* in Epist. ad Bonifacium, ut ordinarentur presbyteri, cum dubium esset, an fuerint a veris Episcopis ordinati. Hisce tamen in locis expressa mentio formae conditionalis, quae sane opportuna fuisset, nequaquam reperitur. Cum ergo apud Concilia, Patres atque Pontifices nullum vestigium habeatur formae conditionalis in dubio de sacramentorum valore per septem priora saecula adhibitae; exinde nonnulli intulerunt, ante saeculum octavum hanc formam conditionalem nullibi receptam fuisse, moremque obtinuisse, in dubio sacramenta non conditionate, sed absolute administrandi (2). At censet *Benedictus XIV* (3), huiusmodi scriptores in hoc minus recte sentire; ac potius e veterum silentio concludit, prius tacitam fuisse animoque tantum conceptam conditionem, quae deinde octavo saeculo coepit expresse pronunciari. Tum temporis autem id alicubi factum esse apud Latinos, ex indubiis monumentis patescit. De hoc enim formae conditionalis usu in Galliis recepto exemplum extat in Capitulari Caroli M.,

(1) L. 4. Epist. 17, indict. 7 ad Felicem Messanae Episcopum.

(2) V. Tournely de Sacr. in gen. q. 1, art. 4 in fine.

(3) L. 7 de Syn. dioec. cap. 6, n. 1.

ubi (1) legitur: «De quibus dubium est, utrum sint baptizati an non, omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen verbis praemissis: Non te rebaptizo, sed si nondum es baptizatus, egō te baptizo etc.» Ubique tandem saeculo decimo tertio haec forma conditionalis adhiberi consuevit, postquam iussu *Gregorii IX* inserta fuit in corpore iuris ecclesiastici decretalis *Alexandri III*, in qua diserte praecipitur: «De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo etc.» Haec praxis usque ad aevum *Tridentini Concilii* dumtaxat in collatione baptismi, confirmationis et ordinationis observata videtur. Deinceps vero in reliquis etiam sacramentis usus formae conditionatae locum obtinuit. Monent tamen theologi, non quamcunque levem in contrarium suspicionem vel scrupulum debere sufficere ad sacramentum sub conditione conferendum; sed requiri dubitationem probabilem: ea autem probabilis dubitatio est, quae facta etiam diligenti indagine discuti non potest, ita ut nec moralis certitudo facti haberi queat.

(1) L. 6, c. 184.

ARTICULUS VI.
De effectibus sacramentorum.

§ 506. Si causas perpendimus, ex quibus sacramenta N. L. a Christo instituta sunt, facile intelligimus, praestantissimos atque ad spiritualem hominum salutem saluberrimos ab ipsis effectus produci. Duplex autem a Theologis sacramentorum effectus distinguitur. Primus sacramentorum effectus, isque praecipuus ac omnibus sacramentis communis, est, quod *gratiam* non significent tantum, sed etiam operentur in nobis. Alter effectus est *character*, quem animae imprimunt, qui non est communis omnibus, sed trium tantummodo proprius, baptismi, confirmationis et ordinis.

Nota. In tractatu de sacramentis in specie cuiuslibet sacramenti effectus singillatim fusius explicandi et solidius comprobandi erunt: quapropter hic summa tantum principia de sacramentorum effectibus proponuntur, et contra *Novatores*, qui eosdem in genere impugnant, defenduntur; qua disserendi ratione lux quaedan tractatui de sacramentis in specie af fulget.

I. *De gratia, quam sacramenta conferunt.*

§ 507. Duplex quaestio circa gratiam, quam sacramenta conferunt, moveri potest. Quaeritur enim primo: *Qualis gratia per sacramenta conferatur;* et quaeritur secundo: *Quo modo sacramenta N. L. gratiam conferant?* Utramque quaestionem hic solvere oportet.

A. *De qualitate gratiae, quae per sacramenta confertur.*

§ 508. Praestantissimum Dei donum est gratia sanctificans, quae hominem Deo gratum reddit et amicum, ac divinae quodammodo naturae consortem efficit (§ 454). Hanc gratiam Christus nobis per passionem suam et mortem promeruit (§ 377), et ad hanc nobis conferendam, vel in nobis augendam sacramenta N. L. instituta sunt. Clare id docet *Concilium Tridentinum*, dum in prooemio Sess. VII dicit, septem esse Ecclesiae sacramenta, *per quae omnis vera iustitia, vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur*. Gratia enim sanctificans vel dari potest, vel augeri. Quando nempe homo ex iniusto iustus efficitur, tunc primum gratia

illi ipsi infunditur, quae vitam dat animae, et per quam particeps efficitur amicitiae Dei. Hac de causa *gratiam primam* consequi dicitur. Ubi autem vita spiritualis iam infusa est homini, non potest quidem dari, sed augeri novo gratiae incremento, quod theologi *gratiam secundam* appellare consueverunt. Itaque iuxta doctrinam scholasticorum *prima gratia* dicitur, quae nullam aliam supponit in subiecto, cui infunditur, ut dum primum iustificatur peccator. *Secunda gratia* ea dicitur, quae supponit aliam in subiecto, cui datur, praeexistentem, et istam auget, ita ut non sint diversae gratiae, sed diversi gradus eiusdem gratiae. His praenotatis, facile declaratur, qualem gratiam sacramenta N. L. conferant.

1. Constat in primis, praecipuum sacramentorum effectum esse gratiam sanctificantem seu habitualem, quae omnibus sacramentis communis est. Sed non omnia sacramenta per se et ordinarie eandem gratiam conferunt. Nam ad primam gratiam conferendam instituta sunt duo sacramenta, nempe *baptismus* et *poenitentia;* ideo Petrus (1) dixit: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum;* et in symbolo CPtano dicitur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum;* effectum porro sacramenti poenitentiae annuntians Christus (2) ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt; et Concilium Tridentinum* (3): *Pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit poenitentiae, — quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti Patres apte nuncuparunt.* Hac de causa baptismus et poenitentia *sacramenta mortuorum* vocantur, quia sunt per se primo instituta pro iis, qui privati gratia spiritualiter mortui sunt per peccatum; reliqua vero quinque sacramenta dicuntur *vivorum*, quia per se primo instituta sunt pro iis, qui iam spiritualiter per gratiam vivunt; quapropter, ut digno suscipiantur, statum gratiae requirunt; ex quo patet, ista per se ordinata non esse ad primam gratiam conferendam. Itaque sacramenta mortuorum per se conferunt gratiam primam; sacramenta vero vivorum per se conferunt gratiam secundam. Sacramenta enim per se efficiunt id, ad quod per se primario sunt instituta a Christo, quia omne, quod competit sacramentis, est ex libera Christi institutione; atqui sacramenta mortuorum per se primario sunt instituta ad delendum peccatum mortale, sive originale sive actuale, et ad conferendam gratiam primam, ut ex citatis testimoniis patet, et inferius pluribus argumentis probabitur; sacramenta autem vivorum supponunt peccatum mortale deletum ac iustificationem adeptam, et ad alios effectus ordinantur, puta ad conservationem et augmentum gratiae. Recte ergo dicitur, sacramenta mortuorum ad producendam gratiam primam, sacramenta vero vivorum ad conferendam gratiam secundam per se et primario ordinari.

2. Aliquando tamen et per accidens sacramenta mortuorum conferunt secundam gratiam, et sacramenta vivorum primam. Cuius assertionis partem priorem omnes theologi admittunt; constat enim, peccatorem per contritionem et charitatem perfectam iustificari; neque dubitare licet, hominem etiam maximis contaminatum peccatis per gratiam actualem ita a Deo attrahi posse, ut con-

(1) Act. 2, 38. (2) Io. 20, 23. (3) Sess. 6, cap. 14.

tritionem et charitatem perfectam concipiat, quod exempla *Magdalenae, Zachaei, Latronis in cruce* et aliorum perspicue commonstrant. Quod si infidelis vel peccator per contritionem perfectam iam iustificatus, ut praecepto divino satisfaciat, ad sacramentum baptismi vel poenitentiae accedat, non potest gratiam primam, cuius iam particeps factus est, per haec sacramenta recipere. Non licet autem dicere; talem hominem per baptismum vel poenitentiam nullam gratiam obtinere; id enim repugnaret *Tridentino* (1) definienti: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non conferre gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre... anathema sit.* Fide ergo constat, sacramenta conferre gratiam illis, qui non ponunt obicem gratiae; ergo qui iam per actum perfectae contritionis iustificatus recipit sacramentum baptismi vel poenitentiae, recipit gratiam, cum non ponat obicem: atqui ille non recipit primam gratiam; ergo recipit secundam. Alias frustra iusti saepius confiterentur peccata venialia, aut mortalia iam remissa, quod nullus catholicus asserere audet. Etiam posterior propositionis pars, quamvis nonnullis difficultatibus obnoxia videatur, communiter tamen a theologis admittitur. Per sacramenta enim vivorum interdum primam gratiam conferri, seu peccatorum remissionem dari, innui videtur Iac. V, 15, ubi de extrema unctione dicitur: *Si in peccatis sit, remittentur ei.* S. *Thomas* (2) ait: « Si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento (confirmationis) consequitur remissionem peccatorum. » Idem docet de eucharistia (3) et de extrema unctione (4). Itaque Doctor angelicus satis clare docet, per sacramenta vivorum interdum primam gratiam conferri. Eidem sententiae suffragatur Ecclesia, dum in Collecta petit, ut eucharistia *sit ablutio scelerum.* Ratio denique theologica petitur ex *Concilio Tridentino* sess. VII de sacr. in gen., can. 6 et 7 in quo dicit: *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus; anathema sit.* Iuxta quos canones sacramenta semper gratiam conferunt non ponentibus obicem: contingere autem potest, ut quis prima gratia destitutus sacramentum vivorum suscipiat, eique obicem non ponat. Sic., e. g., qui solum attritus post confessionem, in qua bona fide se putat absolutum, cum tamen sacerdos ex malitia aut inconsideratione non eum absolverit, accedit ad sacramentum altaris, huic ideo obicem ponere dici non potest, ergo recipit gratiam; sed secundam, seu nutrientem recipere nequit, nisi prius receperit primam, seu vivificantem, quia vita, quae non est, nutriri, vel augeri non potest. Ne ergo dicatur, in hisce casibus ab iis, qui sacramenta suscipiunt, iisque obicem non ponunt, nullam gratiam recipi; omnino dicendum est, aliquando et per accidens per sacramenta vivorum primam gratiam conferri.

3. Praeter gratiam sanctificantem, quam sacramenta vel deperditam restituunt, vel augent acceptam, ab iisdem etiam peculiariter confertur *gratia sacramentalis*, quae a theologis

(1) Sess. 7, can. 6.
(2) 3 p., q. 72, art. 7 ad 2.
(3) 3 p., q. 79, art. 3. (4) In 4 dist. 23, q. 1, a. 2, quaestiunc. 1 ad 1.

definitur; gratia habitualis, annexum habens ius ad gratias actuales necessarias ad assequendum finem proprium cuiusque sacramenti. Singula vera sacramenta praeter sanctificantem gratiam peculiarem aliquam, quae *sacramentalis* dicitur, conferre, gravia argumenta evincunt. Christus enim, cum septem sacramenta instituit, unumquodque ad peculiarem effectum ordinavit; ergo necesse est, ut quodlibet suos habeat peculiares effectus, seu gratiam sibi speciatim annexam, quam sacramentalem vocamus. Nam nisi sacramenta ad quosdam peculiares fines ex sua institutione referantur, nulla potest ratio assignari, cur septem sacramenta instituta sint a Christo, quae cum omnia eundem finem haberent, non aliter inter se differrent, nisi externo ritu. Certe sufficeret, ut unum sacramentum esset, quod gratiam daret, et aliud, quo data augeretur. Sed non ita res se habet, cum *Tridentinum*(1) expresse definiat: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua.... licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.* Haec constanter Ecclesiae doctrina fuit, quae in eo semper singularem divinae providentiae dispositionem agnovit, quod diversis hominum necessitatibus diversa quoque remedia praeparaverit. Varios istos spirituales sacramentorum effectus Ss. Patres agnoverunt. Ita *Tertullianus* (2) ait: « Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur; caro corpore Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. » *S. Bernardus* (3) inquit: « Divisiones gratiarum diversis traditae sunt sacramentis. » *Eugenius IV* in decreto haec habet: *Per baptismum spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide; renati autem et roborati nutrimur divina eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum incurrimus aegritudinem animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per extremam unctionem; per ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter, per matrimonium augetur corporaliter.* Porro ad fines istos varios et distinctos assequendos necessaria videtur propria et specialis gratia sacramentalis, effectus quippe sacramenti induit rationem medii respectu finis eiusdem sacramenti, ac nisi effectus ille varius foret ac distinctus, vix aliter differrent inter se sacramenta, quam externo ritu neque unum alio maioris foret necessitatis.— Verisimilius autem est gratiam sacramentalem non esse habitum distinctum a gratia sanctificante, quia superfluus omnino videtur talis habitus distinctus a gratia sanctificante, siquidem haec una id omne praestat, quod praestaret distinctus ille habitus; animam quippe eiusque facultates perficit et complet in ordine ad exercendos supernaturales actus proprios cuiusque sacramenti: ergo sacramentalis gratia supra habitualem sanctitatem adiicit solummodo ius aliquod certum, ac fundatum in divina promissione, qua se gratuito obstrinxit Deus, ut dignae sacramentorum perceptioni et gratiam sanctificantem annecteret, et ius tribueret obtinendi actualia gratiae auxilia ad finem uniuscuiusque sacramenti proprium assequendum. Neque porro est, quod

(1) Sess. 7, can. 4.
(2) L. de resur. carnis, cap. 8.
(3) In Serm. de Coena Dom.

reformident nonnulli ius illud admittere, ne forte gratia desinat esse gratuita, ad quam ius habetur. Quis enim non videat, ius illud non in nostris meritis, sed in liberali, et plane gratuita Dei promissione, ac benevolentia fundatum esse, nec alio titulo esse debitum, quam fidelitatis Dei, qui fidelis est in promissis, et in necessariis nunquam deest?

4. Quaerunt demum theologi, quantam sacramenta gratiam conferant, et an in omnibus semper aequalem? — Quaestio autem hic est de eodem sacramento in se considerato, non comparate ad aliud; nam certum est, sacramenta specie distincta ex se inaequalem conferre gratiam, quia iuxta *Concilium Tridentinum* (1) sacramenta novae legis non sunt inter se paria, sed *unum est altero dignius;* et hoc manifestum est in eucharistia, quae realiter in se continet fontem omnis gratiae; causa autem nobilior et dignior ex se nobiliorem producit effectum. Sed *idem specie sacramentum aequalem semper gratiae effectum confert iis, qui aequaliter praeparati illud percipiunt,* quia ubi causa est eadem et eodem modo applicata, et dispositio ex parte suscipientis eadem, effectus idem plane esse debet. Nam sacramenta, ut ex inferius dicendis clarius apparebit, operantur ad instar causarum naturalium; duae autem causae naturales, solo numero distinctae, ex. gr. duo ignes, ex se aequalem omnino calorem producunt: ergo et duo sacramenta solo numero distincta, ex. gr. duo baptismata, ex se abstrahendo a dispositione subiecti aequalem gratiam producunt. Neque, ut nonnulli opinati sunt, ex parte ministri maior effectus repeti potest. Nam, ut iam probatum est, maior sacramentorum effectus a probitate ministri non pendet (§ 501). Ideo *S. Thomas* (2) ait: « Effectus sacramentorum non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per devotionem ministri: nec tamen minister illud operatur, sed impetrat operandum a Deo; » unde maior effectus annexus non tam sacramento collato, quam potius precibus fusis adscribendus est. — Attenta vero dispositione recipientium, idem specie sacramentum aequalem gratiam aequaliter dispositis confert ex opere operato, inaequalem inaequabiliter dispositis, ita ut quo melior dispositio fuerit, eo maior sequatur effectus. Id expresse docet *S. Thomas* (3) dicens de baptismo: « Quidam cum maiori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt; et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt: sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei adpropinquat, licet ignis, quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem diffundat. » Eandem doctrinam tradit *Concilium Tridentinum* (4) docens, baptizatos recipere iustitiam *secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem.* Ratio theologica a *S. Thoma* indigitata petitur ex eo, quia sacramenta operantur ut causae naturales: istae autem operantur proportionate ad dispositionem subiecti; sic idem ignis plus calefacit proximum, minus remotum; maiorem calorem producit in ligno sicco, minorem in viridi; aequalem in aequaliter sicco et proximo. Ergo etiam sa-

(1) Sess. 7, can. 3.
(2) 3 p., q. 64, art. 1 ad 2.
(3) 3 p., q. 69, art. 8 in marg.
(4) Sess. 6, cap. 7.

crainenta operantur proportionate ad dispositionem subiecti (1).

B. *De modo, quo sacramenta gratiam conferunt.*

§ 509. Magnum nobis cum Novatoribus dissidium est circa *modum*, quo sacramenta N. L. gratiam conferunt. Ut autem status quaestionis rite intelligatur, primum doctrinam catholicam exponere, ac dein aberrationes Protestantium ostendere oportet. — Duplicem theologi catholici modum distinguunt producendi gratiam: unum *ex opere operantis;* alterum *ex opere operato*. Ex opere operantis ea producitur gratia, quae a Deo conceditur intuitu fidei ac pietatis, seu meriti illius, qui sacramentum suscipit aut ministrat. Ex opere operato ea gratia produci dicitur, quae vi et efficacia ipsius operis externi sacramentalis, a Christo Domino instituti ac debite subiecto applicati producitur ultra omne meritum ministrantis, vel recipientis sacramentum, quamquam non sine praeviis ex parte subiecti sacramentum suscipientis fidei et pietatis dispositionibus, quae non equidem causae sunt effectrices gratiae, neque ipsis sacramentis vim et efficaciam tribuunt, quam habent ab ipso Christo derivatam, sed removent dumtaxat obstacula, quibus impediri, aut retardari posset vis et efficacia sacramentorum. — Ut autem recte intelligatur, quid sit producere gratiam *ex opere operato*, doctrina *Concilii Tridentini* de iustificatione recolenda est. Docet nempe *Concilium* (2), plures ad iustificationem causas concurrere: *finalem*, quae est gloria Dei et Christi, ac vita aeterna; *efficientem*, quae est Deus misericors, qui gratuito abluit et sanctificat; *meritoriam*, id est, Unigenitum Filium Dei, qui nobis iustificationem promeruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit; *instrumentalem*, scilicet sacramenta; *formalem* denique, nimirum iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit. Praeter has causas eadem S. Synodus (3) exigit in adultis dispositiones *fidei*, qua credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, libere moventur in Deum; *timoris*, quo utiliter concutiuntur; *spei*, qua se in Deum erigunt fidentes, ipsum Deum sibi propter Christum propitium fore; *amoris*, quo ipsum Deum tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiant; *detestationis peccati* cum proposito inchoandi novam vitam, et suscipiendi baptismum vel poenitentiam. Harum vero dispositionum necessitas ex iis, quae alibi (4) dicta sunt, aperte dignoscitur; nam cum peccatis homo adhaereat libere, perversa cupiditate et voluntaria malitia, necessum est, ut divina gratia excitatus libero arbitrii motu ad iustitiam accedat. — Sacramenta itaque sunt *instrumenta gratiarum;* in quorum instrumentorum usu duas actiones distinguimus: una *externa* est, qua materiam a Deo praescriptam, certisque verbis consecratam exhibet dispensator aut probus, aut improbus, eamque applicat subiecto aut praedictis dispositionibus exornato, aut iis destituto; altera actio est *intima et occulta*, qua Deus non intuitu probitatis ministri, aut dispositionis suscipientium, sed vi institutionis, in qua relucet Dei misericordia et Christi meritum, per signa sensibilia largitur gratiam, quae, modo pravae voluntatis obicem non inveniat (ut autem non inveniat, faciunt dispositio-

(1) Cf. Tournely de sacram. q. 4, art. 1; Billuart. de sacr. Diss. 3, art. 3 et 4.

(2) Sess. 6, cap. 7. (3) Sess. 6, cap. 5. (4) § 464 et seq.

nes praedictae), suscipientes mundat, sanctificat, innovat, corroborat. Est itaque produci gratiam *ex opere operato*, illam produci per sacramenta tanquam per causam instrumentalem, non vi exterioris actionis tantum, sed etiam intimae, quâ Deus gratiam seu dona spiritualia elargitur, ob dignitatem institutionis et applicationem meritorum Christi signis sensibilibus divina voluntate et instituto Christi alligata: sicut e contrario produci gratiam *ex opere operantis* est illam produci non ob rei exhibitae institutionem, non ob dignitatem signorum, non ob merita Christi visibilibus signis alligata, sed intuitu probitatis ministrantium et fidei suscipientium, quemadmodum duo minuta a muliere pauperrima in gazophylacium proiecta, ex opere operantis habuerunt meritum singularis insignisque eleemosynae. Ex hac declaratione patet discrimen, quod inter effectum, qui ex opere operato, et inter effectum, qui ex opere operantis producitur, intercedit; et exinde etiam clare perspicitur, in doctrina catholica, iuxta quam sacramenta gratiam ex opere operato conferunt, vim et efficaciam, adeoque etiam dignitatem ac excellentiam sacramentorum in clarissima luce collocari. — Ast a doctrina catholica longe discesserunt Novatores. Praecipue *Anabaptistae* et *Sociniani* rectam sacramentorum notionem penitus evertunt, quia omnem sacramentorum usum et fructum in eo collocant, ut nuda et sterilia sint signa tum externae professionis fidei christianae, tum distinctionis fidelium ab infidelibus. Hanc *Anabaptistarum* sui temporis opinionem acriter perstringunt *Lutherus* et *Calvinus*, vocantque sacramenta non tantum signacula, sigilla et pignora divinarum promissionum, sed etiam Dei instrumenta et organa gratiae; at nonnisi vocibus ab *Anabaptistis* discrepant; siquidem *Lutherus* et *Calvinus* sacramenta vocant gratiae instrumenta mediate tantum, quatenus scilicet fidem alunt et excitant, qua sola homo iustus fit, et sine qua nullum et vacuum est sacramentum. Ita *Lutherus* (1) scribit: « Baptismus neminem iustificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus... Ideo sunt signa seu sacramenta iustificationis, quia sunt sacramenta iustificantis fidei et non operis; unde tota eorum efficacia est ipsa fides, non operatio; » et iterum (2) dicit: « Nec verum esse potest, sacramentis inesse vim efficacem iustificationis, seu esse signa efficacia gratiae. Haec enim omnia dicuntur in iacturam fidei ex ignorantia promissionis divinae. Nisi hoc modo efficacia dixeris, quod si adsit fides indubitata, certissime et efficacissime gratiam conferunt. » Idem sentit *Melanchthon* (3) scribens de sacramentis: « Fidei excitandae gratia signa sunt proposita. — Probabilis et illi voluntatis sunt, qui symbolis, seu tesseris militaribus haec signa comparaverunt, quod essent notae *tantum*, quibus cognosceretur, ad quos pertinerent promissiones divinae. » *Calvinus* (4) docet, « hoc unicum esse sacramentorum officium, ut Dei promissiones oculis nostris spectandas subiiciant, et eorum nobis sint pignora. » Et ibid. (5) ait, « alias non esse sacramentorum, quam verbi Dei partes, quae sunt, offerre nobis, ac proponere Christum et in eo coelestis gratiae thesauros. » Equidem Protestantes in sua doctrina constantes non fuerunt, sed animad-

(1) L. de captiv. babyl. cap. de bapt.
(2) In eodem libro.
(3) In locis theolog. (editionis primae.)
(4) L. 4 instit. cap. 14, § 12. (5) § 17.

vertentes, in ista efficaciam sacramentorum nimis deprimi, aut potius penitus e medio tolli, ad doctrinam catholicam propius accedere, imo, ut observat cl. *Moehler* (1), in confessione Augustana notionem *operis operati* recipere visi sunt. Ast non possunt Protestantes de sacramentorum efficacia rectos sensus habere, quamdiu affirmaverint solam fidem iustificare. Si enim sola fides est iustificationis causa, legitime infertur, sacramenta se solis, praescindendo a fide, nihil posse, sed inertia esse et sterilia signa, adeoque gratiam ex opere operato non produci. — Contra Protestantes ergo probandum est dogma catholicum, quod cum cl. *Perrone* ita aptissime proponitur: Sacramenta N. L. non sunt instituta ad solam fidem nutriendam, sed continent gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato.

1. *S. Scriptura* effectus sacramentorum spirituales, nempe gratiam, remissionem peccatorum, hominis innovationem, regenerationem, sanctificationem etc. non fidei per signa externa excitatae, sed ipsis ritibus officiisque exterioribus, quibus sacramenta conferuntur, tribuit, ex quo patet, sacramenta ex virtute sibi divinitus insita et propria, seu ex opere operato effectus suos producere. Facillime id ostenditur circa duo sacramenta, quae nobiscum venerantur Protestantes, nempe circa baptismum et eucharistiam. Etenim Christus de baptismo loquens ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (2): ergo vis regenerandi competit aquae baptismali tanquam instrumento, et Spiritui sancto tanquam causae principali, alias frustra et falso diceretur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* etc. Eandem veritatem confirmat Apostolus dicens: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae* (3): quibus verbis homines mundari et sanctificari dicuntur, non per fidem elicitam, sed per ipsum lavacrum, seu baptismum legitime collatum. Idem repetit ad Tit. scribens: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti* (4). Petrus quoque tanquam medium, seu instrumentum, quo obtinetur remissio peccatorum, et accipiuntur dona Spiritus sancti, non fidem, sed baptismum commemorat dicens: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus sancti* (5). Saulum a Christo Iesu mirabiliter vocatum, et certe iam fide repletum, ita allocutus est Ananias: *Quid moraris? Exurge et baptizare, et ablue peccata tua* (6): sicuti ergo aqua sordes corporales detergit, ita baptismus abluit peccata non per fidem quam excitat, sed propria divinitus sibi insita virtute. Quod optime confirmatur per verba Praecursoris dicentis apud Matth.: *Ego baptizo vos in aqua in poenitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (7); quibus verbis apertissime baptismus Christi quoad vim et efficaciam longe praeponitur baptismo Ioannis, imo tantum discrimen inter hunc et illum ponitur, quantum est inter aquam et Spiritum sanctum. Constat autem, baptismum

(1) Symbol. § 29. (2) Io. 3, 5.
(3) Ephes. 5, 25. (4) Tit. 3, 5.
(5) Act. 2, 38. (6) Act 22, 16.
(7) Matth. 3, 11.

Ioannis non iustificasse homines propria virtute, sed excitasse fidem in venturum Messiam, per quam homines iustificabantur: ne ergo dicatur, baptismum Christi quoad efficaciam non differre a baptismo Ioannis, et hunc Praecursorem Domini falsum asseruisse, necessario dicendum est, baptismum Christi alio modo gratiam producere, quam excitando fidem, nimirum conferendo propria virtute Spiritum sanctum, seu ex opere operato. Eodem modo etiam caetera sacramenta gratiam conferre dicuntur, effectus enim illorum salutaris non fidei excitatae, sed ipsis ritibus iuxta institutionem Christi celebratis in S. Scriptura attribuuntur. De confirmatione legitur: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum* (1). De eucharistia Christus ipse dicit: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (2). De poenitentia inquit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De extrema unctione Iacobus ita loquitur: *Orent* (Presbyteri Ecclesiae) *super eum* (infirmum) *ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei* (3). De ordine Paulus scribit: *Noli negligere gratiam, quae data est tibi - cum impositione manuum presbyterii* (4); et iterum: *Resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum* (5). Matrimonii denique gratiam commendat et insinuat Christus, cum nuptias in Cana Galilaeae praesentia sua cohonestavit et sanctificavit. Et haec quidem ex Scripturis ducta probatio sufficiat, plenior enim et accuratior propriis locis servanda est, cum nempe de unoquoque sacramento singillatim tractabitur. Sed quae ex Ss. Bibliis allata sunt, satis ostendunt, sacramenta minime esse signa nuda omni efficientia destituta, quae nonnisi fidem divinis promissionibus habendam excitent, aut nos discipulos Christi esse demonstrent, sed eis vim effectricem gratiae divinae inesse, quam per semetipsa, vi ipsius actionis, virtute Domini, seu Spiritu sancto per eam operante, nobiscum communicant.

2. *Ss. Patres*, quamvis nullibi asserant, sacramenta gratiam conferre *ex opere operato*, quoniam hic modus loquendi post aevum Patrum introductus fuit, idem tamen, quod per praefatam locutionem designatur, aliis verbis tradiderunt. Constanter enim docuerunt, ipsam actionem sacramentalem effectus producere salutares. *Tertullianus* (6) inquit: «Omnes aquae sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de coelis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt.» Et de resur. carnis(7) scribit: «Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur. Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.» *Clemens Alex.* (8) dicit: Baptismus vocatur «lavacrum, per quod peccata abstergimus, gratia autem, qua remittuntur poenae, quae peccatis debentur; illuminatio autem, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur.» *S. Cyprianus* (9) haec habet: Catechumenos «plene sanctificari et esse

(1) Act. 8, 17. (2) Io. 6, 59. (3) Ep. 5, 14 etc.
(4) 1 Tim. 4, 14. (5) 2 Tim. 1, 6.
(6) L. de bapt. cap. 4. (7) Cap. 8.
(8) L. 1 Paedag. cap. 6.
(9) In Ep. 72, ad Stephanum.

filios Dei, » cum sacramento baptismi renascuntur. *Origenes*(1) inquit: «Per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli.» *S. Cyrillus Hier.* (2) adhortatur Catechumenos, ut spectent « ad gratiam sancti Spiritus, quae una cum aqua datur.» *S. Optatus Milev.* (3) ait: « Baptisma Christianorum, Trinitate consecratum, confert gratiam; si repetatur, facit vitae iacturam.» *S. Basilius* (4) affirmat, per baptisma « animam regenerari, et ad verum iuventutis florem reverti;» et paulo post addit: « Baptismus est mors peccati, regeneratio animae, adoptionis donum.» *S. Gregorius Nyssenus*, Orat. in Christi baptisma, non solum ipsum vocat «expiationem peccatorum, remissionem delictorum, renovationis et regenerationis causam;» sed praeterea subdit: « Aqua, cum nihil aliud sit quam aqua, superna gratia benedicente ei, in eam, quae mente percipitur, hominum renovat regenerationem. Quod si quis mihi rursum dubitando et ambigendo negotium exhibeat, continenter interrogans et sciscitans, qua ratione aqua regeneret?—dicam optimo iure ad eum: Ostende mihi modum nativitatis, quae fit secundum carnem, et ego tibi vim regenerationis, quae secundum animam fit, exponam.» *S. Chrysostomus* (5) inquit: «Id, quod illic operatur circumcisio in depositione carnis, id agit hic baptismus in depositione peccatorum.» Et alibi (6) prolixe docet, esse credendum verbis Christi asserentis, aquam vim habere regenerandi, quamvis modus superet rationem. *S. Hieronymus* (7) ad Oceanum scribit: « Quantam vim habeat baptisma, et aqua in Christo sanctificato gratiam, paulo post docebo:» et infra, allatis multis testimoniis et figuris, addit: « Dies me deficiet, si cuncta, quae ad potentiam baptismi pertinent, de scripturis sanctis voluero digerere.» *S. Augustinus* tract. 80 in Ioan. (8) baptismi efficaciam admirans, interrogat: « Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat?» Contr. Crescon. (9) ait: «Non eorum meritis, a quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constat baptismus, sed propria sanctitate, et veritate propter eum, a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.» Et contr. Faustum (10) scribit: « Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.» Porro si sacramenta obiective dumtaxat agerent, movendo et excitando fidem; nihil profecto tam stupendum et ad explicandum difficile occurreret: ergo iuxta *S. Augustinum* alia, quam pure externa et obiectiva, in sacramentis agnoscenda vis est et efficientia. *S. Ambrosius* (11) exemplo Naamani, qui initio lepram suam per aquam mundari posse non credidit, demonstrat verissimum esse, quod nonnullis « impossibile videbatur, ut peccatum ablueret aqua.» *S. Cyrillus Alex.* (12) inquit: «Quemadmodum viribus ignis intensius aqua calefacta non aliter urit, quam ipse ignis; sic Spiritus sancti operatione aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad divinam virtutem et potentiam.» *S. Leo M.* (13) ita loquitur: « Omni homini rena-

(1) Hom. 14. in cap. 2 Lucae.
(2) Catech. 3, n. 3.
(3) Initio lib. 5 c. Parmen.
(4) Hom. If, in bapt. n. 5.
(5) Hom. 39 in genesin.
(6) Hom. 24 in Ioan. (7) Epist. 83.
(8) N. 3. (9) L. 4, cap. 16, n. 19
(10) L. 9, c. 11. (11) L. 2 de poenit. n. 12.
(12) L. 2 in Ioan. cap. 42.
(13) Serm. 6 de Nativ. Dom. cap. 5.

scenti aqua baptismatis est instar uteri virginalis, eodem Spiritu sancto replente fontem qui replevit et Virginem, ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.» *S. Ioan. Damascenus* (1) ita praeclare de sacramentis disserit: « Cum Deo explorata sit imbecillitas humana, quae ut plurimum ea aversatur, quae usu minime trita sunt, hinc fit, ut pro solita sua erga nos indulgentia *per ea, quae naturae familiaria sunt, res natura sublimiores efficiat.* Et sicut in baptismo, quoniam in more hominum positum est, ut aqua laventur et ungantur oleo, *Spiritus gratiam cum aqua et oleo copulavit,* ut lavacrum illud regenerationis faceret: consimili modo quia hominum consuetudo est, ut panem edant, vinumque et aquam bibant, idcirco coniuncta cum illis sua Divinitate, haec corpus et sanguinem suum fecit, ut per usitata et naturae consentanea assurgamus ad ea, quae supra naturam sunt. »

3. *Concilia* dogma catholicum definierunt. *Constantinopolitanum I* hunc articulum fidei credendum proponit. *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*, falsa autem esset talis professio, si baptisma propria virtute remissionem peccatorum non conferret, sed sola fides iustificaret. *Milevitanum II* can. 2 dicit: *Parvuli qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* Et iam ab initio anathema dicit illis, qui negant, per baptismum in parvulis originalem culpam deleri, aut qui dicunt, formam baptismi in remissionem peccatorum in iisdem non verificari. *Arausicanum II* can. 25 ita loquitur: *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint, et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Florentinum* in decreto pro Armenis ait: *Novae legis septem sunt sacramenta, — quae multum a sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. Tridentinum* Sess. VII doctrinam catholicam variis canonibus contra Novatores clarissime definivit; ait enim can. 5: *Si quis dixerit, haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.* Can. 6: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.* Can. 7: *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus; anathema sit.* Can. 8: *Si quis dixerit, per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.*

4. *Ratione theologica* sic veritas iam firmata patescit. Nemo sane inficiabitur, tribus tantum causis tribui posse gratiam, quae in sacramentis confertur, scilicet vel sanctitati et fidei ministri, vel merito subiecti, vel ritui

(1) L. 4 de orth. fide cap. 13.

demum exteriori, quo sacramentum conficitur. Sed huiusmodi gratiae causa non est sanctitas et fides ministri, cum fatentibus etiam Protestantibus, valeat sacramentum, quamvis ab improbo et infideli celebratum; causa non est meritum suscipientis, cum baptismus, quod etiam Lutherani et Calviniani contra Anabaptistas propugnant, iustificet infantes, qui actualis fidei et meriti non sunt capaces. Ergo ritui tantum exteriori sacramenti vis conferendae gratiae adiudicari debet. Sed gratiam conferre vi actionis externae sacramentalis a Christo institutae, ac rite subiecto applicatae, illud apprime significat, quod a Catholicis intelligitur per verba *ex opere operato;* ergo sacramenta N. L. gratiam *ex opere operato* producunt.

Nota 1. Inter Novatorum errores iste quoque recensendus est, quod asserere non erubuerint, sacramenta veteris legis quoad internam efficaciam, seu quoad modum producendi gratiam a sacramentis novae legis distincta non fuisse. *Lutherus* (1) scribit: « Error est, sacramenta novae legis differre a sacramentis veteris legis penes efficaciam significationis, id est, quod nostra efficaciter significent faciendo quod figurant, non illa. » *Calvinus* vero (2) ait: « Quidquid ergo nobis hodie in sacramentis exhibetur, id in suis olim recipiebant Iudaei, Christum scilicet cum spiritualibus suis divitiis. Quam habent nostra virtutem, eam quoque in suis sentiebant; ut scilicet essent illis divinae erga se benevolentiae sigilla in spem aeternae salutis. » Haec porro dictitarunt haeresiarchae, non ut virtutem sacramentorum V. L. extollant, sed ut efficaciam sacramentorum N. L. deprimant, et ostendant, haec sicut illa, nonnisi ad fidem excitandam ordinari, et per hanc iustificare. — Quantum autem Novatores in hac sua sententia a vero aberrent, patet ex argumentis allatis, quibus probatum est, sacramenta N. L. *gratiam ex opere operato conferre.* Nullatenus autem hoc idem de sacramentis veteris legis propugnari potest, quae non solum extrinsece, ut Novatores contendunt, sed etiam intrinsece et quoad efficaciam a sacramentis novae legis differunt. Sicuti enim lex nova legem veterem longe antecellit (3), ita necesse erat, ut etiam sacramenta in nova lege perfectiora et efficaciora essent, quam in veteri lege. Quamvis autem theologi in determinanda efficacia sacramentorum V. T. non consentiant, communiter tamen adhaerent S. *Thomae*, qui omnino denegat sacramentis Mosaicis, imo et ipsi circumcisioni, virtutem iustificandi *ex opere operato*, concedit tamen hanc virtutem *ex opere operantis.* Solidis etenim argumentis probatur, sacramenta veteris legis gratiam non contulisse ex propria virtute, sed solum ex fide in Iesum Christum venturum. David poenitens ita Deum affatur: *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus* (4); ubi totam suae iustificationis causam ab interna cordis contritione, non autem ab externa sacrificiorum oblatione repetit. Paulus Gal. IV, 9 sacramenta V. L. vocat *infirma et egena elementa*, non alia de causa, nisi quia gratiam et sanctitatem ex se minime conferebant, sed solum ex operantis fide et pietate. Hebr. VII, 18 etc. comparationem inter veterem et novam legem instituens ait: *Reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem eius, et inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex:*

(1) L. de capt. babyl. c. de bapt.
(2) L. 4 Inst. cap. 14, n. 23.
(3) § 393, not. 2.
(4) Ps. 50.

id est, reiicitur Aaronicum sacerdotium et lex Mosaica, non quod mala sint, sed quia imperfectiora et insufficientia ad iustificandos homines : nullum enim hominem lex potuit ad veram iustitiam perducere. Hebr. IX, 9 dicit : *Munera et hostia offeruntur, quae non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem.* Et Hebr. X, 1 etc. inquit : *Umbram enim habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere ;* et postea: *Impossibile enim est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.* — Cum testimoniis biblicis consentiunt Ss. Patres, qui inter sacramenta veteris et novae legis ratione efficaciae maximum discrimen agnoverunt. *S. Basilius* (1) ait : « Quid igitur confers baptismata (utriusque testamenti) quorum sola communis appellatio, rerum autem tanta differentia, quanta somnii a veritate ac umbrae et imaginum ab his, quae revera subsistunt ? » *S. Ambrosius* in lib. de sacramentis (2) inquit : « Diviniora et priora sunt sacramenta Christianorum, quam Iudaeorum : » et in lib. de Mysteriis (3) comparans manna in deserto cum sacrosancta eucharistia scribit : « Panem illum, qui manducaverunt, omnes mortui sunt in deserto, ista autem esca, quam accipis, iste panis vivus, qui de coelo descendit, vitae aeternae substantiam subministrat. *S. Chrysostomus* (4) ait : « Iudaica expiatio nequaquam a peccatis liberabat, sed a corporeis sordibus tantum, nostra vero talis non est : sed multo maior, ac multa gratia referta, nam et a peccatis liberat, et animam emundat, et spiritus gratiam largitur. » *S. Augustinus* Enarr. in Ps. (5) inquit : « Sacramenta non eadem (in utroque testamento), quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem, sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. — Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, sublimiora, feliciora. » Contr. Faustum (6) scribit : « Proinde prima sacramenta, quae observabantur et celebrabantur, ex lege praenuntiativa erant Christi venturi, quae, cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt.... et alia sunt instituta virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. » Et quaest. 25 in lib. Numerorum ait : « Si per se attendantur (sacramenta vetera), nullo pacto possunt mederi ; si autem res ipsae, quarum haec sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum ; » quibus verbis S. Doctor clare adseverat, quod contendimus, nempe vetera sacramenta ex se, seu ex opere operato non iustificasse, sed ex fide dumtaxat, seu ex opere operantis. — Testimoniis S. Scripturae et Ss. Patrum accedunt definitiones Conciliorum. *Eugenius IV* in decreto pro Armenis dicit : *Novae legis septem sunt sacramenta, — quae multum a sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant : haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Et *Concilium Tridentinum* (7) haec habet : *Si quis dixerit, ea ipsa novae legis sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae et alii ritus ex-*

(1) L. de Spir. S. cap. 14, n. 32.
(2) L. 1. cap. 4. (3) Cap. 8.
(4) Orat. de bapt. Chr. n. 3.
(5) Ps. 73, n. 2. (6) L. 19, cap. 13.
(7) Sess. 7, can. 2.

terni; anathema sit. Ex isto canone recte infertur, sacramenta novae legis a sacramentis veteris legis non solum extrinsece, sed etiam intrinsece et quoad efficaciam differre. Communior ideo theologorum sententia est, quae tum in decreto pro Armenis, tum in Catechismo romano proponitur, nempe sacramenta veteris legis non ex se, seu ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, seu per fidem in Christum venturum gratiam produxisse. Non tamen haec sententia ut fidei dogma statui potest, quum, ut passim theologi docent, mens *Eugenii IV* non fuerit, quae in decreto suo proponuntur, ut totidem articulos fidei praescribere. Quamobrem licet omnes theologi catholici magnum inter sacramenta V. et N. T. discrimen agnoscant, non consentiunt tamen in modo explicando, quo sacramenta veteris legis gratiam intulerint. Non pauci enim, nec ignobiles theologi sentiunt, sacramenta V. T., utpote signa protestativa fidei, vim habuisse remittendi peccata *ex opere operato*, non quidem *per se*, sed, ut aiunt, *per accidens*, quatenus Deus his signis fidei protestativis alligaverit gratiam suam. Nam, aiunt hi theologi, sacramenta V. T. *per se* instituta sunt ad significandum Christum; ratione autem huius significationis gratiam producebant. Ita *Hugo Victorinus, S. Bonaventura, Estius* (1), aliique. Hi propterea hoc agnoscunt discrimen inter utriusque legis sacramenta, quod mosaica primo et per se ordinata fuerint ad significationem futurorum, non autem ad efficiendum aliquid nisi exterius circa carnem. Attamen, quia significabant id quod fides credit, in eorum susceptione fuerunt fidei protestatio, atque idcirco per accidens et secundario illa sacramenta iustificabant: sacramenta vero N. T. cum primo et per se ordinata sint ad gratiam conferendam, et non solum ad significandum aliquid, iustificant per se. Ita fere *S. Bonaventura* in 4 sent., dist. 1, q. 5, qui concludit, sacramenta N. L. iustificare per se, sacramenta autem V. L. non iustificasse nisi per accidens. Haec sententia his theologis commodior videtur ad componenda Scripturarum et Patrum testimonia, quae videntur vim aliquam tribuisse V. T. sacramentis. Sic Levit. (2), et Num. (3) sacrificiis Leviticis, quae pro peccato offerebantur, effectus remissionis peccatorum tribuitur his atque similibus verbis: *Orabitque pro eo sacerdos, et dimittetur ei, et propitius erit ei Dominus... Sanguis pro animae piaculo est.* Haec confirmantur ex iis, quae scribit Apostolus de sacrificiis V. T.: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificii pro peccatis* (4). — Quibus consonant, quae de sacramentis V. T. habent *S. Augustinus* et *S. Ambrosius*, quorum prior (5) dicit, ea « inenarrabiliter plurimum valere; » alter vero (6): « Circumcisio purificavit, sanctificavit lex, vivificavit gratia. » Quidquid porro de hac controversia sit, illud commodi ex ea habemus, quod tuto possit affirmari, sententiam asserentem sacramenta V. L. produxisse gratiam ex opere operato saltem per accidens, fidei non adversari: ut enim scite observat *Bellarminus* (7), haec scholasticorum doctrina, quae talem tribuit efficaciam sacramentis V. T., praesertim vero circumcisioni, confundi nequit cum erroribus haereticorum. Isti

(1) In 4, dist. 1, § 28. (2) Cap. 1, 6 et 17.
(3) Cap. 15. (4) Hebr. 5, 1.
(5) L. 19 c. Faustum cap. 11.
(6) L. 7 in Luc. n. 116.
(7) L. 2 de Sacram. cap. 15 n. 6.

enim sacramentorum omnium tam N. quam V. legis vim exaequant, detrahendo N. L. sacramentis, dum negant, ab istis produci gratiam *ex opere operato*, contra vero scholastici illi sacramentis a Christo institutis nihil detrahunt, sed vetera tantum extollunt, nec sine aliqua restrictione. In istorum theologorum sententia facilius etiam componuntur, quae de vi et efficacia circumcisionis contraria praedicari videntur sive a Ss. Litteris, sive a Ss. Patribus. Etenim Gen. XVII. 14 legitur: *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quibus verbis potissimum innixus *S. Augustinus* contendit, circumcisionem institutam fuisse ad delendum peccatum originale. Eum plures theologi sequuntur. Contra vero Apostolus inquit: *Circumcisio nihil est* (1). Et Gen. l. c. (2) instituta circumcisio perhibetur, *ut sit in signum foederis*, initi scilicet cum Abraham eiusque posteritate. Hinc *S. Iustinus* (3) scribit: « Circumcisionem (Abraham) accepit in signum, non ad iustitiam. » Similia habent *S. Irenaeus*, *Tertullianus*, *S. Chrysostomus* aliique Patres graeci et latini, quos secutus *Bellarminus* (4) nihil in circumcisione praeter merum signum agnovit, nullam habens tollendi peccata efficiam. Hi proinde theologi spectant circumcisionem in se; alii, qui *S. Augustino* adstipulantur, spectant circumcisionem veluti fidei protestativam. Nil porro vetat, quominus sub hoc posteriori respectu in circumcisione etiam agnoscatur remedium ad tollendum peccatum originale, dummodo id non intelligatur in sensu, ut aiunt, exclusivo, cum plura media ad hunc effectum producendum esse potuerint, praesertim pro infantibus ante octavum diem decedentibus et pro feminis (5).

Nota 2. Quo pertinacius Protestantes errori suo de sola fide iustificante institerunt, eo acriori calamo doctrinam catholicam, quae sacramentis vim producendi gratiam *ex opere operato* tribuit, insectati sunt. Quamvis autem falsum Protestantium principium iam alibi refutatum fuerit (6); speciales tamen difficultates, quas doctrinae nostrae de sacramentis opponunt, hic solvere oportet.

Obi. I. Scripturae soli fidei iustificandi virtutem tribuunt, non autem baptismati, aut aliis sacramentis. Ita Act. XV, 9 Petrus inquit: *Nihil* (Deus) *discrevit inter nos et illos* (Gentiles), *fide purificans corda eorum*; et I Petr. I, 23 etc. de fidelibus scribit: *Renati - per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum..... Hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos;* et ibid.: *Salvos facit Baptismus, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi* (7). Quare et Iacobus scribit: *Genuit nos verbo veritatis* (8), i. e. iustificavit nos, non baptismo, sed verbo praedicato, per quod fides excitatur. Neque ab his discrepat Paulus, qui non solum universim pronunciat: *Iustus ex fide vivit* (9), sed praeterea salutem et iustitiam adscribit *verbo fidei*, quod praedicatur (10), nulla facta baptismi mentione, atque mundandi virtutem, quae lavacro inest, tribuit *verbo vitae* (11), id est, verbo doctrinae, ut exponit *Hieronymus*.

Resp. Generalis regula est, quod, dum ad effectum producendum plu-

(1) 1 Cor. 7, 19. (2) C. 17, v. 11.
(3) In Dial. c. Tryph. n. 23.
(4) L. 2 de Sacram. c. 15.
(5) V. Perrone de Sacr. in gen. cap. 5, n. 187-150. (6) § 466. (7) C. 3, v. 21.
(8) Epist. 1, 18. (9) Hebr. 10, 38.
(10) Rom. 10. (11) Ephes. 5, 26.

res causae concurrunt, si iste uni causae adscribitur, altera non negatur. In iustificatione autem plures causae concurrunt, nempe principalis, seu efficiens, meritoria, instrumentalis etc. et ad eandem etiam plures dispositiones tanquam necessariae conditiones requiruntur. Inter istas autem primarium locum tenet *fides*, quae, ut loquitur *Concilium Tridentinum* (1), *est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire*. His praenotatis, facile intelligitur, textus S. Scripturae citatos doctrinae catholicae nullatenus adversari; indigitant enim solum, quod omnes catholici admittunt, fidem esse primam dispositionem, et maxime necessariam conditionem et iustificationem obtinendam ab adultis: nisi enim praecessisset praedicatio doctrinae evangelicae, eique per divinae gratiae adiumentum illi, quibus nunciata est, pronas aures praebuissent, assentiendo pio credulitatis affectu, neque tingi potuissent, neque ad salutem pervenire. Hinc proinde fidei, tum baptismatis, tum aliorum sacramentorum effectum tanquam necessariae dispositioni adscribunt Apostoli. Nullibi autem *soli fidei* adscribunt iustificationem, ita ut aliae causae et dispositiones excluderentur. Sicuti ergo, ipsis fatentibus Protestantibus, in locis citatis, in quibus iustificatio fidei adscribitur, non excluditur causa efficiens, nempe *unus Deus, qui iustificat*, neque causa meritoria, scilicet Christus; ita rectissime adseveramus, in citatis locis, in quibus fides commendatur, non excludi alias dispositiones, quae alibi pro iustificatione exiguntur, atque praecipue non excludi causam iustificationis instrumentalem, quam constituunt sacramenta, de quorum necessitate et efficacia alibi sermo habetur. Caeterum varii theologi textus Scripturae nobis obiectos etiam singillatim explanarunt, eaque doctrinae catholicae non adversari ostenderunt, ut *Bellarminus* (2), *Tournely* (3), *Gazzaniga* (4).

Obi. II. *S. Augustinus* tract. 80 in Ioan. n. 3 allata scripturarum eloquia ita exponit, ut a sola fide vim iustificandi in sacramentis repetat. Expendens enim Christi dictum: *Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis* (5), ita disserit: « Quare non ait: *mundi estis* propter baptismum, quo loti estis, sed ait: *propter verbum, quod locutus sum vobis*, nisi quia et in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum..... Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. *Hoc est verbum fidei, quod praedicamus*, ait Apostolus, *quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, et credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (6). Unde in Actibus Apostolorum legitur: *Fide mundans corda eorum*; et in Epistola sua B. Petrus: *Sic et vos*, inquit, *baptisma salvos facit*, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio. Hoc est verbum fidei, quod praedicamus; quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur et baptismus. *Christus*

(6) Sess. 6, cap. 8. (2) L. 2 de Sacr. cap. 9.
(3) De Sacram. in gen. q. 3, art. 1.
(4) De Sacram. Diss. 1, cap. 10.
(5) Io. 15. (6) Rom. 10, 9.

quippe, nobiscum vitis, cum Patre agricola, *dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea.* Lege Apostolum et vide quid adiungat: *Ut eam sanctificaret*, inquit, *mundans eam lavacro aquae in verbo.* Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur *in verbo.* » Ergo iuxta *S. Augustinum* homines non per baptismum, sed per fidem iustificantur, et verbum quod dicitur *sacramentale*, et cui tribuitur iustificandi vis, non est verbum *consecratorium*, sed verbum *concionale,* quod praedicatur et creditur, et per quod Christus mundatos Apostolos fuisse testatur.

Resp. Male adversarii abutuntur auctoritate *S. Augustini*, qui pluribus in locis sat perspicue baptismi et aliorum sacramentorum vim et efficaciam a verbis consecratoriis repetit. Sic in Epist. 23 (1) ad Maximin. ait: « Ego unum baptismum novi Patris et Filii et Spiritus sancti nomine consecratum atque signatum. Hanc formam, ubi invenio, necesse est, ut approbem. » Et l. III de bapt. c. 15, Baptisma evangelicis verbis consecratum vocat *integrum sacramentum,* quamvis a Marcione, a Valentino, aut Ario, Eunomio, aut ab alio haeretico collatum, ubi per evangelica verba certe intelligit verba consecratoria a Christo praescripta, non autem doctrinam, seu praedicationem haereticorum, quam ut falsam et impiam detestatur. Similia pluribus in locis repetit. Quis iam sibi persuadebit, tam eximium Doctorem sibi turpiter contradixisse, et in tract. 80 in Ioan. soli fidei, per verba concionatoria eliciendae sacramentorum efficaciam adscripsisse? Hanc non fuisse mentem S. Doctoris, facile ostenditur, quamvis ipsius verba in citato tractatu subobscura sint, et a Catholicis duplici modo exponantur. Nonnulli enim, duce *S. Thoma* (2), dicunt, *S. Augustinum* citatis verbis docere, ad valorem baptismi requiri, ut cum materia coniungatur forma, scilicet explicita invocatio SS. Trinitatis. Probat enim variis Scripturae testimoniis, per idem verbum, quod praedicare iussi sunt Apostoli, consecrari debere baptismum. Et quod praecipue notandum est, ibidem addit: « Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, *quamvis nondum valentem corde credere ad iustitiam,* nec ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: *Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis;* » cum autem S. Doctor hic loquatur de infantibus nondum credere valentibus, prorsus manifestum est, quod per *verbum fidei* non intelligat verbum concionatorium, per quod fides excitetur, sed consecratorium, quod accedens ad elementum, perficit sacramentum (3). — Alii vero existimant, in citato loco non aliud propositum fuisse *S. Augustino*, nisi ut necessitatem fidei ex parte adultorum suscipientium baptismum commendet. Ideo adducit verba Christi: *Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis,* ut inde conficiat, sine effectu percipi sacramentum baptismi ab adultis, si non praecedat in eis, vel saltem comitetur fides in Christi doctrinam, quae complectitur ipsa verba, de quibus credendum est, quod si accedant ad elementum, conficiant sacramentum. Sed ne quis sibi in animum induceret, baptismi verba per se mundare, etiamsi nulla adsit fides

(1) Al. 203. (2) 3 p., q. 60, art. 7 ad 1.

(3) V. Gazzan. De Sacr. Diss. 1, c. 10, n. 362 et seq.

ex parte suscipientium addit S. Doctor: « Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? » Ac si diceret: Ne putetis, prolationem verborum, quibus Ecclesiae ministri in baptizando utuntur, ad mundationem animae sufficere. Nisi enim is, qui baptisma suscipit, credat in Christum iuxta verbum fidei, quod Apostoli praedicarunt, atque adeo firma fide persuasus sit in materiali sono verborum, quibus aqua consecratur, divinam virtutem inesse, « nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, » ut ibidem ait, spiritualis mundationis effectum non consequetur. Ex fide igitur, quam verbo Dei habemus, mundatio animae pendet. Quod si parvulos obiicias, respectu eorum fides Ecclesiae sufficit, cuius auctoritate baptizantur: quod S. Doctor claris verbis exponit, quae autem ab adversariis omittuntur, quoniam manifeste ostendunt, per *verbum fidei* in citato textu non verbum concionatorium, sed *consecratorium* intelligi (1).

Obi. III. *S. Augustinus* lib. XV de Trin. (2) negat ab Apostolis datum esse Spiritum sanctum, licet sacramenta administrarent; ait enim: « Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. » Ast si ex opere operato produceretur gratia, dicendum foret, illum ipsum, qui confert sacramentum, dare Spiritum sanctum. Igitur *S. Augustinus* sacramentis vim producendi gratiam ex opere operato non tribuit; quod etiam ex eo confirmatur, quia S. Doctor discrimen inter sacramenta V. et N. T. non agnovit; scribit enim tr. 26 in Io. (3): « Sacramenta illa in signis (a nostris) diversa sunt; in re, quae significatur, paria. — Aliud illi, aliud nos (sumimus), sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spirituali. » Nec alia est caeterorum Patrum sententia, qui sacramenta vocant *signa*, *sigilla*, *symbola*, *pignora* etc. gratiae nempe per fidem adeptae.

Resp. S. Augustinus in priori loco totus in eo est, ut contra Arianos Christi probaret divinitatem, et argumentum ex eo quoque desumit, quia Christus dicitur dare et mittere Spiritum sanctum, quod solum a persona divina, a qua data seu missa procedit, intelligi potest. Idcirco exclamat: « Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus Deus est, qui dat Deum? » Immediate autem subiungit verba in obiectione posita; negat nempe, discipulos, eo modo, quo Christus, i. e. propria virtute dedisse Spiritum sanctum; non negat autem, datum esse ab ipsis Spiritum sanctum ut a causa ministeriali, sed id sat perspicuo profitetur. In altero vero loco tantum docet S. Pater, sacramenta V. et N. T. eatenus paria esse, quatenus omnia ad Christum referuntur, atque causae nostrae iustificationis illae dispositivae, hae instrumentales sunt; nequaquam autem quatenus utraque eodem modo gratiam operentur in nobis, quod non semel disertis verbis negat S. Doctor. (V. notam praec.) — Ss. Patres sacramenta signa nominant, quia vere signa, sensibus subiecta sunt, sed signa talia, quae non solum significant, sed etiam efficiunt gratiam quod Patres non negant. Sigilla vero ea sacramenta vocant, quae characterem imprimunt, de quo inferius agetur.

(1) V. Perr. De Sacr. in gen. c. 2, n. 59-69.

(2) Cap. 26, n. 46. (3) N. 12.

Obi. IV. Si sacramenta ex opere operato gratiam producunt, sequitur, ex parte hominis sacramentum suscipientis nec fidem, nec aliam dispositionem requiri, imo omnem pium motum excludi, quod scholastici ante reformationis tempora passim docuerunt. Tali autem ratione in crassum mechanismum convertitur res iustificationis sacratissima, et homines plane invitos ad salutem trahi docetur.

Resp. Tametsi sacramenta vim suam et efficaciam in seipsis habeant, neque a suscipientis praeparatione depromant, nemo tamen Catholicorum est, qui nesciat, fidem, poenitentiam et alias virtutes requiri tanquam dispositionem ad gratiam sacramenti excipiendam. Id patet ex doctrina catholica de iustificatione § 464 et seq. — Falsum quoque est, veteres scholasticos aliam doctrinam proposuisse, et necessitatem dispositionis in adultis sacramentum suscipientibus non agnovisse. Contrarium ex ipsorum scriptis patet. Sufficiat duos audire, qui hac locutione, *ex opere operato*, inter primos usi sunt. *S. Bonaventura* in Breviloq. (1) disserens de baptismo ait: « Necessaria est adulto fides propria et poenitentia.... ne pro humano defectu impediatur baptismatis sacramentum, quo minus habeat finem suum. » Et *Io. Duns Scotus* (2) loquens de convenientia sacramentorum per signum externum gratiam producentium inquit: « Talem effectum signari per signum practicum certum et efficax, fuit congruum, *ut et homo ex tali signo effectum cognoscat, et in tali signo ardenter quaerat;* nec tamen congruit, signum illud esse certum certitudine demonstrativa, sed quasi ut in pluribus... (quia si illa haberetur) *auferret a suscipiente debitam praeparationem; sufficeret enim sibi, quod qualitercunque indispositus illud signum susciperet* etc. » *Quamobrem*, recte *Concilium Tridentinum* haereticorum calumniam propulsans ait: *Falso quidam calumniantur Catholicos, quasi tradiderint, sacramentum poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit* (3). Ipsi etiam moderatiores Protestantes doctrinam catholicam contra aliorum calumnias defenderunt. Sic *Hugo Grotius* (4) ait: « Opus operatum intelligitur de efficacia, ad honorandam Ecclesiam et eius unitatem nobis commendandam, sacramentis attributa. Caeterum non negant Catholici requiri ad salutarem usum in adultis fidem et Dei amorem; et haec ita aiunt requiri, ut efficaciae honor Deo salvus sit. In his omnibus nihil est controversiae, si dextera interpretatio accedat. » Eodem modo doctrinam catholicam vindicant *And. Fabricius*, *Leibnitzius* et alii. Mirum proinde est, veterem calumniam a recentioribus, qui de maiori eruditione gloriantur, recoctam fuisse (5).

Obi. V. Si Catholici docent, ad gratiam in sacramentis percipiendam dispositiones requiri, et ab istis effectum sacramentorum pendere, hoc ipso negant, sacramenta *ex opere operato* gratiam conferre, fatenturque eam tantum produci *ex opere operantis*.

Resp. Iuxta doctrinam catholicam dispositiones ad sacramenta digne et salubriter suscipienda requisitae non ex se gratiam producunt, sed solum

(1) R. 6, cap. 7.
(2) In lib. 4 Sent. Dist. 1, q. 3.
(3) Sess. 14, cap. 4.
(4) In adnot. ad Cassandrum.
(5) Cf. cl. Moehler in defensione symbolicae contra D. Baur, cap. 3, a. 1, § 51 et seq.

obices tollunt, quibus sublatis, sacramenta gratiam producunt. Nulla ergo contradictio occurrit, sed rectissime dispositiones necessariae dicuntur, et tamen vis producendi gratiam sacramentis adscripta manet. Optime id declarat *Bellarminus* (1) dicens: « Ut intelligamus, quid sit *opus operatum*, notandum est, in iustificatione, quam recipit aliquis, dum percipit sacramenta, multa concurrere; nimirum ex parte Dei voluntatem utendi illa re sensibili; ex parte Christi passionem eius; ex parte ministri potestatem, voluntatem, probitatem; ex parte suscipientis voluntatem, fidem et poenitentiam; denique ex parte sacramenti ipsam actionem externam, quae consurgit ex debita applicatione formae et materiae. Caeterum ex his omnibus id, quod active et proxime, atque instrumentaliter efficit gratiam iustificationis, est sola illa actio externa, quae sacramentum dicitur, et haec vocatur opus operatum, accipiendo passive (operatum), ita ut idem sit, sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis a Deo ad hoc institutae, non ex merito agentis, vel suscipientis, quod *S. Augustinus* (2) expressit illis verbis: *Ipsum per se ipsum sacramentum multum valet*. Nam voluntas Dei, quae sacramento utitur, concurrit quidem active, sed est causa principalis. Passio Christi concurrit, sed est causa meritoria, non autem effectiva, cum non sit actu, sed praeterierit, licet maneat obiective in mente Dei. Potestas et voluntas ministri concurrunt necessario, sed sunt causae remotae; requiruntur enim ad efficiendam ipsam actionem sacramentalem, quae postea immediate operatur. Probitas ministri requiritur, ut ipse minister non peccet sacramenta ministrando; non tamen ipsa est causa gratiae in suscipiente, nec iuvat suscipientem per modum sacramenti, sed solum per modum impetrationis et exempli. Voluntas, fides et poenitentia in suscipiente adulto necessario requiruntur ut dispositiones ex parte subiecti, non ut causae activae; non enim fides et poenitentia efficiunt gratiam sacramentalem, neque dant efficaciam sacramenti, sed solum tollunt obstacula, quae impedirent ne sacramenta suam efficaciam exercere possent; unde in pueris, ubi non requiritur dispositio, sine his rebus fit iustificatio. Exemplum esse potest in re naturali. Si ad ligna comburenda primum exsiccarentur ligna, deinde excuteretur ignis ex silice, tum applicaretur ignis ligno, et sic tandem fieret combustio, nemo diceret, causam immediatam combustionis esse siccitatem, aut excussionem ignis ex silice, aut applicationem ignis ad ligna, sed solum ignem ut causam primariam et solum calorem et calefactionem, ut causam instrumentalem. »

Obi. VI. Haec formula: *ex opere operato*, nova est et barbara, imo et contra leges grammaticae peccat, quia verbum deponens sumitur in sensu passivo. Ergo *Concilium Tridentinum* vocem istam decretis suis inserens, praeceptum Apostoli (3) violavit, et merito illos ad indignationem movit, qui grammaticae latinae regulis probe imbuti sunt.

Resp. Apostolus l. c. formam sanorum verborum commendat, et: *Profanas vocum novitates* (4), devitare iubet; ast profanae non sunt novitates vocum, quae antiquam doctrinam clarius et brevius exprimunt,

(1) L. 2 de Sacram. cap. 1.
(2) L. 4 de bapt. c. 24.
(3) 2 Tim 1, 13. (4) 1 Tim. 6, 20

Iam *Concilium Nicaenum I* Symbolo addidit vocem *consubstantialis*, quam aptissimam iudicavit, ad dogma fidei definiendum, et ad omne effugium haereticorum praecludendum. Eadem auctoritate et prudentia *Concilium Tridentinum* vocem *ex opere operato* canoni inseruit, quia haec vox aptissima est ad virtutem sacramenti a fide suscipientis clare distinguendam, et ad omne effugium haereticorum praecludendum. Nimis fastidiosi sunt, qui voces rebus exprimendis idoneas aspernantur, quod novae sint, cum res ipsae novae non sint, quae novo modo exprimuntur. Sed aiunt, contra leges grammaticae *operatum* passive accipi. Nonne id etiam Vulgata habet, ut cum dicitur: *Talibus hostiis promeretur Deus* (1). Sed neque apud optimos auctores id insolens est, verba deponentia passivo significato efferri; sic ipse *Cicero* ad Nepotem scribit: « Qui pauper est, aspernatur; » plura adducit *Ioannes Filesacus* in defensione Vulgatae. Caeterum Ecclesia definitiones edit, non ut ornatum sermonis praeseferat, sed ut orthodoxam doctrinam proponat, et contra adversarios defendat. Huic scopo voces accommodandae sunt. *S. Augustinus* maluit dicere *ossum, ossi*, quam *os, ossis*, ut facilius intelligeretur; atque ideo (2) dicit: « Melius est, ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi. » Non requirenda est, ait *Vinc. Lupoli* (3), aurea, vel argentea clavis, quae aperiendo sit impar: desideranda ferrea vel lignea, modo ad aperiendum claudendumque idonea videatur.

Nota 3. Quaestio inter theologos movetur, qua ratione sacramenta gratiam conferant, an ut verae causae physicae, an ut causae dumtaxat morales, non quidem primariae, sed instrumentales; quae sane quaestio confundenda non est cum priori, quae est de efficacia sacramentorum ex opere operato; prior quippe ad substantiam dogmatis catholici pertinet, posterior ad modum dumtaxat explicandi dogma catholicum; prior fidei est, posterior opinionis scholae. Ut autem status quaestionis intelligatur, notandum est, duplicem generatim distingui causalitatis, seu efficientiae modum, *physicum* unum, *moralem* alterum. *Physicus* agendi modus ille est, qui effectum immediate producit per realem influxum, motum et contactum, quomodo ignis calorem, sol lumen producit. *Moralis* vero ille dicitur, qui movendo dumtaxat et excitando alium ad operandum, sive imperio, sive consilio et suasione, sive merito, aut ex pacto quodam foedere aliquid operatur; ita dominus imperans servo, ut aliquem occidat, est causa moralis homicidii. Iuxta hunc duplicem causalitatis, seu efficientiae modum theologi in duas potissimum abeunt sententias, dum de modo quaeritur, quo sacramenta gratiam producunt.

a) *Thomistae*, quos sequuntur *Bellarminus, Suarez, Valentia, Silvius, Salmanticenses* et alii, fatentur quidem, Deum esse causam primariam et principalem gratiae, quae per sacramenta confertur, sicut faber lignum dividens et secans est causa principalis sectionis ligni; dicunt autem, sacramenta esse causas instrumentales, quae physice ad producendam gratiam concurrunt, sicut serra, qua utitur faber ad dividendum lignum, est causa instrumentalis physica sectionis ligni. Sententiam suam probant *ex S. Scriptura*, quae sacramentorum energiam enun-

(1) Hebr. 13, 16. (2) Enar. in Ps. 138.

(3) Iur. Eccles. t. 3, c. 1, § 3.

tiat verbis, quae maxime physico instrumento conveniunt; inquiunt enim, hominem *renasci ex aqua*, salvari *per lavacrum regenerationis*, mundari *lavacro aquae, gratiam recipere per manuum impositionem;* aequum est autem, ut Ss. Litterae, ubi nulla occurrit contradictio, sensu obvio et litterali intelligantur. Citant etiam pro sua sententia testimonia Ss. Patrum. *Tertullianus* (1) ait: « Nos pisciculi in aqua nascimur. » *S. Cyrillus Hier.* (2) inquit: « Aqua simplex per sancti Spiritus, Christi et Patris invocationem accepta virtute sanctitatem consequitur. » *S. Chrysostomus* (3) dicit: « Quod est uterus embrioni, hoc est fidei aqua. » *S. Augustinus* (4) exclamat: « Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat? » cui admirationi locus non esset, si moralis tantum sacramenti causalitas admittatur. *S. Cyrillus Alex.* (5) scribit: « Quemadmodum virtute ignis non aliter, quam ignis urit aqua, sic operatione Spiritus sancti aqua illa, qua baptizati corpus aspergitur, in divinam reformatur virtutem et potentiam. » *S. Leo M.* (6) ait: « Omni homini renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu sancto replente fontem, qui replevit et Virginem. » Et (7): « Virtus Altissimi, quae fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem fecit, ut unda regeneret credentem. » Ss. Patres ergo sacramenta comparant causis physice effectum producentibus, et satis clare docent, Spiritum sanctum signis exterioribus talem vim tribuere, ut tanquam causae physicae effectus suos producant. — Praecipue vero innituntur huius sententiae patroni auctoritati *S. Thomae*, qui (8) ita ratiocinatur: Cum imprimis pro certo statuat, sacramenta N. L. causare gratiam, quaerens deinde per quem modum id fiat, dicit: « Quidam dicunt, quod non sunt causa gratiae aliquid operando, sed quia Deus sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur: et ponunt exemplum de illo, qui afferens denarium plumbeum accipit centum libras ex regis ordinatione, non quod denarius ille aliquid operetur ad habendam praedictae pecuniae quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas regis... Sed si quis recte consideret, iste modus non transcendit rationem signi; nam denarius plumbeus non est nisi quoddam signum regiae ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab isto... Secundum hoc igitur sacramenta novae legis nihil plus essent, quam signa gratiae; cum tamen ex multis sanctorum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta novae legis non solum significant, sed causant gratiam. Et ideo aliter dicendum, quod duplex est causa agens, principalis et instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit; et hoc modo nihil potest causare gratiam nisi Deus: — Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum, quo movetur a principali agente; unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta novae legis gratiam causant. Adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. Unde *S. Augustinus* (9)

(1) L. de bapt. c. 1. (2) Catech. 3.
(3) Hom. 25 in Ioan.
(4) Tract. 80 in Ioan. n. 3.
(5) L. 2 in Io. cap. 42. (6) Ser. 4 de nativ.
(7) Serm. 6. (8) 3 p., q. 62, art. 1.
(9) L. 19 c. Faust. can. 13.

dicit : Haec omnia scilicet sacramentalia fiunt, et transeunt; virtus tamen, scilicet Dei, quae per ista operatur, iugiter manet. Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Unde ad Tit. III : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.*» Quibus verbis *S. Thomas* suam sententiam non solum clare manifestat, sed etiam probat. Nam iuxta *Concilium Tridentinum* baptismus est causa instrumentalis iustificationis; ergo Deus per baptismum, seu per ablutionem operatur, seu producit iustificationem. Non potest autem Deus dici, per baptismum, tanquam per instrumentum operari, si baptismus est tantum causa moralis, per quam Deus ad dandam gratiam movetur. Necessario ergo dicitur sacramenta physice gratiam producere; haec enim sententia congruit praestantiae et dignitati sacramentorum N. L. quae sunt signa efficacia, et non solum significant et continent, sed etiam producunt gratiam, et quidem ex opere operato. Certum quidem est, Deum nunquam instrumento indigere, sed immediate omnes effectus materiales et spirituales, solo nutu omnipotentis suae voluntatis producere posse. Certum autem pariter est, Deum pro infinita sapientia sua persaepe causis intermediis, seu instrumentis uti, quibus eodem nutu omnipotentis suae voluntatis virtutem tribuit, qua physice effectus producant: sic Deus est, qui igni calorem, soli lumen, semini fructus producendi vim tribuit. Cum autem certum sit, Deum sacramentis tanquam instrumentis uti velle ad gratiam producendam, omnino dicendum est, eodem omnipotentis voluntatis nutu iisdem vim tribui, physice gratiam producendi. — Quod si sacramenta moraliter tantum gratiam conferunt, quia ad nanc concedendam Deum movent, vel quia hanc concedendi promissio divina seu pactum extat; vix declarari potest, cur non etiam oratio, saltem vocalis et signis externis iuncta, inter sacramenta numeretur, cum illa quoque Deum ad concedendam gratiam moveat, et magnificae ei promissiones factae sint (1).

b) *Scotistae*, quibus assentiunt *Vasquez, Tournely* et plerique theologi recentiores, docent, a sacramentis novae legis non effici gratiam physice, sed tantum moraliter, ac per modum impetrationis, aut si ita loqui placeat, quia movent efficaciter Deum ex pacto, quo se obstrinxit, ut ad praesentiam signorum sacramentalium gratiam conferat iis, qui debite praeparati sacramentorum participes fiunt. In sententia sua probanda Scotistae ita fere procedunt. Causalitas physica sacramentorum nullo satis iuxmo in Scripturis et Ss. Patribus fundamento nititur; efficacia enim, quae ab his et illis sacramentis tribuitur, per causalitatem moralem satis explicatur, quia causa moralis tam vere causa est et efficax, quam causa physica; imo effectus aliquando magis imputatur causae morali, quam physicae; sic Iudex innocentem condemnans ad mortem, eum magis occidisse censetur, quam carnifex. Praeterea physica illa causalitas multa continet explicatu difficilia et incredibilia. Nam gratia adeo sublimis est, ut nulla virtus creata possit illam producere. Imo gratia sanctificans, non repugnantibus Thomistis, creatur. At nulla creatura potest assumi tanquam instrumentum ad opera creationis; ergo nec sacramentum sensibile ad gratiae productionem. Accedit alia difficultas. Nam causa physica non agit, nisi quando physice et

(1) Cf. Billuart de Sacram. diss. 3, art. 2.

secundum suam entitatem existit. Atqui sacramenta, quae in actione transeunte, sive in usu existunt, gratiam producunt in eo instanti, quo non amplius physice existunt. Sacramentalis enim gratia non infunditur, nisi cum absolutum fuerit sacramentum id est, nisi cum applicata iam fuerit materia et prolata verba, quae formam constituunt, ac ultima syllaba formae pronunciata. Ergo sacramenta, quae in actione transeunte consistunt, producunt gratiam in eo instanti, quo non amplius physice existunt, ac ideo physice gratiam producere nequeunt. Denique communis et trita est theologorum doctrina, baptismum scilicet ficte susceptum, id est, cum conscientia peccati mortalis, recedente fictione reviviscere, et in homine poenitente suum effectum sortiri; atqui non potest tunc physice effectum suum producere, cum non amplius existat baptismus; quod enim non existit, physice agere non potest. Admittendum ergo est, sacramenta non physice, sed moraliter tantum gratiam conferre.

c) Ambas sententias perpendens facile cognoscet, utramque sententiam haud levibus argumentis inniti, et variis difficultatibus implicari. *Estius* (1) affirmat, sententiam Thomistarum Scripturae ac Veterum dictis conformiorem videri, ac sacramentorum dignitati magis consentaneam, quamquam intellectu et captu difficilem, quae non potest ad plenum satisfacere contrariis argumentis; sententiam vero Scotistarum faciliorem esse, rationi et captui nostro magis accommodatam, dignitati et efficaciae sacramentorum nihil omnino derogantem, atque in scholis magis vulgatam. — Alii observant, solos Thomistas positiva argumenta pro sua sententia afferre, Scotistas autem negative tantum procedere, in refellenda aliena sententia occupari, et in hac confutatione non satis attendere, quod etiam in sententia Thomistarum gratiae, quae per sacramenta confertur, causa principalis sit Deus, qui solus gratiam creare, sed eandem pro suo beneplacito instrumento sensibili alligare, et per huius actionem physicam hominibus communicare; et quidem tunc communicare potest, cum ultima syllaba formae prolata est, sicuti locutiones generatim physice efficiunt, ut sensus verborum intelligatur, cum tota eorum constructio terminata est; baptismum vero ficte susceptum reviviscere recedente fictione, quia baptismus imprimit characterem, qui permanet in anima, efficitque, ut gratia, quacum ex Dei ordinatione coniunctus est, sublato obice, in anima reviviscat. — Nonnulli, posita distinctione, divergentes sententias conciliare, et utriusque partis difficultates effugere conati sunt. Sic *Laur. Berti* (2), qui se *Aegydium Rom.* sequi profitetur, conatur ostendere sacramenta esse causas *physicas* instrumentales gratiae non tamen *directas*, ut instrumenta artificum sunt, sed *indirectas*, quomodo agricolae sunt causa segetum, quia ea faciunt, quibus positis, Deus dat segetibus incrementum; et medicus porrigens infirmo medicamentum causa est instrumentalis, sed indirecta sanitatis. At iste explicandi modus non recedit a sententia Scotistarum, qui omnes admittunt, actionem aliquam physicam in collatione sacramentorum contingere, sed in illa actione causam gratiae moralem dumtaxat agnoscunt, quatenus Deus promisit, seu ordinavit, ut ad positionem actionis

(1) In lib. 4 sent. dist. 1 § 5.

(2) Lib 30, cap 20.

sacramentalis ipsemet gratiam infunderet; ita in sententia cl. *Berti* sacramenta equidem causae physicae instrumentales gratiae appellantur, sed quia causae *indirectae* dicuntur, non iam physice, sed moraliter tantum gratiam producunt. — Ex dictis patet, controversiam, an sacramenta physice vel moraliter gratiam producant, non facile esse dirimendam. Recte *Melchior Canus* (1) ait: « Quem in modum sacramenta novae legis sint causa gratiae id tantum abest, ut explicent (scholastici), ut etiam opinionum varietate confundant. » Notandum vero est, totam controversiam solummodo circa modum versari, quo sacramenta effectus suos producant. Modum hunc iam S. *Gregorius Nyss. incomprehensibilem* (2), et S. *Augustinus inenarrabilem* (3) nuncupavit. Et haec est omnium mysteriorum natura, ut modum intrinsecum non perspiciamus, quo subiectum et praedicatum cohaereant. Optime idcirco cl. *Liebermann* (4) relate ad varia hac de re theologorum placita dicit: « Cui haec clara non sunt, is, quaeso, cogitet, vim sacramentorum occultam et supernaturalem esse, et ab iis, quae in rebus naturalibus conspicimus, longe diversam. Teneat certum, et, si vult, dimittat incertum. Parum interest, an modum sciat, quo sacramenta gratiam operantur; id agat potissimum, ut quanta sit eorum virtus, proprio experimento addiscat. »

II. *De charactere, qui per sacramenta imprimitur.*

§ 510. Character, si solam nominis vim attendere velimus, definiente S. *Thoma* (5), « proprie est signaculum quoddam, quo aliquid insignitur, ut ordinatum in aliquem finem; sicut charactere insignitur denarius ad usum commutationum, et milites insigniuntur ad militiam deputati. » Si vero loquamur de charactere sacramentali, definiri potest cum eodem S. Doctore ibid. « signaculum, quo deputatur quisque fidelis ad recipiendum, vel tradendum aliis ea, quae sunt divini cultus: » vel iuxta mentem *Concilii Tridentini* (6) character est signum animae impressum et indelebile, quo homo ad divina deputatur, et ab aliis distinguitur. Dicitur *signum in anima impressum*, ut distinguatur tum a charactere circumcisionis, quo Iudaei in corpore affecti ab aliis nationibus secernebantur, tum a notis et insignibus, quae principum ministri exterius in vestibus circumferunt: dicitur signum *indelebile*, non quod a divina omnipotentia obliterari nequeat, sed quia naturae eius, quam a Deo accepit, repugnat, ut deleatur, eo modo quo anima immortalis dicitur, quia principium mortalitatis in se non habet, seu, ut rectius loquamur, quia Deus illud signum delere, sicut et animam destruere non vult: dicitur denique *signum, quo homo deputatur ad divina*, nempe ad sacramenta recipienda, vel et aliis tradenda; et *quo ab aliis distinguitur*, nempe a non characterizatis, quibus verbis etiam finis, seu effectus characteris exprimitur. Talis autem character non in omnibus sacramentis, sed solum in tribus imprimitur, in baptismo, in confirmatione et in ordine. — Ast etiam hoc dogma catholicum suos adversarios habuit et etiamnum habet. Primus, qui sacramentorum characterem, in universa Ecclesia receptum, impugnare ausus fuerit, creditur *Io. Wicleffus* (7), qui dicit: « Characterem

(1) Relect. de sacram. p. 4.
(2) Or. de bapt. (3) L. 19, c. Faust.
(4) Lib. 6, P. 1, cap. 4, art. 1, § 1.
(5) 3 p., q. 63, art. 3. (6) Sess. 7, can. 9.
(7) In. lib. 4 Trialogi, cap. 15.

sacramentalem nec Scriptura nec Traditione posse probari. » Famosum hunc Saec. XIV haeresiarcham, sicuti in multis aliis, ita et in hoc errore secuti sunt Saec. XVI Novatores. *Lutherus* (1) scribit: « Commentum illud characteris indelebilis iam olim irrisum est. Concedo ut Papa hunc characterem imprimat, ignorante Christo; caeterum si ruat hoc sacramentum et commentum, aliquando vix consistet Papatus cum suis characteribus. » *Calvinus* (2) inquit: « Quod de charactere indelebili fabulantur, veteribus ignotum fuit, et magis consentaneum est incantationibus magicis, quam sanae evangelicae doctrinae. » Contra istos adversarios probanda est *ex S. Scriptura*, et praesertim *ex Traditione* doctrina catholica, quae dicit, in tribus nominatis sacramentis imprimi characterem, et haec ideo licite iterari non posse.

1. *In S. Scriptura* character sacramentalis animae impressus non obscure indigitatur. Paulus enim inquit: *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (3): huiusmodi autem signum, iudice *S. Thoma* aliisque claris interpretibus, non est, nisi spiritualis character animae nostrae indelebiliter impressus. Quod magis declarat vox graeca σφραγισάμενος, a verbo σφραγίζω, quod significat signare, sigillare, et nota quadam impressa insignire. Sic idem Paulus (4) signum circumcisionis, quod certe erat carni impressum, vocat σφραγίδα *signaculum iustitiae*. Eodem sensu Apostolus dicit: *Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto* (5); quo in loco idem verbum graecum occurrit; et ibid.: *Nolite contristari Spiritum sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis* (6), quem utrumque locum *S. Hieron.* intelligit de baptismo quo recipimus « illam imaginem et similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus; » ac subdit: « hoc signaculum sancti Spiritus Deo imprimente signari. » Idem sentiunt *S. Anselmus* (7) et *S. Thomas* (8). Nonnulli quidem catholici interpretes in citatis testimoniis nonnisi Spiritus sancti dona intelligunt, et ideo cum cl. *Tournely* argumentum biblicum decretorium haud esse putant: cum tamen aliqui Ss. Patres, ut *Ambrosius*, *Chrysostomus*, *Hieronymus* aliique infra laudandi signum indelebile intellexerint, videtur hoc argumentum grave pondus habere. Luculentius vero hoc dogma ostenditur ex traditione, quae etiam sola sufficit ad dogmata catholica statuenda, et quae hac praesertim in materia cum magna solertia investiganda et proponenda est.

2. *Ss. Patres* frequenter de charactere, praesertim de illo qui in baptismo imprimitur, loquuntur, illum vero *signum, sigillum, signaculum, obsignationem* etc. vocare solent. *Hermas* (9) scribit: « Antequam accipiat homo nomen filii Dei, morti destinatus est; et ubi accipit illud *sigillum*, liberatur a morte et traditur vitae; illud autem sigillum aqua est, in quam descendunt homines morti obligati, ascendunt vero vitae assignati; illis igitur traditum est illud sigillum, et usi sunt eo, ut intrarent in regnum Dei. » *Tertullianus* (10) inquit: « Ubi fides aucta est credendi in nativitatem passionem, resurrectionem eius (Christi) addita est ampliatio sacramento, *obsignatio* baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quae retro erat

(1) In lib. de captiv. Babyl. c. de ordine.
(2) In Antidoto Conc. Trid. Sess. 7, can. 9.
(3) 2 Cor. 1, 21 etc. (4) Rom. 4, 11.
(5) Ephes. 1, 12. (6) C. 6, v. 30
(7) Comm. in Ephes. cap. 1.
(8) Lect. 10 in Ephes.
(9) In Past. I, 3, simil. 9.
(10) De bapt. c. 13.

nuda, nec potentiam habuit sine sua lege: » per obsignationem vero intelligit characterem, qui ceu vestimentum animae inhaeret, eique potentiam se se contra diaboli insultus defendendi tribuit. Idem (1) ait: « Aqua *signat*, sancto Spiritu vestit, eucharistia pascit. » *S. Cyprianus* (2) dicit, circumcisionem primam carnalem evacuatam esse, tum quia non omnibus data est « tum quod illud signaculum feminis non proficit. *Signo* autem Domini omnes signantur. » In Epist. ad Demetrianum scribit: « Evadere enim eos solos posse, qui renati et signo Christi signati fuerint.... Deus loquitur. » Idem (3) ad Iubaian. loquitur de charactere, qui in confirmatione imprimitur: cum enim narrasset, Apostolos Samaritanis tribuisse Spiritum sanctum, addit: « Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur. » Similiter in Epist. 77 scribit: « Recens baptizatos sigillo Domini consummabo. » Idem, vel alius antiquus et egregius auctor sermonis de ablutione pedum, docet, sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis propter characterem impressum iterari non posse; ait enim: « Docetur ergo, quae sit baptismi et aliorum sacramentorum stabilitas.... Nam baptismum repeti ecclesiasticae prohibent regulae, et semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans praesumit accedere. Nemo sacros ordines semel datos iterum renovat, nemo sacro oleo lita iterum linit, aut consecrat, nemo impositioni manuum, vel ministeriis derogat sacerdotum; quia contumelia esset Spiritus sancti, si evacuari posset quod ille sanctificat, vel aliena sanctificatio emendaret quod ille semel statuit et confirmat. » *S. Cornelius Papa* fidem de charactere in confirmatione impresso testatur in Epist. ad Fabianum Antioch. (4) narrans, quod Novatus baptismum quidem accepit, sed: « neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit, unde nec Spiritum sanctum unquam potuit promereri. » *S. Dionysius*, vel alius auctor Eccl. Hierarchiae (5) ait: « Deus accedentem ad baptismum in sui admittit communicationem, et facit illum consortem munerum divinorum per *signaculum* summi sacerdotis. » *S. Cyrillus Hier.* (6) inquit: « Magnum est hoc propositum baptisma, captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animae regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum et indelebile. » Ast in Catech. 18, 2 loquitur de altero charactere in confirmatione impresso, quem vocat: « signaculum communicationis Spiritus sancti. » Est igitur iuxta S. *Cyrillum* proprium sigillo confirmationis, ut ad communicationem Spiritus sancti admittat, baptismali vero, ut in gregem Christi introducat, ut S. Pater dicit variis in locis (7). *S. Epiphanius* (8) discrimen inter circumcisionem et baptismum assignat his verbis: « Illic praescripta corporis circumcisio est, quae in usu tamdiu fuit, quoad ingens est illa circumcisio subsecuta, baptismus scilicet, quo nos a peccatis praecidimur, et in Dei nomine signamur. » Duplicem hic baptismi effectum distinguit, nempe circumcisionem a peccatis per gratiam et obsignationem per

(1) Lib. de praescript. cap. 36.
(2) Lib. 1 testimon. adv. Iudaeos, cap. 8.
(3) In Epist. 13.
(4) Ap. Euseb. Hist. eccl. lib. 6, c. 33.
(5) Cap. 2.
(6) In procatech. cap. 16.
(7) Catech. 1, n. 2, Cat 22, n. 7 et alibi.
(8) Haer. 8

characterem : obsignatio porro illa spiritualis est a sacramento distincta, sicut effectus a causa. *S. Basilius* (1) ait: « Agnoscet te nemo, noster ne sis, an hostium, nisi mysticis signis affinitatem ostenderis, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini. Quomodo vindicabit te Angelus, quomodo eripiet ex hostibus, nisi agnoverit signaculum? Quomodo dicturus es tu, Dei sum, si notas et insignia non exhibeas? an ignoras exterminatorem domos signatas praeteriisse, in his vero, quae signatae non erant, primogenita occidisse? Thesaurus non obsignatus diripi a furibus facile potest; ovi signo carenti tuto struuntur insidiae. » *S. Gregorius Naz.* Orat. de bapt. (2), cum varia baptismi nomina iuxta multiplices eiusdem effectus recensuisset, in fine addit: baptismus dicitur « *sigillum*, quia conservatio est, ac dominationis obsignatio. Huic gratulantur coeli, hunc Angeli propter splendoris cognationem celebrant, hic beatitudinis illius imaginem gerit etc. » *S. Ambrosius* (3) ita praeclare loquitur: « Numquid in aqua signamur, sicut in Spiritu?.... Sancto igitur spiritu signati sumus, non natura, sed a Deo, quia scriptum est: Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Signati ergo Spiritu sancto a Deo sumus. Sicuti enim in Christo morimur, ut renascamur, ita etiam Spiritu signamur, quod est utique spiritale signaculum. Nam etsi specie signamur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis coelestis effigiem.... Atque ut sciamus cordis nostri magis hoc, quam corporis esse signaculum, docet propheta, qui dicit: *Signatum est in nobis lumen vultus tui, Domine, dedisti laetitiam in corde meo.* » Quibus verbis docet, tam in confirmatione, quam in baptismo sigillum imprimi (« sicuti enim in Christo morimur, ut renascamur, ita etiam Spiritu signamur »); signum tamen confirmationis aliud esse, atque distinctum a signo baptismi (« numquid in aqua signamur, ut in Spiritu? »); signum hoc non esse tantum ritum externum intelligendum, sed internam sancti Spiritus consecrationem (« etsi specie signamur in corpore, veritate tamen in corde signamur »); ac demum hoc signum esse Christo configurativum, et ipsius Dei opus. Idem (4) ad eos, qui initiantur, dicit: « Accepisti *signaculum spirituale*.... serva, quod accepisti. » *S. Chrysostomus* (5) inquit: « Quemadmodum nota quaedam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur, quo fit, ut si ordinem deserueris, omnibus perspicuus fias: » ubi aperte a sanctificante gratia, quae per peccatum amittitur, character distinguitur, qui et in peccatore manet. Et (6) explicans verba Eph. I, 12 ait: Deus « charactere nos insignivit; » et postea: « Signati sunt etiam Israëlitae, sed circumcisionis nota, ut pecora, sed nos ut filii signati sumus Spiritu sancto. » *S. Hieronymus* baptismalem characterem commemorat (7) dicens: « Signaculum autem Dei est, ut quomodo primus homo conditus est ad imaginem et similitudinem Dei, sic in secunda regeneratione, quicumque Spiritum sanctum fuerit consecutus, signetur ab eo, et figuram conditoris accipiat. » Et (8) addit: « Signaculum sancti Spiritus in die baptismatis accepistis: novum signaculum habere coepistis. » In veteri

(1) Hom. 13 in s. baptisma n. 2 etc.
(2) Orat. 40 n. 4.
(3) L. 1 de Spiritu sancto cap. 6.
(4) L. de mysteriis.
(5) Hom. 3 in 2 Cor. n. 7.
(6) Hom. 2 in Ep. ad Ephes.
(7) Comment. in Ephes. 1, 1[9]
(8) In Ephes. 4, 30.

enim Ecclesia die baptismi dabatur etiam confirmatio, qua novum additum est ei, quod in baptismo iam acceptum erat, signaculum. — *S. Augustinus*, qui primus inter Latinos *characteris* nomine usus est, multis et sat perspicuis testimoniis dogma catholicum confirmat. De baptismi charactere (1) inquit: « Satis eluxit pastoribus Ecclesiae catholicae toto orbe diffusae, per quos postea plenarii concilii auctoritate originalis consuetudo confirmata est, etiam ovem, quae foris errabat, et *dominicum characterem* a fallacibus depraedatoribus suis foris acceperat, venientem ad christianae unitatis salutem, ab errore corrigi, a captivitate liberari, vulnere sanari, *characterem* tamen *dominicum* in eo agnosci potius, quam improbari.» Idem (2) ait: « Tene ergo quod accepisti: non mutatur, sed agnoscitur: character est regis mei, non ero sacrilegus; corrigo desertorem, non immuto characterem.» Enarr. in Ps. (3) scribit: « Quod habet, habet. Baptismus ille tanquam character infixus est; ornabat militem, convicit desertorem. » De confirmationis charactere (4) dicit: « Sacramentum chrismatis — quidem in genere *visibilium signaculorum* sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse etiam in hominibus pessimis, et in operibus carnis vitam consumentibus, regnum coelorum non possessuris: » in hominibus autem pessimis non Spiritus sancti gratia manet, sed character per sacramentum chrismatis impressus. De ordinis charactere egregium testimonium habetur ibid. (5). Donatistae enim argumentorum pondere victi concedebant, ab eo, qui ab Ecclesia recedit, characterem baptismalem non amitti, sed tamen asserebant, ab eodem, si ad Clerum spectet, potestatem ordinis amitti. At *S. Augustinus* respondet: « Nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Utrumque enim sacramentum est, et quadam *consecratione* utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam praepositi pro bono pacis, correcto schismatis errore suscepti sunt, et si visum est, opus esse, ut eadem officia gererent, quae gerebant; non sunt rursus ordinati sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra.... Neque ullo modo per devotum militem *signum regale* violabitur. » *S. Leo M.* (6) scribit: « Remanete stabiles in fide in qua renati per aquam et Spiritum sanctum accepistis chrisma salutis et *signaculum* vitae aeternae.» *S. Gregorius M.* (7) characterem indelebilem in baptismo et in ordine profitetur dicens: « Sicut baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari. » *S. Io. Damascenus* (8) ait: « Nunc Spiritus sancti primitias per baptismum accipimus, et regeneratio alterius nobis vitae initium et signaculum et praesidium et illuminatio efficitur. » *S. Thomas* (9) ita disserit: « Sacramenta novae legis ad duo ordinantur, videlicet ad remedia contra peccata, et ad perficiendam animam in his, quae pertinent ad cultum Dei secundum ritum christianae vitae. Quicunque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari, sicut milites, qui adscri-

(1) L. 6 de bapt. cap. 1.
(2) Tract. 6 in Io. n. 16. (3) Ps. 39, n. 1.
(4) L. 2 c. .itteras Petiliani cap. 104.
(5) L. 2 c. epistolam Petil. c. 13, n. 28.
(6) Serm. 23 de nat. Dom. c. 6.
(7) Epist. I, 2 cap. 23.
(8) L. 4 orth. fid. c. 9.
(9) 3 p., q. 63, art. 1.

bebantur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eoquod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per sacramenta deputantur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei; consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur.» Sed infra(1)ostendit, quod non per omnia, verum « per tria (tantum) novae legis sacramenta character imprimitur, per baptismum scilicet, confirmationem et ordinem. » *S. Bonaventura* (2) ita loquitur: «Tria sunt sacramenta, quae non sunt aliquatenus iteranda, scilicet baptismus, confirmatio et ordo. In his namque tribus imprimitur triplex character, qui non deletur. » — Ex his manifestum est, quantum Novatores aut fallantur, aut fallant, dum dicunt characterem veteribus ignotum fuisse, et tanquam inane commentum reiiciendum esse. Doctrina catholica de existentia characteris in tribus sacramentis impressi, constanti Traditione firmatur. Recte ideo *Eugenius IV* in decreto pro Armenis ait: *Inter haec sacramenta tria sunt, quae characterem, id est, spirituale quoddam signum a caeteris distinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt. Concilium Trident.* (3) definit: *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.*

3. *Ecclesia* semper credidit et docuit, omnino illicitum esse, iterare sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis iam semel valide collata; ideo autem ea iterari non posse, quia characterem indelebilem imprimunt. Utrumque ex antiquissimis monumentis constat. Praetereundum non est, in S. Scriptura, in qua baptismus frequenter commendatur, nullum tamen inveniri exemplum hominis bis baptismate Christi delibuti. Neque tale exemplum inter catholicos in historia ecclesiastica occurrit. Quamvis enim, ut inferius ostendetur, fides Ecclesiae fuerit, per baptismum peccata quoad culpam et poenam remitti, nunquam tamen, qui post baptismum in gravia crimina lapsi sunt, iterationem baptismi petere sunt ausi, sed per poenitentiam iustificari debuerunt. Hinc etiam factum est, ut non pauci baptismum usque ad mortem differrent, quoniam probe noverunt, baptismum semel tantum recipi posse. Eodem modo in Ecclesia catholica exempla non reperiuntur aut confirmationis, aut ordinationis, valide peractae et iteratae. Imo Ecclesia praedictorum trium sacramentorum iterationem pro maximo semper crimine habuit. Ideo *Hemerobaptistae*, de quibus loquitur *S. Epiphanius* (4), qui dicebant, hominem quotidie baptizandum esse, ut a peccatis mundetur, inter haereticos numerati sunt; et *Marcion*, qui, eodem *Epiphanio* teste (5), contendit, ter hominem baptizari posse, ut abluatur a peccatis post primum et alterum baptismum commissis, damnatus est. Idem confirmatur ex celebri controversia inter *Cyprianum* et *Stephanum*, et ex erroribus Donatistarum. Nam tum *Cyprianus* cum suis, tum Donatistae fassi sunt, nefas esse, rite baptizatum iterum baptizare; et solum negabant, verum esse baptismum, qui ab haereticis, vel impiis datus fuerit. Neque

(1) Art. 6. (2) In Brevil. p. 6, cap. 6.
(3) Sess. 7, can. 9.
(4) Haer. 17. (5) Haer. 47.

Catholici cum *Stephano* et *S. Augustino*, *Cypriano* et Donatistis tam acriter restitissent, si in Ecclesia persuasio viguisset, valide collatum baptisma iterari posse. Contrariae persuasionis multi sunt testes. In Canon. Apost. (1) dicitur: « Episcopus aut presbyter, si eum, qui secundum veritatem habuerit baptisma, denuo baptizaverit, — deponatur tanquam deridens crucem et mortem Domini. » Idem docent *S. Augustinus* (2) et *Leo M.* (3). De confirmatione vero idem tradunt *S. Augustinus* (4), *S. Gregorius M.* (5), *Concilium Toletanum* (6) et *Cabillonense II* (7): idem de ordinatione dicit *S. Augustinus* (8) et *Conc. Carthaginense III* (9). Ecclesia autem ideo tantum illicitum credidit, baptismum, confirmationem et ordinationem iterare, quia haec sacramenta characterem indelebilem imprimunt. Id testatur *S. Augustinus*, qui (10) ita haereticum ad Ecclesiam redeuntem, loquentem inducit: « Quare ergo me, inquit, non baptizas, ut abluas me a peccatis? — Respondeo, quia non facio iniuriam *characteri* imperatoris, cum errorem corrigo desertoris. » Et ad Bonifacium (11) ait: « Consecratio reum quidem facit haereticum extra Domini gregem habentem dominicum characterem, corrigendum tamen admonet doctrina sana, non iterum similiter consecrandum. » Hanc eandem rationem assignant *Concilia Florentinum* et *Tridentinum*, quorum verba paulo ante adduximus. Neque alia ratio assignari potest, cur recensita tria sacramenta iterari nequeant, reliqua vero quatuor saepius percipere liceat.

(1) Can. 47. (2) L. 2 de bapt. c. 14.
(3) Ep. 135 (al. 37) ad Neonam Ravennatem, et Ep. 129 (al. 79) ad Nicetam Aquilensem. (4) L. 2 c. litt. Petil. cap. 104.
(5) L. 2, Ep. 13 ad Bonifacium.
(6) Anno 653, cap. 7 (7) Anno 813, can. 27.

Ipsi Protestantes inter duo, quae assumunt, sacramenta, idem discrimen profitentur, baptismum semel tantum conferentes, eucharistiam autem saepius recipientes. Quamvis enim in S. Scriptura nullibi legant, iterationem baptismi illicitam esse, Traditionis tamen ponderi resistere non valentes, baptismum valide susceptum iterandum non esse censent, licet illum in remissionem peccatorum institutum esse sciant, et peccata etiam post baptismum committi non negent. Negato autem charactere per baptismum impresso, nullam sufficientem rationem adducere valent, cur eucharistiam quidem, non autem baptismum saepius recipere liceat (12).

Nota 1. Hoc unum circa naturam characteris fides, ut credatur, exigit, nempe eum esse *signum spirituale*, *animae impressum et indelebile;* quae vero sit natura istius signi, non definivit Ecclesia. Idcirco, dum de hac quaeritur, variae sunt scholasticorum opiniones. *Durandus* vult, characterem esse dumtaxat denominationem extrinsecam seu relationem rationis, sicut cum quis a Rege ad aliquod ministerium deputatur. Verum licet haec sententia fidei non adversetur, recedit tamen a proprio sensu Ecclesiae, quae docet, characterem *animae imprimi*, quod nonnisi abusive de denominatione extrinseca, seu relatione rationis dici potest; praeterea ex quolibet sacramento tum N. tum V. legis resultat denominatio extrinseca, seu relatio rationis; et tamen nec sacramenta veteris, nec omnia novae legis imprimunt characterem. — *Scotus* putat, characterem esse relationem realem extrin-

(8) Lib. 2 c. Epist. Parmen. cap. 13.
(9) Anno 397, can. 38. (10) Epist. 50.
(11) Epist. 98 al. 33.
(12) Cf. Car. M. Fr. Lorinser Comment. de charactere sacram. Oppolii 1844.

secus animae advenientem, qua anima Christo assimilatur. Verum character a sacramento producitur, cum e contra relatio per veram actionem non producatur, sed ex fundamento et termino resultet; dein non potest assignari fundamentum illius relationis realis, non enim est ipsa essentia animae, aut aliqua eius facultas; alioquin omnes animae haberent characterem; non dona gratiae, aut virtutes, malis enim et peccatoribus imprimitur character; non ipsa actio sacramentalis; haec enim transit, remanente charactere; non potest autem remanere relatio realis sine suo fundamento proximo: denique character est ad agendum, vel recipiendum quae sunt cultus divini; atqui relatio non est ad agendum, vel accipiendum, sed totum eius esse est ad aliud se habere; ergo character non potest reponi in relatione reali. — Probabilior et communior est sententia *S. Thomae* qui docet, characterem esse certam animae modificationem, quae ad genus qualitatis, et quidem ad potentiam revocanda est. Ita enim S. Doctor (1) disserit: « Iuxta Philosophum tria sunt in anima, potentia, habitus et passio. Sed character non est passio, quia passio cito transit, character autem indelebilis est; similiter etiam non est habitus, quia nullus habitus est, qui possit se ad bene et male habere; character autem ad utrumque se habet; utuntur enim eo quidam bene, alii vero male, quod in habitibus non contingit; nam habitu virtutis nullus utitur male, et habitu malitiae nullus bene. Ergo relinquitur, quod character sit potentia. » Idipsum deinde probat hac fere argumentatione: Ea qualitas merito potentia dicitur, quae dat simpliciter posse agere, vel pati; atqui talis est character, per quem homo ad sacra deputatur active, vel passive, id est, perficienda vel suscipienda. Ergo character in potentia consistit. Docet deinde Angelicus (art. 2), characterem esse participationem sacerdotii Christi; quia enim character est id, per quod Fideles deputantur ad recipiendum, et aliis tradendum ea, quae sunt cultus divini secundum ritum christianae religionis; haec vero omnia derivantur a sacerdotio Christi; per characterem ergo de hoc participatur. — Si autem quaeratur, in quo subiecto character resideat, communiter theologi cum *S. Thoma* (art. 4) respondent, eum residere non in substantia animae tanquam subiecto proximo, nec in voluntate, sed in intellectu. Ratio est quia character datur ad agendum, vel recipiendum aliquid sacri; atqui anima non agit, nec patitur nisi per suas facultates. Character autem non videtur esse in voluntate, quia haec illarum qualitatum subiectum videtur esse, a quibus homo bonus, vel malus denominatur. At talis non est character, qui in malis est, sicut in bonis. Praeterea character ordinatur ad executionem cultus divini, qui est quaedam fidei protestatio: igitur in eodem subiecto residet character, in quo est fides nempe in intellectu. — Observant, porro scholastici de fide esse, characterem in hac vita deleri non posse, quia *Conc. Trid.* illum *signum indelebile* nominat: putant tamen de fide non esse, eum nec in altera vita deleri; sed tamen sententia verbis *Concilii* conformior et communior est, characterem nunquam delendum fore, qui in Beatis permansurus est ad gloriam, in damnatis ad poenam. — Ultimo theologi docent, in Christo Domino characterem non fuisse, quia

(1) 3 p., q. 63, art. 2 (*in* sed contra.)

nullibi talis characteris in anima Christi impressi mentio fit. Neque talis character Christum decuit; quia character dicit potestatem ministerialem et participatam; in Christo autem, qui est *splendor gloriae et figura substantiae* (Patris) (1); *in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter* (2), est tota potestatis plenitudo et sacerdotium supremum. Adde, quod notari charactere sit proprium servorum, militum, membrorum et possessionum aliis subiectarum; Christus autem est rex, caput et dominus omnium.

Nota 2. Heterodoxi doctrinae catholicae de charactere varias rationes opponunt; quanti vero pendenda sint haec Novatorum dicteria, e responsis, quae sumus allaturi, facile apparebit.

Obi. I. Perperam Catholici doctrinam de charactere sacramentali inter fidei dogmata referunt, cum in S. Scriptura nullum inveniatur characteris sacramentalis vestigium, neque de isto Ss. Patres ita loquantur, ut solidum ex ipsis argumentum desumi possit, quod etiam *Scotus*, *Gabriel Biel*, et *Caietanus* fassi sunt. Recte igitur cum *Chemnitio* concluditur, *Innocentium III* novum hoc dogma efformasse, illudque fuisse postea a scholasticis receptum, qui autem in eodem declarando nunquam consenserunt, sed in varias opiniones abierunt, et per haec dissidia clare ostenderunt, de charactere sacramentali certa argumenta in revelatione non inveniri.

Resp. Non adeo indulgenter Novatoribus concedendum est, nullum verbum de sacramentali charactere in S. Scriptura reperiri; contrarium enim patet ex argumento biblico allato. Quod si plane decretorium non sit hoc argumentum, sufficit et constans Traditio. Etiam hoc in S. Scriptura nullibi expresse dicitur, quod baptisma valide susceptum iterare non liceat, quod tamen nobiscum Protestantes profitentur, quomodo iam fidem nostram de charactere sacramentali vellicare audent? Traditionem Ss. Patrum supra exposuimus, ipsorum verbis in medium prolatis, quae, luculentiora sunt, quam ut possint adversariorum cavillationibus et subtilitatibus elidi. Quodsi *Scoto*, vel alicui alteri privato scriptori, testimonia Patrum aut ignoranti, aut non satis perpendenti, ante solemnes Ecclesiae definitiones aliter visum est, eorum auctoritas a longe maiori aliorum theologorum auctoritate omnino suffocatur, et penitus eliditur. Notandum porro est, Scotum cum reliquis dogma catholicum non negasse, sed propter Ecclesiae auctoritatem credidisse, quia traditio divina non solum per scripta Ss. Patrum, sed etiam per magisterium a Christo institutum conservatur et propagatur (3). Qui autem *Innocentio III* novum hoc characteris sacramentalis inventum tribuunt, a veritate quam longissime aberrant. Ipse enim in sua constitutione minime definivit, per aliqua sacramenta fieri characteris impressionem, sed instantiae tantum reposuit, qua perquirebatur, num idem effectus characteris eveniret, si baptismus dormientibus et amentibus ministraretur; quae instantia locum non habuisset, nisi prius inter fideles doctrina de charactere sacramentali pervulgata fuisset. Denique scholastici, ut ex dictis patet, non de existentia, sed de natura characteris sacramentalis disputarunt. Verum nullum exinde detrimentum patitur catholicum dogma, quod in fidei fir-

(1) Hebr. 1, 3. (2) Col. 2, 9.

(3) Cf. Th. gen. § 176 etc.

mitate solidatur. Quaenam haec esset, non dicam Religio, sed philosophia, quae hoc sibi principium assumeret, negandam esse rei existentiam, ubicunque occulta est et incomprehensa natura? —

Obi. II. S. *Augustinus* in Serm. ad plebem Caesariensis Ecclesiae ait: « Ego attendo fidem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Iste est character Imperatoris mei. De isto charactere militibus suis, vel potius commilitibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant castris eius, praecepit dicens: *Ite, baptizate omnes gentes.* » Non igitur S. Pater alium agnoscit characterem, quam rectam fidem, et etiam baptismum collatum in nomine SS. Trinitatis. Ibidem pergit S. Doctor: « Si Donatus, quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret. Ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abiicerem, non approbarem, respuerem, anathematizarem, damnarem etc.» Ast certe Donati character in anima impressus nullus esse potest; ergo S. Doctor per characterem non signum internum animae impressum, sed signum externum intellexit, quod deleri potest.

Resp. S. Doctor in verbis obiectis indicare potius voluit *causam* characteris, quam ipsum *formaliter* characterem; causa autem characteris, qui in baptisma imprimitur, est SS. Trinitatis invocatio. Itaque S. Pater recte dicebat, ad cognoscendos milites Christi se attendere ad characterem, quo insigniti fuerant, nempe ad formam baptismi; si enim datus fuerat in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, tunc agnoscebat characterem imperatoris sui, non quod illa invocatio, aut fides esset ipse character, sed quia ex ipsa invocatione character imprimebatur, sicuti ex sigillo in cera imprimitur eius imago. Invocatio illa transit, character autem indelebiliter manet etiam in iis, qui foris exeunt et fidem amittunt, unde ibidem n.° 2 dixerat: « In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris. » Et postea de iis loquens, qui schismaticis baptizati sunt, inquit: « A desertoribus signati sunt non tamen signo desertoris, sed signo imperatoris; non enim desertor characterem suum fixit. » In posteriori loco *S. Augustinus* loquitur in hypothesi impossibili, quam neque probat, neque admittit; et omnes eius locutiones, quas hic sensu figurato congessit, eo tendunt, ut significet nullum fore baptisma, quod conferretur in nomine et auctoritate Donati, cum unius Dei sit, tum gratiam infundere, tum characterem imprimere.

Obi. III. Nulla ratio assignari potest, quare per tria tantum sacramenta character imprimatur, et non per reliqua, cum tamen per omnia sacramenta Deo mancipamur et consecramur. Imo si ad excellentiam sacramentorum respiciatur, character adscribendus prae caeteris esset Eucharistiae, quae alia sacramenta dignitate praecellit. Futilis ergo et absurda dicenda est doctrina catholicorum de charactere animae impresso.

Resp. Cum de mysteriis et institutionibus divinis agitur, non humanis ratiociniis indulgendum, sed Deo revelanti credendum est. Ex dictis autem constat, revelatum esse, in tribus, et non in reliquis sacramentis characterem imprimi, quod etiam tunc absque haesitatione credendum esset, si nullam prorsus huius discriminis rationem assignare possemus. Theo-

logi autem etiam rationes afferunt, ex quibus fit, ut baptismus, confirmatio et ordo characterem imprimant, non autem reliqua sacramenta. *S. Thomas* (1) docet, nonnisi ea sacramenta imprimere characterem, quae conferunt potestatem aliquid recipiendi, vel aliis tradendi, quod pertinet ad divinum cultum; hanc vero potestatem tria tantum sacramenta conferunt, quia baptismus potestatem confert reliqua sacramenta recipiendi; confirmatio potestatem tribuit fidem Christi profitendi; et ordo potestatem confert sacramenta aliis tradendi. Ergo haec tria sacramenta characterem imprimunt. Eucharistia autem characterem non imprimit, quia, ut observat ibidem S. Doctor: « Per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud alterius agendum, vel recipiendum in sacramentis, cum potius *sit finis et consummatio omnium sacramentorum*, ut dicit *Dionysius*» (2). Et cum sibi obiecisset, hominem per omnia sacramenta fieri participem sacerdotii Christi, ex quo sacerdotio character sacramentalis dimanat, ita respondet (3): « Per omnia sacramenta fit homo particeps sacerdotii Christi, utpote percipiens aliquem effectum eius; non tamen per omnia sacramenta aliquis deputatur ad agendum aliquid, vel recipiendum quod pertineat ad cultum sacerdotii Christi: quod quidem exigitur ad hoc, quod sacramentum characterem imprimat. » Consonat cum Doctore angelico *S. Bonaventura*, qui in Breviloq. (4) ita disserit: « Triplex est status fidei, secundum quem habet fieri distinctio in acie ecclesiasticae Hierarchiae, scilicet status fidei genitae, roboratae et multiplicatae. Secundum primum fit distinctio fidelium ab incredulis; per secundum fit distinctio fortium ab infirmis et debilibus; secundum tertium fit distinctio clericorum a laicis. Hinc est, quod illa sacramenta, quae respiciunt triplicem fidei statum praedictum, characteres imprimunt, per quos indelebiliter impressos semper distinguunt, ac per hoc nunquam iterari possunt. Quoniam ergo baptismus respicit statum fidei genitae, in quo populus Dei distinguitur ab incredulis, ut Israëlitae ab Aegyptiis, et confirmatio respicit statum fidei roboratae, in quo distinguitur populus fortis ab infirmis, sicut pugiles ab his, qui ad pugnam non sunt idonei, et ordo respicit statum fidei multiplicatae, in quo distinguitur Clerus a laicis, sicut Levitae ab aliis tribubus: hinc est, quod in his tantum tribus sacramentis characteres imprimuntur... (Ideo) sacramenta tria praedicta, quae hos imprimunt, nullatenus ex causa aliqua iterantur, et gravis de facto iterantibus debet poena imponi propter divini contumeliam sacramenti, licet alia quatuor ex causis diversis possint sine sui contumelia iterari. »

Obi. IV. Non decet illud in sacramentis admittere, quod est supervacaneum, cum inania Deus nunquam operetur. Verum inutilis prorsus est character sacramentorum tum ex parte Dei, qui omni scientia praeditus nullo eget signo ad fideles ab infidelibus discernendos, tum ex parte Angelorum, qui cuncta plane dignoscunt in Deo ipso, cuius visione beatifica fruuntur; tum demum ex parte hominum viatorum, quibus, ut oculis conspiceretur, non internum ac spirituale, sed externum et corporeum aliquod signum foret necessarium.

(1) 3 p., q. 63, art. 6.
(2) L. de eccl. Hier. cap. 3.
(3) Ibid. ad 1. (4) P. 6, cap. 6.

character ergo utpote nemini utilis et plane supervacaneus, nullatenus admitti potest.

Resp. Nos quoque fatemur, Deum inania nunquam operari ; sed ex hoc ipso principio inferimus, characterem, in tribus sacramentis impressum, inanem seu supervacaneum non esse, quod ob revelationem divinitus factam credere deberemus, etiamsi illius finem et utilitatem intelligere et explicare non valeremus ; multa enim Deus sapientissime operatur, quorum fines et emolumenta limitata nostra ratione nequaquam perspicimus. Ast quod attinet characterem sacramentalem, cavillationi adversariorum etiam directe respondere licet. Nam character non ad solam distinctionem imprimitur, sed praecipue ut homines deputentur ad cultum Dei ; nam in baptismo fideles accipiunt ius civitatis seu familiae Christi, in confirmatione confertur character militiae Christi, et in ordine character potestatis seu ministerii ecclesiastici, ut bene *Estius* observavit. Sed neque supervacanea est distinctio, quam character affert respectu hominum. Quamvis enim ipse in seipso invisibilis sit, visibile tamen est sacramentum, vi cuius suscipitur, unde baptizatus novit, se esse a non baptizato perenni signaculo discretum, ut ita suarum promissionum memor vitam christiano homine dignam degat ; tum ut per confirmationem confortatus, armis et viribus sibi aliunde deputatis ad fidem publice profitendam ac defendendam paratus sit, tum etiam ut ad insiti nobis hostis insidias detegendas et repellendas sit fortior : ac denique ut per sacramentum ordinis super alios elevatus ecclesiastica munia exerceat, ac sacramenta aliis dispenset. Accedit, quod et caeteri homines, quamquam internum animae signaculum non videant, norunt tamen quinam sint iis sacramentis Deo peculiariter consecrati, et ad ea, quae sunt divini cultus vel recipienda, vel aliis tradenda, spirituali potestate donati. Denique character per sacramenta impressus inanis et supervacaneus non erit in altera vita. Nam subdit *S. Thomas* (1) : « Ideo post hanc vitam remanet character, et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam, sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt ad gloriam, et in his qui victi sunt ad poenam. »

Obi. V. Potissima ratio, cur dicamus, aliqua sacramenta imprimere characterem, ex eo desumitur, quod ex perpetua Ecclesiae doctrina et praxi haec sacramenta iterari non possint. Sed huius doctrinae seu potius disciplinae, aliae fuerunt rationes. Nam quod baptismum attinet, huius iteratio illicita habita est : *primo*, quia baptismus significat mortem Christi, quae semel tantum illi illata est ; *secundo*, quia est sacramentum fidei, fides autem una est ; *tertio*, quia est signaculum foederis Domini, quod est perpetuum et irrevocabile ; *quarto*, quia est sacramentum regenerationis, quae tantum unica est ; *quinto*, quia baptismus est ianua in Ecclesiam, in quam qui semel ingressus est, non amplius potest intrare. Etiam *S. Thomas* (2), ex iisdem fere rationibus probat, baptismum iterari non posse. Perperam ergo ex doctrina hac infertur, baptismum imprimere characterem.

Resp. Characterem per tria sacramenta imprimi non ex eo tantum probatur, quia haec sacramenta iterari non possunt, sed etiam ex Ss. Patrum

(1) 3 p., q. 63, art. 5 ad 3.

(2) 3 p., q. 66, art. 9.

testimoniis, qui frequenter de signo, sigillo, charactere etc. per sacramenta impresso loquuntur. Quidquid autem dicant Protestantes, principalis ratio, ob quam non licet tria sacramenta iterare, haec est, quia imprimunt characterem. Rationes enim ab adversariis adductae sufficientes non sunt, ut ostendant, iterationem baptismi invalidam et illicitam esse. Nam *prima* ratio siquid probaret, saepius in vita recipi non posset eucharistia, quae pariter signum est et monumentum passionis et mortis Christi(1). Neque magis efficax est *secunda* ratio; qui enim cum haeresi externa baptizantur, veram fidem et doctrinam non profitentur; neque tamen idcirco invalidum est sacramentum : ergo non ideo baptismus non repetitur, quia est sacramentum fidei, sed quia semel datum semper manet in aliquo suo effectu, qui praeter characterem alius esse non potest. *Tertia* ratio omnino inepta est; praeterquam enim quod hoc foedus hypothetice tantum perpetuum sit, si nimirum homo promissis steterit, huius autem foederis pacta saepe frangantur; sequeretur pariter, hominem in vita non saepius eucharistiae participem fieri posse, cum et illa pactum divinum includat, ius scilicet ad aeternam haereditatem iuxta illud Christi: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* (2). *Quartam* rationem infirmam esse, ostenditur exemplo hominis scienter in haeresi, vel schismate baptizati, qui procul dubio spiritualiter non nascitur per tale baptisma, cum non ad vitam, sed ad perniciem illud recipiat; neque tamen idcirco, quando fictionem deponit, denuo baptizari potest et debet. Adde, quamvis nemo possit de novo nasci secundum naturam, id tamen possit secundum gratiam; quoties enim a peccato mortali purgatur, novam incipit in Christo inire vitam. *Quinta* ratio alicuius momenti foret, si homines ab Ecclesia, quam per baptismum ingrediuntur, egredi non possent; ast qui in haeresin labuntur, vel schisma sequuntur, ab Ecclesia separantur, atque ideo ianua Ecclesiae saepe aperienda est haereticis et schismaticis, non autem per baptismum aperitur, sed per poenitentiam. — Cum ergo rationes adductae sufficienter non declarent, cur baptismum iterare non liceat, restat, ut dicatur, praecipuam et unice adaequatam huius doctrinae rationem esse, quia per baptismum imprimitur character, « qui, ut ait *S. Thomas* l. c., indelebilis est, et cum quadam consecratione datur. » Imo Doctorem Angelicum, quamvis etiam alias rationes congruas, seu probabiles adduceret, praecipue tamen ex hac ratione baptismi iterationem invalidam et illicitam habuisse, patet ex iis, quae scribit 3 p., q. 72, art. 5. Ut enim probet, in sacramento confirmationis imprimi characterem, ita ratiocinatur : « In omni sacramento, quod non iteratur, imprimitur character; sed hoc sacramentum (confirmationis) non iteratur... ergo in confirmatione imprimitur character. » Hinc inde apud eundem reciproca invenitur illatio : «Quaedam sacramenta non iterantur, quia imprimunt characterem; » et rursus : « Quaedam sacramenta imprimunt characterem; ergo iterari non possunt.» Eodem modo Ss. Patres et theologi argumentati sunt.

Obi. VI. Manifestum est, Catholicos hac in re falsa uti argumentatione, quae petitione principii laborat. Si enim quaeratur ratio, ob quam quaedam sacramenta imprimant characterem, respondent, quia iterari non

(1) 1 Cor. 2, 26. (2) Io. 6.

possunt. Et rursus, cum quaeritur, quare iterari nequeunt, respondetur circulo vitioso, quia imprimunt characterem: nil autem tali argumentatione probatur.

Resp. Iuxta regulas dialecticorum nullum est vitium in argumentatione, quando effectus demonstratur per causam, et vicissim causa per effectum, quia effectus et causa a se mutuo dependent et reciprocantur. Sic ex fumo recte infero adesse ignem, et ex igne recte concludo ad existentiam fumi. Sic etiam *Cicero* (1) ista reciprocari dicebat, «ut si divinatio sit, dii sint; et si dii sint, sit divinatio.» — Praeterea nos non ex eo tantum, quia tria sacramenta non possunt iterari, sed etiam ex testimoniis Patrum argumentum deducimus, qui signum, sigillum, signaculum vel characterem per sacramenta praedicta imprimi dicunt, in quo argumento circulus vitiosus locum non habet. Denique tunc solum haec falsa argumentatio occurrit, si utrumque probationis membrum aeque incertum est. Id vero non contingit in controversia, quam cum Protestantibus agimus. Cum enim isti concedant, saltem baptismum nunquam iteratum fuisse in Ecclesia, nec iterari posse; concludimus, nullum huius effectus causam assignari posse praeter illud perenne et indelebile signum, quod characterem vocamus. Haec argumentatio, qua causa ex effectu probatur, rectissima est, maximeque usitata.

Obi. VII. Plures theologi, ut refert *Pallavicinus* (2) in *Concilio Tridentino* volebant, ut articulus de charactere tanquam probabilior adstrueretur; nec nisi opera *Seripandi* factum est, ut articulus de fide declaratus fuerit. Ergo tempore *Concilii Trident.* doctrina de charactere, ut divinitus revelata, non censebatur.

Resp. Card. *Pallavicini* in Hist. *Conc. Trid.* (3) ostendit, a theologis disputatum esse in congregationibus privatis *de natura,* non *de existentia* characteris; et *Paulum Sarpium* refellens concludit: « In huiusmodi argumentis quaestio: *utrum sit?* pertinet ad certitudinem fidei; quaestio: *quid sit?* ad ingenii exercitium.» Itaque nonnulli tantum theologi in privatis et praeparatoriis congregationibus, re nondum satis discussa, non de existentia characteris dubia moverunt, sed solum magis consultum esse putabant, ut articulus de charactere, cuius naturam definiri arbitrabantur de fide non declararetur. Facta autem debita discussione, in ipso *Concilio* Canon de charactere pleno omnium consensu promulgatus fuit. Caeterum, ut egregie observat cl. *Perrone* (4): « Ex hoc facto, ut et ex aliis non paucis, ostenditur, liberum in congregationibus fuisse Patribus propriam promere sententiam. Imo quo maiori fervore articuli hincinde discussi sunt, eo melius patet, nonnisi cum magno delectu et singulari maturitate edita esse decreta. Quod evenerat in *Concilio Tridentino*, iam evenerat in omnibus superioribus *Conciliis*, atque in ipso *Concilio* ab Apostolis Hierosolymis celebrato, in quo, antequam ederetur decretum, *magna conquisitio* facta est. »

Nota 3. Sacramenta characterem imprimentia, si valide quidem, sed absque necessaria ad gratiam recipiendam dispositione seu cum conscientia peccati mortalis non retractati suscipiantur, sublato per poenitentiam obice, reviviscunt, et gratiam producunt. De baptismo id clare docet *S. Augustinus* (5) dicens: « Tunc

(1) L. 1 de divinat. (2) L. 4, cap. 5.
(3) L. 9, c. 5. (4) De sacram. c. 2, n. 93.
(5) L. 1 de bapt. cap. 12 relatus cap. 42, dist. 4 de consecrat.

valere ad salutem incipit baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quae, corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri. » Et *S. Thomas* (1) ait: « Fictio non removetur per baptismum, sed per poenitentiam subsequentem, qua remota, baptismus aufert culpam et reatum omnium peccatorum praecedentium baptismum, et etiam simul existentium cum baptismo. » Hoc idem ratione theologica probatur. Nam iuxta *Concilium Trid.* (2) hominis iustificatio sine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest: ergo nisi baptismi gratia suscitetur, sublato obice, omnis, qui semel cum obice sacramentum hoc receperit, quidquid ageret, ab omni spe salutis maneret exclusus. Nam sacramentum iterari non potest, neque etiam votum haberi potest illius, quod suscipere non licet. Ne ergo dicatur, quod S. Scripturae, Traditioni et sensui Ecclesiae penitus repugnat, peccatum dari plane irremissibile, et peccatorem in statu viae constitutum suique compotem de salute sua penitus desperare debere, necessario concedendum est, baptismum cum obice receptum, hoc sublato, reviviscere et gratiam producere. Par est aliorum sacramentorum ratio, quae per characterem in anima perdurant, neque, ubi semel suscepta fuerint, iterari possunt. Necesse esset, qui illa semel cum obice receperunt, eorum quoque fructu in perpetuum carere quamvis meliores sensus induant, et per poenitentiam ad Deum convertantur, quod non videtur cum bonitate Dei conciliari posse. Meliora de Deo speranda esse, tum theologorum consensus, tum Ecclesiae doctrina et praxis clare evincunt. Haec enim semper haereticos ad unitatem revertentes materno affectu complexa est, et eos, quamvis baptisma non iteraret, ad sacramentorum tamen communionem admisit. — Probabile est, etiam alia duo sacramenta, nempe matrimonium et extremam unctionem, cum obice suscepta, hoc sublato, reviviscere, et gratiam producere. Quamvis enim haec characterem non imprimant, attamen, quia, durante eodem coniugio, vel eodem morbo, iterari non possunt, sub hoc respectu tribus sacramentis characterem imprimentibus aequiparanda sunt, quia nimis durum videtur, quod qui illa cum obice suscepit, irreparabiliter privetur gratia sacramentali tam necessaria coniugato ad onera matrimonii patienter ferenda, et infirmo ad dolores mortis perferendos, et insidias diaboli superandas.

(1) 3 p., q. 69, art. 10 ad 2.
(2) Sess. 6, cap. 4.

ARTICULUS VII.

De subiecto sacramentorum.

§ 511. Certum est, solum hominem viatorem esse subiectum capax sacramentorum. Nam: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (3). Itaque pro hominibus sacerdos potestatem obtinuit sacramenta dispensandi, et sacrificia offerendi. Ratio est manifesta. Ut enim dicit *Concilium Tridentinum* (4): Sacramenta N. L. totidem sunt remedia, quibus *omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur*. Sed huiusmodi media pro solis hominibus viatoribus a Christo Domino instituta fuerunt; neque enim in Beatis iustitia incipere vel augeri potest, neque in damnatis repa-

(3) Hebr. 5, 1.
(4) Sess. 7 in prooemio.

rari. His accedit, quod animabus a corpore solutis, quamvis forte purgatione indigeant, signa sensibilia sacramentorum applicari non possint. Ergo sacramentorum subiectum non alii sunt, quam homines viatores. — Certum pariter est, omnem hominem viatorem esse subiectum capax baptismi, quod patet ex usu Ecclesiae, quae infantes et amentes baptizat; et ratio est, quia baptismus est absolutae necessitatis ad salutem, quia de omnibus Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (1). Eodem modo dubitari nequit, solum hominem baptizatum esse subiectum capax aliorum sacramentorum, quia per solum baptisma homo fit domesticus Dei et membrum Ecclesiae; et ideo baptismus est ianua ad alia Ecclesiae sacramenta. Quare qui spiritualis regenerationis lavacro nondum est emundatus, caetera Ecclesiae sacramenta valide suscipere nequit. — Sed tamen non omnis baptizatus est subiectum capax omnium sacramentorum. Nam infantes et perpetuo amentes non sunt capaces poenitentiae, quia huius sacramenti materia sunt actus poenitentis; neque extremae unctionis, institutae ad delendas reliquias peccatorum actualium; neque matrimonii, ad quod requiritur consensus deliberatus. Non sunt matrimonii subiectum regulares professi, nec in Ecclesia latina clerici ad ordines maiores evecti. Denique neque homo sanus subiectum est extremae unctionis, neque foemina ordinis. — His iam praenotatis, quaestio movetur de dispositionibus tum *ad validam*, tum *ad licitam* sacramentorum susceptionem requisitis, de quibus hic quaedam disserenda sunt.

(1) Io. 3, 5.

I. *De dispositionibus ad validam sacramentorum susceptionem requisitis.*

§ 512. Sermo hic non est de infantibus et perpetuo amentibus, in quibus nulla dispositio requiritur, quod patet ex perpetua Ecclesiae traditione et praxi, secundum quam baptizantur infantes; etiam confirmatio iisdem data valida habetur, et iuxta antiquissimam disciplinam, eucharistia quoque porrecta fuit. Validum et licitum esse baptismum infantibus collatum, alibi probandum erit. Sermo hic tantum de adultis instituitur, de quibus investigandum est, an in ipsis *orthodoxa fides*, *an*, *et qualis intentio* ad validam sacramentorum susceptionem requiratur.

1. Ad valide sacramenta suscipienda, si poenitentiam excipiamus, non requiritur *orthodoxa fides*. Id docet *S. Augustinus* (2) haec scribens: « Non interest, cum de sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat et quali fide sit imbutus ille, qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quaestionem nihil interest: fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum et perversam fidem. » Hoc idem patet ex traditione et praxi Ecclesiae, quae in variis *Conciliis* definivit, haereticos ab haereticis baptizatos vel ordinatos, non esse denuo baptizandos, vel ordinandos, cum ad fidem catholicam redierint, si haec sacramenta cum materia et forma legitima susceperint. Excipiendum tamen est poenitentiae sacramentum, quia hoc peculiare est huic sacramento, ut actus poenitentis, nempe contritio, confessio et satisfactio sint eius materia; non potest autem integra esse sacramenti substantia sine valida materia, nec valida materia, nempe con-

(2) L. 3 de bapt. cap. 14.

tritio, nisi rectam fidem et pietatem aliquam includat; atque ideo ad sacramentum poenitentiae valide suscipiendum requiritur orthodoxa fides.

2. Ut validum sit sacramentum, in suscipiente requiritur *intentio* positiva et interna suscipiendi illud ut rem in Ecclesia sacram, seu quam solet Ecclesia conferre; ideoque qui se habet mere passive, seu, ut dicunt, neutraliter, neque volens, neque nolens, et a fortiori qui reluctatur, non percipit sacramentum. Id probatur ex Conciliis. *Carthaginense III* (1) iubet: *Aegrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi, qui suis periculo proprio affuere dixerint, baptizentur. Carthaginense IV* (2) inquit: *Is, qui poenitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiat poenitentiam. Arausicanum I* (3) statuit: *Subito obmutescens, prout status eius est, baptizari, aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis aut praeteritae testimonium aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu. Aurelianense III* (4) dicit: *Si invitus, vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, sed non a communione pellatur. Episcopus autem, qui invitum, aut reclamantem praesumpserit ordinare, annuali poenitentiae subditus missas facere non praesumat.* Apertissime ergo Concilia intentionem seu voluntatem positivam et internam suscipiendi sacramentum exigunt, ut istud valide conferri possit. Idem docet *S. Augustinus*, qui (5) inter infantes et adultos, dum baptizantur, istud discriminis esse statuit, quod adulti interrogati pro se respondere teneantur, sufficiat autem patrinos respondere pro infantibus; ait enim: « Ideo cum alii pro eis (parvulis) respondeant, ut impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non utique valet. Ex qua regula illud in evangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter movet: *Aetatem habet, ipse pro se loquatur.* » Non requireretur autem ad *validam* baptismi susceptionem, ut adultus ipse responderet, si necessarium non foret, ut suam sacramentum suscipiendi voluntatem, seu intentionem manifestaret, sine qua valide non perciperet sacramentum. Consonat *S. Thomas* (6) dicens: « In adultis et in habentibus usum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu, vel habitu, requiritur et contritio et devotio ad percipiendam rem sacramenti, et intentio vel voluntas ad recipiendum sacramentum; in pueris autem absque utroque percipitur et sacramentum et res sacramenti; et similiter est in carentibus usu rationis, nisi contraria voluntas habitu insit, etsi non actu. » Et in Summa (7) concludit: « Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas seu intentio suscipiendi sacramentum; » et (8) addit: « Si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus: si autem hoc non constaret, esset dicendum: Si non est baptizatus, ego te baptizo. » Eadem doctrina auctoritate rom. Pontificum probatur. *Innocentius III* cap. *Maiores* de bapt. (9) imprimis reiicit opinionem illorum, qui dicunt, quod

(1) Anno 397, c. 34. (2) Anno 398, c. 76.
(3) Anno 442, can. 12. (4) Anno 538, can. 7.
(5) L. 4 de bapt. cap. 24, n. 31.

(6) In 4 dist. 6, q. 1, art. 2, q. 3.
(7) 3 p., q. 68, art. 7. (8) Ib. ad 2.
(9) Extra. lib. 3, tit. 42.

« sacramenta, quae per se sortiuntur effectum, ut baptismus et ordo, caeteraque similia, non solum dormientibus et amentibus, sed invitis et contradicentibus, etsi non quoad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur. » Hanc opinionem reiicit ex hac ratione; « quod qui fuissent inviti et reluctantes immersi, saltem ratione sacramenti ad iurisdictionem ecclesiasticam pertinerent, unde ad servandam regulam fidei christianae forent rationabiliter compellendi. Verum id est religioni christianae contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam christianitatem aliquis compellatur. » Deinde definit: « Ille vero qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti: sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus et reclamans thurificare idolis cogitur violenter. » *Innocentius IV* in lib. III decret. (1) expresse docet; « eum, qui sine consensu baptizatur, aut matrimonium contrahit, nec baptizari, nec matrimonium contrahere. » Rituale romanum *Pauli V* vetat, ne baptismus conferatur ei, « qui usum rationis ante amentiam habuit, et nunquam ostendit voluntatem baptismi, aut intentionem, aut petitionem illius. » Rationibus theologicis eadem veritas confirmatur. Christus enim instituit sacramenta pro hominibus, et certe voluit, ut ab iis, qui rationis compotes sunt, humano modo, id est, cum advertentia et libero consensu suscipiantur. Praeterea per sacramenta nobis partim gratia divina datur, partim obligationem gravem suscipimus. Atqui nulla donatio valet, nisi in recipiente, rationis compote, consensus adsit, et hinc eo minus *iustificatio, quae est sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum;* et simili modo gravis obligatio dignitati annexa imponi non potest ei qui ipsam dignitatem recipere recusat; unde *Innocentius III* loco superius citato infert, neminem semper invitum et penitus contradicentem ad servandam religionem christianam compellendum esse.

3. Si quaeritur, qualis intentio in subiecto ad valide recipiendum sacramentum necessaria sit; iuxta communem theologorum doctrinam non requiritur intentio *actualis*, vel *virtualis* (nisi in matrimonio), sed sufficit *habitualis*, id est, voluntas praeterita, sed non retractata; imo quandoque sufficit etiam intentio *interpretativa*, seu praesumpta, aut implicita, utpote in alio voluntatis decreto inclusa. — Quod sufficiat *habitualis intentio*, probatur ex Conciliis citatis et Rituali romano praecipientibus ut baptizetur moribundus, sensibus et ratione destitutus, modo constet de praeterita eius voluntate; tali autem moribundo non potest inesse nisi habitualis intentio: hanc igitur ad valide et licite suscipiendum sacramentum sufficientem credit Ecclesia. — Quod quandoque sufficiat intentio *interpretativa*, patet ex constanti Ecclesiae praxi, quae fidelibus repentino morbo correptis, quo usum linguae et rationis amiserunt, administrat sacramenta poenitentiae et extremae unctionis, etiamsi illa ante non expetierint: in his vero non est, nisi intentio interpretativa, seu implicita, quae censetur inclusa in alio voluntatis decreto, puta in vita christiana, vel proposito vivendi christiane. Quia hoc ipso, quo quis vivit aut proponit vivere catholice et pie, habet implicite et sufficienter intentionem, ut sibi conferantur omnia sacramenta sibi ad salutem necessa-

(1) Tit. de bapt. et eius effectu, q. 10.

ria aut valde utilia. Excipiendum tamen est *matrimonium*, in quo non sufficit habitualis et interpretativa, sed saltem virtualis in subiecto requiritur intentio, quia ad valorem contractus requiritur consensus saltem virtualis. Aliqui, ut *Billuart* (1), excipiunt etiam poenitentiam, quia in isto sacramento actus poenitentis requiruntur tanquam pars essentialis; et *Concilium Carthaginense IV* illi tantum sacramentum poenitentiae conferendum esse dicit, *qui poenitentiam in infirmitate petit*, ideoque exigit intentionem saltem habitualem. Ast quoniam contingere potest, ut quis intentionem sacramentum suscipiendi non quidem exterius manifestaverit, sed interius, dum sui compos erat, habuerit, et actus requisitos elicuerit; iuxta communiorem theologorum sententiam et praxin absolutio saltem conditionata et extrema unctio eidem conferri possunt, nisi constet, eum in actuali peccato sensibus et ratione privatum fuisse. Generatim enim sacramenta, quae propter hominem instituta sunt, tamdiu eidem sunt administranda, quamdiu voluntas ea suscipiendi in ipso praesumi potest; quinimo in extremis, etiamsi dubia fuerit, multo securius est conferre sacramentum, quod forte non proderit, quam denegare forsan profuturum. Ultimo monent theologi, ad eucharistiam valide sumendam non requiri intentionem, quia in suo esse non pendet ab intentione suscipientis, cum habeat esse permanens, et ab invito et ignaro sumi realiter possit; verum talis sumptio materialis esset, non sacramentalis ad effectum sacramenti percipiendum ordinata.

Nota. Doctrinae de necessitate intentionis in subiecto ad valorem sacramenti requisitae sequentia opponuntur.

Obi. I. Plura prostant exempla eorum, qui inviti et reluctantes, aut saltem nescientes ordinati sunt. Ita, teste *S. Epiphanio* (2), *Paulinianus*, frater S. Hieronymi, ordinatus est Diaconus ignorans et reluctans. *Bassianus* in Epistola, quae extat Act. 10. *Conc. Chalced.* lamentatur, se per vim ordinatum esse Episcopum. De *Macedonio* Eremita narrat *Theodoretus* (3), quod dolose e vertice montis abductus et altari admotus, sub mystico sacrificio in numerum sacerdotum cooptatus sit, quod cum comperisset, aegerrime tulit etc. Similia exempla plura leguntur, et cum tales ordinationes validae censerentur, nulla tunc temporis intentio in subiecto requirebatur.

Resp. Duplici modo aliquis dicitur invitus et coactus respectu suae ordinationis: *primo* modo, dum quis neque precibus, neque rationibus, neque minis victus unquam annuit, sed semper obluctatur, vel omnino inscius ordinatur; et huiusmodi ordinatio est invalida; *secundo* modo, dum quis se indignum reputans, et gravitatem officiorum pastoralium timens, primum quidem obluctatur, sed tandem auctoritatis, vel rationum pondere victus-quamvis aegro animo-consentit, et talis valide ordinatur, quia adest validus consensus, et ita in multis contingere scribit *S. Augustinus* (4): « Multi, inquit, ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta, quae nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.» Tales fuerunt *Paulinianus* et *Bassianus*, qui aegro quidem animo, Antistitum tamen voluntati se subiece-

(1) De sacr. diss. 6, art. 1.
(2) Ep. 110, al. 60 inter Hieronymi.
(3) Hist. relig. c. 13.
(4) Ep. ad Donat. 173 (al. 204.)

runt: ordinatio autem *Macedonii* nonnullis irrita videtur, et ab ipso *Theodoreto*, saltem quoad modum reprobatur (1).

Obi. II. *Conc. Toletanum IV* saeculo septimo ratum habuit baptismum sub Sisebuto Hispaniarum rege, metu suppliciorum a pluribus Iudaeis susceptum. Item *Hadrianus I* vere baptizatos pronuntiavit Saxones, vi ac terroribus ad baptismum compulsos. Ergo ad valorem sacramentorum non requiritur intentio suscipientis.

Resp. Iudaei et Saxones non vi physica abluti, sed vi morali adacti sunt, ut baptismum potius suscipere, quam tormenta sustinere vellent: erant ergo *secundum quid* inviti, sed *simpliciter* volentes, quia metus non tollit voluntarium: valide ergo quidem sacramentum, sed non gratiam sacramenti perceperunt.

Obi. III. *S. Augustinus* (2) dicit: « Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens,-accipere sacramentum potest nolens; credere autem non potest, nisi volens: » ergo ad fidem, non vero ad sacramentum voluntatem requirit.

Resp. Per sacramentum, quod aliquis nolens accipere potest, S. Doctor intelligit eucharistiam, quae cum habeat esse permanens, potest a nesciente vel invito (quanquam sine fructu) percipi. Quod si de baptismo citata verba intelligas, dicendum erit, *S. Augustinum* ad infantes alludere, qui sine proprio consensu baptizantur, et Ecclesiam intrant, aut ad adultos, non plene et simpliciter, sed secundum quid invitos.

Obi. IV. *Concilium Florentinum* ad valorem sacramenti tria tantum requirit, nempe materiam, formam et intentionem ministri: ergo intentio suscipientis non requiritur.

Resp. Concilium loquitur tantum de iis, quae sunt necessaria ex parte conficientis sacramentum; unde dicit: *Sacramenta tribus perficiuntur;* quare mirum videri non debet, si de intentione in suscipiente necessaria nihil dixerit.

II. *De dispositionibus ad licitam et salutiferam sacramentorum susceptionem requisitis.*

§ 513. Quamvis ad theologiam practicam spectet, dispositiones ad licitam, et salutiferam sacramentorum susceptionem requisitas declarare, summa tamen huius doctrinae principia etiam in theologia theoretica tradenda sunt. Et imprimis notandum est, duo esse *sacramenta mortuorum*, scilicet *baptismum* et *poenitentiam*, sic dicta, quia ad culpam mortalem delendam instituta sunt; quinque vero esse *sacramenta vivorum*, nempe *confirmationem*, *eucharistiam*, *extremam unctionem*, *ordinem* et *matrimonium*, sic dicta, quia instituta sunt pro hominibus vita spirituali gratiae sanctificantis viventibus.

1. Ad licite et cum fructu suscipienda *sacramenta mortuorum*, iuxta doctrinam *Concilii Tridentini* (3) requiruntur et sufficiunt quinque dispositiones, nimirum *fides*, *timor*, *spes*, seu *fiducia in Deo collocanda*, *amor initialis*, *odium et detestatio peccati* (4). — Infantes quidem sine istis dispositionibus valide, licite et cum fructu baptizantur; adulti autem, deficientibus praedictis dispositionibus, valide quidem, sed neque licite, neque cum fructu baptismum recipiunt. Sacramentum autem poenitentiae sine fide (ut iam dictum est), aut sine odio et detestatione peccati susceptum, non solum illicite et sine fructu, sed etiam invalide recipitur.

(1) Cf. Billuart de sacr. diss. 6, art. 1; Tournely q. 8, a. 2, concl. 1, obiect. (2) Tr. 26 in Io. (3) Sess. 6, cap. 6. (4) § 464 et seq.

2. Ad recipienda vero licite et cum fructu *sacramenta vivorum* requiritur status gratiae sanctificantis, quia per se non sunt ordinata ad culpam mortalem delendam et gratiam sanctificantem producendam, sed ad hanc augendam. Digne ergo et fructuose suscipi nequeunt haec sacramenta, nisi adsit in subiecto id, sine quo incrementum gratiae obtineri nequit. Sed gratia sanctificante remota neque datur ipsius incrementum; quod enim non existit, non potest augeri. Ut ergo digne ac fructuose recipiantur sacramenta cuncta, praeter baptismum et poenitentiam, status quoque gratiae sanctificantis prorsus est necessarius. Hinc in Ecclesia catholica consuetudo inolevit, ut homines peccati mortalis conscii, priusquam sacramenta vivorum recipiant, per poenitentiae sacramentum conscientiam suam purgare satagant. Etsi enim aliquando contingat, hominem contritione perfecta iustificari, antequam actu recipiat sacramentum poenitentiae; nemo tamen praesumere debet, habere se perfectam istiusmodi contritionem, et negligere confessionem sacramentalem, praesertim cum absque voto huius confessionis vix, ac ne vix quidem perfecta contritio concipi valeat; ideoque, si adsit copia confessarii debet peccator, non tantum antequam ad eucharistiam accedat(quod praecipit *Synodus Trident.* Sess. XIII, cap. 7), sed etiam antequam reliqua sacramenta vivorum recipiat, per poenitentiae sacramentum Deo reconciliari. Porro quia sancta sancte tractanda sunt, opus omnino est, ut qui ad sacramenta accedit, etiam actus virtutum, fidem vivam, spem firmam, humilitatem sinceram, charitatem ardentem etc. eliciat, et cordis sui devotionem promoveat, quia magis dispositi maiorem sacramenti fructum percipiunt. Quamvis enim sacramenta gratiam ex opere operato conferant; sapientia tamen divina, quae in omnibus et per omnia moralitatem hominis promovere satagit, ita sacramenta instituit, ut pro maiori subiecti dispositione uberior gratiarum copia conferatur.

ARTICULUS VIII.
De numero sacramentorum novae legis.

§ 514. Omnes Catholici norunt, credunt et profitentur, *septem* esse novae legis sacramenta, nempe *baptismum*, *confirmationem*, *eucharistiam*, *poenitentiam*, *extremam unctionem*, *ordinem* et *matrimonium*. Eadem fides semper viguit in Ecclesia Christi usque ad infelix saeculum decimum sextum, quo Novatores sicut alia dogmata pervertere, ita etiam sacramentorum numerum coarctare sunt ausi, quamvis in heterodoxis suis sententiis parum constantes fuerint. *Lutherus* enim initio libri de captiv. babylon. scribit: « Principio neganda mihi sunt septem sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda, baptismus, poenitentia, panis. » Mox eadem pagina addit: « Quamquam si usu scripturae loqui velim, nonnisi unum sacramentum habeam, et tria signa sacramentalia. » Denique in fine eiusdem libri haec habet:« Si rigide loqui volumus, tantum duo sunt in Ecclesia Dei sacramenta, baptismus et panis. » In libro de Missa privata, quem edidit anno 1534 et in assertionibus contra Lovanienses, quas conscripsit anno 1545, unico nempe ante mortem suam anno, inquit: « Poenitentiam cum virtute clavium absolventium sacramentum libenter confitemur; habet enim promissionem et fidem remissionis peccatorum propter Christum. » *Melanchthon* in locis communibus (1) duo tantum agnoscit

(1) Anno 1522.

sacramenta, baptismum et eucharistiam, sed (1) in Apologia Confessionis Augustanae, qui liber apud Lutheranos symbolicus est, adiungit tertium, nempe poenitentiam, titulo enim de usu et numero sacramentorum art. 13 dicitur: « Si sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiae, facile est iudicare, quae sint proprie sacramenta.... Vere igitur sunt sacramenta baptismus, coena Domini, absolutio, quae est sacramentum poenitentiae. Nam hi ritus habent mandatum Dei et promissionem gratiae, quae est propria novi Testamenti. » Idem in locis commun. (2) aperte quatuor admittit sacramenta, dicens: « Mihi maxime placei, etiam addi ordinationem, ut vocant, id est, vocationem ad ministerium Evangelii, quia haec etiam evangelico mandato praecipitur, et addita est promissio. » Qui in eadem editione (3) maxime propendet ad quintum addendum, nempe matrimonium; fatetur enim, matrimonium esse signum rei sacrae, et habere mandatum divinum annexamque promissionem gratiae: unum tantum ait, deesse, quod fuerit ante Christum. Biennio post obitum *Lutheri* (4), in conventu Lipsiensi *Melanchthon* cum aliis doctoribus Vittembergicis, qui molliores Lutherani appellati sunt, septem omnino sacramenta cum Catholicis admisit, ut refert *Io. Sleidanus* (5). — Ex quibus facile coniicitur, quam gravi laborarint vertigine *Lutherus* et *Melanchthon* posteaquam a certa veritatis regula deviarunt. — *Zuinglius* duo tantum statuit esse sacramenta, baptismum et coenam; atque licet matrimonium rem esse sanctissimam concedat, sacramentum tamen nullo modo vocandum esse contendi (6). - *Calvinus* (7) opere pretium se facturum dixit, si convellat « illam de septem sacramentis opinionem, omnium fere sermone tritam, scholasque et conciones omnes pervagatam, et quae vetustate ipsa radices egit. » Solis ergo baptismi et eucharistiae sacramentis contentos nos esse vult; et quamvis postea (n. 28) presbyterii munus, impositione manuum collatum, loco sacramentorum se libenter habere testetur, non vult tamen *tertium* sacramentum dici, quia « non ordinarium, nec commune est apud omnes fideles. » — Posteriores *Protestantes* modo plura, modo pauciora assumpserunt sacramenta; demum tamen in binario numero, in baptismo scilicet et S. Coena acquieverunt, quamvis, ut observat cl. *Moehler* (8) rectius dicatur, eos omnia sacramenta sustulisse, quoniam haec ut signa inefficacia reputant, omnemque gratiam producendi vim soli fidei tribuunt. Quae sit *Rationalistarum* et *Pantheistarum* sententia, superfluum est dicere, qui nihil sacramentis, nihil fidei attribuunt; sola apud ipsos remanserunt baptismi et coenae non tam sacramenta, quam nomina. — Contra orthodoxae doctrinae adversarios iam probandum est, in nova lege neque *pauciora* neque *plura* existere sacramenta, quam septem.

(1) Anno 1530. (2) An. 1536 et 1558 editis Cap. de Num. Sacram. (3) Anno 1558.
(4) Nimirum anno 1548. (5) Hist. lib. 20.
(6) In lib. de ver. et fals. relig.
(7) L. 4 Instit. cap. 19.
(8) Symbol. § 29.

I. *Non dantur pauciora N. L. sacramenta quam septem.*

§ 515. Cum institutio sacramentorum a sola liberrima voluntate Christi dependeat (§ 496), numerus sacramentorum non ex humanae rationis principiis, sed ex sola revelatione determinari potest. Tot ergo in N. L.

existunt sacramenta, quot, teste revelatione, Christus instituit signa sensibus subiecta, quae gratiae tum significandae, tum efficiendae vim habent; ratio enim sacramenti illis ritibus externis denegari nequit, in quibus omnia inveniuntur requisita ad sacramentum constituendum (§ 490). — Ast divina revelatio septem commemorat signa sensibus subiecta a Christo ad significandam et producendam gratiam instituta; in tractatu enim sequenti de baptismo, de confirmatione, de eucharistia, de poenitentia, de extrema unctione, de ordine et de matrimonio, ex S. Scriptura et ex Traditione probabitur, quod sint res subiectae sensibus, a Christo institutae ad gratiam non solum significandam, sed et producendam. Quae cum probata fuerint, concludendum erit, sacramenta N. L. non pauciora esse, quam septem. Nolumus hic, ne molesta repetitio fiat, pro singulis sacramentis S. Scripturae testimonia afferre, quae in praedicto tractatu citabuntur, explanabuntur, et contra adversariorum obiectiones vindicabuntur. Interim observamus, ipsos moderatiores protestantes fateri, septem sacramenta, quae Catholici venerantur, scripturarum auctoritate fulciri. Sic *Hugo Grotius* (1) scribit: « Sacramentorum vox, quamquam per se latius pateat, potuit tamen strictius sumpta ad septem illos actus externos, interna significantes, referri, quorum augustior in Scripturis est mentio, ut *baptismi*(2), *Confirmationis* (3), *Eucharistiae* (4), *Ordinationis* (5), *Poenitentiae* (6), *Matrimonii*(7), *Unctionis infirmorum*(8). Eminere inter ea, quae veterum more sacramenta dici possunt, illa septem, agnoscunt et *Lutherus* et *Melanchthon*. » Quamvis ergo S. Scriptura nullibi dicat, septem esse N. L. sacramenta, rectissime tamen asseritur, septem sacramentorum existentiam in S. Scriptura fundari. Simili modo in tractatu sequenti pro singulorum septem sacramentorum existentia argumenta Traditionis afferentur, quae adversarii incassum enervare conantur. Interim hic pro septenario sacramentorum N. L. numero generale argumentum *ex praescriptione*, seu ex constanti et universali Ecclesiae fide petitum proponitur, *rationes theologicae* adducuntur, et ad argumenta haereticorum respondetur.

(1) In discussione Rivetiani Apolog. (T. 4, p. 698.) (2) Matth. 28, 19; Marc. 16, 16. (3) Act. 8, 17. (4) Matth. 26, 26; Marc. 14, 22; Luc. 22, 18; 1 Cor. 11 23.

(5) 1 Tim. 4, 14 et 22; 2 Tim. 1, 6. (6) Matth. 18, 18; Io. 20, 22; 2 Cor. 2, 7. (7) Ephes. 5, 32. (8) Marc. 6, 13; Iac. 5, 14. (9) L. de Praescript. c. 21. (10) C. 28. (11) L. 4 de bapt. cap. 24, n. 31

A. *Argumentum ex praescriptione petitum.*

§ 516. Praescriptionem, seu universalem et perpetuam Ecclesiae fidem iam antiqui Patres pro certa fidei regula proposuerunt. *Tertullianus* (9) ait: « Sine dubio tenendum est, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum et Apostolorum, et Christi et Dei. » Et ibid. (10) inquit: « Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. » Et S. *Augustinus*(11) scribit: « Quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur. » Iam vero in hoc septenario numero confitendo omnes christiani nominis nationes, quamvis locis inter se disiunctas, moribus et linguis diversas, atque in pluribus

aliis sibi ipsis contrarias; semper convenisse, facile probatur.

1. Maximi momenti est Ecclesiae graecae et latinae consensus (1). Iste autem consensus circa septenarium sacramentorum numerum habetur. Nam vetustissima Latinorum sacramentalia apud *Martenium* (2) septem exhibent sacramenta. Ita pariter vetusta Graecorum Euchologia a *Iac. Goario*, ab *Isaaco Habert* et praesertim a *Leone Allatio* (3) collecta, non solum apertam omnium et singulorum septem sacramentorum mentionem faciunt, sed etiam eorum ritus et caeremonias exponunt, in quibus non leves sunt (quamquam non substantiales) a nostris differentiae, ut magis magisque appareat, sacramentorum doctrinam nec ad Graecos ex Ecclesia latina, nec vicissim ad latinam Ecclesiam a Graecis fuisse derivatam, sed ex Apostolica traditione ad utramque Ecclesiam descendisse.

2. Quando semel iterum et tertio actum est de extinctione illius teterrimi schismatis, quo Ecclesia graeca a romana, omnium matre, infeliciter separata erat; nunquam de numero sacramentorum disputatum fuisse legimus. *Photius, Michaël Caerularius*, eorumque schismatis pertinacissimi defensores omnia etiam minutiora dissensionum capita exposuerunt, et quantum poterant, exaggerarunt; nullibi tamen reperire est aliquod vestigium accusationis circa numerum sacramentorum vel in *Barensi*, vel in *Lugdunensi*, vel in *Florentina* synodo. Extiterunt quidem perfidi Graeci, qui *Florentini* praesertim *Concilii* auctoritatem, variis modis historiam corrumpentes, labefactare conati sunt: sed ne isti quidem controversiam septenarii sacramentorum numeri commemorant. Quis autem credat, cavillosos Graecos, qui de minutissimis diversitatibus nostrae Ecclesiae a sua litigiose conquerebantur, in re tanti momenti mutos esse potuisse, si aliqua extitisset nos inter ac ipsos discrepantia?—Ipsum igitur utriusque partis silentium nobis suppeditat patentissimum argumentum, plenam perfectamque fuisse hac in parte utriusque Ecclesiae consensionem. Addi potest etiam argumentum positivum, ductum ex *Simeone Thessalonicensi*, celebri et probatissimo inter suos populares theologo, qui scripsit ante *Concilium Florentinum*, et septem sacramenta, qualia apud nos sunt, distincte enumerat, ut testatur *Petrus Arcudius* (4). — Ulterius Graeci ignorare non poterant, quae in *Concilio Florentino* post sancitam cum ipsis concordiam ab *Eugenio Papa* pro Armenorum instructione decreta fuerunt: nec tamen quisquam contra septenarium sacramentorum numerum ibidem contentum mussitavit. Imo et quando in patriam reduces, renovato schismate, omnes ad suae perfidiae infamiam abstergendam praetextus undique quaesiverunt, nec *Marcus Ephesius*, nec *Sylvester Scuropolus*, aut alius ullus schismaticus Eugenium, aut eius Synodum novitatis hac in parte accusarunt.

3. Huic argumento maius robur accedit ex iis, quae saec. XVI et XVII hac in re contigerunt. Cum enim anno 1573 Lutherani Graecos in suas partes trahere studentes, confessionem augustanam graece versam iisdem transmisissent; *Ieremias*, Patriarcha CPanus, re mature cum suis

(1) Cf. Th. gen. § 181, n. 2.
(2) In 4 libris de antiquis Ecclesiae ritibus.
(3) In lib. 3 de perpetua Ecclesiae Occident. et Orient. consensione, et in Graecia orthodoxa. (4) Lib. 1 de Concordia Orient. et Occid. in septem sacram. administr. cap. 2.

discussa, tandem respondit, et fere omnes eius confessionis articulos, qui contra Ecclesiae romanae fidem constituti erant, aperte reiecit. Capite autem 7 de sacramentis ita scripsit: «In ea item catholica et orthodoxa Ecclesia septem divina sacramenta sunt, baptismus scilicet, sacri unguenti unctio, sacra communio, ordo, matrimonium, poenitentia, et extremae unctionis oleum.» Et in secunda responsione ad eosdem lutheranos, fatetur quidem, inter sacramenta baptismum et divinam communionem potiora esse: «cum sine iis salus nullo modo contingat; » subdit tamen: « et reliqua, quae cum iis septenarium numerum implent, tradita esse ab Ecclesia.» — Porro cum saeculo XVII *Cyrillus Lucaris* lue calviniana infectus, et Calvinistarum Batavorum pecunia et auxilio ad Sedem Alexandrinam primum, et dein ad CPanam evectus, calvinianam fidei professionem promulgasset, in qua mendacissime art.15 asseruit: « Graecorum perpetuam et constantem esse doctrinam, duo tantum esse sacramenta, baptismum et eucharistiam, a supremo Legislatore Christo sancita; » Graeci statim coacto CPoli Concilio, haereticum Patriarcham exauctorarunt, et in eius locum *Cyrillum Beroeensem* substituerunt, qui una cum Patriarchis Alexandrino et Hierosolymitano, ac 23 orientalibus Episcopis et universo Clero CPano in synodo anno 1638 habita, Cyrillo Lucari et calvinianae confessioni ab eo editae, anathema dixerunt. Sub *Parthenio*, Cyrilli Beroeensis successore, aliud *Concilium* anno 1642 habitum est, in quo iterum calviniana Cyrilli Lucaris dogmata damnata, et *orthodoxa confessio catholicae et apostolicae Ecclesiae orientalis* confecta fuit, quae postea ab omnibus Orientis Patriarchis, scilicet CPtano, Antiocheno, Alexandrino et Hierosolymitano plurimisque metropolitis approbata fuit: in hac confessione *septem* recensentur sacramenta, quae sunt *baptismus*, *unguentum chrysmatis*, *eucharistia*, *poenitentia*, *sacerdotium*, *honorabile coniugium* et *oleum consecratum*. — Cum autem Calvinistae nova molimina adhiberent, ut Graecos in suas partes traherent, *Dionysius* Patr. CPtanus anno 1672 in synodo *CPana* can. 1 declaravit: « Sancta et veneranda septenario numero esse sacramenta, baptisma, chrysma, S. communionis sacramentum, poenitentiam, ordinis sacramentum, unctionem. » Eodem anno *Dositheus*, Patr. Hieros. in synodo *Hierosolymitana* Calvinistas vaniloquos, novatores, haereticos, apostatas vocat; et can. 15 pronuntiat: « Credimus, esse in Ecclesia legis novae sacramenta, eaque septem, nec minorem maioremve sacramentorum numerum admittimus, baptismum, confirmationem, ordinem, incruentum sacrificium, matrimonium, poenitentiam, in qua secreta includitur confessio, extremam unctionem. Neque egena haec sacramenta sunt divinarum signa promissionum; imo vero ea esse instrumenta, gratiam his qui initiantur illis, conferentia confitemur.»

4. Argumentum praescriptionis confirmatur ex consensu aliarum Ecclesiarum orientalium, quae saltem quoad disciplinam ab Ecclesia graeca differunt, vel ab ista se separarunt. Sic *Armeni* semper septem N. L. sacramenta agnoverunt; neque quoad numerum sacramentorum, sed solum circa modum ea administrandi ab Ecclesia latina discreparunt, atque ideo in *Concilio Florentino* ab *Eugenio Papa* instructionem petierunt. *Rutheni*, qui a Graecis in fide minime

differunt, quamquam a Patriarchae CPtani obedientia se subtraxerint, septem profitentur sacramenta, quod patet ex Catechismo Russorum, a *Petro Mogila*, metropolita Hioviensi, exarato, et ab aliis Patriarchis et Episcopis approbato, in quo non solum asseritur septenarius sacramentorum numerus, sed etiam singulorum sacramentorum materia, forma atque minister determinantur. Denique iam saeculo quinto, sexto et septimo in Ecclesia orientali fidem de septem sacramentis viguisse, patet ex eo, quia illis saeculis *Nestoriani*, *Eutychiani*, *Monothelitae* etc. se ab Ecclesia catholica separarunt; et tamen sectae, ex dictis haeresibus enatae, *iacobitae*, *copti*, *maronitae* etc., quamvis in aliis dogmatibus dissentiant, in septem tamen sacramentis N. L. agnoscendis conveniunt, ut ostendunt *Assemanus*, *Leo Allatius*, *Renaudotius* (1) et alii.

5. In confirmationem producere etiam licet haereticorum occidentalium consensum. Ac primo *Hussitae*, dum ipsos ministros septem sacramenta non conficere dogmatizabant (ut constat ex sess. XV *Conc. Constantiensis*) illorum profecto numerum universis, singulisque compertum minime inficiabantur. *Anglos* sub *Henrico VIII* septem sacramenta retinuisse manifestum est, et ex confessione haereticorum demonstratum a *Bossuet* (2). *Valdenses*, quos plurimum reformatae, ut dicuntur, Ecclesiae commendant, nullum sacramentum inveniuntur negasse, sed caeremonias tantum. *Lutherus* de capt. babyl., et in respons. ad articulos inde extractos scripsit: « se non damnare septem sacramenta, » quamquam existimaverit, non posse probari ex scripturis. — *Melanchthon* (3) inquit, « se non rixaturum cum quoquam de numero sacramentorum.» *Lutherani* in apolog. Conf. augustanae (4) tria sacramenta recipiunt, *baptismum*, *S. coenam* et *absolutionem*. *Ordinem*, inquiunt, non esse reiiciendum, si accipiatur pro verbi divini ministerio. Haud negant *confirmationem* et *extremam unctionem* caeremonias esse sacras, a Patribus derivatas; in matrimonio divinam institutionem agnoscunt; ideoque *numerum* sacramentorum non reiiciunt, nisi quatenus sententia nostra vim habent gratiam efficiendi.

6. Qui negant, omnia septem sacramenta a Christo instituta esse, et aliqua ex humana tantum institutione repetunt, ostendere deberent a quibus, et quando talis institutio facta sit. Nunquam autem Protestantes id circa sacramenta, quae reiiciunt, praestare valuerunt, cum varias opiniones in medium proferentes nullam solidis comprobaverint argumentis. Nos autem facile probamus, fieri non potuisse, ut sacramentum novum, prioribus saeculis incognitum, nemine reclamante, toti Ecclesiae obtruderetur, tum quia Fidelibus semper persuasum fuit, sacramenta sibi ab ipso Christo tradita fuisse, atque in Ecclesiae potestate nullo modo esse, eorum numerum vel minuere, vel augere, tum quia hic non agitur de dogmate mere speculativo, sed de re in usu quotidiano posita. Ast cum in tota historia ecclesiastica nullibi legatur, ob novum sacramentum in ecclesiam introductum controversias motas aut turbas excitatas fuisse, recte concluditur, doctrinam de septenario sacramentorum numero divina niti Traditione.

7. Non ergo Ecclesia Occidentis seu

(1) In perpetuitate fidei de eucharistia L. I de sacram. (2) Lib. 7 Hist. Variat. n. 37.

(3) In locis commun. posterioribus.
(4) Ad art. 13.

latina a fide aberravit, sed universali et constanti Traditioni inhaesit, dum in conciliis solemniter definivit, septem esse N. L. sacramenta. Et hanc quidem doctrinam credendam proposuerant iam *Concilia Londinense* anno 1237, *Claramontanum* anno 1268, *Coloniense* anno 1280, *Oxoniense* in Anglia anno 1287: *Concilium Florentinum* in decreto Unionis dicit: *Novae legis septem sunt sacramenta, videlicet baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium. Concilium* vero *Tridentinum* sess. VII, can. 1 haec definit: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse a Iesu Christo Domino Nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, anathema sit.*

B. *Rationes theologicae.*

§ 517. Ante saeculum decimum sextum, cum septenarius sacramentorum numerus a nemine impugnaretur, theologi non tam septem sacramentorum existentiam probare, quam potius septenarii numeri convenientiam ostendere, rationesque adducere conati sunt, ex quibus factum est, ut septem a Christo sacramenta, nec plura, nec pauciora instituerentur.

1. In *S. Scriptura* quidem nullibi conceptis verbis dicitur, septem esse N. L. sacramenta, at septenarius numerus speciali modo sacratus esse videtur. « Nam, ait cl. *Iavelli* (1), Deus sex diebus mundum fabricavit, et in septimo quievit (2); septem diebus praecepit azyma comedi (3) (et septem lucernas fieri et super candelabrum poni, *ut luceant ex adverso*) (4); Lev. XXIII, 18 offerre iubentur septem agni immaculati anniculi; (Num. XXIII, 29 septem arae aedificandae, et totidem vituli eiusdemque numeri arietes parandi dicuntur) (5); Solemnitatem tabernaculorum Deus praecepit celebrari diebus septem; Iosue iubet septem sacerdotes tollere septem iubilaeorum buccinas (6); (et: *Septimo circuitu tradidit civitatem*) (7); Iudic. XVI, 13 in septem capillis locavit Samsonis fortitudinem; IV Reg. V, 10 septem vicibus praecepit Elisaeus Naaman Syrum lavari in Iordane, et sanatus est a lepra sua; Prov. IX, 1: *Sapientia excidit columnas septem;* (Isa. II, 2 septem dona Spiritus sancti recensentur, quibus replebitur Messias, ut illa etiam in alios transfundat); Septem panibus satiavit Christus septem millia hominum (8); Septem daemonia eiecit a Maria Magdalena (9); Septem Spiritus in conspectu throni eius sunt (10); vidit Ioannes septem candelabra aurea (11); et septem stellas in dextera filii hominis, id est, Christi (12); septem lampades ardentes ante thronum (13); in dextera sedentis supra thronum librum — signatum sigillis septem (14). — Si ergo divina bonitas in effectibus suis, in observantiis, in caeremoniis, in miraculis septenarium numerum adeo magnificat; sapientissime certe disposuit septem sacramenta in Ecclesia sua, ut septem rivulos ex fonte charitatis Filii sui pro nobis passi effluentes. »

2. Septem N. L. sacramenta haud obscure indigitantur in Ps. XXVIII. In hoc enim homines, et praecipue

(1) P. I Philos. christ. tract. 1, cap. 5.
(2) Gen. 1. (3) Ex. 12, 15. (4) Ib. 25, 37.
(5) Deut. 16, 13. (6) C. 6, v. 6. (7) Ib. v. 16
(8) Matth. 15, 36 etc. (9) Marc. 16, 9.
(10) Apoc. 1, 4. (11) Ib. v. 12.
(12) Ib. v. 16. (13) Ib. c. 4, 5.
(14) Ib. c. 5, 1.

filii Dei, per gratiam sanctificati cum magna emphasi ad laudandum Deum excitantur (1); et quidem, ut ait *S. Basilius* (2): « Quia Deus magnifica dona concedit. » Additur porro: *Adorate Dominum in atrio sancto eius*, id est, ut observat idem S. Doctor, « in una vera Ecclesia, » extra quam dona, de quibus sermo est, salutariter non habentur. Dein ut ipsa dona divina indicentur, septies occurrit *vox Domini*, per quam iuxta *S. Basilium* non intelligitur, nisi *ordinatio divina*. Dicitur autem: *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas* (3). Haec verba, ut citatus S. Doctor dicit, « ad Iesum spectant, in cuius baptismate vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus;* tunc enim *Dominus super aquas multas* fuit, cum aquas pro baptismate consecravit. Et Dominus hanc vocem nobis reliquit, quae nunc quoque super Cathecumenos auditur: Ite, et baptizate eos in Nomine Patris et Filii etc. » Sequitur: *Vox Domini in virtute* (4), id est, secunda ordinatio divina, seu secundum donum in *virtute* consistit, quae confertur in confirmatione; unde *S. Augustinus* (5) ait: « Vox Domini iam in ipsis, potentes faciens eos. » Sicut enim ventus naves feliciter propellit, ita virtus, quae in confirmatione obtinetur, efficit, ut animae in stadio virtutis sedulo progrediantur; hinc *S. Basilius* in eundem locum dicit: « Qui per virtutem Christi omnia potest, audit verba Dei, et custodit ea. » In eodem versu additur: *Vox Domini in magnificentia*, per quam institutio eucharistiae recte intelligitur, quae est sacramentum magnificentissimum, seu *magnificentia* ipsa, cum contineat regem gloriae, gratiae Auctorem: *Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani, et comminuet eas tanquam vitulum Libani, et dilectus quemadmodum filius unicornium* (6). His verbis sacramentum poenitentiae describitur. Nam « per cedrum hincinde, ut observat *S. Basilius*, inutile et malum lignum intelligitur, quod impii imaginem exhibet, ut Ps. XXXVI, 35: *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani;* et in eodem sensu etiam hic nomen Cedri sumendum est. » Et *S. Augustinus* verba Psalm. citata sic interpretatur: « Vox Domini contritione cordis humilians superbos: *Conteret Dominus cedros Libani.* Conteret per poenitentiam Dominus elatos nitore terrenae nobilitatis — et, amputata superba celsitudine illorum, deponet eos, ad imitationem humilitatis suae, qui tanquam vitulus per ipsam huius saeculi nobilitatem ad victimam ductus est. » Insinuatur autem etiam effectus poenitentiae, per quam homo iustificatus fit *dilectus, quemadmodum filius unicornium*, id est, sicut Christus, qui ob varias causas filius unicornium dicitur (7). — *Vox Domini intercidentis flammam ignis* (8); per quae verba innuitur sacramentum matrimonii, quod non solum ad procreandam prolem, sed in statu naturae lapsae etiam in remedium concupiscentiae ordinatur. Sicuti enim vox Dei, id est, tonitru, flammam ignis, seu fulgura et coruscationes intercidit, et per medias eas currit, ita sacramentum matrimonii efficit, ut homines igne concupiscentiae non laedantur, cum hoc ad bonum dumtaxat finem utantur, iuxta dictum Apostoli: *Melius est nubere, quam uri* (9). — Eo-

(1) Ver. 1 et 2. (2) Hom. in Ps. 28.
(3) Ib. v. 9. (4) Ver. 4.
(5) Enar. in Ps. 28. (6) Ver. 5 et 6.
(7) V. Le Blanc, in Ps. 28, n. 46 etc.
(8) Ver. 7. (9) 1 Cor. 7, 9.

dem versu additur: *Vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades;* quae verba ad sacramentum ordinis referuntur. Nam, ut observat (1) *Richardus a S. Victore*, duplex hic distinguitur desertum, nempe desertum *Idumaeae*, et desertum *Cades*, quod, ut ait *S. Basilius*, significat *sanctificationem:* illud malum est, hoc bonum; illud denotat populum gentilem fide destitutum, hoc populum fidelem: ut autem desertum malum salubriter concutiatur, Deus commovet desertum bonum, cum ex populo fideli ministros eligit, et gratia sua corroborat, qui per praedicationem suam peccatores conterant et convertant: ideo *S. Basilius* dicit, clementiam divinam concutere desertum, ut hoc in regionem excultam immutetur, sterilitatis opprobrium amittat, et ob multitudinem filiorum laudetur iuxta dictum Prophetae: *Multi filii desertae, magis quam eius, quae habet virum* (2). Denique extrema unctio insinuatur cum dicitur: *Vox Domini praeparantis cervos, et revelabit condensa, et in templo eius omnes dicent gloriam* (3). Infirmi ad aeternam patriam properantes hic *cervis* comparantur; nam, ait *Richardus a S. Vict.* l. c.: « Cervus animal velox et pavidum, sed serpentibus inimicum. In agilitate itaque pedum recte intelligitur expedita et prompta velocitas actionis. Vultis audire cervum alacriter currentem? *Viam*, inquit, Psalmista, *mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (4). Vultis audire vocem praeparantis ad cervinam velocitatem? *Sic currite ut comprehendatis* » (5). — Extrema itaque unctio efficit, ut infirmi expedite et prompte ad aeternam patriam tendant, et ab infernalibus serpentibus damnum non capiant. Additur: *Et revelabit condensa;* nam, ait citatus *Richardus:* « Talibus cervis, taliterque praeparatis Dominus revelabit condensa, et reserabit scripturarum profunda, allegoriarum opaca, sacramentorum mysteria, mysteriorum secreta. » Et si gratia corroborati bonum certamen certaverint, et cursum feliciter consummaverint, *in templo eius,* id est, in coelo, *omnes dicent gloriam*, id est, Deum videbunt, et glorificabunt. In fine Psalmi sacramentorum, quae diluvio gratiarum comparantur, perpetua stabilitas indicatur et saluberrimi effectus describuntur; dicitur enim: *Dominus diluvium inhabitare facit: et sedebit Dominus rex in aeternum;* et: *Dominus virtutem populo suo dabit; Dominus benedicet populo suo in pace* (6).

3. *S. Thomas* (7) quaerit, « utrum debeant esse septem sacramenta? » et respondet: « Sacramenta Ecclesiae ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem in his, quae pertinent ad cultum Dei secundum religionem vitae christianae, et etiam in remedium contra defectum peccati. Utroque autem modo convenienter ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut et caetera corporalia conformitatem quamdam spiritualium habent. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur: uno modo, quantum ad personam propriam; alio modo, per respectum ad totam communitatem societatis, in qua vivit, quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem sui ipsius perficitur

(1) P. 2, in Ps. 28.
(2) Isa. 54, 1.
(3) Ib. v. 8.
(4) Ps. 118.
(5) 1 Cor. 9, 24.
(6) Ver. 9 et 10. — Cf. cl. N. Sacy Comment. in Ps. 28, et Allioli ibid.
(7) 3 p., q. 65, art. 1.

homc in vita corporali dupliciter. Uno modo per se, acquirendo scilicet aliquam vitae perfectionem, alio modo per accidens, scilicet removendo impedimenta vitae, puta aegritudines, vel aliquid huiusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter. Primo quidem per generationem, per quam homo incipit esse et vivere; et loco huius in spirituali vita est *baptismus*, qui est spiritualis regeneratio secundum illud: *Per lavacrum regenerationis*(1). Secundo per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem; et loco huius in spirituali vita est *confirmatio*, in qua datur Spiritus sanctus ad robur. Unde dicitur discipulis iam baptizatis: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (2). Tertio per nutritionem, qua conservatur in homine vita et virtus; et loco huius in spirituali vita est *eucharistia;* unde dicitur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (3). Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet et corporaliter, et spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem et spiritualem, scilicet peccatum; ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate; quae quidem duplex est: una quidem est sanatio, quae sanitatem restituit, et loco huius in spirituali vita est *poenitentia*, secundum illud Psalmi: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Alia autem est restitutio valetudinis pristinae per convenientem diaetam et exercitium. Et loco huius in spirituali vita est *extrema unctio,* quae removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam: *Et si in peccatis sit, dimittantur ei* (4). — Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter: uno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem, seu exercendi actus publicos, et loco huius in spirituali vita est sacramentum *ordinis*, secundum illud (5), quod sacerdotes hostias offerunt non tantum pro se, sed etiam pro populo. Secundo quantum ad naturalem propagationem, quod fit per *matrimonium* tam in corporali, quam in spirituali vita, ex eo quod non solum est sacramentum, sed naturae officium. Ex his etiam patet sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam *baptismus* ordinatur contra carentiam vitae spiritualis, *confirmatio* contra infirmitatem animi, quae in nuper natis invenitur, *eucharistia* contra labilitatem animi ad peccandum, *poenitentia* contra actuale peccatum, post baptisma commissum, *extrema unctio* contra reliquias peccatorum, quae scilicet non sunt sufficienter per poenitentiam sublatae aut ex negligentia, aut ex ignorantia, *ordo* contra dissolutionem multitudinis, *matrimonium* in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit.» Sic ergo divinus Salvator per septem sacramenta totam nostram vitam ab exordio usque in finem gratiae suae auxilio munivit, illisque etiam statibus consuluit, a quibus spiritualis nostra et physica vita, totaque generis humani salus pendet (6).

4. *S. Bonaventura* in Breviloquio(7) agens de distinctione et numero sacramentorum ita disserit: «Principium nostrum reparativum, et curativum nostrorum morborum Christus

(1) Tit. 3, 5. (2) Luc. 24, 49.
(3) Io. 6, 54. (4) Iac. 5. (5) Hebr. 7, 27.
(6) Cf. Catechism. rom. p. 2, n. 19, et seq.
(7) P. 6, cap. 3.

Dominus, Verbum incarnatum, cum sit Dei virtus et sapientia, et misericordia nostra, sic potenter, sic sapienter, sic clementer, sic decenter sua debet instituere sacramenta in lege gratiae, ut nihil prorsus desit curationi nostrae, quantum competit statui vitae praesentis. Ad perfectam autem curationem aegritudinis concurrunt haec tria, scilicet *expulsio aegritudinis, introductio sanitatis, et conservatio introductae salutis*. — *Primum* igitur, quoniam ad perfectam curationem perfecta et universalis requiritur morbi expulsio, et morbus est septiformis, triplex culpabilis, scilicet culpa originalis, mortalis et venialis; et quadruplex poenalis, scilicet ignorantia, malitia, infirmitas et concupiscentia, et non sanat oculum, quod sanat calcaneum, sicut dicit *Hieronymus;* hinc est, quod oportuit adhiberi contra haec septenarium medicamentorum ad hunc septiformem morbum plenius expellendum, scilicet contra originalem *baptismum,* contra mortalem *poenitentiam,* contra venialem *extremam unctionem*, contra ignorantiam *ordinem,* contra malitiam *eucharistiam*, contra infirmitatem *confirmationem*, et contra concupiscentiam *matrimonium*, quod eam temperat et excusat. *Rursus,* quia perfecta curatio non potest esse sine restitutione integrae sanitatis, et sanitas animae integra consistit in usu septem virtutum, trium scilicet theologicarum, et quatuor cardinalium; hinc est, quod ad harum usum sanum restituendum, institui oportuit septiforme sacramentum. Nam *baptismus* sanando disponit ad fidem, *confirmatio* ad spem, *eucharistia* ad charitatem, *poenitentia* ad iustitiam, *unctio extrema* ad perseverantiam, quae est fortitudinis complementum et summa, *ordo* ad prudentiam, *matrimonium* ad temperantiam conservandam, quam maxime persequitur infirmitas carnis, sed honestas remediat nuptiarum. *Postremo*, quoniam perfecta curatio esse non potest sine conservatione salutis introductae, et salus introducta conservari non potest in conflictu certaminis, nisi in acie Ecclesiae, quae est *terribilis ut castrorum acies ordinata* (1); et hoc quidem fit per septiformis gratiae armaturam; hinc est, quod necesse est, septem esse sacramenta. Nam ut haec acies sit perfecte et continue munita, cum constet ex partibus corruptibilibus, indiget sacramentis munientibus, relevantibus, et renovantibus; munientibus pugnantes, relevantibus cadentes, et renovantibus morientes. Sacramentum autem muniens, aut munit ingredientes, et sic est *baptismus*, aut stantes, et sic est *confirmatio*, aut exeuntes, et sic est *extrema unctio*. Sacramentum autem relevans aut relevat a casu veniali, et sic est *eucharistia*, aut a mortali, et sic est *poenitentia*. Sacramentum autem renovans aut renovat in esse spirituali, et sic est *ordo*, cuius est administrare sacramenta; aut in esse naturali, et sic est *matrimonium*, quod, quia renovat multitudinem in esse naturae, quod est omnium fundamentum, ideo primo fuit ante omnia institutum sive introductum, licet propter morbum concupiscentiae annexum. Et quia minime est sanctificativum, quamvis significatione sit sacramentum magnum, inter medicamenta spiritualia ultimo collocatur, et locum sortitur extremum. Unde, quia baptismus est ingredientium, confirmatio pugnantium, eucharistia vires resumentium, poenitentia resurgentium, extrema unctio exeuntium, ordo novos milites

(1) Cant. 6.

introducentium, matrimonium novos milites praeparantium; patet ex his sufficientia et ordo medicamentorum sacramentalium et armorum. »

C. *Ad argumenta haereticorum responsio.*

§ 518. Protestantes, quamvis se iactent, quod merita Christi maxime extollant, media tamen salutis coarctare, et sacramentorum numerum restringere non verentur, atque ideo ad deturbandam doctrinam catholicam varias cavillationes proponere solent.

Obi. I. Septenarius sacramentorum numerus neque ex S. Scriptura, neque ex Traditione probari potest. In Ss. Bibliis enim nullibi dicitur *septem* esse N. L. sacramenta; neque hic numerus ab antiquis Patribus expressus et determinatus invenitur.

Resp. Quisque videt, hoc argumentum non esse nisi negativum, quod non infringit positiva quae adsunt. S. Scriptura etiam nullibi dicit, *duo* vel *tria* esse N. L. sacramenta, quae tamen a Protestantibus admittuntur. Porro in Ss. Bibliis nullibi dicitur, *quatuor* esse Evangelia, et tamen hunc Evangeliorum numerum Protestantes nobiscum tenent, quoniam divina istorum inspiratio aliunde probatur. Quomodo aegre ferre possunt, quod septenarium sacramentorum numerum statuamus, quamvis in S. Scriptura notis arithmeticis expressus non sit, cum eorundem septem sacramentorum existentiam aliunde probemus? — Et sane, ut ex dicendis in tractatu sequenti apparebit, non solum baptismi et eucharistiae, sed etiam caeterorum quinque sacramentorum existentia tum ex Scriptura, tum ex Traditione abunde demonstratur.

Obi. II. Saepe quidem S. Ecclesiae Patres de sacramentis data opera scripserunt; at haec septem esse, nullibi tradiderunt, sed contrarium potius asseruerunt. Nonnulli enim Patres tria tantum sacramenta esse contestati sunt. Sic *Cyrillus Hier.* in suis catechesibus de baptismo, eucharistia et confirmatione ea tradit, quae rudi populo instruendo erant necessaria, de caeteris sacramentis ne verbum quidem. *S. Ambrosius* in lib. *de initiandis*, et in libris 6 *de sacramentis*, eadem tria sacramenta commemorat; et tamen lib. IV, cap. 2, se nihil de hoc argumento praetermisisse significat, dicens: « Ergo accepisti de sacramentis, plenissime cognovisti omnia. » *S. Gregorius M.* non solum de septenario sacramentorum numero nihil habet in suo celebri *sacramentario*, sed nonnisi tria recenset apud Gratianum in cap. *Multi saecularium*, dicens: « Sunt autem sacramenta baptisma, chrisma, corpus et sanguis Domini. » Alii Patres duo tantum sacramenta admittunt. Ita *S. Justinus M.* Apol. I (1) de baptismo agit et de eucharistia: de caeteris sacramentis ne verbum quidem profert. Passim etiam Patres docent, materiam sacramentorum profluxisse ex latere Christi: ex hoc autem, ut legitur Io. XIX, 34, tantum sanguis et aqua profluxerunt, baptismi et coenae dominicae materia, ut locum hunc exponunt *S. Ambrosius, S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Cyrillus Alex. Theophylactus* etc. Imo S. Augustinus pluribus in locis aperte tradit, duo tantum esse N. L. sacramenta; nam Enarr. I in Ps. CIII, 14, referens sacramenta ob disciplinam arcani profanis abscondita fuisse, duo tantum profert, dicens: « Quid est, quod occultum est et non publicum in Ecclesia? — Sacramentum baptismi, sacramentum eucharistiae. Opera enim nostra bona vident et Pagani, sacramenta vero occultantur illis; » et lib. III de doctr. christ

(1) N. 65 et 66.

cap. 9, sacramenta N. L. cum sacramentis V. L. comparans, ait : « Quaedam pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima, ipse Dominus et apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi sacramentum, et celebratio corporis et sanguinis Domini ; » et (1) ad Ianuar. scribit : « Christus sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est baptismus et communicatio corporis et sanguinis Domini. »

Resp. Testimonia, quae ex Ss. Patribus nobis opponuntur, iterum negativum duntaxat argumentum constituunt, quia dum in illis tria, vel duo sacramenta commemorantur, reliqua reticentur quidem sed non negantur. Neque est mirandum, quod prisci Ecclesiae Patres distincta omnium, et singulorum mentionem non fecerint, partim quod eorum scopus id non exigebat, partim etiam, quod necesse non habuerint, de rebus notissimis verba facere, ac demum quia quaedam occultiora palam fieri vetabat *disciplina arcani*. Sic *Cyrillus Hier.* et *Ambrosius* sibi non proposuerunt in laudatis operibus plenam fidelibus instructionem de omnibus sacramentis suppeditare ; volebant tantum ea docere Catechumenos, quae spectabant ad tria illa sacramenta, quae simul ipsis tradebantur, nempe ad baptismum, confirmationem et eucharistiam. Ideo auctor librorum de sacramentis (qui incertus est) instructionem catechumeno traditam, plenam et sufficientem dicit : caeterum *S. Ambrosius*, ut testatur *Paulinus* (2) assiduus erat in excipiendis confessionibus, et potestatem clavium acriter defendit contra Novatianos. — *S. Gregorius M.* in sacramentario ea potissimum complexus est, quae pertinent ad sacram liturgiam in celebratione missae solemnis : falsum autem est, eum tria tantum sacramenta commemorare ; nam in eodem sacramentario ritum exponit administrationis olei infirmorum : verba autem, quae a Gratiano referuntur, non sunt *S. Gregorii M.*, sed *S. Isidori Hisp.* (3), qui certe non loquitur sensu exclusivo ; alibi enim de aliis sacramentis disserit. — *S. Iustinus M.* non ad instruendos, sed ad defendendos Christianos Apologiam scripsit. Huius igitur scopus erat, duplicem criminationem avertere, qua Christi fideles tanquam athei, atque antropophagi traducebantur. Ut igitur utramque dilueret calumniam, palam professus est, Christianos Deum unum in substantia colere, trinum in personis, quarum nomine conferebatur baptismus, ipsosque in eucharistia non a se occisorum hominum carnes comedere, sed corporis et sanguinis Christi participes fieri. — Quod attinet locum Io. XIX, 34, non omnes Patres in allata mystica illius interpretatione conveniunt. Aliqui enim, ut *S. Ambrosius* (4), *S. Leo* (5), et ipse *S. Augustinus* (6) per sanguinem intelligunt pretium nostrae redemptionis. Alii, ut *Tertullianus* (7), *S. Cyrillus Hier.* (8) et *S. Hieronymus* (9) intelligunt de duplici baptismo fluminis et sanguinis, quia per martyrium baptismus in aqua collatus suppletur. Quod si aliqui Patres per aquam baptismum, et per sanguinem eucharistiam denotari dicunt, nullatenus ideo reliqua sacramenta excludunt, sed duo illa

(1) Ep. 54, n. 1. (2) In eius vita, n. 39.
(3) Etymol. lib. 6, c. 19.
(4) Lib. 10 in Luc., n. 135. (5) Ep. 4.
(6) Tr. 120 in Io., n. 135.
(7) Lib. de bapt., c. 16.
(8) Catech. 3, n. 10. (9) Ep. 83.

sacramenta in citato loco adumbrata dixerunt, sive ob analogiam baptismi ad aquam et eucharistiae ad sanguinem, sive quia praecipua haec sacramenta sunt, baptisma quidem propter summam suam necessitatem, eucharistiam autem ob summam suam excellentiam et dignitatem: ideo Patres mysticam significationem sectantes, haec duo sacramenta quasi ex corde Iesu prodiisse, dixerunt, quin tamen etiam reliqua sacramenta a Christo instituta esse negarent. Nam Patres citatos sacramenta reliqua noluisse excludere, quod iidem caetera sacramenta alibi commemoraverint, ex infra dicendis patebit. *S. Augustinus* in eadem Enarr. (1) iam dixerat: « Respice ad munera ipsius Ecclesiae: munus sacramentorum in baptismo, in eucharistia, in caeteris sanctis sacramentis; » ergo alia innuit sacramenta proprie dicta, praeter duo recensita. Quinimo cuncta septem sparsim eum designare, res certa est. Ille enim praeter baptismum et eucharistiam numerat S. chrisma et extremam unctionem lib. V de bapt. cap. 20, n. 28; item de poenitentia disserit, quatenus est sacramentum lib. I de adult. coniug., cap. 26; agit de ordine lib. II c. Parmen., cap. 13; ac denique in matrimonio sacramentum agnoscit lib. de bono coniug. c. 18, et lib. IX de Genesi ad litt. cap. 7, n. 12. — In sequentibus locis adductis S. Doctor dicit, sacramenta N. L. numero pauciora esse, quia sub nomine sacramentorum V. L. multiplicia intelligit sacrificia, et plurimas caeremonias praescriptas. Ideo etiam *S. Thomas* (2) ait: « Sacramenta in veteri lege plura fuerunt numero, propter diversitatem sacrificiorum et caeremoniarum. » Ideo vero in citatis locis baptisma tantum et eucharistiam in exemplum adducit, quia haec satis erant ad ostendendam maiorem facilitatem sacramentorum nostrorum prae sacramentis veteris Testamenti, prout sibi proposuerat.

Obi. III. Argumentum praescriptionis § 516 allatum nullius roboris est, quia solum a saeculo XIII repeti potest. Etenim notum est, nonnisi post saeculum XII coepisse Latinos septenarium sacramentorum numerum propugnare, qui per *Hugonem Vict.*, *Petrum Lombardum*, et reliquam scholasticorum turbam in Ecclesiam latinam introductus fuit. Porro ea ipsa aetate Latini expeditiones ad orientales orbis plagas instituerunt, Constantinopolim, Palestinam imo et Syriam occuparunt; unde factum est, ut a Latinis eandem de septem sacramentis doctrinam tum Graeci, tum orientales populi mutuarentur. Aliam enim ante hoc tempus in Oriente doctrinam viguisse, testatur *Cyrillus Lucaris* Patr. CPtanus, qui in sua fidei confessione art. 15 dicit: « Graecorum perpetuam et constantem esse doctrinam, duo tantum sacramenta, baptismum et eucharistiam, a supremo legislatore Christo sancita. » Nonnulli etiam ex missionariis catholicis contestati sunt, Graecos, Aethiopes et alios orientales populos quaedam sacramenta non agnoscere.

Resp. Non obstantibus adversariorum cavillationibus argumentum praescriptionis firmum persistit. Nam Ecclesia semper septem sacramenta agnovit et administravit, et scholastici de his solum nova methodo tractare coeperunt. Quaemadmodum enim in reliquis fidei nostrae articulis factum est, ut per scholasticam methodum in certas classes redigerentur ac propugnarentur, idipsum contigit in fidei articulis de re sacramentaria: at aliud

(1) In Ps. 103, n. 9.

(2) 3 p., q. 65, art. 1 ad 4

est, novam methodum adoptare in tradenda ac propugnanda doctrina catholica, aliud vero novam doctrinam obtrudere. Novam de sacramentis doctrinam introducere, scholastici, pietate conspicui et genuinae fidei doctrinae addictissimi, non voluerunt, et etiam si voluissent, non potuerunt, quin plurimas contradictiones, disceptationes imo et turbines excitarent, de quibus tamen nec verbum legitur. Septenarii sacramentorum numeri auctores non esse scholasticos iam exinde patet, quia extant libri rituales Latinorum, et euchologia Graecorum et Orientalium, quae longe superant aetatem scholasticorum, et in quibus septem sacramenta recensentur, et cuiusque administrandi ritus describitur. — Nihil porro minus verisimile est, quam Graecos tunc a Latinis aliquod doctrinae nostrae caput acceptasse, quando Latini ipsis maxime invisi erant, eo nempe tempore, quo se a Latinis iniuste oppressos esse conquerebantur, omnemque dabant operam, ut Latinorum iugum excuterent, quod ipsis tandem pro voto successit. Non enim illud Latinorum imperium admodum longum fuit, quia duravit tantum ab anno 1204 quo a Gallis et Venetis Constantinopolis capta fuit et direpta, usque ad annum 1261, quo Balduinus II a Caesare Alexio Strategopulo ab urbe pulsus fuit. His accedit, quod hoc ipso paucorum annorum intervallo maior Graecorum pars in Vallachia, aliisque multis Europae provinciis, quas Latini occupare non potuerunt, suis legibus ac consuetudinibus vivebat; reliqui autem in Asia, quo *Theodorus Lascaris* imperium orientale transtulerat, procul a Latinis erant separati. Nihil ergo magis a vero alienum est, quam, durante bello sacro Latinorum, doctrinam de sacramentis fuisse in graecam Ecclesiam invectam. His addo, magnam esse inter duas Ecclesias in aliquorum sacramentorum administratione rituum diversitatem, quae manifeste ostendit, nec Latinos a Graecis, nec rursus istos ab illis sacramenta accepisse, sed omnes ab antiquissima Apostolorum traditione, habuisse quantum ad substantiam; cui postea ad maiorem his mysteriis reverentiam conciliandam multae successivis temporibus additae sunt caeremoniae, et quaedam in utraque ecclesia admodum diversae. — Nullius auctoritatis est testimonium *Cyrilli Lucaris*, calviniana lue infecti, et Legati Hollandici opera et pecuniis ad Sedem CPtanam evecti. Ipsi enim Graeci calvinianas blasphemias, quas impius vir avitae orientalium fidei substituere conatus est, detestati sunt, omnesque facto agmine contra eum insurrexerunt, eumque semel atque iterum condemnarunt. — Frustra denique nobis opponuntur testimonia missionariorum et aliorum Scriptorum, qui facile decipi potuerunt, vel quod viderent ritus, in administratione sacramentorum a nostris longe diversos, vel quod errores quorundam imperitorum toti genti iniuste adscriberent, vel quod a testibus ignaris, et facile credulis innocenter decepti fuerint. Talia testimonia penitus enervantur per monumenta multo firmiora, quibus de recta Graecorum et Orientalium fide circa septem sacramenta convincimur. Huiusmodi sunt libri symbolici illarum gentium, nempe euchologia et catechismi, publicae Patriarcharum, Metropolitanorum, aliorumque Praesulum responsiones, Synodorum etiam iteratae responsiones, imo et scriptorum graecorum illustria testimonia, quales apud ipsos sunt *Simeon* Thessalonicensis, qui suos libros de sacramentis ante

Concilium Florentinum edidit, *Gabriel* metropolita Philadelphiensis, cuius tractatus de sacramentis impressi sunt Venetiis anno 1600; *Gregorius* Proto-Syncellus in Epitome divinorum mysteriorum, et *Meletius Piga* Patr. Alexandr., cuius extant duae dogmaticae epistolae editae 1709.

Obi. IV. Ipsi scholastici in adstruendo sacramentorum numero non consentiunt. Nam *Hugo Victor.* et *S. Bonaventura* confirmationis et extremae unctionis sacramenta non a Christo, sed ab Apostolis repetunt. *Alexander Alensis* confirmationem institutam esse dicit in Concilio Meldensi saeculo IX; *Iacobus* autem *de Vitriaco* et *Durandus* aliique ab ipso adducti, matrimonium a sacramentorum albo excludunt.

Resp. Hugo et *S. Bonaventura* censuerunt quidem extremam unctionem et posterior etiam confirmationem non fuisse a Christo *immediate*, in terris commorante, sed solummodo *mediate*, seu a Spiritu sancto per Apostolos, tanquam divinos legatos, instituta: attamen sacramenta esse minime negant, sed apertissime adstruunt et defendunt. Pariter *Alexander Alensis* cum caeteris convenit, confirmationem esse sacramentum, quod nobis satis est: quod vero institutam ipsam censuerit in *Concilio Meldensi*, peculiaris eius fuit sententia, in qua graviter hallucinatus est, nec quempiam habuit sectatorem. *Iacobus de Vitriaco* et *Durandus* nunquam inficiati sunt, matrimonium vere et proprie esse sacramentum, ut ex eorum scriptis liquet; sed tantum voluerunt, matrimonium in remedium concupiscentiae praesertim fuisse institutum, et ideo non *univoce* gratiam conferre, ut reliqua sacramenta, quae ad peccata delenda et sanctitatem promovendam ordinantur (1). Caeterum *Durandus* (2) dicit: « Tenendum est absolute, quod matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia; » et ibid. (3) addit: « Sacramenta expediunt nos ad actus virtutum, quae sunt septem, tres theologicae et quatuor cardinales. Ad actus ergo fidei expedit nos baptismus, ad actum spei extrema unctio, ad actum charitatis eucharistia, ad actum fortitudinis confirmatio, ad actum iustitiae poenitentia, ad prudentiae actum ordo, ad actum temperantiae matrimonium. »

(1) Cf. Estium in 4 sent., dist. 26, § 9.
(2) Lib. 4, dist. 26, q. 3.

II. *Non dantur plura N. L. sacramenta, quam septem.*

§ 519. Ab Ecclesia damnantur non solum qui pauciora, sed etiam qui plura sacramenta adstruunt, quam septem. Nam *Concilium Tridentinum* dicit: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis.... esse plura, vel pauciora, quam septem... anathema sit* (4). Ita pariter *Dositheus* Patr. Hieros. in suo Enchiridio anathema dicit omnibus iis, qui septenarium sacramentorum numerum vel minuunt, vel augent.— Difficultates autem etiam contra hanc propositionem moventur, quas solvere oportet.

Obi. I. In lotione pedum, quae describitur Io. XIII, 4 et seq., omnia requisita ad sacramentum constituendum inveniuntur. Nemo enim dubitabit, illam esse rem subiectam sensibus. Constat porro de institutione Christi, de quo dicitur: *Surgit a coena..... coepit lavare pedes discipulorum* etc.; et mox praeceptum additur: *Debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Exhibetur etiam significatio et productio

(3) Dist. 2, q. 2.
(4) Sess. 7, can. 1.

gratiae his verbis ad Petrum dictis: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.... si non lavero te, non habebis partem mecum.* Ideo Auctor sermonis de ablutione pedum inter opera *Cypriani*, *S. Ambrosius* lib. de Myster. (1), idem vel alius auctor librorum de sacramentis (2), *S. Bernardus* Serm. de coena Domini, lotionem pedum sacramentum nominant, aut etiam asserunt, per eam remissionem peccatorum et sanctificationem conferri; ex quo sequitur, lotionem pedum sacramentis N. L. adnumerandam esse.

. *Resp.* In lotione pedum necessariae ad sacramentum constituendum conditiones non inveniuntur. Adest quidem res subiecta sensibus, adest etiam institutio Christi, quatenus certum est eum Apostolis pedes lavisse; adnectitur quoque Christi praeceptum quod autem non ad actum materialem ablutionis pedum, sed generatim ad exercitium humilitatis et charitatis refertur. Nunquam enim Ecclesia, quae est authentica et infallibilis S. Scripturae interpres, materialis pedum ablutionis praeceptum agnovit. Nullus enim reperitur antiquus canon, qui huius praecepti observantiam inculcaverit. Et quamquam Pastores Ecclesiae et summi Principes soleant semel in anno exemplum Christi imitari, non tamen id tanquam praecepto compulsi, sed ex libera devotione suscipiunt: nullibi vero legimus, hoc factum fuisse a singulis fidelibus, imo ne a singulis quidem sacerdotibus aliisque Ecclesiae ministris. Quis autem suspicetur, tantam fuisse ab ipsis primis Ecclesiae incunabulis negligentiam, ut divinum sacramentum, imo et praeceptum unique contemneretur? — Praecepta igitur generaliter humilitas, non tamen praeceptum fuit determinatum hoc humilitatis exercitium. Unde *S. Augustinus* (3) scribit: « De lavandis vero pedibus, cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendaverit.... multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt, nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitarunt etc. » Hoc vero, si lotio pedum fuisset sacramentum, non tam universaliter factum, aut saltem a *S. Augustino* et aliis praesulibus acriter reprehensum esset. Etiam *S. Chrysostomus*, *S. Cyrillus Alex.* et *Theophylactus* docent, non materialem lotionem pedum, sed generatim humilitatem a Christo (4) praecipi; quod etiam ex eo probant, quia contentiones de primatu inter Apostolos praecesserant, quorum fastum eliminare cupiebat. — Denique deest etiam promissio gratiae ad sacramentum constituendum requisita. Legitur quidem Io. XIII, 8: *Respondit ei Iesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Ista autem verba in sensu obvio non gratiae promissionem, sed poenam tantum aliquam, quam Christus Petro sibi resistenti et inobedienti minatur, privationem scilicet eucharistiae, ut quidam autumant, continent. Quod si, ut nonnulli opinantur, per illa verba gratia Petri conferenda exprimitur, ista gratia pro hac tantum vice cum lotione pedum coniuncta fuit, non autem pro semper; atque ideo in lotione pedum non invenitur ratio sacramenti, ad quod constituendum requiritur, ut actus externus a Christo permanenter, seu pro semper ad significandam et producendam gratiam ordinatus sit. Ea quoque verba v. 10: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet;* ita sunt intelli-

(1) Cap. 6, n. 32. (2) Lib. 3, c. 1.
(3) Ep 55 ad Ianuar., c. 18.
(4) Io. 13, v. 14 et seq.

genda, quod ille, qui gratia sanctificante ornatus est, antequam eucharistiam percipiat, pedes lavare, id est, per humilitatis et contritionis actus animam a venialibus defectibus purgare debeat, ut decenter et cum magno fructu corpus Christi sumat: quo sensu sermo quidem est de quadam peccatorum remissione, quae autem non ex opere operato, sed solum ex opere operantis perficitur. — Fatendum tamen est, ex sola S. Scriptura determinari non posse, an Christus ipsam materialem pedum ablutionem praeceperit, et an cum hac permanenter, seu pro semper productio gratiae coniuncta sit: omnem autem difficultatem tollit *Traditio*, qua constat, nunquam in Ecclesia vel graeca, vel latina, lotionem pedum sacramentis adnumeratam fuisse. Ipsi Protestantes hac in re nobiscum consentiunt, non tam S. Biblia, quam potius Traditionem, in aliis materiis a se vilipensam et reiectam secuti. Neque argumentum Traditionis ex eo debilitatur, quod lotio pedum a nonnullis Patribus sacramenti nomine insigniatur. Constat enim, Patres saepe vocabulum sacramenti accepisse in latiori significatu pro quolibet signo rei sacrae. *Auctor* Serm. de lot. ped., et S. *Bernardus*, si attente legantur, non dicunt, lotionem pedum materialem esse sacramentum, quo homines sanctificentur; sed solum dicunt, lotionem a Christo peractam fuisse sacramentum, quia per eam significabatur aliquid sacrum, nempe expiatio peccatorum venialium, quae in nobis quotidie fit per exercitia humilitatis, orationis, contritionis, charitatis etc. Auctor lib. de Sacram. l. c., ipsemet testatur: « Non ignoramus, quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur, et formam: hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. » Et si S. *Ambrosius* l. c. dicit: Ideo planta eius abluitur, ut *haereditaria peccata* tollantur, per haec non intelligit peccatum originale, quod unum est, et baptismo deletur, sed concupiscentiam, cuius motus rebelles ex peccato Adami facti sunt nobis haereditarii; minuuntur autem hi motus piis humilitatis et charitatis exercitiis, quae per lotionem pedum significantur. Ita editores Maurini haec S. Ambrosii verba exponunt.

Obi. II. Triplex distinguitur baptismus, iustificans homines, et gratiam conferens, nempe baptismus fluminis, flaminis et sanguinis; cum autem primus duntaxat in aqua conferatur, et reliquorum duorum materia diversa sit, sicut tria baptismata, ita tria quoque sacramenta sunt admittenda. Et revera *Tertullianus* lib. de praescript. virginitatem, et martyrium nominat sacramenta. Etiam *S. Hieronymus*, eodem nomine martyrium appellat et dicit, ex latere Christi percusso baptismi, et martyrii sacramenta fluxisse.

Resp. Ecclesia equidem semper credidit, baptismum fluminis suppleri posse per baptismum flaminis et sanguinis; haec duo autem, quae improprie tantum baptismata vocantur, nunquam pro sacramentis habuit. Nam quod vulgo appellatur baptismus flaminis, nihil aliud est, quam votum, seu desiderium suscipiendi baptismi coniunctum cum fide, dilectione Dei et detestatione peccatorum. Cum autem in baptismo flaminis per actus internos, et non per signum externum a Christo institutum, iustificatio perficiatur, ratio sacramenti in illo non invenitur. Etiam baptismus sanguinis, seu martyrium pro Christo eiusque fide toleratum, nequaquam vere et proprie sacramen-

tum est, cum in martyrio nullum sit proprie signum a Christo institutum, nec ulla verborum forma, et minister eius sit crudelis et impius carnifex. Errant autem, qui putant, Tertullianum virginitatem et martyrium appellasse sacramenta ; sed, cum ibi diaboli fraudes detegeret, quibus sacramenta nostrae religionis superstitiosis suis ritibus aemulari studebat, solum addit, habere eum et virgines et martyres. *S. Hieronymus* improprie sacramenti nomen martyrio imposuit ea tantum ratione, quatenus ab intensissima charitate procedit, quae animam plene iustificat. Generatim vero notandum est, nomen sacramenti saepius in latiori significatione tributum fuisse quibusdam sacris ritibus, vel heroicis virtutibus, quibus gratiae Dei augmentum promeremur ; ex nomine autem solo non est desumenda germana sacramenti notio, sed ex omnibus aliis adiunctis.

Obi. III. Multorum est sententia, praeter tres maiores, minores etiam quatuor ordines esse sacramentum ; ergo iuxta Catholicos plura dantur sacramenta, quam septem.

Resp. Sacramentum ordinis, licet plures contineat ordines specie inter se diversos, tamen omnes illi constituunt unum dumtaxat sacramentum integrum, et in genere suo completum, cuius finis est administrare corpus Christi physicum et mysticum, scilicet consecrare panem et vinum, et absolvere a peccatis. Cum itaque plenitudo ordinis sit in solo sacerdotio, in reliquis vero ordinibus quaedam huius participatio ; unum solummodo datur sacramentum ordinis plenum atque perfectum. Ita hanc difficultatem iam solvit *S. Thomas* (1) dicens : « Divisio ordinis non est totius integralis in suas partes, nec totius universalis, sed totius potentialis, cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic : tota enim plenitudo sacramenti huius est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis... Et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum.»

Obi. IV. Antiquiores theologi multo plura sacramenta recensuerunt quam recentiores. Sic *Hugo Victorinus* aquam lustralem, cineres in capite ieiunii benedictos, cereos Paschales, item alios cereos, quos Agnus Dei vocamus, aliosque similes Ecclesiae ritus sacramentis adnumeravit.

Resp. Neque ex graeca, neque ex latina Ecclesia adduci possunt theologi, qui plura sacramenta stricte dicta adstruxerint, quam septem. Quod si veteres scriptores aliis quandoque rebus sacris nomen sacramenti tribuerunt, id in sensu improprio, seu in significatione latiori factum est, quia etiam in ipsa S. Scriptura vox sacramenti in vario sensu adhibetur. Ipse *Hugo Victorinus* (2) expresse *septem* esse docet sacramenta, quae in Ecclesia ministrantur ; et quamquam alias quoque res sacras aliquando vocet sacramenta, seipsum tamen explicat (3) dicens : « Sunt quaedam sacramenta in Ecclesia, in quibus etsi principaliter salus non constet, tamen salus ex eo augetur, in quantum devotio exercetur ; » manifeste igitur istarum rerum sacrarum effectum non ex opere operato, sed solum ex opere operantis repetit. Quamobrem recte observat *S. Thomas*, res istas sacras in sensu proprio non posse dici sacramenta ; nam (4)

(1) In supplem. q. 37, art. 1 ad 2.
(2) Lib. I de Sacram., cap. 12.
(3) P. 9, cap. 1.
(4) Lib. sup. cit., 3 p., q. 65, art. 1 ad 6.

inquit: «Aqua benedicta et aliae consecrationes non dicuntur sacramenta, quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiae consecutio; sed sunt dispositiones quaedam ad sacramenta, vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias daemonum et contra peccata venialia; vel etiam idoneitatem quamdam faciendo ad sacramenti perfectionem et perceptionem, sicut consecratur altare et vasa propter reverentiam eucharistiae.»

Obi. V. Professio religiosa est actus externus, magnam habens gratiae promissionem, dicente Christo: *Omnis, qui reliquerit domum* etc., *centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* (1). — Passim idcirco theologi docent, per dictam professionem homines sicut in baptismo iustificari; et inter Graecos plurimi professionem religiosam sacramentis accensent.

Resp. Iuxta doctrinam catholicam charitas perfecta iustificat; et quia ille, qui ex recta intentione terrenis omnibus valedicit, et religiosam emittit professionem, censetur habere perfectam charitatem, ideo a theologis plene iustificari dicitur. Caeterum in professione religiosa neque signum externum invenitur a Christo institutum, neque forma a Christo determinata, neque promissio Christi (2) ad illos, qui religionem vovent, restringitur. Hac de causa nunquam professio religiosa ab Ecclesia ut verum sacramentum habita est. Ex Graecis autem nonnulli sensu latiori et improprio professionem religiosam sacramentum vocarunt, et si eandem *secundum baptismum* nuncuparunt, persuasum tamen ipsis erat, eam non ex opere operato, sed ex opere operantis, nempe ratione charitatis et fervoris, cuncta peccata delere. Ita rem explicant *Simeon Thessalonicensis* (3), *Leo Allatius* (4), *Renaudotius* (5).

(1) Matth. 19, 29. (2) Ibid.
(3) Lib. de Sacram., cap. 52.

ARTICULUS IX.

De caeremoniis sacramentorum.

§ 520. Generatim caeremoniae sacrae appellantur actus externi religionis ad cultum divinum legitime instituti. Multiplex est autem earum partitio. Nam ratione *originis* caeremoniae sacrae dividuntur in *divinas*, quae Deum habent auctorem, et in *ecclesiasticas*, quae ab Ecclesiae praesulibus invectae fuerunt. Ratione *modi*, quod caeremoniae fiunt, aliae in verbis consistunt, ut oratio, aliae in actionibus, ut signa crucis, oscula, genuflectiones, aliae in usu rerum externarum, ut aquae lustralis, vestium, luminarium, thymiamatum, quae religioso cultui deserviunt. Ratione *loci* dividuntur in *generales*, quae in toto orbe catholico aeque adhibentur, et in *particulares*, quae nonnullarum tantum Ecclesiarum sunt propriae; ita suos habent ritus peculiares Graeci, suos habent Latini. Ratione *durationis* vel *perpetuae* sunt caeremoniae, vel *temporales;* ad priores referuntur determinatae a Christo sacramentorum materiae et formae; quae nequeunt abrogari, cum divinitus fuerint institutae: inter posteriores connumerantur libatio lactis et mellis, et trina immersio in baptismo; qui ritus antiquitus, observabantur quidem in Ecclesia, sed iamdiu in desuetudinem abiere. Ratione *finis*, in quem caeremoniae ordinantur, aliquae institutae fuerunt ad hominem iustificandum seu ad gratiam producendam, ut ritus essentiales

(4) Lib. 8 de consensu Eccl. occid. et orient., cap. 16.
(5) Lib. 1 de perpetua fide etc., c. 8 et seq.

sacramentorum; aliquae ad daemones coercendos ut exorcismi; aliquae ad decorem divini cultus promovendum, ut sacrorum indumentorum apparatus. Ratione *effectus* caeremoniae *essentiales* ab *accessoriis* discerni debent: ad illas pertinent caeremoniae, ex quarum defectu fit, ut sacramentum sit nullum; tales sunt ex. gr. ablutio et explicita invocatio Ss. Trinitatis in baptismo. Accessoria vero caeremoniae sunt, quae necessariae non sunt ad sacramenti valorem. Hae tamen vel praescriptae sunt ad complendam sacramenti solemnitatem, uti sacrae vestes in celebratione sacrificii, et *integrantes* dicuntur; vel tantum adiunctae sunt ad eius ornamentum, ut foret elevatio manuum aut capitis inclinatio, et nuncupantur *accidentales*. Tandem ratione *obiecti*, circa quod versantur caeremoniae, quaedam earum proprie vocantur *ritus sacramentales*, quia pertinent ad sacramentorum administrationem. Reliquae caeremoniae praeter sacramentorum usum adhibitae, *sacramentalia* vulgo appellantur, eoquod rituum sacramentorum aliquam similitudinem gerant. — Nobis hic de ritibus sacramentalibus agendum est. Per ritum autem sacramentalem intelligitur actus externus religionis, qui ad decentem sacramentorum administrationem, et ad devotionem populi in eorundem participatione excitandam *ab Ecclesia* institutus fuit: in qua definitione ritus sacramentales clare distinguuntur a caeremoniis essentialibus, materiam et formam sacramentorum concernentibus, et ab ipso Christo institutis. Contra errores autem Novatorum ostendendum est: 1° *Ecclesiae competere potestatem ritus sacramentales instituendi;* et 2° *istos ritus utiles, et accurate observandos esse.*

Nota. Nonnulli volunt, illud intercedere discrimen inter *ritum* et *caeremoniam*, quod habetur inter aquam et lotionem; etenim caeremonia iuxta mentem *Conc. Trid.* est *ipsa actio*, ritus est *modus praescriptus*, quo fit ipsa actio. Promiscue tamen usurpari hae voces consueverunt (1).

I. *De potestate Ecclesiae ritus sacramentales instituendi.*

§ 521. *Lutherus* (2), *Confessio Augustana* (3), *Melanchthon* (4) fatentur, Ecclesiam instituere posse aliquas caeremonias ad eruditionem et splendorem, modo absit obligatio et opinio cultus. *Calvinus* vero (5) contendit, id nullo modo licere, et Ecclesiae nullam competere potestatem, ritus ad sacramenta a Christo instituta pertinentes instituendi. *Chemnitius* docet, institutioni divinae nihil addendum, aut detrahendum esse, quoniam qui aliquid addunt, iniuriam inferunt Christo, quasi caeremoniae ab ipso institutae non sint satis idoneae ac sufficientes. Contra istos aberrantes probandum est, Ecclesiae inesse potestatem ritus sacramentales instituendi.

1. *Ipsa S. Scriptura* testatur, Ecclesiam potestate ritus sacramentales instituendi instructam esse. Nam Paulus I Cor. II, cum plura de eucharistiae sacramento scripsisset, concludit v. 34: *Caetera, cum venero disponam.* Absque dubio Apostolus Corinthios, qui iam sacram coenam frequentaverant, omnia docuit, quae a Christo praecepta et ad valorem sacramenti necessaria sunt: loquitur ergo Apostolus in citatis verbis de aliis tantum, quae se dispositurum

(1) Cf. Perrone l. c., n. 167, in nota.
(2) In lib. de piis caeremoniis.
(3) Art. 15. (4) In locis theol., tit. de caerem.
(5) Lib. 4 Instit., cap. 10.

pollicetur ad maiorem tam augusto sacramento venerationem conciliandam, et ad uberiorem fructum percipiendum. Huc refert *S. Augustinus* (1) morem, nonnisi ieiunis eucharistiam administrandi: relatis enim Apostoli verbis, haec addit S. Doctor: « Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia) hoc ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur. » Et *S. Thomas* (2) dicit: « Ex quo patet, quod Ecclesia multa habet ex dispositione Apostolorum, quae in S. Scriptura non continentur. » Manifestum igitur est, Apostolos potestatem ritus sacramentales praescribendi et habuisse, et exercuisse; sed potestas Apostolorum ad eorum successores transiit, quia eadem Ecclesia, quae in Apostolis fundata est, semper perdurare debet (3); ergo Ecclesia potestatem habet ritus sacramentales instituendi.

2. Ex *Ss. Patrum* testimoniis patet, iam ab exordio Ecclesiae varias fuisse observatas caeremonias, ab Apostolis aut ab Ecclesia institutas, quae vel sacramenta praecederent, vel ipsa comitarentur, vel subsequerentur. Ita *S. Iustinus M.* Apol. I, n. 61, meminit ieiunii, orationis, immersionis in collatione baptismi; et n. 65 memorat osculum, acclamationem, preces, gratiarum actiones et distributionem in celebratione eucharistiae. *Tertullianus* lib. de corona militis (4) varias recenset caeremonias, quae in collatione baptismi observabantur, nempe contestationem, qua baptizandus declarabat, se renuntiare diabolo et pompis, et angelis eius; trinam immersionem in aqua, praegustationem lactis et mellis, atque abstinentiam a lavacro quotidiano per totam hebdomadam. Postea enumerat alias caeremonias sacras, scilicet oblationes pro defunctis, et ritum frequenter signandi frontem signaculo crucis, ac concludit: « Harum et aliarum huiusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies; traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. » *S. Cyprianus* (5) ad Magnum exorcismos memorat, qui ante baptismum adhiberi solent; et (6) ad Caecilium mentionem facit ritus miscendi aquam cum vino in sacrificio Missae. *S. Cyrillus Hier.* in suis Catech. (7) varios graecae Ecclesiae ritus in collatione sacramentorum usitatos recenset, et concludit monens fideles, ut « retinerent has traditiones. » *S. Basilius* apposite ad confundendos nostri aevi Novatores loquitur in lib. de Spiritu sancto (8) inquiens: « Si consuetudines, quae scripto proditae non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur reiicere imprudentes, gravissimum detrimentum Evangelio inferemus, imo potius ipsam fidei praedicationem ad nudum nomen contrahemus. » Addit etiam nonnullos sacramentorum ritus « ex non publicata et arcana traditione derivari. » *S. Augustinus* ad evincendum adversus Pelagianos originale peccatum saepius urget exorcismos, quibus Ecclesia ex traditione apostolica catechumenos ad baptismum praeparabat. Sacramentale *S. Gregorii M.*, euchologia Graecorum, scripta *S. Isidori Hisp.*, *Alcuini*, *Rabani Mauri*, *Walafridi*, *Strabonis* et aliorum satis ostendunt, eosdem ritus, quos nunc Ecclesia la-

(1) Epist. 54 (al. 118) ad Ianuar., cap. 6.
(2) Lect. 7, in hunc locum
(3) Cf. Theol. gen., § 228 et seq.
(4) Cap. 3. (5) Ep. 76. (6) Ep. 63.
(7) Cap. 1, 2, 4 et 5. (8) Cap. 27.

tina in celebratione sanctorum observat, iamdiu ante saeculum nonum observatos fuisse. Recte ideo *Concilium Tridentinum declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire iudicaret* (1).

3. *Ratio theologica* petitur ex potestate legislativa, quam Christus Apostolis eorumque successoribus concessit (2) ad exteriorem Dei cultum promovendum, et fideles ad pietatem informandos. In illa enim potestate etiam facultas continetur, ritus sacramentales administrandi. Christus enim ea tantum, quae ad essentiam sacramentorum pertinent, determinavit; reliqua vero, quae tempus, locum et modum accidentalem attinent, Ecclesiae disponenda concredidit, ne si haec libero cuiuslibet arbitrio relicta fuerint, dignitas sacramentorum laederetur, devotio fidelium impediretur, maximaque confusio oriretur. Dein haud dubie minorem potestatem non habet Ecclesia Christi, quam habuit vetus Synagoga Iudaeorum; at ista poterat novos ritus, caeremonias et festivitates instituere. Sic (3) Synagoga, auctore Mardochaeo, instituit novum festum ab omnibus celebrandum, quod Deus non instituerat. Idem factum est tempore Iudith; sic enim legitur capite ultimo: *Dies autem victoriae huius festivitatis, ab Hebraeis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur a Iudaeis ex illo tempore usque in praesentem diem.* Multo magis igitur Ecclesiae Christi potestas adiudicanda est, tum festivitates, tum ritus sacros instituendi.

Nota. Argumenta, quae Novatores doctrinae nostrae opponunt, facile confutantur.

Obi. I. Iis, quae divinitus instituta sunt, nil addere, nil demere licet. Nam Deut. IV, 2 dicitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo;* et Deut. XII, 32 Deus ait: *Quod praecipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas;* ergo sacramentis divinitus institutis caeremonias addere non licet. Christus ipse talem additionem reprobat, dicens: *Sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum* (4). Paulus quoque (5) docet, non esse ab hominibus petendam doctrinam de vero Dei cultu, ne per inanem fallaciam abducamur a grege Christi *secundum traditionem hominum.* Ritus ergo sacramentales ab Ecclesia instituti penitus sunt reiiciendi.

Resp. Testimonia *S. Scripturae* allata doctrinae nostrae nullatenus opponuntur. Nam Deut. IV, 2 solum cavetur, ne libris canonicis a Moyse conscriptis mutilatio, vel interpolatio contingat. Non licet enim humanae mentis partus tanquam divinam revelationem venditare. Ecclesia vero ritus quos praescribit, nequaquam ut divinitus institutos tradit. Verba autem Deut. XII, 32 solum excludunt additiones, quae homines ad idololatricam superstitionem inclinare possent; unde vers. praec. 30 et 31 Israëlitis cavendum praecipitur, ne imitentur Gentes, *et requirant caeremonias earum;* non autem alias additiones, quae verum Dei cultum promovent. Hinc Synagoga multas leges, nova festa, ac varias caeremonias instituere sibi licitum putavit. Ipsi Protestantes nullatenus putant, per ci-

(1) Sess. 21, cap. 2. (2) V. Theol. gen., § 225. (3) Esther 9, 20 et seq. (4) Matth. 15, 9. (5) Coloss. 2, 8

tata verba regibus, et principibus leges ferendi ademptam esse potestatem; ergo et nos recte adseveramus, per eadem verba potestatem ritus sacramentales instituendi Ecclesiae non fuisse sublatam. Sic etiam Christus (1) non ritus a legitima potestate institutos, sed doctrinas et mandata Pharisaeorum reprehendit, quod essent vel contrariae vero Dei cultui, vel saltem frivolae et inutiles, ut quaedam saepius repetitae lotiones manuum. Paulus (2) loquitur de sublimitate fidei, non autem de ritibus, aut caeremoniis. Merito autem asserit Apostolus, fidem nostram non esse petendam a doctrinis hominum, qui Christo contraria docent; agit enim hic de superstitioso pharisaeismo, et de hebraizantibus, qui legalia Moysis cum religione christiana coniungere tentabant (3).

Obi. II. Etiam *S. Augustinus* novorum rituum institutionem reprobavit. Nam ad Ianuar. (4) scribit: « Ipsam religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, servilibus oneribus (quidam) premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudaeorum, qui, etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subiiciuntur. »

Resp. S. Augustinus solummodo improbavit novorum rituum institutionem, quae fit a privatis hominibus sine causa, et contra consuetudinem Ecclesiae; ritus autem sacramentales a legitima Ecclesiae potestate institutos et approbavit, et commendavit. S. Doctor mentem suam loco citato clare explicat, inquit enim: « Omnia itaque talia, quae neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universae Ecclesiae roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omnino nunquam inveniri possint causae, quas in iis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur; sine ulla dubitatione resecanda existimo. » Ex quibus verbis recte inferri potest, omnino necesse esse, ut rituum accidentalium in administratione sacramentorum institutio legitimae Ecclesiae potestati committatur, ne innumerabilis diversitas oriatur.

Obi. III. Ecclesia catholica caeremonias suas a Iudaismo, aut ab ethnica superstitione desumpsit. Catholici igitur, tot caeremonias observantes, dicendi sunt iudaizare; nec immerito *Calvinus* catholicorum caeremonias cum ethnicis deliramentis comparavit.

Resp. Cum ritus, de quibus sermo est, per se indifferentes sint, ac totam suam bonitatem, vel etiam ex obiecto et fine mutuentur, mirum esse non debet, si nonnullos ritus Ecclesia ab hebraeis aut ethnicis adoptaverit, purificatos tamen ac mundatos ab omni superstitionis specie, ut faciliorem iisdem viam sternerent ad veri numinis cultum amplectendum, ut observat *Benedictus XIV* (5). — Perperam autem Catholici ob sacras suas caeremonias iudaizare dicuntur. Nam si de praeceptis caeremonialibus Iudaeorum agatur, neminem latet, in V. T. ritus complures institutos fuisse ad legis evangelicae mysteria praenuntianda. Eiusmodi erant potissimum circumcisio, quae baptismum, agnus paschalis, qui eucharistiam,

(1) Matth. 15, 9. (2) Coloss. 2, 8.
(3) Cf. Bernardin. a Picon. in h. l.
(4) Ep. 55, cap. 19.

(5) De sacrif. Missae lib. 1, et de beatif. et canon. Ss. lib. 1. c. 1

lustrationes variae, quae poenitentiam significabant. Quamquam porro sanctitas horum rituum in dubium nequeat vocari, quia Deum habebant auctorem, attamen in temporis plenitudine abrogandi erant, ac reipsa abrogati fuere, cum per adventum Redemptoris figurae locum dederint veritati. Hinc si de hoc rituum genere disserant Novatores plane mentiuntur; eos etenim Ecclesia non modo a Synagoga mutuata non est, sed quovis tempore fidelibus interdixit, ne quid commune haberent cum Iudaeis. Ast alii quoque ritus in mosaica lege observabantur, qui ad caeterorum discrimen *umbra futurorum* non erant, sed per se ordinabantur ad veri Dei cultum externum, sicuti psalmorum cantus, vestes sacrae, usus thymiamatum ac luminarium. Profecto, reprobata etiam Synagoga, huiusmodi ritus retineri poterant ab Ecclesia, cum potissimum constituant exteriorem cultum Deo rependendum. An vero exinde poterit inferri, catholicos iudaizare? Minime gentium. Quis enim dixerit, iudaismum sectari Christi fideles, quia Decalogi praeceptis aeque ac iudaei subiiciuntur? Idipsum ergo de posterioribus hisce caeremoniis concludatur: ipsae namque a Christo, vel ab Apostolis, vel etiam ab eorum successoribus institutae ac praescriptae fuere, non quia viguerant apud iudaeos, sed quia religio vera absque externo aliquo ritu consistere nequit.— Quod ethnicos attinet, adnotandum est, plures fuisse ritus ethnicorum per se malos, nimirum ex parte materiae vel formae crudeles ac turpes, uti sacrificia humani sanguinis, bacchanalia, lupercalia, caeteraque id generis naturae legibus repugnantia. Monstrosos huiusmodi ritus Ecclesiam semper abhorruisse, cunctorum temporum historia testatur, idque patet ex ipsis christianorum ritibus, in quibus nihil est, quod non sapiat sanctitatem. Sin autem sermo sit de ritibus ethnicorum per se non malis ac divino cultui congruentibus; respondemus, quod licet potuerit exterior quaedam affinitas inter Ecclesiae ac gentium ritus apparere, nihilominus, habita ratione sive ad finem, sive ad obiectum, nulla prorsus in iis aderat conformitas. Ethnici enim per sacros ritus officia religionis inquinabant, cum latria soli Deo debita prosequerentur creaturas, opera manuum hominum, in quo erat superstitio. Ecclesia ex adverso bellum superstitioni indicens religionis iura vindicavit, eosdemque ritus idolis non deferendos legitimo divinitatis cultui restituit. His addi potest, sacros ritus divino cultui congruentes non ab ethnica superstitione, sed potius a lumine naturali, quod necessitatem cultus externi agnoscit, aut a religione revelata, iam in primordiis mundi patriarchis tradita, repetendos esse. Cum enim vera religio antiquior fuerit idololatria, iam exploratum est, eam sacros ritus a gentibus non potuisse recipere, sed gentes potius caeremonias ad cultum divinum pertinentes depravasse, atque ad profanum idolorum cultum traduxisse, ut veram religionem aliquatenus imitarentur, quod iam observavit *Tertullianus* (1).

Obi. IV. Primitiva Ecclesia cultu admodum simplici sacra mysteria peragebat, adorans Deum in spiritu et veritate. Ab hac igitur sancta simplicitate recessit Ecclesia catholica, tantum caeremoniarum apparatum, et tam splendidam rituum pompam instituens.

Resp. Iam in primis Ecclesiae saeculis ritus sacramentales in usu fuisse,

(1) Lib. de praescript., c. 40.

ex antiquorum Patrum testimoniis probatum fuit. Mirum vero non est, externum cultum non fuisse in nascentis Ecclesiae exordio adeo splendidum, ut modo conspicitur. Id enim non patiebatur infelix eorum temporum conditio, quando fideles metu persecutionum cogebantur latere, et secreto suas preces suaque sacrificia Deo offerre in cryptis, in coemeteriis aliisque locis occultis. Simul vero ac potuit Ecclesia sua libertate frui, illico etiam coepit pietas et devotio fidelium divitiarum suarum partem Deo consecrare in magnifica templorum structura, in sacrorum vasorum pretio, aliisque donariis ad Dei cultum et honorem dicatis. Hanc vero cultus externi magnificentiam maximi Ecclesiae Doctores, saeculo quarto et quinto florentes, non solum non reprehenderunt, sed et commendarunt exemplisque suis confirmarunt.

II. *De utilitate caeremoniarum, et eas observandi obligatione.*

§ 522. 1. Magnam esse sacrarum caeremoniarum utilitatem ad reverentiam rebus divinis debitam, atque cordis devotionem excitandam, *S. Thomas* (1) probat dicens: « Habet hoc humanus affectus, ut ea quae communia sunt, et non distincta ab aliis minus revereatur, ea vero, quae habent aliquam excellentiae discretionem ab aliis magis admiretur et revereatur. Et inde etiam hominum consuetudo inolevit, ut Reges et Principes, quos oportet in reverentia haberi a subditis, et pretiosioribus vestibus ornentur, et etiam ampliores et pulcriores habitationes possideant. Et propter hoc oportuit, ut (iam in V.T.) aliqua specialia tempora, et speciale tabernaculum, et specialia vasa, et speciales ministri ad cultum Dei ordinarentur, ut per hoc animi hominum ad maiorem Dei reverentiam adducerentur.» Ad eundem finem promovendum Ecclesia etiam in N. T. sacras caeremonias instituit. *Concilium* enim *Tridentinum* de sacrif. Missae dicit: *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex apostolica traditione et disciplina; quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur* (2). Ad eundem autem finem ad quem caeremoniae in Missae sacrificio ordinantur, etiam ritus sacramentales instituti sunt. Nam *Catechismus romanus* (3) dicit: « Merito quidem a primis usque Ecclesiae temporibus illud semper servatum est, ut sacramenta solemnibus quibusdam caeremoniis ministrarentur. Primum enim maxime decuit, sacris mysteriis eum religionis cultum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur. Praeterea, quae sacramentis efficiuntur, caeremoniae ipsae magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, et earum rerum sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur et diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis et charitatem excitant: quo maior cura et diligentia

(1) Lib. 2, q. 102, art. 4.
(2) Sess. 22, c. 5.
(3) P. 2, cap. 1, n. 18.

adhibenda erit, ut fideles vim caeremoniarum, quibus singula sacramenta conficiuntur, cognitam et perspectam habeant. » Ss. caeremoniae itaque ordinantur, tum in commodum ministrorum, qui ea accurate et devote exercendo fidem et charitatem suam exterius manifestant, tum in commodum fidelium, qui exinde multiplicem utilitatem hauriunt, quam praeclare exponit Card. *Bona* (1) dicens: « Licet ipsae caeremoniae nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem, sunt tamen actus externi religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur religio, et veri fideles a pseudochristianis et heterodoxis discernuntur.» Errant ergo, et vehementer errant, qui Ecclesiae catholicae caeremonias inanes, futiles, ridiculas, aut cum *Calvino* nugarum farraginem appellare non verentur. Qui talia loquuntur, solummodo ostendunt, quod vel ex stupiditate sacrarum caeremoniarum significationem non intelligant, vel ob praeiudicia malasque cordis passiones sacros ritus pravis aspiciant oculis. Recte autem *Catechismus romanus* pastores animarum exhortatur, ut magna cura et diligentia sacrarum caeremoniarum significationem exponant; secus enim fideles indigitata emolumenta ex iis trahere non possunt. Quamvis porro a ritibus sacramentalibus non dependeant principales, seu essentiales effectus sacramentorum, qui *ex opere operato* producuntur, per illos tamen augeri potest fructus accidentalis, qui maiori, vel minori pietatis ac fervoris sensui, qui in animis nostris excitatur, respondet, et *ex opere operantis* colligitur.

2. Quicunque norunt, Ecclesiae a Christo potestatem legislativam traditam fuisse, magnam quoque obligationem profiteri tenentur, sacras caeremonias ab Ecclesia praescriptas accurate observandi. Nemini igitur fas est, in sacramentorum ritibus inducere mutationem, eosve pro arbitratu praetermittere. Constat haec fidei veritas ex *Concilio Tridentino* sic definiente: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit* (2). E quibus verbis perspicuum est, observantiam sacrorum rituum cadere sub praecepto conscientiam stringente; quod et ratione theologica confirmatur. Etenim si ritus ecclesiasticos cuique datum esset impune variare vel tollere, maxima confusio ubique oriretur, ac sublata foret unitas in externo Dei cultu, quae necessaria omnino est, ut iuxta mandatum Pauli, *omnia... secundum ordinem fiant* (3). Hanc veritatem fassi sunt ipsi Protestantes, qui in confessione Augustana atque Saxonica aperte affirmant: « Peccare illos, qui caeremonias cum scandalo violant atque superbe contemnunt, quippe ordinem disciplinae, ac regiminis intervertentes et turbantes tranquillitatem. » *Melanchthon* (4) ait: « Non probo petulantiam illorum, qui ritus et traditiones sine probabili causa ubique violant, seu studio novitatis, seu qua

(1) Divin. Psalm. cap. 19, § 3
(2) Sess. 7, can. 13.
(3) 1 Cor. 14, 50.
(4) In Epist. ad Rom.

dam contumacia. In his enim non solum pietas, sed etiam humanitas desiderari potest. Quid enim est inhumanius, quam aspernari publicos mores, praesertim si videantur disciplinae causa instituti? » — Si Lutherani ita sentiunt, quanto magis Catholicis persuasum esse debet, sine culpa sacros ritus negligi, aut mutari non posse? — Et quidem haec culpa lethalis erit, si de ritibus essentialibus, vel integrantibus agatur; nam qui ritum *essentialem* praeterit, sacramentum irritum facit; qui relinquit ritum *integrantem*, etsi nullum non reddat sacramentum, in re tamen gravi transgreditur Ecclesiae praeceptum. Si vero de nonnullis ritibus accidentalibus sit omissio, tum transgressio culpam venialem non excedit ob materiae levitatem, dummodo contemptus absit, nec pusillorum intercedat scandalum, neque omissiones simul sumptae materiam gravem constituant. Urgente autem necessitatis casu sufficit, quantum fieri potest, certam sacramenti materiam et formam adhibere; caeteri autem ritus ad sacramenti substantiam non pertinentes, sive accidentales, sive integrantes absque noxa poterunt omitti, quia leges positivae ecclesiasticae cum gravi detrimento spirituali, aut etiam temporali non obligant.

Nota 1. Sicut Protestantes Ecclesiae catholicae caeremonias vilipendunt, ita etiam redarguunt *latini sermonis usum*, quem semper in sacris ritibus tenuit Ecclesia Romana, docentes, vulgari lingua administranda fore sacramenta, ut quisque fidelium noscere valeat, quid in iis peragatur. Idipsum etiam nonnullis Catholicis maxime conveniens et proficuum visum est. Ita sensit conciliabulum *Pistoriense*, ut patet ex Bulla *Pii VI*, *Auctorem fidei*, in qua n. 33 legitur: « Propositio Synodi, qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium revocando illam ad maiorem rituum simplicitatem, *eam vulgari lingua exponendo* et elata voce proferendo, — quasi vigens ordo liturgiae ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet, — (damnatur) ut *temeraria piarum aurium offensiva*, *in Ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam conviciis.*» — Hanc censuram iustissimam esse facile probatur. Optimo enim consilio factum est, ut in universa latina Ecclesia mos constanter servaretur *latine* celebrandi religionis mysteria eo etiam tempore, quo hoc idioma non amplius commune fuit in occidente, tum quia nulla necessitas aderat latinae linguae in sacris liturgiis deserendae, tum quia eius abrogatio plura et gravia incommoda peperisset. — *a*) Diximus praeprimis, nullam fuisse necessitatem latinae linguae in ritibus sacramentorum deserendae. Non enim necessaria esse poterat haec idiomatis immutatio ex parte Dei, ad quem in sacramentis perficiendis ut plurimum verba convertuntur; non ex parte elementorum, quae per verba benedicuntur, vel consecrantur; neque tandem ex parte suscipientium sacramenta, cum verba, quibus haec ministrantur, non sint ad homines erudiendos ordinata. Certum insuper est, e latino idiomate rudibus impervio, quod usurpat Ecclesia nullum consequi fidelium detrimentum. Sacramenta quippe vim habent iustificandi *ex opere operato;* idcirco gratiam tribuunt, etiamsi a non intelligentibus recipiantur. Praeterea, iuxta constantem Ecclesiae praxin, quam *Triden-*

tina Synodus firmavit (1), ab animarum pastoribus instrui solent fideles circa sacramentorum naturam, materiam, formam, virtutem et effectus, antequam ad eorum participationem admittantur. Inde patet, quod, licet ritus sacri lingua populari non celebrentur, id tamen non impedit, quominus et rudiores sciant, quid sibi per sacramenta confertur, atque ad ipsa sumenda congruo disponi valeant pietatis fervore. — *b*) Diximus ulterius, plura et gravia incommoda exoritura, si linguae vulgaris usus in sacris liturgiis poneretur. Hac de re minime dubitandum est. Nam *primo*, huiusmodi varietate linguarum semel admissa, nullus esset liturgiarum finis; natio quaevis aut provincia, pro diversitate idiomatum propriam liturgiam sibi vindicaret. Id autem summopere obesset unitati in Ecclesiae membris necessariae, ac facile impediret, ne convenirent invicem Ecclesiae particulares earumque pastores. Quomodo enim fieri posset, latino sermone abrogato, ut ex. gr. Episcopus Hispanus in aliqua Hiberniae, Italiae, Germaniae vel Galliae urbe solemnia perageret, aut sacros ordines conferret? — *Secundo*, quemadmodum uti decet in sacramentis conficiendis peculiari loco, peculiaribus instrumentis et vestibus, ita congruum omnino est linguam non communem usurpare, ut reverentiae iis debitae consulatur. Si namque adhiberetur sermo vulgaris, hic non venerationem, sed nimiam pareret erga divina mysteria familiaritatem: unde fieret, ut apud plebem eadem omnino vilescerent, ac sensim in contemptum devenirent. *Tertio*, ad praecavendam formae sacramentorum variationem, ex qua haec irrita fieri possent, valde convenit, eam ubique pari modo proferre. Haec autem uniformitas nullo quidem labore per usum unius linguae universalem obtinetur; contra non levis difficultatis est, optatam consequi uniformitatem, si cuncta idiomata in sacramentis administrandis pro libitu adhibeantur. *Quarto*, propter linguarum viventium inconstantiam plurimae voces lapsu temporum obsolescunt, ac fiunt penitus ignotae. Hinc liturgiae vulgari lingua semel exaratae constanter observari non possent, sed identidem opus esset novum in ipsis loquendi morem inducere, ne ob stili vetustatem risum potius, quam pietatem in populo excitarent. *Quinto* denique, si datum esset lingua vulgari Ecclesiae ritus peragere, iam latissimus campus ignorantiae pateret. Nam idioma latinum, tam necessarium ad S. Scripturae, Ss. Patrum et theologorum praestantissimorum intelligentiam, ubique tunc neglectui et oblivioni sensim traderetur.

Nota 2. *Sacramentalia*, quae a sacramentis probe secernere oportet, sunt ritus externi ab Ecclesia instituti et consecrati ad quosdam effectus salutares producendos. Sacramentalia vocantur, non quod sint sacramentorum caeremoniae, aut ad sacramenta pertineant, sed propter aliquam similitudinem, quam cum sacramentis habere videntur. Sex communiter a theologis sacramentalia recensentur, hoc versu comprehensa: « Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens. » *Orans* significat orationem dominicam, aut alias preces ab Ecclesia praescriptas, seu in Ecclesia solemniter recitatas. *Tinctus* significat assumptionem, seu aspersionem aquae benedictae. *Edens* significat panes, vel fructus Ecclesiae precibus benedictos. *Confessus* indicat confessionem generalem, quae fit initio Missae, ad pri-

(1) Sess. 24 de Reform., cap. 7.

mam et completorium, et quae incipit: *Confiteor Deo omnipotenti* etc. *Dans* indicat eleemosynam, et omnia opera misericordiae. *Benedicens* comprehendit varias benedictiones olei, vini, cereorum, templorum, cinerum, vestium etc., imo et benedictionem, quae datur in tonsura clericali, in regum et abbatum consecratione etc., quo etiam referri potest *signum crucis*, quod in benedictionibus semper adhibetur. Recte autem observant nonnulli theologi, orationem et eleemosynam non esse ritus ab Ecclesia institutos, sed virtutum actus a Christo praeceptos, et ideo minus recte ad sacramentalia referri, nisi forte eatenus, quatenus ex speciali praecepto, aut nomine Ecclesiae perficiantur. — Si de effectibus sacramentalium quaeratur, certum est, quod non conferant gratiam sanctificantem *ex opere operato;* haec enim efficacia propria est sacramentis, quae Ecclesia non potest instituere. Negari autem non potest, quod sacramentalia salutares producant effectus, quia alias vana et superstitiosa foret eorum institutio. Porro, effectus sacramentalium alius est *communis* cum aliis caeremoniis, quod nimirum aliquid spirituale significent; sic aqua lustralis ablutionem internam, panis benedictus unionem charitatis, confessio internum animi dolorem, benedictio sacerdotalis benedictionem a Deo datam, cineres poenitentiam et mortalitatem hominis significant. Deinde, adinstar aliarum caeremoniarum sunt actus meritorii, utpote a virtute religionis imperati. Praeterea habent effectus suos *speciales*, uti patet ex usu Ecclesiae, quae in benedictione eorum speciales a Deo effectus postulat, unde ex precibus Ecclesiae peculiarem vim obtinent ad speciales effectus producendos, quorum *primus* est collatio gratiarum actualium, per modum impetrationis humili et fiduciali mente repraesentando Deo preces Ecclesiae in eorum benedictione fusas; *secundus* est expulsio et cohibitio daemonis, ne noceat, tum per modum impetrationis secundum datam explicationem, tum per modum imperii ob potestatem Ecclesiae traditam a Christo daemonibus imperandi, *tertius* aliqua utilitas temporalis, ex. gr. sanitas, remotio mali impendentis per grandines, locustas etc.; quod sacramentalia iterum praestant vel per viam impetrationis, vel per modum adiurationis, quae constat tum invocatione divinae virtutis, ut usui harum rerum assistat, tum imperio in daemones, ne noceant; *quartus* est remissio peccatorum venialium; et *quintus* demum est remissio poenae temporalis pro peccatis mortalibus et venialibus quoad culpam deletis adhuc debitae, applicando ex thesauro Ecclesiae satisfactionem aliquam Christi pro poena delenda, quae ideo remissio fit per modum indulgentiae. Quaestio inter theologos agitatur, qua ratione per sacramentalia peccata venialia remittantur? — Iuxta communiorem autem sententiam sacramentalia remittunt peccata venialia ex opere operantis, in quantum excitant motus detestationis illorum, aut reverentiae in Deum et res sacras, quibus motibus remissio venialium obtinetur: huiusmodi autem motus excitant non solum *obiective*, sicut cruces, sacrae imagines, bona exempla etc., sed etiam *impetratorie*, quatenus adhibentur nomine Ecclesiae, quae maiorem habet vim impetrandi, quam persona particularis; saepe enim princeps concedit precibus totius communitatis, quod denegat precibus unius particularis, et quanta promissa sint orationi publicae, ex S. Scriptura constat (1)

(1) Matth. 18. 19 etc.

Quoniam autem gratiae actuali humana voluntas deesse, aut resistere potest, sacramentalia nequaquam infallibiliter suum effectum producunt, sicut sacramenta valide et sine obice suscepta. Patet tamen ex dictis, sacramentalia maiorem vim et efficaciam habere, quam caetera quae ad excitandos quidem pios motus apta, sed sacramentalia non sunt. Pro coronide audiendus est *S. Thomas*, qui (1) ita hac de re loquitur: « Triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. *Uno modo*, in quantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est: et hoc modo per eucharistiam et extremam unctionem, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. *Secundo*, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum. *Tertio modo*, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum et ad res divinas. Et hoc modo benedictio Episcopalis, aspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt huiusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum. » Et ibid. (2) aperte docet, per sacramentalia duplici modo peccata venialia remitti; ait enim: « Per praedicta tolluntur peccata venialia quantum ad culpam, tum virtute alicuius satisfactionis, tum etiam in virtute charitatis, cuius motus per praedicta excitatur. » Monet tamen per sacramentalia non semper totum remitti reatum poenae (3).

(1) 3 p., q. 87, art. 3. (2) Ad 3.
(3) Cf. Billuart de Sacram. Diss. 7, art. 4, Schram, Inst. theol. dogm., § 932 et seq.

Usus doctrinae de sacramentis in genere.

§ 523. 1. Ex sacramentorum institutione maxima relucet divini Redemptoris nostri bonitas et clementia, qua non gratiam solum necessariam largiri dignatur, sed et signa adiungere subiecta sensibus nostraeque infirmitati convenientia, ut de divinae gratiae participatione certiores redderemur. Praestantissimi et efficacissimi nobis aperti sunt gratiarum fontes, quibus a miseriis nostris peccato originali contractis liberari, validisque viribus repleri possumus, ut bonum certamen certantes, fidem servantes, cursum feliciter consummantes coronam iustitiae consequamur. Profecto igitur dignum et iustum est, aequum et salutare, nos Christo semper et ubique gratias agere pro tam efficacium mediorum salutis benigna institutione.

2. Gratias etiam Deo agere debemus, quod Ecclesiae catholicae membra simus, quae a suis incunabulis usque ad praesentem diem septem sacramenta credidit et administravit: haec igitur Ecclesia efficacia salutis media pro omni hominum statu et conditione suppeditat; haec septem lucernis tabernaculi candelabro superpositis illustratur; haec septem panibus a Christo multiplicatis alitur; haec septem columnis sustentatur; haec septem donis Spiritus sancti repletur. Imo in Ecclesia catholica sacramenta talibus ritibus administrantur, qui ad reverentiam erga sacrosancta mysteria excitandam cordisque devotionem fovendam aptissimi sunt. — Protestantium igitur coetus, qui plura salutis media a Christo instituta repudiant, magna commiseratione deflentes, et ad Ecclesiam unam sanctam, catholicam et apostolicam respicientes, cum Petro exclamemus:

Domine, bonum est, nos hic esse (1). Nam, quod et praecipuum est, in hac tantum Ecclesia sacramenta utiliter recipiuntur. « Quamvis enim, ait *S. Bonaventura* (2), apud haereticos sint sacramenta vera, non tamen recipientibus sunt utilia, nisi ad Ecclesiae unitatem redeant. Unde *S. Augustinus* (3) ait : « Ecclesia comparata paradiso iudicat, posse baptismum homines et foris recipere, sed salutem non tenere. Nam et flumina de paradisi fonte largiter manaverunt, non tamen in Mesopotamia, nec in Aegypto, quo illa flumina pervenerunt, est felicitas vitae, quae de paradiso commemoratur. »

3. Egregium monitum doctrinae de sacraméntis adnectit cl. *Contenson* (4) dicens : « Sicut in omnibus vitae Christi mysteriis miscentur humana divinis, et in rebus visibilibus invisibilia exercentur negotia, quia *Christus*, inquit *Chrysologus* (5), *si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet; et si non implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio:* ita in omnibus, quae in nos effundit, beneficiis ita sua temperat dona, ut dum vilitatem nostram supra modum evehit, una nostrae consulat humilitati, sine qua et bona illa subtraheret, quae donavit. Unde sicut placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes, et in ligno crucis evacuare chirographum decreti, quod erat contra nos, ac per despicabilem carnis assumptae passionem et mortem nos transferre in gloriam filiorum Dei : sic sensibilibus elementis voluit nobis coelestia charismata impertiri, ut ex una parte gratiarum aquas in fontibus Salvatoris hauriremus, et ex alia, ne tot bonorum beatissima copia elati, gratiarum profluvio obicem poneremus ingrati. — Ne mirare, lector, si minimis et abiectis rebus nos subiecerit, cum tota fortitudo nostra sit infirmitatis propriae in veritate cognitio, et in humilitate confessio, atque ut ad Ctesiphontem ait *Hieronymus : Haec una praesentis vitae perfectio est, ut te infirmum et imperfectum cognoscas.* Infirma mundi elegit Deus, fortia confusurus, ut nihil nostris meritis tribuamus, ut totos nos Deo permittamus, quia etsi nos nihil, omnia tamen Deus potest, qui his vilibus tot mirabilia operatur. Ergo si cogitas sacramentorum uberes fructus percipere, si aves christiani aedificii fabricam erigere, de fundamento prius cogita humilitatis ; sit in medio tui humiliatio tua ; alioquin nullo poterit pacto in anima tua virtutum structura consurgere, nisi prius iacta fuerint verae humilitatis solida firmamenta, quae perfectionis valeant culmina sustinere. Et certe in una suae infirmitatis notitia infirmitatem inveniet Christianus, post quam infirmitati crucis, et despicabilium elementorum signis totam christianae vitae fortitudinem alligavit Christus, dicente *Augustino: Fortitudo Christi te creavit, infirmitas te recreavit :* fortitudo Christi fecit, ut quod non erat esset ; infirmitas Christi fecit, ut quod erat non periret » (6).

4. Idem ibid. (7) ita loquitur : « Sacramentorum auctor Christus est, homo minister. Ergo quicunque tanto ministerio dignaris, vide quid sis, vide cuius sis, vide quid agas. Agnosce dignitatem, perpende ministerium tuum et quod tractas, imitare. Sane sicut Christi instrumentum es, ut alios san-

(1) Matth. 17, 4.
(2) In Compend. theol. verit., lib. 6, 6.
(3) Lib. 4 de Bapt., statim in princ.
(4) Lib. 11, p. 1, Diss. 1, c. 1 specul. 2 refl.
(5) Serm. 50. (6) Tract. 15, in Io.
(7) In reflex. ad Specul. 3.

ctifices ; ita divinam in te Christi sanctimoniam quadantenus aemulari, et pro virili parte exprimere teneris, ut non sola potestate, sed etiam sanctitate Vice-Christus iure dicaris. Etsi enim mali ministri, quoniam non sua, sed Christi virtute sacramenta conficiunt, sacramentorum efficientiam iniquitate non impediant : — attamen nisi ministri, ut animata servatoris instrumenta, quam fundunt, sanctitatem sectentur, pureque ad sacramenta administranda accedant, sed posthabita morum integritate et vitae munditia, sacramenta polluto corde conficiant, in nefandum illos sacrilegium incurrere, ministerium inhonorare ; et Deum ipsum iniquitatibus suis facere servire, nemo inficias it. Attendant ergo sacerdotes, se ministerio quidem suo infinitam quadantenus dignitatem tenere, sed ad eximiam sanctitatem teneri *Nihil est in hoc saeculo excellentius sacerdotibus*, ait S. *Ambrosius* (1), *si quod sumus professione, actione potius, quam nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini ; ne sit honor sublimis, vita deformis ; ne si deifica professio et illicita actio.* »

5. Praecipua officia, quae pastoribus animarum respectu sacramentorum incumbunt, his verbis proponit *Catechismus romanus* (2) : « Pastores duo potissimum efficere omni studio conentur. Primum est, ut fideles intelligant, quanto honore et cultu, et veneratione haec divina et coelestia munera digna sint ; alterum vero, ut, quoniam a clementissimo Deo ad communem omnium salutem proposita sunt, iis pie et religiose utantur, atque ita christianae perfectionis desiderio exardescant, ut si poenitentiae praesertim, et eucharistiae saluberrimo usu aliquamdiu careant, plurimum damni se fecisse existiment. Haec autem facile pastores assequi poterunt, si quae de sacramentorum divinitate et fructu supra dicta sunt, auribus fidelium saepius inculcabunt ; primum a Domino Salvatore nostro, a quo nihil nisi perfectissimum proficisci potest, instituta esse ; praeterea cum ministrantur, Spiritus sancti intima cordis nostri permeantis efficacissimum numen praesto esse ; deinde admirabili et certa curandarum animarum virtute praedita esse ; tum per ea immensas illas dominicae passionis divitias ad nos derivari ; postremo vero ostendant, totum christianum aedificium - nisi verbi Dei praedicatione et sacramentorum usu undique fulciatur, maximopere verendum esse, ne magna ex parte labefactatum concidat ; ut enim per sacramenta in vitam suscipimur, ita hoc veluti pabulo alimur, conservamur, augemur. »

(1) Lib. 1 de Dign. sacerd., cap. 1.

(2) P. 2, c. 1, n. 32.

INDEX

§ 398. Nexus doctrinae . . . *pag.* 3

SECTIO I.

§ 399. De gratia Christi . . . » 5

CAPUT I.

§ 400. Notitiae praeviae de gratia Christi . . . . . » 6

ARTICULUS I.

§ 401. Gratiae supernaturalis notio, et divisiones . . . »ibid.
§ 402. I. Notio gratiae supernaturalis » 7
§ 403. II. Divisiones gratiae supernaturalis . . . . . » 8

ARTICULUS II.

§ 404. Brevis historia dogmatis de gratia . . . . . » 15
§ 405. I. Aberrantes circa gratiam divinam . . . . . » 16
§ 406. II. Aberrantes circa liberum hominis arbitrium . . » 24

CAPUT II.

§ 407. De necessitate gratiae actualis » 36

ARTICULUS I.

§ 408. Necessitatis gratiae actualis ambitus . . . . . »ibid.
§ 409. I. Ad omnes, et singulos actus salutares necessaria est gratia actualis . . . . . » 37
§ 410. II. Ad fidem salutarem, eiusque initium necessaria est gratia actualis . . . . . » 51
§ 411. III. Non potest homo iustificatus sine speciali Dei auxilio in accepta iustitia perseverare » 67

ARTICULUS II.

§ 412. Necessitatis gratiae supernaturalis limites . . . . » 74
§ 413. I. Potest homo lapsus, antequam fidei gratiam assequatur, aliqua opera moraliter bona efficere et propterea non omnia infidelium opera sunt peccata » 75
§ 414. III. Potest homo gratia actuali adiutus, ante adeptam iustificationem actus bonos et supernaturales elicere, et ideo non omnia peccatorum opera sunt peccata . . . . . *pag.* 88

ARTICULUS III.

§ 415. Variae quaestiones de necessitate gratiae . . . . . » 95
§ 416. I. De veritatibus cognoscendis » 96
§ 417. II. De Dei dilectione . » 99
§ 418. III. De legis naturalis observantia . . . . . » 103
§ 419. IV. De tentationibus vincendis » 107
§ 420. V. De peccatis venialibus vitandis . . . . . » 111
§ 421. VI. De statu peccati deserendo » 117
§ 422. Usus doctrinae de necessitate gratiae . . . . . » 119

CAPUT III.

§ 423. De gratiae efficacia, eiusque nexu cum libero arbitrio » 121

ARTICULUS I.

§ 424. Dogmata catholica . . » 122
§ 425. I. Datur gratia efficax . »ibid.
§ 426. II. Gratia efficax non est necessitans; ac ideo non officit libertati . . . . . » 129
§ 427. III. Datur gratia inefficax seu sufficiens . . . . » 138
§ 428. IV. Gratiae efficacia non consistit in delectatione relative victrici ad sensum Iansenii » 158

ARTICULUS II.

§ 429. Opiniones scholarum . » 170
§ 430. I. Systema Thomistarum » 173
§ 431. II. Systema Augustinianorum » 183
§ 432. III. Systema Molinistarum » 193
§ 433. IV. Systema Congruistarum » 205
§ 434. Collatio systematum expositorum . . . . . » 210
§ 435. V. Systema ultimum, seu Systematum declaratorum Synthesis » 211
§ 436. Usus doctrinae de efficacia gratiae . . . . . » 222

CAPUT IV.

§ 437. De gratiae distributione . » 230

ARTICULUS I.

§ 438. De distributionis gratiarum modo . . . . *pag.* 231
§ 439. I. Gratia omnino gratuito a Deo confertur . . . »ibid.
§ 440. II. Gratia vario et multiplici modo a Deo confertur . » 243

ARTICULUS II.

§ 441. De distributionis gratiarum ambitu . . . . . » 247
§ 442. I. De iustis . . . . » 249
§ 443. II. De peccatoribus nondum obduratis . . . . . » 260
§ 444. III. De peccatoribus excaecatis et obduratis . . . . » 269
§ 445. *A.* Peccatoribus excaecatis et induratis multae gratiae subtrahuntur . . . . » 270
§ 446. *B.* Peccatoribus obduratis et excaecatis gratiae vere sufficientes conferuntur pro loco et tempore, quibus a peccatis resipiscere possint . . » 273
§ 447. IV. De infidelibus . . » 281
§ 448. V. De infantibus . . » 293
§ 449. VI. De inaequali gratiae mensura . . . . . » 297
§ 450. Usus doctrinae de gratiae distributione . . . . » 299

CAPUT V.

§ 451. De gratia sanctificante, de iustificatione peccatoris, et merito bonorum operum . . » 301

ARTICULUS I.

§ 452. De gratia sanctificante . » 302
§ 453. I. De gratiae sanctificantis existentia . . . . »ibid.
§ 454. II. De gratiae sanctificantis excellentia . . . . » 306
§ 455. III. Quaestiones theologicae de gratia sanctificante . » 311
§ 456. QUAEST. I. An gratia sanctificans sit aliquid homini intrinsece inhaerens per modum habitus?»ibid.
§ 457. QUAEST. II. Utrum gratia sanctificans distinguatur a charitate?» 315
§ 458. QUAEST. III. An gratia sanctificans sit ipse Spiritus sanctus? » 318
§ 459. Usus doctrinae de gratia sanctificante . . . » 320

ARTICULUS II.

§ 460. De natura iustificationis peccatoris . . . . » 321
§ 461. I. In iustificatione impii peccata non teguntur solum, aut extrinsece condonantur, sed vere remittuntur, ac prorsus delentur . . . . *pag.* 324
§ 462. II. Impius non iustificatur per externam imputationem iustitiae Christi, sed per internam gratiae sanctificantis infusionem » 333
§ 463. Usus doctrinae de natura iustificationis . . . » 342

ARTICULUS III.

§ 464. De dispositionibus ad iustificationem requisitis . . » 343
§ 465. I. Fides ad iustificationem requisita non ea est, qua peccator firmiter credit peccata sibi propter Christum esse remissa, sed qua firmum assensum praebet iis, quae a Deo revelata sunt 347
§ 466. II. Sola fides non iustificat, sed ad iustificationem consequendam praeter fidem aliae dispositiones, seu opera bona requiruntur . . . . » 355
§ 467. Usus doctrinae de dispositionibus ad iustificationem requisitis . . . . » 379

ARTICULUS IV.

§ 468. De proprietatibus iustificationis » 380
§ 469. I. Nemo, absque speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua iustificatione, nec fide proinde tenetur credere, se esse iustificatum » 381
§ 470. II. Accepta iustitia conservatur et augetur coram Deo per bona opera; non est propterea in omnibus aequalis . . » 397
§ 471. III. Iustitia et gratia sanctificans per subsequens peccatum mortale amitti potest . » 401
§ 472. Usus doctrinae de proprietatibus iustificationis . . » 414

ARTICULUS V.

§ 473. De merito bonorum operum » 415
§ 474. I. Notio boni operis . »ibid.
§ 475. II. De bonorum operum possibilitate et existentia . . » 416
§ 476. III. De bonorum operum necessitate . . . . » 421
§ 477. IV. De bonorum operum merito » 426
§ 478. V. De conditionibus ad meritum requisitis . . . » 435
§ 479. *A.* Conditiones a Novatoribus ad meritum requisitae retelluntur » 436

§ 480. *B.* Conditiones a Catholicis ad meritum requisitae declarantur, et probantur . . . *pag.* 438
§ 481. VI. De actibus spei, seu de operibus intuitu aeternae mercedi susceptis . . . » 445
§ 482. VII. De obiecto meriti . » 451
§ 483. *A.* Obiectum meriti de condigno . . . . » 452
§ 484. *B.* Obiectum meriti de congruo » 454
§ 485. Usus doctrinae de merito bonorum operum . . . » 456

SECTIO II.

DE SACRAMENTIS.

§ 486. Nexus et momentum doctrinae » 457

TRACTATUS I.

§ 487. De sacramentis in genere » 458

ARTICULUS I.

§ 488. De natura sacramentorum » 460
§ 489. I. Sacramenti definitio . »ibid.
§ 490. II. Sacramenti requisita . » 464

ARTICULUS II.

§ 491. De existentia sacramentorum » 466
§ 492 I. In periodo patriarchali » 467
§ 493 II. In periodo mosaica . » 474
§ 494. III. In periodo christiana » 475

ARTICULUS III.

§ 495. De sacramentorum institutione . . . . » 478
§ 496. I. De auctore sacramentorum »ibid.
§ 497. II. De causis institutionis sacramentorum . . » 484

ARTICULUS IV.

§ 498. De materia et forma sacramentorum . . . . » 487

ARTICULUS V.

§ 499. De ministro sacramentorum » 497
§ 500. I. De persona ministri . » 498
§ 501. II. De probitate ministri » 502
§ 502. III. De fide ministri . » 511
§ 503. IV. De intentione ministri *pag.* 523
§ 504. *A.* De obiecto intentionis ministri . . . . . »531
§ 505. *B.* De qualitate, seu gradu intentionis ministri . . » 536

ARTICULUS VI.

§ 506. De effectibus sacramentorum » 538
§ 507. I. De gratia, quam sacramenta conferunt . . . . . »ibid.
§ 508. *A.* De qualitate gratiae, quae per sacramenta confertur . »ibid.
§ 509. *B.* De modo, quo sacramenta gratiam conferunt . . . » 543
§ 510. II. De characterе, qui per sacramenta imprimitur . . » 562

ARTICULUS VII.

§ 511. De subiecto sacramentorum » 576
§ 512. I. De dispositionibus ad validam sacramentorum susceptionem requisitis . . . . . » 577
§ 513. II. De dispositionibus ad licitam et salutiferam sacramentorum susceptionem requisitis . » 581

ARTICULUS VIII.

§ 514. De numero sacramentorum novae legis . . . . . » 582
§ 515. I. Non dantur pauciora N. L. sacramenta, quam septem . » 583
§ 516. *A.* Argumentum ex praescriptione petitum . . . . » 584
§ 517. *B.* Rationes theologicae . » 588
§ 518. *C.* Argumenta haereticorum responsio . . . . . » 593
§ 519. II. Non dantur plura N. L. sacramenta, quam septem . » 597

ARTICULUS IX.

§ 520. De caeremoniis sacramentorum . . . . . » 60
§ 521. I. De potestate Ecclesiae ritus sacramentales instituendi . » 602
§ 522. II. De utilitate caeremoniarum, et cas observandi obligatione » 607
§ 523. Usus doctrinae de sacramentis in genere . . . . . » 612

V. ex del. D. D. Archiep.
GHIRINGHELLO

208.9
K756
v.3-4
8770
Knoll, A.
Institutiones
theologiae theoreticae

208.9
K756
v.3-4
8770

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709